PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA : ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR : CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

UNIVERSITÉ CATHOLIQUE BIBLIOTHÈQUE LILLE

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

Accurante J.-P. Migne,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENEUNT MILLE FRANCIS DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR

PATROLOGIÆ TOMUS CLIV.

HUGO ABBAS FLAVINIACENSIS, B. WOLPHELMUS ABBAS BRUNSWILLERENSIS, EKKEHARDUS URAUGIENSIS, ANONYMI.

TOMUS UNICUS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1853

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

SÆCULUM XII

HUGONIS

ABBATIS FLAVINIACENSIS

EKKEHARDI URAUGIENSIS

CHRONICA

Prodeunt ex Collectione præstantissima V. cl. Pertzii fideliter expressa.

ACCEDUNT

B. WOLPHELMI ABBATIS BRUNSWILLERENSIS

OPUSCULA DUO

TOMUM CLAUDUNT

GESTA EPISCOPORUM TREVIRENSIUM

ET

ANDAGINENSIS MONASTERII CHRONICON

AUCTORIBUS ANONYMIS.

ACCURANTE J.-P. MIGNE

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS UNICUS.

VENIT 7 FRANCIS GALLICIS.

—

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

—

1853

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CLIV CONTINENTUR.

HUGO ABBAS FLAVINIACENSIS.

Chronicon *Col.* 17

B. WOLPHELMUS ABBAS BRUNSWILLERENSIS.

Opusculum de sacramento altaris. 433

Versus de utroque testamento. 433

EKKEHARDUS URAUGIENSIS.

Chronica. 459

ANONYMUS.

Gesta Treverorum. 1064

ANONYMUS.

Chronicon S. Huberti Andaginensis. 1337

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

EXEUNTE SÆCULO

HUGO · ABBAS FLAVINIACENSIS.

CHRONICON HUGONIS.

(Edidit novissime domnus PERTZ, *Monumenta Germaniæ historica*, Script. tom. VIII, p. 278.)

PROŒMIUM.

HUGONIS ÆTAS, PATRIA, NATALES, RES GESTÆ.

Chronici prolixi sed rerum ad historiam sæculi undecimi faciendum copia insignis, quod jam lectoribus nostris proponimus, auctor Hugo ex familia quæ vel imperatorum Ottonis III et Chuonradi II cognationem affectabat oriundus (1), *anno* 1065 (2) *Virduni* (3) *aut in vicinia ejus urbis natus est. Puer a Rodulpho abbate in monasterium S. Vitoni quod tum in suburbano Virduni florebat adscitus et litteris tam sacris quam profanis imbutus* (4), *mox obedientiam sancto Vitono et Rodulfo abbati professus est. Lites inter sacerdotium et imperium exortæ eo tempore in bella aperta exarserant et ubique per Germaniam Italiamque grassabantur. Nec ea labe Lotharingia superior immunis erat; cujus episcopi Egilbertus, Herimannus, Theodericus, Pibo cum regis fidelitatem servarent, Gregorius VII ad eos impugnandos et in suas partes trahendos abbatibus præcipue Rodulfo Virdunensi et Jarentone Divionensi usus est. Et Rodulfus quidem bis Romam profectus papæ legationem suscepit; anno* 1080 *litteris Gregorii allatis Herimannum Metensem episcopum in fide Ecclesiæ stabilivit, et anno* 1085 *iterum Roma redux Theodericum Virdunensem Gregorio reconciliare sperabat; sed Roma interim ab Heinrico occupata et Gregorio Salernum fugato, Theodericus Clementis partes amplectendas statuit et Rodulfum loco cedere coegit. Forte tunc et Jarento abbas Divionem redierat, vir Gregorio familiarissimus, qui papæ jussu cum aliis legatis Robertum Wiscardum Romam arcessierat, posteaque fugæ Gregorii Salernum comes factus, et ab eo Colimbriam legatus erat. Qui rerum conditione perspecta Rodulfo auctor fuit ut, Virduno relicto, una cum monachis suis primum Flaviniacum villam S. Vitoni in territorio Tullensi sitam, deinde Divionem demigraret. Abbatem inter reliquos et Hugo secutus, undevicesimo ætatis anno* notos affines patriam et nidum quo coaluerat *eo animo reliquit, ut* corpus et animam totamque substantiam suam Dei causæ, quam putabat, gaudens devoveret, et in ejus servitio quidquid virium esset juvenilis corporis expendendum præoptaret. *Quo fidei fervore Jarentoni plurimum commendatus,*

(1) Genus hoc fuisse ipse tradit :



sed fabulosam progeniem, jam unus Chuonradus Ottoni III filii loco ascriptus ostendit.

(2) Fol. 137, anno 1096, d. x Kal. Dec. se anno ætatis 32 vivere scribit; quod si dies natalitius inter d. x Kal. Dec. et Kalendas Januarias incidit, anno 1064 natum fuisse oportet.

(3) Patriam vocat a. 1085.

(4) Præter Biblia sacra et Patres noverat classicos auctores; laudat Senecam de beneficiis, Gregorii Moralia, S. Benedicti regulam, Ambrosium, Augustinum, Isidorum, Fortunatum.

ab initio gratia et benevolentia ejus usus, mox postquam una cum abbate et reliquis fratribus monasterio Divionensi obedientiam promisit, in societatem vitæ et consiliorum adscitus est, ita ut cum, Theoderico episcopo mortuo, Rodulfus abbas anno 1092 *Virdunum rediret, Hugo Jarentoni adhærendum statueret. Inter viros igitur pontificiarum partium præcipuos quibus innotuit noster, Hugonem abbatem Cluniaci Jarentonis comes visitavit, et Hugoni archiepiscopo Lugdunensi in tantum placuit, ut ab eo in ministrum assumptus, negotiis adhiberetur, tantaque ejus familiaritate usus est, ut eum sibi indissolubili vinculo junctum putaret. Talium virorum exemplo excitatus et rerum quarum particeps factus erat gravitate commotus juvenis historiæ scribendæ accessit, eo scilicet animo, ut si ipse fortia audire nequiret, saltem virorum fortium bene acta exploraret et oblivioni eriperet* (5). *Chronicæ igitur concinnandæ operam dedit, qua res gestas inde a Christi Nativitate ad sua usque tempora deduceret; et subsidiis quamplurimis congestis circa annum* 1090 (6) *manum operi admovit. Duobus quos conscripsit libris, priore historiam ad initium sæculi* XI, *altero ad sua usque tempora deduxit, in universum quidem temporum ordinem secutus, sed cum cæpto opere subsidia passim crescerent, sedula diligentia scripta retractare, omissa addere, paginarum margini notas adjicere, folia integra inserere non destitit. Subsidia quibus primum usus est, Lotharingica scilicet et Burgundica, ex penu abbatiarum S. Vitoni et Divionensis acceperit; alia e. g. catalogi archiepiscoporum Lugdunensium et episcoporum Claromontanorum postea accesserunt; ultimo loco Flaviniacensia marginibus et paginis insertis addita constat, cum ipse jam monasterii istius regimen suscepisset. Anno* 1095 *vel* 1096 *ineunte cum Jarento ab Urbano papa pro restituenda Ecclesiæ auctoritate et reconciliandis Wilhelmo rege et Roberto duce fratribus in Nortmanniam et Angliam mitteretur, Hugo abbatem suum comitatus est. Re autem infecta, cum Jarento atque Hugo redirent, in mari tempestate valida ad mortis discrimen producti tandem Bajocas pervenerunt, ubi Hugo, morbo violento oppressus, iterum necem vix evasit. Sanatus tamen, postquam Jarento concordiam inter Robertum ducem et fratrem ejus restituit, una cum abbate ducem Hierosolymam iturum*

A *mense Septembri a.* 1096 *usque ad Pontem Arliæ comitatus est, et Divionem redux, Haganone Augustodunensi episcopo auctore et canonicis laicisque eligentibus, abbatiam Flaviniacensem suscipere consensit. Ab Hugone archiepiscopo vix ægre dimissus* (7), *die* 22 *Novembris a.* 1096 *Flaviniacum intravit, et postera die consecratus est. Annis fere tribus quibus abbatiæ præfuit, rebus agendis operam dedit et in opus ecclesiæ duo millia solidorum expendit; sed Haganone episcopo diœcesano a.* 1098 *defuncto, Norgaudum successorem adversarium nactus est. Anno* 1099 *d.* 28 *Martii Rodulfus abbas obiit; morienti Hugo aderat et passionem Dominicam legit, defunctique funus Virdunum prosecutus est* (8). *Mense Septembri ejus anni Flaviniaco excessit, inimicis mo-*

B *nachis quibusdam et Norgaudo locum dedit, et frustra per aliquod tempus apud Norgaudum et Hugonem archiepiscopum pro reditu laboravit. Anni* 1100 *initio iterum in Angliam profectus est, mense Augusto adversariis suis Flaviniacensibus frustra iterum litteras scripsit, et Septembri demum exeunte a legatis pontificis in concilio Valentino abbatiæ restitutus, Flaviniacum rediit. Sed tunc quoque offensum fratrum animum, qui abbatiam Divionensi subjiciendam suspicabantur, sibi conciliare nequivit, ita ut Norgaudo anno* 1101 *alterius abbatis constituendi locus daretur, Hugone ejecto et frustra Romam appellante.*

Hæc ultima sunt quæ de se ipse scripsit; Divione igitur cum Jarentone stetisse videtur, quem unum

C *omnium amicorum constantem et fidelem sibi expertus fuerat. Librum suum per vices passim, nullo ordine servato et prout animus ferebat, usque ad annum* 1102 *produxit. Quid de ipso auctore postea actum sit dubitatur; certum tamen esse videtur eum partibus ecclesiæ a quibus tam diu steterat renuntiasse, Divionensi monasterio excessisse, ab abbate Divionensi excommunicatum, et cum a.* 1111 *Richardus Virdunensis episcopus, Heinrici V assecla, abbatem Sancti Vitoni Paschali fidelem et iterum ad Jarentonem profugientem ejecisset, in ejus locum ab episcopo esse substitutum* (9); *quod quidem in viro ardentis animi et summa injuria affecto, bene credi potest, etsi nomen Hugonis haud aperte indicetur. Quod si ipse fuit quem Laurentius abbas S. Vitoni Rodulfi successor innuit, abbatiæ tribus tantum annis præfuit, Laurentio*

D

(5) A. 1100.

(6) Maxima libri pars jam conscripta erat dum auctor a. 1096 abbas Flaviniacensis electus est; nec quæ de fuga sua et obedientia abbati Divionensi præstita tradit, multis annis post a. 1085 scripta sunt; fol. 97 post a. 1086, fol. 129 post 1087, fol. 124 post a. 1090 exaratum est; nostrum igitur circa a. 1090 scribendi initium fecisse existimo.

(7) Archiepiscopus ita scribit : *cujus sedulitati credebamus immo cujus lingua vox nostra erat.*

(8) D. 2 Aprilis tumulatus ep. Rodulfus, d. 10 Aprilis Hugo Flaviniaci aderat.

(9) Hæc prodeunt ex litteris Laurentii abbatis S. Vitoni expulsi, quibus scriptis adversariorum suorum, fortasse Hugonis ipsius, respondet apud Mabill. in Annal. Bened. t. V, p. 685, col. 1. *Qui* (Richardus)..... *adimere præsumit, dans vel auferens a. p. p. d. abbatias, quibus vult, qualibus vult et quomodo vult. In quibus est ille qui ab abbatia Flaviniacensi repudiatus, ab ecclesia Divionensi, cui jubente domino suo abbate Rodulpho professionem fecit, fugitivus, ab abbate Divionensi excommunicatus, virgam pastoralem qua in æternum verberandus, suscipere præsumpsit. Cujus præsumptionis participes se fecerunt illi qui tam infami personæ curam pastoralem commiserunt et qui se ei committi perpessi sunt. Qui ipse quoque contra eos qui Romanæ ecclesiæ resistunt librum auctoritatibus munitum confecit, et credimus quia modo, juxta quod rustici dicunt cultrum duas leges habere, alium librum compilabit,* etc. — Liber iste a Laurentio laudatus Chronicon nostrum fuisse videtur.

exsule per Richardum revocato (10). *Quæ qui circa annum* 1140 *tradidit, Laurentius Leodiensis Gestorum Virdunensium continuator, se librum suum valde invitum, sed viri venerabilis Hugonis monachi S. Vitoni nimia instantia compulsum, scribere profitetur. Non defuerunt qui Hugonem istum nostrum esse putarent. Nec ætas tunc superstitis, scilicet* 75 *annorum, obstaret, et aliquantum succurrit, quod scriptor nomen abbatis Laurentio subrogati tacere voluit, et quod Hugonis librum novisse videtur. Quæ si ita se habent, Hugonem post abbatis Laurentii reditum abbatiam abdicasse et vitæ tantis procellis agitatæ annos ultimos in nido cui puer coaluerat quiete exegisse opinari liceret. Sed hæc revera ignorantur.*

In libro superstite ante omnia insignem indefessamque curam qua subsidia operi amplissima undique conquisivit, et addendi corrigendique perenne studium jure laudamus. Ad manus ei erant libri chartæque et epistolæ tabulariis et bibliothecis Virdunensibus, Divionensibus, Lugdunensibus desumptæ, quorum ei copia a Rodulfo et Jarentone abbatibus atque Hugone archiepiscopo facta erat, quibus denique Flaviniacensia accesserunt, scilicet Hieronymi, Prosperi, Idatii, Victoris Tununensis, Bedæ de sex ætatibus, Reginonis Chronica, Æthicus cum itinerario Antonini, Orosius, Victor, Vitensis, Jordanis, Nennius, Fortunatus, Gregorius Turonensis, Gesta et catalogi pontificum Romanorum, Isidori Etymologiæ, Vitæ SS. Sanctini inedita, Mansueti, Maximini, Pulchronii inedita, Sigismundi, Chrothildis, Lupi Trecensis, Antidii, Leodegarii, Præjecti, Boniti, Lamberti, Lupi Senonensis, Goerici, Balthildis, Agerici inedita, Carilefi, Magdalvei inedita, translatio S. Gorgonii, Fredegarius, Gesta Francorum, Pauli Diaconi Historia Langobardorum et Gesta episcoporum Metensium, genealogia Carolorum, Einhardi Vita Caroli, Annales Petaviani, Einhardi, Fuldenses, Vedastini, Lugdunenses, fortasse et Flaviniacenses, Adonis Chronicon, Hincmari epistola de Vita Sanctini et Vita Remigii. Bertarii Gesta episcoporum Virdunensium cum continuationibus, Flodoardi Annales. Richerus, Vitæ Deodarici Metensis inedita, Simeonis, Rodulfi Glabri Historia et Vita Wilhelmi Divionensis, Chronicon S. Benigni Divionensis, Vita Roberti abbatis Casæ-Dei, catalogi episcoporum Arvernensium, archiepiscoporum Lugdunensium, chartæ S. Vitoni, Divionenses, Flaviniacenses (11), *decreta et epistolæ pontificum Romanorum, episcoporum et clericorum multæ, collectiones canonum, Acta conciliorum, epistolæ Henrici IV, Agnetis matris ejus, Mathildis comitissæ, aliaque nonnulla. Quibus ita usus est, ut ea vel excerperet vel maximam partem vel integra exscripta una cum iis quæ ipse præsens viderat vel ab aliis rerum testibus audierat historiæ suæ insereret; sed textus negligenter sæpe transcriptus* (12) *plenam sibi fidem haud conciliat. Ordinem temporis in universum quidem secutus est, sed non raro vel copia rerum abductus vel animo suo indulgens latius exspatiatur, et cum plurima recens reperta antiquiori textui insereret, librumque per multa temporum intervalla sæpissime retractaret, nec tamen integrum ejus describendum curaret, non fieri poterat quin narrationem copia rerum refertam sed æqualitate et perspicuitate carentem relinqueret, dum e. g. unius ejusdemque viri obitus* (13) *tribus in locis refertur. Cæterum vir doctus et sedulus minus sagacis animi fuit, mirabilium credulus, falsis quoque rumoribus patens* (14) *et in disponendis rebus fallens, loquax nonnumquam et justo verbosior, scripsitque prout exspectari poterat animo in hostes Ecclesiæ irato sed candido, nec hominum suæ partis vitia tacuit; et cum non solum in iis quæ tempus suum antecesserunt, documentis hodie abolitis nisus, quædam memoriæ digna servaverit, sed in historia sui temporis et præcipue Lotharingiæ plurima cæteris incognita prodiderit, primo operis editori, qui librum* historiæ ecclesiasticæ undecimi præsertim sæculi thesaurum incomparabilem *prædicavit, in universum quidem non astipulamur, dum Lambertum, Bertholdum et Bernoldum, ejusdem ævi historicos, Hugoni præferre non dubitamus, sed eum tamen de historia optime meritum et bono sæpe cum fructu consulendum profitemur. — Annum noster cum aliis Lotharingis a die Incarnationis d.* 25 *Martii vel potius a Paschate inchoare videtur* (15).

Stylus dilucidus, sermo in rhythmos aliquando resolvitur (16), *quod in compluribus sæculi* XI *scriptoribus fieri jam observavimus.*

Liber Hugonis difficilis lectu, Laurentio Leodiensi fortasse haud ignotus fuit; at in universum latuisse dici potest usque dum a. 1657 *a Philippo Labbe tomo I Novæ Bibliothecæ manuscriptorum typis prodiit. Usus est editor codice autographo collegii sui, scilicet Claromontani societatis Jesu quod tunc Parisiis florebat, et textum quem dedit in universum bene expressit, sed nonnulla non suo loco posuit, haud pauca lectu difficiliora omisit, alia quæ ipsi inutilia et vulgaria*

(10) Laurentii de Leodio continuatio Gestorum episcorum Virdunensium.

(11) Memorat et armarium Rothomagense. fol. 89'.

(12) Cf. Nicolai II decretum de eligendo papa et quæ ibi monui Legg. t. II, canones Lateranenses, a. 1078, fol. 102, 103, epistolas quamplurimum nota temporis destitutas.

(13) Rodulfi abbatis.

(14) E. g. Conradum II imperatorem Ottonis III filium facit; Wilhelmi Trajectensis obitum anno 1078 loco 1030 ascribit; neque res annorum 1077—1079 justo ordine refert. Alexandro secundo papæ Alexandrum tertium successisse fol. 95' scribit, folio sequenti recte Alexandro Gregorium VII successisse refert.

(15) Concilium Romanum a. 1074 ascribit fol. 97. quod celebratum est exeunte Februario a. 1075; cometam anno 1065 apparuisse scribit, quod Bernoldus die IX Kal. Maii, scriptor Annalium Beneventanorum die XVI Kal. Maii, Adamus Bremensis III, 50, circa dies Paschæ, alii diebus sequentibus a. 1066, accidisse referunt.

(16) Cf. e. g. fol. 52', 55, 74, 96'.

videbantur, ut pontificum et Patrum auctoritates in defensionem Gregorii VII, resecuit, nec eo quoque crimine absolvi potest, quod reverentia Romanæ curiæ ductus textum aliquoties adulteravit, quod duorum sæculorum silentio tectum jam primum ad lucem venit. Nam, ut b. m. Knustius noster olim monuit, nihil semper latet.

Editionem principem in usus suos verterunt plurimi historiæ ecclesiasticæ et profanæ scriptores, inter quos nominare juvat editores Actorum Sanctorum t. II Junii, p. 976 sqq., Vita Richardi abbatis S. Vitoni, Mabillonium Sæc. VI, p. 1, Actorum O. S. Benedicti p. 185 sqq., Vita Friderici præpositi Atrebatensis, p. 368 quibusdam de Simeone recluso, et p. 557 sqq. Vita Richardi abbatis expressis ; et Bouquetum cum continuatoribus qui nostrum t. III, p. 353—365, V, 372—374 ; VI, 231, 232; VII, 246—248 ; VIII, 286—297; X, 205—210 ; XI, 142—147; XIII, 617—628 ; XIV, 797—804 excerpserunt, et animadversionibus passim illustrare conati sunt.

Nos postquam primum de nova libri editione cogitavimus, in fontes operis inquirendum statuimus, eaque re a socio nostro V. Cl. Rudolfo Koepke quantum textu antiquo et subsidiis litterariis adhibitis fieri poterat diligentissime exacta (17), *a.* 1844 *in Angliam profectus sum, ubi codicem autographum ex publica codicum collegii Claromontani venditione in Meermannianam bibliothecam, indeque nostra ætate in copiosissimum codicum thesaurum viri illustrissimi Thomæ Philipps* (18) *equitis baroneti Mediomontani translatum, asservari compereram. Flagitanti mihi vir animi liberalitate, litterarum amore, morum comitate insignis, non solum ut codicem evolverem annuit, sed ultro, ut reliquos bibliothecæ ditissimæ thesauros Monumentis Germaniæ edendis utiles inspicerem, invitavit. Codicis igitur copia facta, vere auctoris autographum adesse conspicatus, textui Labbeano corrigendo institi, nonnisi locis quibus tunc exscribendis tempus non sufficiebat relictis, quos postea a viro ill. exscriptos accepi ; quo fit ut hodie vere absolutum libri textum lectoribus proponere liceat.*

Liber membranaceus in folio minori conscriptus, manum sæculi undecimi exeuntis præfert. Scriptus est non uno eodemque tempore, sed calamo sæpissime deposito iterumque resumpto prout scribendi materies sufficiebat. Textus post annos aliquot elapsos iterum iterumque recognitus, passim deletus, passim sententiis et integris paginis additis et intercalatis auctus est. Littera minuta usque ad fol. 69 annumque chronicæ 950 ea est quam in pagina adjecta exhibemus, A *inde a fol. 69 paulatim magis magisque decrescit ; scriptura marginum et paginarum additarum atque correctarum sententiarum est minor ; inde a pagina 123, i. e. a. 1079, littera iterum decrescit ; quæ inde a pagina 138 Flaviniaci scripta sunt usque ad finem libri amplius decrescentem scripturam ostendunt; ultimæ paginæ specimen exscripsimus. Quæcunque ad historiam Flaviniaci folio 138 anteriorem faciunt, aut in margine aut in paginis additis leguntur.*

Membrana plurimum quaternionibus constat hoc scilicet ordine : foll. 1—6, 7—14, 15—22, 23—33, 34—41, 42—49, 50—63, 64—72, 73—85, 86—92, 93—95, 96—110, 111—119, 120—128, 129—136, B *137—142, 143—148. Ternio et quaternio initialis foll. 1—3. Kalendarium Flaviniacense, foll. 5. 6 tabulam temporum, foll. 3—5 excerpta canonum et præcepta medica, et foll. 7, 8, 9, 9b excerpta canonum exhibent chartæ primum vacuæ relictæ postea inscripta; fol. 10 Chronicon incipit et reliquum libri explet. Paginæ Chronico intercalatæ sunt 9b, 12b, 26, 27, 28, 29, 29b, 30b, 33b, 35b, 57, 58, 58b, 60b, 62b, 81—83, 86b, 93, 94, 95, 100, 101, 103b, 130b; fortasse et in quaternione folia 50—63 complexo præter 57, 58, 58b, 60b nonnulla alia historiam Madalvei exhibentia intercalata sunt. Desunt autem quæ Labbeus Chronico præfixa fuisse refert folia* maxi mam partem vetustate detrita *cum serie abbatum Flaviniacensium, quam et ab Hugone conscriptam* C *esse opinari licet, quod eadem in diversis Chronici locis inseruntur. Dein post quatuor paginas interjectas Necrologium legit Labbeus, quod ex anterioribus documentis non accurate congestum hodie in capite codicis exstat, Hugoni deberi ex scriptura colligitur et a nobis quoque Chronico præmittetur, cum hucusque typis nondum prodierit* (19), *serie abbatum ad finem Chronici demandata. Excerpta chartarum Flaviniacensium a Labbeo ex schedis Sirmundi pag. 269—273 descripta iterum proferenda non duximus.*

Adnotationes operi tam prolixo paucissimas adjicere placuit, quarum eas quæ Koepkio nostro debentur, littera K *distinxi.*

D *Reliquum est ut moneam in Necrologio pauca alio atramento ab Hugone addita reperiri et catalogo archiepiscoporum Lugdunensium successores Hugonis usque ad Humbertum subjici; qui cum annis 1147—1153 præfuerit, Hugonem id temporis attigisse, et plus octogenarium senectam exegisse conjicere liceat.*

(17) Vide commentationem in Annalibus nostris t. IX, p. 240 ubi, multa amplius explanantur, quæ hic prætermitti possunt.

(18) D. Thomas Phillips ipse exscripsit fol. 17—41.

(19) Pauca inde Mabillonius excerpsit.

Hugonis chronicon.

annor q̄b; romanū impiū indebite tenuit'urarem · p· attrat·
ut nullus illo crudelior inomū romanor imparor inueniat̄ q̄
numero · Adōphandā erga deor cultur̄ā suā sacrilegā deuo
tionē · v· anno regni sui templū sine ligнor annexione ē
structū · qd pantheon appellauit · Tanta elatus · ē · superbiā ut
dñm se & dominū appellari iusserit. Hic audiens fiamā beati
dyonisij in destruendis idolis · & pplīs ad xpm conuertendis
lyaones in gallias misit quem inuentū & comphensū aut idolis
sacrificare cogerent · aut diuersis supplicijs affectū occiderent.
Quos ubi beatus dyonisius finer parisior appropinquare ēpit.
scōrū & diuinorū adse accersiri mandauit · q̄b; p̄dicationis tradens

& duraui forcius q· Ad diē mediā · necalis q̄do tempor; nr̄or Innumsino diuertitur audito.
qui quo cuncta; ipse ruit ita omnia pessum dedit. Anno abinc̄ā ī c· y· ordinatus ō mi epūs ameie
ponnus casodi abbas. & abbandicalē dignanda suscep̄ dymericus Legatur quoq· in burgundia & francia
direxit ō Richardus albanensis epūs. pmo sōr sceptī mortensis eccl̄e decan⁹.

Sigeberti vita Wichperti. Cod. Vindobon. 490.

plo et hortatu moueret · & ipse causa salutis multos fieret.
et duplicē coronā remunerationis acciperet ·IIII·
Hic fratrū amator qui exalto cordis suspirio ad dñm cla
mare poterat cui isaia · a facie tua dñe concepim⁹ et qua,
si parturiuim⁹ et peperim⁹ · spīm salutis tue fecim⁹ mira.

Chronicon sancti Huberti.

puit coram se cadentē · Q̄mtus pauda corripuit:
uiuetum comitū aula de sectū aduentū q̄ nocti decū
reuertendū · cuius ōr p ordinē retulit euentū miracu-
lū et oratio beregiso uiro uenabili q̄ tūc mansi rebs ob-
seruabat · eis · cautelā illi obtulit exponē clātibus · Consul
sacdos dñi respondō · locū q̄ eade cartula declarat a do
ē electū · et q̄ multos aiē tūtare debent ad regna
eclox · Pipino ū subiugēte · qd sibi unde

NECROLOGIUM

Kal. Jan. (2) Agrippini episcopi Eduensis.
2. Non. Jan. Gregorii Lingonensis.
7. Idus Jan. Eugemonii episcopi Augustodunensis.
5. Idus Jan. Paschasiæ virginis [et martyris 2.] Flaviniaci. Milo abbas Dervensis, monacus Virdunensis.
8. Kal. Febr. Sancti Prejecti martyris.
2. Non Febr. Serotini confessoris Flaviniacensis. Translatio sancti Simphoriani.
4. Idus Febr. Rainaldus obiit, frater ducis, abbas Flaviniacensis.
3. Idus Febr. Fredericus laycus obiit, frater meus.
8. Kal. Mart. Ordinatio domni Zachonis abbatis.
6. Kal. Mart. Galdricus Colticensis, frater domni Haganonis episcopi, conversus et monachus Flaviniacensis obiit.
5. Kal. Mart. Karolus magnus obiit (20) qui omne theloneum in omni regno suo et quidquid ad jus fisci pertinebat Flaviniacensi donavit æcclesiæ de omnibus terris ejusdem æcclesiæ in perpetuum.
Kal. Mart. Obiit Gyrardus Sinemur, qui cellam Sinemurensem sancto Prejecto dedit.
7. Idus Mart. Wido abbas Melundensis, Flaviniacensis monachus obiit.
6. Idus Mart. Lotharius rex obiit (985).
16. Kal. April. Aymo comes Grin. et monacus qui Sanctum Germanum Latifolii dedit.
14. Kal. April. Wido Pultariensis (21) abbas, monachus Flaviniacensis obiit.
Amadeus abbas Flaviniacensis obiit, qui Sinemurensem, Colchensem (22), Bellilocensem (23) cellas adquisivit, et Corbiniacum (24) recuperavit.
13. Kal. April. Walterius monachus Flaviniacensis obiit conversus.
11. Kal. April. Eupharii presbiteri Flaviniacensis.
5. Kal. April. Rodulfus abbas obiit.
4. Idus April. Ludovicus II imperator (25) obiit justus et sanctus (879).
12. Kal. Mai. Salvini episcopi Virdunensis. Aratoris episcopi Virdunensis.
11. Kal. Mai. Ordinatio domni Widradi abbatis.
8. Kal. Mai. Roberti abbatis.
4. Kal. Mai. Obiit Fulcherius abbas Flaviniacensis.
2. Kal. Mai. Pulchronii episcopi Virdunensis.
7. Idus Mai. Zacho abbas Flaviniacensis obiit.
Idus Mai. Rayngus prior Flaviniacensis obiit.
4. Kal. Jun. Evgilis Senonensis archiepiscopi sancti, primum Prumiensis deinde Flaviniacensis abbatis, qui multis claret miraculis.

A Kal. Jun. Walo monacus et presbiter Flaviniacensis obiit.
Nonas Jun. Exceptio corporis sancti Ursini martiris Flaviniaco.
18. Kal. Jul. Richardi abbatis.
14. Kal. Jul. Robertus, rex Francorum obiit, qui dedit æcclesiam S. Johannis infra Æduam (1031).
12. Kal. Jul. Ludovicus pius imperator obiit, qui in omni regno suo in civitatibus vicis mercatis et portubus theloneum hominum Flaviniacensis æcclesiæ, eidem donavit æcclesiæ (840).
10. Kal. Jul. Ludovicus rex obiit (26) ultimus regalis prosapiæ, frater Arnulfi episcopi Remensis (987).
7. Kal. Jul. Hagano episcopus obiit piæ memoriæ.
B 4. Kal. Jul. Geylo Linguonensis episcopus, Flaviniacensis abbas et monachus obiit.
2. Kal. Jul. Arveus episcopus Æduensis et abbas Flaviniacensis.
Kal. Julii Liudo Æduensis episcopus obiit.
4. Non. Julii Salocho episcopus Dolensis, monachus Flaviniacensis obiit.
3. Non. Julii Translatio sancti Sanctini a Meldis Virdunum.
Hugo abbas Melundensis, Flaviniacensis monachus obiit.
2. Non. Julii obiit Geruinus episcopus et abbas Flaviniacensis.
6. Idus Julii Helmuinus abbas Senonensis Sancti Petri, monachus Flaviniacensis obiit.
C 3. Idus Julii Heinricus magnus imperator obiit (1024).
17. Kal. Aug. Herimannus canonicus Leodiensis obiit Iherosolimis.
11. Kal. Aug. Milo vicecomes Tilii obiit, qui cellam Prisciaci dedit.
9. Kal. Aug. Magealdus abbas Flaviniacensis 11° anno Clodovei filii Dagoberti obiit.
5. Kal. Aug. Raynerus obiit, pater meus.
3. Non. Aug. Eufronii episcopi Augustodunensis.
5. Idus Aug. Odo secundus Flaviniacensis abbas obiit.
16. Kal. Sept. Tebaldus secundus Linguonensis episcopus.
D 14. Kal. Sept. Grimoldus abbas Virdunensis obiit.
10. Kal. Sept. Ursini martiris Flaviniaco et Flaviani episcopi Augustodunensis.
7. Kal. Sept. Odo primus Flaviniacensis abbas obiit.
4. Non. Sept. Siagrii episcopi Augustodunensis.
8. Idus Sept. Wlfardus abbas Flaviniacensis, Ludovici imperatoris sororius, obiit.

NOTÆ.

(20) 5. Kal. *Februarii.*
(21) Pouthières, diœceseos Lingonensis.
(22) S. Georges, diœc. Augustodunensis.
(23) Beaulieu, diœc. Lingonensis.
(24) Corbigny, diœc. Augustodunensis.
(25) Rex Galliæ, balbus.
(26) D. 22 Maii; x Kal. *Junii.*

7. Idus Sept. Sanctæ reginæ virginis et martiris A Flaviniaci.
5. Idus Sept. Theophili martiris Flaviniaci.
3. Idus Sept. Jonas Æduensis episcopus obiit.
2. Idus Sept. Euantii episcopi Augustodunensis.
Idus Sept. Nectarii episcopi Augustodunensis.
10. Kal. Oct. Johannis abbatis.
5. Kal. Oct. Florentini episcopi Augustodunensis.
4. Kal. Oct. Lotharius imperator et monachus obiit (855).
6. Non. Oct. Sancti Leodegarii martiris et Eduensis episcopi.
5. Non. Oct. Sancti Widradi abbatis primi Flaviniacensis.
4. Non. Oct. Madelvei episcopis Virdunensis.
3. Non. Oct. Henricus III imperator obiit, Con- B radi filius (1056).
Ludovicus rex Ludovici imperatoris (27) filius, Caroli calvi nepos obiit (882) (28).
2. Non Oct. Karolus calvus imperator obiit, et Tebaldus secundus episcopus Linguonensis monachus et prior Flaviniacensis (877).
Non. Oct. Karolus simplex obiit (929).
3. Idus Oct. Hugo junior abbas Melundensis, monachus Flaviniacensis obiit.
17. Kal. Novbr. Gerardus laycus obiit, frater meus.
16. Kal. Novbr. Dada de monte Walcherii, mater mea [1], obiit, Crothildis filia [2].
12. Kal. Novbr. Decia obiit soror sancti Widradi, quæ fecit monasterium sancti Andochii Æduen- C sis; et alia soror fecit monasterium Favernicense.
9. Kal. Novbr. Pippinus rex obiit, pater Karoli magni (768).
5. Kal. Novbr. Gunterus sacerdos et monachus Flaviniacensis obiit.
4. Kal. Novbr. Walterius Eduensis episcopus obiit, qui reddidit æcclesiæ Flaviniacensi 19 altaria æcclesiarum cum paratis et decimis, et salvamenta villarum ad cameram abbatis pertinentium.
2. Kal. Novbr. Proculi episcopi Augustodunensis.
Kal. Novbr. Girardus junior monachus et sacerdos Flaviniacensis obiit.
4. Non. Novbr. Commemoratio sancti Benigni.
Non. Novbr. Manasses magnus abbas Flaviniacensis obiit.
8. Idus Novbr. Exceptio corporis ejus. Prejecti martiris.
6. Idus Novbr. Heldierus abbas Pultariensis obiit, monachus Flaviniacensis.
5. Idus Novbr. Vitoni episcopi Virdunensis.
15. Kal. Dec. Gregorii episcopi Turonensis.
14. Kal. Dec. Simplicii episcopi Augustodunensis.
11. Kal. Dec. Eusebii presbiteri Augustodunensis.
10. Kal. Dec. Pragmatii episcopi Augustodunensis.
9. Kal. Dec. Hymbertus Parisiorum episcopus obiit, qui dedit æcclesiam sancti Juliani apud Nui.
8. Kal. Dec. Translatio sancti Benigni.
7. Kal. Dec. Girardus senex sacerdos Flaviniacensis obiit.
6. Kal. Dec. Amatoris episcopi Augustodunensis.
5. Kal. Dec. Hugo Bellilоci monachus et sacerdos Flaviniacensis obiit.
. Kal. Dec. Karlomannus frater Karli magni obiit (771).
Kal. Dec. Agerici episcopi (?) Pippinus major domus pater Karoli Tuditis obiit, qui Glennonem dedit (714).
4. Non. Dec. Chrotildis Ottonis III filia, Conradi imperatoris soror, avia mea [3] obiit.
2. Non. Dec. Karlomannus monachus frater Pippini obiit (754).
Non. Dec. Karlomannus pater Arnulfi imperatoris obiit (29); et Milo abbas Flaviniacensis (880).
3. Idus Dec. Raynerus junior obiit, frater meus [4].
19. Kal. Jan. Heldricus abbas Flaviniacensis obiit.
18. Kal. Jan, Maximini abbatis. Et exceptio sanctarum reliquiarum Flaviniaci. Ludovicus rex filius Karoli simplicis obiit (954).
17. Kal. Jan. Adelaidæ imperatricis sanctæ obitus recolitur, matris Ottonis II (999).
8. Kal. Jan. Sanctus Sigismundus comes et monachus obiit.
D 7. Kal. Jan. Aymo abbas Flaviniacensis obiit.

VARIÆ LECTIONES.

[1] m. m. *lineæ suverscripta.* [2] C. f. *addita cf. 4. Non. Dec.* [3] a. m. *addita.* [4] f. m. *addita*

NOTÆ.

(27) Regis.
(28) Obiit d. 5 Augusti.
(29) Dies dubius: cf. Bohmeri Regesta Karolorum p. 90.

CHRONICI LIBER PRIMUS.

Fol. 10. Anno [5] a mundi conditione 5198 [6], ab Urbe autem condita 752, a. 2. cicli decennovenalis, indictione 4, concurrente 5, epacta 11, feria 1, luna 13, Jesus Christus Filius Dei in Bethleem Judæ na-

VARIÆ LECTIONES.

[5] *In paginae latere adjecta* 9[b] *hæc leguntur :* Anno 19. Octaviani Cesaris Lugdunum conditam invenimus

[6] vel secundum Aug. CC. XX. VII. 2.

scitur, anno Cesaris Augusti 42 et Herodis regis Judeorum 31, Carullo et Quintiliano consulibus. [Hieron.] Anno a Christi nativitate 3, Augusti 45, Herodes 34 regni sui anno, cum Christi nativitatem magorum indiciis cognovisset, universos Bethleem parvulos jussit interfici, et ipse anno sequenti scatentibus toto corpore vermibus miserabiliter moritur regni sui anno 36.

Anno ab inc. Dom. 15, a mundi conditione 5213, Augustus 76. etatis suæ anno moritur; cui succedens Tyberius regnavit a. 22. [Cf. Hieron.] Hujus a. 15. factum est verbum Dei super Johannem Zachariæ filium in deserto, et dominus Jesus trigesimo etatis suæ anno jam peracto, a. 15. Tyberii baptizatur a Johanne, sub altero Herode Judeorum rege, 8. Idus Januarii, quod fuit 7. feria, indictione 3, luna 15, et ipse anno sequente capite truncatur.

Anno igitur a mundi conditione 5232, ab Urbe autem condita 784, concurrente 7. terciæ lineæ, ab inc. Dom. 33. ipse Jesus Christus Dei Filius pro salute mundi venit ad passionem, a. 18. Tyberii Cæsaris, 8. Kalendas Aprilis, 5. feria, luna 14, Gaio Cæsare quater et Junio Saturnino consulibus, anno cicli decennovenalis 13, et typico pasca cum discipulis celebrato traditur a suo discipulo Judeis in nocte, et circa mane ducitur ad Pylatum, traditur militibus et flagellis cesus, sputis illitus, gestans purpureum vestimentum et coronam spineam in capite, ducitur ad crucifigendum 7. Kalendas Aprilis, luna 15, et 6. feria ascendit crucem pro mundi salute. [Hieron.] Terremotus factus est in toto mundo, et solis facta est defectio, ita ut etiam stellæ visæ sint in cælo, sexta hora, in nona parte Arietis. Resurrexit a mortuis 5. Kal. Aprilis, luna 17 [7].

Pilatus per Volusianum Romam adductus, cum eo Veronica sancta, quæ fuerat per Christum a fluxu sanguinis sanata, dampnatus est a Tyberio ut omni tempore vitæ suæ non igne, non aqua, nec igne cocto frueretur propter necem domini Jesu; et religatus exilio in Amaria civitate Tusciæ. Unde post revocatus a Nerone, iterum propter circumcisionem quam in se exercuerat dampnatus interiit. Veronica vero locupletata facultatibus et divitiis, et imago Domini quam ipsa depinxerat, et quam Tyberio allatam ipsa prosequuta erat, auro conclusa est. Ipsa autem defuncta, Romæ venerabiliter quiescit humata. Tyberius vero in visione ymaginis

A Salvatoris sanus a plaga syringii (30) factus est

Anno Dom. inc. 34. secundum Latinos, qui a Januario annum incipiunt, Paulus cum pergeret Damascum, a Christo de celo vocatus est. Secundum Hebreos autem, qui a Martio anni sumunt initium, eodem anno passionis Domini undecimo mense 8. Kalend. Februarii [8] [Regino].

Anno inc. Dom. 39. Gaius regnavit annis 4, mens. 10, diebus 8. His ergo mensibus si addamus sex, qui superfuerunt 56. anno Octaviani, erunt menses 16. Ex quibus quatuor detractis annus integer remanet qui hoc in loco inserendus videtur.

Anno inc. Dom. 44. Pilatus manu sua perimitur.

Anno inc. Dom. 45. Claudius regnat a. 13. m. 7. d. 28. Addamus his 7 mensibus 4 qui supra remanserunt, fiunt 11 et 7 dies; dabis his 28 dies et erunt 37, id est annus et sex dies, qui his temporibus adnumerandus videtur.

B

Anno inc. Dom. 47. Jacobus frater Johannis decollatur, Petrus in carcerem mittitur. Herodes ab angelo percutitur. Paulus et Barnabas a Spiritu segregantur in prædicationem evangelii.

Anno inc. Dom. 48. Paulus et Barnabas ascenderunt Hierosolymam, ut ipse scribit ad Galathas: *Post annos* inquit 14 *ascendi Hierosolymam*. Recenseatur ergo numerus annorum. Scimus Petrum 25 annis Romæ urbis episcopalem tenuisse cathedram. Sequitur ergo, ut secundo anno Claudii eum Romam venisse credamus, qui erat a passione Domini 15, quo anno et Paulus venit post annum passionis Domini 14, et hac supputatione invenimus Paulum eodem anno passionis Domini ad fidem venisse. 14 igitur et 25 fiunt 39, qui erat annus a passione Domini quando Petrus et Paulus passi sunt, quia 2. anno Neronis Paulus vinctus missus est, et 11 annis Petro conjunctus pro fide decertavit, et 12. cum eo passus est.

C

(Fol. 10'.) Postquam igitur Deus et dominus noster Jesus Christus hominem, quem fecerat, morte sua a morte liberavit æterna, et captivitatem nostræ carnis, quam resuscitarat a mortuis, invexit cælis, eodem anno pro confessione veritatis lapidatus protomartyr Stephanus occubuit, mense 5, tertia die mensis, quod est 4. Nonas Augusti, et dispersa est æcclesia fidelium, quæ erat Hierosolimis, ut verbum salutis, quod missum erat Judeis et respuerant, gentes susciperent. Dum ergo apostoli et ipsorum sequaces discipuli quaqua possunt demigrant, Pe-

D

VARIÆ LECTIONES.

mus secundum Gregorium Turonensem. S. Austremonius Arvernorum primus episcopus. Urbicus. Legonus. S. Hildius. S. Nepotianus. Artomius de Treveris. Venerandus. Rusticus. S. Naamatius. S. Eparchius. S. Sydonius. Lugduni Patiens. S. Aprunculus, primo Linguonis, tempore Chilperici I. S. Eufrasius, tempore Clodovei I. Obiit 25° anno episcopatus, qui et post obitum ejus vixit 4 annis, et Apollinaris sex mensibus. S. Quintianus primus Rutonæ episcopus. S. Gallus qui a lue inguinaria populum suum oratione protexit, patruus sancti Gregorii Turonensis episcopi, temporibus Theodeberti. Cautinus 1. anno Theodewandi regis. S. Genesius, fecit monasterium Magniloci, et Evodium præfecit abbatem. Felix. Garivaldus 20 diebus. S. Prejectus martyrizatus est anno Dom. inc. 580. anno regni Chilperici 10; præfuit non plenis annis 11. S. Avitus secundo anno Childeberti Judeos convertit; præfuit non plenis 15 annis. S. Bonitus pater ejus sub Teoderico rege. Norbertus annis 15. Proculus.

[7] *reliqua in margine paginæ adscripta sunt.* [8] Tiberius ante obitum suum 9. mense baptizatus et a plaga syringii curatus occubuit *addit* 2.

NOTÆ.

(30) Fistulæ?

trus (31) descendit Antiochiam, et per bis septenos[9] annos Antiochenam fundavit et rexit æcclesiam, ita ut cognominarentur primum Antiochiæ Christiani. Hinc secundo anno Claudii, Vincio et Cornelio, Asiatico et Silvano consulibus, Romam venit, et qui post Christum et per Christum caput est corporis æcclesiæ, Romanis arcibus vexillum intulit prædicationis divinæ (cf. *Gesta pont. Rom.*). Ibi fundata æcclesia, evangelium Christi Romanis annunciavit, et prædicando prædicationemque signis confirmando 25 annis ipsius Urbis papatum tenuit. Mirabatur Roma, quod non didicerat, unitatem in Trinitate et Trinitatem in unitate venerari debere; sed frequenti miraculorum attestatione ad ultimum didicit unicæ Trinitati corda et colla submittere.

Destinaverat autem idem primus pastor et apostolus Petrus totius occidentis terras vomere verbi proscindere, semina doctrinæ sulcis mentium credere, ut posset manipulos frugum centuplicato fenore in area Domini venientis reconsignare, et eligens viros in fide probatos, potentes in opere et sermone, patientes in tribulatione, longanimes in spe, eruditos in omnibus quæ fecit dominus Jesus, direxit urbi Metensium sanctum Clementem Romanæ rei publicæ patritium, suum vero discipulum, et sanctum Mansuetum, inclita Scottorum progenie generatum, fide et doctrina præcipuum, urbi Tullensium (*Vita Mans.*); Remis etiam direxit sanctos Sixtum atque Sinicium, Catalaunis sanctum Memmium, Treveris quoque, quæ est metropolis et una de primatibus Galliarum et ei vicinæ Coloniæ sanctos misit Eucharium, Valerium atque Maternum. (Fol. 11.) Cum his et alii multi fuerunt, qui occidentales tenebras veri solis clarescente radio ab eodem principe apostolorum missi dispulerunt, et nomen Christi, quod necdum in locis illis splenduerat, fide et magnanimitate prædiți, populo incredulo prædicaverunt. Ipse Romæ verbum Dei docebat, et murum infidelitatis impulsu ævangelii quatiebat, turrimque confusionis et idolatriæ piæ confessionis et credulitatis dejiciebat ariete, ibi se opponens et continens obicem, ubi violentior hostis incubuerat, cujus subvertere, Christo duce, nitebatur tyrannidem.

Ad tanti igitur pastoris solatium et prædicationis augmentum Paulus, post multa viarum, laboris et inediæ pericula, vinctus Romam mittitur anno Neronis cæsaris secundo, ab. inc. Dom. 61, a passione 28, indictione 4, Silvano et Paulino consulibus, non quod Judæi et gentiles ita voluerint, sed quia Christus, ut alter esset alteri solatio, ita præordinavit et voluit. His tonitrui filiis quis repugnaret, quis obsisteret? Symon erat ille magus, qui solus veritati repugnare videretur, cui si post triumphum apostolicum et suæ dejectionis et inauditæ superbiæ obprobrium respirare licuisset, sola illi sua vexatio, ne talia ulterius præsumeret, intellectum dedisset. Sed quia magus obiit et dampnatus in profundo putei abyssi, ut Nero sperabat, non resurrexit, destitutum se idem Nero videns solatio tam fidelis amici, apostolos Dei, hunc crucis supplicio, illum dampnavit sententia capitali 3. Kalendas Julii, 5. feria, luna 23, ab inc. a. 72, anno a passione 39, Vespasiano septies et Tito sexies consulibus, Olympiade 212.

Post Petrum ab ipso Petro consecratus æcclesiam regendam suscepit Clemens episcopus (*Gesta pont. Rom.*), ut ipse beatus Clemens testatur de se in epistola Jacobo fratri Domini missa, dicens (*epist.* interp. Rufino Mansi I, 91) : *Clementem*, inquit, *hunc nobis ordino episcopum, cui soli meæ prædicationis et doctrinæ cathedram trado, qui mihi ab initio usque ad finem comes in omnibus fuit, ac per hoc veritatem totius meæ*[10] *agnovit.*

(Fol. 11'.) Quid autem contra hoc sentiendum sit, quod sunt nonnulli qui conantur astruere, post Petrum suscepisse Linum gubernacula Romanæ ecclesiæ et Lino Cletum successisse, videamus. Dicit Johannes papa scribens universis episcopis per Galliam et Germaniam : *Si Petrus princeps apostolorum adjutores sibi ascivit Linum et Cletum, non tamen potestate pontificii ligandi vel solvendi normam eis tradidit, sed successori suo Clementi, qui sedem apostolicam post eum et potestatem pontificalem tradente sibi beato Petro tenere promeruit; Linus et Cletus ministrabant exteriora, princeps autem apostolorum Petrus verbo et orationi insistebat.* Et post pauca : *Linum et Cletum nichil umquam legimus egisse ex pontificali ministerio potestative, sed quantum eis a beato Petro præcipiebatur, tantum agebant.*

Linus igitur, natione Italus regionis Tusciæ, patre Erculano, ordinatus a Petro, sedit Romæ, ipso Petro vivente, a. 11, m. 3, d. 12. Cletus etiam, natione Romanus de regione Vico Patricii, patre Emiliano, ordinatus ab ipso Petro, ipso vivente sedit a. 12, m. 1, d. 11. Inter Cletum ergo et Clementem conputantur dies 20 (*Gesta pontif.*).

Suscepit igitur, ut dictum est, sacerdotale officium Clemens tertius a Petro, eo vivente, natione Romanus, de regione Celio monte, patre Fausto. Sedit annis 11, mensibus 2, diebus 2[11] — anno Dom. inc. 70, imperii quoque Neronis 11, Vespasiano quinquies et Tito quater consulibus. Non fuit ex tunc et nunc in omni Romanorum pontificum cathalogo, qui in vita sua viginti quinque annis functus sacerdotio ipso annorum numero equipararetur pontifici primo. Hic igitur beatus pontifex Petri institutus regimine, cui semper adheserat et ejus individuus comes fuerat, postquam Symonis magi deliramenta cognoverat et spreverat, quod magister suus inceperat, destinare scilicet orbi occiduo præ-

VARIÆ LECTIONES.

[9] septem. *corr.* septenos *c.* [10] doctrinæ *excidit.* [11] a. 9, m. 2, d. 10 *in G. pont.*

NOTÆ.

(31) Cf. Vitam SS. Eucharii Valerii Materni; Acta SS. Jan. II, 918.

dicatores veritatis idoneos, quatinus lux prædicationis gentibus splenderet, ut perficeret, omnimodis procurabat (cf. *ep. Hincmari*). (Fol. 12.) Hinc est quod sanctum Dionisium destinavit Galliarum populis, qui prædicando et prædicationi miraculis fidem dando Parisius, Domino ducente, pervenit (32), socios ei quam plures adhibuit, viros in lege divina exercitatos, genere nobiles, sermone facundos, fide præcipuos, et gratia Dei plenos. Ex his fuit sanctus Sanctinus (*Vit. Sanctini*), Meldensium et Virdunensium pastor primus, qui egregiæ nobilitatis ortus natalibus, cum præfato Galliarum apostolo fines petiit Galliæ, futurus lucerna fulgens in ecclesia, quæ non occultaretur modio, sed luceret omnibus superimposita candelabro. Tradidit enim patrum memoria cum unum fuisse de 72 discipulis, et in cœna deputatum, ut aquam lavandis pedibus et manibus discipulorum preberet et linteum pararet Salvatori.

Sanctus itaque Dyonisius ut venit Parisius, per diversas partes suos direxit socios ad dolos diaboli destruendos et populos Domino adquirendos (*ep. Hincm.*). Sanctinus igitur quia præminebat prudentia et pudicitia, a beatissimo Dyonisio ælectus, summum accepit sacerdotium, et consecratus in episcopum, divinitus constituitur in lucem populis gentium (*Vit. Sanctini*).

Cui etiam ad solatium laboris et officii præfatus Dyonisius Antoninum dedit virum sanctum et bonum, in quo declaravit Deus ingens beati viri Sanctini meritum per egregiæ et insolitæ operationis miraculum, ut patebit in posterum. Et quia decreverat Deus mirificare sanctum suum, dirigitur a beato Dyonisio Carnotum cum prælato socio suo ad illuminandum populum, qui sedebat in tenebris et umbra mortis, quia ei sol justitiæ non luxerat, neque splenduerat ei lux veritatis. Quo beatus hic perveniens, dolebat populum idolatriæ esse deditum, et armatus fide sanctæ Trinitatis, contempnens supervacuam sectam principum terræ et minas eorum, prædicabat Jesum turbis incredulorum. Fundebatur prædicatio juncta virtutibus, et prælustratus gratia divina feroces gentilium mentes salutari mitescebat doctrina. Factumque est, cooperante ei divina clementia, ut Carnotenses viam Domini agnoscerent, et lene jugum Domini subjectis voluntatum humeris ferre non detrectarent. Quod beatus Dyonisius animadvertens, et gratiam virtutis divinæ collaudans, ipsumque plurimum in opere prædicationis valere perpendens, Meldensium civibus pastorem et doctorem instituit. (Fol. 12'.) Non quod jam tunc Meldenses viam veritatis agnoscerent, qui omnes tenebantur astricti laqueis idolatriæ, sed ut per fidelem servum suum dignaretur illis Dominus aperire portas justitiæ, quas ingressi credendo ipsius divinitatem et humanitatem, confiterentur nomini ejus, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.

Beatus itaque Sanctinus paratus ad omnia pro Salvatoris nomine sustinenda, nec reformidans gentilium furentium minas et verbera, eandem urbem aggressus, quia in Domino erat fiducia ejus, instabat prædicationibus, rigabat mentes audientium aquis de ventre [12] Jesus manantibus, et sic instans oportune, inportune, docebat eos Jovem despicere, Saturnum, Mercurium et Neptunum et omnia dæmonum non deorum portenta abjicere, statuas confringere, et quia in eis non aliqua divinitas, sed omnis inesset falsitas et ludificatio demoniaca, doctrinæ evidentis indicio declarabat. Nec poterant gentes ad hec quidquam contradicere, cum novitati verborum attestaretur magnitudo signorum, et nova faceret qui nova prædicaret. Unde factum est ut et ipsi susciperent verbum Domini, et pastorem doctoremque suum beatum virum, quem aliquando exprobratione, irrisione et abjectione dignum judicaverant (*Vit. Sanctini*), nunc venerarentur et excolerent, ipsius manibus gauderent baptismo ablui et crismate sancto inungi. Humiliabatur Gallicus cothurnus substratus sancti viri pedibus, et Gallorum cervicositas divinæ dudum veritatis ignara ad baptismum et confessionem nominis Christi humiliata devote convolabat. Dejiciebantur aræ dæmonum, et a novo adoptionis populo æcclesia ædificatur, et a beato Sanctino in honore Dei consecratur.

Domicianus tunc Romani imperii tenebat insignia, luxuriæ deditus, avaritia anxius, opere crudelis, qui majestatem imperialem nimia crudelitate polluerat. Qui velut leo inpastus sanctorum sanguinem sitiens, secundam post Neronem in Christianos persequutionem excitavit (fol. 15), et per 15 annos, quibus Romanum imperium indebite tenuit, ita rem publicam attrivit, ut nullus illo crudelior in omni Romanorum imperatorum inveniatur numero. Ad comprobandam erga deorum culturam suam sacrilegam devotionem 5. anno regni sui templum sine lignorum ammixtione construxit, quod Pantheon appellavit. Tanta elatus est superbia, ut deum se et dominum appellari jusserit. Hic audiens (*ep. Hincm.*) famam beati Dyonisii in destruendis idolis et populis ad Christum convertendis, lyctores in Gallias misit,

VARIÆ LECTIONES.

[12] *ita c*, mente *Labbe*.

NOTÆ.

(32) Narrationis magnam partem sibi delibavit ex Hincmari epistola ad Karolum imperatorem a. 876 vel 877 data, quæ integra exstat in Actis SS. Oct. V, 586. In epistolam Hincmarus recepit Vitam quamdam Sanctini, quam ipse juvenis descripserat e quaterniunculis quos Wandelmarus abbas S. Sanctini. . . *in loco sibi commisso valde contritos et quæ in iis scripta fuerant pene deleta de vita et actibus beati Sanctini reperit*. Revera Hincmarum tales litteras ad Karolum scripsisse disertis verbis probat Flodoardus in Hist. Rem. III, 18; non audiendus igitur est Calmet Hist. de Lorraine I, p. 32, qui eas suppositas esse censet. K.

qui eum inventum et comprehensum aut idolis sacrificare cogerent, aut diversis suppliciis affectum occiderent. Quos ubi beatus Dyonisius fines Parisiorum appropinquare comperit, Sanctinum et Antoninum ad se accersiri mandavit (*Vit. Sanctini*), quibus prædicationis tradens officium, ammonuit ut in fide firmi persisterent, et ut quantotius Romam properantes, a præsule sedis apostolicæ cooperatores verbi et doctores expeterent, quia in messe multa sationis Dominicæ operarii perpauci essent, qui semen verbi sulcis mentium crederent, præsertim cum et ipse jam ad gaudia Domini sui festinaret, et mercedem laboris et oneris a pio Domino sibi dari præoptaret.

Consummato igitur per martyrii palmam beato Dyonisio, a. ab inc. Dom. 97, a passione autem 64, ætatis autem ejus anno circiter 90, imperii Domiciani cæsaris ingruente anno 16 (*ep. Hincm.*), Sanctinus et Antoninus præceptis magistri obtemperantes, cum persequutionis procella detonante predicando de loco ad locum cogerentur secedere, venerunt in fines Galliæ Belgicæ, et præduce gratia divina, quocumque veniebant, Christi loquebantur magnalia. Belgica [13] autem Gallia pars est Galliæ (fol. 12[a]) dicta a civitate quæ Belgis dicitur, quæ est Treveris (33)[Cf. Richer. I, 1]. Gallia vero a candore populi appellata est, gala [14] enim lac dicitur [*Isid.* Et. XIV, 4, 25]. Montes enim et rigor cœli ab ea parte solis ardorem excludunt. Hanc ab oriente Alpium juga tuentur, ab occasu Occeanus includit [15], a meridie prærupta Pyrenæi, a septemtrione Rheni fluenta et Germania. Cujus inicium Belgica, finis vero est Aquitania. Est [16] autem regio gleba uberi et pabulosa et ad usum animantium apta, ut ferunt qui situs terrarum deseripserunt, fluminibus et fontibus irrigua, perfusa [17] duobus magnis fluviis Rheno et Rhodano. Cisalpina autem Gallia est circa [18] Alpes, transalpina trans Alpes contra septemtrionem, Rhætia [19] juxta Rhenum (*ib.* 26). Aquitania autem ab obliquis aquis Ligeri fluminis, qui eam pene in orbem cingit, est appellata (34) (*ib.* 27). Gallos itaque natura feroces et [20] acriores esse ingenio natura climatum facit. Æthicus situm Galliæ describens quatuor ejus asserit esse provincias [Æthicus], Galliam Belgicam et Galliam Lugdunensem, Narbonensem quoque provinciam et Aquitaniam. Et Galliam quidem Belgicam dicit ab oriente habere limitem Rheni fluminis et [21] Germaniam, ab euro Alpes Penninas [22], a meridie provinciam Narbonensem, ab occasu Lugdunensem, a circio occeanum Brittannicum, a [23] septemtrione insulam Brittannicam. Gallia vero Lugdunensis, ducta per longum et per angustum flexa, Aquitanicam provinciam semicingit; habet [24] ab oriente Belgicam, a meridie partem provinciæ Narbonensis, qua Arelas sita est, et mare Gallico Rhodani flumen accipitur. Narbonensis provincia [25] habet ab oriente Alpes Cotias, ab occidente Hyspaniam, a circio Aquitaniam, a septemtrione Lugdunensem, ab aquilone Galliam Belgicam [26], a meridie mare Gallicum, quod est inter Sardiniam et insulas Baleares. Aquitania habet a circio occeanum qui Aquitanicus sinus dicitur; ab occasu Hispanias, a septemtrione et oriente Lugdunensem [27], ab euro et meridie Narbonensem provinciam contingit. Provincia autem juxta papam Pelagium certa est quæ habet decem vel [28] undecim civitates et unum regem, et totidem minores potestates sub se, et unum metropolitanum, et suffraganeos decem vel undecim episcopos judices; ad quorum judicium omnes episcoporum et sacerdotum ac civitatum causæ referantur. Post destructionem quoque Wandalicam, quæ fere totum pessumdedit occidentis et orientis imperium, Leo papa provincias distribuit. Juxta modernos vero Gallorum provinciæ sunt 17. Prima sedes Galliarum Lugdunensis est cum tribus suis provinciis, 2) Rotomagensi, 3) Turonensi et 4) Senonensi, 5) Belgica prima quæ est Treviris, 6) Belgica secunda, quæ est Rhemis, 7) Germania prima, Magontiacum, 8) Germania secunda, Colonia, 9) Maxima Sequanorum, Vesontio, 10) Alpes Gratæ [29], Darentasia, 11) Viennensis 12) Narbonensis prima, 13) Narbonensis secunda, Aquensis, 14) Aquitania prima, Bituriges, 15) Aquitania secunda, Burdegala, 16) Alpes Maritimæ, Ebredunum, 17) Novem Populana, Auxia (*Notitia prov.*). In provincia igitur Belgicæ primæ urbs erat posita in confinio Neustriæ et Austrasiæ Virdunum nomine, quam antiqui et etiam moderni urbem Clavorum consueverunt appellare. Ethymologiam autem nominis hujus, quod est urbs Clavorum, ipsa nobis quæ sola præteritarum rerum habet scientiam signavit antiquitas, quod scilicet ob id ita sit appellata, quod a lapidibus præmaximis ferro plumboque compactis et consertis ingenti cura et studio sit extructa. Cur autem vocata sit Verodunum, cum diutius in scripturis quesissemus, hoc solum nobis occurrere potuit, quod cum delectum militem per Gallias Julius ageret, Verolus quidam prædictam urbem obpugnatam in fedus recepit, a quo et nomen sumpsit, ut vocaretur Verodunum quasi Verolidunum, sicut et ab Augusto Edua vocata est Augustodunum. Postea vero *o* littera mutata in *e*, dicta est Ve-

VARIÆ LECTIONES.

[13] Belg *jam deletum in codice.* [14] *jam deletum.* [15] inclu *jam deletum.* [16] Est autem reg *deleta.* [17] perf. *deletum.* [18] citra *Is.* [19] rhaet *deletum.* [20] et *deleta.* [21] *deletum.* [22] *addito* A Appeninas *corrigit auctor.* [23] *deletum.* [24] h *deletum.* [25] pro *deletum.* [26] *deletum.* [27] L *deletum.* [28] vel *deletum.* [29] *i. e.* Graiæ.

NOTÆ.

(33) *q. e. T.* desunt in Isidoro.
(34) Quæ hic et infra de Aquitania leguntur iisdem verbis apud Herigerum Gest. epp. Leod. 41. M. G. SS. VII. inveniuntur. K.

redunum, ut testatur Fortunatus (35). Moderni vero a viridantibus pratis, vel quod quasi semper vireat, dicunt eam Virdunum, quasi viride dunum. Has [30] autem omnes conjectiones Æthicus in cosmographia excludens, in Itinerario mundi vocat eam Virodunum, ob virorum fortium industriam longe lateque celebratam. Situs urbis ipsius ipsa sui positione delectabilis, quam præterfluit Mosa fluvius ipsa sui fertilitate et viridantium pratorum graminea planicie jocundus (*Vit. Sanctini*). Gens urbis ipsius effera, cultui demonum dedita, totius veritatis ignara. Nullus ad eam veritatis præco venerat, cum urbes in circuitu positas divinus jam splendor irradiasset (fol. 13').

Ad hanc ergo urbem cum socio perveniens beatus Sanctinus (cf. *Bertar.* c. 2), et videns omnes inhabitantes idolatriæ deditos et absque Deo vero, humi prostratus precabatur Deum attentius, ut populo sedenti in regione umbræ mortis lumen ostenderet veritatis. O oratio Deo grata et speciosa! speciosa inquam, facta est et suavis in conspectu gloriæ summi Dei. Hæc subvecta geminis alis, dilectionis Dei videlicet et proximi, libero volatu celos petit et in conspectu Redemptoris facta est ut thus miri odoris. An non facta est fumus boni odoris, cum de manu angeli tenentis thuribulum ascendat fumus aromatum, quæ sunt orationes sanctorum? et in Apocalipsi viginti quatuor seniores stant in conspectu throni, tenentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum? Sed jam orationis hujus fructus videamus.

Jam ab oratione uterque surrexerat, cum ecce vident in una arbore, quæ ramis opaca et altitudine procera, sed cultibus dæmonum erat profanata, quia videlicet ibi gentiles rustici Faunis et Satyris vota solvebant et sacra celebrabant, tres consedisse columbas, significantes utique divinæ esse voluntatis ipso in loco trinum et unum Deum prædicari. De Dei ergo fisi misericordia, cujus tanta in futuros adoptionis filios prævidebant beneficia, ipsi intimo cordis affectu multimodas egerunt gratias, et ut in servis suis glorificaretur prece poscebant humillima.

Locus igitur, in quo ad Deum præmissa fuit oratio, mons erat situs ad septemtrionalem plagam urbis, qui in suo cacumine ex tunc gestat æcclesiam apostolorum Petri et Pauli nomine et meritis ab ipso viro Dei dedicatam. Quæ consecratio facta est anno incarnati Verbi 98, videlicet 13° Domiciani cæsaris anno, Trajano septies et Maximo consulibus. In qua etiam atrium benedixit, et cimiterium Virdunensis æcclesiæ esse constituit, ubi ipse domnus cum successoribus suis præsulibus sanctis, exceptis his, qui sibi dicatas ecclesias corporali illustrant præsentia, vel qui eas ædificaverunt, aut ædificatas quondam et suis temporibus dirutas reparaverunt, sedem habet requietionis. Quod qualiter de ipso ejus sacratissimo corpore acciderit, cum videlicet proprii laboris in urbe Meldensi cursum consummaverit, sequens sermo suo in loco declarabit.

Beatus itaque Sanctinus videns populum civitatis multum sed idolatriæ errore cæcatum (fol. 14), previdens etiam in spiritu ostium magnum et evidens sibi apertum in Domino, deliberavit cum socio aliquantulum remorari in loco ipso. Non erat hoc transgredi præcepta magistri, si et istos lucrifacere, et mandata magistri sui fideliter posset adimplere. Ponens ergo spem suam in Domino, et se illi committens, corde contrito et humiliato progreditur ad populum, replicat Jesu Christi ævangelium. Mirantur in eo vilitatem habitus, dignitatem vultus, sermonis facundiam, miraculorum efficatiam; nec tamen possunt audire, quod debeant demonum cultus abjicere, figuras deorum suorum aureas, argenteas, marmoreas, gypseas et ligneas confringere, et aras subvertere. Quis referat quotiens ab illis cesus, quotiens injuriatus, quotiens ab urbe semivivus projectus sit? Solus hoc novit inspector internorum, qui, quia fuit testis penarum et laborum, factus est militis sui pius remunerator et largitor præmiorum. Augebatur tamen numerus credentium, et de die in diem meritis servorum suorum multiplicabatur æcclesia fidelium, error gentilium destruebatur, et fides sancta ubique docebatur, gratia baptismi condonabatur, et in credentes Spiritus sancti carismata multiplicabantur. Felix æcclesia tanti pastoris regimine digna; illustrabatur enim miraculis atque doctrinis. Omnibus omnia factus est, ut omnes lucrifaceret. Qui etsi injuriatus est dum prædicaret Christum, libenter tolerabat illata sibi tormenta, obprobria et irrisiones malorum, ut quos persequutores patiebatur, filios faceret, et Domino redderet animas, quas diabolus conabatur auferre.

Cumque jam Dei disponente clementia plures ex his, qui aliquando fuerant vasa iræ in interitum, fierent vasa misericordiæ per baptismi sacramentum, videns æcclesiam fidelium in eo esse, ut proficere jam ipsa per semetipsam posset, et timens ne si aliquanto diutius ibi remoraretur, injunctæ sibi obedientiæ legatio cassaretur, confortatis in Domino fratribus, et suum reditum maturius promittens affuturum, valedicens eis, et commendans eos Domino, illis cum persequentibus cum lacrimis, Romam profectus est (*Epist. Hincmari.* (Fol. 14'.) Et venientes in Italiam, Antoninus valida febre correptus est, in cujus obsequiis beatus Sanctinus per aliquot dies immoratus, consilio et consensu ejusdem beati Antonini, ne præceptio beati Dyonisii quacumque occasione impediretur, peragere ceptum iter dispo-

VARIÆ LECTIONES.

[30] Has — celebratam 2.

NOTÆ.

(35) lib III. c. 29.

suit. Et sufficienter exeniis et honestis linteis principi domus derelictis, petiit et per Deum obtestatus est ut, si Antoninus convalesceret, exinde illi habundantissime ministraret, si vero vita decederet, honestissime sepeliret : et sic iter, quod ceperat, peragere studuit.

Et cum jam Sanctinus fines Romanorum contigit, Antoninus vita decessit. Quem princeps domus, retentis omnibus quæ sibi commendata in ejus obsequiis fuerant, catabuli sui in quo animalia ejus jacebant axes levavit, et in fossam ubi stercora et urinæ animalium defluebant eum projecit, et desuper axes remisit. Quæ omnia beatus Sanctinus, cum jam intrasset fines Romanorum, per Spiritum sanctum cognovit, et cum magna festinatione reversus ad domum in qua Antoninum jacentem dimiserat, flens et dolens pervenit, et principem domus interrogavit: *Ubi est*, inquiens, *Antoninus frater meus karissimus?* Is autem fictis gemitibus ac suspiriis simulata mestitia : *Mortuus est*, inquit : *quem de mihi a te commissis honestissime sepelivi.* Cui Sanctinus : *Mentiris*, ait, *fili diaboli; in sterquilinium projecisti eum virum sanctum et justum. Et nunc veni mecum ad catabuli locum, in quem projecisti eum.* Is autem timore perculsus, non est ausus reniti quin cum eo veniret ad locum ubi eum projecerat. Et levantes inde axes, Sanctinus cum lacrimis voce magna clamavit dicens : *Antonine frater, in nomine domini nostri Jesu Christi pro cujus nomine et amore passus est gloriosus martyr Dyonisius, surge, et perficiamus simul obedientiam quam isdem gloriosus pastor et magister noster communiter nobis præcepit.* Et statim Antoninus stercore obvolutus surrexit. Quem beatus Sanctinus de catabuli fossa extraxit, et diligentissime lavit, et mundis ac honestis vestibus induit. Sicque offerentes Domino sacrificium laudis, cum tota mentis intentione et lacrimarum compunctione eucharistiæ corporis et sanguinis Christi participati sunt. Et accipientes cibum confortati sunt. Et iter cœptum aggredientes, Romam auxiliante Domino pervenerunt. (Fol. 15.) Jamque beato Clemente martyrio coronato, in eadem sede post Anacletum [31] quartum a beato Petro Evaristum consecratum pontificem invenerunt, cui per omnia, sicut beatus Dyonisius jusserat, actus et martyrii ejus ordinem narraverunt.

Libet hic aliquantisper immorari partibus prudentiæ, quam patres nostri et præcipue moralis doctor Ambrosius definiunt versari in veri cognitione, et scientiæ plenioris cupiditatem infundere. Prudentia quidem est Deum scire, Deum timere Deumque requirere. Hæc est veri cognitio. Accedit et scientiæ plenioris cupiditas, cujus est trimodum intelligentiæ genus, ut si in dictis majorum aliquid diversitatis inveneris, in veri investigatione verseris, ut sit tibi in his discendi et imitandi reverentia, non disputandi astutia. Nos igitur considerantes A hoc in loco scriptorum dissonantiam, virtutis hujus arcem teneamus, et non nostris fisi viribus, sed scripturæ sacræ fulti auctoritatibus, cui veritas faveat, Christo Deo præduce, videamus. Legimus in gestis, invenisse beatum Sanctinum in sede Romani pontificatus, cum venisset Romam ex præcepto beati Dyonisii, papam Anacletum, natione Grecum de Athenis, cui actus et martyrii ejus gesta retulerit. Quod quam sit absurdum facile advertitur, si Romanorum pontificum successio et martyrii ipsius beati Dyonisii terminus inspiciatur per indictiones et annos. Prefuit enim juxta fidem hystoriarum beatus Petrus urbi Romanæ a. 25, m. 2, d. 8, in quibus, ut superius relatum est, sub eo rexit æcclesiam Linus, annis 11, mensibus 3, diebus 12. Obiit 9. B Kalend. Octobris. Cui mox successit Cletus, et sub Petro rexit æcclesiam annis 12, mense 1, diebus 11, Obiit 6. Kal. Mai (*Gesta pont. Rom.*). Ecce jam pontificatus Petri annus 23, menses 4 et dies 23. Quibus diebus si adjungantur item dies 20, qui interseruntur post obitum Cleti ante ordinationem Clementis, fiunt 43, i. e. mensis et dies 13, quorum dierum ultimo die consecratus est Clemens a Petro. Quod autem alibi scribitur Clemens idem rexisse æcclesiam annis 11, alibi vero annis 9, mensibus 2, diebus 2, utrumque verum esse non ambigitur, quia et sub Petro sedit anno 1, mensibus 8, diebus 25, quo numero anni 25 præsulatus Petri, cum mensibus et diebus colliguntur exacti; et post Petri obitum annis 9, mensibus 2, diebus 2. (Fol. 15') Sedit Anacletus C annis 43, mensibus 10, diebus 7. Obiit 3. Idus Julii, et cessavit episcopatus diebus 14. Sedit quoque Euaristus annis 9, menses 7, dies 2; igitur quando Petrus occubuit annus erat Dom. incarn. 72as, quibus juncti 9 anni Clementis faciunt 81. His quoque additi Anacleti anni 14 fiunt 95, Euaristi quoque 9 fiunt 104. Duobus ergo mensibus Petri et diebus 8 additi 2 menses Clementis et dies 2, menses etiam Anacleti 10 et dies 7, dies quoque 14 inter Anacletum et Euaristum, quibus episcopatus cessavit, nec non et Euaristi menses 7, dies 2, faciunt menses 19 et dies 33, et annus hic inseritur, et sic fiunt anni 105, menses 9, dies 33 usque ad obitum Euaristi, qui est 6. Kal. Novemb. Secundo autem Euaristi anno sanD ctus Dyonisius passus est, et sexto ab ejus passione anno sanctus Sanctinus Romam venit, qui erat ab inc. Dom. 105. Jam ergo Anacletus obierat, jam etiam Euaristus ei successerat. Quomodo ergo invenit eum, qui jam obierat? Restat igitur, ut priori sententiæ fides adhibeatur, quæ veritate subnixa, non dubitatur, quod cum ita esse sacrarum scripturarum doceamur auctoritate, prudentiæ virtute muniti et scientiæ plenioris doctrinam nancti, teneamus verum, quod nos docuit, ad quod investigandum ipsa nos virtutum principalium prima animavit prudentia. Igitur redeamus ad superiora, et quia annum quo secundum fidem hystoriarum Romam

VARIÆ LECTIONES.

[31] q. a. b. P. E. *in loco raso* 2.

venerit tenemus, quem etiam sede Roma invenerit, ut pace omnium loquamur, paucis expediamus.

Beatus Sanctinus (*Vita Sanctini*) dum occupatione itineris et prædicatione Virdunensis novellæ plantationis et infirmitate socii sui retardaretur, Euaristum papam 9 [32], jam anno pontificantem invenit, a quo etiam cum debito honore susceptus et loco maximæ venerationis habitus, replicuit laboris assumpti causam magistri sui beati Dyonisii esse obedientiam, in consummatione cursus ejus Gallicanam æcclesiam magnam pati prædicatorum penuriam, se ob hoc missos advenisse, ut verbi ministros aliquos mitteret æcclesiæ. Hæc magistrum ultima sibi dedisse mandata, ut consummationis suæ Romano pontifici innotesceret ordinem, et ut ipse, cujus erat ecclesiis providere, operarios dirigeret ad excolendam Dominicæ sationis agriculturam. Unde cum beatus pontifex gratularetur in Domino et ad agenda quæ petebatur se supra se votis omnibus extenderet, moramque in faciendo pati nesciret, decrevit tamen sanctum virum aliquandiu secum retinere ad consolationem sui et recreationem laboris et itineris. At ipse paucis diebus apud eum remoratus, inter grata mutuæ confabulationis solamina, quid etiam per eos divina egerit gratia, et quomodo novella Virdunensis fructificaret æcclesia, humiliter referebat. Unde ille Deo ex intimo cordis affectu gratias agens, socios ei et cooperatores verbi tres viros probatæ auctoritatis dedit, quorum nomina etsi non habemus in scriptis, quia tamen missi sunt non tacetur. Novimus tamen beatum Maurum presbyterum, qui ei successit in pontificatus ordine, ex eorum collegio et numero fuisse.

Interea æcclesia fidelium, quæ erat apud Virdunum, crescebat et confortabatur et doctorem suum devotis et ipsa devotione suspensis animis præstolabatur. Jam ad eos fama de resuscitatione defuncti pervenerat, quæ res eos in fide Dei et amore magistri vehementius accenderat. Pius quoque pater, dum rememoratur suspensos ad suum reditum filiorum animos, Meldensium scilicet et Virdunensium — sex enim anni jam pene evoluti erant a passione beati Dyonisii, et sextus ipse annus pontificatus beati Euaristi fuit octavus —, benedictione postulata et accepta (fol. 16), Meldim redire deliberat. Ne tamen novos adoptionis filios, quos Christo per aquam baptismatis Virduni regeneraverat, invisitatos præteriret, illo quantotius iter accelerat, ut relictis ibi sociis, quos ab apostolica sede perceperat, ipse Meldim rediret, et suas oves, quibus pastor et rector institutus fuerat, regeret. Cumque Virduni advenisset, a fratribus devote suscipitur, a civibus contra spem pastor eligitur, et ut eis præesse dignaretur, magnates quique et vulgus promiscuum rogant et impetrant. Gaudet pater de numero centuplicato filiorum, letatur in devotione civium, et quod rogabatur implere non moratur. Preparatur æcclesia regenerandis novis fidelium populis, regenerantur plures manibus sancti antistitis lavacro salutari. Destruuntur templa demonum et delubra, dejiciuntur idola, et quia prima non sufficiebat, nova edificatur æcclesia mira civium devotione et industria; qua accelerata præparantur dedicationi necessaria, et a beato pontifice in honore Dei genitricis et Virginis consecratur a. Dom. inc. 104, qui erat a passione beati Dyonisii 7, Gallo et Bradua consulibus, Olimpiade 220, et mater æcclesia in qua sit sedes episcopalis constituitur.

His expletis, plebem monet et diligentius instruit documentis salutaribus, firmans eos benedictionibus, et sic Meldim regreditur; ubi prædicationi et sanctis operibus insistens (*epist. Hincmari*), cum cognovisset imminere diem vocationis suæ, litteras exortatorias et consolatorias direxit filiis Virdunensis æcclesiæ (*Vita Sanctini*), in quibus, quia prope esset vocatio ejus, et quod amplius faciem ejus non essent visuri prædixit, et ut Maurum presbyterum, virum in fide catholicum et doctissimum, sibi successorem eligerent monuit et præcepit. Illi primo viso nuncio cum litteris gaudebant, et consolabantur se mutuo in respectu paterno. Ubi vero de pastoris resolutione et sua destitutione facta est mentio, fit statim clamor et luctus omnium. Vox erat una dolentium. Dolebant enim quia amittebant patrem karissimum, pastorem mitissimum, et vi doloris attrita et depressa acie mentis cogitare vix poterant, quia mors ei via ad patriam, ubi finis laborum et retributio præmiorum æternorum: unde eis tanto melius opitulari et subvenire valeret, quanto vicinius Deo, cui servierat, in quo speraverat, quem confessus fuerat, deposito corporis onere, adhereret. Fides quidem flere prohibebat, sed gemitum extorquebat affectus. Illic ergo positus nos humillimos servos suos hic orantes exaudiat, æcclesiam inter mundi turbines fluctuantem sibi commissam, suo labore ad id quod est provectam (fol. 16'), regat et protegat, filiorumque preces et lacrimas Dei patris omnium conspectui offerat.

Legitur sane in antiquioribus ejus gestis (36), quod cum Meldis redisset, tyrannum increpaverit, quod res ecclesiæ diripuisset, et ob id illum ira præcipiti fervidum, gladio adauctum beatum virum vitæ transmisisse perpetuæ. Apparet etiam nunc in ipso viri beatissimi capite, sicut relatum est ab his

VARIÆ LECTIONES.

[32] IX jam anno *in loco raso* 2.

NOTÆ.

(36) Calmet, *Hist. de Lorraine* I, p. 32 in monasterio S. Vitoni Vitam Sanctini post a. 952 conscriptam se legisse testatur in codice sæc. XII inscripto: *Incipit Vita S. Sanctini primi pontificis urbis Clavorum. Post gloriosam cælestis victoriæ triumphum*, etc. Quin hanc Vitam Hugo ante oculos habuerit, vix dubitari posse probat ipsius narratio cum Vitæ compendio, quod Gallice dedit Calmetus, collata. At non hæc Gesta, sed illa ab Hincmaro conscripta antiquiora fuisse, nemo non videt.

qui viderunt, et ossa ejus sanctissima contrectave- A runt, sectio gladii materialis ita, ut media pars capitis, ipsa videlicet pars anterior, in qua positæ sunt fenestræ oculorum, non habeatur cum reliquo corpore, et quasi gladio secta et divisa videatur pars posterior ab anteriore. Qualiter ergo servum suum Deus ad se evocaverit, ipse novit qui eum præelegit ante sæcularia tempora; nos credimus, quia etsi ejus animam gladius persequutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit, quia totus vitæ ejus excursus jugis fuit cum principe mundi conflictus.

Ascivit autem sibi Dominus nunc sanctum pontificem post multa laborum pericula, post innumera bonorum operum exercitia, in urbe Meldensi, 5 Kal. Octobris, regnante terris principe Trajano.

Quod si studiosus lector plenius cupit addiscere, advertat, quia 13° anno imperii Neronis, quo anno Petrus et Paulus gloriose occubuerunt, qui erat annus ab inc. Dom. 72, Vespasianus a Nerone in Judeam cum exercitu missus est. Mortuo autem Nerone anno sequenti antequam Vespasianus Romam rediret, Galba, Otho et Vitellius regnaverunt anno 1 et mensibus 6. Vespasianus ergo apud Judeam imperator appellatus est, qui et Capitolium ædificavit; [33] cujus secundo anno Judeorum regnum finitum est, quum a prima ædificatione templi sub Salamone usque ad ultimam ejus ruinam sub ipso Vespasiano colligantur anni 1202. [Regino.] Regnavit igitur Vespasianus a. 9, m. 11, d. 22. His 11 mensibus additi 7 Neronis fiunt 19, et his 22 diebus additi illius 28 fiunt 50 dies i. e. annus et 7 menses et 20 dies, qui annus hoc in loco inseritur. Titus quoque regnavit a. 2, m. 2. Domicianus a. 15, m. 5. His 5 addamus 7 menses Vespasiani, completur annus, qui hic inseritur. Post Domicianum Nerva regnavit, a. 1, m. 4, d. 8. Sex igitur mensibus Othonis, Galbæ et Vitellii si addiderimus Titi duos, Nervæ 4, completur annus, et hic inseritur. Post Nervam regnavit Trajanus a. 19, m. 6, d. 15, cujus a 2° beatus Sanctinus migravit ad Dominum, anno ab inc. Dom. 105, m. 10, d. 18, Africano et Crispino consulibus, a passione beati Dyonisii a. 8, pontificatum agente Romanæ æcclesiæ papa Euaristo a. 9, interposito tamen anno illo, qui de supputatione mensium pro- D cedit, ut numerus annorum pontificalium perfecte servetur, et ab obitu beati Sanctini usque ad obitum Euaristi, qui obiit 6. Kal. Novembris, annus integer et dies 17 computentur.

Sepultus est sane condigno honore fidelium in ecclesia sancti Petri (fol. 17) quam ipse a fundamentis edificaverat, quæ quidem a sancto Antonino [34], qui ei in episcopatu successerat, ampliata, atque in honore ipsius magistri sui dedicata est, ubi multis annis intra septa sepulcri thesaurus celestis delituit. Novissime divina revelatione repertum et elevatum mira exultatione civium et confluentium populorum, sacratissimum corpus ejus ad propiciandum Deum miseris mortalibus super altare in celesti propiciatorio ab episcopis honorifice repositum est, ubi per succedentium annorum volumina ab excubitoribus diligenter servatum et honorifice, permansit usque ad tempora Ludovici imperatoris, Lotarii æque imperatoris filii, Deo sanctum suum mirificante signis et prodigiis innumerabilibus. Post hec, quia sic Deus voluit, translatum est, et Virduni in æcclesia sancti Petri locatum, et in scrinio argenteo reconditum, ubi meritis ejus et precibus exuberant beneficia divina usque in hodiernum B diem, prestante Jesu Christi gratia, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum amen.

Rexit autem post cum Meldensem æcclesiam beatus Antoninus annis multis, et piis virtutum operibus insignis migravit ad Dominum 2. Kalendas Octobris (*ep. Hincm.*) præstante Jesu Christi gratia cui est honor et gloria in sæcula amen.

Domiciano igitur defuncto Nerva suscepit imperium anno 1 et mensibus 4; sub quo Johannes apostolus revocatur ab exilio.

Cui successit Trajanus; sub quo Zacharias Viennensis æcclesiæ episcopus martyrio coronatur. Nam primus Crescens, secundus Martinus apostolorum discipuli Viennæ sederunt. Regnavit Trajanus a. 18. m. 6. d. 15. His 6 mensibus si addiderimus dies 28, C qui supra remanserunt, et 15 Trajani fiunt 43. Post Zachariam Verus Viennensium episcopus floruit. Cujus regni a. 3° assumptus est ipse beatus apostolus anno post passionem Domini 68°, ind. 14, epacta 6; et sexto ejus anno migravit ad Dominum beatus Sanctinus, et suscepit æcclesiam regendam Maurus presbyter, vir honestæ vitæ et per cuncta laudabilis. [Hier.] Trajano adversus Christianos persequutionem movente, Symeon Hierosolymorum episcopus crucifigitur, Ignatus bestiis traditur, Alexander papa post administratum a. 11, m. 7, d. 2 pontificatum martyrio coronatur sub Trajano 3. Non. Mai (*Gesta pont. Rom.*). Hic constituit ut aqua sparsionis cum sale benedici. Post eum sedit Xystus, D natione Romanus, ex patre Pastore, de regione Via Lata, a. 10. m. 2, d. 1. [Ado.] Hic constituit ut ministeria sacrata non tangerentur nisi a ministris. Justus Viennensis episcopus floruit [35].

Anno quoque ab inc. Dom. 121. regnavit Adrianus, consobrinæ Trajani filius. [Beda, Hieron.] Hic 9° imperii sui anno persequutione laxata, pater patriæ appellatur, et uxor ejus augusta. Regnavit a. 21. Thelesphorus, Grecus natione ex anachorita, a. 11, m. 3, d. 21 (*Gesta pont. Rom.*). Duxit [36] illustre

VARIÆ LECTIONES.

[33] Vespasiano VI. et Tito V. consulibus Judea subvertitur *in margine c.* [34] *hic in margine legitur :* Anno ab incarnatione Domini 167. Lucius rex Brittanniæ missa legatione a papa Euaristo et imperatoribus Romanis fidem Christi suscepit, cum omnibus regulis gentis suæ. [35] Justus — floruit *in margine.* [36] Duxit — Jan. *in marg.*

martyrium Non. Jan. Hic constituit ut 7 ebdomadis ante pascha jejunium celebretur (fol. 17') et in nocte natalis Domini missæ celebrentur et *Gloria in excelsis Deo* caneretur. Obiit 3. Idus Januar [37]. Cui successit Yginus natione Grecus ex phylosopho de Athenis, sedit a. 4, m. 3, d. 8. Hic clerum composuit et distribuit gradus ecclesiasticos. Obiit 3. Idus Januar [38].

Anno ab inc. Dom. 142 [Beda]. Antoninus cognomento Pius cum filiis Aurelio et Lucio regnavit a. 22, m. 4. Pius, natione Italus, ex patre Rufino, frater Pastoris, de civitate Aquileia (*Gesta pont. Rom.*), sedit post Yginum a. 19, m. 4, d. 3. Obiit 5. Idus Julii [39]. Hic, angelo monente, precepit Dominico die pascha celebrari. Inter Pium et Anicetum d. 29. Anicetus, natione Syrus, patre Johanne, de Vico Emisa [40], a. 11, m. 4, d. 3 [Beda]. Obiit Kal. Mai [41]. Sub quo Policarpus Romam veniens, multos ab heretica labe Valentini et Cerdonis castigavit.

Anno ab inc. Dom. 164. Marcus Antoninus Verus cum fratre Aurelio Commodo regnavit a. 29, m. 1. Fotinus Lugdunensis et Justus Viennensis martyrio coronantur [42]. Polycarpus martyrio coronatur. Vero quater et Quadrato Aproniano et Paulo consulibus sub Aniceto. (*Gesta pont.*) In Gallia quoque multi pro Christo occisi sunt. Anicetus papa constituit ut clericus comam non nutriret. Obiit 11. Kal. Julii [43]. Inter Anicetum et Sotherum d. 21. Sother, natione Campanus, ex patre Concordio, de civitate Fundis, anno ab inc. Dom. 168, Marci Antonini Veri et Aurelii Commodi 9. suscepit gubernacula Romanæ ecclesiæ, sedit a. 9, m. 7, d. 21. Hic constituit ut nulla monacha pallam sacratam tangeret nec incensum in ecclesia poneret. Obiit 10. Kal. Mai. [44]. Inter Sotherum et Eleutherum d. 21. Anno ab inc. Dom. 177. Eleutherus, natione Grecus, patre Abundio, de oppido Nicopoli, sedit a. 15, m. 3, d. 2. Hic constituit ut nulla esca a Christianis repudiaretur quæ rationabilis et humana est; ad quem missa epistola Lucius Britanniæ rex ut Christianus efficeretur impetrat. Obiit 7 Kal. Junii [45]. Defuncto Commodo fratre Antoninus Commodum filium suum consortem regni facit, qui regnavit post mortem patris annis 15. Cujus [46] tempore Marcomannicum bellum Dei actum est providentia. Nam cum insurrexissent in Romanos gentes barbaræ innumerabili multitudine, id est Marcomanni, Quadi, Wandali, Sarmatæ, Suevi et omnis pene Germania, et in Quadorum usque fines progressus Romanus exercitus propter aquarum penuriam gravius sitis quam hostis sustineret periculum, ad invocationem nominis Christi, quam subito milites magna fidei constantia fecerunt, tanta vis pluviarum erupit, ut Romanos largissime refecerit et barbaros crebris fulminum ictibus territos in fugam converterit. Quorum terga cedentes, incruentam victoriam potenti Christi meruere auxilio. Sub quo Hyrenæus Lugdunensis episcopus claruit, et Dionysius Viennensis. Post quem regnavit Helius Pertinax mensibus 6. Quo defuncto regnavit Severus anno ab inc. Dom. 198. regnavit a. 18. Victor, natione Afer, patre Felice, sedit a. 12, m. 2, d. 10 (*Gesta pont. Rom.*). Hic constituit, sicut et Pius, ut pascha die Dominico celebraretur a. 14. luna primi mensis usque ad 21. ejusdem mensis. Obiit 5. Kal. Aug.

Anno ab inc. Dom. 206. Zepherinus, natione Romanus, patre Abundio, sedit a. 18, m. 6, d. 10. Obiit 7. Kal. Sept.

Anno ab inc. Dom. 216 [Beda]. Antoninus Caracalla regnavit a. 7. Post hunc Macrinus a. 1, et post eum Marcus Aurelius imperator a 4. Anno [47] ab inc. Dom. 202, Severi a. 4, questione habita de observatione paschæ Victor Romanus papa, Narcissus Iherosolimæ, Policrates Ephesiorum, Hyreneus Lugdunensium litteris ediderunt qualiter paschæ esset observandum.

Anno ab inc. Dom. 210. sub Severo martyrium beati Hyrenei cum sociis actum est (fol. 18).

Anno ab inc. Dom. 224, 1° anno Marci Aurelii, Calixtus, natione Romanus, patre Domicio, de urbe Ravennatium, sedit a. 6, m. 2, d. 10 (*Gesta pont. Rom.*). Coronatus est martyrio sub Alexandro 2. Idus Octobris, 3° Alexandri anno. Cui successit Urbanus, natione Campanus, patre Pontiano. Sedit a. 7, m. 10, d. 20; obiit 9. Kal. Junii [48]. Inter Urbanum et Pontianum d. 30. Pontianus, natione Romanus, patre Calpurnio, sedit a. 9, m. 5, d. 2. Pontianus [49] sub Maximino fustibus cesus occubuit 3. Kal. Nov. Defuncto Aurelio, anno Dom. inc. 228 successit Alexander [Beda]; regnavit a. 13. Inter Pontianum et Antherum d. 10.

Anno [50] imperii Alexandri 13°, ab inc. Dom. 236, indictione 15, epacta 9, concurr. 6, secundo anno pontificatus Pontiani papæ, celebratum est pascha primum sicut hactenus servatur a nobis. Nam usque ad id tempus observabatur in 14. luna secundum morem Judeorum.

Anno ab inc. Dom. 241. ordinatus est 11. Kal. Decembris Antherus, natione Grecus, patre Romulo. Sedit m. 1, d. 17; obiit [51] 4. Non. Januar. (*Gesta pont. Rom.*) Post Alexandrum Maximinus regnare orsus [Beda], persecutionem movit in Christianos, a quo Pontianus et Antherus martyrio coronantur; regnavitque Maximinus a. 3, et post eum Gordianus a. 6. Sub [52] Gordiano Florentius Viennensis episcopus claruit. Post quem regnavit Philippus

VARIÆ LECTIONES.

[37] Ob. 3. Id. Jan. *in marg.* [38] Ob. 3. Id. Jan. *in marg.* [39] Ob. 5. Id. Julii *in marg.* [40] invisa *corr.* emisa *c.* [41] Ob. Kal. Mai. *in marg.* [42] Fotinus —coronantur *in marg.* [43] Ob. 11. Kal. Julii *in marg.* [44] Ob. 10. Kal. Mai. *in marg.* [45] Ob. 7. Kal. Junii *in marg.* [46] Cujus—auxilio *in margine add.* [47] Anno — observandum *in marg. add.* [48] o. 9. K. I. *in marg.* [49] Pontianus — Nov. *in marg.* [50] Anno — Judeorum *in marg.* [51] o. 4. N. I. *in marg.* [52] Sub — claruit *in marg.*

cum filio Phylippo a. 7 [Ado]. Hic primus omnium imperatorum christianus fuit, et 3 ejus anno millesimus annus Romæ urbis expletus est. Unde coronata urbe cum sollempnizaret populus Romanus et sacrificia celebraret, imperator cum filio et coevo sibi Pontio (*Acta* Pontii ?), nobili et ingenuo viro, occulte tamen christiano, procedebat ad templum. Sed a beato Pontio revocatus et doctrinis ecclesiasticis imbutus, baptizatus est cum filio. Qui beatus Pontius ob hoc quia Romanos imperatores Christo credere docuit, martyrii coronam suscepit. Corpus ejus translatum post longa tempora nunc condigne requiescit et veneratur in monasterio quod Tomerias dicitur. Philippus [53] imperator in die paschæ, id est in ipsius vigiliis, cum voluisset communicare misteriis, a Fabiano papa qui pontificatum susceperat anno dom. incarn. 241, non prius est permissus, nisi confiteretur peccata sua et inter penitentes staret, et per penitentiam culpas quæ de eo plurime ferebantur dilueret. At ille quod a sacerdote fuerat imperatum libenter suscepit, divinum metum et fidem religionis plenissimam rebus et operibus sibi inesse comprobans. Hujus humilitas tanto mordacius tumorem regum nostrorum impetit, quanto religiosius ille in tam tenera [54] christianitate penitentiam [54] susceperit, quam [54] isti in matura ecclesia [54] et [54] per [54] orbem [54] dilatata nec audire consentiunt.

Anno inc. Dom. 257 Decius imperium assumpsit quod tenuit a. 1, m. 3 [Beda; Regino]. His [55] 3 mensibus Decii adde Antonini Pii 3, Marci Antonini 1, Helii Pertinacis 6, fit annus qui hic ponitur. Remanet m. 1 et d. 28 supranotati. Anthero papa martyrio coronato, Fabianus succedens, natione Romanus, patre Fabio sedit a. 13, m. 11 (*Gesta pont. Rom.*). Inter Antherum et Fabianum d. 15. Decius multa sanctorum milia interfecit. Fabiano papa sub Decio martyrio coronato 13. Kal. Februarii cessavit episcopatus d. 7.

Anno dom. inc. 254, quo tempore claruit Lupicinus Viennensis, succedit Cornelius natione Romanus, patre Romano [Ado.] Sedit a. 5, d. 3. Coronatus [56] est sub Decio. Hic rogatus a Lucina levavit corpora sanctorum apostolorum ; et Pauli quidem via Ostensi, ubi decollatus est, posuit 18. Kal. Octobris. Inter Cornelium et Lucium d. 35. Cujus tempore surrexit heresis Novatianorum a quodam Novato qui ex. . . . . ecclesiam ordinacione Novatiani et Deus Cornelium intronizari voluisset, ab ecclesia recessit et heresim sui nominis statuit. Præerat tunc Carthagini Cyprianus martyr primas Affricæ qui superfuit Cornelio usque ad tempora domni Lucii papæ, et coronatus est eodem die quo Cornelius persecutione Valeriani martyrio [57]. Lucius, Romanus, patre Porfirio, sedit a. 3, m. 3, d. 3. (*Gesta pont. Rom.*). Hic constituit ut 2 presbiteri et 3 diaconi episcopum in omni loco non desererent. Obiit 3. Non. Martii, sepultus 8. Kal. Sept. [Beda]. Inter Lucium et Stephanum d. 25. Gallus cum filio Volusiano regnavit a. 2, m. 4. Stephanus Romanus, patre Jobio, a. 6, m. 6, d. 2. Hic constituit ut sacerdotes et levitæ vestes sacras in cotidiano usu non haberent (*Gesta pont. Rom.*). Decollatus est sub Valeriano et Gallieno 4. Non. Aug., et cessavit episcopatus d. 22.

Anno inc. Dom. 261. regnaverunt Valerianus et Galienus a. 15 [Beda] Valerianus in christianos persequutione commota statim [57] a Sapore Persarum rege capitur (fol. 18), et luminibus orbatus misera servitute consenescit [Ado.] ; ita ut Sapori equum ascendenti dorsum pro scabello pararet. Unde territus Galienus pacem ecclesiis reddidit [Beda].

Anno. inc. Dom. 276. Claudius regnavit a. 1, m. 9 [Regino]. His [58] 9 mensibus adde 4 Volusiani, fit annus qui hic numeratur, et remanet m. 1. Cui successit Aurelianus a. 5, m. 5. Hic christianos persequitur. Sub hoc passus est Benignus martyr cum sociis. Quo mortuo Tacitus regnat menses 6 [Beda ; Regino]. His [59] etiam adde 6 Aureliani, fit annus, remanent 88 dies Floriani. His junge 28 dies qui supra remanserunt, fiunt 108, menses 3 et 18 dies. Adde superfluos 2 menses, fiunt m. 5 et d. 18. Et post eum Florianus dies 88 [Beda] ; post quem regnavit Probus a. 5, m. 4. His [60] adde 6 Taciti et 5 supradictos [Regino], fit annus, remanent menses 3.

Anno ab inc. Dom. 264, Valeriani et Galieni a. 3, quo [61] tempore Simplides episcopus Viennensis claruit [Ado] Xystus, Grecus, ex phylosopho ordinatus 11. Kal. Aug. A. 1, m. 11, d. 5. Passus est sub Valeriano 8. Idus August. (*Gesta pont. Rom.*) Inter Xystum et Dionysium d. 5 [62]. Dionysius ex monacho, cujus generationem invenire non potui, sedit a 6, m. 2, d. 4. Regnavit Carus cum filiis Carino et Numeriano a. 2. Cui successit Diocletianus anno ab inc. Dom. 290 [Beda] ; regnavit a. 20 cum Maximiano et Constantio, et post mortem Diocletiani Maximianus cum Severo, Galerio et Maximino [Beda]. Dionysius papa parrochias et dioceses constituit, et presbyteris ecclesias dedit (*Gesta pont. Rom.*). Cui successit Felix Romanus, patre Constantio, sedit a. 4, m. 3, d. 1. Obiit 3. Kal. Jun. Constituit supra memorias martyrum missas celebrari. Euticianus Tuscus, patre Marino, de civitate Lunis, sedit a. 1, m. 1, d. 1. Sub [63] Aureliano hic martyrio coronatus 8. Kal. Aug. in cimiterio Calixti sepelitur, qui etiam ipse 342 martyres manu sua sepelivit, et cessavit episcopatus dies 8. Constituit super altare benedici fruges fabæ et uvæ. Gaius Dalmata, patre

VARIÆ LECTIONES.

[53] Philippus — comprobans *in marg.* [54] *ex conjectura suppletum.* [55] His — supranotati *in marg.* [56] Coronatus — Valeriani *in marg.* [57] *vox erasa.* [58] His — m. 1 *in marg.* [59] His — d. 18 *in marg.* [60] His — 3 *in marg.* [61] Quo — claruit *in marg.* [62] XXXV *corr.* V *codex.* [63] Sub — 8 *in margine.*

Gaio, ex genere Diocletiani, a. 11, m. 4, d. 12. Martyrio coronatus est 11. Kal. Mai. Hujus temporibus viguit sanctus Sebastianus. Inter Gaium et Marcellinum dies 11. Marcellinus Romanus, patre Prejecto [64], a. 9, m. 4, d. 17. Inter Marcellinum et Marcellum dies 25. Marcellus Romanus, patre Benedicto de Via Lata, a. 6, m. 7, d. 25. Diocletianus imperator ad consortium imperii Maximianum ascivit, Valerium et Constantium cesares fecit. Hic adorari se jussit ut Deum [HIERON]. Constantius cesar juxta Lingonas 60 milia Alemannorum qui rebellaverant interfecit. Anno 18 regni Diocletiani persequutio nova cepit, et mense Martio in diebus paschæ quod fuit 5. Kal. Aprilis universæ æcclesiæ subversæ sunt. Vicesimo autem, id est ultimo anno regni, qui erat tertius annus persequutionis ab inc. Dom. 310, Diocletianus et Maximianus Mediolani purpuram deposuerunt. Diocletianus moritur. Maximianus apud Massiliam fugiens, dum genero suo insidias parat, strangulatus interiit. Constantius cesar, Claudii imperatoris nepos ex filia, pater Constantini, tertio anno persequutionis obiit, vir summæ civilitatis et mansuetudinis [BEDA]. Et Maximianus et Severus cæsares facti sunt (fol. 19). Maximianus stupra sua christianorum persequutionibus accumulat. Cepta semel persequutio efferbuit usque ad 7. Constantini principis annum ; ita infra unum mensem 17 milia martyrum passi inveniuntur.

Anno ab inc. Dom. 310 (*Gesta pont. Rom.*), Constantinus, Constantii ex Helena filius, in Brittania imperator creatus 5. Non. Mai, regnavit a. 30, m. 10. His adde 3 menses qui supra remanserunt, fit annus, remanet mensis [REG.]. Sub hoc S. Agricius confessor et episcopus Trevirensis claruit, cujus successor fuit S. Maximinus (*Gesta pont. Rom.*). Post Marcellum, primo anno Constantini, Eusebius Grecus ex medico sedit Romæ mensibus 7. Sub hoc inventa est crux Domini. Obiit 5. Non. Oct., et cessavit episcopatus dies 7 [BEDA]. Inter Marcellum et Eusebium dies 20. Quarto anno persequutionis Maxentius, Herculii Maximiani filius, Romæ augustus appellatus est. Contra quem pugnavit Constantinus 6. imperii sui anno, et apud Romam interfecto eo, Urbem recepit. Helena, mater Constantini, christianissima, filium proficiscentem ad bellum prosequuta, de civitate Trevirorum cum multo comitatu egressa, Bysontium venit, et in ecclesiola sancti Stephani in monte sita juges fundens lacrimas et longa ducens jejunia, pro salute filii [aures*] Domini et beati Stephani prece pulsabat humillima. Et quia locus ille erat permodicus, votum vovit de reparatione et ampliatione novæ ecclesiæ, quod et fecit dirigens cementarios et expensas ad edificationem basilicæ condignas. Constantinus imperator victoria potitus per vexillum sanctæ Crucis celitus illi ostensum, matrem suam misit Hierosolimis ad perquirendum lignum dominicum, quod etiam invenit et sic secari fecit per medium, ut et crucem deferret ad filium, et crucem Hierosolymis reservaret, sapienti usa consilio, ut ubi fuerat membris dominicis aptata per supplicium, illic glorificata veneraretur a populis. Melchiades Afer sedit Romæ annis 4 (*Gesta pont. Rom.*) ; quo [65] tempore claruit Paschalius Viennensis episcopus. Hic constituit ut nullus die dominico aut 5. feria jejunaret. Obiit 3. Idus Decembris, et cessavit episcopatus dies 17.

Anno dom. inc. 315. Silvester Romanus, patre Rufino, sedit a. 22, m. 10, d. 11. Hic constituit crisma confici, et baptizatum confirmari, dalmaticas precepit indui et sacrificium panno lineo involvi. Secundo igitur anno postquam Constantinus superato Maxentio tyranno, Maximiani Herculii filio, Urbem recepit, persequutionis anno 10, per Silvestri papæ predicationem ad fidem Christi conversus est, et fecit Romæ, ubi baptizatus est, basilicam beati Johannis baptistæ quæ appellatur Constantiniana [BEDA]. Hoc [66] est privilegium quo Silvester papa interventu Helenæ augustæ per Agricium patriarcham Trevirensem ditavit ecclesiam, quod Volusianus archiepiscopus rescribi jussit (37) : « Sicut in gentilitate propria virtute, sortire et nunc Treviri primas * super Gallos spiritualem et Germanos prioratum, quem tibi præ omnibus harum gentium episcopis in primitivis christianæ religionis doctoribus, scilicet Euchario, Valerio et Materno, per baculum suum caput ecclesiæ Petrus signavit * habendum, suam quodammodo minuens dignitatem, ut te participem faceret. Quomodo ego Silvester servus ejus successioneque indignus per patriarcham Agricium renovans confirmo, ad honorem dominæ Helenæ augustæ ejusdem metropolis indigenæ, quam ipsa felix per apostolum Mathiam a Judæa translatum ceterisque reliquiis Domini magnifice ditavit specialiterque provexit. Hujus privilegii cleri novici emuli communione dirimantur, quoniam anathemate maculantur [67]. » Fecit et aliam beato Petro in templo Apollinis (fol. 19'), nec non et aliam beato Paulo, corpus utriusque ære cyprico circumdans 5 pedes grosso (*Ibid.*). Fecit et basilicam in palatio Sororiano quæ cognominatur, ubi de ligno crucis Domini posuit. Basilicam etiam sanctæ martyris Agnæ ex rogatu filiæ suæ fecit, et baptisterium ibidem ubi et baptizata est soror ejus Constantia cum filia Augusta. Fecit et basilicam beato martyri Laurentio via Tyburtina in agro Verano. Basilicam quoque via Lavicana inter duos lauros beatis martyribus Marcellino et Petro, et mausoleum ubi matrem suam posuit in sarcophago purpureo. Basilicam

VARIÆ LECTIONES.

[64] Piecto *c.* [65] quo — episcopus *in margine.* [66] Hoc — jussit *in margine.* [67] EPR. quod Volusianus archiepiscopus rescribi jussit *hic repetit c.*

NOTÆ.

(37) Cf Gesta Treverorum c. 19.

quoque in civitate Ostia juxta portum urbis Romæ beatorum apostolorum Petri et Pauli et sancti Johannis baptistæ. Item aliam sancti Johannis baptistæ in civitate Albanensi. Item aliam in urbe Neapoli [Beda]. Idem Constantinus Drepanam [68] Bythiniæ civitatem in honorem martyris Luciani ibi conditi instaurans ex vocabulo matris suæ Helenopolim nuncupavit. Constituit templa paganorum claudi. Hic statuens urbem nominis sui in Trachia, Constantinopolim appellavit, quam et sedem imperii et totius Orientis caput esse voluit. Fecit etiam privilegium sanctæ Romanæ ecclesiæ quod constituit beato papæ Silvestro et omnibus successoribus ejus pontificibus usque in perpetuum, et optulit illud super corpus beati Petri apostoli. Quod hic inserere non pigebit. Est autem hujusmodi (*Decret.*) : « In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris scilicet et Filii et Spiritus sancti. Imperator cæsar Flavius Constantinus, in Christo Jesu una ex eadem Trinitatis persona salvatore domino Deo nostro fidelis, mansuetus, maximus, beneficus, Alemannicus, Brittanicus, Hunicus, pius, felix, victor et triumphator, semper augustus, sanctissimo ac beatissimo patri Silvestro urbis Romæ episcopo et papæ, et omnibus ejus successoribus qui in sede beati Petri apostoli sessuri sunt usque in fine seculi pontificibus, nec non etiam omnibus reverentissimis et Deo amabilibus catholicis episcopis eidemque sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ per hanc nostram imperialem constitutionem subjectis in universo orbe terrarum, necnon et posteris eorum cunctis postfuturis temporibus constitutis, gratia, pax, gaudium, longanimitas, misericordia, a Deo patre omnipotente et Jesu Christo filio ejus et Spiritu sancto in omnibus vobis (fol. 20). Quod equalis salvator et redemptor noster Jesus Christus, altissimi patris filius, per suos sanctos apostolos Petrum et Paulum, interveniente patrono nostro Silvestro summo pontifice et universali papa, mirabiliter operari dignatus est, liquida narratione per hujus nostræ imperialis constitutionis paginam ad agnitionem omnium populorum universo orbe terrarum studuit propagare nostra mansuetissima serenitas, primum quidem fidem nostram, quam a prelato exortatore nostro Silvestro universali papa et pontifice edocti sumus, intima cordis confessione ad instruendas omnium mentes proferentes, et ita demum misericordia Dei super nos diffusam annunciantes. Nosse enim vos volumus, sicut per anteriorem nostram sacram pragmaticam jussionem significavimus, nos a culturis idolorum, simulacris mutis et manufactis, diabolicis compositionibus atque ab omnibus Satanæ pompis recessisse, et ad integram christianorum fidem, quæ est lux vera et vita perpetua, pervenisse, credentes juxta id quod nos idem almificus summus pater et doctor noster Silvester instruxit, credere in Deum patrem omnipotentem, factorem celi et terræ, visibilium omnium et invisibilium, et in Jesum Christum filium ejus unicum, Dominum nostrum, creata sunt omnia, et in Spiritum sanctum dominum et vivificatorem universæ creaturæ. Nos Patrem et Filium et Spiritum sanctum confitemur, ita ut in Trinitate perfecta sit plenitudo divinitatis et unitas potestatis. Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus; et tres unum sunt. Tres itaque personæ, sed una potestas; nam semper Deus se edidit ex se quod semper erat gignenda ad secula verbum. Et quando eodem solo suæ sapientiæ verbo universam formavit creaturam, cum eo erat cuncta suo archano componens ministerio. Igitur perfectis celorum virtutibus et universis terræ materiis, pio sapientiæ nutu ad imaginem et similitudinem suam primum de limo terræ fingens hominem, hunc paradiso posuit voluptatis. Quem antiquus serpens et antiquus hostis invidus diabolus, per amarissimum ligni vetiti gustum, exulem ab eisdem effecit gaudiis, eoque expulso non desunt sua venenosa multis modis protelare jacula, ut a via veritatis humanum abstrahens genus, idolorum culturæ, creaturæ videlicet et non creatori, deservire suadent. Quatinus per hoc eos quos suis valuerit irretire insidiis, secum eterno afficiat concremando supplicio. Sed Deus noster misertus plasmatis sui, dirigens sanctos suos prophetas, per quos lumen futuræ vitæ, adventum videlicet filii sui domini nostri Dei et salvatoris nostri Jesu Christi adnuncians, misit eundem unigenitum filium suum et sapientiæ verbum (fol. 20'). Qui descendens de celis propter nostram salutem, natus de Spiritu sancto et Maria virgine, verbum caro factum est et habitavit in nobis, nec amisit quod fuerat, sed cepit esse quod non erat, perfectus Deus et homo; ut Deus perficiens mirabilia, ut homo humanas sustinens passiones. Ita verum hominem et verum Deum predicante patre nostro Silvestre summo pontifice intelligimus, ut verum Deum et verum hominem fuisse non abnegemus. Qui electis 12 apostolis miraculis coram eis et innumera populi multitudine coruscavit. Confitemur eundem Dominum nostrum dominum Christum et implesse legem et prophetas, passum, crucifixum, secundum Scripturas tercia die a mortuis surrexisse, assumptum in celos, atque sedentem ad dexteram Patris, inde venturum judicare vivos et mortuos; cujus imperii non erit finis. Hæc est fides nostra orthodoxa a beatissimo Silvestro summo pontifice nobis prolata. Idcirco exortamur omnem populum et diversas gentium nationes hanc fidem tenere, colere et predicare, et in sanctæ Trinitatis nomine gratiam baptismi consequi, et dominum Jesum Christum salvatorem nostrum, qui cum Patre et Spiritu sancto per infinita vivit et regnat secula, quem Silvester beatissimus pater noster universalis predicat pontifex, corde devoto adorare. Ipse enim dominus Deus noster misertus mihi peccatori, nostris suos sanctos apostolos ad visitandum nos et lumen sui splendoris infulsit

VARIÆ LECTIONES.

[68] depravan *c*.

nobis et abstractum a tenebris ad veram suam lucem et agnitionem sui nominis me pervenisse gratulamini. Nam cum dudum valida squaloris lepra totam mei corporis invasisset carnem, et multorum medicorum convenientium cura adhiberetur, nihil profuit ad salutem. Ad hæc advenerunt sacerdotes Capitolii dicentes mihi debere fontem fieri in Capitolio, et compleri hunc innocentum sanguine, et in eo calente totum me posse mundari. Et secundum eorum dicta aggregatis pluribus innocentibus, dum vellent sacrilegi paganorum sacerdotes eos mactari et ex eorum sanguine fontem repleri, cernens serenitas nostra lacrimas matrum eorum, ilico exorrui facinus, misertusque earum, proprios illis restitui filios, datisque vehiculis et donis concessis ad propria illas omnes gaudentes relaxavimus. Eadem igitur transacta die nocturno nobis facto silentio dum somni tempus advenisset, adsunt apostoli sancti Petrus et Paulus dicentes mihi : « Quia flagitiis posuisti terminum, et effusionem sanguinis innocentis orruisti, missi sumus a Christo domino nostro dare tibi sanitatis recuperande consilium. Audi igitur monita nostra, et fac quæcunque indicamus tibi. Silvester episcopus civitatis ad montem Seraptim fugiens persequutiones tuas, in cavernis cum suis clericis latebram fovet. Hunc cum ad te adduxeris, ipse tibi piscinam salutis ostendet, in qua dum te tertio merserit, omnis a te lepræ valetudo diffugiet. Quod cum factum fuerit, hanc vicissitudinem tuo Salvatori compensa, ut omnes per totum orbem tuo jussu ecclesiæ restaurentur. Te autem ipsum in hac parte purifica, ut relicta omni superstitione idolorum Dominum vivum et verum, qui solus est Deus verus, adores et colas, ut ad ejus voluntatem attingas. » Exurgens autem a somno protinus juxta id quod a sanctis apostolis admonitus sum peregi, advocatoque eodem precipuo et magnifico patre et illuminatore nostro Silvestro universali papa, omnia a sanctis apostolis precepta in verba dixi, percunctatusque sum eum, qui essent dii isti Petrus et Paulus (fol. 21). Ille vero non eos vere deos dictos ait, sed apostolos Salvatoris domini nostri Jesu Christi. Et rursum interrogare cepimus eundem beatissimum papam, utrum eorum imagines pictas haberet, ut ex picturis disceremus hos esse quos me revelatio docuerat. Tunc isdem venerabilis pater imagines eorundem apostolorum per diaconem suum exiberi precepit. Quam dum aspicerem et eorum quos in somno videram figuratos in ipsis imaginibus aspexissem vultus, ingenti clamore coram omnibus satrapis meis confessus sum eos esse quos in somno videram. Ad hæc indixit beatissimus Silvester, idem pater noster, urbis Romæ episcopus, nobis pœnitentiæ tempus intra palatium nostrum Lateranense in jejunio et cilicio, ut omnia quæ a nobis impie peracta atque injuste disposita fuerant, vigiliis, jejuniis, lacrimis et orationibus apud dominum nostrum Jesum Christum Salvatorem nobis donari impetraremus. Deinde per manus impositionem clericorum usque ad ipsum presulem veni, ibique abrenuncians Satanæ pompis et operibus ejus, et universis idolis manu factis, credere me dixi in Deum patrem omnipotentem factorem cœli et terræ, visibilium et invisibilium, et in Jesum Christum unicum dominum nostrum qui natus est de Spiritu sancto et Maria virgine, spontanea voluntate coram omni populo confessus sum. Benedictoque fonte illic me trina mersione unda salutis purificavit. Positoque me in fontis gremio, manum me de cœlo contingentem propriis oculis vidi, de qua mundus exurgens, ab omni me lepræ squalore mundatum cognoscite (fol. 21'). Lavatoque me de venerabili fonte indutoque vestibus candidis septiformis Spiritus sancti in consignationem adhibuit, beati crismatis unctione et sanctæ crucis vexillo meam frontem linivit, dicens : « Signat te Dominus sigillo fidei suæ in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti in consignatione fidei ; » cunctusque clerus respondit : « Amen. » Et adjecit presul : « Pax tibi. » Primo itaque post perceptum sacri baptismatis mysterium et post curationem corporis mei a squalore lepræ agnovi non esse alium Deum nisi Patrem et Filium et Spiritum sanctum, quem beatissimus pater Silvester predicat, trinitatem in unitate, unitatem in trinitate. Nam omnes dii gentium quos hactenus colui, demonia opera manu hominum facta comprobantur. Etenim quaatam potestatem idem Salvator apostolo suo Petro contulerit in cœlo et in terra, lucidissime nobis idem venerabilis pater edixit, dum fidelem eum in sua interrogatione inveniens dixit : « Tu es Petrus et super hanc petram edificabo ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni celorum, et quodcunque ligaveris super terram erit ligatum et in celis, et quodcunque solveris super terram erit solutum et in celis. » Mirum hoc est valde et gloriosum in terra ligare et solvere, et in celo ligatum et solutum esse. Et dum hæc prædicante beatissimo Silvestro agnoscerem et beneficiis ipsius beati Petri integre me sanitati corporis restitutum, utile judicavimus una cum omnibus nostris satrapis et universo senatu et cuncto populo Romanæ gloriæ et imperio subjacente, ut sicut in terris vicarius filii Domini videtur esse constitutus, ita etiam et pontifices qui ipsius principis apostolorum vices gerunt, principatus potestatem amplius quam terrena nostræ imperialis mansuetudo serenitatis habere videtur, concessam a nobis nostroque imperio obtineant, eligentes nobis ipsum principem apostolorum vel ejus vicarios firmos apud Deum esse patronos. Et sicut est nostra terrena imperialis potentia ejus sacrosanctam Romanam ecclesiam decrevimus honorare et amplius quam nostrum imperium et terrenum regnum sedem sacratissimam beati Petri gloriose exaltare, tribuentes ei potestatem et gloriæ dignitatem atque vigorem et honorificentiam imperialem, atque decernentes sancimus, ut principatum optineat tam super 4 precipuas sedes, Antiochenam, Alexandrinam, Constantinopolitanam

et Jerosolimitanam, quamque eciam super omnes universo orbe terrarum Dei ecclesias. Et pontifex qui pro tempore ipsius sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ extiterit, celsior et princeps cunctis sacerdotibus totius mundi existat, et ejus judicio quæque ad cultum Dei et fidei christianorum stabilitatem procuranda fuerint, disponantur (fol. 22). Justum quippe est ut ibi lex sancta caput teneat principatus, ubi sanctarum legum institutor Salvator noster beatum Petrum apostolum apostolatus optinere precepit cathedram, ubi et crucis patibulum sustinens beatæ mortis sumpsit poculum, suique magistri et domini imitator apparuit ; et ibi gentes pro confessione Christi nominis colla flectant, ubi earum doctor Paulus extenso collo pro Christo martyrio est coronatus ; illic usque in finem querant doctorem, ubi sanctum quiescit doctoris corpus ; et ibi proni et humiliati celestis regis domini salvatoris nostri Jesu Christi famulentur officio, ubi superbi terreni regis serviebant. Interea nosse volumus omnem populum universarum gentium et nationum per totum orbem terrarum, construxisse nos intra palatium nostrum Lateranense eidem salvatori nostro domino Deo Jesu Christo ecclesiam a fundamentis, et 12 nos sciatis de ejus fundamentis secundum numerum 12 apostolorum cophinos terræ onustos propriis asportasse humeris ; quam sacrosanctam ecclesiam caput et verticem omnium ecclesiarum in universo orbe terrarum dici, coli et venerari et predicari sancimus, sicut per alia nostra imperialia decreta statuimus. Construximus etiam ecclesias beatorum Petri et Pauli principum apostolorum, quas auro et argento locupletavimus, ubi et sacratissima eorum corpora cum magno honore recondentes, thecas ipsorum ex electro, cui nulla fortitudo elementorum prevalet, construentes; crucem ex auro purissimo et gemmis preciosis per singulas eorum thecas posuimus, et clavis aureis confiximus, quibus pro concinnatione luminarium prædia contulimus et rebus diversis eas ditavimus, et per nostram imperialium jussionem sacram tam in oriente et occidente quam in septentrionali et meridionali plaga, videlicet in Judæa, Grecia, Asia, Tracia, Africa, Italia vel diversis insulis, nostram largitatem eis concessimus, ea prorsus ratione ut per manus beatissimi patris nostri Silvestri pontificis successorumque ejus omnia disponantur. Gaudeat itaque una nobiscum omnis populus et gentium nationes in universo orbe terrarum, quos exortamus omnes ut Deo et salvatori nostro Jesu Christo immensas una nobiscum gratias referatis, quoniam ipse Deus in celis desuper et in terra deorsum; qui nos per suos sanctos apostolos visitans sanctum baptismatis sacramentum percipere jussit, et corporis sanitate dignos effecit (fol. 22'). Pro qua concedimus ipsis sanctis apostolis dominis meis, et per eos etiam beato Silvestro patri nostro summo pontifici et universali urbis Romæ papæ, et omnibus ejus successoribus pontificibus qui usque in fine mundi in sede beati Petri erunt sessuri, atque de presenti contradimus palatium nostrum Lateranense, quod omnibus in toto orbe terrarum prefertur atque eminet palatiis; deinde diadema, videlicet coronam capitis nostri, simulque frigium nec non et superumerale, videlicet lorum quo imperiale assolet circundari collum, verum et clamidem purpuream atque tunicam coccineam et omnia imperialia indumenta et omnem processionem imperialis culminis seu et dignitatem imperialium presidentium equitum; conferentes etiam et imperialia sceptra, simul conta atque signa blanda et omnia diversa ornamenta imperialia et gloriam nostræ potestatis. Viros etiam reverentissimos clericos diversi ordinis eidem sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ servientes illud culmen, singularitatem, potentiam et præcellentiam habere sancimus, cujus amplissimus noster senatus videtur gloria adornari, id est patricios atque consules effici, nec non et ceteris dignitatibus imperialibus eos promulgantes decorari. Et sicut ornatur imperialis milicia, ita et clerum sanctæ Romanæ ecclesiæ ornari decernimus, et quemadmodum imperialia officia diversa cubiculariorum ostiariorum et omnium excubitorum ornantur, ita et sanctam Romanam ecclesiam decoravi volumus et ut amplissime pontificali decore præfulgeat. Decernimus et hoc clericis ejusdem sanctæ Romanæ ecclesiæ, ex linteaminibus candidissimo decore eorum decorari equos et ita equitare, et sicut noster senatus calciamentis utitur cum udonibus, id est candido lintcamine, illustrari; ut sicut celestia ita et terrena decorentur. Præ omnibus autem licentiam tribuentes ipsi sanctissimo patri nostro Silvestro, urbis Romæ episcopo et papæ, et omnibus qui post eum in successum perpetuis temporibus advenerint beatissimis pontificibus, pro honore et gloria Christi domini nostri in eadem magna Dei catholica et apostolica ecclesia ex nostris inclitis, quem placatus proprio consilio clericare voluerit et in numero religiosorum clericorum dinumerare, nullo ex omnibus presumente superbe agere. Decrevimus itaque et hoc ut idem venerabilis pater noster Silvester summus pontifex vel omnes ejus successores diadema, videlicet coronam ex capite nostro, quod illi concessimus, ex auro purissimo et gemmis preciosis uti debeant et in suo capite ad laudem Dei pro honore beati Petri gestare (fol. 23). Ipse vero beatus papa supra coronam clericatus, quam gerit ad gloriam beati Petri, omnino ipsa ex auro non est passus uti corona. Frigium vero candido nitore splendidum resurrectionem dominicam designans, ejus sacratissimo vertici manibus nostris imposuimus : statuentes eodem frigio omnes ejus successores singulariter uti in processionibus ad imitationem imperii nostri. Unde ut non vilescat pontificalis apex, sed magis amplius quam terreni imperii dignitas et gloriæ potentia decoretur, ecce tam palatium nostrum ut prælatum est, quamque Romæ urbis et omnes Italiæ seu occidentalium regionum provincias loca et civitates sepefato beatissimo pon-

tifici universali papæ patri nostro Silvestro contradentes atque relinquentes ejus vel successorum ejus pontificum potestati et ditioni, firma imperiali censura per hanc nostram divinalem sacram et pragmaticum constitutum decernimus disponendum, atque sub jure sanctæ Romanæ ecclesiæ concedimus permanendum. Unde congruum perspeximus nostrum imperium et regni potestatem orientalibus transferri et transmutari regionibus et in Bizantiæ provinciæ in optimo loco nomini nostro civitatem edificari et nostrum illic constitui imperium, quum ubi principatus sacerdotum et christianæ religionis caput ab imperatore celesti constitutum est, justum non est ut illic imperator terrenus habeat potestatem. Hæc vero omnia quæ per hanc nostram imperialem sacram et per alia divinalia decreta statuimus atque confirmamus, usque in finem mundi illibata et inconcussa permanenda decernimus. Unde coram Deo vivo qui nos regnare præcepit et coram ejus terribili judicio obtestamur per hoc nostrum imperiale constitutum omnes successores nostros imperatores et cunctos optimates satrapas et amplissimum senatum et universum populum in toto orbe terrarum nunc et in posterum cunctis retro temporibus imperio nostro subjacentem, nulli eorum quoquo modo licere hæc quæ a nobis imperiali sanctione sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ vel omnibus ejus pontificibus concessa sunt refragari aut confringere vel in quoquam convellere. Si quis autem, quod non credimus, in hoc temerator aut contemptor extiterit, eternis dampnationibus subjaceat innodatus, et sanctos Dei principes apostolorum Petri et Pauli sibi in presenti et in vita futura sentiat contrarios, et in inferno inferiori concrematus, cum diabolo et omnibus impiis deficiat (fol. 23'). Hujus vero imperialis nostri decreti paginam propriis manibus roborantes, super venerabile corpus beati Petri apostolorum principis posuimus, ibique eidem Dei apostolo spopondimus nos cuncta inviolabiliter custodire; et nostris successoribus imperatoribus in mandatis relinquimus, et beatissimo patri nostro Silvestro ejusque per eum eunctis successoribus, domino Deo et salvatore nostro Jesu Christo annuente, tradimus perenniter atque feliciter possidenda. Amen. Divinitas vos conservet per multos annos, sanctissimi et beatissimi patres. Datum Roma sub die 3. Kalendarum Aprilium, domino nostro Flavio Augusto quater et Gallicano viris clarissimis consulibus. » Ambrosius [69] in libro de obitu Theodosii, Constantino hoc in ultimis constituto baptismatis gratia omnia peccata dimiserit, tamen quod primus imperatorum credidit, et post se hereditatem fidei principibus dereliquit, magni meriti locum repperit.

[Ado] Anno [70] post inc. Dom. 625. 6. synodus apud Arelatenses 600 patrum, Marino ejus urbis episcopo, Claudio Viennensi.

Nono igitur anno postquam Constantinus fidem Christi suscepit, pestilens morbus Arrii in toto orbe diffusus est, a quo Arriana heresis [Hieron.]. Ad cujus perfidiam destruendam apud urbem Nicæam ab Alexandro I. 35°, anno ab inc. Dom. 319 [71], 318 episcopi congregati sunt, preceptione papæ Silvestri, ubi et ipse rex interfuit et hereticorum machinas omousii oppositione deleverunt (*Gesta p. R.*). Congregavit [72] etiam Silvester papa in urbe Roma concilium cum consilio augusti 13. Kal. Julii 267 episcopos, et dampnavit iterum Calixtum, Arrium, Fotinum et Sabellium, et constituit ut presbyterum Arrianum resipiscentem non susciperent nisi episcopus loci designaret et crisma ab episcopo confici, et ut episcopi baptizatum consignent propter hereticos, et ut baptizatum puerum presbyter crismate liniat propter occasionem mortis, et ut nullus laicus crimen clerico audeat inferre. Hic sepultus est in cimiterio Priscillæ pridie Kal. Januarii vere catholicus et confessor; et cessavit episcopatus diebus 13 [Hieron.]. Moritur Constantinus anno ætatis suæ 65, imperii 30.

Anno vero ab inc. Dom. 341. Constantius cum Constantino et Constante fratribus regnaverunt a. 23, m. 5, d. 13.

Anno ab inc. Dom. 338. præfuit Romanæ ecclesiæ Marcus, natione Romanus, patre Prisco annis 2, m. 7, d. 20. Obiit 6. Non. Octobr.; c. e. d. 21 (*Gesta p. R.*). Cui successit Julius Romanus, patre Rustico, a. 15, m. 2, d. 7. Obiit 2. Idus Aprilis; c. e. d. 26. Anno regni Constantii 13. [Hieron.] Constans interficitur, post quem Constantius solus optinuit imperium. Eodem anno Romanæ ecclesiæ pontificatum suscepit Liberius, sedit a. 6, m. 3, d. 4 (*Gesta p. R.*). Dehinc impietas Arriana Constantii fulta presidio exiliis, carceribus et variis afflictionum modis primo Athanasium, deinde omnes non suæ partis episcopos persequuta est [Hieron.]. Athanasius toto orbe fugiens a Maximino Trevirense suscipitur (*Gesta p. R.*). Liberius papa primo a Constantio pro fidei confessione exilio relegatus. Hoc fuit anno 3, et substituitur cum ejus consilio Felix vir catholicus et Arrianæ hereseos adversarius. Hic fecit concilium 48 episcoporum, et dejecit Ursacium et Valentem presbyteros communicantes Constantio. Quem postea Valens et Ursatius, favente eis eodem Constantio augusto Arriano, dejecerunt facto concilio cum hereticis, et Liberium ab ipsis depravatum et ad errorem suum conversum, Limenio et Catulino consulibus, de exilio Romam revocaverunt, et [73] facta est persequutio in clero, ita ut multi martyrio coronarentur. Felix vero episcopus habitavit in prædio suo, ubi et in pace quievit 4. Kal. Aug. Li-

VARIÆ LECTIONES.

[69] Ambrosius — repperit *in marg.* [70] Anno — Viennense *in marg.* [71] CCCXXIIII *corr.* CCCXVIII *c.* [72] Congregavit — diebus 15. *in marg.* [73] et — Felix *in marg.*

berius itaque consentiens Constantio augusto Arriano, non tantum rebaptizatus est, sed assensum ei præbuit, et postea præfuit in parte annis 7. Omnes anni feliciter in ordine Liberii numerantur. Post Liberium cessavit episcopatus diebus 6. Successit Felix, natione Romanus, patre Anastasio; sedit a. 1, m. 3, d. 2. Hic declaravit Constantium augustum hereticum et rebaptizatum ab Eusebio Nichomediense in villa Aquilone juxta Nichomediam, et pro hoc capite truncatur 3. Idus Novembr., et cessavit episcopatus diebus 38. Sepultus est 17. Kal. Decembr.

Constantius Gallum cæsarem nepotem suum interfecit [Hieron.]. Dehinc Julianum cæsarem fecit, et in Gallias direxit. Eusebius Vercellensis, Dionysius Mediolanensis, et Lucifer Caralitanus insignes habentur. [Prosper] Paulinus Trevirensis in Frigia exulans moritur, Constantio novies et Juliano 2. consulibus. Lucifer [74] Caralitanus dum rigorem justitiæ erga lapsos non relaxat, a suorum communione descivit [75].

Priscillianus Galliciensis episcopus heresim sui nominis condidit Gratiano 6. et Theodosio consulibus. Priscillianus in synodo Burdigalensi dampnandum se intelligens ad Maximum imperatorem fugit, ab Evodio prefecto pretorii gladio addictus est. Itacius et Ursatius episcopi Priscilliani accusatores ob necem ejus communione privantur, Archadio 2. et Rufino consulibus [Ado]. Florebat tunc tempore Nectarius Viennensis episcopus.

[Hieron.] Hylarius Pictavensis cum apud Constantinopolim librum pro se Constantio porrexisset, de exilio Gallias rediit, omnesque pene totius orbis ecclesiæ sub nomine pacis regis et Arrianorum consortio polluuntur.

(fol. 24) Constantius a. 20. regni sui Romam ingreditur, et 22. anno synodus apud Ariminum, deinde apud Mediolanum facta est, in qua antiqua 318 episcoporum fides recitata est. Dehinc omnium episcoporum auctoritate heresis Arriana dampnata est. Moritur Constantius anno ætatis suæ 45 [Rec.]. Post quem Julianus 35us ab Augusto regnavit a. 2, m. 8. His [76] adde 6 qui remanserunt, fit ann.... remanent 2 m., d. 28 [Hieron.]. Magnentio apud Augustodunum arripiente imperium. Constans haut longe ab Hispania in castro Helena interficitur, ob quam rem conturbata republica Veteranio Misæ, Nepotianus Romæ imperator factus est, Sergio et Nigriano consulibus [Hieron.]. Nepotiani caput pilo Pisæ urbem circumlatum, Vetranioni apud Naysum regium insigne detractum. Magnentius Misæ superatus est post consulatum Sergii et Nigriani. Magnentius Lugduni in palatio se interfecit. Decentius frater ejus, quem ad tuendas Gallias cæsarem fecerat, Senonas laqueo vitam finivit. Hic ad idolorum cultum conversus christianos persequitur. Primo ejus anno beatus Martinus miliciam deserens, a beato Hilario baptizatus, factus est Christi miles egregius. Juliani blanda fuit persequutio, illiciens magis quam impellens, et multi voluntate propria corruerunt. Julianus ergo in Persas profectus post victoriam a contrariis hostibus separatus, a quodam de suis conto ilia perfossus interiit. Post quem sequenti die Jovinianus christianorum imperator efficitur, quem Julianus apostata milicia privaverat, quia idolis sacrificare noluisset [Beda]. Hic Athanasium revocavit. Læta ejus et honesta principia mors immatura corrupit, moritur 8. imperii mense.

Anno ab incarnatione Domini 367. Valentinianus successit Joviniano cum fratre Valente. Valens ab Eudoxio Nichomediæ episcopo Arriano rebaptizatus christianos persequitur; regnavit annis undecim [Ado]. Hylarius [77] Pictavensis et Nectareus Viennensis moriuntur [Beda]. Gratianus, Valentiniani filius, tercio Valentiniani et Valentis anno Ambianis imperator efficitur [Hieron.]. Athanaricus, rex Gothorum, christianos persequitur et multos interficit, reliquos sedibus propriis pulsos ad solum Romanum expellit. Anno Valentiniani et Valentis 3. Damasus post Felicem, patre Antonio, Romanæ ecclesiæ pontificatum suscepit anno ab inc. Dom. 379 (*Gesta p. R.*). Et cum eodem ordinatus est Ursinus, et facto concilio constitutus est Damasus in sede apostolica, et Ursinus factus est Neapolim episcopus. Sedit a. 18, m. 2, d. 6. Hunc Concordius et Addiscus vel Calistus diacones invidiose de adulterii crimine accusaverunt, quo tamen se purgante in synodo 244 episcoporum, ipsi dampnati et de ecclesia projecti laqueum quem intenderant incurrerunt. Hujus rogatu Hieronymus plurimum in Dei desudante servicio constituit ut psalmi die noctuque in ecclesia canerentur. Et quia indifferenter canebantur ex præcepto ipsius Damasi, hoc beatus Hieronymus sic divisit, ut in fine psalmi Gloria Patri, Filio et Spiritui sancto ab omnibus diceretur, addiditque postea sicut erat in principio et reliqua, ad confutanda utique Arrianæ hereseos crementa nefandissima. Sexto [78] decimo anno presulatus Damasi, anno 5 Gratiani et Valentiniani, secunda synodus Constantinopolitana. Obiit Damasus papa pridie Idus Decembr., et cessavit episcopatus dies 31 (*ib.*).

Temporibus igitur Tyberii cæsaris gens quædam egressa ab insula Scandinavia super Renum consedit (*Vita* S. Sigismundi). Et tempore Valentiniani ad Renum usque descendentes, castra quæ ibi posuerunt burgas [79] vocaverunt, et ob id acceperunt nomen Burgundiones [Fredec.], qui antea nec nominabantur, ibique nihil aliud presumebant nisi quantum

VARIÆ LECTIONES.

[74] Lucifer — Viennensis episcopus *in marg.* [75] descivit *corr.* deseruit *c.* [76] His — finivit *in marg.* [77] Hylarius — d. 6 *in marg.* [78] Sexto — dies 31. *in marg.* [79] burgus *corr.* burgas *c.*

precio ementes a Germanis stipendia accipiebant. Ubi cum duobus annis resedissent, per legatos invitati a Romanis et Gallis qui in Lugdunensium provincia Cisalpina Gallia comata residebant (fol. 24'), ut tributa rei publicæ renuere possent, ibi cum uxoribus et liberis jussi sunt residere (*Vita* Sigism.), et ibi remanserunt levato super se rege Gundiocho, qui fuit genere Athanarici persequutoris regis Gothorum (Cfr., *Vita* S. Chrothildis). Valentinianus 11. anno regni sui in Britannia oppressus [80] est, vomitu sanguinis extinctus est [Hieron.]. Successit Valens cum Gratiano et Valentiniano, filiis fratris sui, regnavit [81] annis 4, qui et legem dat ut monachi militarent, nolentes jussit interfici. Justina [82] autem, superioris Valentiniani uxor, Valentinianum puerum ad heresim Arrianorum declinare persuasit, erat enim et ipsa Arriana. Preceptis ergo imperatoriis, Arrianis traduntur ecclesiæ, et in Mediolanensi ecclesia [83] Auxentius promovetur hereticus. Post cujus seram mortem Ambrosio episcopo divino nutu constituto, cum in eum regia desevirent mandata, et una quo Arriani convenirent peteretur basilica nec impetraretur, populusque civitatis observaret Ambrosium, ne vi raptus ab ecclesia exilio relegaretur, sermonem habuit, quem de tradendis basilicis contra Auxentium prætitulavit, quem quia his nostris temporibus congruere scimus, huic opusculo adnectere curabimus (38). Tanta enim beatus Ambrosius, cum undique Justinæ Arrianæ reginæ et regis appeteretur insidiis, in ecclesia Dei laboravit et desudavit industria, ut per eum ad ultimum rectæ fidei tota subderetur Italia, Gens igitur Hunorum diu inaccessis reclusa montibus [Oros], repentina rabie percita exarsit in Gothos, eosque sparsim conturbatos ab antiquis sedibus pellit. Gothi vero, transito Danubio fugientes, a Valente sine armorum depositione sunt susceptі [Beda]. Moxque per avariciam Maximi ducis fame ad rebellandum coacti, funduntur in Tracia, victoque Valentis exercitu simul omnia cædibus, incendiis rapinisque fuderunt [Hieron.]. Ipse imperator, suis usque ad internecionem cesis, cum sagitta saucius fugeret, et dolore nimio sepe equo laberetur, ad proximæ villulæ casellulam deportatus est [Beda]. Quo insequentibus barbaris, incensa domo, sepultura caruit, eundem habens locum et mortis et sepulcri, a. Dom. 377. — Gratianus autem cum fratre Valentiniano regnavit annis 6, a quo Theodosius electus in imperium, maximas illas Scithicas gentes, id est Alemannos, Hunos, Gothos, magnis multisque præliis fudit. Cujus virtutem et concordiam non ferentes Arriani, post 40 annos ecclesias, quas vi tenuerant, reliquerunt.

[Ado] Quo [84] tempore Viennensem ecclesiam regebat Niceta, vir præclarissimus, et Justus Lugdunensem. Hic sub Paschasio nutritus et Claudii episcopi diaconus ad Lugdunensem ecclesiam regendam translatus est. Synodus 150 patrum congregatur in urbe regia sub Damaso papa et Gratiano principe contra Macedonium et Eudoxium. [Idat.] Inter Romanos et Gothos plura certamina conseruntur.

[Prosper] Anno 3. regni Theodosii Athanaricus rex Gotthorum se Theodosio tradit, et Constantinopolim veniens, magno a principe honore donatus, 15. die interiit, et Alaricus successit, Merabaudo et Saturnino consulibus. [Idat.] Undecimo anno regni sui Romam ingressus cum filio Honorio, leges Romanorum integra emendatione correxit. [Beda] Maximus, vir strenuus et augusto dignus, nisi contra sacramenti fidem per tyrannidem emersisset [85], eodem anno in Brittania invitus ab exercitu imperator creatus, in Galliam transiit, ibique Gratianum augustum dolis circumventum Lugduni interfecit. Unde [86] Jheronimus : « Cruentæ ait manus vestigia parietes tui Lugdune [87] testantur (*ep.* 60). » Fratremque ejus Valentinianum Italia expulit, et Victorem filium suum instituit, qui eodem anno quo Maximus occisus est ab Arbogaste. [Beda ; Prosper].

Hunc [88] ergo Maximum Ambrosius a communionis consortio segregavit, ammonens ut effusi sanguinis domini sui et quod est gravius innocentis penitentiam ageret. Sed cum ille penitentiam declinat superbus spiritu, non solum futuram sed et presentem salutem amisit. Contra quem Theodosius pugnavit, et eo interfecto, Valentinianum regno restituit [Oros.], peractis a conditione mundi 5690 annis, qui apud Viennam anno sequenti scelere Arbogastis comitis interfectus est (Idat. *Ep.* 60). Et de hoc Jheronimus : « Adolescens, inquit, Valentinianus pene puer post fugam, post exilia, post recuperatum multo sanguine imperium, haut procul ab urbe fraternæ [89] mortis conscia necatus est, et cadaver exanime infamatum suspendio [Beda]. » Annis 11 Theodosius, viventibus Gratiano et Valentiniano, Orientem rexit, post mortem eorum 6 annis regnavit. Ipsum [90] quoque prefatus admirabilis doctor Ambrosius ab ingressu ecclesiæ et a communione sacramentorum pro quibusdam excessibus prohibuit ; quod ita clementissimus imperator gratanti animo suscepit ut publicam penitentiam non aborreret. Interfecto autem Valentiniano augustæ memoriæ in annis juvenilibus, Eugenius suscepit imperium, qui quia de repetenda ara Victoriæ se sacrilegio miscuit, Ambrosius munera ejus sprevit et ab

VARIÆ LECTIONES

[80] o. e. *in marg.* [81] r. a. 4. *in marg*, [82] Justina — Italia *in marg.* [83] ecclesiæ *c.* [84] Quo — translatus est *in marg.* [85] eversisset *c.* [86] Unde — testantur *in marg.* [87] Lugduno *c.* [88] Hunc — amisit *in marg.* [89] Frnæ *c.* [90] Ipsum —interfectus *in marg*

NOTÆ.

(58) Ambrosii epistola 21 ad Valentinianum. Sermo contra Auxentium II, 863.

ecclesia eum et complices ejus abjecit, neque postea faciem ejus vidit [IDAT.]. Qui cum suis omnibus a Theodosio est interfectus. Defunctus est Theodosius Mediolani 17. anno regni sui.

Anno ab inc. Dom. 397. Siricius papa a Petro 40, patre Tyburtio, sedit annis 15 (*Gesta p. R.*). Hic precepit penitentibus in ultimo viaticum non negari. Obiit 8. Kal. Mai, et cessavit episcopatus diebus 20 (fol. 25). Cui post dies 90 successit Anastasius Romanus, patre Maximo. Hic constituit ut quotiescunque evangelium recitatur, sacerdotes non sedeant, sed stent curvi. De hoc Jheronimus in epistola ad principia ita loquitur [HIERON. *ep.* 127.]: « Non multum tempus in medio successit in pontificatu vir insignis Anastasius, quem diu Roma habere non meruit, ne orbis caput sub tali episcopo truncaretur; immo idcirco raptus atque translatus est, ne simulatam sententiam precibus suis flectere conaretur, » aperte insinuans raptum eum ante irruptionem Urbis factam sub Alarico [PROSPER]. Imperabat tunc Archadius cum fratre Honorio; cujus anno 7. facta est revelatio prothomartiris Stephani 5. Kalendar. Decembr., et 11. ejus anno obiit S. Martinus 3. Idus Nov. feria 1, luna 15, anno ætatis suæ 71, episcopatus 23 (*ib.*). Regnavit Archadius annis 13; cui Honorius successit cum Theodosio minore; cujus tempore, anno ab inc. Dom. 433, 6to Celestini papæ anno, tertia synodus Ephesina 200 patrum contra Nestorium regiæ urbis episcopum; et peractis tricennalibus suis obiit [IDAT.], et Theodosius cum Valentiniano successit. Ante 4. consulatus Theodosii annum Roma ab Alarico capitur [PROSPER]. Anno 7. regni Theodosii Aetius dux utriusque miliciæ patricius appellatur, qui et Burgundiones, qui rebellabant Romanis, perdomuit [IDAT.], cæsis 20 milibus de eorum exercitu, et Gothorum qui eis auxilium præbebant 7 milibus [JORD.]. Wandalorum gens de vagina suæ habitationis egressa Gallias invasit.

Post Innocentium Romanæ ecclesiæ sedit Zosimus Grecus, patre Ebranno, a. 3, m. 3, d. 26. (*Gesta p. R.*). Obiit 8. Kal. Jan.; c. e. d. 11; et post eum Bonefacius Romanus, patre Jocundio presbitero, a. 3, m. 8, d. 7. Obiit 8. Kal. Oct.; c. e. d. 9. Hic sub contentione ordinatur cum Eulalio, et fuit dissensio in clero. Quamobrem Honorius imperator et augusta Placidia cum filio Valentiniano Bonefacium assenserunt esse episcopum Urbis, Eulalium miserunt foras in Campaniam. Post quem a. Dom. 428. Celestinus Romanus, patre Prisco, a. 8, m. 10, d. 17 [IDAT.]. Obiit 8. Idus Aprilis; c. e. d. 20. Honorius [91] Constantium patricium apud Ravennam consortem fecit imperii, qui et Placidiam uxorem duxit sororem ejus, ex qua genuit Valentinianum. Anastasius papa obiit 5. Kalend. Mai, et cess. e. d. 21 (*Gesta p. R.*). Successit Innocentius Albanus, patre Innocentio; sedit a. 15, m. 2, d. 21. Obiit 5. Kal. Augusti; cessavit episcopatus d. 22. Ab hoc ordinatus mittitur ad Scottos in Christum credentes Palladius primus episcopus, anno ab inc. Dom. 431, anno imperii Theodosii junioris 8.

Eudoxia Theodosii principis uxor Hierosolymam profecta [BEDA] catenam, qua Petrus apostolus a Nerone vinctus fuit in carcere, a quodam Judæo suscepit et Romam cum multis aliis reliquiis attulit. Theodosius anno imperii sui 27. obiit, cui eodem anno Marcianus successit [92], et sumpta in conjugium sorore Theodosii regnat in partibus Orientis annis 7 [IDAT.]. Valentinianus et Placidia Romæ morantur, vixque suos fines ab incursione barbarorum gentium defendere et tueri prævalent. Temporibus [93] Valentiniani et Placidiæ matris ejus viguit S. Germanus Autissiodorensis temporibus Zosimi et Bonefacii, Celestini papæ et Xisti, Hilarii Arelatensis, presidente Lugdunensi ecclesia post Senatorem Eucherio pontifice, Ysichio Viennensi, et post eum Claudiano [PROSPER]. Theodosio 13. et Valentiniano 2. consulibus Germanus Britanniam ivit. Gaysericus enim rex Wandalorum Siciliam vastavit, et terras omnes ad jus imperii pertinentes; nec potuit Valentinianus ab insectatione barbarorum terram suam defendere (*Gesta p. R.*). Post Celestinum sedit Romæ Xystus papa Romanus, patre Xysto, a. 8, d. 14. Hic post annum et menses 8 incriminatur a quodam Basso. Quod audiens Valentinianus augustus, jussit concilium congregari, et facto conventu purgatur a 56 episcopis, et condempnatur Bassus a synodo, ita tamen ut ultimo die ei viaticum non negaretur intuitu humanitatis et misericordiæ [PROSPER]. Ælio [94] et Valerio consulibus Xistus papa ordinatur totius orbis pace et consensu mirabile. Quo defuncto 40 diebus et amplius Romana ecclesia sine pastore fuit, mirabili pace et patientia presentiam diaconi Leonis expectans, quem tunc Galliæ detinebant componentem pacem inter Etium et Albinum, quasi ideo abductus esset, ut electi meritum et eligentium judicium probaretur (*Gesta p. R.*). Valentinianus autem augustus cum Placidia matre augusta furore commoti Bassum proscriptione condempnaverunt, et omnia prædia facultatesque ejus ecclesiæ tradiderunt. Nutu vero divinitatis intra 3 menses moritur Bassus, cujus corpus Xystus papa cum linteaminibus et aromatibus tractans et recondens, sepelivit ad S. Petrum in cubiculo parentum ejus (fol. 25'). Hujus supplicationibus Valentinianus augustus cum matre Placidia multa ornamenta optulit ad confessionem beati Petri, et semper Romanam ecclesiam provexit et extulit.

Anno ab inc. Dom. 445. successit Leo Tuscus, patre Quintiano. Sedit a. 21, m. 1, d. 28. Hic

VARIÆ LECTIONES.

[91] Honorius — d. 22. *in marg.* [92] a. D. 449. *in marg.* [93] Temporibus — ivit *in marg.* [94] Ælio — probaretur *in marg.*

deprehendit duas hereses, et ob id misit ad fidelem principem Marcianum, et facta collacione cum eodem principe, convocati sunt episcopi secundo regni ejus anno, qui erat ab inc. Dom. 452, et factum est concilium in urbe Calcedona, et congregati sunt 256 sacerdotes et aliorum quorum cucurrit cyrographus 354, qui simul juncti fiunt 600 sacerdotes cum papæ Leonis cyrographo et Martiano augusto, et exposuerunt fidem catholicam, et apostolicam duas naturas in Chriso, Dei simul et hominis. In quo loco piissimus princeps una cum uxore Pulcheria deposita regia majestate fidem suam exposuerunt ante conspectum sacerdotum, et eam proprio cyrographo exponentes, postulaverunt sanctum concilium ut dirigeretur ad beatissimum papam Leonem. Ibi dampnati sunt Euthices, Nestorius et Dioscorus heretici. Hic beatus Leo misit multas epistolas de fide ad Martianum, ad Leonem augustum, ad Flavianum episcopum, quæ habentur in archivis Romanæ ecclesiæ [Ado]. Tempore [95] Marciani et Valentiniani Ysichius Viennensis episcopus claruit post Mamercum, qui rogationes instituit, et diebus Ysichii Severus presbyter de India Viennam venit. Et Eucherius Lugdunensis clarus habetur.

Igitur de vita et virtutibus beati patris nostri Pulchronii pauca loquuturi, superiora pertractemus, et quam gravia quamque periculosa sacerdotis ejus tempora fuerint, in ejus laude ad ædificationem audientium breviter indagemus. Utque plenius illucescat rei veritas, dicamus ex historia Italorum Getarum et Romanorum seu etiam Wandalorum et Suevorum, quid de his temporibus recenseat antiquitas, quid Jheronimus in suis epistolis, quid postremo gentes et regna suis attestentur periculis et calamitatum miseriis.

Sub Constantino enim principe qui monarchiam imperii solus optinuit et citra ullum hominum statuit templa paganorum claudi, ecclesia Dei jamdudum optata libertate potita dilatari cepit et crescere ; sed dum nimis sibi aggaudet in felicitate, germen viciorum luxuriantium nimis in se neglexit extirpare. Arrii [96] namque perfidia statum pacis ecclesiasticæ perturbavit et ipsa perturbatione ita gratiam communionis catholicæ pessumdedit, ut sub Constantio Constantini filio, dum per singula serperet, Arrianum se fere totus miraretur orbis. Sequuta sunt pestem illam, ut matrem, omnium genera criminum, quæ ita universos propemodum infecerunt, ut periculosiora tempora nemo viderit mortalium. Verum quia Deo nusquam abest eruditionis causa, nusquam emendationis nostræ solicitudo discedit, diversa diversis temporibus et causis remedia providet, quibus alteraretur maliciæ seminarium et eliminaretur (fol. 30). Ad hoc enim evellendum ex eadem massa iniquitatis, Arrianæ sevitiæ præparavit tribulam, principes scilicet et pontifices Arriano cœno sordentes per quos ecclesiam suam sub præfato Constantio, Juliano et Valente persequutionibus crescere et dilatari, melius ei esse quam in pace luxuriari edocuit. Hinc paterno affectu filiis sub verbere ingemiscentibus, et auxilium de tribulatione poscentibus, pie misertus, sub Theodosio principe flagella temperavit, quando ejus principis virtutem non ferentes Arriani, ecclesias quas per quadraginta annos vi tenuerant, reliquerunt. Quo respectu divinæ pietatis exhilaratus populus christianus, dum rursus plus æquo nocivæ indulgeret quieti, et ex habundanti et supereffluenti rerum copia propensius curat corpora, securitate deceptus est, et excusso a cervicibus suis jugo timoris dominici, præceps ferebatur ad scelera, devia quæque sectabatur et lubrica, rectoreque contempto in sordibus volutabatur luxuriæ, nec timuit, distentus saturitate et torpens ocio, inmergi cenulenta voragine horribilis et detestandæ sodomiticæ inmundiciæ. Vidit Deus et doluit, et ad iracundiam concitatus est, exarsit ut ignis ira ejus, quia provocaverunt eum quondam filii sui et filiæ, nunc autem domus irritatricis et exasperatricis Samariæ. Regebat per id temporis Romanam ecclesiam Innocentius, et per urbes Galliæ et Germaniæ pontifices amore Christi ferventes, fide, doctrina et miraculis præcipui, præerant æcclesiis. Perpaucæ tamen erant quibus episcopi præessent, multæ enim pastoribus vacabant (*Vita* Antid.). Remorum metropolim sanctus regebat Nicasius ; Linguonum urbi sanctus præerat Desiderius; Crisopolitanam sedem fide et magnanimitate cum bonorum operum exercitio sanctus adornabat Antidius, et plures erant alii, ex tunc et nunc lucernæ lucentes in domo Domini. Hii igitur licet assiduis monitionibus oves sibi creditas suaderent a via Dei non recedere, populus tamen retroactis temporibus faciente Arriana perfidia sine duce, sine rectore, absque moderatore [97] per se inmatura potitus libertate, etsi verba Dei audiebat, divitiis et voluptatibus sæculi ut spinis suffocatus, fructus bonorum operum afferre fastidiebat. Unde et iratus Dominus omnem Galliam et pene totum Occidentem Wandalorum, Alanorum, Suevorum, Sarmatorum et Hunorum tradidit gladio feriendam [98]. Sed [99] querit hic fortasse aliquis, unde hæc orta fuerit, vel unde nomen traxerunt ? [Isidor. Et. IX, 2.] Wandelicus quoque amnis est ab extremis finibus Galliæ erumpens, juxta quam eos habitasse et ex Wandalo fluvio sic dictum fuisse certissimum est. Lanius vero fluvius est ultra Danubium ab Alano dictus, sicut et Lemannus dictus ab Alemanno. Suevi vero dicti sunt a monte Suevo qui ab ortu initium Germaniæ facit, cujus loca incoluerunt; quorum fuisse centum pagos et centum populos multi prodiderunt. Est autem Genua pars Ger-

VARIÆ LECTIONES.

[95] Tempore — habetur *in marg.* [96] Arrii — evellendum *in marg.* [97] moratore *c.* [98] *hic plurima erasa.* [99] *hæc* — confuderunt *in margine fol.* 30 *et* 30'.

maniæ. Germania vero gentes plurimas habuit ferocis animi et semper indomiti, varias amictu [100], discolores armis, linguis dissonas, origine vocabulorum incertas, ut Tolosates, Ansivari, Quadimgi, Marcomanni, Bruteri, Camasi, Blangiani, Tubantes, quorum immanitas barbaric in ipsis eciam vocabulis horrorem quendam significat [Oros.]. Juxta Orosium autorem in Germania, ubi Suevi habitant, sunt gentes 54. Europa habet ab oriente Alaniam unde Alani; in medio Daciam, unde Dani; ubi et Gothia, inde Gothi; deinde Germaniam [Paul. *Diac.*]. Ab hac ergo populosa Germania, ut in Historia Italorum scriptum repperitur libro I, cap. 1, multæ sepe gentes egressæ sunt, eo quod tantos gignat populos, quantos alere vix sufficit, quæ et partes Asiæ et maxime Eufopam sibi contiguam afflixerunt. Testantur hoc urbes erutæ per Illiricum et Galliam; Gothi enim et Wandali et Rugi et Heruli atque Turcilingi, nec non et aliæ feroces nationes ab ea prodierunt, pari etiam modo et Winilorum [101], id est Langobardorum, gens a Germanis originem ducens, ab insula quæ Scandinavia dicitur adventavit. Queri eciam potest quid rerum fuerit quod tot et tantæ ferocitatis gentes in unum coaluerint, quæ se invicem multoties diversis cædibus populabantur. Historia hæc notissima est [Oros. VII]. Theodosius senior gentes has efferas et indomitas magnis præliis fuderit, tamen post ejus obitum addita eis [102] scelera et prælia, insolens animæ..... vitia. Hic curam infantum Archadii [103] videlicet et Honorii [104] et disciplinam palatii commiserat viris peritissimis, Rufino orientalis, Stiliconi occidentalis imperii; sed alius sibi, alius filio suo affectans regale fastigium, rem publicam turbavit. Ita post hujus necem Wandalorum comes, ut Eucherium filium suum a puero christianorum necem sitientem purpura indueret, totius humani generis sanguinem dedidit, cum Alaricum et cunctam Gothorum gentem gentesque alias prefatas copiis et viribus intolerabiles Halanorum, Suevorum et Wandalorum ipsoque motu impulsorum Burgundionum, ad terrendam rem publicam ultro in arma sollicitans suscitavit, sperans quod barbaræ gentes tam facile valerent comprimi quam commoveri. Quæ ubi Honorio nunciata sunt, commoto exercitu occisus est Stilicho, occisus et Eucherius et pauci cum eis satellites, tantarum molitionum auctores. Veruntamen occiso illo qui fuit prima causa malorum, refloruit iniquitatis seminarium. Nam ante biennium Romanæ irruptionis quæ facta est per Alaricum excitatum per eundem Stiliconem, gentes prefatæ Wandalorum, Alanorum, Hunorum, Suevorum, Burgundionum et multarum gentium ut dicimus... (fol. 50') Galliæ ab eis subversæ, æcclesiæ, urbes exustæ, populi trucidati et usque ad internecionem deleti, facientibus peccatis inhabitantium pene totus redactus A est Occidens, et, ut referunt qui temporum ipsorum pericula conscripserunt, non fuit civitas aut castrum in Gallia, quod effugerit indignationem eorum. Turmis enim de se factis, fluvios Padum, Rhodanum, Rhenum, Ligerim, Sennam, Garonnam et ceteros intravere, et navali prælio terrestrique urbes in finibus positas irrumpentes, intolerabili audacia et crudelitate omnia pessum dedere. Qui enim per Rhenum ascenderunt, urbes super Rhenum positas 103 destruxerunt, inde ad eas super fluvios in Rhenum descendentes positas se conferentes 75 pari sorte prostraverunt. Qui vero per Rhodanum, Arelatum, Nemausum, Vivariam, Valentiam, Diam, Gratianopolim, Viennam, Lugdunum Italiæque omnia vicina contriverunt; et qui per Padum et Ligerim et B Garonnam et Sennam reliquosque fluvios, simul urbes et omnia situ vicina consumpserunt: et ita terra marique uno impetu, uno tempore, sub multis tamen regibus et ducibus universa simul confuderunt [Prosper]. Archadio [105] 6 et Probo consulibus Wandali et Alani transeunt Renum, et 2 Kal. Jan. Galliam ingressi sunt, Honorio 8 et Theodosio 2 consulibus [Oros.]. Anno ab inc. Dom. 407, imperantibus Honorio et Theodosio minore, Stilicone et Aureliano consulibus, anno regni Honorii 14 et Theodosii 1, indictione quinta, de mari oceano ascendentes, quo pyraticam exercentes vagabantur, Gallias invadunt et Pyreneum usque perveniunt. Cujus obice ad tempus repulsæ per provincias diffundun- C tur, et efferati mentis superbia, dum sibi nullam gentem putant resistere, grandia quæque moliuntur, et sub rege Crosco terras omnes suæ cogitant ditioni subjicere (Cf. *Vita* Antidii). Rex [106] autem eorum potentissimus et princeps Croscus fuit, superbia tumidus, opere crudelis. Clamat hoc universus pene Occidens, ruina ipsa urbium antiquarum, munitissimarum et præpotentum, quæ quanto vicinorum sibi fluviorum propiori applaudebant opportunitate, tanto graviores et crudeliores illos senserunt in sua contritione, ut jam ex parte impleri videretur illud propheticum: *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos* (*Sap.* v, 21). Quæ enim fuerant aliquando incitamenta luxuriæ, facta sunt eis fomenta ruinæ, ut in quo gravius peccaverant, in ea severius punirentur. Ad augendam ferocitatem animi ejus D accessit et mater impia, felle amaritudinis et rabie furoris viperei amaricata [Fredeg.], dirumque virus efflans et impietatis sibilos emittens ait filio: *Si te, fili, magnificare et nomen tuum dilatare novamque rem volueris facere, quod alii edificaverunt, tu destrue; populos quos superaveris, interfice; in christianos gladium tuum exere, ut qui faciem non viderint nomen tuum timeant.* Quibus incitamentis tyrannus nimio furore succensus, Rhenum apud Mogunciam transiens, eandem urbem cum populo vastavit. (Cf *Gesta Trev.* 35) Inde Trevirorum urbem aggressus,

VARIÆ LECTIONES.

[100] amicis *c.* [101] Winilorum *corr.* Windorum *c.* [102] eis *corr.* eas *c.* [103] Archadius *corr.* Archadii *c.* [104] *ex conjectura addidi.* [105] Archadio — Theodosio 2 consulibus *in marg.* [106] Rex—punirentur *in marg.*

exterminium civitatis et christianorum siciebat sanguinem. (*Vita* Antidii) Treverici vero in arenario civitatis quem munierant liberati sunt. Plures dehinc Austrasiorum civitates vallans innumerabilis eorum exercitus post destructas urbes et eversa castra Mettim obsidione circumdat, murorum firmitatem crebro pulsat ariete, sed nisi præpedirent scelera et crimina habitatorum terræ, non timuisset ruinam civitas beati prothomartyris Stephani illustrata sanguine, et Auctoris episcopi munita intercessione. Eis itaque parum proficientibus diutina obsidione urbemque relinquentibus, cum duodecimo ab urbe miliario castra posuissent, murus nutu divino corruens Wandalis patefecit ingressum. Deprædata igitur urbe et conflagrata incendio, excepto sancti Stephani oratorio, egressi sunt barbari, Auctorem episcopum et captivos plurimos ducentes; quem mox, miraculo divino perterriti, cum omnibus suæ civitatis captivis et præda innumerabili abire sinunt, satis verentes ne pro tanti viri contumelia celeste eos conflagraret incendium. Sic vir sanctus dum pro ovibus mori desiderat, captivitate sua captivorum solvit vincula. Interea castra illorum, junctis sibi Hunis qui per Rhenum Mosam fluvium descenderant, Virdunum adveniunt, urbem obsidione circumdant, in proximo colle ex adverso civitatis castrum collocant, unde frequentibus eruptionibus oppidanos perturbant. Villas omnes in circuitu positas edax flamma consumpsit, edificia omnia ruina contrivit, nulli est indultum ætati; senes et juvenes, parvos et magnos, matres cum liberis, dominos cum familia, omnia tulit gladius. Barbari vero diutius attemptata, considerata et inspecta urbis firmitate et civium se suaque defendentium magnanimitate, cum diffiderent sua eam posse virtute capi, quæ cingebatur muro indissolubili, compactis et consertis lapidibus plumbo ferroque, et jam in hoc essent ut ad alia se conferrent, urbem capiunt et diruunt. Croscus vero universas Galliarum urbes pervolans, alias delevit, alias concremavit, et christianæ legis fautores pravis et inauditis persequutionibus quatiens, quosdam variis protraxit penis, quosdam citato secuit ictu bipennis. Nullus enim erat in barbaris modus vesaniæ, nullus indulgentiæ locus, sed erat semper ad cædendum continua manus.

Temporis hujus mentionem faciens Jheronimus [107] in epistola sua quam scripsit ad Agerochiam de monogamia, sic ait: « Presentium miseriarum pauca percurram: quod rari huc usque residemus, non nostri meriti sed Domini est misericordiæ. Innumerabiles et ferocissimæ nationes universas Gallias occuparunt. Quicquid inter Alpes et Pyrenæum est, quod oceano Rhenoque includitur, Quadus, Wandalus, Sarmata, Alani, Geppides, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, et, o lugenda res publica! hostes Pannonii vastaverunt. Etenim Assur venit cum illis. Magonciacus nobilis quondam civitas capta atque subversa, et in æcclesia multa milia hominum trucidata, Vangiones longa obsidione deleti, Remorum urbs præpotens, Ambiani, Atrebatæ, extremique hominum Morini, Tornacus, Argentoracus translatæ in Germaniam, Aquitaniæ, Novempobulana [108], Lugdunensis quoque et Narbonensis provinciæ; præter paucas urbes cuncta populata sunt, quas et ipsas foris gladius, intus vastat timor. Non possum absque lacrimis Tolosæ facere mentionem, quæ ut hucusque non rueret, sancti Exuperii merita prestiterunt. Ipsæ Hispaniæ jamque perituræ contremiscunt, recordantes irruptionis Cymbricæ, et quod alii semel passi sunt, ipsæ semper timore patiuntur. »

(*Vita* Antidii.) Croscus itaque Galliam Lugdunensium pervagans cum Arelatum obsideret, captus a Mario præside et catenis vinctus per urbes quas vastaverat ad improperium reductus, post multa tormenta impiam vitam misero finivit obitu. Regnavit autem post eum super Wandalos Fredebaldus [Idat.]. Hunc Constantius patricius, quem Honorius apud Ravennam consortem fecerat imperii et Placidiam sororem suam ei dederat, ex qua genuit Valentinianum, ingeniose cepit et Honorio direxit; cui successit Gundericus [Oros. vii, 40]. Wandalis ergo per Gallias debacchantibus, apud Brittannias Gratianus tyrannus creatur et occiditur, et Constantinus ex infima militia propter solam spem nominis sine merito virtutis eligitur. Qui mox in Gallias transiens, et a barbaris incertis federibus sæpe delusus, cum vellet in Hyspaniam judices mittere, et Pyrenei claustris militum custodia munitis repelleretur, Constantem filium suum ex monacho cæsarem factum cum quibusdam barbaris in fœdus receptis et ad militiam allectis qui Honoriaci dicebantur illo misit. Et interfectis illis qui Pyrenei alpes privato præsidio tutabantur, his barbaris quasi p o præmio victoriæ in Palæstinis campis prædandi licentia data, dehinc supradicti montis remota rusticanorum fideli et utili custodia cura est permissa. Qui præda imbuti et habundantia illecti, quo magis sceins impunitum foret et magis eis prædari liceret, prodita Pyrenei custodia, claustrisque apertis, gentes que per Gallias vagabantur introducunt et Hyspaniarum provinciis [109] immittunt, eisque ipsi adjunguntur atque post graves rerum hominumque vastationes distributa ibidem possessione constiterunt, ubi multos christianorum Gundericus interfecit. Jheronimus de statu temporis scribens ad Helyodorum (*ep.* 60) : « Horret, ait, animus temporum nostrorum ruinas prosequi. Viginti et eo amplius anni sunt, quod inter Constantinopolim et Alpes Julias cotidie Romanus sanguis funditur. Scithiam, Trachiam, Macedoniam, Thessaliam, Dardaniam,

VARIÆ LECTIONES.

[107] Iheronimus — monogamia *in marg.* [108] Novempopulana *corr.* Novempobulana *c.* [109] provincias *corr.* provinciis *c.*

Daciam, Epyros, Dalmatiam cunctasque Pannonias Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Huni, Wandali, Marcomanni vastant, trahunt, rapiunt. Capti episcopi, interfecti presbyteri, subversæ æcclesiæ, martyrum effossæ reliquiæ » [IDAT.]. Gundericus igitur cum æcclesiis Dei insidias intenderet, anno regni sui 14 judicio Dei percussus interiit, cui frater suus Gysiricus succedit. Hic cum Wandalis et omni eorum familia de Hyspania ad Affricam mare vadando [110] transivit (VICT. *Vit.*), quod fertur ibi duodecim milia passus latum esse. Inventa autem sunt Wandalorum qui transierunt octoginta milia fuisse. Quanta tunc contra æcclesias Dei acta sunt qui nosse desiderat, legat Gesta Wandalicæ persequutionis. Tunc maxima et antiqua illa Carthago a Wandalis capta et intrata est [BEDA]. Tunc quoque Augustinus doctor, cum civitas ejus obsideretur a Wandalis, tertio obsidionis mense decubuit febribus et migravit ad Dominum anno dominicæ incarnationis 430. Defuncto autem Gyserico anno regni sui 37, mense 3, Honoricus successit crudelior illo; et ei post annos 7, menses 5 Gunthamundus successit. Hic catholicos ab exilio revocavit; cui post annos 12 Trasamundus successit. Initia ergo dolorum fuere a tempore Honorii et Theodosii minoris, quando tot tantisque perturbationibus attrita est Gallia, immo totus Occidens ob populi peccantis insolentiam, permittente Dei potentia ut prævaleret barbarorum sævitia, ut quæ paulo ante gloriabatur de cæde multarum gentium sua dejectarum victoria, uno terribili, immenso et horrifico barbarorum impetu conculcata fieret præda hostis atque ludibrium. Duravitque hæc vastitas, incumbentibus ecclesiæ catholicæ Wandalis Arriana pravitate fœdatis, annis 100 a tempore Honorii et Theodosii minoris usque ad tempora Justini imperatoris, qui Anastasio successit, a tempore scilicet Gunderici regis Arriani usque ad Chilpericum regem eorum, qui et Gylimer dictus est, in quo defecit regnum ipsorum. Sed nec Roma immunis fuit ab hac et simili vastatione [*Oros.* VII, 39]. Alaricus enim Gothorum rex, Athanarici successor, Romam trementem obsedit, turbavit, irrupit, anno ab Urbe condita 1164, ab inc. Dom. 412, et, cum ubique cædes ageretur, omnibus indultum est qui ad apostolorum limina confugerunt. Accidit quoque ut beatus Innocentius ejusdem urbis episcopus, tanquam justus Loth subtractus a Sodomis, apud Ravennam positus, peccatoris populi non videret excidium (*ep.* 127). De hoc Jheronimus in epistola ad Principiam de vita Marcellæ, cum fecisset mentionem hereticæ vesaniæ adversum ecclesiam catholicam intantum furentis, ut nec sibi nec alicui bonorum parceret, in processu epistolæ hujus quoque irruptionis meminit in hæc verba : « Dum hæc, inquiens, aguntur, terribilis in Occidente affertur rumor, obsideri Romam et auro salutem civium redimi, spoliatosque rursus circumdari, ut post substantiam vitam quoque amitterent. » Et post pauca : « Capitur urbs quæ cepit totum orbem, immo fame periit antequam gladio, et pauci vix qui caperentur inventi sunt. Ad nefandos cibos erupit esurientium rabies, et sua invicem membra laniarunt, dum mater non parcit lactanti infantiæ, et recipit utero quæ paulo ante effuderat. »

Si quis igitur requirat, hæc divinæ animadversionis justa severitas quamobrem in christianum populum sic accensa desævit, agnoscat quia judicia Dei occulta quidem et incomprehensibilia, nunquam tamen injusta. Quæ igitur nobis sinit occulta, quia juxta psalmistam *Judicia tua abyssus multa* : (*Psal.* XXXV, 7), veneremur justa. Igitur evolutis plurimis annis ubi pax ecclesiis Dei reddita est, rarescentibus bellorum tumultibus, pauci qui remanserunt christiani divinam ultionem juste in se exercere videntes, et propitiationi ejus gratias agentes, exequendis mandatis Dei promptiori subdebantur animo. Et quia multæ ecclesiæ vacabant, episcopis quibusdam gladio peremptis, quibusdam sorte humana præventis, et in loco eorum aliis non subrogatis, congregati in unum pauci qui remanserunt sacerdotes, consilium de magnis rebus inierunt, et quomodo paci catholicæ consulerent inter se tractare ceperunt [OROS.]. Eo tempore per Constantium patricium Romanis Gothisque federatis, Constantinus cæsar interficitur Arelato, filius ejus ex monacho cæsar Vienna. Post quos Jovinus et Sebastianus pari temeritate rem publicam deinvadentes, pari sorte perierunt.

Virdunensis (fol. 31) itaque ecclesia tunc temporis tot sibi adversis succedentibus pastore viduata, longo rerum infortunio pressa et oppressa jacebat, et pontificem, longo jam tempore destituta ecclesiæ cathedra, pia sedulitate requirebat. Et merito. Per trecentos enim quadraginta et eo amplius [111] annos, ab obitu scilicet beati Sanctini usque ad tempus illud, tres tantummodo episcopos in ea urbe fuisse, Maurum videlicet, Salvinum et Aratorem, priorum patrum (39) signavit antiquitas. Utrum ibi plures episcopi fuerint, quorum nomina et actus oblivio deleverit vel scriptorum raritas neglexerit, aut etiam fervor persequutionis episcopos substituere vetuerit, nos ignoramus, quia nec uspiam invenire valuimus; maxime cum etiam horum trium sanctorum præfatorum corpora [112] quonam sepulta fuissent, vel quo fine ad Dominum migrassent, juniores

VARIÆ LECTIONES.

[110] nadando *corr.* vadando *c.* [111] *Fuerat initio :* et 3 annos usque ad hunc præsentem de quo loquitur annum. *Quibus verbis præter* annos usque ad *litura deletis eadem manu et eodem atramento superscripta sunt ea quæ in textu posuimus.* [112] Nomina *corr.* corpora *cod.*

NOTÆ.

(39) Bercarii scilicet in Gestis episcoporum Virdunensium.

et moderni hodieque nescirent, nisi beato Agerico, qui post longa tempora, videlicet post successiones quinque pontificum, ipse sextus eis successerat, tam preciosa simbola revelatione nocturna per angelorum officium dignatio declarasset divina. Narraverunt autem de beato Mauro [113] posteris, illi qui interfuere translationi quæ a beato Agerico tunc temporis facta est, et posteriores scriptis ad nostram usque notitiam transmiserunt, beatum Maurum diversis suppliciorum generibus affectum veritati testimonium perhibuisse, et pro fide Christi martirio occubuisse, sicut et ipsi in defuncto videre, et nec-
dum soluto corpore sancti piis osculis dulcia vulnera contrectavere. Sed fortasse dicat aliquis : Quare ergo beatus Agericus et temporis illius fideles memoriam illius sub nomine et honore martyris celebrari non instituerant, quæ hodieque sub nomine confessoris veneratur? Quisquis ista obponit, respondeat et ipse : Quare beatus Gregorius papa Romanus, memoriam prædecessorum suorum pontificum Romanorum martyrio coronatorum in ecclesia sicut hodieque canitur instituens, nobilitavit eos nomine confessorum et non potius martyrum, quos utique scimus pro Christo gravissimis tormentis afflictos [114] præmia vitæ sanguine redemisse? Nos pro modulo ingenioli id respondemus : Quia tantæ tunc in ecclesia erat gloriæ, quemlibet doctorum in verbo doctrinæ desudare et sibi commissis verbo et facto invigilare populosque erroneos et absque domino vero ad viam veritatis convertere et talibus officiis mercari gaudia vitæ, quantæ ad ictum securis vel imminentis gladii caput inclinare collumque extendere; cum ad martyrii gloriam capessendam quilibet de populo, cujus cor Dominus illustrando præparasset, quiret sufficere, ad proscindenda vero vomere verbi corda incredulorum et eroganda semina divinorum dogmatum, ad exerendas varietates ammonitionum digne et discrete pro qualitate et capacitate [115] audientium, in tam rara christianitate perpauci invenirentur quibus committi posset sacerdotale officium. Quid enim tercius a Petro Clemens? nonne maris gurgitibus inmersus complevit martyrium? Quid Marcellus? nonne in domo Lucinæ matronæ quam Deo dicaverat, stratis plancis ad animalia catabuli publici ibidem ad eorum custodiam deputatus vitam finivit? Quæ major nominis christiani injuria, quam Dei summum sacerdotem et ecclesiæ sanctæ rectorem mutorum animalium dici vel esse custodem? Itaque hi, ut taceamus interim de pluribus, per martyrii coronam ad æternam pervenere felicitatem; et tamen cum corum memoria in missæ celebritate recolitur, sacerdotii dignitas honoratur. Neque hoc dicentes æquales profitemur confessores martyribus, quorum constantia Christi est in sua passione sequuta vestigia; sed tunc in primordio nascentis ecclesiæ cum sevitia furentis adversarii multos nobis faceret veritatis martyres, perrari inveniebantur ecclesiarum magistri et doctores. Nunc quia jam in mundo viget christianitatis titulus, et pace ecclesiæ Dei reddita hostium adversantium contritus est impetus, sacerdotumque puritate innocentis vitæ Domino adherentium diuturnitate pacis crevit numerositas, adeo ut plures ecclesiæ quæ multorum pontificum beatorum irradiantur titulo, vix unius martyris fulciantur patrocinio : fit ut quidam e vulgo quod habent quasi fastidiant, quod non habent desiderent, et martyres omni quidem honore dignos judicent, ut justum est, sacerdotes vero Domini quos habent patronos, minori cultu venerentur et honorent. Quorum animas etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen non amisere martyrii, dum carnis illecebras et hostis invisibilis machinamenta, fidei, spei et caritatis invictæ superavere constantia. Sed docendus est populus, non sequendus. Honorentur martyres ut nobilissimi divini prælii bellatores et christiani nominis propugnatores, honorentur et confessores ut fidelium animarum rectores et doctores, et eorum singulis in locis propensius honoretur sacerdotium, per quos salutis sumpsimus exordium. Verum de his ista sufficiant. Nunc quid de beato Pulchronio, quem Virdunensis civitas eo tempore meruit habere rectorem, in scripturis invenerimus vel fidelium veraci relatu didicerimus, Christi domini protegentis et edocentis nos adjutorio brevis et lucida prosequatur oratio [116].

Igitur (40) imperantibus (fol. 26.) Honorio et Theodosio juniore, qui Valentinianum, Constantii et Placidiæ filium, consortem imperii fecit [117], natus est in urbe Trecassina beatus Pulchronius christianis parentibus ex familia æcclesiæ. Nativitatis vero ejus primordia cœlestibus auspiciis divina insignivit clementia. Revelatum est enim parentibus ejus ante longa conceptionis ipsius tempora, quod talem habituri essent filium qui esset sanctæ Dei ecclesiæ lucerna lucens ante Dominum, et in tempore opportuno fieret iracundiæ Dei reconciliatio et furoris ejus placatio. Erant autem parentes ejus religiosi et gratia inter suos nominatissimi, fide pleni, elemosinis dediti, domus suæ curam habentes, familiam pie justeque regentes, in mandatis et justificationibus Dei incedentes, pauperum et peregrinorum officiosi susceptores, ecclesiarum studiosi amatores, quibus merito, quantum ad humanum modum, præ-

VARIÆ LECTIONES.

[113] De b. M. *in marg.* [114] Affectos *corr.* afflictos *cod.* [115] Et cap. *superscr.* [116] *In marg. adscribitur :* Verte quattuor folia retro et lege, *quibus verbis remittimur ad folia* 26. 27. 28. 29. *quæ postea ab Hugone inserta sunt inter folia* 25 *et* 30. [117] Fecerunt *corr.* fecit *c.*

NOTÆ.

(40) Sequentia excepit auctor ex Vita S. Pulchronii jam deperdita.

stitum sit ut tantum ac talem haberent filium. Natus igitur puer sacramentis cœlestibus iniciatus est, et in baptismate Pulchronius nominatus est sive Policronius. O dignum præsagium nominis, quod si in Greco resolvere velis, interpretatum [118] sonat civitas temporis. Et quid hoc signatur vocabulo, nisi quod puer hic sanctus hoc esset futurus in opere quod signabatur ex nomine? Nam si referas ad tempus vitæ ejus, cum bella cuncta perderent, civitas temporis illius factus est, cum ad tuitionem et munimentum omnium Deo adherere volentium prædestinatus est; civitas temporis factus est, cum ad colligendas et conservandas credentium animas pontifex constitutus est. Consideremus tamen et altiori mysterio vim vocabuli hujus. Cum enim habuit directos pedes ad evangelizandam pacem, et dum staret pede immoto in atriis Hierusalem, quæ ædificatur ut civitas, civitas civitatis temporis æterni factus est, quia et participatio ejus in idipsum est, ubi ascenderunt tribus Domini ad confitendum nomini Domini. Ergo et civitas temporis est etiam civitas civitatis temporis non transitorii sed eterni, civitatis itaque non quæ ædificatur lapidibus insensibilibus sed vivis; in qua lapis qui ab edificantibus reprobatus est angularis missus est, qui abscisus est de monte sine manibus præcidentium et implevit universum orbem terrarum. Intueamur itaque edificacionem hujus civitatis temporis, et ut digne videre mereamur, edificatorem ejus Spiritum sanctum invocemus, ut ponat verbum in ore nostro et in corde nostro, quatinus sit os nostrum in corde nostro, ut digna loqui valeamus.

Ablactatus igitur est, et decursa balbutientis infantiæ hebdomada litteris traditus, prima eorum temptabat addiscere rudimenta. Quarum elementis brevi datis memoriæ, festinabat jam ad altiora conscendere. Datus igitur vacationi sapientiæ, hauriebat fontes doctrinæ, tardus eloquio, licet clarus ingenio, quum [119] non qui multæ eloquentiæ vel etiam multæ est sapientiæ, quia eloquentiæ aura parum quidem auditum mulcendo delectat, simul vero ut desinit sonus loquentis, et profectus desinit audientis. Ideo etiam puer strenuus ad perfectiora totis tendens viribus, illi studebat sapientiæ, non quæ in verbis volat, sed quæ in virtutibus constat. Intellectus enim bonus est omnibus qui faciunt eum, non qui loquuntur et prædicant eum.

(fol. 26'.) Jam vero puericiæ annis ad similitudinem patriarchæ Jacob domi simpliciter exactis, cum jam ingrederetur nutantis adolescentiæ bivium, positus in conversacione scolari, non vel ætatis vel coæqualium illecebris cedens prodidit pudicitiam, sed tamquam sibi a Domino commissum servavit integrum signaculum castitatis (*Vita* Lupi.). Erat tunc temporis in eadem urbe Trecorum beatus Lupus, morum probitate celebris, sanctitatis dote insignis, pietate laudabilis, patientia mirabilis, sapientia conspicuus, caritate diffusus, spe longanimis, fide prædicabilis, gravitate venerabilis, per zelum justiciæ erga delinquentes erectus, per compassionem proximus, in adversis patientissimus, in prosperis cautus, in quo omnis laus secure canitur. Hic in sæculo [120] annis 7 cum uxore sua Piminiola, sancti Hylarii Arelatensis archiepiscopi sorore, conversatus, Lirinense cœnobium expetiit, unde raptus ad pontificium, eandem gravitatem morum, eandem humilitatis et vilitatis sectabatur continentiam, locato sibi in prospectu urbis [121] monasterio, ubi cum his qui secum aderant divinis intendebat theoriis. Huic beatus Pulchronius in monasterio erudiendus a parentibus traditus, magistri cepit imitator existere, et quæ eum facere videbat ad eadem se modis quibus poterat informare. Erat ei in vultu alacritas, in sermone gravitas, in obediendo sagacitas, in obsequendo humilitas, in deferendo sedulitas, verecundia in vultu, reverentia in incessu, dulcedo in voce, constantia in actione. Diligebatur ab omnibus, laudabatur a cunctis, honorabatur ab universis. Quem si quis esset qui non amaret, se potius illum non amando improbaret. Erat [122] ei quoque studium timorem Dei habere, seniores venerari, castitatem tueri, humilitatem non aspernari, verecundiam diligere et clementiam, quæ sunt ornamenta minori ætati. Erudiebatur jam tunc profecto divinitatis occulto judicio, ne quid deesset apostolico pontifici mox futuro. Erat quippe ex mundis animalibus, illis scilicet qui et ruminare norunt et verbum Dei ad memoriam revocare, quique etiam divinis sacrificiis et altaribus apti sunt. Circumcidebat in se omne, quidquid illud est, quod neque cibis neque sacrificiis aptum est, quod humanæ naturæ vicio in homine operitur et tegitur. Armabatur ad patientiam mortis, et prima ejus ætas jam meditabatur martyrium. Attenuabat corpus tenerum jejuniis, et frequenti inedia incendia carnis edomabat, sciens quod non indigeret flamma copiosiore materia, nec insolens bestia abundantioribus cibis, ut insolentior fieret, cum sufficeret corpori malicia sua. Legebat assidue, psallebat frequenter, ut semper eum inveniret diabolus occupatum, qui ociosos appetit, occupatos refugit. Si quid vero hostis astutia subrepsisset adolescentulo, requirebat baptismum lacrimarum; ibi sine dubio igni baptizabatur. O adolescentulum senibus præferendum! O discipulum cujus imitatores ipsi desiderabant fieri sacerdotes! Lætabatur beatus Lupus de profectu discipuli, gaudebant et parentes de industria et proposito filii, quod esset perspicax in scripturis, rationabilis in fide, cursum suum ad statutas lineas mandatorum Dei refrænans et temperans, et, quod gravissimum est in illa ætate, neque ad dextram neque ad sinistram declinans, sed via regia fortiter incedens.

(*Vita* Lupi p. 81.) Erant autem ejus condiscipuli

VARIÆ LECTIONES.

[118] Interpretatam *c.* [119] quam *corr.* quum *c.* [120] Ili. . . inscla *c.* [121] orbis *corr.* urbis *c.* [122] Erat —ætati *in marg.*

sub institutione præfati patris Severus, postea Trevirorum sanctus episcopus, Albinus quoque Cathalaunensis, et sanctus Emilianus, sanctus quoque Aventinus, postea Trecorum episcopus, cum aliis quam pluribus; qui omnes gratia Dei innumeris claruere miraculis, ut ex meritis discipulorum daretur intelligi quantæ sanctitatis magister eorum fuerit qui tales in via Dei [123] discipulos informaverit (fol. 27). Beata nimium et Domino nostro grata societas, in qua erat videre tranquillitates animorum, mansuetudinis studium, moderationis gratiam, honestatis curam, et consideracionem decoris, inter quas virtutes prima sibi fundamentum in eis verecundia posuerat! Sed quia ut æqualium cohabitatio dulcior, ita et senum tutior est, beati viri Lupi individui adhærebant contubernio, qui magisterio quodam et doctrina vitæ colorabat mores adolescentum, et velut murice probitatis inficiebat. Quod quidem maxima vir Deo plenus adimplebat gratia, ut videret alacribus illos animis [124] patris instituta sequi, quos nec ab incepto gravioris propositi deterrebat rigor, cum juvenilis alacritas ad ea semper convertatur studia quæ arbitratur plausibiliora. Inter hos itaque contribules [125] suos beatus Pulchronius meritorum radiabat lampade. Honestatis fulgebat decore, omnimodis satagens ut de se unusquisque et maxime vir optimus bona sentiret, quapropter et omnibus bonis debitam exhibebat reverentiam. Cavebat motus animi juvenilis, se ipsum observans et circumspiciens, et prorumpentes in se appetitus quadam vi animi cohercens atque refrænans, ne appetitus rationem vel præcurreret vel desereret, ne præcurrendo perturbaret eam atque excluderet, et deserendo destitueret. Et ita singularum actionum modos servans, ordinem quoque et constantiam dictorum suorum et operum moderationemque custodiens, decoro illi intendebat quod generale esse et speciale attestatur moralis doctor Ambrosius in libro de Officiis, ita inquiens: « Est decorum, ait, quod præeminet; cujus divisio gemina est. Nam est decorum quasi generale, quod per universitatem funditur honestatis, et quasi in toto spectatur corpore. Est etiam speciale, quod in aliqua corporis eminet parte. Generale est, si quis universitatem honestatis in omni actu suo habeat concinentem, ut sibi omnis vita ejus consentiat nec in ulla re discrepet. Speciale vero est, si aliquem actum [126] in suis habet virtutibus [127] præeminentem. » His igitur virtutum insigniis ornabatur adolescens spectabilis. Provexerat quoque eum morum speciositas, et ecclesiastico mancipatum officio ordinisque divini ampliatum ministerio divina sublimare parabat pietas. Cum vero jam emensa adolescentiæ semita in robur emigrasset virile, Dei cepit jam ferventior servitus insudare, et in dies robustior de virtute in virtutem proficere, et ea quæ retro sunt obliviscens, in ea quoque quæ in antea sunt se superextendens, desiderabat Christo carnis mortificatione consepeliri, ut mereretur per ipsum ad gloriam Patris in virtute Spiritus per bonorum exercitia operum conresuscitari. Sic in carne vivens non secundum carnem militabat, præcavens et observans ut neque peccando, neque positus in suspicione peccati, fieret offendiculum fratribus aut scandalum (fol. 27'). Intellexerat enim ex evangelio, quam gravis sit a Domino scandalizanti unum ex minimis constituta animadversio. Erat in corde ejus fixa illa Domini sententia: *Qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* XIV, 11), unde et humiliari studebat in terris, ut a Domino exaltari mereretur in cœlis. Sed nec potuit abscondi lucerna delitescens sub modio, verum ad effugandas errorum tenebras atque ad illuminationem multorum imposita est candelabro. Cum enim placuit ei qui electos ad eternitatem vocat, vocatos justificat, justificatos remunerat, ut exaltaret servum suum habentem fiduciam in se, inspiravit cordi beati antistitis Lupi ut, ad solatium laboris et ministerii sui, ad ordinem eum promoveret sacerdotii. Electus itaque communi voto et laude cleri et populi, presbiterii honorem accepit et moribus adornavit. Erat namque potens in verbo et doctrina, et potestate ipsa cum apostolo utebatur in edificationem, non in destructionem, ut edificarentur correcti peccatores ad pœnitentiam, quibus jam videbatur imminere destructio per culpam. Orabat pro peccatis populi, et, cum nullum læderet, omnibus prodesse cupiebat; sciens sacerdotis vel ministri esse prodesse si fieri potest omnibus, obesse nemini. Implebatur jam in eo illa nominis sui ethimologia; et quod prænuntiatum erat ex nomine, sonabat jam in actione. Civitas enim erat temporis utique gravissimi et periculosissimi, in quo præliorum fremitibus totus fere quatiebatur orbis. Erat et refugium pauperum, tutor orphanorum, defensor viduarum et pupillorum, oppressorum consolator, et omnium ad se confugientium piissimus susceptor et auxiliator. O civitas inexpugnabilis, protectio incomparabilis, defensio invincibilis, sedes divini propiciatorium altissimi, in qua regnat sapientia et dictat leges justitia, quam fortitudo inhabitat, regit prudentia, disponit temperantia, in qua fulget Dei imago, quæ viciorum imagines obliterat! Suscipe et nos humillimos dilectores tuos et in defensione tua protege.

Cum igitur tantis bonorum operum præconiis beatus efferretur Pulchronius, fieretque jam in propatulo omnibus sanctimonia ejus, ad pontificatum petebatur Virdunensis urbis, quæ, ut diximus, tantis erat attrita calamitatibus, gravata malis, ut perpauci in ea invenirentur qui divinis deservirent cultibus. Causas calamitatis supra exposuimus. Verum cum id ab eo optineri non posset ut votis petentium daret assensum, ad beatum Lupum civium qui erant residui spes tota convertitur, et ut subve-

VARIÆ LECTIONES.

[123] Domini *corr.* Dei *c.* [124] alacres illorum animos *corr. ut in textu.* [125] contubernales *suprascripto* ribu *c.* [126] aliquam virtutem *corr.* aliquem actum *c.* [127] actibus *corr.* virtutibus *c.*

niat miseræ civitati, jam fere desolatæ, jam destitutæ, lacrimosis ingeminatur questibus. Accessit et vicinorum sacerdotum supplicatio suspirantium et jam sibi applaudentium de futuri collegæ solatio. Nec poterat vir sanctissimus tantis consacerdotum et plebis devotæ reniti peticionibus, cum sciret Dominicum esse preceptum : *Diliges proximum tuum sicut te ipsum* (*Luc.* x, 27), et quod jubetur fidelis anima non sua quærere, sed quæ Jhesu Christi sunt. (fol. 28.) Cessit itaque, et devotum discipulum devotis civibus assignavit pastorem et episcopum. Diem illam sanctorum gaudiorum celebritate solempnem, piorum animorum alacritate jocundam, beati viri electione et promotione celebri beatificatam, Virdunensis amplexata est ecclesia, et usque in hodiernum diem assidua diei illius sentit beneficia. Gaudet celum et exultat terra, quia in hoc concurrit divinæ dispensationis omne mysterium, ut qui hactenus fuerant vasa iniquitatis ad interitum, conversi ad penitentiam per beatum virum fierent vasa justitiæ in sanctificationem. Consecratus ergo in pontificem mira omnium devotione et gratia, studuit pietatis augere opera, qui pontificali auctus erat infula. Suscepit nomen et habitum sacerdotis, studebat et Dei summi esse sacerdos et sacrificium. Exibebat enim se ipsum hostiam vivam, sanctam, placentem Deo, immolans ei sacrificium laudis et spiritum contribulatum, quod solum sacrificium, ceteris omnibus abjectis et despectis, Deus expetit. Studebat etiam profectus sui exemplo invitare et illicere ceteros ad virtutem præcipue per humilitatis a Deo nobis traditam formam. Assueverat quoque longa et assidua meditatione sursum semper respicere et carnis materiam deprimere, frenis arctioribus sublevare. Sciebat speciale esse officium sacerdotis mediatorem populi effici apud Deum, ideo et præesse recusaverat illis quibus se purgatiorem esse scire metuebat. Versa autem erat tunc in amaritudinem vitis quondam læta palmitibus, vitis tota fructifera, et diadema decoris et corona gloriationis in confusionem et ignominiam, quia Arriana fece totus jam pene sordebat Occidens, quæ [128] ubicumque incubuit fœda semper criminum vestigia habuit. Et licet Gallia Belgica fidem Petri semper imitata, profanas vocum novitates et scismatum errores orruerit, viciis tamen, quæ quiete et ocio aluntur, tunc nimium frena laxaverat. Redarguebat vero errantes pius pastor lenitate et mansuetudine patris, severitate et auctoritate pontificis, sciens Heli pro filiorum iniquitate dampnatum, quod minus severa animadversione delinquentes eos corripuerat. Querebat etiam cum Iheremia (IX, 1) aquam capiti suo et oculis suis fontem lacrimarum, ut digne posset deflere maliciam eorum qui peccaverant et non egerant penitentiam ab immundiciis et iniquitatibus. In ipsis enim reliquiis captivitatis et destructionis Wandalicæ cum esset adhuc recens ejus memoria, vigebat tamen adhuc Arrianæ iniquitatis seminarium. Flebat vir beatissimus peccata populi, prædicabat curationem, suadebat penitentiæ compunctionem, ut resipiscentes converterentur ad Dominum, quam bonus est, et in seculum misericordia ejus. Docebat cum apostolo fornicacionem fugere, quoniam qui fornicatur in corpus suum peccat, et quia in corpore subdito peccatis non habitat sapientia. Nec poterat inanis esse et sine fructu tanti predicatoris assertio, quin immo sensit urbs Virdunica, et usque in hodiernum diem agnoscit, quantum sibi prestitum fuerit in tali pontifice, cujus vita populi erat firmamentum, cujus doctrina medicamentum erat animarum, correptio morum, eradicacio viciorum.

(fol. 28'.) Inter hæc itaque pia divini famulatus exercitia cepit servum suum Deus mundo multis manifestare miraculis, ut agnosceretur ab omnibus quod grata esset spiritubus angelicis conversatio ejus. Cæcis namque visum, claudis gressum, surdis præstabat auditum, et omnia corporum incommoda verbi virtute fugabat. (*Vita Lupi*, p. 70.) Super dæmones quoque tantam consequutus erat a Domino potestatem, et, ut legitur in Vita beatissimi Lupi, tanta in eo vigebat gratia curationum, ut solo jussu dæmones ab obsessis fugaret corporibus, et ad primum vocis ejus imperium omnis eorum tenebrosa potestas evanesceret, et vigor omnibus membris refunderetur. Testatur hoc et alius quidam prælati beati Lupi scripto virtutes replicans et discipulorum ejus memoriam faciens, qui hujus quoque beati patris nostri meminit in hæc verba : (*Vita Lupi*, p. 81.) « Horum, inquit, unus fuit sanctus Polochronius, urbis Clavorum episcopus, cujus vitam sanctitate plenam, munere virtutum insignem, miraculorum patratio ostendit, quibus claruit plus quam credibile sit. » Nam miseris, quos dira vexabat condicio furoris, ut astringerentur ferreis hominum catenis, precibus suis impetrabat a Domino remissionem furoris, ut solo ejus jussu et dæmones pellerentur cum armis suis virulentis, et larvarum lemurumque carerent fantasiis. Nec solum in talibus, sed et in diversis fulsit horum similibus, quæ libellus de vita ejus scriptus plenius elucidat scire volentibus. Hæc [129] sunt sanctitatis beati viri testimonia, quæ ubique et tunc in vita sua et nunc post obitum ejus celebrat, veneratur et prædicat sancta Dei ecclesia. O virum omni laude dignissimum, omni devotionis amore colendum ! O Spiritus sancti templum dignum, jejuniis sobrium, vigiliis cautum, orationibus mundatum, castitate cluentissimum ! O civitatem munitam adversus insidias diaboli, sanctuarium Dei, propiciatorium cœlestis oraculi, turrim David quæ edificata est cum propugnaculis, in qua milia clypeorum dependent omnis armatura fortium ! Non sunt in ea loca humentia, nulla ibi calami umbra, in qua accubet draconis mollicies ve-

VARIÆ LECTIONES.

[128] Quæ — laxaverat *in marg.* [129] Hæc — ecclesia *in marg.*

ternosa. O virginitatis domicilium, pietatis sacrarium! Talis nimirum minister decebat sanctam Domini matrem, talis pontifex sanctam ejus digne adornabat æcclesiam, regebat familiam, et in tempore erogabat conservis Dominici tritici mensuram. Quem merito Virdunensis ecclesiæ fatemur apostolum, sic tamen primo pastori nostro beato Sanctino prærogativam honoris debiti non minuamus. Agrum namque Dominicum sanctus Sanctinus digne excoluit, nullo adhuc maligni cultoris aratro maculatum, nec præventione pessimi seminis occupatum, et viam inusitatam et rudem nullisque antea vestigiis proculcatam assiduitate commeandi fecit attritam et levigatam. Verum cum postea agrum ipsum tum persecutionis violentia, tum colonorum penuria urticæ et vepres cooperuissent, et super semen fidei et veritatis inimicus homo seminasset zizania, id est malam doctrinam et perversa dogmata, beato Polochronio quodammodo duplicatus est labor, cui prius conceptas corde (fol. 29) maliciæ formas necesse fuit extrudere et exturbare et noxia quæque evellere et eradicare, tum deinde semen rectæ fidei denuo sulcis mentium credere, et quasi nil esset factum totum a principio renovare. Quam multæ enim fuerant species depravationis, tam multas oportuit esse et restitutionis. Sed horum omnium scientia et disciplina ab ipso et scientiæ Domino tradita est, a quo ad animarum instituendarum curam ante secularia tempora prælectus est. Et hoc dicentes beati patris Sanctini debiti honoris et devotionis auctoritatem non minuimus, quin potius ampliamus, cui ad cumulum devotionis et laudis hoc præstitum sit, ut talis ei successor accederet, qui ab integritate fidei ejus non discreparet, et doctrinæ prædicationisque ejus non segnis exequutor existeret. Amplectimur enim eum totis medullis ossium, ut decet patrem et karissimum dominum, per quem hoc optinere meruimus, ut talis nobis datus sit pontifex, qui potest et animabus mederi et corporibus. Ad ejus enim gloriam spectat quod Virdunensis ecclesia in fide sancta fructificat. Gratia namque ecclesiæ laus doctoris est. Honoramus etiam non verbo tantum sed affectibus cordium beatum Pulchronium, quia et ut digne honoretur a nobis dignius ipse promeruit, qui clavum navis ecclesiasticæ, quam peccatorum sordibus sentinosam purgavit, inter mundana pericula fortiter rexit, et nunc usque regere precibus et auxilio non destitit, nec Deo propicio desinet. Sed jam ad narrationis ordinem redeamus.

Tantis vir Domini virtutum clarus insigniis, ita in se omnium provocaverat affectum, ut a regibus et principibus, divitibus quoque et mediocribus, devotione nimia veneraretur. Erat enim verecundus in visu, in motu, in gestu, in incessu, ut habitum mentis in interioris hominis statu cerneres. Incessus ejus gravis erat, motus purus et simplex, gestus qui non dedeceret, visus pudicus et pius, sermo mitis et placidus, benivolentiæ et gratiæ plenus de doctrina fidei, de magisterio vitæ, de disciplina morum, de confessione peccatorum, de confusione iniquorum, de gloria vitæ æternæ, de spe retributionis æternæ.

Quanto autem decore Dei templa adornaverit, cum ejus hoc semper studium fuerit ut aula Dei congruo ornatu niteret, ex ipso cultu mentis ejus, ubi sedem sibi sapientia locaverat, advertere possumus. Neque enim tantum nec in ecclesia locum optinuisset, nisi eam dum advixit competenti nitore adornasset. Filiorum cura propensior ei erat, ut ambularent in sanctitate cordis et justitia, ut penitentiam de peccatis agerent et de futuris se custodirent, ut digne Deo placerent et innocentiæ vias graderentur, ut spe ad superna erigerentur. Clericos ut membra sua diligebat, et vitæ eis pabula ne in via deficerent, tendendo ad Christum devotus administrabat; erga omnes misericors, erga omnes fraterno distentus affectu; talis circa discipulos, velut nutrix fovcat parvulos suos. Deferebantur autem ad eum ex diversis mundi partibus claudi, cæci, aridi, lunatici et quotquot oppressi tenebantur multimodo morborum genere, quorum sicut et species discernere perdifficile est, ita etiam nomina scire; quorum turba innumerabilis diebus ac noctibus excubabat ante domum episcopi, quos omnes precibus ejus curabat medica manus Dei. Discedebant alii sanati, alii veniebant sanandi. Eorum autem qui vexabantur a spiritibus immundis, quorum quam plures adducebantur vulgante fama sanctitatis ejus insignia, dolendum erat videre oculos cruentos, dentes frendentes, collum intortum, linguam aliena loquentem, manus catenis vinctas (fol. 29'), labia tremula, vocem multiplicem, intus hostem sævientem, foris miserum suimet impotentem. Quæ tamen rabies ad unum viri Dei imperium dicto citius abscedebat, et uno eodemque momento salus accedebat indulta. Beatum dicebant omnes populum tanti pontificis regimine protectum, et plebes urbium vicinarum de sociis sancti viri, de discipulis scilicet beati Lupi, sibi præoptabant dari episcopum. Trevirensis autem metropolis cum non haberet pontificem, sanctum suscepit Severum, eximiæ sanctitatis virum, verbo et doctrina clarissimum, qui cum beato Germano Autissiodorensi, quia beatus Lupus senio excusabatur, missus est Brittannicam insulam secundo a Pelagiana heresi verbi virtute revocare. Cathalaunensis vero civitas sanctum elegit Albinum, quem hodieque letatur habere patronum.

Dum (41) ergo tantorum virorum prædicatione et industria Gallicana floreret Ecclesia, anno ab incarn. Dom. 450, Marciani principis, qui successerat Theodosio juniori, anno primo, invaluit persequutio et rabies Hunnorum, Valentiniano [130] septies et Abieno

VARIÆ LECTIONES.

[130] Valentiniano—consulibus *in marg.*

NOTÆ.

(41) Sequentia usque ad finem folii 29' Hugo de suo Vitæ inseruit.

consulibus. Computantur autem a Wandalica irruptione usque ad annum illum, quo sub regibus Bleda est Attila Hunorum per Gallias diffusus est exercitus, secundum fidem hystoriarum, anni 45 hoc modo. Anno enim principatus Honorii 14mo Wandalorum rabies efferbuit, et Honorius postea regnavit 16 annis; post quem Theodosius junior regnavit annis 27, et successit ei Marcianus imperator, cujus primo imperii anno Huni Gallias occuparunt. [Legimus autem in Getarum [131]] historia referri [JORDAN. 21.] (fol. 29*), quia dum Romæ emula a Constantino conderetur civitas sub Ariarico et Adrico regibus 40 Gothorum milia in solatium eidem principi prævenisse [132] (*Ib.*, 22). Post quorum discessum cum a Geberich Gothorum rege Wisirmar Wandalorum rex impeteretur, ut refert Deuxippus historiographus, qui dicit eos ab Occeano ad nostrum limitem vix in anni spacium pervenisse præ nimia terrarum inmensitate, cum essent commorantes Wandali in locis ubi nunc Gepidæ habitant, ad litus amnis Marisiæ victi a Geberich et prostrati, patriam illam linquentes, Pannoniam a Constantino petierunt, ubi per 60 et eo amplius annos decretis imperatorum famulati, inde post a Stilicone magistro militum et patricio evocati Gallias occuparunt, ubi non a Deo fixas sedes habuerunt. Et post aliquanta eciam hæc subdit [133] :

(*Ib.*, 24.) Post non longi temporis spatium, Hermanarico qui Geberic successerat rege, Hunorum gens, Balamir regnante in eos, omni ferocitate atrocior, exarsit in Gothos Ostrogothas, id est orientales. (*Ib.*, 25.) Quod videntes Visigothæ, legatos ad Valentem Valentiniani senioris fratrem miserunt, promittentes, si Traciæ vel Mœsiæ illis daret, se Christianos futuros. A quo Arriana perfidia, qua ipse detinebatur, imbuti, eandem perfidiam quasi pro generis propinquitate Ostrogothis et Gepidis Wisigothi tradiderunt, et ipsi Danubio transmeato, Daciam, Mesiam et Tracias permissu insederunt. (*Ib.*, 26.) Cumque post totas septentrionales partes usque Danubium tenere vellent, ab eodem Valente bello appetiti et victores facti, imperatorem saucium, cum in proxima casa refugisset, imposito igne concremaverunt, regnante in Gothos post Ermanaricum Fridigerno, cui successit Athanaricus et ei Alaricus. (*Ib.*, 28.) Verum ubi Theodosius cum Graciano rerum summa potitus est, pace cum eis facta, benigne eos habuit; sed filiis eorum aliter cum eis agentibus, cum invaderent Italiam, Alarico rege Stilicone et Ariliano consulibus, data est eis Gallia, (*Ib.*, 30.) ut defenderent eam a Wandalis, contra quos apud Pollentiam in dolo Stilicone pugnante, iratus Alaricus Romam rediit, invasit, deprædavit, et per Campaniam et Siciliam ad Affricam transiens moritur, in Barinto amne sepultus. (*Ib.*, 31.) Cui Athaulfus succedens iterato Romam et Italiam privatis et publicis spoliavit divitiis, et sumpta in uxore Placidia sorore Honorii, et Italia dimissa pro consanguinitate, Gallias appetiit, quæ a Wandalis Cresco duce, Alanis quoque et Burgundionibus graviter infestabantur. Nam tunc Wandali, metu Gothorum relicta Pannonia, Galliis incubabant, ibi certas sedes temptantes figere. Quod malum pro sui enormitate omnibus patet satis superque. Attamen ante faciem ejus fugientes in Hispania se recluserunt, ubi a Gothis cæsi sunt. (*Ib.*, 32.) Cum ergo Wallia, quartus ab Alarico, succedisset, et Wandali, Hierio et Ardabure consulibus, iterum Galliam infestarent, moto contra eos exercitu ad Affricam eos migrare compulit sub rege Gisirico. (*Ib.*, 34.) Wallia quoque decedente in regno Galliæ et Hispaniæ Theodoritus successit, contra quem Etius patricius, pace rupta, in Gallos movit exercitum, auxiliatoribus Hunis, (*Ib.*, 35.) quorum erant reges Bleda et Attila, Theodosio juniore imperante, Theodosio et Flesto consulibus, et datis utrimque dextris discessum est, et post hæc Attila, fratre interfecto, omni Hunorum populo sibi subjecto, ad totius mundi principatum anhelare cepit. Ex his Jordanis [134] historiographi dictis liquido colligimus, prius Wandalorum, post Hunorum inundatione Occidentis imperium concussum esse.

(fol. 29*.) [NENNIUS X, 13.] Adam plasmatio Dei vivi genuit Seth, Seth genuit Enos, Enos Caynam, Cayna genuit Mahaleel, Mahaleel quoque genuit Jareth, Jareth [135] Enoch, Enoch Matusalam, Matusalam Lamech, Lamech genuit Noe, Noe genuit Jafeth, qui dilatavit terminos suos in Europa, Sem in Asia, Cham in Affrica. Jafeth genuit Johan, Johan Lobath, Lobath Bath, Bath quoque genuit Hisrau, Hisrau Esraa, Esraa Ra, Ra genuit Abyr, Abyr Ooth, Ooth Ethech, Ethech Aurchact, Aurchact Ecthactus, Ecthactus quoque genuit Mayr, Mayr Semion, Semion Boib, Boib Thoy, Thoy Ogomuin, Ogomuin Fetuyr, Fetuyr Alanum (*), qui primus venit ad Europam cum tribus filiis suis, Ysichion, Armenon, Neugio; Ysichion genuit filios 4, Francum a quo Franci, Romanum a quo Romani, Alamannum a quo Alamanni, Brittonum a quo Brittones. Armenon 5 genuit filios, Gothum a quo Gothi, Walagothum a quo Walagothi, Cibidum a quo Cibidi, Burgundum a quo Burgundi, Langobardum a quo Langobardi. Neugrio 4 habuit filios, Bogarum a quo Bogari, Wandalum a quo Wandali, Saxonem a quo Saxones, Taringum a quo Taringi; et ab Alano patre dicti sunt Alani. Hæ gentes per totam Europam divisæ sunt.

(*) *Hoc potissimum loco generationes populorum, quales in codicibus inde ab incunte nono sæculo légi, sistere placet; sunt autem hæ :*

1. *Cod. regius Paris. Nro.* 609. *sæc IX incuntis.*

VARIÆ LECTIONES

[131] *Hæc supplenda videntur.* [132] provenisse *corr.* prævenisse *c.* [133] subdet *c.* (?) [134] Jordanis *corr.* Jornandis *c.* [135] Lareth *corr.* Jareth *c.*

Qui fuerunt qui gentes genuerunt? Resp. Tres fratres, Ermenus, Ingus, Etscius. Ermenus genuit Gotos, Wandalos [136], Gebeteos et Saxones. Ingus genuit Burgondiones, Toringos, Longibardos et Bawarios. Sciut genuit Romanos, Brittones, Francos et Alamannos

2. *Cod. Sangallensis Nro.* 732. *4° membr. sæc. IX exeuntis seu X, fol.* 142. Adam cum esset 130 annorum, genuit Seth *et sic* 6 *ætates usque fol.* 154 : et inde domnus Karolus solus regnum suscepit et Deo protegente gubernat usque in presentem annum feliciter, qui est annus regni ejus 43, imperii autem 10. Sunt anni totius summe ab origine mundi usque in presentem annum 4762. INCIPIT GENERATIO REGUM. PRIMUS REX ROMANORUM ANALEU : Analeus genuit Papulo; Papulus genuit Egegium; Egegius genuit Egegium; Egegius genuit Fadiru, et ipsum Romani perdiderunt. TRES fuerunt fratres unde sunt gentes, Erminus, Inguo et Istio frater eorum; Erminus genuit Gothos, Walagotus, Wandalus, Gepedes et Saxones. Hæc sunt gentes 5. Inguo frater eorum genuit Burgundiones, Loringus, Langobardus, Bajoarius. Hæc sunt gentes 4. Istio frater eorum genuit Romanos, Brictones, Francus, Alamannus. Hæc sunt gentes 4.

3. *Cod. regius Paris. Nro.* 4628 *A. sæculi X; et Ottobonianus* 3081. *sæc. XV.* ITEM DE REGIBUS ROMANORUM. Primus rex Romanorum Allanius dictus est. Allanius genuit Pabolum, Pabolus Egetium, Egetius genuit Egegium, Egegius genuit Siagrium, per quem Romani regnum perdiderunt.

Tres fuerunt qui dicti sunt. Primus Ermenius, secundus Ingo, tertius Escio. Inde adcreverunt gentes 13. Primus Ermenius genuit Gothos, Walagothos, Wandalos, Gippedios et Saxones. Ingo genuit Burgondiones, Thoringos, Langobardos et Baoweros. Escio genuit Romanos, Brittones, Francos et Alamannos.

4. *C. musei Britannici inter Harleianos Nro.* 3859. *Nennius sæc XI.* Primus homo venit ad Europam de genere Jafeth Alanus cum tribus filiis suis, quorum nomina sunt Hessitio, Armeno, Negue. Hissitio autem habuit filios quattuor. Hi sunt Francus, Romanus, Britto, Albanus. Armeron autem habuit quinque filios, Gothus, Valagothus, Gebidus, Burgondus [138], Langobardus. Neugo autem habuit tres filios, Wandalus, Saxo, Boguarus. — Ab Hisitione autem orte sunt quattuor gentes, Franci, Latini, Albani et Britti. Ab Armenone autem quinque, Gothi, Walagothi, Gebidi, Burgondi, Langobardi. A Neguio vero quattuor, Boguarii, Vandali, Saxones et Taringi. Istæ autem gentes subdivisæ sunt per totam Europam.

5. *Ex codice monasterii Cavensis Legum Langobardorum sæculi XI ineuntis.* Mulius rex tres filios habuit, quorum nomina hec sunt : Armen, Tingus, Ostius. Singuli genuerunt quaternas generationes ; Armen genuit Gothos, Guandalos, Brigidos, Saxones; Tingus genuit Tuscos et Langobardos, Burgundiones, Bajoarios; Hostius genuit Romanos, Britonnes, Francos et Alamannos.

6. *Cod. Vatic. Nro.* 5001. *anni c.* 1300. *fol.* 140 : Tres fuerunt fratres, ex quibus gentes 13. Primus Ermenius genuit Butes, Gualangutos, Guandalos, Gepidos, Saxones; Ingo genuit Burgundiones, Turingos, Langobardos, Bajoeros; Escio Romanos, Brictones, Francos, Alamannos.

(Cf. Gregor. Tur., II, 5.) Cum itaque Wandali a Galliis recessissent, et rumor exisset Hunos in Galliam velle prorumpere, Gallicanarum urbium populi qui erant residui, diffidentes viribus suis se illis posse resistere quorum barbaries jam eos potenter terruerat, munitissima expetierunt loca, quibus se tutari posse credebant adversus tremenda discursantium hostium molimina. Et plurimi quidem colles natura munitos occupavere, turribus et machinis ceteris et bellicis instrumentis se præmunientes, quæ hostibus formidini, suis vero essent fortitudini; quidam vero urbes nulla naturali virtute munitas vallo et murorum firmitate, interrupta sarciendo, diruta restaurando, inexpugnabiles reddidere. Sacerdotes vero cum clericis ad orationum confugierunt auxilia, et precibus continuis pulsabant aures domini Salvatoris, ut propiciaretur populo suo, inebriato nec vino neque sicera sed a fortitudine plagæ quam ei invexerat. Tantus enimvero timor ingruentium hostium omnes occupaverat, ut cuncta mortem ipsam intentare viderentur. Omnia enim perturbaverat inimicus, ut nichil videretur melius quam fugere e medio et latere. Cæca erant omnia, vastitas et contritio, calamitas et gladius cuncta repleverat. Obstupescere posset humana infirmitas, quomodo sub tantis Christianæ fidei doctoribus, pontificibus scilicet sacris quibus se Gallicana tunc temporis certatim munierat Ecclesia, tanta sustinuerit pericula conculcationes et obprobria, ni crederet judicia Domini incomprehensibilia, quorum multam abyssum ut est investigare hominem velle desipere est. Et utique invenitur in scripturis, quoties ecclesiæ Dei violentior incubuit hostis antiqui furor, totiens ei Domini insuperabiles providisse castrorum spiritualium duces, qui et diaboli machinamentis potenter resisterent, et populo Dei laboranti cornu salutis erigerent. Quod ideo actum est dispensacione divina, ut et probati manifesti fierent, et infidelitate detersa veritas magis ac magis splendesceret in lucem ipsam. Dum ergo hoc tempore omnis nutaret Belgica, beatus Pulchronius propter peccata populi inhabitantis prævidens et prænoscens maximam Galliæ partem eversum iri, holochausta medullata cum adipe agnorum et arietum offerebat pro ovibus sibi commissis, ne forte Deum labiis honorarent, et corde longe posito manibus irritarent, fidemque verbotenus profitentes actionibus abnegarent. Suadebat flammas peccatorum elemosinis redimere, et crimina illa quibus tunc adhuc fere tota premebatur Gallia, de saturitate ventris securitate et ocio pululantia, confessione et penitentia digna abstergere, dicens [137] quia qui accusatur testimonio conscientiæ, frustra Dei oculos sub umbra et foliis nititur effugere. Accedebant et miracula juncta prædicationibus, quæ per servum suum Deus operari dignabatur, ut quibus sola non sufficiebat prædicatio, terrerentur miraculo, immo ad cognoscendam

VARIÆ LECTIONES.

[136] cod. V::::ndalos. [137] *superscriptum.* [138] burgandus. longobardus *corr.* burgondus. langobardus; *ita et infra.*

suam maliciam, et reprimendam atque delendam invitarentur. Sed quid non audet impunita nequitia? Nihil erat quod peccantes ab immanitate scelerum posset compescere, donec veniens gladius vindex iræ cælestis omnes percuteret sententia irrevocabili. [Jord.] Attila [139] enim, ut diximus, rex Hunorum, quingentorum milium numero confisus exercitus, patre genitus Munzucco, vir in concussione natus in mundo, terrarum omnium metus, mirabili sorte cuncta terrebat, formidabili de se opinione vulgata. Erat namque superbus incessu, oculis vigentibus, ut elati potentia ipso quoque motu [140] corporis apparet. Bellorum amator, ipse manu temperavit, consilio validus, supplicantium exorabilis, propicius in fidem semel receptis, forma brevis, lato pectore, capite grandiori, minutis oculis, tenui naso, teter colore, B originis suæ signa referens. Qui quamvis hic esset naturæ ut semper magna præsumeret, addebat tamen ei confidentiam gladius Martis inventus, apud Schitarum reges semper habitus, per quem arbitrabatur se orbis principem constitutum et potestatem sibi concessam bellorum homo subtilis. Antequam bella gereret, arte pugnabat. Unde et omnium civitatum et regnorum sitibat dominium. Aderat cum eo et Walamer Ostrogothorum rex et Ardaricus Gepidarum, quos propter sagacitatem suam super ceteros regulos Attila diligebat; cetera turba regum diversarumque nationum duces satellites Attilæ nutibus deserviebant. Ipse rex omnium regum super omnes pro omnibus sollicitus erat; more turbinis C inundantis omnia devastans et conterens. Quod sua miseria satis didicit Gallia. Inaudita namque ante se potentia solus Schitica et Germanica regna tenuit et utraque Romani orbis imperia terruit civitatibus captis; et ne reliqua disperderentur, annuum vectigal accepit : ut Jornandis historiographus refert. In ovile ergo Dominicum lupis irruentibus, Hunis scilicet in populo Domini debacchantibus, innumerabilis eorum exercitus urbes invadit primæ Belgicæ [141], populos qui Wandalorum manus evaserant, et vix adhuc respirare valebant, clamantes de profundo miseriarum : *Hos fame, illos premit ferro; illos neci, istos addicit captivitati.* Miserabilis et prorsus miseranda conditio, videre plebes omni destitutas mumine, omni frustratas solamine, in quarum viscera D recenti adhuc memoria Wandalicæ persequutionis rabies efferbuerat, has nunc tremere sub jugo Hunorum, pallere ora jejunio, in omni crudelium dominorum emori servitio, puellas, virginesque sacras, si quæ remanserant, matronas [142] etiam et ingenua quæque nobilia corpora lupanari sterni ludibrio; quibus optabilius fuerat ferro perimi quam tam ignominiosæ servituti subjici. Capti episcopi ludibrio A fuere beluis, interfecti presbiteri et diversorum officia clericorum, subversæ ecclesiæ, ad altaria Christi stabulati equi. O si possemus in speculam mentis ascendere et tantarum miseriarum genera inspicere, videremus gentes gentibus et regnis regna collisa, alios torqueri, alios necari, alios fluctibus obrui, alios ad servitutem trahi. Ubique luctus, ubique gemitus, et plurima mortis imago. Quot monasteria capta, quantæ fluviorum aquæ humano cruore mutatæ, vastatæ urbes et tracti greges captivorum! Peccatis populi facientibus fortes erant barbari, viciis Christianorum [143] Hunorum superabat exercitus; offensus erat Deus, et accensus furor ejus [144]. Excecatum enim erat cor filiorum hominum, et præter paucos senes omnes in captivitate et obsidione generati non desiderabant, quam non noverant, libertatem [145].

Videbat inter hæc pontifex sanctus quod dolebat; populus jam quod merebatur agnoscebat. Nullum erat consilium, nulla evadendi spes, nullum nisi de Dei pietate refugium. Hortabatur filios saltem in die ultionis resipiscere, crimina quæ prius neglexerant, imminente jam cervicibus mucrone, confiteri et plangere ut possent iram Dei jam præsentem, jam incumbentem, in mansuetudinem vertere, ut gladius foris devastans, intus pavore deprimens, dum pervenerit usque ad divisionem animæ et corporis, fieret per patientiam sustinentibus placatio furoris Altissimi, ne renatos lavachro salutari mors secunda possideret, et de dampnatione corporis et animæ inimicus exultaret. Sic omnes documentis salutaribus informans et sacerdotali benedictione confirmans, incitabat universos ad coronam martyrii, ut per penitentiam uncti et quodammodo incorporati divinæ voluntati, mererentur fieri holocaustum regis æterni, purgati camino tribulationis. Munierant [146] autem et ipsi civitatis loca oportuna, accessu difficilia, defensioni idonea, et eo se probus quisque et potens viribus contulit ad frustranda hostium molimina, imitati Machabeorum virtutem, qui dum simili coartarentur angustia, res illis fuit pro anima, gladius pro tuitione et tutela, studium pro vita tuenda, labor omnis ne simili ut dudum prosternerentur ignavia [147]. Nec erat perdifficile Hunos furoris cædisvæ suæ vesaniam longe lateque extendere; quam ob rem et populus ad vocem sacerdotis salubria monentis dum didicisset procul respicere proximum bonum esse, vias [148] vitæ quas fastidivit per innocentiam, tenebat jam per penitentiam. Opperiebatur anhelo spiritu dependentem cervici mucronem, et gratissimum erat eis sic emori, dum reformidabant omni ferro graviorem barbaricæ dominationis et direptionis captivitatem. Advenerat jam dies tubæ et

VARIÆ LECTIONES.

[139] Attila — histor. refert *in margine postea addidit Hugo; non erant in Vita Pulchronii.* [140] nutu *corr.* motu *cod.* [141] Galliæ *corr.* Belgicæ *c.* [142] matr. —corpora *in marg.* [143] ejus *corr.* christianorum *c.* [144] et a. f. e. *in rasura.* [145] *Post hæc scæ vel septem voces erasæ, quarum quarta fuit* turba. [146] Munierant —gentium *in marg. atramento alio.* [147] *Post hæc atramentum mutatur.* [148] vias *et* fastidivit *in rasura.*

clangoris, strepitus et ululationis. Diffunditur hostilis acies, fluunt Christianorum cædes, fluunt sanguinis flumina hostili crudelitate profusa, non bestiarum sed hominum cruore manantia. Senum qui reliqui erant [149] nemo miserabatur, juvenes absque respectu trucidabantur. Matribus et virginibus nichil pudoris, nichil verecundiæ servatum est; pueris et infantibus misertum non est. Pervenit gladius usque ad animam. Cum ante oculos reduco quod factum est, præ doloris amaritudine vox ipsa concluditur, quia in tanta plebis Dei vastatione meret mens, cor cruciatur et spiritus anxiatur. Miserere, Domine, populo tuo, funiculo hereditatis tuæ! Ne deseras partem tuam nec des eam in conculcationem gentium.

Numerum igitur peremptorum sola Dei scientia colligit, quia civitatibus castellisque Wandalica nuper crudelitate dirutis atque expositis, vix ullus erat receptui locus, vix ullus fugæ patebat aditus. Si qui vero se in abditis silvarum occuluissent, pallebant marcentia ossa jejunio, præsertim cum et ibi non deesset qui latentes investigaret, inventos traheret, tractos prosterneret. Sic maxima pars Galliarum hostium præda efficitur, civitates aliquæ pene [150] absque habitatione redduntur : qui evasere, in abditis montium, in cavernis petrarum vitam trahunt potius quam deducunt. Adeo in nece populi peccantis ira deseviebat Altissimi. Plures [151] tamen sacerdotum cum plebibus sibi commissis in munitionibus ad quæ confugerant quasque attentius præmunierant ex periculis [152] quibuslibet divina protectione et humana defensione liberati sunt. Hac itaque tempestate beatus Lupus evidentissima dedit suæ sanctitatis signa, qui, ut in ymmo ejus canitur, *dum bella cuncta perderent, orando Trecas muniit.* In omnibus autem locis quæ ab eis vastata sunt, si quid inventum est opum, præda fuit; reliqua consumpsit incendium aut redemit vectigal annuum. Quid [153] vero per singulas urbes et loca egerint, singulis urbibus et locis sua vexatio satis superque est testimonio. Nos breviter quis ejus audaciæ finis fuerit videamus, et sic ac enarrandum beati viri obitum reflectamus articulum.

Post multam igitur effusionem sanguinis sanctorum Aurelianis perveniunt. Regebat [154] eo tempore Aurelianensem urbem sanctus Anianus, sextus urbis ejusdem episcopus, qui post sanctum Evantium, qui tempore Constantini principis et papæ Silvestri Definiano successit, cathedram susceperat.

[Jord. 37.] Et cum [155] Etius patricius, qui sub Marciano principe Gallias regebat, comperisset Singibanum [156] Wandalorum regem, qui in ea morabatur et partibus Etii favebat Aurelianorum velle tradere civitatem, cui [157] sanctus Anianus episcopus præerat, ut dictum est, missa ad Theodoricum regem Wisigothorum, petens auxilium contra Hunos, quibus si prævaluissent, mediam partem Galliæ Gothis daret. [Fred.] Quod et Theodoricus annuit. Aliosque mittens nuncios ad Attilam regem Hunorum, auxilium petivit contra Gothos qui Galliam conabantur invadere; quibus si prævaluissent, mediam partem Galliæ Hunis daret. Quod cum et Attila annuisset, utrimque Gothi et Huni pro parte Galliæ gravi confligunt certamine. [Jord. 41.] Cæsa sunt eo prælio Wisigothorum ducenta milia cum rege Theodorico, Hunorum vero centum quinquaginta milia, exceptis [158] 90 milibus Gepidarum et Francorum, qui inter se ante congressionem publicam mutuis cecidere vulneribus, Francis pro Romanorum, Gepidis pro Hunorum parte pugnantibus nocturno occursu. [Fred.] Sic orationibus beati Aniani et industria Aetii patricii civitas Aurelianis liberata est. Huni vero cum Ostrogothis in Mauriacensi resident campania. Thorsimundus autem qui patri in regnum successerat, collecto Wisigothorum omni exercitu patrem ulcisci desiderans, cum Hunis Mauriaco campo confligit. [Jord. 38.] Tribus diebus continuo pugnatum est, Sangibano [159] semper in medio posito ne ad Attilam deflecteret, et innumerabilis multitudo corruit. Etius vero consilio strenuus noctu veniens ad Attilam dixit : *Optaveram ut tua virtute regionem hanc a Wisigothorum infestatione potuissem eripere; quod fieri nequaquam potest. Hac enim nocte Theodoricus Thorsimodi frater cum maxima Gothorum gente advenit, quem præliando vincere non poteris, et utinam evadere possis.* [Fred.] Tunc Attila dedit Ecio decem milia solidorum, ut ejus auxilio et virtute Pannoniam redire posset. Ipsa etiam nocte Etius ad Thorsimundum pergens, causam consimilem de adventa maximæ multitudinis Hunorum a Pannoniis confinxit, adjiciens, debere illum vereri, ne dum remoratur, frater ejus Theodericus regnum ei subriperet. Similiterque susceptis ab eo decem milibus solidorum auxilium spondet contra Hunos, et sic clam Wisigothi recedunt. His ergo fugientibus, Hunis quoque altera ex parte recedentibus, Etius, junctis sibi Francis, suos post tergum Hunorum direxit. Quos usque Toringiam persequutus est, et sic ejus virtute et ingenio Gallia ab hostibus liberatur. Cum igitur hæc factio Thorsimodo et Gothis perlata fuisset et illi promissam Galliæ partem requirerent, urbiculus aureus quingentarum librarum [160] gemmis ornatus compositionis causa eis ab Etio transmittitur, qui usque hodie in thesauris Gothorum pro ornatu reservatur.

[Jord. 40.] Narrat [161] Getarum historia, Theodoricum Wisigothorum regem a Valentiniano juniore

VARIÆ LECTIONES.

[149] q. r. e. *postea additum; ad latus legitur* eptis. [150] *superscriptum.* [151] Plures — lib. sunt *in marg.* [152] ex.. plebous *c.?* [153] Quid — articulum *in marg.* [154] Regebat — susceperat *in marg.* [155] *in rasura.* [156] S. W. r. q. in ea m. et p. E. f. *superscripta.* [157] c. s. A. e. p. *in rasura*; ut d. e. *superscripta.* [158] exceptis — occursu *in margine.* [159] S. s. in. m. p. ne ad A. d. *in margine.* [160] Q. l. *superscripta.* [161] Narrat — inglorius *in margine folii antecedentis leguntur adjecto signo* Θ. *Sed ea huc pertinere, docent verba* Verte folium in signo Θ *quæ post* reservatur *superscripta habentur.*

qui regnavit in partibus Occidentis ad usque hostes Pannonios incitatum, quatuor filiis domi dimissis, cum Thrasimundo et Theoderico ad prælium processisse; Etium e contra tanta cura et prudentia processisse obviam Attalæ, ut infinitum agmen non impar occurreret. Bellum atrox, multiplex, immane, pertinax, cui simile nullum narrat antiquitas, ut rivulus humili ripa prælabens sanguine nimio torrentis more inundaret. Quo Theodericus, dum suos circuiret adhortans, equo dejectus et suorum pedibus conculcatus vitam finivit. Quo facto Wisigothi divisi ab Alanis invasis Hunis pene Attilam trucidassent, nisi eo suos intra septa castrorum recludente nox prælium diremisset, quod circa nonam diei horam ceptum erat; ubi tamen obsidione clauderetur, nisi obstitissent sagittarii quibus se certatim munierat. At Thorismundus curatis exequiis dum patrem ulcisci desiderat, Etium quid ageret consulit. Qui metuens ne Hunis funditus peremptis a Wisigothis Romanum premeretur imperium, præbet consilium ut ad patrias sedes rediret regnumque arriperet, ne germani ejus paternis opibus prærreptis regnum invaderent, et graviter cum suis quam cum extraneis pugnaret. Hoc responso accepto rediit ad Gallias. Qua discessione Attila cognita, ad oppressionem Romanorum intendit et Aquileiensem obsedit urbem, quæ est metropolis Venetiarum. Thorismundus in campis Catalaunicis, ubi et pugnaverat, regia majestate subvectus Tolosam ingreditur. Attila, Aquileia capta et crudeliter diruta et vastata, per reliquas Venetum civitates debachatur. Mediolanum subvertitur, Ticinum diruitur, vicina loca alliduntur, et totam pene Italiam demolitur. Romam dum intendit peraccedere et a suis removetur exemplo Allarici regis, quod ille post fractam Romam non diu supervixerit, Leo papa per se ad eum accessit, a quo delenitus ultra Danubium pacta pace discessit, graviora se Italiæ illaturum mala denuncians, nisi sibi Honoria Valentiniani germana Placidiæ filia cum portione opum regalium sibi mitteretur; quod ab Honoria et requisitum erat. (*Ib.*, 43.) Et dum Alanos ultra Ligerim consistentes sibi temptat subigere, a Wisigothis quorum intendebat exterminio, Alanis opem ferentibus, recessit inglorius. (*Ib.*, 44.) Thorismundus ergo Hunis devictis, pace suorum composita, obiit, Theodericus frater successit. Qui Reciarium Suevorum regem in Hispaniam invadentem auxiliariis Gundioco et Chilperico regibus Burgundionum usque ad internecionem prostravit, eo perempto; cui Recismundus sub Gothorum dominio successit. (*Ib.*, 47.) Et Theodericus occubuit, Eurico fratre ei succedente, qui Arelatum et Massiliam propriæ subdidit dicioni. (*Ib.* 48.) Vixit autem usque ad tempus Theodemiri regis Ostrogotharum Gothis [162] eis omnino subjectis et Attilæ imperio parentibus. Nec aliter aliqua gens Scithica ab Hunorum imperio dirimi potuit, nisi in commune optata cunctis nationibus Attilæ mors prævenisset. Quæ tam vilis fuit ut vita mirabilis. Nam dum post innumerabiles uxores puellam sibi sociasset et in nuptiis hilaritate nimia resolutus vino somnoque gravatus esset resupinusque jaceret, sanguis qui insomniato de naribus fluebat, dum consuetis meatibus impeditur itinere ferali faucibus illapsus dormientem extinexit. De quo id accessit mirabile, quod Marciano principi Orientis de tam feroci hoste sollicito divinitas adsistens arcum Attilæ fractum eadem nocte ostendit, ut Priscus historicus refert. Nece autem ejus comperta, in mediis campis et intra tentoria serica cadavere locato spectaculum mirabile exibetur. Nam de tota Hunorum gente lecti equites locum quo erat positus ambientes, facta ejus cantu funereo prosequebantur, ingentem commessationem celebrantes luctumque funereum mixto gaudio explicantes. Cadaver autem loculo inclusum primum auro, secundum argento, tertium ferro communiunt, quod ferro gentes edomuerit, in auro vero et argento ornatum utriusque rei publicæ acceperit. Adduntur arma hostium cedibus adquisita falerique vario gemmarum fulgore pretiosi, diversi quoque generis insignia quibus aliquod decus colitur. (Cf. *ib.*, 50.) Et ut tot tantisque divitiis humana cupiditas arceretur, huic operi deputatos detestabili mercede trucidarunt, sepelientes scilicet ut esset mors momentanea sepelientibus cum sepulto. Locus vero sepulturæ ejus fluvius immanissimus ab alveo suo in septuaginta rivos extensus. Et ubi totus fluvii inundabat impetus, ibi sepulturæ est traditus, et obstructis rivis fluvius alveo suo est redditus.

Igitur Gallia ab infestatione Hunorum ita quidem tunc temporis liberata est. Pauci etiam qui remanserant Christiani divinam ultionem juste in se exercitam videntes et propitiationi ejus animo gratias agentes, exequendis mandatis Dei promptiori subdebantur animo. [Beda.] Etius quoque patricius, magna occidentalis rei publicæ salus et regis Attilæ terror, a Valentiniano manu propria fraude perimitur. Qui postea a duobus Etii familiarissimis dolo Maximi interfectus est anno imperii sui 30, anno 4 Marciani. [Fred.] Cui succedens Maximus tyrannus relictam Valentiniani sibi duxit uxorem, et quarto mense tumultu militari occiditur, succeditque Avitus, a Gallicano exercitu primo Tolosa a Gothis, deinde apud Arelatum augustus appellatus. Qui tertio anno imperio et vita caruit, et Marcianus monarchiam optinuit. Quo mortuo anno ab incarnatione Domini 457, Majorianus in Italia et Constantinopolim Leo augusti appellantur. Anno igitur [163] ab incarnatione Domini 455, antequam Avitus imperator fieret, Gaysericus Wandalorum rex sollicitatus a relicta Valentiniani, Romam ingreditur, ditatusque opibus Romanorum Affricam redit, Valentiniani uxorem et duas

VARIÆ LECTIONES.

[162] Gothis — est redditus *in marg.* [163] *Post hæc tria fere vocabula erasa.*

filias et Etii patritii filium Gaudentium secum habens. [Isid.] Regnavit Gaysericus a. 37, m. 3, et eo mortuo successit Honoricus.

[Jord. 50.] Igitur [164] mortuo Attila, dum successores ejus cuncti imperare cupiunt, omnes simul imperium perdiderunt. Ardaricus enim, Gebidarum rex famosissimus, contra filios Attilæ primus insurgit, et bellum commissum est in Pannonia concurrentibus gentibus variis quibus Attila dominatus fuerat, Gothis, Gebidis, Suevis, Hunis, Alanis, Erulis, quorum triginta milia Ardarici gladius interemit; reliqui fugantur. In [165] eo prælio Elac major filius Attilæ occiditur, reliqui fugantur juxta litus Pontici maris, ubi prius Gotthorum sedes fuere. Gepidæ victores Daciæ fines occupaverunt, Gothi Pannonias, Huni Illiricum, Alani Scithiam inferiorem. Erma junior Attilæ filius extremam minoris Scithiæ sedem sibi accepit, et habuit Marciano imperante.

Beatus itaque Pulcronius, urbis Clavorum episcopus, cursu vitæ consummato discessit 2 Kal. Mai. et migravit ad Dominum. Corpus ejus in ecclesia sancti Amantii nomine honore dicata sepultum est : licet a multis astipuletur, timore hostium sepultum eum juxta viam publicam, quia in ipsis bellorum tumultibus raptus sit, ne videret exterminium civitatis et populi, et postea rarescentibus bellis super eum edificata sit ecclesia a viris timoratis. Unde postea evolutis aliquot annis nutu divino levatum sit sacratissimum corpus ejus, et in ecclesia sancti Petri ut sanctum decuit honorifice reconditum. Successit ei sanctus Possessor, de quo certum habemus quia placuit Deo et inventus est justus. Obiit et ipse mense Decembrio, die primo, et in ecclesia sancti Petri sepultus [166]. De sancta eorum memoria hoc in patrum scriptis invenimus, quod (Bercarii G. *cf. Virdun.*) eorum merita Deo fuerint grata, et inter cives sanctorum ipsi fuerint annumerati. Celebratur dies translationis annuatim celebri memoria 4 Nonas Maii.

[Jord. 53.] Ostrogothorum [167] autem rex post Walamerem Theodemir fuit, et post eum filius ejus Theodericus fuit rex potentissimus. Qui annorum septem pacis obses Marciano redditur et Constantinopolim ad Leonem ducitur. Quo tempore Gothi Hunos usque ad internecionem sternunt, Scirorum gentem deleverunt. Quo prælio Walamir occubuit, et a Teodemiro fratre ejus Suevi, Sarmatæ, Gepidæ et Alani vastantur et subjiciuntur, et a Leone imperatore filius ei redditur. (*Ib.*, 56.) Theodemir fratrem suum Widimer ad Italiam dirigit, ubi ille defungitur heredem sui nominis relinquens, qui magnis muneribus a Glicerio imperatore susceptis ad Gallias venit et junctis Wisigothis Gallias suo jure defendit, quæ a vicinis gentibus premebantur. Theodemir autem Pannoniam invadit et Thessalonicam, et ab Ylario patricio muneribus sumptis loca quæ incolerent accipiunt sicque quiescunt. Theodemir obiit, Theodericum relinquens heredem, ut dictum est, Zenone imperante. (*Ib.*, 57.) A quo Theodericus invitatus et consul factus et in filium adoptatus, missus est Romam ad liberandum eam a tyrannide regis Thorcilingorum et Rugorum : quam et tercio ingressus sui in Italiam anno optinuit, et regio coronatus est diademate, Alarico super Wisigothos regnante, Sigismundo in Burgundia, qui et ejus filiam habebat, Clodoveo in Francia, Ermenfrido in Toringia, Trasamundo super Wandalos. (*Ib.*, 58.) De Alarico natus est Amalaricus. Qui cum regnaret in Gallia et Hispania, a Francis apud Barcinonam peremptus, regnum cum vita amisit. Postque in Wisigothis Theudis regnans, Agili regnum reliquit, contra quem Athanagildus cum Liberio patricio Romanorum insurrexit. Super Ostrogothas vero in Italia post Theodericum Athalaricus filius filii ejus regnavit, cui successit Theodatus. Quo dejecto, Witigis rex creatur, in quo finitum est regnum et cessit Romano imperio.

Redeamus jam ad successiones imperatorum et pontificum Romanorum. Majorianus quinto anno regni sui interficitur Romæ contra Wandalos profectum faciens, et Antimus imperator efficitur, anno 7 Leonis imperatoris. (*Ib.*, 45.) Antimus [168] imperator a Recimero genero suo bello intestino peremptus, regnum reliquit Avito. Qui ultro recedens Placentiæ episcopus factus, regnum liquit Olibrio. Et hic spadonum ensibus occubuit. Et Glicerius apud Ravennam cæsar factus, a Marcellini sororis filio Nepote vix anno exacto episcopus ordinatur in portu Romano. Et Nepus fugiens Orestem, qui filium suum Augustulum apud Ravennam imperatorem creaverat, apud Dalmatias defecit. Cui successit Augustulus, quem ab augustali dignitate Odoacer Herulorum rex dejecit et imperium obtinuit; et sic augustalis illa sublimitas, quæ ab Octaviano cepta est, apud Romam deperiit, anno ab incarnatione Domini 475, imperii vero 522, ab urbe condita 1214.

(*Gesta p. R.*) Anno ab i. D. 466. Hilarius sedit Romæ a. 6, m. 3, d. 10. Cui successit Simplicius, sedit a. 15, m. 1, d. 4. Sub hujus episcopatu venit relatio de Grecia ab Achacio Constantinopolitano episcopo, affirmans Petrum Alexandrinum episcopum Euthichianistam hereticum factum. Tunc Simplicius dampnavit Petrum Alexandrinum, eo quod Acatius innumera crimina de eo affirmabat, reservato tempore penitentiæ. Obiit ergo Simplicius et

VARIÆ LECTIONES.

[164] *Hinc incipiunt varia additamenta, quæ parva membranæ lacinia inserta continentur, valde difficilia dijudicatu, quoniam nulla fere argumenti duceris concinnitate et signa appicta interdum evanuerunt. Accurate quantum potui signa secutus sum et ubique indicavi. URLICHS.* [165] In — fuere *in scedula assuta.* [166] *Huc videntur pertinere verba in superiore margine atramento eodem verum tenuibus ductibus appicta :* Severus . . . fuco 4. anno occubuit. [167] Ostrog. — imperio *in marg.* [168] Antimus — Domini 596. *in scedula assuta.*

sepultus est in ecclesia beati Petri 6 Non. Marcii, et cessavit episcopatus dies 6.

[Fredeg.] Post captam igitur Romam regnum Gothorum bifaria divisione partitum est, et qui in Italia remanserunt, ditioni se imperii tradiderunt; reliqui Tolosam Aquitaniæ civitatem sibi statuerunt sedem. Elegerunt Adaulfum regem, qui et Placidiam duxit uxorem, ut dictum est. [Isid.] Quo septimo anno occiso, Vallia successit, et ei Theodoricus, et Theodorico Thorsimodus, Thorsimodo quoque Theodoricus, et ei Euricus frater ejus. Qui Hispanias Galliasque et totam Burgundiam sibi subdens 24° anno regni sui Arelato obiit. Cui successit Alaricus contra quem Clodoveus pugnavit. [Fredeg.] Gothi ergo, qui terram Italiæ possederunt, et se ditioni imperii Leonis tradiderunt, cum ab Odoacro rege Herulorum et vicinis gentibus assidue vastarentur, per legatos Leonem imperatorem postulaverunt, ut Theodericum eis institueret patricium, qui adversariis eorum resisteret. Quod imperator Leo clementer annuens, cum consilio senatus Romam Theodericum direxit, qui a Romanis et Gothis patriciatus honore gloriose susceptus est. Hic ex genere Macedonum fuit. Idacius enim patricius et Eugenia uxor ejus cum essent absque liberis, et haberent in ministerio creditarios pueros, Theodorum et Liliam Macedones, unde parvuli fuerant advecti, copulaverunt eos invicem. Eugenia jussit puellæ ut in nocte qua jungerentur quicquid vidisset in sonnio sibi referret. Vidit ergo puella sonnium, quod arbor de ea exiliens tam excelsus esset ut nubes penetraret. Quod cum viro narrasset, dicit ad eam : *Cum steteris in conspectu dominæ tuæ, dices ei vidisse te hac nocte equum et equam nimiæ pulcritudinis, quos sequebatur equus parvulus, ambulantes in medio dominorum tuorum.* Eugenia hoc audiens viro suo nunciat, et putantes liberum futurum, statim utrosque liberos esse jusserunt, et rebus plurimis ditaverunt. Peperit ergo Lilia filium nomine Theodericum, quem Idacius et Eugenia, quia esset decorus, prudens et fortis et longus, sibi adoptaverunt in filium. Post quorum mortem præcepto Leonis imperatoris militare jussus, duodecim annis militiam gerens tantæ fortitudinis et ingenii prælia gessit, ut ab omnibus diligeretur. Postremo senatores palatii tanto invidiæ dolore cum persequuti sunt, ut inquirerent qualiter jussu imperatoris interiret. Tholomeus autem quidam de senatoribus cum eo amicitiam iniit, quam usque in diem obitus custodivit. Susceptus ergo a Romanis et Gothis cum Odoacro qui Romam optinuerat et Herulis plura prælia gessit. [Fredeg.] Die igitur quadam inito prælio Theodericus cum Gothis, fugiens Ravennam ingressus est. Ubi Liliam matrem suam inveniens, ab ea correptus cum inproperio, quod non esset ubi fugeret nisi ut iterum ingrederetur uterum de quo natus esset, nimium confusus, cum paucis iterum obviam exivit Odoacro et Heruli[s]. Quos dispersos inveniens, cum paucis eos superat, persequutusque Odoacrum vinctum cum uxore et liberis interfecit, gentemque et regnum Herulorum delevit.

[Isid.] Postquam vero Wandali ad Affricam transierunt, Galiciam Suevi sortiti sunt : et rex eorum Erenricus regnavit a. 32, et post eum Recila a. 8, cui Recianus filius successit, et catholicus factus regnavit a. 8. Quo interfecto Maldra, Frumarius et Reccimundus reges constituuntur. Multis itaque Suevorum regibus in Arriana perfidia permanentibus, tandem regnum Theodomirus accepit, qui statim Suevos catholicæ fidei reddidit. Cui Maro successit et regnavit a. 14. Huic Eboricus successit, quem Audeca sumpta tirannide regno privavit et monachum fecit. Contra quem Leovigildus Gotthorum rex pugnavit et captum totondit et presbyterum fecit, et sic regnum Suevorum in Gothos transfertur, quod manserat a. 177. Regnum vero Gotthorum postea duravit a. 380. Leovigildo, regi Hispaniæ qui Alarico successit, Richaredus rex successit, fratre ejus Herminigildo martyrio a patre coronato. Hic Richaredus secrete baptizatus, omnes Gothos Toletum adunatos ad fidem catholicam reduxit, anno ab incarnatione Domini 596.

[Ado.] Tempore [169] Leonis Ylarius Arelatensis et Claudianus Viennensis clari habentur. Pyminiola, soror sancti Ylarii Arelatensis, uxor fuit sancti Lupi Trecassinensis, cujus discipulus fuit sanctus Pulchronius Virdunensis. Septem autem simul fuere annis.

(*Gesta p. R.*) Tempore igitur Odoacri regis sedit Romæ Felix natione Romanus, patre Felice presbitero, a. 8, m. 11, d. 18. Fuit usque ad tempora Theoderici. Sub hoc iterum venit relatio de Grecia Petrum Alexandrinum revocatum ab Acatio Constantinopolitano, et facto concilio Felix papa dampnavit Acatium cum Petro. Leo ergo imperator exactis in imperio 17 annis obiit anno ab inc. Dom. 474. Successit alter Leo et eodem anno defunctus est. [Isid.] Tunc Zenon imperator efficitur, quod tenuit a. 16. Sub quo corpus Barnabæ apostoli reperitur. Ab hoc relatio venit ut penitens rediret Acatius. (*Gesta p. R.*) Tunc papa Felix misit duos episcopos Mesenum et Vitalem, ut si invenirent complicem Petri Acatium dampnarent eos. Qui corrupti pecunia non fecerunt juxta præceptum apostolicæ sedis. Eodem tempore facta synodo invenit judicium, ambos episcopos corruptos pecunia, et ejecti sunt a communione. Hic sepultus est in basilica beati Pauli, et cessavit episcopatus dies 5. Post eum Gelasius natione Afer, patre Valerio, sedit a. 4, m. 8. d. 9. Hic fuit amator cleri et pauperum et liberavit a periculo et fame urbem. Hujus temporibus Manichei in urbe inventi exilio deportati sunt, et codices eorum incendio concremati. Hic revocavit Mesenum ad communionem sub satisfa-

VARIÆ LECTIONES.

[169] Tempore — annis *in marg.*

ctione, et purgatus receptus est. Hic dampnavit in A plum, dampnationi suæ ipsi esse obnoxii; nec maperpetuum Acatium et Petrum, nisi resipiscerent. Obiit 11 Kal. Dec. Fecit tractatus et hymnos.

[Beda.] Post Zenonem imperavit Anastasius anno ab incarnatione Domini 490, annis 27, qui, quia catholicos insequutus est favens heresi Euthicetis, fulmine interiit. [Isid.] Trasamundus [170] Wandalorum rex catholicas ecclesias clausit et 220 episcopos Sardiniam misit. Regnavit a. 27, m. 4. Cui successit Ildiris Honorici filius.

(*Gesta p. R.*) Anastasius papa, natione Romanus, sedit Romæ a. 1, m. 11, d. 24. Ab hujus communione subtraxerunt se multi, eo quod sine consilio ecclesiæ catholicæ communicasset cuidam diacono Thessalonicensi, nomine Fotino, qui communicabat Acatio. Et cum vellet a decessoribus suis dampnatum occulte revocare Acatium, non potuit, quia divino judicio percussus interiit. Successit Symmachus 53 a Petro, natione Sardus, patre Fortunato, sedit a. 15, m. 7, d. 27. Fuit tempore Anastasii et Theoderici. Constituit ut die Dominico et sanctorum nataliciis canatur *Gloria in excelsis*. Hic inter multa ecclesiarum opera omnibus episcopis per Affricam et Sardiniam exilio relegatis omni anno necessaria ministrabat.

Anno ab inc. Dom. 509, obiit sanctus Benedictus, et in Monte Cassino per 15 annos jacuit, et post corpus ejus in Galliam translatum est anno 660. Tempore Anastasii claruit Antonius.

(*Gesta p. R.*) Hic et Laurentius sub intentione C ordinati sunt uno die, et confirmatus est Symmachus, et ordinavit sub intuitu misericordiæ Laurentium episcopum in Nucerina civitate. Post annos 4 zelo ducti quidam de clero et senatu incriminaverunt Symmachum, et facta sunt mala pejora prioribus. Quidam vero de senatu quasi consultius agentes, miserunt ad Theodericum regem, ut eis destinaret qui ordinaretur apostolicus depositis illis utrisque. Qui contra sacros canones misit eis Petrum, Altinæ civitatis episcopum. Symmachus vero congregans universalem synodum 125 episcoporum, prius purgavit se de crimine quod de eo ferebatur, deinde tam ipse quam omnes dampnaverunt Petrum a rege missum ut invasorem sedis apostolicæ, et Laurentium similiter qui seditiosis assentiens videbatur se ad papatum ingerere. Ipse vero in Do- D mino confortatus usque ad diem dormitionis suæ permansit apostolicus. Audiant qui favorem terreni principis divinæ voluntati anteponunt, et intelligant istius dampnationis sententiam usque ad se dirivari et pertingere, quæ a beato Symmacho papa et aliis 125 episcopis in Petrum et Laurentium legitur processisse. Discant hic saltim [171] hi qui apostolicam sedem invaserunt et Romanæ ecclesiæ præjudicium fecerunt, qui favorem terreni principis divinæ auctoritati anteponunt, secundum tam evidens exemB lint cum impiis in circuitu ambulare, aut vertiginem capitis sui quæ in propatulo est defendere, quam errorem suum simpliciter confiteri et doctrinam suscipere.

Zenon [172] et Anastasius imperatores Euthichianistæ, hi leguntur prius sibi sanctam catholicam ecclesiam subdidisse, ita ut catholicos episcopos exilio religarent et apostolica traditione postposita sibi consentaneos in eorum sedibus subrogarent. Nam ante horum tempus leguntur quidem heretici imperatores catholicos episcopos multis modis vexasse, electioni vero aut promotioni cujuslibet pontificis nusquam leguntur se miscuisse. Siquidem sub eisdem Euthichianistis imperatoribus et Constantinopoli et reliquis urbibus legitur innumerabilis fidelium multitudo cleri et populi pseudoepiscopos eorum nullatenus suscipere voluisse, quia constabat eos absque sui electione in Dei contemptum et sui erroris augmentum a præfatis principibus promotos fuisse. Ut enim tradit Anastasius, sanctæ Romanæ ecclesiæ bibliothecarius, in chronica Theophanis et Georgii Dei cultorum, quam ipse de Greco in Latinum transtulit: [Anast.] « Vicesimo imperii Anastasii anno, Johanne Niocetæ Alexandrino episcopo heretico mortuo, Dioscorus junior prælatus est episcopus Alexandriæ. Qui cum manus impositionem accepisset, recesserunt multitudines rusticorum dicentes, quia nisi sicut sancti canones continent fiat episcopus, non recipietur. Principes enim intronizaverunt eum. Dyoscorus autem venit ad Sanctum Marcum, et venientes clerici induerunt eum secundo et iterum eum consecraverunt. Et ita veniens ad Sanctum Johannem perfecit collectam. Cum autem esset illic Theodosius filius Calliopii augustalis et Achatius magister militum, turbæ turbatæ ceperunt injuriis afficere filium augustalis, eo quod laudaret imperatorem Anastasium, et insilientes quidam a sede depulerunt eum et interfecerunt. At vero Achacius magister militum quotquot capere potuit interfecit. Quod audiens imperator iratus est. Porro Dioscorus mitigavit eum. Cumque Constantinopolim venisset apud imperatorem pro Alexandrinis intercessurus, ab orthodoxis publice conviciis appetebatur. Quam ob rem et ipse cum ob homicidium intercessisset, cum festinatione recessit. » Ecce quibus primis auctoribus seculi principes suos pontifices nituntur Dei ecclesiæ promovere. Sequentes autem horum hereticorum exempla quidam Grecorum imperatores regni sui urbibus suos episcopos imponentes, Romanæ vero urbi hoc pepercerunt. Decretum enim electionis a clero et senatu susceptum sibi mitti statuerunt, priusquam futurus pontifex consecretur. Quod cum legatur sepius directum fuisse, nusquam tamen legitur eos Romanorum electionem mutasse aut reprobasse,

VARIÆ LECTIONES.

[170] Trasam — filius *in marg.* [171] saltim — anteponunt *in marg.* [172] *Sequentia in marg.*

Hoc tamen quia Domino erat contrarium, ut ecclesia pontifice careret, usque dum qui decretum ferebat iret et rediret, penitus respuerunt sequentes imperatores, religione præstantes, quod liquido cognoscere possumus in præceptis Constantini principis ad Benedictum episcopum et clerum et populum Romanum. Itaque qui attendit alios Grecorum imperatores decretum sibi mitti noluisse, attendat eos nunquam electionem mutasse, attendat etiam . . . . . [173].

Post Anastasium Justinus senior accepit imperium anno ab inc. Dom. 517; regnavit annis 9. (*Gesta p. R.*). Ormisda Campanus sedit Romæ anno ab inc. Dom. 511, sedit a. 8, d. 14, patre Justo de Frisone. Hic constituit clerum et presbiteros erudivit. [Beda.] Post hunc Johannes Tuscus, patre Constantio, a. 2, m. 8, p. 15. Hic Constantinopolim veniens ad portam quæ vocatur Aurea, in conspectu omnium roganti cæco lumen reddidit. (*Gesta p. R.*) Qui cum redisset et Ravennam venisset, Theodericus eum cum comitibus carceris afflictione peremit, invidia ductus quod catholicæ pietatis defensor Justinus honorifice eum susceppisset; quo etiam anno Symmachum et Boetium patritios occiderat, et ipse 99 post hoc facinus die morte subita sequenti periit anno. [Beda.] Episcopi de exilio, quo per Affricam et Sardiniam tenebantur, revertuntur post annos 74 hereticæ profanationis. [Ado.] Julianus Viennensis ecclesiæ episcopus claruit. [Isid.] Childericus enim, qui et Ildiris, Honorici filius ex Eudochia captiva Valentiniani filia ortus, post Trasamundum Wandalorum regnum obtinuit. Hic pro sacramento quo erat astrictus, ut quam diu regnum teneret episcopos ab exilio ne revocaret, antequam regnum acciperet, catholicos sacerdotes quos Trasamundus dampnaverat, ab exilio revocavit. Quem Gilimer sumpta tirannide regno privavit, qui et Childericus dictus est et regnum optinuit. [Fredeg.] Justinus non multo post bellum in Persas movens, cum Calcedonem pertransisset, morbo periit, et Justinianus in regnum elevatur. Qui cum regem Persarum oppressum vinctum teneret, honorifice eum in cathedra sedere jussit, quærens ab eo civitates et provincias rei publicæ. Cumque ille diceret : *Non dabo*, et Justinianus econtra verbo rustico responderet : *Denras*, ob hoc illo in loco civitas fundata nomen accepit Denras. Receptis ergo provinciis et civitatibus plurimis, permisit eum in Persas regnum recipere, et cum magno triumpho reversus est Constantinopolim. Qui cum unico amore diligeret Belsarium, instituit eum patricium in illis partibus Affricæ quæ a Wandalis non fuerat occupata. Senatus autem zelo ductus suggessit de eo imperatori quod dejectionem ejus meditaretur, ut ipse in regnum sublimaretur; et ob id zelum ducens adversus Belsarium, jubet eum Wandalos expugnare, a quibus multæ militum legiones sepe fuerant trucidatæ. Belsarius timens Wandalos, adhortante Antonina uxore sua Christiana, votum vovit Deo se futurum Christianum si posset Wandalos superare. Wandali super litus maris castra metantur, Belsarius econtra terrestri prælio et Antonina navali procedere parant. Cum jam prope conflictum essent, Antonina cum suis egressa, omnes mulieres et liberos Wandalorum delevit, nec animal ex illis vivere permisit. Quod ubi Childemer audivit, retrorsum ad castra rediens, destructa phalanga prælii a Belsario et Antonina, terra marique vallatus cum suis omnibus ad internecionem cesus est. Qui fugiens cum duodecim tantum Wandalis in castro tuto se recepit, ubi coartatus petebat Belsarium, ne ligatum eum imperatori præsentaret. Quo promittenti non se cum ferro, non ligno, non corrigia, non ere ligandum, Childemeris se reddidit. Quem Belsarius catena argentea constrinxit, sociosque ejus interfecit, ipsumque Justiniano præsentavit; quem ille in palatio suo habitare jussit, sed sputis et opprobriis gravibus obprimebat. Petensque imperatorem ait : *Habitatores palatii tui sputis et obprobriis opprimunt me; quorum ego si juberes duodecim et ego unus cum equo quem habui ante conspectum gloriæ tuæ armati accederemus ad prælium, cognosceres cui ex nobis validitas sit aut ignavia.* Quod cum Justinianus duodecim militibus jussisset, ille dum eos aggreditur fugam fingens, omnes singulatim interfecit. [Isid.] Posthac jussu imperatoris eunuchus factus, in provincias vicinas contra Persas patricius ordinatur, et [174] sic regnum Wandalorum finitum est anno ingressionis eorum in Hispaniam 97, et manserat a. 113. [Fred.] Senatus iterum Belsarium Justiniano facit odiosum. Quam ob rem ab honore patriciatus deponitur. Iterum quendam Florianum in imperium nititur sublimare et Justinianum dejicere. Qui petens Belsarium ut se adjuvaret, nuncios misit ad eum. Et ille fingens se Florianum adorare vallatus pueris suis Florianum gladio percussit et omnes inimicos suos qui erant cum eo, coronamque auferens a capite Floriani imposuit capiti Justiniani, reddens ei basia per manus [Fred.].

A. 525. Justinianus imperator Justini majoris nepos regnavit a. 37. Quo defuncto in Constantinopolim Justinus a. 563 ambivit imperium, vir iniquus et cupidus.

[Ado.] Tempore [175] Justini Pantagathus Viennensis quinque annis, cui successit Ysiehus. Tempore [176] Justiniani imperatoris Domninus Viennensis episcopus floruit.

[Fredeg.] Teodericus igitur Gothorum rex, de quo supra retulimus, cum tempore Leonis imperatoris renuisset subire ditionem imperii, triginta annis cum magna felicitate regnavit. Fuerunt omnes anni quibus regnavit in Italia 52 anni, a finibus Pannoniæ usque ad Rodanum fluvium, a Tyrreno mari

VARIÆ LECTIONES.

[173] *Hic quædam discerni nequeunt.* [174] et — 115. *in marg.* [175] Tempore—Ysiehus *in marg.* [176] Tempore—floruit *in marg.*

usque ad Alpes Penninas et Yseram fluvium. 14 A anno regni sui basilicam sancti Juliani Brivatæ columnis mirificis ornatam exstruxit. Civitates omnes quas regebat miro opere restaurare et munire sollertissime fecit. Palatium splendidissimum Papiæ quæ Ticinum cognominatur, Ravennæ quoque et Veronæ fabricare jussit. Cujus filiam Sigismundus Burgundionum rex habuit uxorem. Post [177] quem suscepit regnum Athalaricus filius filiæ ejus et ei Theodatus. [Jord.] Quo dejecto, Vitiges rex creatur, et hic a Justiniano per Belsarium victus opprimitur, et Constantinopulum ductus patricius creatur. Sic regnum Gotthorum post a. 2500 Romanorum cessit imperio.

Amator [178] episcopus Silverio papæ (Mansi, ix, 7): *A quibusdam, Pater dilectissime, audivimus vos e sede* B *sancti Petri injuste pulsum et exilio dampnatum. Quod nimis grave ferentes, misimus vobis argenti libras* 30 *ad vestram vestrorumque sustentationem.* Silverius papa Amatori episcopo : *Omnia patritia mihi infesta erat, quod non restituebam Antemium dudum patriarcham Constantinopolitanum, quem Agapitus prædecessor meus meritis suis donavit. Urgente etiam jussione exierunt falsi testes, dicentes adversum me crimina quorum nunquam particeps fui. Sed dum multi in illa accusatione persisterent, timuit Wilisarius patritius noster, et mandavit me ad se venire pacifice pro quibusdam ecclesiasticis dispositionibus in palacium principis, et ad primum et secundum velum retinuit omnem clerum et populum qui mecum* C *veniebat, et nullum permisit introire nisi me solum et Vigilium nostrum. Me vero vi retentum et ante prædictam patriciam deductum miserunt quomodo sustentor in exilium, pane tribulationis et aqua angustiæ. Comites propterea duos dimisi nec dimitto officium meum, sed cum episcopis quos congregare potui, eos qui talia erga me egerunt anathematizavi, et una cum illis apostolicarum synodali auctoritate statui, nullum unquam decipiendum, sicut deceptus sum, et si aliquis deinceps ullum episcoporum ita deciperet, anathemaranatha fieret in conspectu Dei et sanctorum angelorum.* Silverius Vigilio : *Quia contra jura canonica temporibus Bonefacii papæ ipso vivente successor ejus designari conabaris, nisi tibi amplissimi senatus obviasset justitia, tunc providentia pastorali* D *tua debuerant execranda jam vicia detruncari. Sed dum parvum vulnus in te neglectum est, insanabilis adcrevit apostamia, quæ nisi ferro altius abscidatur, fomentorum, non poterit sentire medicinam. Quippe nequissimi spiritus audacia ambitionis frenesiam concipiens in illius apostolici medici cui animas ligandi solvendique potestas concessa est versari contumeliam, novumque scelus erroris niteris rursus inducere, et in morem Symonis cujus te discipulum ostendis, data pecunia meque repulso, qui favente Domino tribus jam emensis temporibus ei præsideo, tempore meo niteris invadere. Habe ergo cum his qui tecum erunt plenæ dampnationis sententiam, sublatumque tibi nomen et munus ministerii sacerdotalis agnosce, Spiritus sancti judicio et apostolica anathematis auctoritate dampnatus. Sic enim decet fidem sanctorum Patrum in ecclesia servare catholica, ut quod habuit amittat, qui inproba temeritate quod non accepit assumpserit.*

(*H. Misc.*) Justinianus 3 imperii anno promulgavit, ne militarent nisi catholici soli, dans hereticis inducias nisi sese movissent ad conversionem. Hunc adiit Agapitus papa pro quibusdam rogaturus, sed sentiens eum Euthicetam factum, cum eum argueret, et ille graves ei minas intentaret, ait papa : *Ego ad Justinianum Christianissimum venire desideravi, sed Diocletianum inveni.* At ille videns ejus constantiam inconcussam et inadulatam, ad catholicam fidem cum multis regressus est. Anthimum quoque regiæ urbis episcopum præfatæ hereseos defensorem publice communione privavit, et non multo post in eadem urbe defunctus est ; cui successit Silverius. Belisarius post hec Carthaginem cepit, cum 95 annos Wandali eam tenuissent, et omne Wandalorum regnum et stirpem delevit. (*Gesta pont. Rom.*) Silverius itaque cum rogaretur ut Anthimum restitueret, noluit. Ob hoc a Belisario nolente captus ex præcepto Theodoræ augustæ in Pontia insula exulans obiit.

Nomina pontificum Lugdunensium ab inicio : Photinus martyr. Hyreneus martyr. Zacharias. Helius. Faustinus. Verus. Julius. Tolomeus. Vocius. Maximus. Tretradius. Verissimus ; hic interfuit Sardicensi synodo 4. Sanctus Justus. Sanctus Alpinus. Martinus. Sanctus Antiochus. Elpidius. Senator. Sanctus Eucherius. Salonius. Sanctus Veranus. Sanctus Paciens. Sanctus Lupicinus, tempore Wandalicæ persequutionis. Rustitius. Stephanus. Viventius. Sanctus Lupus, tempore Sigismundi et Clodovei. Lyconcius. Sanctus Sacerdos, tempore Childeberti. Sanctus Nicetius, tempore Childeberti ejusdem. Sanctus Priscus ; hic auctor synodorum 21, 22 et 24 extitit. Sanctus Etherius; huic scribebat beatus papa Gregorius. Secundinus. Arigius. Tetricus. Gandericus. Viventius. Sanctus Aonemundus martir. Sanctus Genesius. Sanctus Landebertus; hujus tempore obiit sanctus Bonitius et Lugduni est sepultus, qui Clippiaco in palatio regali sanctum Ansbertum Rotomagensem consecravit antistitem. Sanctus Gudinus. Fulcoaldus [179]. Hic est Fulcoaldus episcopus, qui corpus sancti Boniti [180] Arvernensibus reddidit. Madalbertus. Ado. Eldoynus. Leidradus tempore Karoli Magni; hic restauravit Lugdunensem ecclesiam post destructionem Wandalorum. Agobardus doctrina clarus tempore Ludovici Pii.

VARIÆ LECTIONES.

[177] Post — imperio *in marg. folio assuto.* [178] *Sequentia omnia usque ad finem catalogi pontificum Lugdunensium in* [179] fulc. *deletum.* [180] *vox delata.*

ere annos Lugdunensis ecclesia primatum æcclesiarum in Gallia ab ipsis temporibus apostolorum optinens [181], vices Romanorum pontificum pro suæ sanctitatis merito optinuit. Remigius tempore Karoli Calvi. Sanctus Aurelianus legatus Romanæ sedis; post quem, fuit Agrinius Linguonensis qui non habetur in numero. Aluvala. Bernardus. Austerius. Remigius. Anschericus. Wido. Amblardus. Borchardus senex. Borchardus juvenis. Sanctus Odelricus. Halinardus. Sanctus Gebuinus. Hugo [182].

[Fredeg.] Langobardorum igitur gens priusquam hoc nomine vocaretur egressa de Scatanavia quæ est ultra Danubium et mare oceanum, Danubium transmeavit. Cum a Hunis interrogati fuissent, quæ gens terminos eorum ausa fuisset vitiare et eis bellum conarentur intrare, illi mulieres præceperunt comam capitis ad maxillas et mentum religare, ut habitum virorum similarent, ut ipsa sua multitudine hostes terrerentur, eo quod mulierum comæ ad instar barbæ valde longæ esse viderentur; et exclamaverunt omnes: *Hæc est gens Langobardorum.* Et ita bellum ineunt, Hunos superant, partem Pannoniæ invadunt Narsis ergo patricius cum esset eunuchus, et Sophia uxor Justini imperatoris apparatum muliebrem ex auro factum ei misisset, ut filaret et pensa lanariorum et non populum regeret, ille iratus respondit: *Filabo filum de quo Justinus et uxor ejus ad caput venire non poterunt.* [Paul. Diac.] Hic [183] Totilam Gothorum regem occidit, sed accusatus per invidiam a Romanis recessit Neapolim Campaniæ. [Fredeg.] Et Langobardos a Pannoniis invitans in Italiam cum rege Alboino introduxit, qui Glodesindam filiam Clotharii regis Clodovei magni duxit uxorem. Qua [184] defuncta aliam duxit uxorem cujus matrem occiderat, a qua et ipse veneno periit. Hic invasit, ut dictum est, Italiam, et obsedit, Romam vastavit..... Langobardi ergo elevato [185] rege super se Clyp nomine irruentes Galliis, Amatum patricium perimunt et multas strages faciunt, pro quo Mummolus patriciatum assumpsit.

[Paul. Diac.] His ergo diebus apud Constantinopolim cum amentia quam incurrerat mortuo Justino 17 anno regni sui, Tiberius, qui cum Sophia uxore Justini regnum regebat, invasit imperium et tenuit a. 6, m. 10, d. 8. Qui et largissimus in elemosinis fuit. Sophia adversus Tiberium insidias parans, Justinianum Justini nepotem in regnum voluit sublicus rex carceris afflictione peremit, Felix, natione Samnius, patre Castorio, sedit a. 4, m. 2, d. 13. Post cum Bonifacius Romanus, patre Præjecto de Celio monte, a. 2, m. 4, d. 6. Johannes [186], qui et Martinus, post Bonifacium sedit annis 2, m. 4. d. 6, obiit 6 Kal. Jun. et cessavit episcopatus diebus 5, et successit ei Agapitus Romanus, patre Gordiano presbytero, m. 11, d. 19. Inter Agapitum et Silverium d. 29. Silverius Campanus, patre Ormisda, episcopus Romæ a. 1, m. 5, d. 11. Anno ab inc. Dom. 538, indictione 1. Vigilius Romanus, patre Johanne consule, a. 18, m. 6, d. 26. Anno [187] præsulatus papæ Vigilii 14, indictione 14, anno ab inc. Dom. (*Gesta p. R.*) 552, quinta synodus Constantinopolitana. Anno Justiniani Justini majoris nepotis 27, Vigilius a Justiniano in exilium truditur; revocatus cum Romam reverteretur, in Sicilia civitate Syracusana calculi dolore moritur. Pelagius Romanus, patre Johanne vicariano, a. 11, m. 10, d. 18. Hic ordinatus a duobus episcopis et uno presbitero. Inter Pelagium et Johannem d. 26. Johannes Romanus, patre Anastasio, a. 12, m. 10, d. 26. Hic restauravit cimiteria martyrum et constituit per Dominicas oblationes et luminaria. Benedictus Romanus, patre Bonifacio, a. 4, m. 1, d. 28. Inter eum et Pelagium d. 5.

(*Gesta p. R.*) Anno ab inc. Dom. 582. Mauritius imperator successit Tyberio, regnavit a. 16. Post Benedictum sedit Romæ Pelagius Romanus, patre Unigildo, a. 10, m. 2, d. 10. Eo imperitante fuerunt pluviæ, ut videretur diluvium redisse. Tanta clades quantam nullus meminit a seculo fuisse, qua etiam Pelagius papa moritur et Gregorius doctor electione cleri et populi pontificatum Romanæ suscepit ecclesiæ, anno imperii Mauricii 10, ab incarnatione Domini anno 592, indictione 10, epacta 21, concurrente 7, natus Romanus, patre Gordiano, sedit a. 13, m. 6, d. 10. Hic fecit ut missa caneretur supra corpus beati Petri apostoli. Anno pontificatus 4, indictione 13, congregata synodo 24 episcoporum beati Petri apostoli de necessariis ecclesiæ tractavit. Hic missis Brittanniam Augustino, Meilito, Johanne et aliis pluribus monachis ad Christum Anglos convertit.

[Ado.] Tempore [188] Leovigildi Renatus Viennensis episcopus floruit, qui eodem anno quo Justinus amens factus est, obiit.

[Beda.] Hermenigildus Levigildi Gothorum regis

VARIÆ LECTIONES.

[181] optinet *legi videtur.* [182] *aliis manibus atramentove subjiciuntur:* Parvus Josorrandus. Humbaldus, Vizeliacensis abbas. Rainaldus. Falco. Petrus. Amedeus obiit in itinere [itere *c.*] Iherosolimitano. Hunbertus qui superest adhuc *v. supra p.* 282. [183] Hic — Campaniæ *in marg.* [184] Qua — vastavit *in marg.* [185] e. r. s. s. C. n. *superscr.* [186] Joh. — quinque *in marg.* [187] Anno — moritur *in marg.* [188] Tempore — obiit *in marg.*

ptizatus est, et post omnes o
erant Toletum adunari jussit quinto anno pontificatus Gregorii, et præsentari sibi omnes sectæ Arrianæ libros quos et cremari fecit, et omnes Gothos baptizari mandavit.

[Abo.] Philippus quoque Viennensis episcopus viguit (fol. 36), cui successit Evantius vir sanctus, qui cum sancto Prisco Lugdunensi et Artemio et Senonico et Remigio Bituricensi et aliis sanctis episcopis, Siagrio quoque Eduensi, 20 capitula roboravit; cui successit Verus, cujus diaconus fuit sanctus Desiderius Eduensis, et ei successit Domnolus in redimendis captivis strenuus, eique successit Etherius tempore Eraclii imperatoris.

[Fredeg.] Eo anno uxor Arnulfi imperatoris Persarum virum suum relinquens cum quattuor pueris et totidem puellis, ad sanctum Johannem Constantinopolim episcopum veniens, dixit se unam esse de populo, et baptizata est, quam suscepit de lavacro sancto uxor Mauricii imperatoris. Quæ cum sepius per legatos repeteretur et uxor ejus esse nesciretur, augusta videns eam pulcherrimam et suspicata ne ipsa esset quæ quærebatur, ostendit eam legatis. Quam illi viderunt, et agnoscentes nullum ab ea responsum audire potuerunt nisi prius baptizarentur. Illi animo volenti gratiam baptismi acceperunt. Quibus illa id dedit responsum, non se ad virum redituram, nisi ille primo baptismi perciperet gratiam. Quod cum imperatori Persarum nunciatum fuisset, legationem misit ad Mauricium imperatorem, ut sanctus Johannes veniret Antiochiam, a quo baptismum salutis acciperet. Quod et Mauricius fieri jussit cum infinito apparatu. Ibi baptizatus est imperator Persarum cum sexaginta milibus virorum, et a sancto Gregorio Antiocheno de fonte susceptus. Petiit autem ab imperatore Mauricio episcopos cum clero sufficienti, quod et ille concessit, et sic summa celeritate omnis Persida Christo domino credidit. Eodem tempore anno ab inc. Dom. 598, inventa est tunica Domini inconsutilis in civitate Zafath, et a Gregorio Antiocheno et Thoma Iherosolimitano et Johanne Constantinopolitano cum aliis multis episcopis facto triduario jejunio levata cum arca marmorea, ita levi facta ac si de ligno fuisset, ordine pedestri Hierosolimam cum devotione sanctissima perducta, et in loco ubi crux Domini adoratur cum triumpho posita.

Tempore [189] Mauricii imperatoris, pontificatum Romanæ ecclesiæ agente papa Gregorio a. 9 constructio cenobii Flaviniacensis in castro prænomi-
mavit factum, e
secundo post transitum sancti Gregorii anno, primo scilicet papatus Saviniani, præsidente Lugdunensi æcclesiæ Secundino archiepiscopo.

Anno ab inc. Dom. 602 [190], Focas dux et patricius rei publicæ victor a Persis rediens, Mauricium imperatorem interfecit, et imperium assumpsit; regnavit annos 8 [191]. Eo anno Etherius Lugdunensis archiepiscopus obiit, in ejus locum substituitur Secundinus. Anno Focæ 2, indictione 8, epacta 26, concurrente 4, ab inc. Dom. 605 [192] beatus Gregorius migravit ad Dominum, regnantibus in Francia Theoderico et Theodeberto fratribus. Successit ei in episcopatu Romanæ ecclesiæ post d. 22 Savinianus Tuscus, patre Bono de civitate Blera, sedit a. 1, m. 5, d. 8 (*Gesta p. R.*). Hic addidit luminaria in ecclesia beati Petri. Post eum sedit Bonefacius III Romanus, patre Johanne [193], m. 8, d. 22. Hic rogavit imperatorem ut statueret Romanam ecclesiam caput esse omnium ecclesiarum, quia Constantipolitana se primam scribebat. Bonefacius IIII, de civitate Valeria natione Marsorum, patre Johanne medico, sedit a. 6, m. 8, d. 13. De hoc legitur in ecclesiastica hystoria, quod impetrarit a Foca donari ecclesiæ Christi templum Romæ quod Pantheon vocabatur [194], cujus papatus [195] ... anno Focas obiit. [Fredeg.] Cum enim Heraclius patricius esset universarum Affricæ provinciarum, et Focas imperium nequissime regeret, et modo amentiæ thesauros in mare projiceret, dicens se Neptuno munera dare, senatores cernentes quod vellet imperium per stultitiam destruere, factione Heraclii Focatem apprehensum manibus et pedibus truncatis, lapide ad collum ligato, in mare projecerunt, et Heraclius consensu senatus sublimatur in regnum anno 607 [196]. [Beda.] Cum infestatione Persarum multæ imperii provinciæ vastatæ fuissent temporibus Mauricii et Focatis imperatorum, temporibus ejus Persæ Calchedona civitate vastata Constantinopolim quoque sedem imperii destruere moliebantur, multasque [197] Romanorum provintias et ipsam Jerosolimam invadunt, et destruentes ecclesias et sancta profanantes, inter reliqua ornamenta etiam vexillum sanctæ crucis abducunt. [Fredeg.] Contra quos Heraclius aciem dirigit, et ipsi duo exercitus principes singulari certamine omnibus ex utraque parte eventum rei expectantibus congrediuntur. Heraclius victor caput Persæ præcidit, et totum Persarum exercitum ad sedes proprias regredi compulit. Post hec evectu

VARIÆ LECTIONES.

[189] Tempore — archiepiscopo *in marg.* [190] *Sic e corr. litteris quibusdam erasis.* [191] *superscr. atram. pauio nigriore.* [192] *Hæc ultimo verba atram. magis nigro suprascr.* [193] *Quædam hic erasa sunt.* [194] *Lacuna septem fere vocab. in rasura.* [195] *Unum vocab. erasum videtur.* [196] *Numeri suprascr.* [197] multasque — abducunt *in marg.*

navale Persidam ingreditur, tribusque circiter annis Persida vastata, suæ eam ditioni subjecit, lignumque Dominicum reportavit. Postmodum Persas rebellantes iterato superat et sibi subjicit. Qui cum esset pulcherrimus aspectu, fortissimus viribus, pugnator egregius, litteris etiam apprime eruditus, cernens in syderum signis a circumcisis gentibus imperium devastandum, direxit nuncios ad Dagobertum regem Francorum, petens ut omnes Judeos regni sui baptizari præciperet, quod et ipse decreto fieri statuit per omnes provincias imperii.

Anno [198] Heraclii imperii 5, natus est Mahamet, qui cum esset infantulus, defunctis patre et matre, adhesit viduæ quæ et nutriebat. Cumque adolevisset, cepit per scolas Christianorum ire et auditoriis interesse, et quæ ibi audiebat, domi hominibus gentis suæ referebat. At illi mirabantur jam tum in eo sapientiam, cum audirent ab eo quæ audierant. Die igitur quadam cum reverteretur ab auditorio, obviam habuit diabolum habentem os aureum, et dicentem se esse Gabrielem archangelum missum a Deo ad ipsum, ut prædicaret genti suæ quæ audierat et sciebat. Tunc cepit prædicare Mahamet ut derelinquerent idola manu facta et adorarent creatorem qui fecit quæ sunt. Cumque plures adhererent illi et ut prophetam eum habereat, congregatis qui secum erant arma sumpsit, et ut rex et propheta quos poterat sibi subjiciebat, et regnavit in Damasco, et caput regni ejus Babylonia civitas fuit.

[Fredeg.] Agarenorum igitur gens circumcisa, qui et Sarraceni dicitur, egressa a latere montis Caucasi super mare Caspium, cum in nimiam multitudinem coaluissent, tandem arma sumentes, provinciis Heraclii imperatoris vastandis irruunt, contra quos Heraclius direxit exercitum. Sed Sarraceni milites superant, eosque gladio graviter trucidant, ita ut 150 milia militum interficerent. Spolia eorum Heraclio offerunt, quæ ille recipere noluit, cupiens super Sarracenos vindicare, et mittens legationem, portas quas Alexander Macedo super mare Caspium æreas fieri et serrare præceperat, propter inundationem gentium sævissimarum, quæ ultra Caucasi montis culmina habitabant, easdem portas aperire præcepit, indeque centum milia pugnatorum auro locatos contra Sarracenos mittit ad prælium. Cumque non procul a se invicem castra metarentur, utrique exercitus ut mane facto confligerent, eadem nocte Dei virtute exercitus Eraclii percutitur, quinquaginta enim eorum milia in stratis suis mortui sunt. Quo facto territi milites ad propria sunt reversi. Sarraceni, ut ceperunt, provincias devastant. Cum jam Hierosolimis propinquassent, Heraclius videns quod non posset eis resistere, nimio amaritudinis merore adreptus, ad ultimum infelix Euthicetis heresim sectans et Christi cultum relinquens, habens uxorem filiam sororis suæ, post annum regni sui 27 crudeliter vitam finivit. Heraclonus [199] cum matre sua Martyna regnavit annis 2, cui successit Constantinus filius Heraclii mensibus 6, anno Dominicæ incarnationis 654, pontifice Honorio, indictione 7. (*Ib.*) Et successit in regnum sub tenera ætate et consilio Constantinus filius ejus, qui et Constans, cujus tempore res publica a Sarracenis nimium vastatur. Duravit hec vastitas per annos 47 usque ad tempora Constantini superius nominati. Tunc est Hierosolima capta et ceteræ eversæ civitates; Ægiptus superior et inferior pervaditur, Alexandria capitur et predatur, Affrica tota vastatur, Asia et Europa quatiuntur, et omnia regna mari contigua pervagantur. Constantinopolis tantum cum Traciana provincia et, paucis insulis et Romana provincia ditioni imperii remanserunt.

. . rius papa Apellinarista . . us est [200].

Anno [201] inc. Dom. 651, 11 Kal. Mai. ordinatio domni Widradi abbatis, cum locum Flaviniacensem 48 annis Magoaldus abbas rexisset

Anno ab inc. Dom. 665, papa Vitaliano, adventus Benedicti in Gallias, et Tequemio obiit sanctus Amandus Tungrorum episcopus, cui successit sanctus Remaclius anno imperii Constantini 22, et ei Theodardus, et Theodardo sanctus Lambertus.

(*Gesta p. R.*) Bonefacio igitur papæ post dies 25 successit Deusdedit Romanus, patre Stephano subdiacono, sedit a. 3, d. 25. Post quem m. 5, d. 26 exactis sedit Bonifacius V, Campanus, patre Johanne, a. 5. Hic constituit ut ullus de ecclesia traheretur. Successit post dies 13 Honorius Campanus, patre Petronio consule, sedit a. 12, m. 11, d. 18. Hic exortum apud Scottos errorem de observatione paschæ 14 Jun. per epistolam redarguit. Successit Johannes natione Dalmata, patre Venantio, sedit a. 1, m. 8, d. 18. Hic per Istriam et Dalmatiam multas pecunias misit ad redemptionem captivorum. [Beda.] Hic cum adhuc electus esset pro pascha et pro heresi Pelagiana Scottos redarguit. Theodorus Grecus, patre Theodoro episcopo de civitate Hierusalem post m. 5 et d. 13 sedit a. 6, m. 5, d. 18. (*Gesta p. R.*) Hic condempnavit Pyrrum regiæ civitatis episcopum, qui eum Cyro Alexandriæ et Sergio prædecessore suo achephalorum heresim instauraverat. [Beda.] Venit enim ficta ut post apparuit pœnitentia et obtulit eidem papa libellum penitentiæ; sed domum reversus ad vomitum redit, quam ob rem præsente clero et populo Romano vinculo anathematis, ut prædiximus, innodatus est. (*Gesta p. R.*) Post Theodorum Martinus de Tudertina Tusciæ sedit a. 6, m. 5, d. 26. [Beda.] Constantinus igitur deceptus a Paulo regiæ civitatis episcopo sicut et Eraclius proavus ejus a Sergio, librum composuit adversus fidem catholicam. Unde Martinus

VARIÆ LECTIONES.

[198] Anno—civitas fuit *in marg.* [199] Her.—ind. 7. *in marg. duabus codicis exarata.* [200] *an :* Honorius papa S. Apollinaris basilicam orsus est? [201] *Hæc in margine leguntur.*

papa congregata Romæ synodo 110 episcoporum A dampnavit sub anathemate præfatos Cyrum, Sergium, Pyrrum et Paulum hereticos. Pro qua re missus ab imperatore Theodorus exarchus tulit Martinum de ecclesia Constantiniana, et perduxit cum Constantinopolim. Qui post relegatus Cersonam, ibidem vitam finivit, multis virtutum signis in eodem loco usque hodie refulgens.

Anno Dom. incarn. 640, indictione.. Martinus papatum su.. Facta est hec synodus anno Dom. inc. 650, indictione 8, anno imperii Constantini 9, qui imperavit postea a. 19 et mortuus est anno dom. inc. 669, indictione 12.

(*Gesta p. R.*) Eugenius Romanus, patre Rufiniano, sedit a. 2, m. 9, d. 24, cui post mensem et dies 28 successit Vitalianus Signensis provinciæ Cam- B panæ, patre Anastasio, sedit a. 14, m. 6. Hic regulam ecclesiasticam et vigorem, ut mos est, omnino servavit. Quo nuper ordinato Constantinus misit beato Petro evangelia aurea gemmis albis ornata miræ magnitudinis. Vitalianus misit Britanniam plurimos divini verbi prædicatores, qui ecclesias Anglorum multa divini verbi fruge fecundarunt. Constantinus imperator Sarracenorum tributarius factus tribus annis et amplius unoquoque die mille solidos auri erariis Sarracenorum reddebat (*Ib.*). Tandem aliquando resumptis viribus tributa denegavit, et ipse post plurimas et inauditas deprædationes provinciis factas, occisus in balneo periit; regnavit a. 28. Nec multo post Vitalianus regna celestia petivit, cui post m. 3 et d. 13 successit Adeodatus Romanus ex monachis, patre Jobiano, sedit a. 4, m. 2,d. 5. Post m. 4 et d. 15 Donus Romanus, patre Mauricio, sedit a. 1, m. 5, d. 10. Huic post m. 2 et d. 15 successit Agatho Sicula anno ab incarnatione Domini 666, indictione 5, sedit a. 2, m. 6, d. 4.

[Beda.] Anno igitur ab incarnatione Domini 670, indictione 13, epacta . . concurrente . . Constantinus filius Constantini superioris regnare orsus, regnavit a. 17. Agatho papa rogatu Constantini misit in regiam urbem legatos suos pro adunatione facienda sanctarum Dei ecclesiarum. Qui benignissime a Constantino suscepti, jussi sunt colloquio pacifici de fide vera perquirere. Residentibus ergo 150 episcopis, præsidente Georgio Constantinopolitano et Machario Antiocheno, facto conflictu, Georgius correptus est, Macharius cum suis sequacibus dampnatus est, tantaque gratia legatos pacis catholicæ comitata est, ut Johannes Portuensis episcopus unus ex eis Dominica octava paschæ missas publicas in ecclesia sanctæ Sophiæ coram principe et patriarcha celebraret. Hec est sexta synodus universalis Constantinopoli celebrata et Grece conscripta, tempore papæ Agathonis, tertio [202] papatus ejus anno, exequente principe Constantino et residente intus palatium suum, regni ejus anno 14, ab incarnatione Domini 668, indictione 11, simulque legatis apostolicæ sedis et episcopis 150 residentibus. Prima enim synodus apud Niceam 318 Patrum contra Arrium tempore Silvestri papæ Romani, Macharii Hierosolimitani, Alexandri Alexandrini, sub Constantino principe. Secunda Constantinopoli 150 Patrum contra Macedonianum et Euxodium qui Spiritum sanctum Deum esse negabant tempore Damasi papæ, Cyrilli Hierosolimitani, Noctarii Constantinopolitani sub Theodosio seniore, et Gratiani principis. Tercia in Epheso 200 Patrum contra Nestorium regiæ urbis episcopum duas personas in Christum asserentis, sub Theodosio juniore et papa Celestino, tempore Juvenalis Constantinopolitani, Cyrilli Alexandrini. Quarta in Calcedone 630 Patrum sub Leone papa et Martiano principe, tempore Juvenalis Hierosolimitani et Constantinopolitani contra Euthicem Constantini abbatem, verbi Dei et carnis unam naturam esse pronunciantem. Quinta Constantinopoli contra Theodorum et omnes hereticos, tempore Vigilii papæ, sub Justiniano imperatore. Sexta hæc de qua diximus.

[Ado.] Quo [203] in tempore Sindulfus Viennensis claruit, cui successit Hecdicus magnæ religionis, et viguit usque ad ultimum tempus Justiniani, sub quo et obiit; cui succedens Cadoldus duravit usque ad tempora Teoderici regis; cui successit Dodolenus, et ei Bobolinus tempore Johannis qui Sergio papæ C successit, eique successit Georgius magnæ virtutis episcopus.

Romanam igitur sedem post Agathonem suscepit Leo II Sicula, patre Paulo, interpositis inter Agathonem et ordinationem ejus a. 1, m. 6, d. 6, sedit m. 7, d. 17, cui post m. 11 et d. 22 successit Benedictus II. junior natione Romanus m. 10, d. 12. (*Gesta p. R.*). Hic suscepit jussiones clementissimi principis Constantini ad clerum et populum Romanum, ut qui electus fuerit in pontificatu Romano e vestigio consecraretur, nec expectaretur ulterius assensus et jussio imperatoris. Post eum interpositis duobus mensibus, diebus 15, sedit Johannes V. Syrus de provincia Antiochiæ, patre Cyriaco, anno 1, et ei post m. 2, d. 18 successit Chonon, patre D Tracesio, educatus apud Siciliam, sedit m. 11

Incarn. [204] Dom. a. 688, imperii Romani a. 3, indictione 1, præ.... pontificatum Romanæ ecclesiæ Sergius.

Post quem Sergius Syrus Antiochiæ regione oriundus, patre Tyberio in Panormo Siciliæ, sedit a. 13, m. 7, d. 25. Constituit *Agnus Dei* cantari a clero et populo et letanias in ypapanti Domini. Hic invenit, Domino revelante, in sacrario beati Petri capsam argenteam, et in ea crucem auream gemmis ornatam, in qua sub 4 petalis erat recondita por-

VARIÆ LECTIONES.

[202] *Quæ litteris diductis expressimus hoc loco, auctor postea supplendo superscripsit; apud Bedam ner leguntur.* [203] Quo—episcopus *in marg.* [204] Inc. —Sergius *in marg.*

tio ligni salutaris, quæ extunc die exaltationis ejus in basilica Salvatoris ab omni veneratur et osculatur populo. [Beda, *Chron.* S. Benigni.] Hic ordinavit sanctum Willibrordum cognomento Clementem Fresionum genti episcopum, anno dominicæ incarnationis 696, quem misit illuc cum sociis Pippinus major domus, postquam Frisiam devicit et ducem Ratbodum fugavit.

Tertio Justiniani anno cepit regnare Pippinus, et retinuit majoratum domus annis 20 sub Justiniano, Leone et Tyberio, item Justiniano, Theodosio et Leone, cujus regni anno 6. obiit ; successit Karolus Martellus et obiit 7. Constantini anno.

[Beda.] Anno ab inc. Dom. 678, indictione 2, epacta nulla, concurrente 5, Justinianus minor filius Constantini regnare orsus regnavit annis 10. Hic papam Sergium rapi jussit de ecclesia et Constantinopolim deportari, quia erraticæ suæ synodo quam fecerat in urbe regia favere et subscribere noluit. Sed prævenit militia Ravennatæ urbis vicinarumque partium jussa regis, et missos ejus expulit ab urbe Roma. Justitianus ob culpam perfidiæ regno privatus, exul in Pontum secedit; post quem imperavit Leo annis 3, contra quem pugnavit Tyberius et de regno ejectum tempore quo ipse regnavit in custodia tenuit in eadem civitate. Post Sergium Joannes VI, natione Grecus, interpositis m. 1, d. 13, Romanam rexit ecclesiam a. 3, m. 2, diebus (*Gesta p. R.*). . , cujus tempore cum Gisulfus dux Langobardorum Campaniam igne, gladio et captivitate vastaret, et non esset qui ei resisteret, ipse papa missis ad eum sacerdotibus et clericis cum donariis plurimis universos captivos redemit, et hostes domum redire fecit. [Beda.] Successit ei Joannes VII, natione Grecus, patre Platonio, sedit a. 2, m. 7, d. 27. Sedit Constantinus Syrus patre Johanne, a. 7, d. 15 (*Gesta p. R.*).

[Paul. Diac. vi, 46.] Eo [205] tempore gens Sarracenorum in loco qui Septem dicitur ex Affrica transfretrantes Hispaniam invaserunt, et post 10 annos cum uxoribus et filiis Aquitaniam ingressi, Carolo cum Eudone Aquitaniæ principe super eos irruente, 370 milia a Francis perempta sunt, ex Francis vero mille quingenti tantum ceciderunt. Eudo quoque irruens super eos pari modo multos interemit, et fugientes Sarraceni cum nimio exercitu Constantinopolim triennio obsederunt.

[Beda.] Justinianus igitur quem superius regno privatum diximus, auxilio Terbelli Vulgarorum regis regnum recipiens 6 annis tenuit, et occidit eos patricios qui se expulerant, et Leonem qui locum ejus usurpaverat, et successorem Leonis Tyberium qui eo de regno ejectum in custodia tenuerat. Galli cum vero patriarcham erutis oculis misit Romam, et dedit episcopatum Cyro qui erat abbas in Ponto et eum exulem aluerat. Hic Constantinum papam ad se venire præcipiens honorifice suscepit, ita ut die dominica missas eum sibi jubens facere, communionem de manu ejus susciperet, et in terra prostratus pro suis peccatis eum intercedere rogans, cuncta ecclesiæ privilegia renovaret. Qui cum exercitum in Pontum mitteret ad comprehendendum Philippicum quem ibi religaverat prohibente papa, conversus exercitus Philippicum fecit imperatorem, reversusque cum eo Constantinopolim, pugnavit contra Justinianum, et victo eo atque occiso regnum suscepit, quod tenuit a. 1 et m. 6.

[Ado.] Quo [206] in tempore Deodatus Viennensis episcopus florebat vir magnæ parsimoniæ, cui successit Blidrannus, et ei successit Coldus episcopus qui et Viennensem ecclesiam rebus auxit ; fuit enim affinis regibus Francorum. Successit ei Bobolinus, et huic Austrobertus vir strenuus et nobilis.

(*Gesta p. R.*) Hic Constantino papæ litteras pravi dogmatis misit, quas ille judicio apostolicæ sedis respuit, statuitque populus Romanus, ne heretici imperatoris nomen aut cartas aut figuram solidi susciperet. Unde nec ejus effigies in ecclesiam introducta est, nec nomen ad missarum solempnia recitatum. In tempore ejus Anastasius regnavit annis 3, et Philippium captum oculis privavit nec occidit. [Beda.] Hic Constantino papæ litteras misit, quibus se fautorem catholicæ fidei, et sanctæ 6. synodi prædicatorem esse docuit. Post Constantinum Gregorius II. Romanus a Petro 92, patre Marcello sedit, a. 16, m. 9, d. 12. (*Gesta p. R.*) Constituit ut in quadragesima 5. feria jejunium fieret, quod antea non fiebat, et missarum celebritates. [Beda.] Ejus admonitione Liutbrandus rex Langobardorum donationem patrimonii Alpium quam Hereberechtus rex fecerat et ille repetierat, secundo confirmavit. Tunc plurimas Scotticæ gentis provincias Echbertus vir sanctus de gente Anglorum ad canonicam paschæ observantiam pia prædicatione convertit anno ab inc. Dom. 717.

Theodosius igitur electus in imperatorem a. 708. Anastasium apud Niceam gravi prælio vicit, et dato sibi sacramento clericum fieri et presbyterum fecit ordinari. Regnavit a. 1, et cum esset catholicus, in regia urbe imaginem illam in qua sanctæ 6 synodi erant depictæ et a Philippico fuerant dejectæ pristino in loco erexit. Post eum imperavit Leo anno 709, annis 26.

[Paul, Diac.] Hic [207] sanctorum imagines deposuit et incendit, et Romano pontifici si suam vellet habere gratiam mandavit. Quod pontifex contempsit. Omnesque talibus jussis uno animo restiterunt, et nisi eos pontifex ipse, videlicet Gregorius IV, prohibuisset, imperatorem super se constituissent. Quem tamen postea papa deposuit. Germanus Constantinopolitanus patriarcha errori imperatoris non consentiens, a sede pulsus est. Sarraceni cum ma-

VARIÆ LECTIONES.

[205] Eo — obsederunt *in marg.* [206] Quo — nobilis *in marg.* [207] Hic — pulsus est *in marg.*

guo exercitu Constantinopolim venientes, triennio civitatem obsident, sed civibus multa instantia ad Deum revertentibus plurimi eorum fame, frigore, pestilentia perierunt, et sic pertesi obsidionem relinquunt. Inde Vulgarorum gentem pecierunt, a quibus victi naves suas repetierunt. Sed cum alta peterent, ingruente tempestate submersi sunt. Intus [208] Constantinopolim vero trecenta milia hominum pestilentia perierunt. Liutbrandus audiens quod Sarraceni loca illa fedarent, ubi ossa sancti Augustini olim propter barbaros translata et honorifice condita fuerant, misit, et dato magno pretio, Ticinum ea cum honore debito transtulit. Gregorius III Syrus, patre Joanne, sedit a. 10, m. 8, d. 25. (*Gesta p. R.*) Hic [209] removit Romam et Italiam et omnia tam rei publicæ quam ecclesiasticæ jura in Hesperiis partibus ab obedientia Leonis et imperii sub eo constituti. (*Hist. Misc.*) Sed et Joannes, non papa aut episcopus, sed monachus et presbyter Damascenus et doctor optimus, eumdem Leonem cum Orientis episcopis anathemizavit, scriptum in Romana historia libro XXIII. Obiit Leo anno ab incarnatione Domini 735.

Post [210] Leonem suscepit imperium Constantinus impius anno ab inc. Dom. 736, cujus regni anno... [211] Stephanus papa Franciam venit; regnavit autem a. 43; et successit Leo filius ejus anno ab inc. Dom. 770; regnavit a. 5, d. 6 minus, et successit Hyrene cum filio Constantino decem annorum [212] uxor Constantini superioris, a. 775. indict. 13. [213] Anno 787, synodus facta est apud Niceam indictione prima, sub Adriano papa. Constantinus factione matris suæ peremptus est, suscepit imperium ipsa a. 792, et successit ei Nicephorus a. 795, et ei successit Michael a. 804, et ei successit Leo (*Hist. Misc.*)

Obiit Gregorius papa 4. Kalendas Decembr., indictione 3, die 10, cessavit episcopatus d. 8. (*Gesta p. R.*) Et post eum Zacharias Grecus anno incarnationis Domini 742, patre Polichronio, a. 10, m. 3, d. 14. (*Ann. Fuld.*) Hunc missa legatione Pippinus major domus in regno Francorum interrogat de regibus Francorum ex antiqua Mervingiorum stirpe descendentium, qui reges quidem dicebantur, sed tota regni potestas apud majorem domus habebatur, excepto quod cartæ et privilegia regis nomine scribebantur, et qui rex dicebatur in Martis campum plaustro vectus trahentibus bobus atque in eminenti sedens, semel in anno a populo visus, publica dona solempniter sibi oblata, stante ante eum majore domus, et quæ deinceps eo anno agenda erant populis annunciante, ei sic rege domum rede-

A

B

C

D

nte cetera regni negocia major domus administrabat. Orat ergo decerni sibi, quis eorum rex juste debeatur dici et esse, is qui domi securus sedebat, an ille qui curam regni et omnes molestias sustinebat. Zacharias ex auctoritate apostolica mandat populo Francorum, ut Pippinus, qui potestate regia utebatur, nominis quoque dignitate frueretur. Ita Hildericus ultimus rex de stirpe Mervingiorum depositus et in monasterium trusus est. Pippinus vero in civitate Suessonum a sancto Bonefacio archiepiscopo in regem unctus regni est honore sublimatus.

Obiit [214] Zacharias papa Idus Martii, indictione quinta (*Gesta p. R.*).

Defuncto [215] autem in Christo beatissimo papa Zacharia Romani elegerunt Stephanum quendam presbyterum, et consecratus est papa. Qui cum die tertio a somnio surgens causas familiares disponeret, subita egritudine percussus obmutuit, et die sequenti mortuus est.

Anno ab inc. Dom. 752, indictione 5, concurrente 1, epacta 6, Stephanus Romanus, patre Constantino, sedit Romæ a. 5, d. 29 (*Hist. Misc.*). Hic propter infestationem Aistulfi regis Langobardorum ad Pippinum venit in Francia, et constituit eum Romanæ ecclesiæ defensorem et principem, et consecravit eum regem. (Fol. 39.) Ex tunc ablata est Roma a subjectione imperii Grecorum. Quia ergo jam Deo donante ad id locorum devenimus, ut de Francorum regibus prosequendum videatur, repetamus paululum superiora et quibus temporibus in Francorum terra reges regnare ceperint, quive fuerint, vel unde processerint, patrum dicta sequentes breviter dilucidemus.

Priamus [216] primus rex Francorum. Frigus [216] Francio [216]. Turchot [216]. Deinde [216] fuere sub ducibus usque [216] ad Marcomirem ducem [216] tempore Theodosii. Marcomirus [216] genuit Faramundum. Clodio [216] filius ejus. Merovingius [216] filius. Childericus [216] tempore Mauricii. Clodoveus [216] rex octavus a primo (*Hist. Franc. epit.*, c. 2.)

Anno ab inc. Dom. 446, indictione 14, epacta 9, concurrente 1, pontificatus domni Leonis Magni papæ anno 2, in Francorum terra reges regnare ceperunt, et primus eorum nomine Clodio regnavit a 20. [Fredeg.] Deinde Childericus filius Merovei, expulso Egidio duce Romanorum de regno atque interfecto, regnum invadit anno ab inc. Dom. 466, et regnavit a. 24, qui genuit filium ex Basina Toringorum regina nomine Clodoveum, virum bellicosissimum et potentissimum, in primis gentilem postea christianum. Childerico ergo defuncto Clodoveus

VARIÆ LECTIONES.

[208] Intus — perierunt *in marg.* [209] Hic — 735 *in marg.* [210] Post — successsit Leo *in marg.* [211] *rasura, in cujus initio distinguitur* p. [212] d. a. *superscripta.* [213] *post hæc quinque fere vocabula erasa.* [214] Obiit — ind. 5. *in marg.* [215] Defuncto — mortuus est *in marg.* [216] Priamus octavus a primo *in marg. atramento eodem quo textus. Initia linearum* Pr, Fri, Fr, Tur, Dein, us, duc, Ma, Clo, Me, Chi, Cl *abscisa.*

successit (42). Anno 5 regni ejus Syagrius, Ægidii Romanorum ducis filius, apud civitatem Suessionicam sedem habebat, super quem Clodoveus irruit. At ille elisum cernens exercitum suum, ad Alaricum Gothorum-regem cursu veloci Tolosam perlabitur. [Greg. Tur. II, 27.] Sed Alaricus acceptis regis nunciis cum intentatione minarum, ut Gothorum mos est pavere, Syagrium vinctum legatis tradidit. Quem Clodoveus custodiæ mandari præcepit, regnoque ejus accepto eum clam gladio feriri jussit. [Hincmar. *Vit. Remig.*] Remorum tunc ecclesiam beatus regebat Remigius, qui factus est a Domino populo jam fere desperato in tempore iracundiæ reconciliato. Post vindictam enim scelerum, quæ facta est a Domino cæde Galliarum, Wandalorum primo, deinde Hunorum persequente crudelitate, misericordiam cæli distillarunt, dum ad mitigandum furorem Altissimi Remigium mundo pontificem protulerunt.

[Fredeg.] Gundebaudus tunc regnabat in Burgundia Gundiochi regis filius, qui fuit de genere Athanarici persequutoris. Habuit Gundiochus et alios filios, Godegisilum, Chilpericum et Godemarum. Gundebaudus Chilpericum fratrem suum interfecit gladio, uxorem ejus ligato ad collum lapide aquis immersit, duos eorum filios gladio trucidavit, duas filias exilio condemnavit. Harum senior Sedeleuba se Domino mutata veste dicavit, minor Crothildis nominabatur. Hæc quæsita est a Clodoveo rege Francorum, ut sibi eam traderet Gundebaudus patruus ejus. Quod cum ille negare non auderet, venientes Franci acceperunt eam a Gundebaudo et cum multis thesauris ad Clodoveum dirigunt. (Fol. 40.) Consilio autem Aredii sui reminiscens Gundebaudus mali quod fecerat, quia videlicet patrem, matrem et fratres Chrotildæ interfecisset, et timens, ne si Crotildis prævaleret, mortem parentum vindicaret, post eam misit exercitum qui basternam et thesauros retentant; puella levata in equum a Francis ad Clodoveum dirigitur, quam regali assumens honore in matrimonium perfecto dilexit amore. (*Hist. Franc. epit.*) Habebat jam tunc Clodoveus filium de concubina, nomine Theodericum, qui regnavit post eum annis viginti tribus. [Fredeg.] Habuit et alios tres filios ex Crotilde Clodomerem, Childebertum et Clotarium, qui post eum regnaverunt. [Greg. Tur.] Defuncto autem Gundebaudo, regnum Burgundiæ Sigismundus filius ejus obtinuit, habuitque uxorem filiam Theoderici regis Italiæ. [Fredeg.] Qua mortua, aliam duxit, et prioris conjugis filium novercæ insidiis jussit interfici. Nam sopitum vino filium dormire post meridiem jussit; cui dormienti orarium sub collo positum est, et sub mento ligatum, et sic trahentibus ad se invicem pueris duobus sugillatus est. [Greg. Tur.] Sed jam sero pœnitens super cadaver exanime ruit flens amarissime, et in monasterio sanctorum Agaunensium, quod ipse miro opere a fundamentis construxerat, per dies multos veniam petens, et psallentium chorum instituens, Lugdunum rediit, ultione divina e vestigio subsequente. Hujus filiam Theodericus Clodovei filius uxorem accepit.

[Greg. Tur. II, 30, 31.] Crotildis ergo regina, cum esset christianissima, et Clodoveus fanaticis uteretur legibus, monereturque frequentius ab ea, ut idola vana negligeret, et Deum verum agnosceret, in cujus manu est cor regum et omnium dispositio potestatum, acquiescere noluit, donec bello contra Alamannos suscepto, compulsus confiteri necessitate, quod prius negaverat voluntate. Cum enim exercitus ejus ad internecionem usque cæderetur, invocato nomine Jesu Filii Dei, quem prædicabat Crotildis, victoriam obtinuit. Quod cum domi veniens uxori narrasset, illa clam accersito beato Remigio Remorum archiepiscopo suadet, ut regi verbum salutis insinuet. Quod cum faceret — erat enim egregiæ scientiæ, et rhetoricis adprime imbutus studiis — divina præduce gratia rex credidit, et cum exercitu baptizatus est 15 anno regni sui, Albino V. C. consule, incarn. Dom. a. 502.

[Greg. Tur. I, 32.] Burgundiones tunc Arianorum sectam tenentes habitabant circa Ararim et circa Rhodanum, qui fluunt juxta urbem Lugdunensem, quibus præerant Gundebaudus et Godegisilus fratres. (II, 34.) Godegisilum Gundebaudus interfecit, et ipse cum moneretur a sancto Avito Viennensi archiepiscopo, ut confiteretur Christum Filium Dei et Spiritum sanctum æqualem Patri — erat enim Arianus — clam ut chrismaretur expetiit. Sed illo adhortante, ne formidaret rex seditionem populi, neque erubesceret in sæcula regnantem in sæculo confiteri, ipse hac ratione confusus usque ad vitæ exitum in sua insania perduravit; cui Sigismundus successit. (fol. 40') Clodoveus itaque cum esset armis strenuus et in fide sancta nominatissimus, et videret Gothos, quorum erat princeps et rex Alaricus, et dominatio eorum ultra Ligerim, Arriana peste et perversitate corruptos, velletque ut, superatis eis cum divino auxilio, terra redigeretur ditioni suæ, commotum exercitum Pictavis, ubi rex Alaricus morabatur direxit. (II, 37.) E contrario Alaricus cum suis decimo ab urbe milliario obviam venit adversariis, et confligentibus eis in Campania Voglanense victoriam Clodoveus de Arrianis obtinuit. [Fredeg.] Alaricum cum plurima Gothorum manu interfecit, regnumque ejus a mari Tyrrheno et Ligere fluvio usque ad montes Pyrenæos et mare Oceanum occupavit, thesaurosque ejus a Tolosa auferens, secum Parisius advexit. (II, 38.) Per idem tempus ab Anastasio imperatore codicillos pro consulatu accepit, et coronam auream et tunicam blatteam, ex qua die con-

NOTÆ.

(42) Textum foliorum 31 — 40 debemus viro cl. D. Urlichs professori regio Gryphiensi, qui ea D. Thoma Phillipps Bar. benignissime favente hoc anno in bibliotheca Mediomontana exscripsit.

sul et augustus est appellatus. [Greg. Tur., II, 40.] Cum ergo moraretur Parisius, et cogitaret adjungere ditioni suæ regnum Sigeberti propinqui sui, cujus regni sedes Colonia civitas erat, quem etiam in bello contra Alaricum adjutorem fidelem habuerat, dolose egit missis nunciis ad Theodericum ipsius filium Sigiberti (II, 37), qui pro patre, quia pater contra Alamannos pugnans percussus in geniculo claudicabat, bello præfato interfuerat, ut filius patrem in tentorio meridie dormientem, quasi regnum ipsius possessurus, immissis persequutoribus interficeret. (II, 40.) Cum ergo quasi gratulabundus de morte patris nuncios Clodoveo mitteret, ut ad se fideles suos dirigeret, qui de thesauris patris, quod placeret oculis ejus efferrent, Clodoveus iterum dolose egit, ut dum ille venientibus nunciis patris thesauros ostendit, dum inclinis arcellulæ manum, ut cuncta scrutetur, immittit, unus bipennem cerebro ejus illideret. Et sic quæ in patrem egerat, is recepit. Quod audiens Clodoveus ad eundem locum venit, et quasi qui esset innoxius a sanguine parentum suorum, populo satisfecit, et in regem constitutus est. Quod quarundam civitatum habitatores indigne ferentes, contra eum si fuisset possibile nisi sunt rebellare. (*Vita Maxim.*, p. 582). Inter quos cives Virdunensis oppidi defectionem atque duellionem contra eum dicuntur meditati. [Greg. Tur., II, 41.] Clodoveus post hæc Chararicum regem et filium ejus, propinquos suos dolis circumventos cepit, vinctos totondit, et patrem quidem presbyterum, filium vero diaconem ordinari fecit. Sed sentiens quod sibi cæsariem ad crescendum niterentur laxare, utrosque jussit capite plecti, regnumque eorum cum thesauris et populis adquisivit.

(*Vita Maxim.*, p. 582.) Audita autem defectione Virdunensium, et ratus non esse procrastinandum in talibus, viribus undecumque coactis, cum valida manu militari ad eandem urbem venit, injuriæ gratia ulciscendæ. Cujus muros corona militum obambit, aggeres struit, aspera complanat, et quæque urbi capiendæ commoda ordinat, portis custodias admovet, et ne quis tute exeat, magno studiosoque conamine prohibet. (Fol. 41.) Quo in tempore Firminus episcopus ejusdem civitatis, miræ sanctitatis vir, diem clausit ultimum. Hic Tullensi territorio ortus, et civitati Virdunensium post sanctum Possessorem pastor constitutus, quantæ sanctitatis fuerit, quam sollicitas excubias super gregem sibi creditum cura pervigili exercuerit, quam pius in subditos, quam terribilis erga reprobos fuerit, testantur miracula, quæ ad sepulcrum ejus sæpenumero fiebant. Invenitur etiam scriptum in gestis, quod ejus instinctu populus Virdunensis desciverit. Obiit autem mense Decembrio, die secundo, anno quantum colligere possumus ab inc. Dom. 504, imperante Anastasio anno 14, tertio conversionis Clodovei anno, Atheo V. C. consule, pontificatum Romæ agente beato papa Symmacho; et soluta obsidione sepultum est corpus ejus sacratissimum ad dexteram altaris beati Petri apostolorum principis, ubi per multa tempora delituit thesaurus hic delectabilis, a tempore scilicet Clodovei usque ad tempus Othonis Magni. Verum ad rem redeamus.

(*Ib.*) Obsessi ergo, cum, ut diximus, clausi tenerentur viribusque diffiderent, et mortuo episcopo nullus putaretur aptus reperiri, qui preces populi convenienter allegaret coram principe ira fervente, omnes in unam coiere sententiam, ut sanctum virum Euspicium, qui sub titulo presbyteratus in eadem urbe degebat, ad principem mitterent miserorum civium preces allegantem, et ejus misericordiam deprecantem. Is autem Domino misericordiaque plenus suorum civium postulata non renuit, sed in eo confidens, qui dixit discipulis suis : *Cum steteritis ante reges et præsides, nolite cogitare qualiter aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini;* ad principem, ut petebatur, ire disposuit. Cumque se humiliter coram rege terræ prostravisset, ab eo reverenter surgere, et causam adventus sui dicere est jussus. Tum ille ad eum is fertur verbis usus : *Nobilissime*, inquit, *omnium et piissime regum, pene universo pervulgata tua bonitas et sæculo, per quam bonitatem tuam te obsecro, ut patienter me audias meorum civium preces allegantem et tuam misericordiam deprecantem. Emersit quidem inter nos quorundam improbitas hominum, quæ et multorum maculavit imperitiam et juvenum sustulit stultam proterviam. Et quidem tua digni sumus animadversione, nec diffitemur : sed obsecro propter Dominum, interim subtrahantur culpis debita supplicia, et porrigatur immeritis clementia. Nec abhorreret a victoria tua nostra persuasio, quia cum victor sis hominum, passionis quoque propriæ fortior eris triumphator, si malueris patientiæ vires exercere, quam sanguine civium tuum fœdare triumphum.* His rex auditis, et vi dictorum gravitateque viri perspecta, cœpit vigor animi ejus mansuefieri et amaritudo fellis dulcorari, Dei utique nutu id agente, cujus fortitudini immania cedunt, et dura fatiscunt. (Fol. 41'). Denique tactus divino nutu rex adeo est affectus, ut petitioni assensum præberet, et veniam civibus quamvis ingratis tribueret, ut impleretur de eo illud Sapientis : *Hanc quoque*, inquit, *vidi sub sole sapientiam, et probavi maximam : Civitas parva, et pauci in ea viri; venit contra eam rex magnus, et vallavit eam, extraxitque munitiones per gyrum, et perfecta est obsidio. Inventusque est in ea vir pauper et sapiens, et liberavit urbem sapientia sua.* Igitur viro Dei ordinante et manum regis tenente, repagula portarum reduci visa sunt et portæ aperiri. Sed et clerus procedere est ordinatus, regem cum laudibus et Deo dignis cantilenis suscepturus, per quas et Domino suæ liberationis offerret tripudium, ac principi sedulitatis suæ devotum monstraret obsequium. Rex itaque postquam ira refrigerata per famulum ejus se sensit immani ereptum piaculo, gratias in ecclesia Deo reddidit, et civibus principali indulgentia data, ad curanda juxta morem epulis regalibus

corpora sese convertit, quibus biduo indulgens, et recreatum exercitum post laborem videns, ad alia paria negotia curanda ducere volens, virum Dei sanctum Euspicium suis aspectibus præsentari jussit, et ut urbi, cujus subventor extiterat, quamque ab imminente periculo eripuerat, pastorali sollicitudini præesset admonuit et admonendo petivit. At vir Dei non immemor verborum, quibus dicitur : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Domino invenies gratiam*, oblatum honorem vel potius onus sacerdotii humiliter recusavit, immo præscius brevitatis vitæ suæ, quæ postmodum terminanda erat, ut ei alter succederet, cedere libuit. Tunc rex evocata protinus in unum fidelium multitudine, ut de constituendo pastore sententiam in medium proferrent præcepit. Noverat enim quod juxta decretum Leonis Magni papæ nulla ratio sinebat, ut inter episcopos haberentur, qui nec a clericis essent electi, nec a plebibus expetiti, nec a comprovincialibus episcopis cum metropolitani judicio consecrati. Noverat etiam quoniam, licet præsideret seculari dignitate, rerum tamen præsulibus divinarum, ut scribit beatus Gelasius papa, devotus deberet colla submittere atque ab eis causas suæ salutis expetere inque submittendis celestibus sacramentis eisque ut competit disponendis subdi se debere cognoscebat religionis ordine magis quam præesse. Volebat quoque parere decreto præfati Leonis Magni, in quo ait scribens Rustico Narbonensi archiepiscopo inter cetera : *Cum de summi sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem cleri plebisque consensus unanimiter postulaverit. Nullus autem invitis et non petentibus detur, ne civitas episcopum non optatum aut contempnat aut oderit, et fiat minus religiosa cui non licuerit habere quem voluit.* Celestinus quoque in decretis suis : *Nullus invitis detur episcopus; cleri, plebis et ordinis desiderium requiratur.*

(Fol. 42.) Clodoveus itaque Ranacharium regem, cujus regni sedes erat Cameracus civitas, parentem suum dolo manu propria interfecit, et fratrem ejus Racharium. [Fred.] Dederat autem traditoribus ejus ornamenta quædam, non aurea, sed ærea et deaurata. [Greg. Tur., II, 42]. Post mortem vero domini sui cognoscentes proditores aurum, quod a rege acceperant, non verum, sed adulterinum, et cum hoc regi dixissent, respondisse fertur rex : *Merito tale aurum accipit, qui dominum suum ad mortem propria voluntate perducit.* Tertius igitur frater eorum, propinquus et ipse Clodovei, apud Cynomannicam civitatem jussu ipsius interfectus est. Quibus mortuis omne regnum eorum et thesauros accepit, interfectisque et aliis multis regibus, et proximis parentibus suis, quos suspectos habebat ut ei regnum auferrent, regnum suum per totas Gallias dilatavit. Obiit apud Parisiorum urbem anno Dom. inc. 518, regni sui anno 30, ætatis 45, sepultusque est in basilica sanctorum apostolorum quam construxerat. Præsidebat tunc Romanæ ecclesiæ Hormisda papa, Justinus Anastasii successor imperabat in re publica.

(III, 1.) Regnum igitur Clodovei quatuor ejus filii æqua inter se lance dividunt Theodericus, Clodomeris, Childebertus et Clotharius. [Fredeg.] Sedes regni Theoderici Mettis civitas fuit, Clodomeris Aurelianis, Childeberti Parisius, Clotharii Suessionis. [Greg. Tur., III, 1]. Habebat jam tunc Theodericus filium, Theodebertum nomine, elegantem et utilem, et filiam, quam accepit uxorem Amalaricus rex Hispaniæ Alarici filius, qui apud Barcinonam a Francis occisus est. [Fredeg.] Inter Theodericum et Childebertum contentio magna semper fuit, quæ multas urbes afflixit. [Greg. Tur., III, 15]. Fuit enim Theodericus ingeniosus et callidus, postmodum vero cum fratre fœdus iniit, et dato sacramento, ut nullus contra alium moveretur, obsides ad invicem acceperunt. Sed orto iterum inter reges scandalo, obsides dati filii senatorum servitio publico sunt addicti. Nam quicumque eos custodiendos acceperunt, servos sibi fecerunt. (*Vita Carilefi*). Tempore Clotharii et Childeberti sanctus Avitus et sanctus Carilephus ab Arvernis de monasterio Menate egressi, Miciacense cœnobium, quod sanctus Maximinus, frater sancti Vitoni, fundaverat, expetierunt, et ei se subdiderunt.

[Fredeg.] Crotildis vero regina post mortem viri sui monebat filios, mortem patris et matris et fratrum ulcisci. Quam ob causam illi Burgundias appetunt, Sigismundum Gundebaudi filium et Godemarem prœlio vincunt. Clodomeris Sigismundum, dum ad monasterium sanctorum Agaunensium fugeret captum, cum uxore et liberis interfecit. Godomaris terga vertens latuit, et resumptis viribus regnum Burgundiæ tenuit. Avitus vero abbas monasterii Aurelianensis prædixit Clodomeri, quod Sigismundo fecerat, identidem ipsum esse passurum. Cumque Veserontia Franci cum Burgundionibus bellum inissent, Clodomeris capite truncatus est, deceptus ab auxiliis Theodorici regis Italiæ, cujus filiam Sigismundus uxorem habuit : qua etiam defuncta, aliam, ut prætaxavimus, duxit. [Greg. Tur., III, 18]. Cumque Crotildis filios Clodomeris unico affectu diligeret, invidia ductus Childebertus Clotarium ad necem puerorum incitavit. (Fol. 42.) [Fredeg.] Cumque Parisius convenissent quasi pueros in regno patris sublimaturi, Clotharius dolose susceptis eis a matre, Theodaldum et Guntharium occidit, tertius Clodoaldus in clericum tondetur : ad cujus sepulcrum virtutes fiunt. [Greg. Tur., III, 13; III, 16; III, 12.] Theodericus ad direptionem Arvernici territorii festinans, Sigivaldum cum omni familia illic commigrare præcepit, qui plura mala peregit, et ipse postea male periit. Tale autem excidium regioni eidem rex præfatus intulit, ut neque minoribus natu neque majoribus quidquam proprii relictum sit, præter terram solam, quam barbari secum ferre non poterant. Eduam quoque obsedit, et omnino deprædatus est.

Beato igitur Vitono in gaudio Domini assumpto, et pro fidelitate paucorum et lucro supra multa et perpetua bona constituto (43), Desideratus successit in episcopalem curam multa vigilantia egentem, sollicitudinum angoribus circumseptam. Theodericus enim cum esset pertinacis et mali animi et pro dissensione inter se et fratrem suum multas, ut prædiximus, urbes afflixisset, et [Greg. Tur., III, 34] Desideratus ipse post multa sibi illata damna, exilia, ærumnas, injurias, jam ad libertatem Domino jubente redisset, et apud Virdunum, ut diximus, episcopatus fungeretur officio, fuerat enim in sæculo nobilissimus, habens uxorem et filium, nomine Syagrium. (III, 35.) Sed a Syrivaldo quodam apud præfatum regem incusatus, non solum spoliatus rebus, verum etiam fuerat suppliciis affectus, cum tonsuratus postea et electione cleri et populi Virdunensi fuisset prælatus ecclesiæ, Theodericus perpetuas retinens erga eum inimicitias, quia non consentiret pravis ejus operibus, civitatem cum habitatoribus vehementer attrivit. Supervenit insuper divino judicio fames valida invalido civitatis populo, qua attenuati in afflictione nimia erant positi. (*Ib.*) Et cum ipse de rebus suis per Theodericum remansisset extraneus, nec haberet ex proprio, qualiter indigentes et destitutos cives suos consolaretur, dolebat et tristabatur. (III, 25, 25.) Defuncto autem Theoderico anno regni sui 25, ab incarnatione Domini 541, cum Theodebertus filius ejus regnum suscepisset, et contra voluntatem Childeberti et Clotarii in regno a suis leudibus esset stabilitus atque firmatus, et postmodum a Childeberto maximis muneribus muneratus, in filium esset adoptatus, magnum se et præcipuum in omni bonitate ostendit. Erat enim regnum cum justitia regens, sacerdotes venerans, ecclesias munerans, pauperes relevans, et multa multis beneficia pia et dulcissima voluntate accommodans, tributa etiam, quæ ab ecclesiis in Arverno sitis fisco reddebantur, clementer indulsit. (III, 26.) Habebat uxorem Deuteriam, et filiam jam adultam; sed Deuteria timens, ne se relicta, filiam sibi rex in conjugium assumeret, in basterna eam positam indomitis bobus conjunctis apud Virdunum de ponte præcipitavit, quæ in ipso flumine spiritum reddidit. (III, 34.) Desideratus itaque bonitatem et clementiam Theodeberti regis erga omnes cernens, cum jam populus dilaberetur, et civitas quasi in solitudinem redigeretur, ad regem se contulit, miseriam populi lacrymabilem deploravit, petitione benigna animum regium inflexit, ut de thesauris suis miserans calamitati obstaret, famem cohiberet, populum pereuntem retineret, et commodata per gratiam periculo superato cum gratia Dei hominumque susciperet. (III, 31.) Acceperat enim a Theodado Italiæ rege, Theuderici successore, cum patruo suo Childeberto quinquaginta aurcorum milia pro compositione mortis filiæ sororis Clodovei, quæ fuerat copulata præfato Theoderico in matrimonium et eo defuncto contra natales suos servo nupserat (fol. 43), et quia mater indignata moto contra eam exercitu servum peremerat, filiamque ad domum reduxerat, illa irata venenum in calice, quo mater erat communicatura, posuit — erant enim Arriana detenti perfidia, — quo hausto mox mater mortua est, et ob hoc indignati Itali, ea abjecta, prædictum Theodadum regem constituerunt, a quo succenso vehementer balneo inclusa, inter diros vapores pavimento corruens, mortua est. (III, 32). Quamobrem et Theodebertus Italiam pervasit, sed quia exercitus ejus diversis febribus vexabatur, ducem cum parte exercitus ibi dimisit, qui omnem Italiam ditioni ejus subdidit atque Siciliam, et thesauros innumerabiles ei direxit. (Fredeg.) Magna enim felicitas regis in his omnibus fuit, quia timuit Dominum, et sacerdotes et ecclesias ejus venerabatur. (Greg. Tur.) Audita igitur petitione Virdunensis episcopi, rex annuit, motus ad misericordiam, et septem milia solidorum ei tradens, conditionem adscripsit, ut eo tenore partiretur indigentibus, quatenus hoc auxilio victo famis dominio, sua sibi cum gratia redderentur ex numero. (III, 34.) Quæ pontifex accipiens per cives suos erogavit, unde et negotiatores facti usque hodie clari habentur. Cumque hoc solatio docti in melius experimento periculi mediocritatis optimæ scientia profecissent, et procul respicere proximum bonum esse didicissent, pecuniam alacriter recollegerunt, et episcopo magnæ gratiæ mediatore regi cum votivis gratiarum præconiis obtulerunt. Rex ut advertit sublevationem, vidit lætæ devotionis magnanimitatem, et colligens regium et pecuniæ dominantem animum indulsit eis, ad præpotentem cumulum boni nominis, et ad memoriam laudabilem tunc præsentis et futuræ generationis. (III, 35.) Syagrius autem, Desiderati episcopi filius, post mortem Theoderici reminiscens injuriarum patris, quas passus est a Theodorico instigante et accusante Syriwaldo, sumptis comitibus venit ad villam proprietatis ejus in Divionensi territorio sitam, cujus nomen Floriacus, et mane facto, cum esset nebula condensa, domum ingressi, unum amicorum ejus interfecerunt, putantes ipsum esse Syriwaldum. Sed cum cognovissent ipsum non fuisse, iterato domum circumdantes, effosso pariete interfecerunt eum. Actum est hoc post mortem Desiderati episcopi.

(*Vita Agerici.*) Verum ut ad superiora redeamus, et misericordiam Dei uberem erga suam imaginem subtilius indagemus, providentia divina dispositum habens de fonte misericordiæ æcclesiæ Virdunensi succurrere, et supradictis innumerabilibus calamitatum infortuniis periclitanti manum auxilii subrogare, die et tempore quo voluit, de altissimo ac serenissimo bonitatis suæ consilio, hanc viam novæ

NOTÆ.

(43) Brevem Vitoni Vitam ex antiquissimo codice Trajectensi dedit Surius Act. SS., t. VII, p. 820. Miracula auctore Rudolfo abbate S. Vitoni exstant Mabillon Act. SS. Sæc. VI, p. 565.

salutis invenit, ut angelum sanctum mitteret de excelso cælorum habitaculo, qui parentibus futuram ex misericordia unius pueri nativitatem denuntiaret, terminum quo id fieri deberet indiceret, nomen quo censeretur aptaret. Nimirum propter nimiam dilectionem, qua suam in homine diligebat imaginem, condoluit miseris mortalibus grave jugum a primo patre portantibus, et generali misericordia populum hunc, quem specialiter peccata obtriverant, restauravit. Tetigit prius, et conturbavit, ac paterno verbere livorem inflixit, postea respiciens mirabili remedio percuravit. Venit ergo consilii divini legatus, protulit imperium, promulgavit edictum, et præelecti pueri parentes alloquens miserandis civibus cornu salutis erexit. *Post triennium*, inquit, *expectatio dilata probabitur, filius ipse Agericus vocabitur. Indicium est potioris ac superexcellentis apud Deum privilegii a Deo titulum nominis cuilibet vel poni vel mutari. Magnum igitur donum, magna gratiæ dignatio, magna fiducia promissorum. Non potest immutari, quod de tribunali Regis æterni cælesti legato evangelizante dictatur. Agericus*, inquit, *vocabitur*. Abusivum nomen, nec scripturarum paginis hærens, sed quanto ignotius apud homines, tanto dignius divinati, et quanto acceptius Deo, tanto commodius homini. Nulli profecto potest esse ambiguum, quod nunc quoque oblita sui non sit lingua cælorum, et quod scriptura cælestis in perpetuum teneat, quod cælum in terra descripsit. Ergo terra non reprobet, quod cælum probat. Nascitur igitur infans post triennium; longa parentum expectatio porrigitur in effectum, fit gratus in croceis, in cunabulis dulcis. Transgreditur ebdomadam infantiæ succrescens ad officium linguæ; fit puer incremento, puer innocentia, naturam tenellam indole prælucida perornabat; angelus quippe, qui eum prænunciaverat, præsto ei ad custodiam semper erat. Datur puerulus vacationi sapientiæ, jungitur contubernio scolasticorum, haurit fontes sophiæ, inundantia semper ubera sugit, voluptates internas et karismata meliora sedulus emulatur. Doctor enim interior, qui eum imbuerat, cum ætatis successu indicia virtutum ejus clara monstrabat, qui et præscitus ante uterum, sanctificatus in utero, sanctimoniam et magnificentiam in sanctificatione Dei augebat. Amabatur ab omnibus, invidias et detractiones omnium gratiæ perrorantis sublimitate vincebat. Transivit in eadem urbe Virdunensium proficiens ad perfectam usque incrementorum ætatem, virtutem virtuti adjiciens, et stigmata passionis Jesu in corpore suo portans, currebat per viam mandatorum Dei cum gaudio inenarrabili. Jam enim triginta annos habens, in ipsa civitate Virdunensi ductus est ad ecclesiam sancti Petri et tonso capite Christo dicatus, florebatque in atriis domus Domini ut palma, et ut cedrus in Libano totam domum bonis odoribus respergebat. Provexerat cum morum speciositas, et in gradu levitico famulabatur antistiti, cum ecce clerus et populus ad honorem sacerdotii promovere cum expetentes ad eandem eum æcclesiam perduxerunt, et cum gaudio et præconiis gratiæ inibi ordinari fecerunt. Omnes autem quasi ex uno ore cantabant : *Exaltavi electum de plebe mea : oleo sancto meo unxi eum* (*Psal.* LXXXVIII, 20), quia a Christo Domino erat electus, ut oleo spiritualis gratiæ esset fovendus. (Fol. 44.) Contigit interea Desideratum nomine officio cum vita defungi, et successorem idoneum cathedra ecclesiæ viduata requirebat. Non multum quod aderat queritur, nec diu sententia melior ignorantiæ nocte differtur. Omnes in unum coeunt, omnes uni in electione incumbunt, omnes ordinari ad pontificatus infulas Agericum deposcunt. Temptat unus resistere plurimis, multum se excusando laborat, sed roborante Deo prævaluit sententia cleri et populi. Deus enim ad munimen urbis invalidæ reparandum, ad cornu salutis contra malitiam erigendum, cooperabatur in populo. Tribus enim post tonsuram peractis annis, a plebe Virdunensium rapitur et in ecclesia majoris sanctæ Dei genitricis perducitur, et ab episcopis episcopus consecratur. Suscepit ad regendas oves Domini pastoralem virgam, et non tyrannum se ovibus exhibuit, sed ex veritate pastorem. Non patiebatur, ut terra sua contra se clamaret, et cum ea sulci ejus deflerent, sed impiger instabat culturæ Dei, ut opere redderet, quod nomine fatebatur. Habebat fidelem ante oculos advocatum Dominum Jesum Christum justum, eique se suosque supplicatione assidua committebat. Holocausta medullata offerebat pro ovibus, ne forte labiis honorarent Deum, et corde longe posito manibus irritarent, fidemque verbo tenus profitentes actionibus abnegarent. Circumspectus semper leonem insidiantem orationibus allidebat, flammas temptationum elemosinis redimebat, virtutum apothecas humilitatis arce servabat. Terrebat hostes prædicationibus, vitia occulta proferebat in lucem, et tela mortifera inimici doctrinæ potentis acumine perfringebat, semperque se ipso robustior per Jesum et sacerdotem magnum undique triumphabat. Nimirum vitabat et perhorrebat aliquatenus committere, unde testimonio conscientiæ accusatus sub umbra et foliis cogeretur effugere. Semper pavidus, semper sollicitus dum curam debitam susceptis ovibus impendebat, victo hoste, et liber vitiis servitio justitiæ se hilariter mancipabat. Loquebatur sepius et litteris et verbis cum præcone suo angelo sancto, consilioque ipsius gesta preciosa Domino fidelis athletha mittebat, talenta sibi data sæpius numerabat, ne forte plus accipiens minus in lucro redderet et sero penitens obnoxius tenebris, pauper et nudis vinculis traderetur. Fecit etiam signa quæ cum possint cum reprobis haberi communia, ille probabiliter simplici oculo, lucido corpore fecit, ovium suarum et totius mundi necessitate compulsus. Justo enim et sancto Deo populo exasperanti irato, elementis pro eo contra insensatos pugnantibus recesserunt nubes, aer incanduit, terra exaruit, viror herbarum emarcuit, aqua fontium venas dereliquit. (Fol. 44'.) Sicque secedentibus elementis mundus desolatus elanguit. Vitiositas

enim usu nutrita, nisi duro molliatur verbere, ad notitiam sui redire durescit. Unde factum est ut, tribus annis subtracta benedictione pluviarum, celum super eos extenderetur ut ferrum. Pertulerunt primum annum expectantes, secundum desperantes, in tertio defecerunt. Cumque inter se nullum invenissent consilium, tamdem prævaricatores ad corda quodammodo oblita redeuntes, concurrunt ad pontificem, pastorem inclamant, ut propitiaret Deum peccatis iratum, removeret vindictam, impetraret veniam, et arescentes terras colonis morientibus reformaret. Flexit sanctum generalis necessitas, et commune periculum communi oratione tolli consuluit. Itaque triduanum jejunium indixit, letanias per ecclesias Dei fieri, cruces ad misericordissimam Dei memoriam ferri, ut qui passus est pro peccatoribus Christus propiciaretur eis sanctorum intercessionibus. Indixit hoc et jussit, et primus quod jusserat fecit. Egrediuntur indifferenter excalciati, cinere et cilicio obvolvuntur, inclamant miserationem sanctorum, propiciationem Dei, tundunt pectora, lacrimas fundunt, ne Deus judicia faciens in operibus manuum suarum comprehenderet peccatores. Igitur prima letaniarum die pastor ipse cum ovibus gradiens, in præsentia concurrentium oculos convertit ad cælum, in corde suo quiescentem commovit ad misericordiam Deum, et subito nubibus densis obumbrato aere fluxerunt aquæ. Sicque per triduum illud defluentibus pluviis terra vigorem, herbæ virorem, fontes fluorem, arbores vitam et mundus plenam recepit abundantiam. Nec latuit homines, viderunt et ammirati sunt, quanta de pastore sancto apud Deum cura extitit. Nam cum sub nudo aere gradoretur, omnesque aquis descendentibus perfunderentur, ipsi Deus in pluvia umbraculum fecit. Hac et illac, ubi est, jussa aqua cecidit, ipsum ab aqua tangi prohibuit, qui omnia quæcunque voluit fecit.

Cum ergo juxta consuetudinem pastoralem limina ecclesiæ principalis sanctæ Mariæ tereret, quidam Johannes nomine membris solutus, nervis aridus, mortuus viribus, anima subsistente, linguæ tantum officio prævalens, vocibus, quas enervis habebat, episcopum exoravit, dicens : *Obsecro, sancte Dei, ut habeas in me misericordiam.* Cui sacerdos flexus quodammodo et cum infirmo infirmatus respondit : *Quid tibi vis faciam?* Ad hec languidus : *Ut miserearis mei,* ait. Tunc sacerdos in Deo ditissimus pauca de loculis protulit, et infirmo de plenitudine boni cordis exibuit. Nam carnis sustentaculum tribuens, dedit simul corporis solidamentum. Aridus quoque cum fide Christi suscepit dona sacerdotis, et cum eodem munere meruit sanitatem recipere. His et hujusmodi indiciis clarificante Deo servum suum, cepit manifestum esse omnibus, quod sanctus Agericus Christi esset alumnus. Tanta quippe virtutum copia de illo exibat, ut si quis infirmus eulogias de manu ejus susciperet, protinus sanitatem reciperet. (Fol. 45.) Cum ergo præfatæ basilicæ calcaret limina, et ex more studiis spiritalibus operam daret, piissimam benignitatem quam gerebat in mente, ostendit miraculi magnitudine. In ipso enim ingressu mulierculam, Theresindem nomine, obviam habuit, quæ baculo regente cæco viam queritabat errore, et ducem sequebatur animum oculorum desolatione. Qui statim simplici sanctæ crucis medicamine tenebras quindecim annorum effugavit, et lucem diu absentem luce fidei resplendens protinus reparavit. Radiavit virtus per crucem, radiavit et per pontificem. In pontifice regnabat pietas, in cruce potestas. Nec pietas quidquam profecisset, nisi in fide crucis prævaluisset. Potestas enim tanta fuit in cruce, ut non solum feminæ vultum illustraret orbatum, sed lucem indeficientem per totum effunderet mundum. Postquam enim lux mundi pependit in cruce, mundi climata resplenduerunt non sequente nocte. Nox diaboli regnum perdidit, dies crucis optinuit principatum. Hinc est quod sanctus episcopus tantum prævaluit, quia lucem per fidem crucis et dilectionem in corde nutrivit. Signum crucis super oculos orbatæ feminæ posuit, quia Spiritus sanctus in digito per virtutem crucis fuit. Quid plura? Gaudet mulier, miratur solem, tenebras execratur, veneratur medicum, adorat Deum in rerum diversitate mirabilem, quæ confusionem prius tantummodo noverat et noctem. Ita Deus per verum Israelitam illuminavit hanc feminam, populumque admirantem excitavit ad laudem et gloriam suam.

Alio tempore cum vidisset misericordiæ amator, pietatis cultor, sollicitus ovium pastor quandam puellam, Childuidem nomine, a spiritu maligno raptam atque pervasam, condolens miseriæ, memorque officii, ascendit protinus ex adverso, opposuit se murum furenti inimico, et ostendens se unum de illis canibus, de quibus dicitur : *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso* (*Psal.* LXVII, 24), miseræ medicalem linguam auxilii, hosti et pervasori dentes exeruit imperantis zeli, et latrans voce dominica, quæ mitis et paciens non clamavit, neque audita est in platea, perterruit semper tumidam nequitiam, et imaginem Dei, quæ ancillabatur violenter non Domino, reddidit liberam. Postquam enim dixit : *Præcipio tibi, spiritus immunde, ut exeas ab ea, et amplius non introeas in eam*, ille percussus virtute omnipotentiæ, projectus est in tetram abyssum sedis suæ, in ignea spuma quam puella evomebat ostendens, quo camino, quo clibano clandestino miseram possidebat adurens. Illa mansuefacta seque ipsam cognoscens lassabunda subsedit, et perdita crassantis interius inimici armatura mitis, et omnibus facta miraculo, amplius se ipsa pavitando miratur. Habere se incipit, quæ habebatur, et paulisper spiritu purgata extraneo spiritum naturæ recolligit. Remittit servus Dei de servitio maligno liberatam ; et legitimo domino universorum, quod servus mendax et ab inicio homicida abstulerat, servire præcepit. O Deus potentissime, victoriosissime, misericordissime, reddant tibi servi tui

potentes, quod habent abs te victoriosi et misericordes, teque et omnia semper habebunt.

Hactenus sequuti sumus Dominum quasi per terram gradientem, describentes, prout datum est (44), sanctum suum famulum in caducis corporibus pietatis et misericordiæ opera exercentem : (fol. 45') jam nunc nos elevare cogit spiritus vivificans volubilem rotam scripturæ et spirituale miraculum penna corporea et visibili denotare. (*Vita ampl. Agerici.*) Beatus enim Agericus apostoli præceptum in corde servans, et opere complens, dicentis : *Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite*, contigit ut jaceret in tempesto cujusdam noctis memor Domini in stratu suo, et se secreto suavi ac dulci voluptate meditationibus castis ignescens, ipsius quoque corporis pondus spiritus lenitate excedens ; subito lumen, quod ante ipsum ardebat, extinctum est, et remansit pervigil ac sobrius, non visu, non auditu, non ullo sensuum quinque carnalium obstaculo impeditus. Cumque totus secum, totum se Deo extenderet, et anima sancta corpore gravi pressa in Deum se speculando dilataret, ascendente eo ad superna ex desiderio, familia ad eum superna descendit, et multitudo angelorum domus ejus sanctitudinem penetravit et perlustravit. Refulgebat cella accubitalis sanctorum angelorum splendoribus, et quot ministri gloriæ, tot lumina gloriarum ; canebant ymnos cum concivi et contubernali suo, et inenarrabiles Deo deorum glorioso in sanctis armonias resonabant. Hauriebat ille ac degustabat suavitatem vase fragilis corporis ampliorem, nec munera Dei superundantia caro infirma comprehendere vel continere valebat. Laudabatur ab angelis sanctis gratia Dei et misericordia in sanctos ejus et respectus in electos illius. Cumque tot gaudia in conspectu episcopi chorea cœlestis exiberet, ad profectum supplendumque totius sanctæ ecclesiæ præsidium, sanctos antecessores suos episcopos Maurum, Salvinum, Aratorem, ille sanctorum senatus revelavit, quorum erant in suo collegio animæ, corpora vero terræ credita in ignorantia celabantur. Hæc munera, hæc tam preciosa symbola cælestes concives hospiti suo et concivi in munificentia reliquerunt, qui multis ante eum annis Virdunensem æcclesiam rexerunt, et conjuncti Deo conjuncti quoque fuere sepulcro. Igitur post visitationem tam mirabilem, cum lux et angeli cœlo se recepissent, illi qui cubiculo simul inerant, tanto attoniti miraculo pene exanimes sunt redditi stupore divino. Quibus sanctus Dei fortissima increpatione prohibuit, ne ulli hominum hæc dicendo publicarent, quamdiu ipse in hujus vitæ curriculo permaneret. Levata sunt ergo sanctorum corpora auro crizo preciosiora, et in ecclesia, ubi sedem habuerant requietionis, sancti Petri apostoli nomine a beato Sanctino consecrata honorabiliter et sanctissime ab ipso viro Dei pridie Nonas Septembris sunt ordinata, et dies translationis et revelationis eorum per succedentia tempora celebritatis annuæ est honore insignita. Quorum merita ad sepulcra illorum ostendunt frequentia miracula. Nos ergo eo jam meliore via suscepto, jam ad patriam felicitatis æternæ perducto, secure de tam gloriosa miseratione ad laudem Dei et præconium servi sui fidelis fideliter et devota humilitate placeret aliquantulum declamare. Denique ille placens et adhærens Deo in regione vivorum nobis exemplum reliquit, auxilium impendit in regione mortuorum, ut et nos nostra ad normam justitiæ informemus opera, et de justis operibus proferamus verba. (Fol. 46.) Orabat sine intermissione, ut impleret præceptum Domini dicentis : *Oportet semper orare, et non deficere* (*Luc.* XVIII, 1). Quomodo autem non deficiens orabat ? Quia Dominum sanctis precibus sanctisque operibus benedicebat, quemadmodum David de se ipso dicebat : *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo* (*Psal.* XXXIII, 2). Et Tobias ad filium : *Omni*, inquit, *tempore benedic Deum* (*Tob.* IV, 20), et reliqua. Sicut enim malis operibus fidem negamus, sic econtra bonis operibus astruimus ; et bene Deum orat, qui prece aut bono opere proximum edificat. Quia autem, sicut illi pastores evangelici supra gregem vigilabant, ita iste orationibus Deo acceptis custodiæ commissorum insta-
bat, ideo meruit ab angelis visitari, et mortalis adhuc luce celestium perfrui. Et sicut illi gloriam in excelsis Deo, et pacem bonæ voluntatis hominibus annunciabant, ita isti Deum in suo sancto pontifice glorificabant. Quomodo etiam illi ad salutem mundi designaverunt nativitatem Christi, ita isti ad salutem æcclesiæ sanctorum corpora monstraverunt. Igitur ab angelis, ab animabus sanctis, a nobis etiam in corpore minimis decantetur gloria regi seculorum immortali, invisibili, qui est benedictus in secula. Hæc ad gloriam Dei et commonitionem audientium dixisse sufficiat, hinc redeamus ad causam.

Anno 157 post transitum sancti Martini sanctus Eufronius Eduensis episcopus Turonicam sedem ... regnante Clothario, qui defuncto Ariberto, in sedem ejus Sigebertum induxit.

[Greg. Tur., IV, 9.] Theodeberto igitur rege ad superna demigrante, Theodebaldus filius ejus successit, valde iniquus et mali ingenii, qui obiit 7 anno regni sui. Regnum ejus Clotharius accepit. Childebertus quoque Parisius obiit : et sic Clotharius monarchiam optinuit. (*Genealog. Carol.*) Hic Clotharius sororem suam Ansberto in matrimonium junxit, qui et genuit Arnoldum, Arnoldus Arnulfum

NOTÆ.

(44) Duplicem Agerici Vitam, breviorem unam et antiquiorem illam, ampliorem alteram se ante oculos habuisse testantur Bollandistæ Act. SS. Sept., t. II, 222. Ampliorem secutum esse Hugonem, patet ex loco quodam Vitæ brevioris, qui l. I. legitur. Ex hoc fonte alteram illam Vitam fluxisse Hugonis narratione probatur. K.

episcopum Mettensem, Arnulfus Anchisem qui et Ansegisus, Ansegisus Pippinum, Pippinus Carolum.

[Greg. Tur., iv, 20.] Eo tempore Clotharius filium suum Chrannum contra se rebellantem, et res novas molientem, cum prius captus fuisset et ligatus, jussit igne comburi. Post hec Clotharius pro peccatis suis ad limina sancti Martini properavit, unde rediens Compendio villa obiit anno ab inc. Dom 569, ætatis suæ anno 95, anno regni sui 51; regnum ejus quatuor filii ejus inter se diviserunt. (*Vita Præj.*) Chilpericus regnum patris optinuit sedem habens Suessionis; sub [217] quo (45) passus est sanctus Præjectus martyr et pontifex Arvernorum interfectus a suis civibus, anno ab inc. Dom. 580, et successit sanctus Avitus, qui præfuit non plenis 15 annis (46), et ei sanctus Bonitus primo anno Teoderici successit. (*Vita Boniti.*) Aribertus regnum Childeberti, sedem habens Parisius : Guntrannus regnum Clodomeris sedem habens Aurelianis : Sigebertus regnum Theodorici, sedem habens Mettim. [Fredeg.] Huni Gallias expetierunt, quos Sigebertus vicit, fugavit, et post cum eis pacem iniit. Chilpericus interea Remensem urbem et alias urbes de regno Sigeberti invasit, unde bellum civile inter eos fuit. Sigebertus vero Suessionem obpugnat, Theodebertum Chilperici filium capit, et exilio religat, ipsum superat, et urbes recipit. Post annum filium ei reddit, et pacem firmat. Guntrannus in Burgundia regnans fuit vir bonus et elemosinis deditus. Sigebertus vero videns, quod Aribertus et Guntrannus viles uxores acciperent, Brunam, quæ et Brunichildis dicitur, filiam Athanagildi regis Hispaniæ, uxorem accepit, cujus consilio multa mala et sanguinis effusio in Francia facta sunt. Chilpericus quoque sororem ejus Gachilissindam uxorem duxit, relinquens Fredegundem et alias uxores, quas habebat, quam postea facto juramento, quod habuerat ad Gothos, ne eam de regno deponeret, sugillare fecit, et sic Fredegundem recepit, quæ postmodum crudelissimam vitam digna morte finivit. [Greg. Tur., v, 29.] Hic Nerone pejor et Herode ecclesias Dei vastavit, et multos sanctorum interfecit; descriptiones gravissimas in toto regno suo fecit, quas cum ferme per omne regnum percepisset, qui ferebat, a Lemovicinis interceptus, peremptus est, et descriptiones combustæ. (*Vita Præj.*) Ab hoc etiam peremptus est Hector Massiliæ patricius, cum ab eo sanctus Præjectus injuste ante ipsum delatus esset, et causam delati probare, ut dixerat, nequivisset.

[Fredeg.] Anno ab inc. Dom. 566, Sigebertus regnare cœpit, et regnavit annis quatuordecim; Guntrannus quoque Langobardos regno suo irruentes tanta cæde perdomuit, ut ex omni exercitu illorum quadraginta tantum Italiam redirent. (Fol. 46'.) Post hæc Chilpericus et Sigebertus consilium ineunt, ut Guntrannum interficiant, et regnum ejus accipiant. Sed Domini voluntate mutati consilio Sigebertus super Chilpericum irruit, qui fugit Tornacum, et ille Parisius venit, ubi correptus a sancto Germano Parisiensi, ut desisteret fratrem persequi, audire noluit. Cui episcopus dixit : *Scriptum : Qui parat fratri suo foveam, prior incidit in eam.* Veniens autem Victuriaco, omnes Neustrasios in deditionem recepit, et ibi dolo interfectus est a duobus pueris, qui etiam deprehensi interfecti sunt, et sic Chilpericus regnum recepit. [Greg. Tur., iv, 41.] Obiit autem Sigebertus anno regni sui 13, ætate quadragenaria, et regnabat Childebertus filius ejus pro eo anno 582, indictione 15. [Fredeg.] Brunichildis Parisius sub custodia cum filio Childeberto detinebatur; sed puer in pera per fenestram demittitur, et Mettim a Gundebaudo duce in regno patris sublimatur. [Greg. Tur., v, 1, 2.] Brunichildis vero jussu Chilperici Rotomagum exilio damnatur anno primo regni Childeberti. Eo anno transiit sanctus Germanus Parisiorum episcopus, et Regnamundus successit. Chilpericus itaque filium suum Meroveum Pictavis cum exercitu direxit, qui relicta ordinatione patris, adjuncto sibi Guntramno Bosone duce, Rotomagum petiit, et Brunichildem in conjugium accepit. Quod audiens Chilpericus Rotomagum venit et post paucos dies, assumpto Meroveo, Suessionis rediit, et non multo post propter conjunctionem Brunichildis suspectum habens spoliatum omnibus custodiæ mancipavit. (v, 3.) Qui dum in custodia detineretur, tonsoratus est, mutataque veste presbyter ordinatur, et fugiens ecclesiam petiit sancti Martini apud urbem Turonicam, ubi hæc gesta sunt. (v, 14.) Latuit in eadem basilica per duos menses, et post hæc ad Brunichildem rediit, et ab Austrasiis receptus non est. Cum ergo in Remensi Campania latitaret, dolose captus ab Atrebatensibus, et timens ne patri redderetur, socium monuit ut irrueret super eum. Quo facto adveniente rege, mortuus inventus est.

(v, 31.) His diebus apud Constantinopolim cum amentia mortuo Justino, Tiberius imperator factus est largus in eleemosynis. (v, 38.) Quinto anno Childeberti magna christianorum persequutio in Hispaniis facta est. (v, 35.) Dysentericus quoque morbus Gallias præoccupavit, quo ingravescente, Chilpericus adultos jam tres filios uno anno perdidit; quartus qui superfuit, nomine Clodoveus, carceri mancipa-

VARIÆ LECTIONES.

[217] sub — Teoderici successit *in margine additur.*

NOTÆ.

(45) Duplex Vita S. Præjecti testis est, eum Childerico rege interfectum esse circa a. 674, ut docet Mabillon Act. SS. sæc. II; Act. SS. Januar., t. II, 630.

(46) *Ter quinis fere amplius annis munere functus est.* Avitus in Vita S. Boniti Act. SS. Januar., t. I, 1071.

tur, et factione matris cultro a patre perimitur. Childebertus rex sororem suam Herminigildo, Wisigothorum regis filio, tradidit, cujus hortatu et Leandri Hispalensis episcopi prædicatione ad fidem Christi conversus est. [Fredeg.] Post Tiberium Mauricius accepit imperium, a quo Childebertus quinquaginta milia solidos auri accepit, ut Langobardos Italia pelleret. Intravit ergo Italiam, et omnes ditioni ejus se subdiderunt, cum quibus et amicitiam firmavit, et gloriose inde reversus est. (*Vita Agerici*). Cum ergo placitum et conventum multorum Virduni habere debuisset, et beatum hunc Agericum, de quo agitur, dilectionis et venerationis amplexibus honoraret, eum opsoniis necessariis gravari non patiens, removit servitii necessitatem, et placitum transtulit ad Metensem civitatem. Cumque consequenti tempore per urbem fecisset transitum, et a sancto pontifice benigna esset susceptus dulcedine, humanitas quoque hospitalis ei exiberetur cum omni cura et sollicitudine, in ipso fervore regiæ servitutis accedens ad eum economus rerum suarum universalis: *Et si alia*, inquit, *Domine, providendo abundamus, vinum ut majestati regiæ decet, exibere non possumus, quia præter vas medium, quod tonna vulgariter dicitur, nichil habemus.* Tunc vir Dei in re corporea angustiatus, sed corde in Domino dilatatus · *Noli*, ait, *desperatione languescere, sed affer mihi de eodem liquore : potens est Deus tristitiam parvitatis nostræ in gaudium abundantiæ commutare.* (Fol. 47.) Dixit, et allato sibi vino paululum sorbuit, et ad celos oculos sublevans : *Domine*, inquit, *oro ut fiat istius vini amplificatio.* Cumque ipsius præcepto refudisset illud in vase supradicto, cepit vinum copiose ministrari, cepit copiose affluere, et quanto amplius vacuabatur ad libitum bibentium efferendo, tanto magis augebatur Creatoris jussu et virtute redundando. Poterat namque istud Omnipotens, qui de aqua vinum fecerat in Chana Galileæ, poterat et de vino vinum facere sincera verbi petentis et indubia fide. Quid plura? Biberunt ut Galli, nec erat mensura in erogando. Multis diebus vas illud vinarium conati sunt vacuare, et quodammodo vina infundere videbantur, dum effusioni instarent. Crescebat modica benedictio multis vorantibus, et Deo imperante modum naturæ superabat. Ad ultimum finito servitio, nec imminuto vino, rex miraculo stupefactus, episcopo humiliatus, Deum in ipso veneratus, regiam ostendit largitatem, et qui virtutis vinum biberat, vineas et possessiones ex amore et devotione episcopi ecclesiæ optulit, quas et usque hodie privilegio et deinceps auctoritate stabili possedit. Sane virtutis vinum per præsulem sanctum a Deo virtutum regi et comitibus propinatum corda devota populi adeo tunc temporis lætificavit, ut in loco, quo copia ex benedictione profluxerat, altare construerent, quatinus hujusmodi signo sæcula ventura noscerent, cujus meriti excellentia beatus Agericus apud Deum in gloria æterna fulgeret. Quidam etiam valde nobilis, cum pro suis sceleribus a rege vita privari debuisset, et precibus beati antistitis salvatus est : unde dedit ille Virdunensi ecclesiæ alodium suum et scripto roboravit.

(Fol. 46'.) Guntramnus [218] Boso dux cum exosus reginæ haberetur, cœpit per episcopos et proceres discurrere, et veniam deprecari. [Greg. Tur., IX, 8.] Nam cum esset Childebertus juvenis, reginam conviciis et improperiis lacessebat, unde et a rege jussus est persequi; qui cum se cerneret in discrimine positum, Virdunum petiit, putans per beatum Agericum, qui pater regis erat ex lavacro, se posse salvari, pro quo episcopus intercessurus ad regem properat. Quod cum rex negare nequiret, ait : *Veniat, et datis fidejussoribus in præsentia patrui mei exequatur judicium.* Adductus ergo et armis nudatus et coram rege prostratus a terra jussus est surgere, et sancto sacerdoti usque ad præsentiam Guntramni est commissus. (IX, 9.) Post hæc Childebertus cum matre, sorore et conjuge in occursum patrui festinat. Quibus conjunctis præsentatur et Guntramnus Boso absque ullius defensione, quia sic convenerat sanctus episcopus : episcopus vero remansit. Sed cum ille pro diversis facilitatibus culpabilis judicaretur, ad mansionem episcopi confugit. Quo cum eum interfectores insequerentur, et ille a viro sancto avelli se non pateretur, nuncii etiam ad regem missi ab episcopo intercessores abbates et clerici non audirentur, jussu Guntramni injectus est ignis domui illi, ut si episcopus egredi nollet, pariter concremaretur (Fol. 47.) Quod audientes clerici, vi effracto ostio sacerdotem ejiciunt. Miser autem ille, cum se videret flammis urgeri, demumque egredi tentaret, susceptus ab hostibus interfectus est; quod multum sacerdos doluit. (IX, 12.) Cum autem quidam de regni primoribus de morte regum, patrui scilicet et nepotis, tractassent, et deprehensi interficerentur, quidam eorum Bertefredus nomine ad urbem Virdunensium confugit. Quo insequentibus adversariis, domum ecclesiæ, in qua erat episcopus, et quam et ille confugerat, exercitu vallant, et ascendentes super tectum, tegulis et materiis tecti illidentes interfecerunt illum cum tribus pueris. Multum ex hoc doluit sanctus episcopus, quod non solum eum defensare non potuit, verum etiam locum quo orare consueverat, ubi et pignera sanctorum multa aggregaverat, humano sanguine pollui vidit. Multa vero Childebertus munera misit, ut a mœrore revocaret, sed consolari non potuit. (IX, 23.) Verum diuturnæ amaritudinis mœrore graviter ægrotare cœpit, præsertim autem Guntramni filios secum retinens quotidie flens illos sibi soli relictos orphanos.

(*Vita Agerici.*) Transibat aliquando hic sanctus per civitatem Laudunensium, et ecce obviam sibi fuit quidam manicis strictus et compedibus, cui tortore præeunte carcere aperiebatur obscurus. (Fol. 47'.) Ibat,

VARIÆ LECTIONES.

[218] Guntramnus — orphanos *in margine fol.* 46 *et* 47.

sed magis impellebatur infelix vagitibus plateas implens, et lacrimis omnes quos offendebat ad auxilium ululatu et gemitu provocabat. Talis est peccatorum redditio : sera semper pœnitentia tormento suscipitur, et illecebræ voluptatum asperis et amaris exitibus puniuntur. Cumque miserabilis misericordem aspiceret virum, petivit, ut potuit, sibi refugium, et ut ei impenderet orationis suffragium. Audivit misericordia, et pontifex tactus dolore et compassione intrinsecus, convenit tortorem multa prece supplici postulatione, ut flecteretur et propitiaretur misero indulgentiæ lænitate. Abnegavit, et reppulit, nec eum aliquatenus audire consensit. Illius flagitia et facinora animum judicis infrenabant, ne flecteretur misericordia. Petiit secundo et tertio, repulsus est; triplicavit precem, et auditus non est. Quid faceret pietas? Quo se verteret? Homo hominem neque cogere neque precari valebat, et pietas nichilominus increscebat. Itaque conversus ad Dominum porrexit vota in cælum; cucurrit ad misericordiæ fontem sepius expertum, orans ut misero esset in auxilium, et solveret jussio invisibilis et omnipotens quod despexerat judex superbus et insolens:

Audiit Omnipotens, subitoque ligamina solvit;
Vincla cadunt, et nemo patet qui vincula solvat,
Nulla manus, vis nulla, Dei nisi jussio summi.

Cumque hoc judex obstupefactus aspiceret, confusus et timore correptus, corruit ad pedes sancti, inobedientiæ compede vinctus, petens jam et implorans sibi veniam, quam noluerat impendere proximo postulanti. Indulget vincto per culpam, soluto per veniam tantum gratiam postulans, qua solvatur. Ita Deus operatus in servum, illum reatu, illum indulgentia liberavit.

Hæc pauca divinæ virtutis miracula per virum sanctum nobis monstrata, nos pro modulo nostro litteris indicibus posteris ad notitiam salutis annotavimus, et digitum Dei, per quem oppressa Egyptus, per quem ejectus est inimicus, per quem mensura fidei, per quem divisio carismatum est divinorum, in his operatum adoramus. Exteriora, quia sunt visibilia, quasi faciem hujus patris nostri pulchram decoramque pingentes, et coloribus verborum ignobilium informantes. Sed si cum sudoribus et labore vix pervenimus ad ostium, id est ad comprehensionem exteriorum, quid de interioribus faciemus? Quomodo clausa et abscondita penetrabimus? Nimirum ipse Dei servus in hoc maxime et sollicite servivit Deo, quia vocem ejus medullitus obaudivit, quam evangelio promulgante percepit : *Tu*, inquit, *cum oraveris, intra in cubiculum et clauso ostio ora Patrem tuum* (*Matth.* VI, 6). Quid igitur mirum, si archana ejus nequimus agnoscere, qui extra ostium compellimur excubare? Nimirum detrimenti causam deputabat, si vel amicus secreta sua cognosceret. Legerat Ezechiam regem in hoc sibi A Deum placabilem improvide offendisse, quod nunciis Babilonis thesauros suos et aromatum cellas inventus et reprehensus est ostendisse. Timebat et sollicitus invigilabat, ne si hostis insidians, hostiaria segniter soporata, domum ejus irrumperet, somno mortis obrutus negligentia deperiret. Quapropter servabat cor suum omni custodia, et templum sanctum Dei in se illesum illibatumque conservans, et permundans, variis bonorum operum floribus adornabat. Concurrebat enim populus, et civitas tota cotidie confluebat, ut de sanctuario Dei per ipsum oracula salutis, sicut antiquus populus per Moysen, et vitæ responsa perciperent. Sacerdos ipse summus tam pro se quam pro commissis hostias Deo sepius immolabat, et legem Dei ad faciendum eam de ca- B thedra æcclesiæ perdocebat. Ita vestibus Aaron pretiosis et sanctis spirituali lege perfungens, domini Christi vicarius se ipsum hostiam sanctam Deo placentem offerebat pro populi salute, in adquisitione laudis æternæ. Hunc talem tam glo iæ singularis heredem Deus ipse reddebat, qui eum et antequam nasceretur præelegerat, quicum per se per ministros claros domus suæ, et cum eo omni tempore erat, et frequentibus concursibus visitabat. Hos fasces, hæc insignia urbis æternæ, hanc civicam coronam Jerusalem supernæ, quomodo potest filius hominis vermis apprehendere? (Fol. 48.) Quod si dicas et ipse filius hominis et ipse vermis, verum utique dicis, sed miracula per Filium Dei et hominis specialiter facta in amicis superexcellunt, nec sunt applicanda C servilibus et Adæ paupertati. Dicam interim, dicam de me, quia pressus sarcinulis corruptionis avitæ, nec radicem caritatis ejus cœlo fixam conabor attingere, nec dignum me fatebor corrigiam calciamenti ejus solvere. Sequar tamen ejus præconando vestigia, si qua Deus illuminato suo fuerit dignus ostendere.

Cum ergo vir Dei inenarrabilibus et supradictis dies suos virtutibus omni studio repleret, et lucrum bonum de talentis sibi commissis bono Domino fideliter congregaret, hospitalitatis officium juxta apostoli præceptum sollicitus exiberet, contigit semel sibi clericum Fortunatum nomine supervenisse. [PAULI *Hist. Lang.* II, 13; BERT. VI.] Cum enim esset D idem Fortunatus in Italia, in urbe scilicet Ravenna, et nimium oculorum dolorem pateretur, venit ad quoddam monasterium in eadem urbe intra muros in honore sanctorum Joannis et Pauli in qua etiam [219] altarium beati Martini constructum [219] honore, propinquam [219] habebat fenestram in qua [219] lucerna erat constituta [219], comitante secum Felice [219] Tarvisiæ urbis episcopo [219], qui pari modo oculorum dolorem [219] patiebatur; et visum est illi, ut de oleo lampadis ante altare ardentis oculos suos linirent sub nomine sancti Martini. Quod ut fecit, protinus meritis ipsius oculorum uterque salutem recepit. Qui flagrans desiderio visendi sepulchrum

VARIÆ LECTIONES.

[219] etiam alta, construc, uam, n qua, ituta, lice, episcopo, dolorem *deleta*.

sancti Martini, de Italia venit in Galliam, et fuit iter illius per Virdunum. Quem episcopus, cui lex canonica jubet omnes suscipere, benigne suscepit, humane servivit, et viscera super eum totius sanctitatis et pietatis pro consuetudine sua bona patefecit. At ille remunerationem cogitans pro servitute susceptа, cum voto expleto. (BERT.) Pictavim rediens ibi habitaret, consecratus in presbiterum, et post in ejusdem urbis episcopum, et esset doctus arte grammatica, composuit ibi carmen in laude ipsius hexametris comptum et pentametris versibus, quos hic subjungere operæ precium duximus. Ita ergo carmen id dicitur :

Urbs Virduna, brevi quamvis claudaris in orbe,
Pontificis meritis amplificata places.
Major in angusto præfulget gratia gyro,
Agerice, tuus, quam magis auxit honor.
Plurima magnarum fudisti semina laudum,
Quæ matura opere fertilitate metes.
Tempore præsenti victum largiris egenis.
Unde futura dies centuplicabit opes.
Dogmatis archani reseras penetralia pastor :
Non solum dapibus, pascis et ore greges.
Templa vetusta novas, preciosius et nova condis,
Culcior est Domini te famulante domus.
Egregios fontes sacri baptismatis exples,
Tam pia divino fonte repletus agis.
Candida sincero radiat hec aula sereno :
Et si sol fugiat, hic manet arta dies.
Ad nova templa avide concurrunt undique plebes,
Et tribuis populis plus in amore Deum.
Te solamen inops meruit, te nudus amictum.
Et solus cunctis potus et esca manes.
Felix, qui meritis æternæ lucis amator,
Tempora jam modico non moritura paras.
Phebus ut elatum suspendit in ethera cursum,
Purus et igniferum spargit ubique jubar :
Effusis radiis totum sibi vendicat orbem,
(Fol. 48') *Montes, plana replens, ima vel alta tenet.*
Sic præsul splendore animi cum sole choruscas,
Ille suis radiis fulget, et ipse tuis,
Agerice sacer, cujus sermone colente
Ecclesiæ segetes fertilitate placent,
Terrenis sterilis rebus, fecunde supernis,
Cuncta caduca negans, dives iture polis.
Illecebris mundus, mundi lasciva repellens,
Nil cui subripuit carnis amarus amor.
Lubrica culpa perit, neque mors de crimine gaudet,
Cum tua delictis libera membra vides.
In templis habitando piis sic purus haberis,
Ut tua corda, pater, sint pia templa Dei.
Eligit in tali se Christus vase recondi;
Quam sibi purgavit, possidet ipse domum.
Non dolus in labiis, non sunt fera nubila mentis,
Sinceris animis vernat in ore dies.
Doctiloquum flumen salienti fonte refundis,
Et sensus steriles voce rigante foves.
Ardua cœlorum pandis misteria terris,
Per quem plus Dominum scit, timet, orat, amat.
Dogmate divino præsul facunde triumphans,
Das pastor monitis ne premat error oves.
Deliciis reficis, quas celum, arva, unda ministrat,
Et saciat populos hinc cibus, inde fides.
Sumit pauper opem, tristis spem, nudus amictum,
Omnia quidquid habes omnibus esse facis.
Hic tibi longa salus maneat, licet inde futura :
Atque diu pastor pro grege vota ferens.

Cum igitur prolongatum vitæ hujus incolatum mortem delectabiliter expectans diu patientissime pertulisset, et pondus impositum diei et æstus spe salutari infatigabiliter deportasset, et lacrimas quoque crescentis cotidie desiderii panes bonæ ac letæ consolationis habuisset, videns inimicos suos victoria vitiorum scabellum pedum suorum, gaudebat anima ejus in Domino, et exultabat spiritus ejus in Deo salutari suo. Vincula terrenæ molis graviter tolerabat, et quanto viribus corporis destituebatur, tanto magis libertatem promissam amplius sitiebat cum apostolo dicens : *Cupio dissolvi, et esse cum Christo multo magis melius* (*Philipp.* 1, 23). Quod per speculum in enigmate jam senex ac lassabundus tenebat, hoc videre ardebat per speciem. Bonus autem Dominus messis differebat succisionem, quia oportunam noverat et disponebat maturitatem. Viderat eum et adjuverat in hac hieme aspera perniciter desudasse, ventos temptationum, pruinas tribulationum, adustiones voluptatum superasse, et providus sanctarum virtutum agricola fructum multiplicem terræ bonæ differebat succidere, plenitudinem ejus accumulans in patientia. Appropinquavit igitur vespera mortis, et gaudens, ac præteritorum quodammodo immemor, in anteriora se extendebat præparatæ pausationis denarium a patre familias reposcens pactæ ac diu expectatæ mercedis. Non fefellit eum (fol. 49.) spei ancora omnibus firma periculis, et veritas de promissionis umbraculo processit in lucem. Taetus enim digladiabili sorte naturæ, et sciens sibi discidium corporis et animæ supervenire, confidens in Deo, qui potest et animam et corpus perdere et salvare, convocari jussit omnes ecclesiæ suæ filios et in æcclesia meliores, et consueta salutis documenta replicans, seque illis commendans, ad ultimum ait futura pronuntians : *Sabbato venturo, filii karissimi, magnam scitote futuram serenitatem cœli. Serenissimus enim sabbati Dominus mihi servo suo fideli dabit sabbatum requietionis, et pertesum labore sex dierum hujus seculi, in septima sine vespera omni labore liberum transportabit. Terræ igitur matri, quod suum est reddite; nam Deus, vita mea, recipiet, quod inspiravit in faciem meam spiraculum vitæ. Vos etiam obsecro, fratres, et nunc pro vobis sollicitus, ut numquam a memoria vestra recedat, qui semper et ubique vobiscum est, Dominus.* Dicebat hæc aliaque similia, et quasi ad pascha superventurum se præparans, sordes et contagia circunstantium atque lugentium sacra et multimoda ammonitione eluebat; nunc de his quæ relinquebat, casti-

gando retrahens, nunc ad ea ad quæ transmigrabat, A instigando impellens. Venit quod prædixerat sabbatum, et ecce repente in cella ubi eger recumbebat, auditur frequentia, audiuntur voces, quas lingua edicere nec vox potest resonare mortalium. Cesserunt lacrimæ, stupor et extasis omnes invasit, miraculo et terrore omnes tenuere silentium. Audiebantur carmina sexuum diversitate diversa, nec qui essent cantores, corpulentia tenebrosa et fragilis videre prævalebat. Hoc tripudio, hac simphonia lætitiæ inter supernorum civium exultationes, inter manus sanctorum angelorum dulcissimi pontificis anima de corruptibili carcere exempta, veluti nivea columba cunctis videntibus evolavit, quorum Deus oculos, ut videre mererentur, aperuit. Ibi felix et beata anima illud unum quod in evangelio Salvator B docet necessarium, ab eodem Domino perenniter et feliciter recipit. [Greg. Tur., ix, 23.] Obiit autem pro illis, ut supra diximus, causis amaritudinis felle adgravatus, maxime inedia consumptus. Curatum est sane corpus ejus sacratissimum pia filiorum diligentia, et juxta patris ultima præcepta terræ mandatum in æcclesia sancti Andreæ et beati Martini nomine consecrata. Ubi meritis ejus et precibus exuberant divina beneficia, cunctosque Dei medetur pietas. Requievit autem mense Decembrio, die primo, qui erat dies sabbati. Annunciatus est ab angelo anno ab inc. Dom. 518, natus post triennium a. 521, ordinatus in pontificem anno ætatis suæ 33. ab inc. Dom. 553, indictione 5, regni Theodeberti a. 15, post quintam synodum Constantinopolitanam a. 2, pontificatum agente Romanæ ecclesiæ papa Vigilio, imperante Justiniano minore a. 28, Justiniani majoris nepote. Vixit in episcopatu a. 47, decessit ætatis suæ a. 81, ab inc. Dom. 602, indictione 5, qui erat annus Guntramni 35, papatus domni Gregorii papæ a. 12. (Bert. vii.) Butiovaldus quidam abbas episcopatum ambiens, quia esset superbus, nichil optinuit. Caramerum referendarium cum consensu civium regalis assensit auctoritas fieri sacerdotem. Post eum extitit..... [220] (Fol. 49') Ermenfridus, de quibus nullam aliam habemus memoriam, nisi quod in ordine episcoporum episcopi sunt reperti. Verum de his nunc ista sufficiant.

[Greg. Tur., iv, 46.] Chilpericus itaque, Nerone pejor et Herode, post multa mala, bella, cædes et descriptiones novas et gravissimas, quas in omni regno suo fecit, dum de venatione apud villam Calensem juxta Parisium jam subobscura nocte rediret, dum de equo susciperetur, et unam manum super pueri scapulam teneret, adveniens quidam, nomine Falco, missus a Brunichilde, cultro eum sub ascella percussit, et iterato ictu spiritum ejus fudit. [Fredeg.] Hic multas regiones devastavit, episcopos execrabatur, testamenta ecclesiarum multa disrupit, nullum unquam dilexit, a nemine dilectus est. [Greg. Tur., iv, 46.] Cum spiritum exhalasset, solus derelictus est. Hunc Madelulfus Silvanectensis episcopus noctu sepelivit. Obiit a. 588, anno.... Childeberti filii Sigeberti.

[Fredeg.] Anno igitur ab inc. Dom. 593, regnante Guntramno, anno regni sui 25, ipse domnus Guntramnus rex ecclesiam in suburbio Cabilonensi in honore sancti Marcelli ædificavit, quam rebus plurimis ditavit, et congregans synodum quadraginta episcoporum, monachos inibi esse decrevit ad instar monasterii Agaunensis. Cumque ei perlatum fuisset, quod frater suus Chilpericus interfectus fuisset, abiit Parisius, baptizatum filium Chilperici, nomine Clotharium, ipse de fonte suscepit, et in regna patris constituit.

Anno 26 regni ejus, filius nascitur Childeberto B Theodebertus, et anno sequenti Theodericus. Guntramnus Childebertum adoptavit in filium, quia filios non habebat. Ipso anno gens Persarum credidit Christo, et baptizatus est imperator Persarum a sancto Johanne Constantinopolitano cum 60 milibus eorum.

Anno 30 regni ejus, qui erat ab inc. Dom. 598, inventa est tunica Domini nostri Jesu Christi inconsutilis, et a Gregorio Antiocheno, Thoma Hierosolymitano, Johanne Constantinopolitano, et aliis multis de Zafati civitate cum arca marmorea levata, ordine pedestri Hierosolymam perlata est, et in loco ubi crux adoratur, cum triumpho posita.

Guntramnus, postquam 33 annis regnum Burgun- C diæ tenuit, moritur 5 Kal. Aprilis; sepultus est Cabilone. Regnum ejus Childebertus assumpsit, quod annos quatuor tenuit, et mortuus est in adolescentia, anno regni sui 17, ætatis 25, ab inc. Dom. 605. Filii ejus regnum susceperunt Theodebertus Austrasiorum, sedem habens Mettim; Theodericus regnum Guntramni in Burgundia, sedem habens Aurelianis. Hi duo reges contra Clotharium Chilperici filium arma movent, ubi Clotharius opprimitur, et qua potest conditione pacem facit.

(Fol. 50.) Anno regni.... Theoderici, qui erat ab inc. Dom. 602, Phocas dux et patricius rei publicæ Mauricium imperatorem interfecit et imperium assumpsit. Theoderico nascuntur filii Sigebertus et Childebertus. Brunichildis et Prothadius major do- D mus Theodericum adversus fratrem commovent; quamobrem Protadius ab exercitu Theoderici perimitur, et fratres pacantur. Theodericus consilio Brunichildis aviæ suæ sanctum Desiderium Viennensem archiepiscopum exilio damnavit, et reductum de exilio lapidare fecit. Sanctum quoque Columbanum de regno suo exturbavit, quem Clotarius Chilperici filius suscepit. Erat enim amator sapientiæ. Iterum lis inter fratres Brunichildis agitatur consilio, et collecto exercitu Tullensi confligunt campania. Victor Theodericus Theodebertum usque Coloniam insequitur, ubi Theodebertus redintegrato exercitu bellum movet. Tanta ibi strages facta est, ut cada-

VARIÆ LECTIONES.

[220] *locus erasus et vacuus in c. tertia pars lineæ.*

vera mortuorum non haberent quo ruerent, præ multitudine occisorum. A Tulbiaco usque Coloniam prostratus exercitus terram operuit. Theodericus victor fratrem persequitur, et suorum proditione captum aviæ Brunichildi dirigit; quem illa in clericum totondit et post paululum interfecit.

(*Vita Gœrici ampl.*) Regnante Theodeberto rege sanctus Gœricus, rex Aquitaniæ ultimus, justis pollens moribus, a Domino cæcitate percussus, revelatione angelica Mettim venit, cui præerat sanctus Arnulfus propinquus ejus; et illuminatus a sancto Stephano domum sancti Petri construxit, et tempore Dagoberti, sancto Arnulfo eremum petente, ibidem pontifex subrogatus 18 annis præfuit, decessit 13 Kalendas Octobris, sepultus in cœnobio sancti Symphoriani. (*Vita Lupi Sen.*) Tempore Theoderici et Brunichildis sanctus Lupus Senonensis viguit, nepos Austerii Aurelianensis et Aunarii Antissiodorensis episcoporum.

[Fredeg.] Anno itaque 16 regni sui, qui erat ab inc. Dom. 615, Theodericus volens super Clotharium irruere, Mettis profluvio ventris interiit. Brunichildis Sigebertum filium ejus in loco patris substituit. Clotharius vero fines regni qui suæ ditioni debebantur conatur recipere, cui Sigebertus occurrit, quem Clotharius suorum proditione captum peremit, et quinque fratres ejus cum Brunichilde cepit. Pueros separatim peremit, Brunichildem indomitorum equorum caudis irretitam miserabili morte damnavit anno ab inc. Dom. 623, quæ et sepulta est Eduæ.

Clotarius trium regnorum monarchiam obtinuit a. 28 regni sui, sicut et beatus Columbanus prædixerat, et a. 38 regni sui Dagobertum filium consortem regni facit. Anno vero 42 regni ejus inter Clotharium et filium suum gravis orta est contentio, eo quod Clotharius cuncta quæ ad regnum Austrasiorum pertinebant, sibi volebat retinere. Quamobrem electi sunt duodecim judices ex Francis, inter quos fuit sanctus Arnulfus Mettensium episcopus, quorum consilio pater pacificatur cum filio. Superiori vero anno, cum jam Dagobertus Austrasiorum regnum strenue regeret, quidam vir, nomine Haroaldus (47), ejus offensam incurrit, pro quo intercessores facti sunt dominus Arnulfus et Pippinus major domus, sed non multo post Treveris interfectus est.

Anno 630 Clotarius moritur, et Dagobertus monarchiam obtinuit a. 15. Hic patre orbatus, Austrasiis, quos regebat, jubet exercitum promovere, missos dirigens in Burgundia, et cæteris regni partibus, ut in suum regnum eligerent. Cumque Remis venisset, omnes se ei tradiderunt. Aribertus frater ejus nitebatur se posse regnum assumere, sed ejus voluntas pro simplicitate parum sortita est effectum. Dagobertus vero cum obtinuisset regnum, sapienti usus consilio partem regni fratri concessit Tolosam, Caturcinam, Agenensem, Petragoricum et Sanctonicum, et quod ab his versus Pyreneos montes excluditur; et regnabat Aribertus in Provincia et Aquitania et post tres annos totam Vasconiam superans sibi subdidit.

[Bertar.] Anno Domini 582 obiit sanctus Germanus Parisiensis et a. 630 sub Dagoberto viguit sanctus Paulus Virdunensis frater ejus. Quod si, ut scribitur, ita est, sexaginta et eo amplius annis vixit post eum. Nati sunt in pago Eduensi, vico Lausia, et in manso nativitatis eorum non canis, non avis prædam rapere prævalet, quæ non statim intereat; quod experimento probatum est. Qui locus usque hodie ecclesiolam retinet sancti Germani nomine et virtute insignem.

[Bertar.] Hujus Dagoberti tempore post Ermenfridum episcopum Virdunensem tractus est de monasterio Theolegio sanctus Paulus, qui fuit frater sancti Germani Parisiensis ecclesiæ episcopi, et in Virdunensi ecclesia episcopus consecratus; cujus memoria æterna est. Hic monasticam vitam ducens cum in pistrino fratrum habuisset obedientiam, et timeret ne hora statuta fratres panem habere potuissent, ejecto igne de clibano ipse intus ingressus, cum cuculla sua clibanum purgavit, et panem illic ad coquendum ordinavit, sanusque foras egressus panem sanctum fratribus in refectorio tempore statuto distribuit. Cum ergo esset episcopus ordinatus, nepos Dagoberti regis Grimo diaconus, qui et Adelgisus dictus est, cum fuisset a sancto Paulo ab infantia reverenter educatus, pro amore ipsius antistitis suam proprietatem, id est Theolegium monasterium, santæ Mariæ in Virduno suo scripto et multorum fidelium scriptis tradidit roborauter, et ut Virdunensis ecclesia ipsum monasterium in sempiternum haberet, omni auctoritate firmavit. Victui vero fratrum Grimo Frasindum villam pro sua pietate delegavit. Sanctus etiam Paulus Basonis villare de suis redditibus comparavit. Privilegium canonicum ipsius ecclesiæ de antiquioribus villis fecit, et sua aliorumque episcoporum auctoritate ipsum sub divina attestatione roboravit. Hic in episcopatu positus, multa miracula operatus est, et post suum excessum positus in basilica sancti Saturnini, omnibus cum fide poscentibus multa sanitatum beneficia largitus est. Cæcos namque illuminavit, surdis auditum dedit, clausis gressum præbuit, ægrotos a variis infirmitatibus liberavit. Et quid plura? Ecclesiam sibi commissam rebus temporalibus dilatavit, bonorum operum floribus adornavit, et Dominus omnipotens animam ejus cum sanctis in æterna gloria gaudere facit. Requievit autem mense Februario, die 9. Post hunc extitit Gisloaldus episcopus, Gerebertus [111].

[Fredeg.] Dagobertus igitur anno regni sui 6

VARIÆ LECTIONES.

[111] *Quæ sequebantur abrasa sunt.*

NOTÆ.

(47) Lege *Chrodoaldus*. Fred. c. 52.

Burgundiam ingressus est, et tanto timore pontifices et omnes Burgundiæ proceres in ejus adventu concussi sunt, ut omnibus mirandus esset pro justitia quam faciebat. (Fol. 51). Venit ergo Lingonas, inde Divionem, et Latonæ residens multis diebus tantam justitiam faciebat, ut nullus ante eum veniret, qui rediret non accepta justitia. De Latona Cabilonum venit, post Augustodunum, inde Antissiodorum, dehinc Senonas, inde Parisios venit amore justitiæ faciendæ, ut nec somnium oculis caperet, nec cibo satiaretur. Anno 7 regni sui nascitur ei filius, nomine Sigebertus, quem de lavacro suscepit Aribertus frater ejus, et ipse Aribertus anno sequenti mortuus est, cui erat filius parvulus Chilpericus, qui non multo post defunctus, fertur factione Dagoberti fuisse interfectus.

Anno 10 regni Dagoberti Winidi Toringiam devastabant. Qui cum fortiter instarent, Dagobertus Mettis venit, et consilio pontificum et procerum Sigebertum filium suum regem constituit, sedemque Mettis habere constituit, et Cunibertum Coloniensem præsulem et Ansegisum ducem, qui et Anschisus, instituit gubernare palatium. (*Geneal. Carol.*) Hic Ansegisus genuit Pippinum, Pippinus Carolum. Thesaurum quod sufficeret, filio tradidit, et condigne eum in culmine regni sublimavit, et quod ei largitus fuerat, præcepto roboravit. Illi regnum Austrasiorum et fines regni Francorum utiliter defendunt. Undecimo [222] anno Clodovei filii Dagoberti Magoaldus abbas Flaviniacensis obiit, et domnus Widradus ordinatur abbas 11 Kal. Mai. Præfuit annis 12.

Anno 12 regni Dagoberti natus est ei filius, nomine Clodoveus, cui Neustriam et Burgundiam post suum discessum pater contulit, regnum vero Austrasiorum Sigeberto. Dagobertus igitur 13 anno regni sui Wascones fortiter superavit, et anno sequenti Brittones et Wascones datis sacramentis ei subduntur. Obiit anno inc. Dom. 641, ind. 14, regni sui anno 20; sepultus est in ecclesia sancti Dionysii Parisius, quam tantis thesauris ditavit, ita ut miraretur, qui videret. Successit patri in regimine Clodoveus, cujus regni anno 2 Martinus papa pontificatum Romanæ urbis suscepit (*Gesta p. R.*)

[Regino.] Clodoveus corpus beati Dionysii discooperiens, minus religiose os brachii fregit et rapuit, confestimque stupefactus in amentiam incidit, et post 2 annos vitam cum regno finivit. Habuitque tres filios Clotharium, Theodericum et Childericum, quos genuit ex Baltilde regina. Ega custos palatii et tutor regni condigne gubernabat palatium et regnum. Anno tertio regni Clodovei Ega moritur et major domus Erchinoaldus efficitur, vir patiens, et omni bonitate plenus, amator pacis et justitiæ. Pippinus quoque defuncto patre Anchise major domus in regno Sigeberti cum Cuniberto pontifice strenue gubernabat regnum Austrasiorum, et ab omnibus amabatur. Hic partem thesaurorum Dagoberti, quæ competebat Sigiberto, Compendio villa suscepit, et Mettis deportavit. Post hæc Sigebertus obiit. Regnum ejus suscepit Dagobertus filius ejus. Quem Pippinus et Grimoaldus Pippini filius minus idoneum ad regni curam providentes in clericum detonderi fecerunt. (*Vit. Wilfridi.*) Balthildis missis militibus Dalfinum Lugdunensem episcopum interfecit a. 661, a quo consecratus est sanctus Vulfridus Eboriacensis episcopus, qui primus in Frisia prædicavit ante sanctum Willebrordum. (*Vita II Bath.*) Clodoveus quoque exactis in regni administratione 17 annis obiit in primario flore juventutis, relictis tribus filiis cum Baltilde regina. Ejus [223] archicapellanus fuit sanctus Genesius abbas, qui postmodum Lugdunensi ecclesiæ archiepiscopus datus. Hic ante reginam defunctus, in ipso ejus obitu cum magna ei luce cum angelis et archangelis apparuit, et ad mansionem eam perpetuæ pacis perduxit. Post quem præfuit Lugdunensi metropoli sanctus Landebertus abbas Fontanellensis ecclesiæ, a quo consecratus est sanctus Ansbertus Rotomagensis episcopus anno Dom. inc. 678, indictione 5, anno regni Theoderici 9.

Annus Dom. inc. 682. Agathonis papæ secundus, Theoderici Balthildis filii 13.

(*Chr. Divion.*) Clotharius major natu regnum patris Neustriæ et Burgundiæ obtinuit, Childericus regnum Austrasiorum et Germaniæ suscepit anno incarnationis Domini 658, indictione prima. Regnavit Clotharius annis 4, et obiit anno dominic. incarn. 662, indictione quinta. (*Vita Leod.*) Quo mortuo contentio inter principes agitabatur de regno. (Fol. 51'.) Ebroinus major domus Theoderico favebat, sanctus Leodegarius, Eduensium episcopus, et ceteri quibus erat mens sanior, Childerico favebant. Prævaluit melior sententia, et Childericus rex Franciæ constituitur, eo quod strenue regeret regnum Austrasiorum. (*Gesta Franc.*) Refert aliquis scriptorum quod Theodericus primo sublimatus sit in regno Francorum, et Ebroinus major domus substitutus, sed propter malitiam et crudelitatem sint expulsi, et substitutus sit Childericus. (*Vita Leod.*) Leodegarius igitur sub Childerico bene et utiliter disponebat regni moderamina, ita ut quidquid adversus leges majorum, quorum vita laudabilis fuit, contrarium repererat, ad pristinum statum corrigeret. Obiit [224] domnus Widradus abbas 5 Nonas Octobris, et successit ei anno dom. inc. 663 Gayroinus episcopus; cujus tempore contulit (48) eidem eccle-

VARIÆ LECTIONES.

[222] *in margine.* [223] *in margine.* [224] *in margine.*

NOTÆ.

(48) Pippinus majordomus; cf. Labbei Bibl. nov., I, 269

stæ Glennonem cum appendiciis. Hic in expeditione imperatoris obiit pridie Nonas Julii. Tempore etiam ejus dedit Bajo sancto Prejecto Pulliniacum cum æcclesia, Magniacum, Pruiniacum, et uxor ejus Puteolos, Opiemariacum, Cleriacum anno 7 Childerici (49).

His diebus Eduensem ecclesiam præfatus regebat Leodegarius, Virdunensem Gerebertus, de quo jam memoriam fecimus, Trajectensem sanctus Theodardus. (*Vita Lamb.*) In aula regis Childerici sanctus erat Lambertus, juvenis bonæ indolis, qui post sanctum Theodardum consensu magnatum et procerum Trajectensem suscepit episcopatum. Dum igitur strenue et sagaciter Childericus regni disponeret moderamina, crescente inter principes discordia diaboli maligni suadente invidia, interficitur princeps iste inclytus, anno ab inc. Dom. 670, indictione 13, exactis in regni administratione 22 annis, et germanus ejus Theodericus succedit. (*Vita Leod.*) In diebus illis tanta fuit tribulatio in ecclesia, Ebroini faciente nequitia, ut videatur crudelitate vincere Neroniana et Deciana tempora. [Abo.] Tunc interfectus est sanctus Leodegarius cum Gerino fratre ab ipso Ebroino principe, sanctus Lambertus a Dodone comite. Ebroinus crudelitate frendens, ab Ermenfrido Franco interfectus est. Erat tunc temporis vir ab ipso Ebroino oculis privatus in insula quæ Barbara dicitur, cum nocturno tempore ad ripam Araris orandi gratia sederet, audivit navigantium impetum. Qui interrogans, quo navigium illud tenderet, audivit : *Ebroinus est, quem ad Vulcaniam ollam deferimus, ibi enim facti sui pœnas luet.*

(*Chr. Divion.*) Jam tunc deficientibus a pristino vigore regibus, regni cura administrabatur per majores domus. Mortuo ergo Theoderico ab inc. Dom. 692, indictione quinta, Clodoveus filius ejus succedens regnat a. 1. Inter duces et primates regni Pippinus præeminebat, et maxima pars regni in manu ejus erat. Clodoveo quoque defuncto Childebertus succedens regnavit a. 13. (*Gesta Franc.*) Virdunensem ecclesiam Berthalamius episcopus rexit, qui studio suo et industria ecclesiæ sibi commissæ adquisivit prædia quamplurima. [Bertar.] Quo defuncto succedit Abbo episcopus.

Childeberto quoque rege, qui cognominatus est Justus, de medio facto anno 711, Dagobertus filius ejus succedit adhuc puer anno inc. Dom. 712, et regnavit annis 5, et mortuus est a. 715, (*Gesta Franc.*) cui successit Daniel clericus, qui et Chilpericus, regnavitque annos plus quinque.

[Bertar.] Anno ab inc. Dom. 711, natus est in Virdunensi urbe domnus Madeleveus ex familia ecclesiæ.

Pippinus mortuus est anno ab inc. Dom. 714, mense Decembrio, et Grimoaldus filius ejus mortuus, et Karolus successit in loco patris. (*Chr. Divion.*) In diebus illis Franci mutua se cæde sternunt, et Theobaldum Grimoaldi filium persequendo fugant, electo Rainfredo in principatu majoris domus, de cujus manu per multa bella Karolus eundem principatum sustulit, et mortuus est Rainfredus a. 731. (*Gesta Franc.*) Anno quoque 717 obiit in Attiniaco villa Daniel, qui et Chilpericus, et Noviomo sepultus, et succedit ei Theodericus Dagoberti junioris filius. (*Chr. Divion.*) Quo mortuo a. 723 successit Clotharius, et Clothario Childebertus, et Childeberto Childericus; in quo defecit generatio regis Clodovei, quæ usque tunc regnaverat (fol. 82).

[Regino.] Karolus ab ergastulo quo tenebatur divina miseratione ereptus, 27 annis, quibus principatum obtinuit sub præfatis regibus, bellum cum paucis bis terque congressus primo abiit, tandem in Vinciaco 13 Kal. Aprilis contra Rainfredum Francorum principem a. 717, tertio sui principatus anno ; unde victor factus, una tantum, id est Andegavis civitate ei concessa ad habitandum, Francorum totam gentem regens, vastavit Saxoniam, Bavariam, intravit in Provinciam usque Massiliam, invasit Wasceniam, vastavit Frisiam, contrivit Alemanniam. (*Chr. Divion.*) Qui propterea Tuditis appellatus est quod est malleus fabri, quia sicut malleo universa tundantur ferramenta, ita ipse contrivit omnia regna sibi vicina. Pugnavit etiam cum Saracenis non longe a Narbona, et maxima cæde prostravit. Quibus iterum Provinciam irrumpentibus, cum Arelatum cepissent, Carolus sibi adjuncto Luitprando Longobardorum rege, de illis eos regionibus effugavit. [Paul Diac.] Eo tempore floruit vita et actibus Petrus Ticinensis episcopus, virginitatis gloria decoratus, qui ab Ariperto quondam rege apud Spoletum fuerat relegatus. Misit autem Carolus Pippinum filium suum Luitprando præfato regi, ut ejus capillum incideret. Qui crinem ejus incidens pater ei factus est; multisque ditatum muneribus genitori remisit. Leone imperante temporibus Gregorii papæ tertii, hortatu ejus Petronace duce monasterium sancti Benedicti in Cassino restauratum est, elapsis jam fere 110 annis a destructione ejus, cui etiam Zacharias papa plura contulit, inter quæ regulam, quam sanctus Benedictus manu sua scripsit, concessit.

[Bertar.] Tunc præerat Virdunensi ecclesiæ Peppo episcopus, et in illa seditione, quam diximus fuisse inter Raimfredum Francorum principem et Karolum Tuditem, ipse favit partibus Caroli, et ob id optinuit pretio cum Carolo et quodam nobili vasallo ejus Calmontem villam cum omnibus appendiciis. Postquam vero Deus Karolo solidavit Francorum regnum, addidit et alia quamplurima, ut ostendit chartarum notitia. Et hoc ergo defuncto Volchisus episcopus factus est, et post eum Agroinus

NOTÆ.

(49) Die Dominico ante med. mensem Maii ; ibid.

episcopus, qui perpaucis annis ipsi præfuere ecclesiæ.

(*Chr. Divion.*) Anno ab inc. Dom. 741, Karolus mortuus est, et filii ejus Karlomannus et Pippinus susceperunt regni gubernacula, sed Karlomannus septimo post patris obitum anno ab inc. Dom. 747, relicta cura regni Pippino fratri, Romam perrexit et in monte Serapti monachus habitationem instituit. Postea non ferens molestias crebro se visitantium, ad sanctum Benedictum in monte Cassini commigravit. (*Gesta p. R.*) Tunc regebat Romanam ecclesiam Zacharias papa, qui successit Gregorio III, a. 742, et rexit ipsam ecclesiam a. 10, m. 3, d. 14. [Regino.] Hic accepta legatione a Pippino per Burgardum Vitzoburgensem episcopum, et Fulradum ipsius Pippini capellanum, de incivilitate regum ex antiqua Merovingorum stirpe descendentium, ut superius prælibavimus, mandat populo Francorum, ut Pippinus, qui potestate regia utebatur, nominis quoque dignitate frueretur. (*Ann. Fuld.*) Ita Childericus rex ultimus de ipsa stirpe depositus, et in monasterium trusus, et Pippinus in regem electus, et consecratus est a Bonifacio Moguntiæ episcopo, Suessionis in villa, a 752. (*Gesta. p. R.*) Sed et Stephanus, qui Zachariæ successerat, propter infestationem Aistulfi regis Langobardorum 14 die mensis Octobris Roma egressus, indictione 7, papatus sui a. 2, ab inc. Dom. 754. ad Pipinum venit in Francia, et constituit eum Romanæ ecclesiæ defensorem et principem, et confirmavit unctione sua in regem, et unxit duos filios ejus Carlomannum et Carolum. (*Ann. Fuld.*) Extunc ablata est Roma a subjectione imperii Græcorum. Anno [225] 755 post Gayronum episcopum Flaviniacensis æcclesiæ abbatem Manasses ordinatur abbas tempore Pippini quondam majoris domus, tunc autem regis Francorum.

Anno igitur ab incarnatione humanati Verbi 753, suscipit præsulatum Virdunensis ecclesiæ domnus Maldeveus. Hic in eadem urbe christianis et inclitis parentibus est editus. Qui statim renatus ex aqua et spiritu in septem baptismatis gradibus, septem comprehendit dona paracliti Spiritus. Accepit deinde carnes agni immaculati cum sanguine, candidatus virginitatis veste, decoratus immortalitatis lampade. (Fol. 52'.) Ardebat ea tempestate omnis Belgica cotidiana bellorum instantia. [Einh. *Vita K.*] Nam regalis dignitas, quæ a Meroveo rege sumpserat initia, in Hildericum regem qui jussu Stephani Romani pontificis detonsus et in monasterium trusus est, porrecta, illo in tempore nullius vigoris erat, nec quicquam in se præter inane regis vocabulum præferebat. Opes quippe et redituum affluentia, regni administratio seu omnia, quæ vel domi vel foris agenda ac disponenda erant, penes præfectos palatii, qui majores domus dicebantur, manebant. Qua præfectorum licentia crevit morum insolentia, adolevit dominorum crudelis potentia, nec defuit invidia, quæ pessumdedit regnorum jura. Inflatur unus adversus alium, invadit quisque nomen regium. Hac crescente discordia urbes depopulantur, ecclesiæ incenduntur, ministeria divina detrahuntur, monasteria virorum dejiciuntur, puellarum deluduntur, et cuncta vastantur ; fuitque eo tempore non minor in æcclesiis gemitus, quam Decianeis Diocletianisque temporibus. [Bert. 12] Quo turbine Virdunensis civitas exagitata defuncto Agroino episcopo diebus multis mansit vacua, pastore viduata.

His diebus ablactatus almus puer Madelveus, religiosis viris traditus est litteris imbuendus, quarum elementis brevi datis memoriæ, dedit operam intelligere præcepta artis grammaticæ, per quæ vera agnosceret, vicia quiret vitare. Post hæc tribunal ascendit rethoricæ. Sed quia rethor est traditor eloquentiæ, eloquentia vero sine sapientia nimium obest plerumque, prodest numquam, omissa exercitatione dicendi, in rectissimis atque honestissimis studiis rationis omnem suam consumpsit operam, studium rectæ rationis ad divina, studium honesti officii referens ad humana. Hinc res omnes, quæ in dictis et factis et in toto mundo aguntur, decem esse intelligens, quæ prædicamenta dicuntur, argumentorum fucos et sillogismorum perplexiones sagaci animo discrevit, et in eis aciem sui docilis sensus ad unguem exacuit. Intrat ex hoc quadruvium, ubi cubos arithmeticæ, sonos musicæ, modos geometriæ, radios astronomiæ perspicaci percipiens mente, ad perfectionem duplicis thesis, id est theoricæ pervenit et practicæ.

Puerilibus igitur annis, ut patriarcha Jacob, simpliciter domi transactis, pulsabat adolescentiæ fores proficiens, et placens tam Deo quam hominibus. Sane post flores rethoricos ac angues sillogismicos, scripturæ divinæ ingreditur campos, ubi audiens ab Apostolo : *Omnis qui caste vivit, templum est Spiritus sancti* (*I Cor.* VI, 19) ; (fol. 53) item in Apocalipsi : *Qui cum mulieribus non sunt coinquinati, hii sequuntur agnum quocunque ierit* (*Apoc.* XIV, 4), statim primevam suam etatulam Christo Domino consecravit ; illi toto animo placere ac servire gestiens, qui est pars et hereditas ejus, cogitansque vias suas, convertit pedes suos in testimonia Jesu, querens videre bona Domini in terra viventium. Adeptus tandem clericatus honorem, accepit a Domino benedictionem, et misericordiam a Deo salutarem. Cotidiano siquidem provectu ibat de virtute in virtutem, latam et spatiosam viam quæ ducit ad mortem horrens, artam et angustam qua itur ad astra sequens, confixit timore Dei carnes suas, mortificans membra sua cum viciis et concupiscentiis, spiritu ambulans, desideria carnis non perficiens, misericordiæ operibus studens, vigiliis et jejuniis corpus affligens, orationi insistens, meditationi inserviens, aures ab auditione mala coercens, oculos a vanitate avertens, odor bonus Deo in omni loco

VARIÆ LECTIONES.

[225] *in margine*.

esse satagens, os suum a multiloquio vel vaniloquio custodiens, manus ab omni munere excutiens, consilium opasque suum ad Deum semper convertens, in omni actu suo Dei, non suam gloriam querens.

Vivebat studiis adolescens justus in istis,
Ordinibus sacris respondens moribus aptis.

Post hæc ad majora conscendens, presbiterii honorem electus accepit, justificatus optinuit. Constituitur itaque unanimi assensu, electione omnium, rector et abba ecclesiæ sancti Vitoni, quam et studio spiritualis exercitii et rebus temporalibus melioratam, exemplo et doctrina ad divini famulatus amorem accendit. Fuit enim humilitate præcipuus, caritate diffusus, prudentia mirabilis, sobrietate laudabilis, justitia insignis, fortitudine spectabilis; et licet cunctos dignitate præcelleret, erat tamen obedientia cunctis subditus, patientia probatus, forma factus gregi ex animo, ut in eo subditus quisque agnosceret, quam sibi vivendi normam assumeret. Hæc de eo fama ubique ferebat, hic rumor omnium in ore continuus erat; Madelvei pietas ejusque probitas lustrabat patrias, replebat plateas, edes pulsabat palatinas. His præcurrentibus muniis cunctorum votis in pontificatu eligitur Virdunensis urbis. Quod licet timore Dei plenus omni conanime rejecerit, totoque adnisu recusaverit, multorum tamen sententia Dei gratia præcedente prævaluit, ac una cleri populique concordia episcoporum judicio dignus in chathedra pontificali exaltatur, benedictione firmatur, unctione sacratur. (*Gesta epp. Mett.*) Regebat tunc Romanam æcclesiam Stephanus secundus, Francis vero principabatur Pippinus Caroli Tuditis filius, ex majore domus et præfecto palatii rex constitutus, a quo Chrodegandus abba, vir egregius et omnibus efferendus præconiis, in palatio præfati Caroli nutritus, ejusque referendarius, ab ipso et Francis omnibus electus Romam missus est, ut prælibatum Stephanum papam ad Gallias, ut cunctorum vota anhelabant, evocaret (fol. 53'); quod et fecit: a quo etiam in pontificem Mettensis æcclesiæ, astante rege et populo, consecratus, pallium promeruit cum nomine archiepiscopi. Quod etiam quibusdam Mettensis æcclesiæ præsulibus aliquoties concessum fuisse legitur, pro multimoda vastatione Trevirensis matris æcclesiæ, quæ licet primatum petitione Helenæ reginæ a beatæ memoriæ papa Silvestro per corpus Mathiæ apostoli et per baculum beati Petri acceperit, quod et ab antiquo possidebat, quia ubi ante adventum Domini in capite provinciarum primates erant legum secularium, ad quos confugiebant pro oppressionibus vel injustitiis qui ad aulam imperatorum confugere non poterant vel quibus permissum non erat, ipsis in locis apostoli et beatus papa Clemens, ut refert beatus successor ejus papa Anacletus, patriarchas vel primates, qui unam formam tenent licet diversa sint nomina, legis divinæ poni et esse jusserunt; tamen ita multoties peccatis exigentibus attrita fuit, ut ea vacante Mettensium præsules metropolitani fungerentur officio et dignitate. Tullensibus quoque præerat Godo venerandus episcopus, qui immunitatem civitatis et recuperationem chartarum igne consumptarum apud præfatum regem Pippinum suæ adquisivit æcclesiæ.

Inter hos beatus Madelveus virtutum radiabat decore, et dignitatem pontificalem bonorum operum adornabat nitore. Quod officium, quamvis rudis acceperit tempore, aptus accessit assueta bonitatis ubertate. Instabat prædicationibus, firmabat plebem benedictionibus, incitabat ad meliora sacris exortationibus. Quod docebat verbis, monstrabat exemplis. Erat tunc civitas ipsa insectatione barbarica bellis attrita, obsidionibus fatigata, calamitatibus repleta. Templa Dei in ea polluta, sanctuaria exusta, ministeria violata, officia diurna vel nocturna neglecta. Clerici alii fugati, quidam necati, qui remanserant multa paupertate addicti, plus propriis seu terrenis quam celestibus studebant negotiis. Hoc respectu vir Domini amaro cum esset animo, posuit spem suam in Domino clamans illi spiritu humiliato: *Omnia quæ fecisti nobis, Domine, in vero judicio fecisti; quia peccavimus tibi et mandatis tuis non obedivimus* (*Dan.* III, 31). Cui mox Dominus: *Invoca me*, inquit, *in die tribulationis, eruam te et honorificabis me* (*Psal.* XLIX, 15). At ille humili prece: *Deus meus, misericordia mea, tu es refugium meum a tribulatione quæ circumdedit me, exultatio mea, erue me a circumdantibus me angustiis et filiorum necessitatibus* (*Psal.* XXXI, 7). Nec mora, consolatio ex ore Veritatis affuit: *Primum*, inquiens, *querite regnum Dei et justitiam ejus, et omnia adjicientur vobis* (*Matth.* VI, 33) (fol. 54). Tunc ille gratulabundus. *Auditui meo*, ait, *Domine, dabis gaudium et letitiam, et exultabunt ossa humiliata* (*Psal.* L, 10). Gressu ergo celeri æcclesiam intravit, clerum populumque advocavit, judicia Dei vera innotuit, crimina vel peccata alterutrum confiteri monuit, fructus dignos penitentiæ facere suasit, æcclesiam frequentare, orationibus cum lacrimis incumbere, laudes Dei cum silentio et reverentia audire, elemosinas pro posse libenter dare, hospitalitatem sine murmuratione servare, discordantes ante solis occasum ad pacem redire, pacem falsam non dare, gehennam timere, vitam æternam sperare præcepit et docuit. Clericos deinde regulariter vivere, septies in die laudes Deo dicere, et noctu ad confitendum illi surgere æcclesiastica sanctione instituit, victumque illis cotidianum de propriis, prout potuit, ordinavit.

[EINH. *Vita K.*] Curiam interea adiit, Pippino, qui ex auctoritate Stephani papæ ex præfecto palatii rex [226] constitutus fuerat, vastitatem urbis calamitatemque plebis quam regendam susceperat innotuit, auxiliumque ab eo ex regali largitione [227] quæsivit

VARIÆ LECTIONES.

[226] ex p. rex p. *c.* [227] traditione *superscr.* vel largitione *c.*

et optinuit. (Bert.) Collatione siquidem fidelium quædam prædia suscepit. Wasnaum scilicet seu Warnunci curtem, Ramisbatium etiam, aliaque quamplurima, quæ cartis manu propria inseruit, quas regis anulus roboravit et æcclesia Virdunensis extunc non amisit. (Fol. 57.) Civibus præterea regis munificentia non defuit, clerum lætificavit, ecclesiam ornavit, remuneratum pontificem gaudenti populi [228] repræsentavit [229]. (Bert.) Multa autem erant, quæ cum erga ipsam æcclesiam diligendam promovendam et ampliandam accendere debebant, videlicet Pepponis episcopi in Karolum Tuditem patrem suum amor profusus, gratuita fidelitas et in tempore seditionis contra Raimfredum Francorum principem, ipsius Karoli æmulum, indivisa laboris et periculi subeundi dualitas, pro quo etiam idem Peppo multa perpessus est adversa. Sed quiddam eum specialius ad dilectionem, redintegrationem et communem tuitionem omnium ecclesiarum impulit, quod non ab re videtur in laudem hujus patris nostri huic opusculo innectere, ad comprimendum tumorem regum et principum terræ, et ut evidentius agnoscatur, quæ fuerit causa desolationis Trevirensis et Virdunensis ecclesiæ.

(*Chr. Divion.*) Qui igitur hystorias legerunt et veterum scripta rimantur, hujus Karoli Tuditis actus et prælia noverunt, qui ideo Tudites appellatus est, quod est malleus fabri, quia sicut malleo universa tunduntur ferramenta, ita ipse contrivit omnia regna sibi vicina. Per 27 enim annos quibus principatum optinuit sub regibus Dagoberto juniore, Chilperico, Theoderico, Clotario, Childeberto et Hilderico (50), postquam de manu Raimfredi majoris domus in regno Francorum per multa bella eundem principatum sustulit, tanta clade omnia regna sibi vicina, id est Saxoniam, Bawariam, Provintiam usque Massiliam, Wasconiam Frigiamque contrivit et Alemanniam, ut multæ ecclesiæ usque in hodiernum diem desolationem sui factam sub eo lugeant, et tribulationis ipsius calamitatem obliterare in se nulla vetustate prævaleant. (Fol. 57'.) Tanta enim profusione thesaurum totius erarii publici dilapidatus est, tanta dedit militibus, quos soldarios (51) vocari mos optinuit, qui ex omnibus mundi partibus causa questus ad eum concurrebant, quorum genus infestum et improbum tempore ejus sumpsit inicium, ut non ei suffecerit thesaurus regni, non deprædatio urbium, non multimodæ vastationes regnorum exterorum, non expoliatio æcclesiarum et monasteriorum, non tributa provinciarum. Ausus est etiam ubi hæc defecerunt, terras æcclesiarum diripere, et eas comilitonibus illis contradere. Postremo non est reveritus ipsos episcopatus laicis dare, fautoribus videlicet suis et consentaneis, adeo ut archiepiscopatus Trevirensem et Remensem Milo quidam tonsura clericus, moribus, habitu et actu irreligiosus laycus, multo tempore possundans obtinuerit, Viennensem quoque et multos alios episcopatus per terras diversas, ut hystoriæ referunt, possiderent laici, et per manum laicam investiti. Si qui erant episcopi, aut ei omnino favebant, aut res æcclesiasticæ diripiebantur, aut certe illis obeuntibus in locum illorum neophytus quilibet, vel quos canonicæ sanctiones non recipiunt, substituebantur. Ab hac autem direptione civitas illa quantulumcumque immunis erat, quæ ei favebat vel quæ ei adjutorium præbebat; cui enim innitebatur, illam per se suosque a se suisque tuebatur. Hinc est, quod inter innumeras quas attriverat, Virdunensem tempore Pepponis episcopi prædiis auxit, quia Peppo isdem, ut superius relatum est, in tempore dissensionis et partibus ejus favit et familiarius illi servivit. Verumtamen illo defuncto, quid aliæ patiebantur, eadem quoque experta est. In tantum autem vastitate præfata Trevirensis metropolis afflicta fuit, ut pro multimoda ejus calamitate et conculcatione vacante ea Mediomatricæ civitatis præsules postmodum fungerentur archiepiscopi dignitate et nomine. [Ado.] Vastata quoque et dissipata Lugdunensi et Viennensi provincia, aliquot annis sine episcopis utraque fuit æcclesia. Wiliarius enim Viennensis, qui Austroberto successerat, videns Viennensem æcclesiam indecenter humiliari ob cladem Saracenorum Septimaniæ et Viennensi et Lugdunensi provintiis imminentium, laycis sacrilege et barbare res sacras obtinentibus, relicto episcopatu monasterium Agaunense expetiit, ubi et vitam venerabilem duxit, et hoc in tempore Stephani papæ qui Zachariæ successerat. Rexit autem post eum Viennensem ecclesiam Bertericus, cui successit Paulus.

Defuncto itaque eo et Parisiis sepulto, et principatum majoratus domus Pippino, fratre spiritualia terrenis præferente, solo adepto, postmodum etiam studio suo et Romani pontificis assensu, ut dictum est, in regem elevato, Deus pius multis eum sibi obligatum beneficiis volens et minis terrere, ut disceret sperare in Deo, non præsumere de se, et ut succedentibus prosperis recordaretur Domini Dei sui, nec vellet imitari patrem, quem constabat æcclesiarum sitisse confusionem, posito eo apud Aurelianorum urbem, quid erga Karolum ageretur, quæ ei merces tantorum laborum recompensaretur, ostendit, non ad defuncti, ut veremur, refrigerium, sed ad ædificationem viventium.

VARIÆ LECTIONES.

[228] *ita c.* [229] Verte III folia et quod hic deest require sub hoc signo *c*.

NOTÆ

(50) Neque Childebertus, neque Childericus Caroli tempore Francorum reges fuerunt.

(51) A Germanico *sold*, stipendium.

Erat in eadem urbe episcopus Eucherius (52), vitæ honestate laudabilis, morum probitate spectabilis, cui celebranti missarum sollempnia ipso die paschæ dum sederet in throno pontificali, et subrepsisset ei cogitatio, quantos labores pro tuitione et ampliatione regni Karolus sustinuisset, quanta prælia præliatus esset, quomodo post tanta pericula pace potitus esset, et in pace vitam finisset, cujus nunc filius regni honore donatus esset, dum tacita cogitatione felicem diceret tam prosperis successibus virum, hac ei cogitatione fluctuanti somnus paulisper allusit, et raptus in excessu mentis angelicoque ductu ad tribunal Judicis ductus (fol. 58), in conventu illo cœlesti dulcedinem melodiæ spiritualis audivit, et ad tantam visionis magnitudinem herebat stupens. Cogitabat autem et ibi, si inter illos distinctos beatorum spirituum cetus dominum totius Franciæ et patrem regni Karolum videre posset, cum tacitis ejus cogitationibus respondens qui præsidebat, ad locum ubi Karolus servabatur, duci cum præcepit. Ductus itaque est in infernum, ubi dum miserorum animas continuato et inedicibili infinito quoque cruciatu tabidas, squalentes, et nimio horrore sordentes miraretur, dum penarum genera paveret, dum ad terrificos sonitus fletus et stridoris dentium suum jam quasi oblitus esset Karolum, vidit eum in tormentis positum quasi in medio ignis rotari, et nunc quidem igne torreri, nunc stridere frigore glaciali, nunc de igne ascendentem in glacie versari, nunc vero ab aquis erutum ignitos vapores repetere. Miserabilis rerum facies! Ille qui paulo ante imperabat Franciæ, qui dominus dicebatur terræ, qui victor urbium, superator gentium, conquisitor regnorum, ut suam ampliaret potestatem totum tribulaverat orbem,

Uritur en flammis, quas stringere non valet amnis,
Stringitur et glacie, nequeunt quam solvere flammæ.

Cum hæc ergo secum tacitus miraretur, et quid rerum esset anxius secum volveret, ductor ille suus herentem cum videns: *Ecce*, inquit, *cogitatus tui: ecce de quo anxiabaris in domo Domini. Vide quid valeat seculi potentatus, aspice quid possit, quid portendat, ad quid tendat mundi principatus. Ecce Karolus princeps,*

Francia quo tumuit, cui semper subdita mansit,
Qui nova jura dedit, qui sua cuique tulit,
Torretur flammis, æternus ei manet ignis,

quia postposuit Dominum, nec abhorruit confusionem æcclesiarum. Nuncia hæc Pippino regi filio ejus, ut discat non superbire, nec sperare in incerto diviciarum, sed in Domino Deo, qui potest et animam et corpus mittere in gehennam. Quod si tibi non crediderit, dic illi ut vadat Parisius, aperiatque sepulcrum ejus, intueatur ossa patris, et ex eo quod invenerit fidem faciet verbis tuis. Dixerat hec, et sacerdos ductu angelico in se reversus obstupuit. Laudansque Deum et magnificans judicia ejus incomprehensibilia et investigabiles vias ejus, missarum solempnia explevit, dehinc regi et optimatibus, quæ viderat et audierat, quomodo ad hæc videnda et audienda cogitationibus suis adductus sit, enarravit. Pro eo quoque hæc visa asseruit, ut ei prodesse inciperet pena patris, et disceret non blasphemare[230], nec rapinas concupiscere, nec in iniquitate sperare, et licet affluerent ei divitiæ, non eis studeret cor apponere, quia potestas Dei est et Domino misericordia, ut reddat unicuique juxta opera sua. Pippinus itaque his auditis Deo magis ac magis cœpit devotus existere, sacerdotes venerari, æcclesias honorare, et in quibus Deum a patre suo didicerat offensum fuisse, ab his se studebat toto nisu custodire. Ut autem venit Parisium, sepulchrum ejus, de quo manabat odor sulphureus fumo mixtus, aperiri præcepit, præsentibus episcopis et optimatibus suis. (Fol. 58'.) Quod ubi apertum est, vident ignem et fumum tenebrosum et fœtidum, reliquias absumpti corporis, sepulchrum quoque ita fumo et igne nigrefactum, ut patenter daretur intelligi veram fuisse visionem sacerdotis, gravi illum apud inferos pœna esse multatum, cujus corpus in sepulchro tanti novitate miraculi ita fuisset igne sulphureo consumptum. Grandis hinc obortus est terror regi et populo, grandis adolevit omnibus erga Christum et sacerdotes ejus devotio, pia erat omnibus circa monasteria et æcclesias restaurandas contentio. Hinc est quod in tempore ejus tot inveniuntur pontifices amore Christi ferventes, qui, optata pace potiti, et regis amicitiam nancti, æcclesiis restaurandis invigilabant, fovendis curandisque animabus operam dabant, quia de tanta oppressione, qua premebantur ecclesiæ per majores domus, pacem et quietem se aliquantulum optinuisse gaudebant. Diligebat enim affectu devotissimo omnes Domini sacerdotes, et illis promptiori subdebatur humilitatis obsequio, quos vidisset per officia pietatis proximiores Deo. Inter quos beatum Madelveum tanto propensiori coluit devotionis affectu, quanto eum cultiori mentis nobilitate Christo Deo adherere cognovit, ornatum moribus, bonum doctorem, pium, rationabilem, habentem filios in omni bonitate sibi subditos, paratum omnibus reddere rationem de ea, quæ in nobis est, spe. (Fol. 58b.) Licet autem in restauratione æcclesiarum hac de causa aliquando studiose desudaverit, tamen tanta erat mali moles, tanta cupiditatis rabies, ut usque ad Karoli Magni tempora malicici hujus duraverit pernicies veternosa, dum quod male quisque et indebite usurpaverat, pejus reti-

VARIÆ LECTIONES.

[230] blasphemare *c.*

NOTÆ.

(52) De sequentibus cf. epistolam episcoporum ad III, 117. Ludovicum regem ann. 858. Sirmond. Concil. Gall.

nere satagebat. Unde cum clamores æcclesiarum ad sedem referrentur apostolicam, et ab ea requirerent justitiam, Adrianus pontifex Karolum Magnum ante corpus beati Petri conveniens, ut omnia corrigerentur, optinuit. Unde omnibus archiepiscopis et episcopis Galliæ misit epistolam quam hic ponere decrevimus, considerantes magnam in ea Gallicanarum æcclesiarum auctoritatem contineri (53) : *Adrianus episcopus servus servorum Dei, Bertherio Viennensi episcopo salutem. Dilectus et illustris ac religiosus filius noster Carolus rex et patricius Romanorum, Romam venit, et pascha Domini apud Sanctum Petrum nobiscum egit, ubi inter alia monuimus eum de metropolitanorum honore, et de civitatibus quæ laicis hominibus traditæ erant; et quia episcopalis dignitas fere per octoginta annos a Francis esset conculcata. Cum hæc et his similia gloriosus rex audisset, promisit ante corpus beati Petri apostoli, quod omnia ad emendationem nostram venirent. Unde placuit nobis, ut omnibus archiepiscopis et episcopis auctoritatem litterarum nostrarum mitteremus, ut sicut antiquis privilegiis singulæ metropolitanæ urbes fundatæ sunt, ita maneant, ut habeat unaquæque metropolis civitates sibi subditas, quas beatus Leo et alii predecessores et successores ipsius post Calchidonensem sinodum singulis metropolitanis distinxit. Nec propterea ulla metropolis præjudicium patiatur, si alicui suffraganeorum aut nos aut prædecessor noster rogantibus piis Francorum ducibus pallium largiti sumus. Nec debet æcclesia ullum dampnum sui ordinis inde sustinere, si per 60 aut 70 aut 80 et eo amplius annos injuria quorumcumque præsulum et vastatione barbarorum dignitatem antiquam et Romanorum antistitum firmitate roboratam perdidit et amisit, quando innumeris pæne annis illa spiritu Dei disponente usa fuerit. Auctoritate igitur beati Petri apostolorum principis singulis metropolitanis antiquo more potestatem suam reddidimus, et filium nostrum gloriosum et inclitum regem Karolum ante corpus beati Petri inde rogavimus, ut antiquam dignitatem omnes metropolitani haberent. Ideo hanc epistolam auctoritatis nostræ omnibus misimus, quam ut et tu haberes voluimus, ut et tu cognosceres ecclesiæ tuæ suum privilegium, quod a tempore beati papæ Leonis habuit, integre esse reformatum. Data Kal. Januarii, imperante piissimo augusto Constantino anno decimo, et a Deo coronato piissimo rege Karolo anno primo patriciatus ejus.*

Hæc igitur nos ad commonitionem audientium de pace ecclesiarum Dei sub Pippino et Karolo restituta dixisse sufficiat. Neque enim id additum operi huic in laude patris nostri fidelibus fastidiosum speramus, in quo etsi sermo nichil conferat gratie, series tamen veritatis quodam compendio expressa plurimum instructionis conferat [231]

(Fol. 54.) Igitur sacerdos eximius episcopium pastorali sollicitudine circuiens, æcclesias in quibus non erant locis extruxit, dirutas vel inveteratas restauravit, ministeria divina ordinavit, plebes salutari doctrina edocens, et episcopali benedictione sacrique crismatis unctione confirmans. Ipsam autem ecclesiam beati Vitoni, cui ante perceptam pontificatus gratiam pastor et rector institutus fuerat, tanta semper dilectione coluit et provexit, ut curam ejus etiam sumpto episcopatu non dimitteret, quin potius omni eam conamine et divinis famulatibus illustrem reddidit, prædiis quoque et æcclesiasticis utensilibus ampliavit, ob prædecessorum suorum ibidem quiescentium beatam memoriam, a quibus nec corpore nec spiritu volebat disjungi, sed in loco requiei eorum optabat consepeliri. Dedit ergo eidem æcclesiæ de suo proprio Raherei curtem (54) cum appenditiis pro tumulatione sui corporis, et alia perplura, ut ostendit chartarum notitia. Quidam etiam Sartio nomine ad extrema veniens, et in atrio præfatæ æcclesiæ se sepeliri deposcens, testamento facto ipsam æcclesiam de rebus suis, quas possidebat in pago Virdunense, in loco qui dicitur Ex, propter fluvium ejusdem nominis ibidem decurrentem (55), heredem instituit, ut exinde sanctus Vitonus et hic pater noster beatus Madelveus episcopus et abba, custodesque sancti corporis heredes essent perpetui.

(Fol. 54'.) Cujus exemplum sequutus et beati patris hujus amore ductus Grimbertus, possessor et ipse fundi ipsius et hereditarii juris particeps, quidquid in eodem loco possidebat, basilicæ sancti Vitoni condonavit in mansis, campis, olcis (56), pratis, pascuis, concisis, silvis, aquis aquarumque exitibus et decursibus. Qui exinde postmodum precaria facta, res ipsas a beato viro jure beneficiario recepit, denominato censu viginti librarum olei singulis annis in festivitate sancti Vitoni ad luminaria æcclesiæ ejus, in qua preciosus idem confessor requiescit, præscripto etiam spacio, quo sanctus ea deberet meliorata recipere. Quod testamentum precariæ beatus pontifex et abba auctoritate sua firmavit anno tertio regni Karlomanni qui fuit frater Karoli Magni, die Kalend. Julii anno ab inc. Dom. 770, indictione 8. Ceterum Aquitania sanctitatis ejus accepit magnalia, illius sepe gressibus lustrata, lacrimis rigata, doctrinis roborata, et miraculis glorificata. (Bert.) Res quippe, quas Virdunensis æcclesia antiquitus in ipsa regione possedit, frequenter visitabat, et Vitas seu miracula prædecessorum suorum pontificum secum ferebat, ut per illorum merita res illas liberius possideret, vel pagensibus dominatio

VARIÆ LECTIONES.

[231] Revertere ad posteriora et quod dimisisti repete *c. in marg.*

NOTÆ.

(53) Mansi t. XII, p. 847.
(54) Riecourt.
(55) Axona, ut videtur.
(56) Olca, germ. *esch*, terræ portio arabilis fossis vel sepibus inclusa.

carior, subjecto esset humilior. Fuerunt autem res istæ : abbatia sancti Amantii in Rotenia urbe (57) cum appendiciis, fiscus etiam regius Maderniacus, et alius Puliniacus nomine, donati servitorum sancti Petri et sancti Vitoni usibus ipsius beati Amantii largitione (58).

(Fol. 54 *in marg.*) Anno vero ordinationis suæ 13, qui erat inc. Dom. 765, delata sunt ab urbe Roma per venerabilem Grodegandum Mettensem archiepiscopum corpora sanctorum Gorgonii, Naboris et Nazarii, a successore Stephani Paulo papa sibi concessa nono papatus sui anno, et sequenti anno uterque decessit a seculo indictione quinta, et Grodegandus in monasterio, quod Gorzia dicitur, quod ipse construxerat, tumulatus veneratur, ubi postea positum est corpus sancti Gorgonii anno post obitum ejus quarto, videlicet anno ab inc. Dom. 768, regnantibus jam post Pippinum filiis ejus Karlomanno et Carolo (*Transl. Gorgonii?* Cf. *Annal. Fuldenses*).

(Fol. 54'.) Dum igitur multiplici virtutum flagraret desiderio, incidit ei cogitatio ad sepulcrum vitæ principis Jherosolimam pergere peregrinando. Festinavit itaque implere voluntaria exibitione, quod mente concepit divina inspiratione. Dumque in administratione itineris necessaria queque prævidentur, principalis æcclesia peccatis exigentibus igne apprehenditur ac seviente incendio succenditur [Bert.].

Turbantur plebes, tolluntur ad ethera voces,
Unus in urbe dolor, communis civibus horror.

Tunc mens Madelvei in diversa rapitur, spiritus anxiatur, corque turbatur. Tamdem in se reversus, illiusque memor proverbii : *Non est magnus magnum putans quod ruunt ligna et lapides, et moriuntur mortales*, temporale dampnum patienter tulit, ac statim in meliorem statum reparare fabricam jussit. Conventione porro facta cum artificibus, deputatisque custodibus, et ordinatis necessariis sumptibus, suadet, precatur imperatque opus inchoare maturius, accelerare attentius, explere diligentius.

His ita collatis datur alternatio votis.

(*C.* 780.) Præparantur sumptus ac vehicula tanto itineri necessaria, eliguntur comites amore Christi ferventes, in prosperis humiles, in adversis fortes. (790.) Favor metropolitani queritur, assensus comprovincialium episcoporum petitur, nec negatur. (Fol. 55'.) Tristantur tamti [232] comparis absentia, letantur de ejus justitia, precantur illi adesse Christi præsentiam, non defore Spiritus sancti gratiam. Benedictionem rogant rogati, salutant salutati. Eorum demum consilio ordinatur ecclesia, commendatur plebs commissa. Sic accepta benedictione et data, exit novus hospes in cordis letitia.

Fulcitur cuneis, quos nectit amor pietatis :
Fletus ora rigant, singultus pectora quassant.
Flet pius, ipse gregem prospectans flere sequentem,
Compulit, ut redeant; illi ferventius instant,
Ora manusque pedes stringunt, mulcetque gementes;
Ingeminatur : *Ave, Salve, Felix*que *valeto.*

Vixque post hæc multis precibus elapsus eorum manibus, iterum firmat eos benedictionibus, monens et deprecans sollicitius divinis invigilare cultibus, ac animarum salutem querere propensius. Sic tamdem eos commendans Domino, graditur aggere publico, fretus Dei auxilio. Itaque emensa nativa Gallia post aspera ac devia Alpium itinera excepit eum Italia, deducens Romam apostolorum limina; ubi per diversa martyrum cimiteria querens orationum juvamina, pernoctavit vigiliarum instantia, frequentius beati Petri revisens oratoria. Presidebat eo tempore Romanæ ecclesiæ Adrianus, vir apostolicus, cui nunciatus est Madelveus sacratissimus peregrinus. Benigne est ab eo susceptus, benignius diebus multis retentus, benignissime probata ejus voluntate cum apostolica benedictione dimissus. Pretergressa ergo Nursiæ provincia, suscepit novum hospitem Campania, quem exinde amplexa est in Gargano archangeli æcclesia. Cujus pro foribus aliquantis excubans noctibus, confortatur angelicis consolationibus, exhilaratur divinis revelationibus. Prestolabatur eum gaudens Appulia, vulgante fama ejus sanctitatis insignia; quem ut vidit, mirata proclamavit cum Psalmista : *Sicut audivimus ita et vidimus* (*Psal.* XLVII, 9). Post diversa autem locorum diverticula pontica (59) ingreditur littora. Hinc turbidi imminent fluctus, procellosi occurrunt spiritus. Suscipiunt Madelveum pontificem peregrinum vita religiosum, innocentia gloriosum. Dat naulum navigio, credens se maris periculo, pastus cælesti sacrificio. Protelatur navigatio multorum dierum curriculo. Instat sacerdos prædicationibus, informat nautas doctrinis salutaribus. Continuis jejunat diebus, vigiliis pernoctat et orationibus. Cum vero die quadam assuetum nautæ concinerent celeuma, garrulitateque perstreperent nautica, tempestas oritur repentina. Navis autem mediis jactabatur fluctibus, suisque solvebatur compagibus. Turbatis cunctorum animis, ablata spe salutis, sola suberat formido mortis. (Fol. 55'.) Tunc præsul beatissimus, non sorte detectus velut Jonas fugitivus, sed sanctitate conspicuus, cui probatus Domini servus, voce omnium rogatus pulsat cælum singultibus, vocat Christum gemitibus. Ilico cælum ejus patuit precibus, et oratio ad supernos pervenit auditus. Nec mora, aeris serenitas marisque redit tranquillitas ac

VARIÆ LECTIONES.

[232] *ita codex.*

NOTÆ.

(57) Rhodez.

(58) Anno 952, demum Berengarius episcopus Virdunensis Vitonianis bona quædam S. Amantii charta donavit, quam ipse Hugo infra in textum recepit.

(59) I. e. marina.

animorum jocunditas. Inde Bizanteum letantes tenuerunt portum. Constantinopolitanum in illis diebus regebat imperium Constantinus cum Hyrene matre, in rebus bellicis strenuus, in cultibus divinis devotissimus. Hic accipiens justum advenisse Madelveum, querere, et suis conspectibus præsentare præcepit inventum. A quo multa audiens utilia suæque saluti proficua, ut pro se Dei misericordiam orare dignaretur prece quesivit humillima, preciosaque ei offerens exenia, quæ ille contempsit omnia, optatæ viæ dimisit eum cum reverentia. Quem Grecia excipiens peregrinum, mirata est inter suos phylosophum, extra suos theosophum. Erat quippe vere sapiens, potens in verbo et doctrina. De ore ejus procedebat mel, dulcedo mellis lingua ejus, favus distillans labia ejus, ex dulcedine sermonis præbens cunctis incendium amoris. Descendit interea Ephesum orare ad Johannis theologi sepulchrum, ubi effudit multarum flumina precum, circumferens *In principio erat Verbum* (*Joan.* I,1), recolens et edocens *Verbum caro factum* (*Ibid.*, 14). Inde pervenit Joppen, diversis viæ periculis perquirens tunicas et vestes, elemosinas Dorcadis, stupensque cum Petro linteum quatuor initiis de cælo summissum, jussus in eo mactare quadrupedia et reptilia terræ in mortificatione viciorum, ac manducare, fructus dignos pœnitentiæ faciendo (*Act.* IX, 39; X, 11). Apprehendens post hec Hierosolimam diu desideratam, et jam concupiscenti animo oblatam, introivit in tabernacula ejus, omnem locum sanctum fide et amore frequentans, qui est super omnia Deum in eis adorans, sepulcrum Jesu Nazareni crucifixi lacrimarum imbre die cotidie rigans, Christumque resurgentem a morte glorificans et adorans. Nunciatur interea patriarchæ Eusebio, qui tempore illo sanctam gubernabat æcclesiam Syon, Madelvei reverentissimi erga Christum devotio, circa loca sancta diurna frequentatio, jugis pernoctatio, carnis propriæ maceratio. Hic igitur his auditis moram pati nesciens in querendo, inventum amplectitur continuo, miratus in eo vultum angelicum, sermonem modestum, mitem gressum, habitum reverendum. Post hec introduxit eum in domum matris suæ et in cubiculum genitricis suæ, et dedit ei poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum (*Cant.* VIII, 2). Cumque eum retinere cogitaret dicbus vitæ suæ omnibus, revelatione est divina ammonitus, ne propriis intentus aliorum invideret utilitatibus, neu vellet habere peregrinum, quem suspirabant filii patrem evangelicum. (Fol. 56.) Hoc tonitruo perculsus, dixit ad eum tremebundus : *Voluntatis meæ fuit, frater mi, te a me unquam nolle separari; sed quia Deo nequimus reniti, revertere, dilecte mi, egredere et abi post vestigia gregum; pasce hedos tuos juxta tabernacula pastorum, cape nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas. Sub umbra illius quem desiderasti sede, qui introduxit te in cellam vinariam, ordinavit in te caritatem, fulciens te floribus, stipans te malis, ac veriat dilectus tuus in ortum suum, et comedat fructum pomorum suorum; leva ejus sub capite tuo, et dextera ejus amplexetur te.* His dictis [BERT. 12.] multorum pretiosas sanctorum reliquias efferens cum calice cristallino opere mirifico sculpto ei optulit, dicens : *Accipe, o care meus, hoc mutui amoris pignus. Annuat Christus Dominus his ac reliquis sanctis intervenientibus, ut iterum nos videamus cum gaudio in cœlestibus.* Tamdem ora manus oculosque alterutrum exosculantes, bona prosperaque sibi imprecantes, ab invicem divisi sunt flentes. Madelveus itaque sepulchrum Domini locumque ascensionis, ubi steterunt pedes ejus, iterum iterumque revisens ac deosculans, nativum solum revisere deliberavit gaudens et exultans, Deum in adjutorium suum intendere petens et exorans. Inde longo ac vario labore itineris redditus est finibus patriis. Recepit alumnum leta tellus Gallica, occurrit pastori leta plebs Virdunica : *Lætentur cæli et exultet terra*, vox consonat urbana vel rusticana. Fluunt lacrimæ gaudio plenæ, madent lætitia genæ, coronatur civitas, plateas replet hylaritas, æcclesias jocunditas. Pontifex egregius Dei auxilio fultus, sanctorum reliquiis honustus, intrat æcclesiam devotus, orat Dominum corpore terræ prostratus. Consurgens episcopalem ascendit thronum, salutat clerum ac populum, dans omnibus pacis osculum, adjungens benedictionis signaculum.

Quisque sua repetit, sacraria præsul adivit,
Pignera deposuit, post hec sua tecta subivit.
Singula perquirit, si pax, si vita salubris;
Omnia quæ voluit fore prospera protinus audit,
Ore Dèo grates persolvit, pectore laudes.

Postera die lustrata novæ æcclesiæ fabrica, laudata artificum industria, remunerata custodum diligentia, ordinat tempus vel diem consecrationi habilem, cunctis religione venerabilem. Quæ ubi illuxit, præsul cum sacris ordinibus æclesiastico ritu omnibus exterius interiusque rite peractis, reliquias Jherosolimitanas in principali absida locis congruis venerabiliter collocavit. (*ib.*) Quæ vero in antiquiori fuere æcclesia, in parte altaris dextra in cripta subterranea decenter composuit. Erat autem hic præsul beatissimus studio castitatis mundus, abstinentiæ robore validus, doctrinæ dapibus refertus, patientiæ longanimitate humilis, auctoritatis fortitudine erectus, pietatis gratia benignus, justitiæ severitate districtus. (Fol. 56'.) Qui pastorali sollicitudine gregi sibi credito invigilans, alios cœlestis doctrinæ verbis erudivit, multos religiosæ vitæ exemplis roboravit, plurimos quoque ab omni infirmitatum molestia curavit, quosdam etiam a demoniacis spiritibus liberavit, omnibusque exemplar et speculum totius sanctitatis se præbuit. Imminente vero resolutionis suæ tempore, cum cognovisset revelatione divina se mundanis liberandum tumultibus, in æcclesia in qua adoleverat cotidiano virtutum provectu, cui primo pastor et rector institutus, de qua etiam ad pontificium promotus fuit, sepulturæ suæ locum delegit.

Licet enim omnium æcclesiarum insudaret utilitatibus, hanc tamen præ omnibus locis sacris post primam, quæ sedes est episcopalis, coluit, amplificavit, et provexit. Quod etiam omnes prædecessores ejus fecisse novimus, utpote qui exceptis perpaucis omnes in ea sedem habent requietionis. Accepit hoc privilegii donum æcclesia ipsa a beato patre debito cum honore nominando Sanctino, suo fundatore primoque christianæ religionis et nominis apud ipsam urbem doctore, ut post matrem æcclesiam ipsa esset caput omnium Virdunensis diocesis æcclesiarum, a qua et mater æcclesia ipsa subsistendi accepisset inicium : quæ etiam est ab antiquo ab ipsis scilicet nascentis æcclesiæ primordiis cimeterium episcoporum et reliquorum fidelium christianorum. Quod privilegium ita permansit et permanet inconvulsum, ut in ea fere omnes ejusdem urbis pontifices legantur divinis aptati servitiis, tonsorati, nutriti, edocti, consecrati, excepta ipsa inunctione pontificalis dignitatis, quam constat esse matris æcclesiæ, et frequentius, qui in ea functi sunt abbatis officio, pro virtutum studio intronizati sint in solio episcopali. Et merito veneratur ab omnibus locus ille, merito expetitur, merito diligitur, quem apex tantæ dignitatis attollit, quia etsi eis, qui illo oraturi conveniunt, qui Deo inibi famulantur, qui corpora sua ob sanctorum patrocinia illic tumulari precantur, desunt bona adquisita per meritum, sufficere possunt, quæ a loci fundatore sancto Sanctino, a sanctis inibi quiescentibus præstabuntur, tamen prout fides petentium merebitur. Attestatur huic nostræ astipulationi domni Bertarii memorabilis antiquitas, qui sanctorum Virdunensium pontificum acta replicans, basilicæ quoque hujus meminit in hæc verba (Bert. 4) : *Basilica*, inquiens, *in qua prædicti episcopi requiescunt, est in honore sancti Petri constructa, et habet multorum episcoporum sepulchra, et propter hoc multum a fidelibus veneranda.*

(Fol. 57.) Huic ergo loco beatus Madelveus anno vitæ suæ penultimo, dono Teuthardi [233] adquisivit res quasdam sitas in Virdunensi pago, loco qui dicitur Offelini curtis, et in fine Bettiliniaca, in fine quoque Virelinse, quas idem Teuthardus a genitore suo Gunthero sibi relictas jure possidebat hereditario in terris, mansis, campis, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumque decursibus, et basilicam sancti Martini in ipsa villa Bettiliniaca (60) constructam, quæ omnia, sicut habebat et possidebat, sancto Vitono et huic patri nostro idem contulit perpetualiter possidenda anno inc. Dom. 775 indictione 14, regnante Karolo Magno anno regni ejus 8, die 5 Idus Novembris, in ipsa scilicet sollempnitate sancti patris nostri Vitoni.

Diligebatur autem ab omnibus totius regni primoribus, et ab ipso præcellentissimo rege Karolo quia et congruum erat, ut quem Dominus perfudo rat gratia, ab omnibus amaretur. Studebat omnibus per omnia placere, non eo modo, quo placent hominibus, quorum Deus dissipabit ossa, ut repleantur confusione ab indignatione ejus, sed illo quo omnibus per omnia placebat apostolus, non querens quod sibi esset utile, sed quod multis, ut salvi fierent. Ideo bona conscientia dicere poterat auditoribus suis cum eodem apostolo : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (*I Cor.* IV, 16 ; XI, 1), qui utique volebat sine offensione esse æcclesiæ Dei, ita scilicet temperandam docens conversationem, ne quis in ea scandalum pateretur [234].

(Fol. 58.) Sed quid nos in laude ejus temptamus, quod non sufficimus explicare? Ipse enim laus ejus est, qui in sanctis suis laudabilis est. Quo ergo nos ducit oratio? Quid moras innectimus? Quid felicem ejus e mundo transitum replicare tricamus? Adsit ipse nobis propitius, ut digna fari valeamus, aspiret cordi nostro meritis ejus Spiritus sanctus et nostris infundatur visceribus. Dicamus itaque, quod dederit ipse de quo loquimur, et quomodo de mundo ad Christum, cui devotus servierat, migraverit, breviter indagemus. Advenerat jam tempus resolutionis ejus, et beatus ipse ad quemdam episcopii fundum transierat causa consecrandarum æcclesiarum, ubi tactus digladiabili sorte naturæ, aeri cœpit fatigari dolore. O beatum, o vere felicem, qui sciens imminere transitus sui diem, fatiscentes artus spiritui servire cogebat, bonam hanc virtutum suarum consummationem existimans, si in tam pio, tam celebri Dei servitio expenderet quod reliquum erat attriti corporis virium. Fecerat itaque votis satis. Consecravit namque vici illius æcclesias, et consecratio ipsa viget usque in hodiernum diem. Tanta enim erat tunc et nunc est auctoritas viri sancti, ut nullus episcoporum quamvis sanctus, quamvis justus, consecrationem ipsam reiterare vel inmutare audeat, sed perennis est apud cunctos tunc facta dedicatio, et erit perpetualiter. Tota igitur urbe, immo tota regione astante et ad verbum oris ejus pendente, sermonem fecit omnibus de ipso festo æcclesiæ, et quia præsentialiter ibidem sanctus sanctorum advenerit, cunctis adnuntiavit, atque ne consecratio reiteraretur prohibuit. Tandem omnibus valedixit, suumque exitum maturius affuturum prædixit. O quantus in voce hac luctus omnium, quæ suspiria juvenum, quanti gemitus dolentium! Et quis non fleret, ubi tantus vir suum a sæculo nunciabat excessum? Quis se cohiberet a lacrimis, ubi tanta erat destitutio omnium in absentia tanti patris? Igitur consueta salutis documenta replicans seque illis commendans, omnibus benedixit, et ut domini Dei memorarentur ammonuit, et sic expleto officio do

VARIÆ LECTIONES.

[233] geuehardi *corr.* teuthardi *c.* [234] Verte II folia et require sequentia sub hoc signo *cod.*

NOTÆ.

(60) Bettinville.

raum rediens, languore ingravescente acrius cepit anxiari. Dehinc relatus ad æcclesiam, exitus sui præstolabatur horam gaudens, et verba vitæ omnibus annuncians. Plena erat ecclesia lacrimarum, plena gemituum, plena plangentium et dolentium. Solus ipse gaudebat, qui quo vocabatur agnoscebat, et vocationem suam precibus commendabat. Cum clamarent omnes : *Cur nos, Pater, deseris? Cui tuas oves desolatas relinquis?* ipse omnium miserabatur, omnibus compatiebatur, omnes a lacrimis temperare docebat et sibi ad requiem festinantius eundum [235]. Nec multo post venit hora sancto optabilis, grata spiritibus angelicis, mesta filiolis, et servum suum post diutina præliorum exercitia Christus invitabat ad præmia. Presentibus ergo æcclesiæ suæ filiis, post dulcia vitæ monita, post ultima consolationis affamina viatico cœlesti pastus, pace data omnibus in bona confessione spiritum Deo tradens, patribus suis est appositus, adeptus optimam partem, quæ non auferetur ab eo, quia in pace fuit locus ejus, et in Sion habitatio ejus.

(Fol. 59.) [Bert. 12.] Fuit autem beatus Madelveus a tempore Pippini, qui Ansegiso ortus Karolum Tuditem genuit, qui pater Pippini, ex quo Karolus Magnus est genitus, extitit, cujus usque ad tempora hic justus vixit vita sobria, juventute casta, complens cursum vitæ præsentis in senectute bona (*Gen. Caroli*). Senectutem autem ipsam dicimus, quæ ab anno hominis quinquagesimo in septuagesimum septimum porrigitur, quando jam a statu suo minorari et infirmari virtus humana incipit, quia et ætas ipsa quæ a 77° anno in occasum protenditur, senium et decrepita vocatur ; quando hoc quoque quod superest, languor et horror habet [236]. Quod ideo dicitur, ne simplex lector audiens beatum virum in senectute bona cursum consummasse, estimet eum usque ad ultimam senectutem venisse; cum constet unumquemque exacto spacio temporis præstituti hora præfinita in oculis Domini defunctum cursum complesse, nec interest utrum quis in senectute aut in juventute seu in infantia debitum expleverit, quin minus et de ipso dicatur : *Cursum consummavit.* [Bert. 12.] Obiit autem terra plorante, cælo plaudente, in proximo episcopii fundo, quod dicitur Novavilla, 4 Non. Octobris, anno ætatis suæ 66, in ipso inicio albescentis senectutis, exuens corruptibilem carnis tunicam, induens deificam immortalitatis stolam. Hoc accepto elogio civitas tota turbatur, populus omnis merore afficitur. Nec mora, omnis ætas, uterque sexus indiscrete corpori obviam ruunt, lacrimarum imbres fundunt, plangoribus aera tundunt. Nec defuere exequiis beati corporis cælestes exequiarum ministri, qui beatum funus, dum suo ambiunt apparatu, odorem dulcissimum sua præsentia exibuerunt, ut palam cunctis daretur intelligi, advenisse illic ipsum quoque auctorem suavitatis. Et revera. Ipsa enim clemens affuit divinitas, consolans lugentium lacrimas, notificans, quæ in defuncto pietas, quanta simplicitas, quæ cordis fuerit puritas. Statim namque ut cœlo spiritum reddidit, duæ columbæ candidiores nive ab ethere cunctis videntibus lapsæ super crucem quæ ante corpus erat sederunt, et per omnes exequiarum moras, usquequo sepulturæ traditum est, manserunt, sicque intuentibus illis, iterum poli secreta petierunt. Cum tanta ergo cælestis exercitus frequentia curatum est corpus patris pia filiorum diligentia, et sic cum omni veneratione dignissima delatum ad æcclesiam beati Petri apostolorum principis filiorum humeris, quæ sita ad septentrionalem plagam urbis, in qua preciosus Domini confessor Vitonus cum multis prædecessoribus seu successoribus suis requiescit præsulibus sanctis; ubi officio sollempniter ex more celebrato, occurrentibus vicinarum urbium episcopis terræ est mandatum cum gloria. Felix æcclesia tanti patris humatione digna! Felix locus tanti thesauri largitione ditatus! Beatum dixerim populum, tanti pastoris reginine sublimatum, benedictione protectum, miraculis jocundatum. Etenim si gloria æcclesiæ laus doctoris est, quantæ erant, immo quantæ sunt hujus æcclesiæ gloriæ, cujus doctorem tanta Deus omnipotens approbat laude? Ecce ad exequias ejus celestes excubabant ministri, ut agnosceretur in terris quanta hunc Deus gloria donasset in cœlis.

(Fol. 59'.) Beata plane exequiarum funera, talium testium visitatione digna! Et quid est columbas de cœlo venisse, funeri obsequium et solatium præbuisse, iterum cunctis videntibus celi secreta petisse, nisi Christum in specie alitis innocuæ fidelibus populis de morte patris mœrentibus suamque destitutionem lugentibus patenter ostendere voluisse, illum, cujus funus erat, in innocentia et simplicitate vixisse, sine felle amaritudinis vitam piam, timoratam, circumspectam, sollicitam, societatis sanctorum avidam, ab omni malitiæ nevo immunem exegisse, et consortia sanctorum in gloria curiæ cælestis pia devotione meruisse? Accedant adhuc et potiora miracula, glorificetur Deus in sanctis suis, qui est mirabilis in operibus suis. Humato enim patris corpore, ut ostenderetur in cælis semper vivere ad ostendenda præclara ejus merita, fiebant ad sepul-

VARIÆ LECTIONES.

[235] us eundum *vel talia quædam abscisa sunt in c.* [236] *Auctor hæc inserut et postea iterum delevit :* Infantia enim septem annis finitur, 14 pueritia. Sequens adolescentia duabus constat ebdomadis propter intellectum et actionem c duo nondum erant inp. Et porrigitur hæc ætas a 15° anno in 28um. Succedens juventus tribus constat ebdomadis propter intellectum et actionem et corporis virtutem, quæ a 29° incipiens, 49° consummatur. Senectus vero quattuor ebdomadis completur, propter accidentem in illis tribus animi et corporis gravitatem; incipit 50° anno, 77° terminatur. Senectus autem vergens a juventute in senium quæ decrepita vocatur vitam ultimam anhelans.

crum ejus divina miracula. Et quia pia Dei clementia illum a puero ab omni inquinamento carnis abluit, mentemque ejus castificans ab illusione diabolica potenter defendit, isque sibi mundo corde et casto corpore servivit, ejus post obitum evidentius manifestavit. Ut enim ipsius mens inviolata libidine, ita caro mansit incorrupta putredine. Siquidem cum sepulcrum ejus cotidianis virtutum floreret prodigiis et crebris populorum frequentaretur excubiis, erat tamen situm negligentius quam poscit debitæ venerationis cultus. Quare dignum duxit tunc temporis episcopus clerusque omnis et populus illud mutare decentius. Presidebat eo tempore Virdunensi ecclesiæ Berhardus episcopus, vir catholicus et religiosus et in fide sancta nominatissimus, imperante Lothario Ludovici Pii filio, cujus regnum fuit Italia cum urbe Roma et parte Franciæ quam Mosa et Rhenus inter se claudunt. Quod cum, uti deliberaverant animo, certarent effosso implere sarcophago, subito illis inestimabilis ostensa est visio. Nam ablato sepulchri cooperculo, vident cadaver ante 40 annos defunctum velut viventem hominem soporatum, candore liliorum vel rubore rosarum perfusum, nulla macula nec aliquo mortis signo fedatum. Quo viso miraculo, odoreque perfusi suavissimo, ceperunt flere præ gaudio, levantesque corpus sancti cum reverentia et jubilo, in præparato transponunt mausoleo, ubi extunc operatur divinitas, cunctosque Dei medetur pietas. Sopitur omnis ibi infirmitas, fugatur cæcitas, erigitur curvitas, roboratur debilitas, omnibus redditur sanitas.

Habet jam beatus Vitonus in cælis socium et concivem, quem habuit aliquando in terris alumnum et devotum successorem. Conjunctus est sanctis in gloria, quibus devotus servivit in hac vita laboriosa. Queramus et nos eum patronum et tutorem, et cum reliquis sanctis pium apud Deum intercessorem, quem meruimus habere doctorem et veritatis præconem. Illic ergo positus nos hic orantes exaudiat, tueatur et protegat, et quos habet in terris supplices veneratores, optineat suos in celis fore concives.

(Fol. 60.) Si ergo hujus beati viri ductus amore diligens lector studiosius cupit addiscere, quo in tempore natus quove sit ad episcopatum promotus, quot annis ante episcopatum vel quot in episcopatu vixerit, et quo hominem exuerit, teneat cronicam memorialis ejus, et sic per succedentium sibi regum et Romanorum pontificum tempora quod querit inveniet. Relatum est superius, quod ante ordinationem ejus per multa dierum curricula absque pastore fuerit plebs Virdunica. Non enim sinebat præfectorum, qui et majores domus dicebantur, improba licentia æcclesias uti libertate propria, cum ipsas quoque urbes nimium attriverit, maxime tamen Virdunum, quæ sita in confinio Neustriæ et Austrasiæ, utrobique incursioni diripientium patuit et rapinæ. Duravit hec vastitas per annos complures, a tempore scilicet Theoderici et principis Ebroini, quorum bestialis et non humana sævitia maculavit regnum Francorum sanguine procerum et magnatum usque ad secundum Pippini regis annum, quo institutus est a Stephano papa rex Francorum, sicut et prædecessor ejus Zacharias constituerat, qui fuit annus ab inc. Dom. 754. Tunc primum discussa caligine horribilis turbinis, nova lux oriri visa est Galliarum populis, et plebes, quæ carebant pastore, suum quæque certatim rapere; quo anno inthronizatus est hic beatus auctoritate Stephani papæ et Pippini principis laude. Dum ergo referat cronica, quid fuerit a tempore Pippini qui Ansegiso ortus Karolum Tuditem genuit, usque ad Karoli tempora, teneamus annum ab inc. Dom. 712, quo beatus hic natus est indictione 13, et sic computando ascendentes habebimus ipsos annos, quibus Pippinus supervixit, annos etiam 27, quibus Karolus optinuit principatum post patrem, sex etiam quibus filii ejus Karlomannus et Pippinus post eum dominati sunt communiter, quatuor quoque quibus ante unctionem solus principatum optinuit, ipsum etiam annum, quo in regem elevatus est, et sic summam numeri colligentes inveniemus quod 45 ætatis suæ anno consecratus sit electione superna, eo scilicet anno, quo Pippinus rex constitutus a papa est. Hinc iterum enumeratis a. 15 quibus postea Pippinus solus regnavit, et 8 annis regni Karoli, quia in nono hic beatus hominem exuit, cum obsideret Karolus Tharovisam Italiæ urbem, inveniemus quod 54 pontificatus sui anno per [237] perituris celestia et æterna commutans, in proximo episcopii fundo, qui dicitur Novavilla, ad Dominum migraverit, 4 Nonas Octobris, ætatis suæ a. 68, indictione 15, epacta 28, anno pontificatus Adriani papæ (61) sexto, ab inc. Dom. a. 777, Constantini et Irenes temporibus, anno regni eorum sexto, uno ante septimam synodum anno. Ergo felix Madelvei ortus, felicior vitæ cursus, felicissimus fuit occasus, præstante Jesu Christi gratia cui est honor et gloria in seculorum secula. Amen.

(Fol. 60'.) (*Chron. Div.*) Anno igitur ab inc. Dom. 754, Pippinus rex intravit Langobardiam, et Stephanus papa reversus est Romam. Anno quoque ab inc. Dom. 760 perrexit Wasconiam, et anno sequenti cum filiis Karlo et Karlomanno Aquitaniam et Biturícas cepit. Anno 762, iterum ivit Aquitaniam et conquisivit Lemovicas civitatem. Cumque septima vice illo iret per Viennam transitus, Berterico ex famulis ecclesiæ episcopatum Viennensem dedit. Post hæc anno ab inc. Dom. 768 obiit 8 Kal. Octobris, et eodem anno, die videlicet sequenti, uncti sunt in

VARIÆ LECTIONES.

[237] ita *c*.

NOTÆ.

(61) Adrianus inde ab a. 772, Constantinus et Irene ab a. 780 sederunt synodus Nicæna anno 787 celebrata est.

reges Karlus et Karlomannus. Franci ita diviserunt, ut Karolus partem, quam pater Pippinus tenuerat, obtineret, Karlomannus vero partem, quam proavus eorum Karlomannus habuerat, susciperet.

(Fol. 59'.) Anno ab inc. Dom. 755, indictione 8, post Gayroinum episcopum, qui in expeditione imperatoris obiit, domnus Manasses ordinatur abbas in Flaviniaco dono imperatoris Pippini. Hic corpus beati Prejecti martyris a Volovico delatum æcclesiæ suæ intulit 8 Idus Novembris. Hic etiam cellam primus Corbiniaci instituere volens ab imperatore Karolomanno obtinuit, nec tamen fecit. Obiit a. 787, Non. Novembris, 33 anno suæ ordinationis. (Fol. 60'.) Successit Adalbertus. Karolus Magnus contulit Deo et sancto Petro sanctoque Prejecto et abbati Manassæ, ut nullus hominum Flaviniacensis æcclesiæ in omni regno suo teloneum daret in civitatibus, mercatis, vicis, villis, pontibus, portibus, non de rodatico, barganatico, pulveratico, mutatico, rivatico [238], salutatico, laudatico, tranatico [239] et de hoc quod homines ad dorsa portare solent, quidquid ad jus fisci pertinebat indulsit, et de omnibus terris monachorum in toto imperio suo teloneum omne eis concessit 5 Non. Maii a. 7 regni sui (62).

(*Chron. Div.*) Karlomannus igitur post administratum communiter quadriennio regnum discessit a. 771, pridie Kal. Decembris; Carolus solus regnum optinuit. Anno regni sui secundo, dum adhuc frater viveret, bellum Aquitanicum a patre inchoatum, sed nondum finitum, tanta felicitate consummavit, ut omnem et Aquitaniam et Wasconiam sibi retineret et sibi subjiceret. Igitur post Stephanum [240] Paulus sedit Romæ annis 10, die 1, obiit anno Dom. inc. 767; post quem Stephanus annis 3, mensibus 10, diebus 28. (*Gesta pont. Rom.*) Cui succedens Adrianus, sub quo habita est a quinque patriarchis apud Nicæam synodus 350 Patrum temporibus Constantini et Hyrenæ matris anno imperii eorum septimo, regni Karoli Magni decimo, ab inc. Dom. 778, sedit annis 24, mensibus 3, diebus 17. Obiit anno Dom. inc. 796, et successit Leo.

(*Chron. Div.*) Compositis itaque Karolus rebus in Aquitania, et socio jam defuncto, precibus Adriani pontificis Romani bellum contra Langobardos cepit. Anno 772 Karolus intravit Italiam, et suscepit bellum quod a patre suo, Stephano papa supplicante, fuerat susceptum. Quidam autem de primoribus Francorum adeo voluntati ejus renisi sunt, ut se regem deserturos et domum reversuros libere pronunciarent. Cœptum tamen est. Karolus igitur Desiderium Langobardorum regem paucorum dierum obsidione compulit, et obsides dare, et erepta Romanis restituere, atque ut non repeterentur sacramento firmare. Papia autem tradita est anno ab inc. 774, sed a primo anno regni Karoli. Finis igitur belli fuit subacta Italia, et Desiderius perpetuo exilio deputatus in Francia, filius ejus Adalgisus pulsus Italia, et res a Langobardis ereptæ Adriano papæ restitutæ. Karolus ergo Langobardia subjecta et sacramento firmata cum præfecisset omni Italiæ Pippinum filium suum anno ipso, qui erat, ut dictum est, ab inc. Dom. 776, repetivit bellum contra Saxones rebellantes.

(*Ann. Petav.*) (Bert. c. 14.) Anno ab inc. Dom. 776, qui erat regni Karoli 9, obiit Madelveus episcopus, et cum obsideret exercitus Karoli in Tharavisa Italiæ civitate Stabilinum socerum Chrotgaudi, qui contra Karolum rebellaverat, et propter hoc Karolo Italiam ingresso in bello occisus erat: erat in eadem civitate Petrus vir Italicus, a quo tradita est civitas, et ob hoc Virdunensi episcopatu honoratus est. (Fol. 61.) Quo in tempore præerat ecclesiæ sancti Vitoni abbatis nomine et officio Fretmodo diaconus et abbas, qui post sanctum Madelveum locum ipsum regendum susceperat. Temporibus ipsius Fretmodi, hoc est 14 anno regni Karoli qui erat ab incarnatione Domini a. 781, dedit quidam vir nobilis Becco canonicus sancto et famulantibus ejus pro anima sua et pro anima Amlingi germani sui in ipso cymiterio sepulti res proprietatis suæ quas habebat in pago Virdunensi, loco qui dicitur Gailanæ curtis super fluvium Agira, id est ecclesiam in honore sancti Christophori, cum omnibus quæ ad ipsam villam pertinere videbantur, sicut in charta continetur. Postmodum interventu [241] Petri episcopi idem Fretmodo fecit præstarium de Raherei curte et ad eam pertinentibus cuidam Bettoni abbati, qui.... sancto Petro et sancto Vitono, qui et i.... Garani curtem cum appendiciis, et post mortem ejus melioratas curias illas sanctus possedit V...dinus.

[Bert. 13.] Tunc fuit episcopatus Virdunensis per 12 annos vacuus, sed quidam servus Dei Amalbertus nomine, juxta morem temporis illius factus corepiscopus, regebat ipsam æcclesiam, et in quodam oratorio sub honore omnium apostolorum quasi solitariam vitam ducebat. Et tunc perdidit ipsa æcclesia quædam, quæ sibi collata aliquando possederat, et hoc in tempore Karoli Magni. (*Ib.*, 14.) Licet enim Petrus præfatus vir Italicus pro traditione Tharovisæ de ipso episcopatu fuisset ab eo honoratus, quia tamen semper suspecti sunt traditores, in episcopatu per tempus præscriptum receptus non est. Tamen ne verbum regis esset inane et vacuum, post præscriptum annorum spacium concessum est illi civitatem ingredi et episcopatu potiri anno ab inc Dom. 788 [242], fuitque per 25 annos (*Ib.*) et passus est multa adversa. Certe etiam infidelitatem imperatoris objecerunt illi, et ob id per 12 annos

VARIÆ LECTIONES.

[238] riu *deletum*. [239] tra *deletum*. [240] [obiit] Stephanus V. Kal. Maii [ind.] X. *in marg.* [241] *vox tota fere periit*. [242] *lineola ultima periit*.

NOTÆ.

62) Bouquet V., 752.

non fuit ausus imperatorem videre. Sed postea a filiis ecclesiæ ipsius coram principe recte purgatus adiit illius præsentiam, et in diebus ejus ecclesia sibi non solum non adquisivit, sed et perdidit plurima. Difficile enim est, ut bono terminentur exitu, quæ malis sunt inchoata principiis. Probat hec ruina sua Virdunensis civitas, quæ turrium murorumque [243] solidissimo ambitu, utpote lapide, plumbo ferroque conserto munita, unde et nomen sortita est, ut vocaretur urbs Clavorum, pro tuenda Italici hujus instabilitate et experta infidelitate a Carolo destructa, nunc ingentis tantum i..... [244] præfert indicia et vix aliqua antiquæ illius firmitatis retinet... [245], edocens omnes suo tali infortunio, quæ Dei sunt a Deo esse quærenda. Sensit etiam rex insensibilis perniciem tanti infortunii, ut non minor hic nisi quia præmeditatus accederet hostis, quam dudum Vandalica pestis. Et merito; nam ab ipsis fidei rudimentis usque ad tempus illud semper in Dei nomine pontificis valuit electio cleri et populi, et si in quibusdam principes leguntur favorem et consensum præstitisse, nusquam tamen feruntur electionem vetuisse pontificis ordinandi, aut factam immutasse. Sepultus est in ecclesia Sanctæ Mariæ ante altare sancti Petri. A vastatione autem urbis Virdunicæ, quæ facta est a Vandalis usque ad desolationem ejus factam sub Karolo colliguntur anni fere 380. De quadris autem lapidibus dirutæ civitatis Aquisgrani capella exstructa est.

[Bert. 15.] Post cujus mortem elegerunt sibi clerus et populus episcopum de regis palatio anno 815 Austrannum, cantorem ipsius, virum strenuum, cujus industria Bracenses negociatores ejusdem ecclesiæ ditioni redacti sunt. Et hic superfuit annos 5. Requievit autem anno ab inc. Dom. 819, et sepultus in basilica sancti Petri apostoli cum prædecessoribus suis.

(Chron. Div.) Susceptum ergo bellum a Karolo contra Saxones per 33 annos majore dampno Saxonum quam Francorum gestum est. Videntes Saxones quod resistere non poterant, pacem petentes, baptizata est multitudo eorum. Anno ergo ab inc. Dom. 780 venit Karolus in Saxoniam in loco qui vocatur Patrisbronna, et ibi habuit placitum magnum, et ibi convenerunt Saxones ad baptismum, ditione a rege posita, ut Franci et Saxones unus essent populus. Duobus itaque prœliis ita contriti sunt Saxones, ut ulterius neque regem provocarent, neque venienti resistere auderent. Plures tamen nobiles eo bello consumpti sunt.

Anno 788 Hispaniam aggressus sibi subdidit, et Britanniam. Per quadraginta enim et septem annos, quibus regnavit, ita ampliavit Francorum regnum, ut cum esset antea magnum et forte, duplum illi addiderit. Colebat præ omnibus sacris locis æcclesiam sancti Petri apud Romam, cui etiam multa contulit in auro et argento. Ad hoc semper laboravit, ut urbs Romana suo labore veteri polleret auctoritate; quam cum tanto amore diligeret, quater tantum in omni tempore regiminis sui illo ivit. [Einh. *Vita K.*] Nunciato sibi Adriani Romani pontificis obitu ita flevit, ac si fratrem karissimum amisisset.

(Fol. 60*) Domnus Manasses corpus sancti Prejecti martyris a Volovico delatum Flaviniacensi intulit æcclesiæ, quam in honore sancti Petri et ejusdem martyris fundaverat. Exceptio ejus VIII Idus Novembris celebratur. Hic obtinuit apud Karlomannum (63), ut in Corbiniaco villa cenobiolum construeret. (*Series abb. Flav.*) Obiit 33 anno ordinationis suæ Non. Novembris; cui successit Adalbertus vir venerandus anno 21 Karoli, et 5 anno ordinationis suæ decessit, et ei successit Zacho, et quarto anno moritur; et huic Alchuinus succedens 7 annis obiit, et sic 33 anno imperii Karoli domnus Apollinaris ordinatur abbas dono imperatoris. Hic etiam abbatiam Divionensem et Reomensem rexit, et ecclesias easdem possessionibus auxit, sanctorum reliquiis honestavit, præcipue tamen Flaviniacensem provexit et auxit. Obiit pridie Kal. *Aprilis a. 12 imperii Ludovici. Interfuit concilio Aquisgrani habito 4 anno Ludovici ejusdem, et post 2 annos successit Vigilius abbas, a. 14 Ludovici. [Ado.] Viennensem tunc temporis ecclesiam Ursus, Lugdunensem Ado regebat. Post Adonem Hilduinus nepos ejus Lugdunensem ecclesiam paululum non episcopus tenuit, et abscedens Lirinis monachus factus est. Post quem Lugdunensem æcclesiam Laidradus suscepit honori rei publicæ utilis; Viennensem vero Vulferi Bavarius rexit a. 11, cui successit Bernardus. Laidradus vero in initio imperii Ludovici imperatoris Suessionense monasterium petiit, et in loco ejus Agobardus substituitur ejusdem ecclesiæ corepiscopus, consentiente imperatore et omni Gallicanorum episcoporum synodo. Quod quidam defendere volentes, dixerunt eum a tribus episcopis in sede Lugdunensi jubente Laidrado fuisse ordinatum. Hic igitur Agobardus et Bernardus Viennensis apud Ludovicum accusati, desertis ecclesiis, in Italiam ad Clotharium se contulerunt; sed agentibus piis imperatoribus, uterque sedem suam recepit. Et post paucos annos Agobardus apud Sanctonas in expeditione regia defungitur. Bernardus quoque obiit, et Agylmarus substituitur. Amolo quoque Lugdunensem episcopatum suscepit, cujus auctoritas et amor Karoli erga eum multum valuit sancto papæ Leoni, ut ipse hoc testatur in epistola ad eum missa.

VARIÆ LECTIONES.

[243] *vocem excisam supplevi.* [244] munitionis? [245] vestigia?

NOTÆ.

(63) Est charta Caroli regis data anno regni 8 sine die et loco. Plancher, Histoire de Bourgogne t. I, preuves p. 5.

(Fol. 61.) (*Gesta p. R.; Chron. Div.*) Successerat post Adrianum in pontificatu Romano Leo anno ab incarnatione Domini 796, qui sedit in eadem sede annis 22, mensibus 5, diebus 15. Hunc Romani letania majore captum multis affectum injuriis, erutis oculis, lingua amputata, anno Dom. incarn. 799 fidem regis implorare compulerunt. [Ado.] Missus enim in custodia, per murum noctu aufugit ad ecclesiam sancti Petri; inde a Francis Spoletum deductus, ac demum ad Palabronnam honorifice a rege susceptus, et cum honore Romam est remissus. (*Chron. Div.*) Hec fuit causa ultimi adventus Karoli Romam ad reparandum æcclesiæ statum, ubi totum hiemis tempus exegit, quo in tempore imperatoris et augusti nomen assumpsit a. 799, ind. 8, quod primis multum quidem aversatus est. [Ado.] Tum habita questione de eis, qui Leonem papam ita inhoneste tractaverant, et deponendo contumeliaverant, ut reos majestatis capite plectendos jussit. Pro quibus pius pontifex intercessit, et rex eis vitam et membra perdonavit; in exilium tamen sunt missi.

Anno ab inc. Dom. 803, imperator legationem Romam misit de inquirenda veritate, si, ut ferebatur, sanguis Christi in Mantua fuisset inventus. Qua de causa Leo in Franciam venit, quem imperator Remorum civitate susceptum, natalem Domini cum eo celebrem duxit, et donatum maximis muneribus per Bavariam ire volentem deduci fecit usque Ravennam.

[Ado.] Anno ab inc. Dom. 806 delata sunt corpora et ossa sancti Cipriani a Carthagine cum reliquiis Scillitanorum martyrum, Sperati et sociorum ejus, et Lugduni in ecclesia sancti Johannis Baptistæ posita.

(Einh. *Ann.*) Anno ab inc. Dom. 810 Pippinus Italiæ rex defungitur, in cujus regno Karolus filium ejus Bernardum nepotem suum substituit, et regem appellari constituit.

Anno ab inc. Dom. 813 quidam de primoribus Romanorum conspiraverunt in interitum Leonis papæ, qui comprehensi jussu illius interfecti sunt. Exacto vero papatus sui anno 21° cum graviter ægrotaret, Romani collecta manu omnia prædia, quæ in singulis civitatum territoriis noviter construxerat, primo diripiunt, deinde concremant. Quos prohibuit ab incepto Bernardus Italiæ rex, et eodem anno obiit papa Leo.

(*Chron. Div.*) Extremo vitæ suæ tempore congregatis omnium Francorum primoribus, Hludovicum filium suum consortem regni et imperialis nominis fecit heredem, imposito capiti ejus diademate. [Bert]. Quo in tempore Herilandus suscepit Virdunensem episcopatum, vir multum simplex et ultra modum infirmus; et hic expletis in episcopatu annis 7, obiit Aquis, et relatus inde, sepultus est juxta Anstrannum in basilica sancti Vitoni. (*Chron. Div.*) Karolus A quoque decessit anno ab inc. Dom. 815, etatis suæ a. 72, regni 47, 5 Kal. Februarii, et est sepultus Aquisgrani palatio in æcclesia, quam ipse ædificaverat. Successit Ludovicus cognomento Pius, et per annos 25 magno moderamine rexit imperium, et hostibus fortiter resistens potenter eos terruit.

[Einh. *Ann.*] Anno 816 obiit Leo papa, et succedens Stephanus sequenti anno obiit, cui successit Paschalis.

Anno 817 Ludovicus concilium habuit de abbatibus et monachis, ubi interfuit Apollinaris abba Flaviniacensis, et obiit 826.

(*Ep. Hincm.*) Anno ipsius domni Ludovici 8, ab incarn. Dom. 823, natus est ei filius Karolus in Franconofurth palatio novo, et ibi ordinatus est pridie B Idus Junii Drogo Karoli Magni filius, et datus est ei episcopatus Metensis, et Humberto præcentori palatii episcopium Meldense traditum est. Qui invenit in ipsa æcclesia quaterniunculos de vita sancti Sanctini, sed valde contritos. Eodem anno in territorio Tullensi, villa Commarciaco, puella sabbato sancto post acceptam communionem jejunare cœpit, et tres annos absque omnis cibi et potus perceptione permanens, a. 826 iterum manducare cœpit. (*Chron. Div.*) Habuit Ludovicus et alios tres filios, Lotharium, Ludovicum et Pippinum, et ex alia uxore juniorem, quem diximus Carolum.

[Einh. *Ann.*] Anno 824 Paschalis papa obiit, et Eugenius successit, et tribus annis administrato C pontificatu Romano, Valentino sedem reliquit, qui eodem mense obiit, et Gregorius IV successit. (*Gesta p. R.*) Sedit a. 19. (*A. Fuld.* 833, 834.) Hujus tempore, ut in Gestis Francorum legitur, Ludovicus in Elisatiam profectus occurrentibus ibi filiis suis cum præfato Gregorio Romano pontifice, judicio episcoporum nomen deposuit et ad penitentiam agendam aliquanto tempore privatus et inclusus victitavit.

[Ado.] Anno 828 cum omnis potestas Francorum Pii Ludovici studio vacaret otio, quidam tantam boni spem [246] non ferentes, uxorem imperatoris ab ejus latere in Aquitaniam sub custodia dirigunt. A rege quoque universus populus deficiens ad filios ejus se transtulit: ipse custodiæ traditus est, uxor ejus itidem custodiæ mancipata est; sed nutu Dei D post tot [247] adversa prospera succedunt, populi ad penitentiam [248] convertuntur, ipsum in pristino gradu revocantes sublimant, filii nunciis missis veniam flagitant, matrem reducunt. [Regino.] Clothario jam imperatori ut extra [249] Italiam nisi patre jubente non procederet [250] principes imperant. Quod divina [251] pietate et gratia factum est quia ipse [252] imperator in sequentibus judicio episcoporum ad penitenciam reconciliatus est. Fuit autem hec dejectio [253] maxima ex parte facta pro multimoda fornicatione Judith uxoris ejus.

[Bert.] Anno 839 Lotharius relicta Francia Ita-

VARIÆ LECTIONES.

[246] bonis *supplevi*. [247] p. t. a. *supplevi*. [248] peniten *supplevi*. [249] ut extra *deleta*. [250] procederet *deletum*. [251] divina *deletum*. [252] *supplevi*. [253] dejectio *deletum*.

liam petit. Ebbo Remorum archiepiscopus deponitur, et multi alii exilio dampnantur, quia in dejectionem imperatoris conspiraverant. Defuncto autem Herilando antistite, abiit pars cleri et plebis Virdunicæ ad Hludovicum imperatorem anno Dom. inc. 827, et petierunt sibi dari domnum Hildinum de Alemannia, virum bonum et sanctum, qui in episcopatu suo multas æcclesias construxit, et multa bona operatus est. (*Chron. Div.*) Ludovicus igitur regnum suum inter filios suos dividens, Lothario qui erat major natu tradidit imperium et regnum Italiæ, et partem Franciæ quam Mosa et Renus inter se dividunt, et partem Burgundiæ; Ludovico tradidit Bawariam, Saxoniam, et regna quæ Karolus subegerat; Pippino Aquitaniam, Wasconiam et terram sibi subjectam usque in Hispaniam; Karolus minimus natu, qui Calvus est dictus, adeptus est Franciam, Burgundiam, Neustriam. Unde indignati sunt fratres, quia nolebant eum sibi æquari, vel quia melior pars regni ei collata fuisset. (Fol. 62.) Unde post patris obitum grave inter eos ortum est bellum, et tamen statuta patris immutari non valuerunt. Ad extremum etiam Aquitaniam Karolus optinuit. Pippino enim ante patrem defuncto, filius Pippinus remansit, qui quia ad regnum gubernandum minus fuit utilis, ad Karolum se principes contulerunt, et regnavit Karolus Calvus annis... Anno Domini 839 corpus sancti Bartholomei Beneventum delatum est. Obiit Apollinaris abbas Flaviniacensis pridie Kalend. Aprilis, duodecimo anno Ludovici, et post duos annos Vigilius successit annis 14, et post eum Arewaldus subrogatus est anno 25 ipsius Ludovici.

Obiit autem Ludovicus 12 Kalend. Julii anno ab inc. Dom. 840, [Ado.] imperii sui anno 25. Corpus ejus a Drogone fratre Mettim delatum et in ecclesia sancti Arnulfi positum est. Successit Lotharius in regno.

[Regino.] Anno ab inc. Dom. 841 fuit apud Fontanidum bellum gravissimum inter fratres filios Ludovici, et non sine magno suorum dispendio Karolus et Ludovicus vicerunt. (*Ann. Lugd.*) Eodem anno Agobardus Lugdunensis episcopus obiit; et illud memorabile opus, quod stetit a tempore Trajani imperatoris et Forum vetus appellabatur, Lugduni corruit. (*Chron. Div.*) Dum ergo quisque sibi consulit, et ne alter sibi præferatur cavet, unitum Francorum regnum fœda sectione sciderunt, et exteris nationibus occasionem rebellandi contulerunt. Ingruentibus enim Normannis, Danis et Britonibus, fiunt christianorum strages, deprædationes, vastationes, incensiones. Hac de causa pacificantur inter se reges, et quia armis non possunt, pecuniis se redimunt. (*Ann. Prud.*) Eodem anno, qui erat ab inc. Dom. 842 [251], Normanni, id est aquilonares populi, vastaverunt Rotomagum, anno 1 Lotharii et Karoli.

(*Gesta p. R.*) Anno 844 mortuo Gregorio Sergius papa succedit, et 3 annos administrato sacerdotio Leoni IV dereliquit, et post annos. . . . successit Benedictus III annis 2, et Nicolaus I. Qui exactis in sacerdotio 10 annis Adriano cathedram reliquit anno ab inc. Dom. 868.

(*Chron. Div.*) Lotharius igitur major natu optinens imperium, contentus fuit ea parte regni quam supra diximus, cum urbe Roma et Italia. Indictio 15 fuit annus Lotharii imperatoris in Italia 55, in Francia 13. [Ado.] Habuit filium Ludovicum qui in vita patris Romæ a Sergio papa coronatus et imperator appellatus est. [Bert.] Regebat tunc Virdunensem æcclesiam præfatus domnus Hildinus episcopus, vir per omnia laudabilis. Sed hic post bellum in Fontanido actum magno odio habitus a Lothario imperatore, anno ab inc. Dom. 851 obiit in ista civitate cum magno dolore et tristitia Idus Januarii, exactis in episcopatu 24 annis, et sepultus in cripta sancti Vitoni. Post cujus excessum ordinatus est in ipsa æcclesia donnus Hatto, et pro prædicto imperatoris odio invenit tunicam sanctæ Mariæ per multa scissam et disruptam, id est res præfatæ æcclesiæ nimium subtractas et alienatas. Pro quarum alienatione et suorum afflictione toto nisu erexit se contra inimicos æcclesiæ, donec miserante Deo ad pristinum statum omnia reduceret et redintegraret. Insuper etiam optinuit apud Lotharium juniorem regem villas et prædia quamplurima, ut demonstrat cartarum notitia. Erat enim intentio ejus et labor nimius, ut æcclesia sibi commissa exaltaretur et pace frueretur. Quod et fecit diebus vitæ Lotharii junioris. Hic accepit partem reliquiarum sanctorum confessorum pariterque pontificum Mauri, Salvini, Aratoris, quorum corpora sancto Agerico revelata, et ab eodem fuerant honorabiliter et sanctissime ordinata in eadem æcclesia ubi primo fuerant tumulata, sancti Petri apostoli nomine consecrata, sed a domno Hildino in nova sancti Medardi æcclesia erant translata, et reposuit in monasterio quod Theolegium dicitur, æcclesiæ suæ subjectum. Brachium vero sancti Mauri in æcclesia quam ipse in castello novo, quod nunc Hattonis castrum ab auctoris nomine vocatur (64), construxerat, sub altari recondidit ad salutem et præsidium posterorum. (Fol. 62'.) Lothario ergo juniore rege filio Lotharii diem obeunte anno ab inc. Dom. 874 in mense Augusto, etiam iste obiit Kalend. Januarii, et est sepultus in basilica sancti Vitoni, in cripta juxta corpus domni Hildini episcopi, exactis in episcopatu 23 annis. [Bert. 18.] Ipse etiam inchoavit novam

VARIÆ LECTIONES.

[251] *corrige* DCCCXLI.

NOTÆ.

(64) Hattonchatel a dextra Mosæ haud procul ab oppido S. Mihel.

ecclesiam sanctæ Mariæ, et magna ex parte construxit.

Eo tempore præsidebat Metensi æcclesiæ Adventius pontifex, Virdunensi Hatto, Lugdunensi Remigius. Hic Adoni Viennensi episcopo, Romanæ ecclesiæ vicario, et Nicholao papæ pro eisdem episcopis Treverensi et Coloniensi (65) depositis litteras misit. Clerus quoque Coloniensis eidem itidem misit litteras, quæ habentur in catalogo. Sed cum a multis perlaborarctur diverso modo tum timore regis tum amore illorum, nullatenus persuaderi papa potuit, ut restaurarentur. Defuncto autem beato Nicholao cum imperante Ludovico successisset Adrianus, et litteras misisset Galliarum episcopis, ut non alios ordinarent episcopos nisi quibus præfatus imperator episcopatum concederet, et ordinari mandaret, non consenserunt venerabiles episcopi, sed pariter congregati litteris factis communiter suggesserunt papæ, se decreta sanctorum patrum fideliter observare velle et secundum scita canonum episcopos consecraturos; quarum textus in catalogo sacrarum scripturarum habetur. (Fol. 62b.) Scripsit et aliam epistolam Gerardo duci et Rofrido comiti et omnibus Galliarum comitibus, ut nullius hominis favore vel gratia permitterent alios viros ecclesiastici ordinis in episcopiis totius Galliæ et Burgundiæ consecrare episcopos, nisi quos Ludovicus imperator juberet, cui satis luculenter et honeste obviaverunt præfati venerabiles Galliarum episcopi, litteras illas per verba singula discutientes, et quod sanctorum patrum decretis consona non essent humiliter suggerentes, inque hujus responsionis extremitate epistolam papæ Nicholai prædecessoris sui interserentes, quam ad quendam episcopum Galliæ misit, inter cetera de ordinibus sacris pie et lucidissime exprimens in hæc verba : *Illud autem, frater karissime, ridiculosum sonuit, quod apicum tuorum gerulum nobis commendans, hunc presbyterum esse Gerardi illustris comitis perhibuisti. Verum quid hoc scribens prudentia tua dicere voluerit, vel quid super hujuscemodi verbo intellexeris, fateor, nos ignoramus. Numquid Gerardus comes illum presbiterum consecravit? Numquid de ipsius est diocesi? Ubi hoc legisti? Ubi hoc didicisti? Nisi quia presbiteri non specialiter ecclesiæ civitatis aut ecclesiæ possessionis, aut martirii aut monasterii secundum sacras Scripturas ordinantur, set in domibus laicorum constituuntur, et cum secularibus adeo conversantur, ut jam non Dei nec ecclesiæ cujuslibet, sed illius comitis et illius ducis esse dicantur; ita ut impletum sit quod per prophetam dicitur : « Et erit sicut populus, sic sacerdos (Ose. IV, 9). » Quod fortasse unum est eorum. Quæ cum in nomine Domini conve-*

A *nerimus unanimiter in id ipsum, oportebit decentius emendari et tamquam venenatum elleborom amputari,* Et post pauca hoc addiderunt : *Quid putamus, si beatissimus papa Nicolaus in diebus suis audisset, et in litteris quasi ab apostolica sede confictis, quod layci comites non permitterent in civitatibus episcopos ordinari, nisi quos secularis potestas e latere suo misisset. Quid inde scriberet? Quo dolore moveretur? Quosve gemitus daret, cum perspiceret sacratissimum ordinem tam illicite tractari et ad tantum nefas prosilire quemquam ausum, ut de sede apostolica tam inconvenientia et extra usum æcclesiasticum omnino scriberet.* Tales tunc in Gallia erant episcopi.

[Regino.] Anno ab inc Dom. 855 Lotharius divisit imperium filiis suis, Ludovico Italiam, quem B et imperatorem appellavit; Lothario regnum quod suo nomine vocabatur, et Carolo regnum Provinciæ, atque dispositis regni negotiis, in monasterio quod Prumia dicitur monachus factus, diem clausit ultimum ipso anno 3 Kal. Octobris.

Anno 856 indict. 4 Lotharius Teutbergam duxit uxorem.

Anno 858 Karolus rex Provinciæ moritur, et de regno ejus inter Lotharium et patruum ejus Karolum filium Ludovici facta est contentio, et Lotharius Hucberto ducatum dedit inter Jurum et montem Jovis, quia sororem ejus habebat.

(Fol. 62.) Anno ab inc. Dom. 860 Britones Franciam invadunt, contra quos Carolus pugnavit, et Brittanniam intrans, turpiter victus aufugit.

C Anno ab inc. Dom. 862 rex Brittonum nutu Dei percussus est, et anno sequenti Brittones ei subduntur.

Anno ab inc. Dom. 866 Rollo Normanniam intravit, et postmodum baptizatus Robertus in baptismate dictus est.

(Fol. 62r.) Anno 868, ind. 1, Lotharii regis tempore facta est in terra Francorum et Galliæ et Burgundiæ fames valida, et mortalitas hominum, et pestis animalium (cf. *An. S. Columbæ*). Quæ sic justo Dei judicio in populum desevit, ut multi patriam deserere et ad terras alias cogerentur demigrare, adeo ut multæ urbes Franciæ raro incolerentur habitatore.

(Fol. 62b.) Anno ab inc. Dom. 864 translatum est D corpus sanctæ Reginæ virginis et martiris de Alesia civitate apud Flaviniacum castrum seu cenobium, præsidente loco eidem, cujus erat juris civitas præfata, Aigilo abbate, postmodum Senonum archiepiscopo, regnante Carolo Calvo. Hic est Aigil abbas Flaviniacensis, qui cellam Corbiniaci instituit, et duodecim ibidem monachos posuit (66), annis ex quo Flaviniacensis æcclesia ipsum Corbiniacum

NOTÆ.

(65) Cf. Annales Hincmari, Fuldenses et Reginonem.

(66) Probatur ipsa constitutionis tabula apud Mabillon Act. SS. Sæc. IV, 2, p. 240, scripta anno 864 sequenti die post humationem corporis S. Reginæ martyris XI Kal. April. In eodem enim loco in Avalinse seu Nivernense comitatu apud Ammondas sito Manassis abbas, ut testatur tabula, monasterium construere volebat. Reginæ translationem descripsit auctor anonymus apud Mabillon l. l. Eidem Eigilo Isaac episcopus Lingonensis altaria nonnulla in quibusdam pagi Attoriensis ecclesiis die Sabbati men-

optinuit ducentis quinquaginta octo. (fol. 62b.) Post Vigilium a. 839, ind. 2, Adrevaldus successit, et Marianus a. 1 Caroli viguit. Vulfaldus in a. 8, Warinus comes (67) et sub eo Sarulsus decanus in a. 10, Gotserus in a. 15 obierunt; Hugo successit. Sanctus Ezgil in a. 24, ind. 11 a. 857 transtulit corpus sanctæ Reginæ. Geylo successit in a. 26 ab inc. Dom. 866 in episcopatum Linguonensem promotus, et ei Sigardus a. 870, 30 Karoli successit; inde Wilfridus Ludovici II imperatoris sororius a. 880 (68) ind. 13, anno Karlomanni principis secundo consecrationem ecclesiæ Flaviniacensis a Johanne papa et 18 episcopis facere optinuit, et in anno eodem 880, ind. 13, cartam inter abbatem et vasallos ejus et monacos fecit (69). Adalgarius abbatiam a Carolo Simplice (70) optinuit, et quia res ecclesiæ pervasit, Romam evocatus, Trenorcii obiit a 893 (71). Est etiam Walo episcopus a Silvestro papa excommunicatus propter invasionem ejusdem ecclesiæ, sicut in litteris Aquini ante Walonem electi episcopi invenitur. Anno 856, Adalgarius episcopus fit: præfuit a. 33, [Regino.] In quo spatio imperium per multos divisum et scissum est. Boso regnum Provinciæ, Wido imperium, Odo Franciæ regnum sub Carolo Simplice, Rodulfus Jurense, Carolus junior imperium. Anno translationis sanctæ Reginæ primo obiit Salocho Dolensis episcopus Flaviniacensis monachus, cujus corpus post 200 annos incorruptum repertum est.

(*Chron. Div.*) Post Lotharium igitur junorem Karolus frater (72) ejus cognomento Calvus, rex Franciæ imperium adeptus est, sed Ludovicus Italiæ rex alter frater monarchiam regni cupiens invadere iterum contra Karolum bellum excitat, et Normannos aliasque gentes contra eum evocat, quas Karolus superat, et fratrem de finibus suis expulsat.

(*Leg.* I, 534.) Anno 876 concilium habuit Karolus in Ticinensi palatio, cui interfuit Berhardus Virdunensis episcopus. Dampnati et depositi sunt Edatius. . . ricensis, Agelmarus Arvernensis, . . . nius Linguonensis (73). Hic dedit privilegium ecclesiæ Flaviniacensi. Sub Nicholao I papa habita est cum quinque patriarchis synodus octava 150 patrum apud Constantinopolim, Basilio Magno imperatore petente et præsente.

(*Chron. Div.*) Imperator ergo Karolus cognomento Calvus anno dom. inc. 877, ind. 11 vita functus est pridie Nonas Octobris, et Hermentrudis regina in finibus Lugdunensium, et sepultus Nantoade in monasterio sanctorum Petri et Pauli; sed monitione angelica translatus Parisius ad Sanctum Dionysium regaliter tumulatur. Successit patri Ludovicus, qui regnavit 4 annis; et ei successit Ludovicus Karoli nepos, vix biennio regio nomine functus. Hic tanta cede Danos perdomuit, ut vix superesset qui renuntiare potuisset. Adriano papæ Joannes VIII successit anno Dom. 870. Hic ad Ludovicum venit in Franciam, et cum eo loquutus est. Hic Ludovicus 2 anno regni obiit 882. Karolus, qui Simplex dictus est, in cunis orbatus patre remansit. Ob id Franci anno 888, indict. 6, Odonem, Roberti Andegavorum comitis filium, quia Normanni imminebant, tutorem regni et pueri elegerunt, et licet reluctantem, sub Karolo constituerunt regem. Hic quoad vixit hostes fortiter pressit, et Karolo, postquam adolevit, patienter sua regna restituit, a quo et parte regni donatus est. Remigius Lugdunensis 49 episcopus, et Ado Viennensis miserunt literas præfato papæ Johanni pro simonia et quia per manum laicam quilibet indigni ad episcopatum promovebantur, (*Cat. pont.*) Huic Johanni anno Christi 880 Marinus successit, et Adrianus sedit anno 1. Successit [255] et ei Stephanus a. 885, ind. 3. Hic propter temeritatem Frotharii Burdigalensis episcopi litteris missis Aureliano [256] Lugdunensi archiepiscopo præcepit ut, sumpto uno vel duobus ex eadem provincia episcopis, ad eandem ecclesiam [257] euntes pontificem consecrarent; si ex episcopis provinciæ jam dictæ ne-

VARIÆ LECTIONES.

[255] *deest c.* [256] relia *suppletum.* [257]. . . . . m. *c.*

NOTÆ.

sis Oct. a. 865, anno regni Caroli 25 (mense Octobri, a. 865, jam currebat a. regni 26) contulit. Ibid., K.

(67) Regnante Warino illustri comite Carolus Calvus monasterii Flaviniacensis immunitatem confirmavit VII Kal. Jul., a. regni 10, ind. 12. Oseni villæ. Bouq. VIII, 500. K.

(68) Joannem VIII papam anno 878 in Gallia commoratum esse constat. Ipse in epist. 97, Mansi t. XVII, p. 84, scribit: *Aduvardum presbyterum qui nobis in monasterio Flaviniaco ministravit, cujus homines scutellam argenteam sancti Petri, nescio utrum consensu illius annon, furati sunt, pro sacrilegio furti excommunicamus.* K.

(69) Signa chronologica Hugo minus accurate reddidisse videtur. Exstant litteræ Joannis VIII papæ datæ IV Kal. Jun., ind. 10, imperante domno Carolo a. 2, quibus Flaviniacum Adalgario Eduensi episcopo et successoribus ejus in perpetuum concedi-

tur et fratrum bona confirmantur. Mansi. K.

(70) Imo Calvo, ut litteræ docent Caroli imperatoris datæ VII Kal. Mart., ind. 10, anno regni 37, et anno imperii 26 (anno 877). Bouquet t. VIII, p. 657 confirmatur in synodo Ravennatica VI Kal. Dec. 877. Plancher. t. I, pr. p. 11. K.

(71) Adalgarium anno 895 adhuc inter vivos fuisse probaret donatio quædam Ardradi data IV Non. Februar., a. regni 3 Caroli Simplicis; Labbe I, 271, nisi in actis synodi Cabillonensis (Mansi t. XVII, p. 310) legeretur, Kal. Mai., a. 897, ind. 12 convenisse episcopos quæstionem instituturos in Gisfridum monachum Flaviniacensem, qui quod Adalgarium veneno sustulisset accusabatur. K.

(72) Patruus.

(73) Achardus episcopus tabula data VI Id. April. regnante Lothario rege, ann. 12 (867) Flaviniaco altare S. Martini in Chidiviaco villa cedi jussit. Labbe I, 270, K. — Sed nomen hoc, æque ac sedes Edacii, latet.

minem possent habere, ipsi fisi sua auctoritate episcopum consecrarent. Stephano successit Formosus qui Silvester II. Hic Augrimum [258] Linguonensem restauravit, qui defuncto Aureliano [259] Lugdunensi in loco ejus substitutus. Formosus vices suas Barnoino Viennensi commisit [260], qui fuit frater Bosonis regis. (*Ser. abb. Fl.*) Formosus papa Walonem Eduensem episcopatum sibi vendicantem excommunicavit, quoniam ordinator archiepiscopus Lugdunensis a Stephano papa depositus, set a Formoso restauratus, suum non haberet pallium nec restitutam sibi dignitatem; qui posset episcopum consecrare? et cum contradiceret consecrationem Teutboldus episcopus ex parte papæ. Excommunicatus est autem propter ecclesiam sancti Petri Flaviniacensis quam invaserat. Excommunicatus est et Richardus dux, et Manasses et Ingelbertus pro invasione æcclesiarum et maxime Eduensium usque ad satisfactionem. Invenitur hoc in litteris Aquini ante Walonem petiti et electi Eduensis episcopi. Et Tedaldus 16 Kal. Septembris dom. inc. 856 anno, ind. 4; cui successit Isaac 880 ind. 13; et ei Geylo successit de abbatia Flaviniacensi promotus in episcopum Linguonensem anno dom. inc. 880 ind 13 [261], et ei Teutbaldus [262], et ei Augrimus. Warnerus obiit 908. Anno 879, ind. 12, suscepit regnum Provinciæ ad Viennam Boso Idibus Octobris, post. . . lum; cui successit Ludovicus filius ejus 891, adhuc juvenis, auctoritate papæ Stephani sub tutoribus Richardo duce et regina.

(*Chron. Div.*) In partibus igitur Bavariæ et Saxoniæ et Italiæ imperatoris Ludovici Pii filius Ludovicus, et Lotharius Lotharii imperatoris filius tenebant. Post obitum eorum filii ipsius Ludovici regnaverunt. Nam Lotharius junior rex obiit sine filiis. [Bert.] Ludovici igitur tempore anno ab inc. Dom. 875, ind. 8, post excessum domni Hattonis domnus et sanctissimus vir Berhardus acclamatione cleri et populi factus est episcopus Virdunensis, cujus intentio et studium sanctissimum fuit inceptam basilicam ad perfectum usque perducere. Quod et fecit Deo miserante. Signa grandia et honorabilia et minora valde bona ibi esse constituit, pontificalia vestimenta, et ornamenta æcclesiastica quamplurima, et feretrum ubi sunt reliquiæ sanctorum æcclesiæ suæ contulit. Canonicos suos canonice vivere fecit, villanis presbyteris viam justitiæ viriliter ostendit, et pueros in divinis et humanis libris per se et per alios cum summa caritate instruxit. Obiit in Theolegio monasterio, ubi et corpus ejus conditum est pridie Kalend. Januarias. (*Chron. Div.*) Fuit in episcopatu decem annis. Obiit igitur Ludovicus justus et sanctus imperator Lotharii imperatoris senioris filius et frater junioris Lotharii 4 Idus Aprilis anno ab inc. Dom. 878. Karlomannus filius ejus successit, cujus fuere fratres Ludovicus et Karolus; regnavit annis 5; obiit Non. Decembris anno 884, quo anno Normanni Burgundiam invaserunt. [Regino.] Karolus, cognomento Calvus, obitu fratris audito, Italiam intravit, sed a Karlommanno nepote territus fugit, et eodem anno, ut prædiximus, vita decessit. (fol. 63.) Karlomannus obiit Nonis Decembris anno 884, et sequenti Karolus imperator efficitur, et hoc post annum unum defuncto, alius Karolus Simplex imperium assumpsit, qui regnavit 29 annis. Ludovicus autem Karlomanni frater rex Saxonum constitutus, adhuc eodem fratre vivente Bavariam intravit. (*Chron. Div.*) Anno ab inc. Dom. 881, Non. Aug. pugnavit Ludovicus filius Ludovici regis contra paganos et contrivit [263] eos; regnavit autem ann. 3. [Regino.] His duobus fratribus, Ludovico scilicet et Karlomanno, intra quinquennium defunctis, ad juniorem Karolum rerum summa pervenit, qui consecratus est a Johanne papa imperator. (*Chron. Div.*) Annus 885, indictione 4, annus fuit imperatoris Karoli in Italia 5, in orientali Francia 4, in Gallia 1. [Bert.] Temporibus igitur Ludovici Germanici regis Dado suscepit episcopatum Virdunicæ urbis, anno ab inc. Dom. 885, cum quo optinuit plurima. Quo mortuo Karolus, ut diximus, monarchiam adeptus est. Dado episcopus Virdunensis ante episcopatum præfuit abbatiæ sancti Vitoni, quam etiam sumpto episcopatu non omisit; qui adquisivit ecclesiæ illi plurima, cujus ecclesiæ canonicus Bertharius in ejusdem ecclesiæ requiescit cimiterio. Anno inc. verbi 887, Normanni pagani Flaviniacum castrum seu cœnobium ingressi, occiderunt monachos cum famulis 8 [264] numero, et manserunt dies 14 [265], a 3 Idus Januarii usque 8 Kal. Februarii.

[Bert. *præf.*] In diebus igitur pontificatus domni Dadonis, cum ejus bono studio et inclita fama per 35 annos multa æcclesiæ sibi commissæ provenerint prospera, cum 36 anno principalis æcclesia peccatis exigentibus igne consumpta, libri et memoriæ sanctorum patrum maxima ex parte eidem essent traditæ, Bertharius presbyter, ne sanctorum patrum Virdunensium pontificum sacrosancta memoria et venerabile studium et operatio sancta penitus oblivioni traderetur, quæ de sanctis eorum actibus legerat, breviato sermone comprehendit, præsentibus gratum, posteris utile. (*Chron. Div.*) Karolus ergo Italiæ et Saxoniæ adeptus imperium, postquam Normannos, qui Parisius 7 annorum obsidione attriverant, sibi subdidit, obiit anno ab inc. Dom. 888, ind. 6, pridie Nonas Octobris, anno imperii sui 4. [Regino.] Post quem accepit Arnulfus nepos illius regnum anno ab inc. Dom. 888, ind. 6, eodem scilicet anno, filius Karlomanni filii Ludovici imperatoris justi et sancti.

(*Chron. Div.*) Iterum in Francorum regno Nor-

VARIÆ LECTIONES.

[258] Augr. *supplevi ex Serie abbatum.* [259] *ita ex Serie restitui*; reparavit *in c. tegi videtur.* [260] ommisit *deletum.* [261] *numerus excidit.* [262] Teut *excidit.* [263] *ita suppleo.* [264] V : : : *c.* [265] *ita suppleo; in codice nonnisi* V *apparere videtur.*

manni insurgunt, et anno ab inc. Dom. 891, indict. A 9, Gallias, Hispanias, Italiam, Franciam et totum christianorum vastant regnum. Civitates Parisius, Belvacus, Carnotis et Meldis et reliquæ non secus undique civitates diripiuntur, vastantur et evertuntur, corpora sanctorum infra muros recipiuntur timore hostium. Corpus sancti Benigni, Divionensis ecclesiæ patroni, Linguonis fertur. Sanctus Sanctinus Meldis in ecclesia majore positus a Virdunensibus maximo pretio Virduni relatus jam erat superioris fugæ [266] tempore, a. 866. Normanni Galllias pervagantur, Hispanias, adeunt, Rodanum intrant fluvium, Italiam populantur, et totum christianorum pessundatur regnum. Interea congregati Franciæ principes concilium de magnis rebus ineunt, et, ut prædiximus, Odonem licet reluctantem sub Carolo constituunt regem. (*Ann. Vedast.*) Indict. 10, fuit annus primus imperii Widonis augusti, qui per Galonem Linguonensem episcopum constitutus rex, cum audisset Odonem regem factum, cum Berengario rege Italiæ multa bella gessit, et victor reveniens imperator creatus est. Eodem anno apud [267] Tullum et circa Alpes ultra Jurum Rodulfus rex factus est 92 anno. (*Chron. Div.*) Anno igitur ab inc. Dom. 893, ind. 11, Odone regnante in Francia, Arnulfo in Italia et Saxonia, Karolus jam juvenis Francorum repetit sceptra, et memoratus Arnulfus imperii invasit monarchiam, Romam cum assensu Formosi papæ capiens, a quo in imperatorem promotus est. [Regino.] Tunc primum a Francorum regibus ad extraneos translatum est imperium, principibus regni parvipendentibus Karolum ob tardum mentis ingenium. (*Chron. Div.*) Zendebolcus in præsentia patris sui Odonis regis rex ab Arnulfo constitutus, cui Arnulfus regnum Lotharii dedit, et postea filius ejus occiditur, et ipse obiit anno 901. (*Ann. Vedast.*) Odone ergo anno regni sui 12, ab inc. Dom. 899 defuncto, reciprocate Normanorum et Danorum emergunt fluctus; Ungari ab aquilone, Saraceni a meridie et finibus Hispaniæ prorumpentes in interitum confligunt Galliæ (*Chron. Div.*). Per omnia sevit gladius, cuncta dantur incendio, sanctorum loca traduntur exterminio. (fol. 65'.) Eo anno Burgundia vastata est a Normannis; quibus occurrens Richardus dux justitiarius bello eos fudit, D et retro redire coegit. Iterum apud Carnotum socio Roberto duce, Odonis regis fratre, idem Richardus cum Normannis dimicavit, et immanem eorum multitudinem occidit. Habuit tres filios, Rodulfum, qui fuit rex Francorum, Bosonem, qui Galliæ superioris quæ Comata dicitur, id est Burgundiæ, accepit regnum, tertium Hugonem Capito, qui fuit dux inferioris Burgundiæ.

[Regino.] Anno ab inc. Dom. 904, fuit bellum inter Conradum ducem et Adalbertum, in quo Conradus cecidit, et anno sequenti Adalbertus capite plectitur. (*Cat. pont.*) Formoso successerunt Bonifacius, Stephanus, Theodorus, Johannes IX.

Anno 910, constructio monasterii Cluniacensis, et 918 obiit Willelmus dux constructor illius.

(*Ser. abb. Fl.*) Anno 913, Walo Eduensis episcopus obiit, qui præfuit annis 20 sub Carolo Simplice; et Herveus successit.

[Flod.] Anno 919, cecidit Remis grando mirabilis ovum gallinæ superans magnitudine, latitudine medium palmæ. Anno sequenti mel in spicis inventum est et flores in arboribus maturis jam frugibus.

Anno ab inc. Dom. 917, Rodulfus rex constitutus est, et 21 regni sui anno ab Ungris id est Sarracenis interfectus est, et Ebbo dux castri Dolen- B sis; et invasit regnum Hugo dux, capiens in vinculis Karolum Rodulfi filium; et regnavit usque ad annum dom. inc. 981.

Eodem etiam anno qui erat ab inc. Dom. 920. obiit Rollo Normannorum princeps, et Willelmus filius ejus successit, qui dolo occisus est anno 943, et Richardus filius ejus successit.

(*Chron. Div.*) Exorta ergo discordia inter Carorolum et regni principes, fiunt lites et bella, rapinæ et incendia, et innumera undique seviunt mala. Tandem rex facti penitens principes ad concordiam commovet, pacemque exoptatam cum eis firmat. Richardus igitur, qui ab exequutione justitiæ cognomen acceperat, quamdiu vixit, Carolo regi semper C fidelis extitit; quo mortuo anno 922, Odone quoque rege defuncto, Kalend Januarii prædictus Robertus frater ejus sperans et cupiens eam partem regni, quam ipse tenuerat, quia ei a Carolo Simplice, qui totius regni erat dominus, non reddebatur, palam invasit tyrannidem, et a quibusdam episcopis diademate regio coronari et sceptro regni insigniri partim blandiciis, partim minis extorsit, sed nequaquam hujus præsumptionis letos exitus habuit.

[Regino.] Anno ab inc. Dom. 900 Arnulfus imperator obiit, et Ludovicus filius ejus successit. Hic duodecim annis administrato imperio obiit, et Conrado filio Conradi ducis regni sceptra reliquit anno ab inc. Dom. 911. Hic etiam regnavit annis novem, et Heinricus primus successit magnus imperator anno 920. [Flod.] Eo anno inter Hilduinum episcopum et Richarium abbatem de episcopatu Tungrensi habita est contentio, siquidem rex illum episcopatum Richario dedit, quia Hilduinus, cui illud prius dederat, a se descivit. Herimannus vero Coloniensis archiepiscopus, eligente clero et favente populo, necnon et Gisleberto, quem plurimi Lotharienses relicto Carolo principem ordinaverant, Hilduinum ibi ordinavit episcopum, cum Carolus ipsum episcopatum, etiam Lothariensibus jam ad se reversis cum Gisleberto duce, Richario abbati consentiret, quamobrem utrique Romam profecti sunt.

VARIÆ LECTIONES.

[266] f . : : : *e.* [267] apud *deletum.*

Anno 921, habita est synodus apud Trosleium, cui præsedit Heriveus Remorum archiepiscopus, ubi et Carolus interfuit ; qui inde digressus in regnum Lotharii abiit, et facta pactione cum Heinrico principe Transrenensi Laudunum rediit, postmodum vero pacem cum eo firmavit. Normanni fidem Christi susceperunt cogente Roberto comite; hoc etiam anno Richardus justitiarius obiit.

[Flod.] Anno sequenti regnum Lothariense ob persequutionem Gisleberti et Ottonis rapinis, sacrilegiis, incendiis, etiam tempore quadragesimæ, vastatur. Richarius, qui Romam profectus fuerat propter episcopium Tungrense, reversus est ordinatus a Johanne papa IX episcopus , Hilduino ab ipso papa excommunicato. Drogo Tullensis episcopus obiit ; Gauzlinus successit, qui etiam ordinatus est 16 Kal. Aprilis. (fol. 64.) Quo etiam anno consecratus in regem Robertus, ut prædiximus, palam invasit tyrannidem. Heriveus Remorum archiepiscopus die tertia post consecrationem Roberti obiit sexto Nonas Julii, antequam 22 sui episcopatus expleret annum ; cui successit Seulfus tunc archidiaconus. Robertus filiam suum Hugonem in regnum Lotharii mittit. Qui acceptis obsidibus a quibusdam Lothariensibus, ad patrem remeavit. Obsederat enim Karolus Capræmortem castrum Gisleberti, ad quod liberandum prædictus Hugo missus est, quo comperto, Karolus obsidionem reliquit.

Anno inc. Dom. 922, apud Cameracum visi sunt tres soles in celo quasi apparere, vel sol tres orbes a se invicem distantes habere, duo quoque spicula et duo stipites visi sunt sibi propinquantes donec sunt cooperti ; et terremotus factus.

(*Cat. pont.*) Johanni VIIII papæ successerunt Benedictus, Leo, Christoforus, Sergius, Anastasius, Lando, Johannes X.

[Flod.] Anno ab inc. Dom. 923, indictione 11, Robertus profectus in regnum Lothariense cum Heinrico pactum iniit, et datis utrimque muneribus discessum est; ubi etiam quidam Lothariensium obsides Roberto dederunt, et inducias acceperunt. Carolus vero cum suis Lothariensibus inducias confringentibus Mosam transiens, sub urbe Suessionica, ubi Robertum sedere compererat abiit, et in crastinum die dominica, hora sexta jam præterita, Francis prœlium non sperantibus, plurimis quoque prandentibus, Axonam transiit, et super Robertum irruit. At ille armatis eis quos secum habebat, contra processit, commissoque prælio multis utrimque cadentibus, Robertus quoque lanceis perfossus procubuit. Hi tamen qui erant cum Roberto, Hugo scilicet filius ejus, et Heribertus comes Vermandensis, cum cæteris victoria potiti, Carolum cum Lothariensibus in fugam vertunt ; sed ob mortem regis sui persequi destiterunt, campum obtinuerunt; spolia a rusticanis direpta sunt. Lotharienses relicto intra regnum Franciæ Carolo, revertuntur ad sua, qui multis legationibus Herbertum comitem et Seulfum archiepiscopum, ut ad sua revertantur exorat. (*Chron. Div.*) Quod illi renuentes, pro Rodulfo Richardi justitiarii filio in Burgundiam transmiserunt, qui ocyus cum multa suorum manu illis occurrit, et Carolo trans Mosam refugiente, ipse rex apud urbem Suessionicam constitutus est, et Boso frater ejus rex Galliæ superioris quæ Comata dicitur constitutus est, id est Burgundiæ superioris, et Hugo Capito dux Burgundiæ inferioris. Socii vero defectionis interitu Roberti nequaquam territi, perfidiæ suæ non deseruere contumaciam, quam potius Herbertus infando scelere traditionis dominum suum regemque totius Franciæ Carolum dolo captum vinculisque irretitum, Parronam duxit tenebroso carceris domicilio recludendum. Et quia regni status sine principe agebatur in incertum, maxime cum Hugoni Roberti filio, qui post probis actibus Magni nomen promeruit, puerilis obsisteret ætas quominus regias assumeret infulas , et Herberti cunctos moveret odium, maxime quos humanitatis respectu ad misericordiam ærumnæ principis permovebat, tandem, ut præfati sumus, Rodulfus regendæ præficitur Franciæ, et sic regnum Francorum ad extraneum transfertur. Qui adeptus regni solium, et in malefactoribus fuit ultor severus, et in coercendis hostibus regnoque tuendo sagacissimus. Ejus in diebus Danorum et Normannorum iterum adveniunt phalanges, et non solum Franciam, sed et totam percurrere Burgundiam. Contra quos Rodulfus sumptis armis ita protervos eorum compescuit impetus, ut usque nunc Gallias ab eorum incursione faciat manere quietas. Tunc delatum est corpus sancti Benigni martyris infra muros castri Divionensis, et ibi servatum in ecclesia sancti Vincentii. [Flod.] Illis itaque rebus intentus Rodulfus legatos habuit Lothariensium se et sua illi subdentium. (fol. 64.) Juxta Mosomum ergo obviantibus illi Lothariensibus, suscipiuntur a Wigerio Mettensium præsule, et uxor ejus Emma regis Roberti filia, interim a Seulfo consecratur regina. Rodulfus a Lothariensibus quibusdam obsidibus acceptis revertitur. Eo anno Dado Virdunensium episcopus obiit exactis in episcopatu 38 annis, et inter sepulcra prædecessorum suorum episcoporum in ecclesia sancti Vitoni condignam sepulturam meruit. Episcopatus Virdunensis Hugoni a Rodulfo rege conceditur, quique post hæc Remis a Seulfo archiepiscopo consecratur.

Anno 924. indictione 12, Hungari ductu regis Berengarii, quem Langobardi repulerant, Italiam depopulantur, Papiam quoque urbem populosissimam et opulentissimam igne succendunt, ubi opes periere innumeræ, ecclesiæ quadraginta quatuor igne succensæ, urbis ipsius episcopus cum Vercellense, qui secum erat, igne fumoque necatus est, atque ex illa pene innumerabili multitudine ducenti tantum superfuisse memorantur, qui ex reliquiis urbis incensæ, quas inter cineres legerant, modios octo dederunt Hungaris, vitam et muros civitatis vacuæ redimentes. Quibus expletis, per abrupta gradientes

ad Alpium juga perveniunt. Rodulfus vero Cisalpinæ Galliæ rex, et Hugo rex Viennensis inter angustias collium Alpinorum eos concluserunt, unde inopinato loco per devia evadentes, Gothiam impetunt. Quos sequuti prædicti duces, sternunt quos invenerunt. Interea Berengarius a suis perimitur, Normanni cum Francis pactum ineunt, data pacto pacis terra Cynemannensi et Bajocensi, Hungari vero sese et capitum inflatione ac dysenteria cuncti pæne interierunt

Anno sequenti Seulfus obiit Remorum archiepiscopus, exactis in episcopatu annis tribus, diebus quinque. Rollo Normannorum Rotomagensium princeps Francia deprædata pacem fregit, contra quem Franci castrum Augum capiunt.

Heinrico quoque cuncti se Lotharienses committunt, et ipse Bernuino Dadonis episcopi nepoti episcopatum Virdunensem concedit, qui et expulso Hugone, cui Rodulfus illud dederat, ibidem ordinatur episcopus anno 925, indictione 13. Abhinc Virdunum et aliæ civitates a regno Francorum defecerunt. Hugo vero presbyter Virduno pulsus, anno sequenti mortuus est; quo etiam anno timore Hungarorum corpus sancti Remigii et aliorum pignora sanctorum Remis delata sunt. Hugo filius Bertæ rex Italiæ constituitur, expulso Cisalpinæ Galliæ rege Rodulfo regni invasore, qui ante quadriennium electus ab eis fuerat abjecto rege Berengario. Annus 928, indictione prima annus primus regis Hugonis ipsius exstitit. Hugo quoque Magnus, Roberti regis filius, filiam Eduardi regis Anglorum, sororem conjugis Caroli, duxit uxorem.

Anno 927, pestis quasi febris et tussis mixta mortalitate in cunctas Germaniæ Galliæque gentes grassatur, qua percussus Widricus Mettensis antistes defungitur, et evocati ad colloquium Heinrici trans Rhenum Herbertus comes et Hugo Magnus Roberti filius, pace firmata, muneribus Heinricum honorant, et honorantur ab illo. Ibi Heinricus contempta electione civium, episcopium Mettensis urbis cuidam servo Dei, ut ferebatur, dedit cognomento Bennoni. Herbertus Carolum de custodia ejecit, secumque usque ad Sanctum Quintinum deduxit. Mettis et per Galliam timore Hungarorum fugæ agitantur, scilicet per Franciam et Lotharingiam. (fol. 65.) Anno sequenti Rodulfus audita restitutione Caroli cum hostili manu de Burgundia in Franciam venit prædando et loca quædam incendendo; cui Hugo Roberti filius obviam ire parat, et venientes super Isaram inter Rodulfum regem et Herbertum comitem sequester et medius fuit. Herbertus vero datis obsidibus usque ad denominatum placitum Remis cum Carolo venit, indeque litteras Johannis papæ mittit de restitutione et honore Caroli, ut sibi sub interminatione excommunicationis præceperat. Reversus autem missus nunciavit ipsum papam Johannem a Widone fratre Hugonis regis propter simultates quasdam inter eos exortas retrusum fuisse in carcerem. [Flod.] Post hæc Herbertus se Rodulfo commendat, reducto iterum sub custodia Carolo, et cum illo proficiscitur obviam Hugoni regi Italiæ. Benno Mettensis episcopus insidiis appetitus, eviratus et luminibus privatus est. Rodulfus autem rex missis nuntiis pacem fecit cum Carolo, reddens illi Attiniacum, et muneribus honorans illum.

Anno 929, Johannes papa X in custodia defungitur. Succedit Johannes XI. Carolus quoque apud Paronnam obiit, qui animam, non corpus custodia exemit. (*Chron. Div.*) Hic dum viveret, Simplex dictus est ob benignitatem animi, nunc sanctus recte potest vocari, quoniam injuste ab infidelibus suis et perjuris longo carceris squalore afflictus, transmissus est vitæ perpetuæ. Hic reliquit filium Ludovicum Ultramarinum ex Eadgiva Anglorum regis filia susceptum, qui metuens involvi calamitatis patriæ procellis, ad Anglos Saxones maternæ affinitatis gratia se contulit. Herbertus et Hugo comites contra Bosonem, Rodulfi regis fratrem, proficiscuntur, quamobrem Boso Heinrico pacem jurare compellitur. Adalbero Mettensem episcopatum adipiscitur, Bennoni abbatia quadam concessa sustentationis tenore. Viæ Alpium tunc per Sarracenos obsessæ, a quibus multi Romam ire volentes impediti revertuntur. Post hoc Boso frater, rege Henrico relicto, ad Rodulfum redit.

Anno 932, Bernuinus Virdunensis episcopus, et Boso frater regis, rex Galliæ quæ Comata dicitur, incendiis inter se deprædationibusque bacchantur, quamobrem urbs ipsa multum fuit afflicta.

[Flod.] Anno sequenti Vienna Rodulfo regi traditur, et Willelmus Normannorum princeps ei subditur, et Hugo rex Italiæ Romam obsidet. Fulbertus Cameracensium ordinatur episcopus ab Artaldo Remorum archiepiscopo.

Anno sequenti ignitæ in cælo acies visæ sunt discurrere, et quasi serpens igneus, et quædam jacula ferri pridie Idus Octobris mane ante lucis exortum. Mox subsequuta est pestis diversis humana corpora afficiens morbis; qua pestilentia percussus quidam diaconus Virdunensis, nomine Adelmarus, languore depressus, spiritum amisit; sed antequam imponeretur feretro, reversus ita surrexit validus, ut videretur sibi nihil ægritudinis se fuisse perpessum, qui se diversa suppliciorum vel refrigerii loca vidisse testatus est, seque ipsum loco pœniali deputatum, Dei vero genitricis et beati Martini precibus ad agendam pœnitentiam vitæ præsenti redditum. (fol. 65'.) Quamobrem hujus exemplo provocati quidam canonicorum sanctæ Mariæ sæculum deseruere, et quia in eadem civitate congregatio monachorum nulla erat (74) — in æcclesia enim sancti Petri et sancti Vitoni clerici deserviebant —, Tullum petiere, et in monasterio sancti Apri mutato habitu sæculum deserere et Christo domino incorporari, ut menbra fidelia capiti, studuere. Quæ res maximo erat mœrori pontifici, canonicis quoque residuis et proce-

NOTÆ.

(74) Cf. Gesta epp. Virdun. Contin. c., 2 et Joannis Gorziensis Vita cap. 21, 23 sqq. SS. tom. IV.

ribus populi, quia optarent eos potius in eodem militare episcopio, quam ad aliud demigrare. Bonis tamen et laudabilibus eorum studiis et exemplis religio regulæ monachorum, et fervor ordinis in eodem cœnobio et in quibusdam aliis per regnum Lotharieuse reparatur. Interea emenso anno Boso frater regis cum Heinrico pacatur, et ab eo receptus est. Rodulfus quoque rex Franciæ et Rodulfus rex Jurensis cum eo amicitiam paciscuntur. Boso vero in expeditione obsidionis castri Sancti Quintini moritur, et Remis ad Sanctum Remigium sepelitur. (fol. 64.) Hungari per Burgundiam diffunduntur, prædis, incendiis et cædibus, non diu tamen, debacchati; comperto Rodulfi regis adventu, in Italiam transmeant. (Cfr. *Ser. abb. Fl.*) Herveo episcopo decedente, Romundus sub Rodulfo rege substituitur qui Colticensem abbatiam (75) destruens, Colticas castrum edificavit, et Curensem similiter, Petræ pertusum exstruxit, et filiis et filialibus suis bona æcclesiarum et castra quæ fecerat dedit (76). Hic post multa mala patrata a sancto Gregorio flagellatus interiit.

(fol. 65'.) Anno ab incarn. Dom. 936, rex Rodulfus absque liberis defungitur, nam Ludovicus filius ejus, quem habuit ex Emma regina, ante obitum patris est defunctus (*Chron. Div.*). [Flod.] Hugo Magnus comes trans mare mittit pro accersiendo ad regni apicem Ludovico Caroli filio, quem rex Alstannus avunculus ipsius accepto jurejurando a Francorum legatis Franciam cum quibusdam episcopis et aliis fidelibus suis dirigit. Cui obviam profectus est Hugo cum Francorum proceribus. In ipsis littoreis arenis apud Bononiam se illi committunt, ut erat utrinque pactum. Inde Laudunum deductus ac regali benedictione ditatus, ungitur et coronatur ab Artaldo Remensi archiepiscopo, præsentibus regni primoribus ac episcopis viginti et amplius. Mox Burgundiam adeunt, et urbem Linguonum, quam Hugo Capito, frater regis Rodulfi, ceperat, obsident; fugientibusque custodibus, sine bello eam recipiunt, acceptisque obsidibus ab episcopis et primatibus Burgundiæ, Parisius redeunt. Hugo Magnus cum Hugone Capito Richardi filio, partita inter se Burgundia, pacem faciunt. (*Chron. Div.*) Post Hugonem Capito Gislebertus ducatum obtinuit. Ludovico igitur regni administrationem suæ dominationis exercere cupienti, nimium illa laboriosa fuit, tam sui a Tetbaldo Carnotensium comite captione, quam post regni recuperationem vario instabilis fortunæ proventu. [Flod.] Heinrico igitur magno imperatore sub iisdem diebus obeunte, contentio inter filios ejus de regno agitatur. Othoni tamen natu majori rerum summa obvenit. (fol. 66.) Johanne quoque papa Alberici patricii fratre defuncto, Leo V succedit, et A Hugo rex Italiæ a Roma recedit, pace facta cum Alberico patricio.

Anno ab inc. Dom. 937, Ludovicus rex ab Hugonis se procuratione separat. Eo anno cæli pars ardere visa, et ab eadem parte Hungarorum persequutio insequuta est, qua villæ et agri depopulati, domus basilicæque conflagratæ, captivorum abducta multitudo. Nonnullas tamen ecclesias ignibus applicitis succendere nequiverunt. In ecclesia sancti Basoli cum quidam Hungarorum ascendere super altare nitens arcum manu applicuisset, manus ejus adhæsit lapidi, nec omnino quivit avelli, donec ceteris saxum circa manum ipsam incidentibus partem ipsam lapidis in omnium admiratione perferre cogeretur ethnicus. Quidam presbyter captus ab eis et B vinculis alligatus, revelatione divina est liberatus. Qui postquam patriam domumque repetiit, retulit in eadem captivitate fuisse monachum quendam, Hucbaldum nomine, Orbacensis cœnobii, quem multoties ethnici trucidare voluerunt, et carnem ejus incidere non valuerunt. Nudum ergo eum in medio positum sagittis appetiere, nec saltem cutem valuerunt rumpere. Resiliebant ab ejus corpore sagittæ, quasi ab adamante repulsæ, nec signum aliquod apparebat in cute. Gladio eum cum omni conatu nisi sunt percutere, et nihilominus caro intemerata permansit. Radulfus Jurensis Cisalpinæ Galliæ rex obiit; Conradus succedit. Hugo quoque Roberti filius sororem Othonis, regis Heinrici filiam, sortitur uxorem. (*Chron. Div.*) Anno secundo Ludovici, C filii Caroli Simplicis, ordinatus est domnus Fulcherius abbas Flaviniacensis, qui etiam rexit Divionense quindecim annis. (*Ser. abb. Fl.*) Hic octavo anno regiminis Hierosolimam profectus est, et reliquiis pretiosis reversus ditavit ecclesiam suam. Obiit quarto Kalendas Maii, cui successit Milo Magabrensis, et privilegium a papa optinuit.

Anno 939, Bernuinus Virdunensis episcopus obiit; et Lotharienses Othonem regem suum deserunt, et Ludovico se committere parant, qui eos recipere distulit ob amicitiam pactam inter se et Othonem. Iterum quoque proceres regni, Gislebertus dux et comites quamplures, ad eum veniunt, et se illi committunt. Episcopi vero Othonem non deseruere, qui D eorum secum detinebat obsidatum. Qui Rheno transmisso regnum Lotharieuse perlustrat, et incendiis prædisque quædam loca devastat. Eo autem trans Rhenum regresso, Ludovicus Virdunensem petit pagum, et quibusdam episcopis et primatibus receptis, revertitur. Gislebertus dux trans Rhenum prædatum profectus, dum revertitur, insequentibus se adversariis, in Renum cum equo insilivit, et enecatus ultra reperiri non potuit. Relictam ejus, Othonis regis sororem, Ludovicus accepit uxorem. Du-

NOTÆ.

(75) Couches.

(76) Romundum episcopum languore detentum sæcularibus, qui bona monasterii diriperent, resistere non potuisse auctor est Walterius Eduensis in tabula qua bona ab Amadeo Flaviniacensi abbate recuperata confirmat anno 15 Roberti regis. Mabillon. Ann. Bened., S IV p. 644. K.

catum Otho accepit. Otho vero cunctos ad se redire coegit Lotharienses, et sequenti anno Conradum Burgundiæ regem dolo cepit, reliquosque primates sibi pacificavit.

Anno 940, indictione 13, intronizatus est in pontificatu Virdunensis urbis in partibus Saxoniæ ex magnatum ortus prosapia domnus Berengarius, et

Factus apostolici consors et compar honoris,
Laude cleri et populi
Duxit apostolicam factis et nomine vitam.

Erat enim corpore castus, mente devotus, affabilis alloquio, clarus consilio, prudentia præditus, temperentia discretus, interna fortitudine firmus, censura justitiæ stabilis, longanimitate assiduus, patientia robustus, humilitate mansuetus, erga delinquentes per compassionem socius, per zelum rectitudinis erectus. (fol. 66'.) Apparebat in verbis ejus inconcussa mentis constantia resplendebant in actibus et moribus ejus virtutum insignia,

Omnibus hospitii perlargum præbuit usum,
Nemo est exceptus, perpessus nemo repulsam.

Christum totis visceribus diligens, et caritatis internæ visceribus affluens, pro pauperibus semper erat sollicitus, et quia sicut Martha Christo corporalia subministrare nequibat, in egenis illum cotidie reficiebat. Sermo ejus sale conditus, quo pondere brevis et rarus, eo prudenti suavitate habebatur preciosus. Diligebat sincero et unanimi dilectionis affectu inter alia membra Christi dominum Fulbertum Cameracensem episcopum, cum quo juge sibi semper fuit studium, veritatis adversarios toto nisu impugnare, ut in sequentibus quilibet potest advertere. (*G. Vird.* 2.) Fuit autem tempore Ottonis, de quo dictum est quod ad triumphum ecclesiæ cœpit Otto crescere, cui successit secundus Otto ad imperium, ut floreret sæculum.

[Flod.] Anno ipso ordinationis suæ fomes iniquitatis Hugo Magnus cum quibusdam Franciæ et Burgundiæ episcopis et primoribus regni Remorum obsidet urbem; qua obtenta sexto obsidionis die Artaldum episcopum a procuratione et potestate episcopii juramento se compulit abdicare, concessa ei abbatia sancti Basoli et Avennaco monasterio, et sic relicto filio Heriberti Hugone jam pridem Remis ad episcopatum electo, ad obsidionem Lauduni properat. Ludovico vero a Burgundia redeunte, et assumpto secum Artaldo episcopo, transito Axona fluvio Laudunum tendente, Hugo cum suis relicta obsidione, Othoni regi obviam proficiscuntur, et ei se committunt. Qui Heinrico fratri suo regnum Lothariense committens, cum diversarum gentium multitudine Ludovicum in Burgundiam proficiscentem prosequitur, habens secum Conradum, Rodulfi regis Jurensis filium, quem dudum dolo captum secum retinebat, et obsidibus a quibusdam acceptis ad sua revertitur.

Anno ab inc. Dom. 941 Remensis diœcesecos episcopi convenientes apud Suessionem in ecclesia sanctorum Crispini et Crispiniani tractant de statu Remensis episcopii, conquerentibus clericis atque nobilibus laicis diu pastore sedem ipsam vacare, et definierunt quemadmodum Artaldus episcopus juraverat, quod numquam de ipso episcopatu se intromittere, ad ipsius gubernationem reverti non debere, et ut Hugo Heriberti filius, qui prius ad ipsum episcopatum fuerat clero populoque petente evocatus, ordinaretur episcopus. Et sic Remos adeuntes episcopi Hugonem pontificem consecrant. Canonici Montisfalconis, oppressione ipsius Virdunensis episcopi ut asserebant prægravati, cœnobium suum deserunt, et Remis corpus sancti Baldrici patroni sui deserunt. Artaldus omnibus perditis quæ habebat, datis sacramentis Hugoni episcopo et Heriberto, prout ab eo quæsierunt, redditisque sibi abbatiis sancti Basoli et Avennaco cum villa Vindenissa, pacem fecit cum eis, et ad sanctum Basolum habitaturus devenit.

Non multo post, anno ab inc. Dom. 942, legatus Stephani papæ, nomine Damasus, episcopus Romæ ad hanc legationem peragendam ordinatus, litteras apostolicæ sedis attulit principibus Francorum, ut reciperent regem suum Ludovicum. (fol. 67.) Quod si neglexissent, et eum amplius hostiliter persequi voluissent, excommunicationis interminatus est ultionem. Legati etiam Remensis ecclesiæ Romam missi redierunt eadem referentes, ut ante natalem Domini rex ab eis reciperetur sub comminatione anathematis, qui et pallium Hugoni a sede apostolica detulerunt. Ludovicus igitur obviam profectus Othoni regi, amicitiam firmavit. Otho quoque Hugonem Magnum regi conciliat. Hoc anno domnus Odo, venerabilis multorum monasteriorum restaurator, cum multum laborasset in componenda pace inter Hugonem regem Italiæ et Albericum Romanorum patricium, obiit Turonis, sepultusque est ad sanctum Martinum, et successit ei Heimardus vir venerandus. Tunc fuit fames magna per Franciam et Burgundiam.

Anno ab inc. Dom. 943, Willelmus Rollonis filius occisus est, et Richardus primus successit, qui Normanniam dono regis Ludovici obtinuit. Hugo Magnus Normannis ad paganismum reverti volentibus congreditur, et eo anno ducatus Franciæ a Ludovico conceditur ei. Anno sequenti Heribertus obiit. Filii ejus, mediantibus Othone duce Lotharingensium et Adalberone episcopo Mettensi et Hugone duce, a Ludovico recipiuntur. Hugo eo tenore ab eo susceptus est, ut ei aliud episcopium provideretur, Artaldo Remense redderetur. Posthæc Otho dux Lotharingensium obiit, et Conradus ducatum obtinuit.

Anno 946, Marinus papa decessit, et Agapitus successit; anno autem præterito Ludovicus Remorum obsederat urbem, et acceptis obsidibus a Hugone de reddenda ratione, de quibus interrogaretur, ab obsidione recesserat. [Flod.] Inde Rodomum profectus, dolo captus est a fidelibus suis et sub custodia detentus. Hugo quoque Italiæ a suis regno pulsus est; cui successit Lotharius filius ejus. Hugoni vero Ma-

gno de regis ereptione laborante, datis obsidibus dimittitur, et susceptus ab eo Tetbaudo committitur Carnotensium comiti, et post annum regno restitutus. Ludovicus et Otto simul juncti Remorum urbem obsidione circundant, et Hugone episcopo tertio obsidionis die cum suis egresso, Robertus Treverensis et Fridericus Mogunciacensis Artaldum, quia sic sedis Romanæ auctoritas promulgaverat, in sedem restituunt.

Anno sequenti utrique reges Aquis pascha celebrant. Synodus denunciata circa medium mensis Novembris Virdunis est habita, præsidente Roberto Trevirensi cum Artaldo Remensi, Berengario Virdunensi, Odalrico Aquensi, Adalberone Mettensi, Gosleno Tullensi, Hildebaudo Transrhenensi, Israele Brittone, præsente Brunone abbate fratre regis Othonis, Agenoldo et Odilone, cum aliis quibusdam venerabilibus abbatibus. Synodus autem hæc ob hoc Virduni denunciata fuit, ut sic saltim interesset conventui episcoporum præfatus Virdunensis Berengarius, cujus tanta esset auctoritas, ut inprobari videretur, quod constantissimæ nobilitatis ejus autentica præsentia non roboraretur. Ad quam Hugo evocatus missis ad eum deducendum episcopis Adalberone et Gosleno, venire noluit. Universa vero synodus Artaldo Remense adjudicat episcopium, et iterum indicitur synodus Idibus Januarii, quæ die statuta celebrata est in ecclesia sancti Petri ante prospectum castri Mosomi a domno Roberto ceteris-
que Trevirensis diœceseos episcopis et quibusdam Remensis. Ad quam veniens Hugo noluit ingredi, sed litteras misit sub nomine Agapeti papæ per clericum suum, qui eas Roma detulerat, hoc tantum continentes, ut ei Remense redderetur episcopium. (fol. 67'.) Quia vero Robertus Trevirensis, deferente Frederico Mogunciacensi coram regibus et episcopis Galliæ et Germaniæ mandatum legationis apostolicæ susceperat, et partem jussionis jam expleverat, communi decreto sancitum est ut quod regulariter cœptum fuerat, canonice pertractaretur. Sicque recitato capitulo 19 Carthaginensis concilii de accusato et accusatore, secundum ipsius capituli sententiam diffinitum est ut Artaldo Remensem tenente parrochiam Hugo a communione et regimine abstineret, donec ad universalem synodum Kalendis Augusti se purgaturus occurreret. Quod capitulum in charta descriptum, et ei missum est, adjuncta definitione. Quam postera die retransmittens, mandavit se nequaquam obediturum. Interea proclamationis litteræ a domno Artaldo diriguntur ad sedem Romanam. Domnus igitur Agapitus papa vicarium suum Marinum episcopum mittit ad Othonem regem propter aggregandam generalem synodum. Litteræ quoque ipsius speciatim missæ sunt quibusdam Galliæ et Germaniæ episcopis, ut convenirent ad eandem synodum.

Aggregata est ergo prædicta synodus in Engilenheim palatio regali in ecclesia sancti Remigii, 7 Idus Junii, a. 948, indictione 6, tertio papatus domni Agapeti anno, regni regis Othonis 13, Ludovici quoque 13, causa maximarum dissensionum inter Ludovicum regem et Hugonem principem, inter Artaldum quoque Remensem archiepiscopum et Hugonem illicite substitutum episcopum, quæ perturbaverant omne regnum Francorum. Ad hanc synodum convenerunt triginta duo episcopi Galliæ et Germaniæ, quos dignum judicavimus subterannotare : Robertus Trevirensis, Artaldus Remensis, Fredericus Mogonciacensis, Wigfridus Coloniensis, Adaldochus Hammaburgensis, Hildeboldus Mimogarnorverdensis, Goslenus Tullensis, Adalbero Mettensis, Berengarius Virdunensis, Fulbertus Cameracensis, Rodulfus Laudunensis, Richoo Wormacensis, Reimboldus Spirensis, Poppo Wirsiburgensis, Chonradus Constantiensis, Odericus Augustensis, Tethardus Hildinehemensis, Bernardus Alfurstedensis, Dudo Paderbrunnensis, Farabertus Tungrensis, Lioptacus Ribunensis, Michael Radisponensis, Doddo Osneburggensis, Everis Mindensis, Baldricus Trajectensis, Heroldus Saleburgensis, Adalbertus Bazoensis, Starchannus Eistetensis, Horath Sleowicensis, Wichardus Basiliensis, Liefdac Ripuensis. (fol. 68.) Residentibus ergo his præsulibus in prædicta ecclesia post præmissas preces secundum consuetudinem celebrandi concilii, et post lectiones sacræ auctoritatis, ingressis gloriosis regibus Othone et Ludovico et simul residentibus, post allocutionem Marini sedis apostolicæ legati, surgens rex Ludovicus a latere et consessu domni Othonis regis, proclamationis suæ querimoniam propalam coram legato ceterisque considentibus episcopis referens, qualiter accersitus sit a transmarinis regionibus per legatos Hugonis et principum Franciæ ad accipiendum paternæ hæreditatis regnum, et cunctorum votis et acclamationibus consecratus ad apicem regalis moderaminis obtinendum, postea vero sit a præfato Hugone dolis appetitus, et comprehensus, et per annum integrum sub custodia detentus. De quibus omnibus malis si quis objiceret quod sui facinoris causa ista omnia perpessus esset, inde se juxta synodale judicium et regis Othonis præceptionem purgaret, aut certamine singulari defenderet. Post hæc Artaldus Remensis dixit causam litis inter ipsum et Hugonem illicite sibi substitutum episcopum. Ingestus itaque quidam Hugonis clericus attulit litteras, asserens sibi eas datas ab ipso vicario Romæ, in quibus scriptum erat quod cuncti Remensis diœceseos episcopi pro restauratione Hugonis easdem litteras Romæ direxerant. Quod mox refutarunt Artaldus Remensis et Fulbertus Cameracensis et Rodulfus, qui in eisdem litteris nominabantur, astruentes quod eas nunquam antea audierunt vel viderunt, neque in earum delegatione assensum præbuerunt. Postquam ergo delator idem publice confutatus est, secundum judicium canonum diaconatus quo fungebatur officio multatus, a consessu synodi abscessit reprobatus. Artaldo igitur præsuli Remense episcopium adjudicatum est juxta canonum instituta et

sanctorum patrum decreta. Secunda sessionis die A suggestione Roberti Trevirensis et Berengarii Virdunensis in Hugonem Remensis sedis invasorem synodale peractum est judicium. Nam secundum sanctorum instituta canonum, decreta patrum beatorum Sixti, Alexandri, Innocentii, Zosimi, Bonifacii, Cælestini, Leonis, Symmachi et cæterorum excommunicaverunt et a gremio matris ecclesiæ repulerunt eum, donec ad pœnitentiam et dignam veniret satisfactionem. Cæteris diebus synodi tractatum est de incestis conjugiis et ecclesiis quæ dabantur, immo vendebantur presbyteris in partibus Germaniæ, et dabantur laicis illicite, et prohibitum ac statutum ne id omnino præsumeretur ab aliquo. Tractatum est et de aliis multis ecclesiæ utilitatibus.

Interea rex Otho rogatus a Ludovico Conradum ducem cum Lothariensibus in ejus mittit auxilium, et dum congregatur exercitus, Artaldus moratur cum Trevirense, rex Ludovicus cum duce, Rodulfus Laudunensis cum Alberone Mettensi. Exercitus Lothariensium Mosomum capit, et munitionem quæ dicitur Mons acutus ante Laudunum capit. Porro episcopi Lotharienses Laudunum veniant, Hugonem ex parte Marini vocant, et sic ad sua redeunt. (fol. 68'.) Hugo vero princeps Suessionicam urbem oppugnat, matrem ecclesiam cum parte civitatis succendit, in Remensi territorio villas cum hominibus succendit, et multa mala agit. Pro quibus et aliis multis, et quia vocatus ad concilium venire noluit, a Marino et aliis episcopis Franciæ et Roberto Trevirensi C sequenti synodo excommunicatur apud Treviros. Cæterorum vero episcoporum Lothariensium et Germanorum nullus ibi affuit. Quibus expletis Marinus vadit Saxoniam ad consecrationem Vuldensis monasterii, et sic Romam revertitur.

Anno sequenti domnus Agapetus papa Romæ concilium habuit, in quo confirmavit ea quæ in præfata synodo acta sunt. [Flod.] Post hæc Ludovicus et Hugo pacantur ad invicem, mediantibus atque sequestris Conrado duce, Hugone Nigro, Adalberone et Fulberto episcopis. Otho quoque rex Wenedos et Hungaros sibi subdit. Berengarius quidam princeps Italiæ, veneno, ut fertur, necato Lothario rege regis Hugonis filio, rex efficitur Italiæ. Porro rex Otho Papiam cepit. Cum enim iret in Italiam, Berengario D præfato in ejus adventu fugiente, rex eamdem urbem ingreditur, et uxorem Lotharii regis defuncti, sororem Conradi regis Jurensis, conjugem accepit Adheleidam. Sopita igitur aliquantulum perversorum insolentia, donnus Berengarius commissis sibi ovibus exemplar et speculum totius religionis et sanctitatis factus, studebat in se primum et sic in subditos noxia et superflua resecare, depravata corrigere, sancta, honesta et utilia appetere. Preferebat semper honestum utili; nullo terrore, nullo metu, nulla adulatione a vero deflectendum putabat. Non refugiebat exilium, quia noverat sapienti patriam mundum non esse; non timebat egestatem, quia nichil sapienti deesse sciebat, et cui totus mundus locus sit divitiarum. Laudabat virum qui auro moveri nesciret, contemptum haberet divitiarum, qui velut ex arce quadam despiceret hominum cupiditates, et cum propheta in laudibus illius exclamabat : *Quis est*, inquiens, *et laudabimus eum ? Fecit enim mirabilia in vita sua* (*Eccli.* XXXI, 9). Admirandum dicebat qui divitias sperneret, quas plerique saluti propriæ prætulerunt. Declinabat avaritiam, et omni studio intendebat ne quid faceret adversus justitiam, sed in omnibus operibus custodiret eam. Redarguebat delinquentes, nullius in judicio personam accipiebat, gratia aberat, causarum merita decernebat, gravissimum judicans pauperem innocentem arguere, divitem excusare reum culpæ. In causa Dei, ubi communionis periculum noverat, etiam dissimulare peccatum dicebat non leve; commendabat omni sedulitate existimationem suam, ut obstrueretur os omnium iniqua loqui volentium. Spectabatur ab omnibus admiratione sapientiæ et amore justitiæ, prudentiam habens vocis testimonio reos confutare et convincere, justitiam quoque nocentes supplicio dare, innocentes subducere. Ad omnia habundabat animi ejus directa simplicitas, vincebat in omnibus operibus ejus utilitatem honestas, non honestatem utilitas. Nichil in eo arte elicitum, nichil erat fraude compositum, quod careret merito simplicitatis. (fol. 69.) Servabat quam maxime naturaliter insitam sibi regulam justitiæ non declinare a vero, vas suum in sanctitate possidere, honestatem opibus, honoribus, dignitatibus præferre; nichil in se esse patiebatur simulatum et fictum, quod licet in principio vernaret, in processu dissiparetur ut flosculus et solveretur, quin potius verum et sincerum quod alta radice fundaretur. Sic per exercitia boni operis formam dabat subditis ad felicitatem tendere sempiternæ quietis. Anno igitur episcopatus sui duodecimo, ab incarnatione Domini 951, indict..... [268], videns filios suos ut terram fecundam sincero tritici grano seminatam, et puriorem et uberiorem messem promittentem, multiplicatum reddere quod acceperant, et dolens quosdam eorum perfectioris vitæ desiderio et altioris propositi amore ferventissimo ad vicinas dioceses commigrare et monasticum ordinem, quia in ipsa Virdunensi urbe non inveniebatur (*G. Vird.* 2), alibi expetere, communicato cleri procerumque consilio in sepefata æcclesia sanctorum apostolorum Petri et Pauli honore dedicata, ubi preciosus Domini confessor Vitonus cum suis quiescit et veneratur prædecessoribus et successoribus, monachorum delegit turmulam aggregare, qui et propensius divinis deservirent cultibus, et omnibus Christo adherere volentibus formam darent humilitatis et patientiæ, ut vel sic non cogerentur ad alia secedere qui haberent paratum præ oculis specimen religionis. Et factum est divina cooperante gratia

VARIÆ LECTIONES.

[268] *numerus* IX *deest in c.*

et sui sacerdotis cordis intima perlustrante, ut desiderium sanctum, quod diutina meditatione conceptum dilatione creverat, felix consequeretur et celer effectus, et desiderii sui quot testes, tot inveniret cooperatores et adjutores. Expulsis ergo clericis monachos introduxit, quibus et ex sua proprietate et de rebus matris æcclesiæ annuos proventus redituum et victus vestitusque necessaria præordinavit, et congrua officinarum habitacula præparavit, magistros operis conducendo et expensas tribuendo, ut inveniret animæ suæ requiem post laborem in atriis Hierusalem, quæ ut civitas edificatur, et participatio ejus in id ipsum. Abbatem quoque eis instituit Humbertum, de cenobio sancti Apri virum religiosum, ut in charta manu ejus signata invenitur, quam etiam hic subnectere opere precium judicavimus. Est autem hujusmodi :

« Noverit omnium catholicorum tam præsentium quam futurorum industria, quod ego B. sanctæ Virdunensis ecclesiæ nomine non merito episcopus, anno meæ ordinationis duodecimo, memor nostræ ecclesiæ fratrum, quorum maxima pars dominica verba sepius sequebatur dicentia : « Vendite quæ possidetis, et date elemosinam (*Luc.* XII, 33), et habebitis thesaurum in cælo, et sequimini me (*Luc.* XVIII, 22), » fugientes terrena et amantes cælestia, nostræ congregationis locum deserere, et monachicam vitam sumentes, cenobia extra nostram parrochiam temptabant adire ; ne in postmodum nostra ecclesia de proprio thesauro suo pateretur dampnum, (fol. 69'.) favente seniore nostro gloriosissimo rege Othone, ac Conrado Lotharii regni duce magnifico, congregatisque nostræ ecclesiæ fidelibus clericis et laicis pari voto atque communi consultu decrevimus in nostro episcopio quoddam monasterium Deo annuente stabilire, in quo nostræ ecclesiæ fratres activam vitam fugientes, contemplativæ vitæ solatium futuris temporibus valerent invenire. Tunc communi consilio evocavimus domnum Humbertum religiosum abbatem, qui ab ipsis infantiæ rudimentis in nostra ecclesia fuerat educatus, et præbenda nostræ canonicæ perfruitus, nostri etiam episcopii baptizatus atque parrœchianus, donec infra scriptum aliorum fratrum sequutus exemplum, pro eterna retributione monachicam vitam sumpsit, ac communi cleri et plebis concordia et eorum nostrorum canonicorum, qui tum temporis monachicam aliorsum nitebantur accipere vitam, concessimus ei quoddam monasterium ad construendam congregationem monachorum in honore sancti Petri apostolorum principis stabilitum, in quo requiescunt corpora sanctorum confessorum atque episcoporum Vitoni, Pulcronii, Possessoris, Firmini atque Madelvei, cum omnis rebus ad eamdem abbatiam pertinentibus. Aspiciunt ad illud monasterium juxta Scantiam mansa sex et dimidium, molendina quatuor cum banno ipsius villæ, quod hactenus tenuimus et pro Dei amore loco ex toto concessimus, justitiamque latronum qui in bannum inciderunt vel sanguinis qui effusus fuerit, sive vicedominarium, placitum, et cursum aquæ, seu correptionem omnium mensurarum, exceptis alodiis quæ homines tenent ad placitum generale respicientes, et publicæ viæ transitum; ad Ballonis curtem mansa sex ; ad Frasnidum mansa quatuor; ad Crucem ecclesiam unam; ad Castonis curtem ecclesiam unam ; ad Novam villam æcclesiam unam cum duabus capellis suis et cum una ecclesia in Marculfi villa sita ad præfatam Novæ villæ abbatiam pertinente ; in eadem Marculfi curte mansa tria cum silvis et pratis, et ad Novam villam mansa quatuor cum silvis et pratis ad eamdem æcclesiam pertinentibus et pictura vineæ una et molendino uno super Elnam fluviolum sito; et ad villam Parridum nominatam ecclesiam unam cum mansis sexdecim inter Cosantiam et Buniam sitis et molendino uno et silva et pratis ; et ad Harbodi villam in Vapra ecclesiam unam et mansa duo et quartarium unum ; et ad Liniacum quartam partem unius ecclesiæ et mansum unum et quartarii tres et molendinum dimidium cum silva et pratis ; et in Barrensi comitatu mansa duo in villa Villare nominata. Dedimus præterea ex parte nostræ ecclesiæ de abbatia sancti Amantii mansa decem cum sedilibus ad eadem mansa pertinentibus, et ad Flaviniacum piscatoriam totam et alteram piscatoriam ad Tiliacum pertinentem, et decimam illorum arietum qui nostræ ecclesiæ persolvuntur ex Bracensi centenaria, et decimam fòratici nostræ civitatis de vino; ecclesiam quoque in Amonzeia villa sitam, et Flaviniacam villam cum ecclesia una et piscatoria et molendinis et silvis et pratis omnibus et omnibus adjacentiis ad eamdem villam pertinentibus. (fol. 70.) Ad quam villam aspiciunt mansa viginti sex; et ad villam Marleiam prope Mettis civitatem sitam ecclesiam unam in honore sancti Briccii constructam. Simili etiam modo delegavimus eidem monasterio ad præparandum hospitale ecclesiam sancti Petri in suburbio Virdunensis castri sitam cum mansis quinque, prato uno, et omnibus utriusque sexus ad eamdem ecclesiam pertinentibus; in Piet villa ecclesiam unam ; in Donnaus æcclesiam unam ; in Morvilla unam ; in Marva unam. Hec omnia pro salute animæ nostræ nostrorumque peccatorum absolutione tradidimus loco, et firma auctoritate et ratione nostra confirmamus, corroboramus atque stabilimus, successorumque nostrorum paternam largitatem flagitamus ut, erga præfatum locum pium animum semper habentes, quæ pro redemptione animarum fecimus rata esse sinant, quæ dedimus non minuant, insuper de suis addere studeant, ita conservantes nostra, sicuti et sua queque perenniter manere voluerint decreta. Si quis vero vel pontifex, vel princeps diabolico spiritu incitatus, hec aliquo modo subtrahere vel dissipare voluerit, nostro imprimis anathemate percussus centumque maledictionibus involutus, Datan quoque et Abiron socius factus iram Dei omnipotentis incurrat, atque eternis mancipatus incendiis inexpia-

biles apud inferos penas luat. Ut autem hec nostræ auctoritatis traditio firmiorem vigorem optineat, nostrorum fidelium manibus præsentialiter corroborari decrevimus.

« Ann. inc. Dom. 952, indictione 10, conc. 4, epacta 22, hec carta confirmata, corroborata atque conscripta est, [præsidente [269] Romanæ ecclesiæ papa Adriano anno sexto], regnante Othone imperatore augusto anno regni sui in Italia primo, in Francia 16, episcopatus vero nostri anno duodecimo. Ego Berengarius præsul indignus subscripsi. Sign. Humberti abbatis, Vodonis abbatis, Berardi abbatis, Bernerii præpositi, Alardi præpositi, ceterorumque clericorum et monachorum huic chartæ devote faventium et nobilium laicorum Godefridi comitis, Givardi, Adelardi et ceterorum. »

Ipso anno a Conrado duce quidam Virdunenses honoribus privantur.

Flod.] Anno ab inc. Dom. 952, Otho rex Berengarium regem Italiæ et totam sibi subjecit Italiam. Sequenti anno Conradum ducem a ducatu Lothariensium remotum, Mogontiam, ubi se Conradus receperat, obsedit, et cepit, et Conradus Mettim se recepit. Orta est autem discordia hæc inter Ottonem et principes ejus, quia promittebat regnum filio ex moderna conjuge nato, quod antequam Italiam pergeret filio suo Liutulfo delegaverat, et primates suos illi jurare fecerat. Qui Liutulfus, cum ob hoc multa mala egisset, mortuus est anno 957. Pacificavit autem sibi rex Conradum ducem.

(fol. 70'.) Anno 953. Vigfridus Coloniensis episcopus obiit, et Bruno frater regis Ottonis successit, cui Otto regnum Lothariense commisit.

Anno ab inc. Dom. 955 [270] obiit Ludovicus rex Francorum, et Agapitus papa obiit, Octavianusque successit, et bellum inter Ottonem et Ungros in quo victi sunt Ungri 4 Idus Augusti anni sequentis, in quo bello Conradus dux obiit jam cum eo pacificatus. (*Chron. Div.*) Ludovicus itaque præfatus rex Francorum eodem anno moriens, duos dimisit liberos Lotharium et Carolum, quos genuit ei Gerberga soror Ottonis imperatoris Karolus, qui Juvenis dictus est, privatus senuit, in hereditatem omnem Lotharius successit. Hic Mathildem sororem suam despondit Conrado regi Burgundiæ, et in dotem dedit ei Lugdunum, quæ sita est in termino regni Burgundiæ, et erat tunc temporis juris regni Francorum. De hac Mattilde genitus est Rodulfus rex Burgundiæ, qui post patrem suum Conradum suscepit Burgundiæ regnum, Berta etiam quam accepit Odo Tetbaldi [271] Carnotensis filius, ex qua genuit Odonem, qui apud Barrum obiit; Tetbaldus enim Carnotensis, cujus cognomen fuit Tricator, qui Willelmum Nortmannorum dolo interfecit, ex sorore Heriberti Trecorum comitis genuit hunc Ouonem qui Bertam accepit, ex qua natus est Odo qui apud Barrum obiit; et de eadem Mathilde genita est Gisla, quam Conradus imperator postmodum duxit uxorem, de qua genuit tercium Heinricum imperatorem, quem (77) Rodulfus rex, cujus fuit uxor Ermengardis, quia erat absque liberis, ut nepotem suum, heredem regni Burgundiæ instituit, et sic in dominationem imperatorum transiit Burgundiæ regnum.

[Flod.] Anno itaque ab inc. Dom. 956, Hugo Magnus obiit, et ducatum Franciæ Hugo filius ejus optinuit. Robertus quoque Trevirensis episcopus obiit pestilentia, et [272] Fulbertus Cameracensis, et Hairicus succedit. Otho post hec Sarmatas bello vicit.

Anno vero 961, Otho puerulus in regem elevatus est, et Otto pater ejus anno sequenti Romam veniens, imperator ab Octaviano papa constitutus est. Eodem anno obiit Artaldus Remensis episcopus, et celebrata est synodus in pago Meldensi super Maternam fluvium, ubi ordinatus est Wigfredus Virdunensis episcopus, vivente adhuc domno Berengerio Virdunensi episcopo et sedem episcopatus tenente. Ordinatus est autem ab eis absque conscientia metropolitani, eo quod domno Berengerio inimicarentur, quod conciliis eorum interesse nollet et quædam eorum facta inprobaret; unde nacti occasionem cum incumberet eis ordinatio Remensis æcclesiæ, cujus erant suffraganei, ordinaverunt et hunc ut haberent eum conciliorum suorum consortem et operis participem, quasi qui illum [273] qui præsidebat pro nullo haberent, quem sibi in nullo videbant adclinem. (*ib.*) Abjectus est etiam ibi Hugo Remensis pervasor a Romana synodo excommunicatus, et Odelricus inthronizatus a Widone Suessionensi, Roricone Laudunensi, Gibuino Catalaunensi, Wigfredo Virdunensi, Aistulfo Noviomensi. Octavianus autem papa, cum de inreligiositate culparetur, a. 962, Romam exiit, et in locum ejus Johannes XII substitutus est. Verum Othone imperatore a Roma regresso, Octavianum Romani receperunt, qui non multo post defunctus est. Johannes vero cum imperatore Papiam venit. Interim Romani Benedictum elegerunt qui electioni Johannis consenserat et ei semper subditus fuerat. Sed Otto Romam reversus Johannem judicio synodali in sede restituit, Benedictum vero, quia patris cubile ascenderat, depositum in Saxoniam secum duxit. Hic fecit privilegium æclesiæ sancti Vitoni de omnibus rebus ad eam pertinentibus juste concessis et concedendis petitione domni Berengerii episcopi, et æclesiam ipsam sive monasterium confirmavit Virdunensi æcclesiæ, statuens atque promulgans ut filii ecclesiæ Virdunensis, qui seculum deserere voluissent, in eo mo-

VARIÆ LECTIONES.

[269] p. R. e. p A. a. VI. *inserta.* [270] DCCCCLIIII *corr.* DCCCCLV. [271] *ita c.* [272] et F. C. *inserta.* [273] *c.* allum.

NOTÆ.

(77) Heinricum II hæredem instituit.

nasticum habitum susciperent, nec ad externa monasteria demigrarent. Quod et ipse domnus Berengerius adimplere studuit, dum, rejecta prælationis sarcina, ut justus justificaretur adhuc, monasticum habitum suscepit in eodem cœnobio, serviens Deo in incorruptione modesti et quieti spiritus, et nichilominus invigilans saluti commissarum sibi animarum pro votis populorum, qui nolebant alteri in vita ejus subesse, eo quod strenuo munirentur pastore, qui quanto Domino approximabat, tanto strenuitatis et benignæ puritatis suæ certissima dabat indicia. Quid autem intercesserit, quod pontifex tantæ auctoritatis et gratiæ monasticæ se regulæ mancipaverit, cujus vita sanctitatis erat speculum, lumen animorum, decus piorum, terror reproborum, quia ad id locorum devenimus, patrum dicta sequentes paucis explicabimus. Familiare erat viro beato nocturnalem sinaxim vigiliarum et orationum prævenire instantia, quatinus sacrificio contriti et humiliati spiritus, superni inspectoris oculos super se et super commissum sibi gregem intendere cotidiana provocaret votorum industria. (Cf. *Gesta Vird.*) Cui operi dum se una nocte accingeret, et, uno tantum contentus comite qui lucernæ ei famulabatur officio, æcclesiam principalem sanctæ Mariæ ingrederetur, (fol. 71.) dum pedetemptim gradiens nullum illic esse putaret in quem offenderet, cum omnia silerent, et etiam si qui occulti oratores ibi essent adventui suo eos cedere crederet, in ipso chori ingressu, dum sibi minus cavet, offendit in clericum, nomine Bernerium, præpositum ejusdem æcclesiæ, qui tunc forte solo prostratus matutinarium beatæ Virginis decantabat cursum, et, ut post patuit, totus ad altiora penna devotionis subreptus, in matris Domini se extendebat laudibus. Quem pontifex solo herentem sibi adsurrexisse non videns, pede percussit, et ut cederet, vereor [ne, E. P.] non sine aliqua animi stomacatione, ammonuit. At ille jussis paruit, et secedens in partem, intendebat his quæ ceperat. Verum matutinali decurso officio, ubi præsul fessos stratis indidit artus, adest beata Dei genitrix beatis dextra levaque comitata virginibus Agne atque Tecla, eo habitu atque decenti apparatu quo agnosci posset ab omnibus mater et sponsa Regis omnium, salus et dulcedo fidelium. Cumque lecto ipsius astitisset, et jacentis animus ad tantæ visionis novitatem stupens hereret, ab eadem regina virginum blande est requisitus cur clericum suum sibi devotum, secum loquentem, ad se totum suspensum, pede percusserit, et de loco, quo ei astabat, demigrare coegerit, devotionemque ejus, qua secum totus aderat, impedierit. Quo silente et vultum matris misericordiæ conscientia trepida respicere formidante, sed tamen de ejus misericordia non desperante, ait singulare miserorum confugium, spes et consolatio humilium : *Bene quidem michi servisti, bene in æcclesia mea laborasti, sed nunc ut homo errasti, et melius est ut nunc errati penam suscipias, ubi pena omnis finis est obnoxia, quam in futuro, ubi pena crescit, et spiritus hominis de die in diem renovatur ad penam. Pes igitur, quo peccasti, penas luat, ut agnoscant omnes in te quia diligentes me diligo, et memoriam mei facientibus patrocinari non desisto.* His dictis beatam virginem Teclam ammonuit ut virga, quam ferebat, pedem ejus quo clericum percusserat cederet. Visum est pontifici, sensitque se cæsum, quia et confestim pes ejus aruit, ex quo omnibus diebus vitæ suæ claudicavit. O stupenda matris Domini pietas, quæ pontificem suum sibi fideliter servientem et laudavit, quia fideliter sibi serviret, et tamen peccatum ejus, quo in conservo, licet quantum ad gradum sacerdotii inferiori, peccaverat, inpunitum dimittere noluit : hoc demonstrans indicio, se juxta esse clamantibus ad se, et vindictam eorum, si lesi fuerint, etiam in domesticos paratam ulcisci ! Claudicavit itaque episcopus, quia motus est ad injuriam proximi pes ejus, et effusi sunt gressus ejus. Sed didicit in ipsa sua infirmitate gressus rectos facere, ubi, quod arrogantia deliquerat, studuit humilitate corrigere. Mane etenim facto, cum fidem verbis faceret pœna temporalis, in conventu æcclesiæ clericum quem leserat requisivit, errati culpam agnovit, confessus est, et quod patiebatur, cur pateretur palam protestatus est. Cepit jam uterque de correptione unius proficere, ut quod uni oberat, ambobus prodesset, et exemplo eorum omnibus. Nam paucis admodum interpositis diebus monasterium petiit episcopus, et humilitatis vestitus amictu serviebat pauperibus, pauper et ipse spiritu. Non tamen deseruit curam episcopii, quam ut non desereret exegit amor cleri et populi, quin potius tantum augebantur in eo lucra virtutum, quanto ferventiori proposito adherebat Domino virtutum. Memoratus vero clericus, urbis ipsius præpositus, in amore beatæ Virginis permanens, et obsequiis ejus jugiter inherens, in æcclesia ejus devotus perstitit, monasterium sancti Petri pro loci ipsius nobilitate multo amore diligens, et innumera dona auri atque argenti, palliorum atque librorum conferens. Dedit etiam æcclesiæ eidem ea quæ possidebat in Exio in vineis, campis, aquis aquarumque exitibus et decursibus; unde et pro suæ sanctitatis merito defunctus in eadem æcclesia inter sepulcra episcoporum condignam meruit sepulturam 15 Kalendas Maii.

(Fol. 71'.) Lotharius igitur rex Francorum quintus a Karolo Calvo germanum habuit fratrem juniorem se Karolum, uxorem autem Emmam, Lotharii regis Italiæ et Adheleidis post imperatricis fiiam, ex qua suscepit filium Ludovicum, qui adhuc puer Blanciam duxit uxorem. [Rich. III, 92.] Habuit et filium alterum ex quadam nobili puella Arnulfum, qui primum natus est, postmodum Remensem archiepiscopum. Karolum fraternæ uxoris protervitas compulit et inopia rei familiaris patrios fines relinquere et Ottoni Saxonum imperatori se dedere. Mortuo Lotario, Ludovicus filius successit, et in primevo flore juventutis obiit; in quo defecit gene-

ratio regum ex familia Karoli Magni, et successit ex alia familia Hugo rex. Quod graviter ferens Arnulfus clericus, Lotharii frater, ut diximus, patruum Karolum in Franciam reduxit, et Laudunum cepit et retinuit. Adalbero vero Laudunensis episcopus a custodia qua tenebatur fugiens, ad Hugonem venit, et ei Arnulfum conciliavit; cui rex defuncto Remensi archiepiscopo archiepiscopium contulit, ut sibi Karolum conciliaret. Ille dum faciliores aditus querit, quibus Karolum regi conciliet, civitatem ei tradit, unde ab eodem Hugone perjurus et traditor publice conclamatur. Nec multo post ab Adalberone Laudunensi, cui se credebat, captus, ipse et Carolus Hugoni redduntur. Arnulfus proposito sibi, ut se perjurum sponte confiteatur, alioquin oculis privaretur, perjurum se clamat et veniam petit; atque ita mox deponitur, et in loco ejus Gerbertus diaconus ejus substituitur, primo puer in monasterio sancti Gyraldi nutritus, sed pro morum insolentia expulsus, postmodum et de archiepiscopatu pulsus, ad Othonem imperatorem se contulit. Karolus vero privatus senuit, et Arnulfus episcopatum recepit. Soror ejus Malthildis fuit Rodulfi regis Burgundiæ mater, et ejus filia, quam Conradus imperator, tertii Ottonis filius, uxorem duxit, Gisla dicta est, mater Heinrici tertii imporatoris. Berta quoque ejus filia mater Odonis qui apud Bar obiit [274].

(Cf. *Ser. abb. Fl.*) Anno 968 obiit Remundus Eduorum episcopus.

(Fol. 72.) « Johannes episcopus, servus servorum Dei, Berengero fratri nostro Virdunensis ecclesiæ episcopo, cum omnibus sibi a Deo commissis bravium eternæ remunerationis.

« Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benivola caritate favere, et poscentium animis alacri devotione assensum præbere. Ex hoc enim potissimum præmium lucri a conditore omnium Domino promerebimur, si venerabilia sanctorum loca oportune ordinata ad meliorem fuerint statum nostra auctoritate perducta. Igitur quoniam te, carissime frater, inter cætera sanctæ conversationis exercitia comperimus quoddam monasterium in tuo episcopio juxta civitatem Virduni in æcclesia beati Petri pro amore Dei construxisse, in quo requiescunt corpora sanctorum confessorum atque præfatæ ecclesiæ sanctæ Mariæ Quondam episcoporum, Vitoni, Pulchronii, Possessoris atque Firmini, et de rebus tuæ æcclesiæ provida consideratione sublevasse, ut si quando filii tuæ ecclesiæ divino compuncti amore terrena despicientes ad contemplativæ vitæ perfectionem confugere desiderarent, ne a tua æcclesia penitus dissociati viderentur, in monasterio, quod membrum est ejusdem ecclesiæ, solatii refugium sub habitu religionis sibi invenirent et Deo quieta tranquillitate inibi famulentur; noverit omnium fidelium tam præsentium quam et futurorum industria, nos idem monasterium tua ordinatione constructum, cum omnibus rebus, regalibus præceptis tuo consultu sibi sancitis, in æternum velle permanere inconvulsum, scilicet : Scanciam cum suis pertinentiis, abbatiam sancti Amantii et quidquid ad eam pertinet, Novam villam cum suis locis, Amantionis curtem, quantum ad eam pertinent, Paridum cum suis adjacentiis, Harbodi villam cum suis pertinentiis, Castonis curtis ecclesiam cum his quæ ad eam pertinent, æcclesiam de Marleio cum suis adjacentiis, æcclesiam de Marculfi curte cum suis adjacentiis, æcclesiam de Amonzei villa cum suis adjacentiis, cum terris, vineis, molendinis, cum servis et ancillis, abbatiam sancti Petri et ecclesiam de Maroa, ad Liniacum quidquid ad illum locum pertinet, ad Novam villam in Barrensi comitatu quidquid ad eum locum pertinet. Hæc vero omnia prædicta loca cum suis omnibus generaliter et specialiter pertinentiis, et quidquid Deo opitulante voto fidelium huic monasterio concessum fuerit in futuro tempore, per hoc nostrum apostolicum privilegium perenniter firmamus tam vobis quam vestris successoribus, et insuper hoc nostræ auctoritatis privilegio esse corroboratum volumus, quatinus eadem Virdunensis æcclesia, quæ hactenus de filiis ab ipsis infanciæ rudimentis in gremio suo expositis, dum ad externa monasteria confugiebant, fraudabatur, ablinc et deinceps in membro sibi subjecto consilio sui episcopi atque providentia gloriosi abbatis Humberti de eorum sancta conversatione sublimata glorietur. Si qua autem temerario ausu magna parvave persona, cujuscumque ordinis aut potestatis, contra hanc nostram apostolicam præceptionem ire temptaverit, sciat se auctoritate beati Petri apostolorum principis excommunicatum, atque anathematis vinculo esse innodatum, et a regno Dei alienum, cum omnibusque impiis æterno incendio atque supplicio condempnatum. (Fol. 72'.) Qui vero observator extiterit hujus nostri præcepti, gratiam atque misericordiam vitamque æternam a misericordissimo domino Deo nostro consequi mereatur. Scriptum per manum Leonis scriniarii sanctæ sedis apostolicæ in mense Januario per indictionem 14. Datum 5 Idus Januarii per manum Marini episcopi et sanctæ sedis apostolicæ bibliothecarii, anno Deo propicio pontificatus domni Johannis summi pontificis et universalis XII papæ in sacratissima sede beati Petri apostoli decimo, primo in mense, indictione 14, anno ab inc. Dom. 971. » Hæc autem sunt addita, immo quædam reddita præfato monasterio post acceptum hoc privilegium : Ecclesia de Bocconis monte, ecclesia de Donnatis cum molendino, ecclesia de Mauri villa, ad Rivaldi mansum mansi quatuor, ad Raherei curtem et Gislei curtem et Novam villam mansi triginta cum ecclesia et capella, vineæ in Arnoldi villa quas dederunt Richuara ducissa, Adelardus, Amalricus, Albertus, Warnerus, Gyrulfus. Lambertus canonicus, ad Flo-

VARIÆ LECTIONES.

[274] *Hinc octo lineæ erasæ.*

rinchingas mansus unus cum vineis, ad Sanctum Julianum mansus dimidius cum vinea, ad Flabasium mansi tres, in Soliaco ecclesia, ad Buslani villam ecclesia.

Anno secundo post datum hoc privilegium, qui erat ab inc. Dom. 972, Otho Magnus imperator obiit, 10 imperii sui anno, et Otho Rufus successit. Humbertus etiam abbas obiit 2 Nonas Decembris, et Adilmarus in locum ejus substitutus est. Successit itaque, ut diximus, Othoni primo secundus Otho, qui et Rufus, de quo dictum est proverbium, quia successit Otto secundus ad imperium, ut floreret sæculum. Vixit autem domnus Berengarius usque ad tempus Ottonis tertii, et defunctus 2 Idus Augusti, infra æcclesiam tumulatus est cum honore in ingressu claustri, quod constat eum et quesisse et præcepisse. (Cf. *Gesta Vir.* 2.) Regebat tunc temporis Burgundiæ regnum Rodulfus, Conradi filius, cujus sororem Gislam Conradus imperator, qui et Cono, duxit uxorem. (*Chr. Divion.*) In Lugdunensi æcclesia promotus erat ad episcopatum Burchardus, Rodulfi regis frater, Conradi ex concubina filius, a quo ordinatus est Bruno Lingonensis episcopus, a. dom. inc. 981, ind. nona. Hic episcopatum Lugdunensem in infantia adeptus est.

(*Gesta Vird.*) Anno igitur dom. inc. 983, Otto Rufus secundus, cum 12 annos regnasset, moriens Romæ, a suis relatus est, et Aquisgrani sepultus; cui successit tercius Otto 12 annorum, qui a cunabulis sumpsit sceptrum Romanorum, sub cujus regimine salus fuit mundo et gloria. Tempore hujus præfuit Virdunensi ecclesiæ Wigfridus episcopus. Hic quadam die urbem egressus, venit ad villam fratrum quæ Wandersala dicitur, ubi a comite Sigifrido captus et absolutus, de pecunia quam pro emendatione suscepit ita æcclesiam sanctæ Mariæ coronis ornavit, ut si manu primam tangeres, omnes usque ad novissimam moverentur. Hic prædecessoris sui domni Berengerii imitator factus, in suburbio Virdunensi cenobium ædificavit, et aggregata monachorum turma, corpus illuc sancti Pauli episcopi levatum de loco quo jacebat, in feretro argenteo recondidit, victumque fratribus, qui loco eodem Domino deservirent, ex reditibus episcopii providit. Hic etiam inter cetera bona Ravandi mansum sancto Firmino contulit. Defuncto autem 2 Kalend. Septemb. Wigifrido [275] Virdunensi episcopo et in monasterio quod ipse construxerat tumulato, Hugo substitutus est. Hic ingressus civitatem, unde viveret, inquisivit: Lotharius enim rex Francorum, quia erat res publica sub juvene principe Romanorum, defuncto Wigifrido episcopo, Virdunum obsedit anno ab inc. Dom. 986, sed minime cepit, omnia tamen circa urbem vastavit; contra quem egressi ad bellum et superati, plures ex eis capti sunt, pro quorum liberatione, ut dicitur, Gothertus claves urbis regi detulit. Ob hanc itaque causam cum invenisset Hugo expensas episcopii exterminatas, notatis villarum reditibus mox reversus est. Quo egresso susceperunt absque regio dono Adelberonem, Beatricis filium matris ducis Theoderici, qui aliquantulum moratus in civitate, defuncto Mettensi episcopo, illo se contulit, isto relicto. Huic successit Adalbero, filius comitis Godefridi, avus ducis Godefridi, qui accepta uxore Bonefacii, postea factus est marchio. Is Salernum eodem anno benedictionis suæ curationis gratia profectus, reversus in Italia obiit 14 Kal. Mai., et relatum corpus ejus Virduni sepultum est. Vixit in episcopatu tribus semis annis, et successit Heimo anno 988.

[Rod. Glab. I, 4.] In initio itaque regni Ottonis III, papa obiit, in cujus locum Otto alium ordinari præcepit, quem Joannes Crescentius de nobilibus Romanorum dejecit, et alium substituit. Sed Otto reversus, illum dejectum abscisis manibus ejus et auribus et oculis erutis, et occiso Crescentio, Gerbertum papam ordinari præcepit. [Richer, III, 43.] Hic in cenobio sancti Geraldi apud Aureliacum nutritus fuit, grammaticaque est eruditus, et ab abbate loci Borello citerioris Hispaniæ duci commissus, ut in artibus erudiretur, ab eo Hattoni cuidam episcopo traditus est instruendus, apud quem plurimum in mathesi studuit. Verum prædicto duce cum episcopo Romam eunte, idem cum eis profectus, et papæ factus notissimus, ab eo Ottoni regi est intimatus, et cum Adalberone Remensi episcopo Remis venit. (*ib.*) Quo tempore Otricus apud Saxones insignis habebatur. Post annum Remensis Adalbero Romam cum Gerberto petebat, et Ticini augustum cum Otrico reperit, a quo magnifice susceptus, ductusque per Padum classe Ravennam, et quia anno superiore Otricus Gerberti se reprehensorem in quadam figura cum multiplici diversarum rerum distributione monstraverat, jussu augusti omnes palatii sapientes intra palatium collecti sunt, archiepiscopus quoque cum Adsone abbate Dervensi et scolasticorum numerus non parvus; et cepta disputatione, cum jam pene totum diem consumpsissent, augusti nutu finis impositus est. Ibi Gerbertus ab augusto egregie donatus, Remis cum archiepiscopo reversus est, et post a Hugone Hugonis Magni filio, rege Francorum, qui Ludovico successerat ex alia stirpe, dejecto Arnulfo pontifice, in Remensem archiepiscopum se quibusdam præstigiis promoveri fecit. (fol. 73.) Verum aliquanto tempore exacto, ubi sensit quod Arnulfus sedem episcopii sibi præripere et populum ad se reducere nitebatur, noctu fugiens ad Othonem ivit; a quo non multo post in Ravennensem archiepiscopum quibusdam se præstigiis promoveri fecit. Inde postmodum papa con-

VARIÆ LECTIONES.

[275] require in alia pagina sub hoc signo Z usque ad : successit ei Heimo *c Nos ordinem ita indicatum restituimus.*

stitutus est et Silvester dictus est. Obiit autem anno 999, et Gregorius V successit (78).

[Rod. Glab. II, 5.] Anno igitur ab inc. Dom. 988, imago Domini in cruce posita in monasterio apostolorum Aurelianis ploravit, omnibus admirantibus, quid hoc portenderet signum. In eadem civitate una noctium lupus adveniens, ecclesiam ingressus matutinis horis restem signi ore arripuit, et agitans illud insonuit, quem vix ab ecclesia expellere potuerunt. Sequenti anno tota civitas igne consumpta est cum ecclesiis, sed Arnulfus venerabilis episcopus inventa pecunia in fundamentis ecclesiæ sanctæ Crucis, eamdem ecclesiam in melius reparavit.

(Ibid. II, 7.) Anno igitur 991, sanctus Odilo venit ad conversionem Cluniaci, et 4 anno sanctus Maiolus obiit. Ea tempestate Roma maxima ex parte igne combusta est. Templum etiam sancti Petri accensum est, et jam trabes ferro et lamminis ereis coopertæ ardebant, cum omnis plebs Romana ad sepulchrum apostoli concurrens, ubi humana nichil prævalebant auxilia, divinum et apostolicum expectabat suffragium, et statim ignis, qui jam trabes lambebat, extinctus est. Eo quoque tempore obierunt Odo comes Turonorum, Heribertus Meldorum et Trecorum, Willelmus Pictavorum, Manasses episcopus Trecorum, Gislebertus Parisiorum, Gebuinus Catalaunorum.

Anno ab inc. Dom. 995, suscepit regimen Cluniacensis ecclesiæ sanctus Odilo.

(Ibid., II, 1.) Mortuis igitur Lothario et Ludovico Francorum regibus, Hugo rex, ut diximus, constitutus est, cujus frater fuerunt Otto dux Burgundiæ et Heinricus. (*Chr. Divion.*) Verum Ottone in adolescentia mortuo absque liberis, Heinricus successit; cujus filius fuit Odo Belnensis, et privignus ejus Willelmus advena, Rainaldi comitis pater. Post Heinricum Heinricus, Roberti regis ex Constantia filius, ducatum optinuit, et ei regi facto Robertus Vetulus successit, frater ejus, et Roberto Hugo dux postea monachus, Heinrici filii ipsius Roberti filius; quo Hugone defuncto, Robertus filius ejus successit, et Constantiam duxit uxorem, cognatam Hugonis Autisiodorensis episcopi, comitis Cabilonensis. [Glab. R., III, 2.] Anno ab inc. 996, obiit Heinricus dux apud Poliacum super Ararim, et Richardus Normannorum dux obiit. [Ibid. II, 8.] Sequenti quoque anno Robertus rex ducens secum Richardum II, juniorem Normannorum comitem cum triginta milibus Normannorum, Burgundiam, quia a se defecerat, vastavit, et tandem optinuit. [Ibid., II, 9.] Quo tempore facta est fames valida quinquennio in toto orbe Romano. Eo etiam tempore præerat ecclesiæ Divionensi abbatis officio eximius pater Willelmus, cujus gesta qui scire voluerit, in libro vitæ ejus a Rodulfo monacho edito legere potest.

(78) Minime sed eo anno Gregorio V Sylvester II successit.

LIBER SECUNDUS[276].

Anno ab inc. Dom. 1002, obiit Otto III, juvenis imperator, exactis in regno 19 annis, et Heinricus successit. Quo anno circa solis occubitum draco per aera ferri visus est, et igneæ in cœlo acies visæ, et luna in plenilunio post inicium quadragesimæ a medio noctis usque ad ortum diei in sanguinem versa, et sol circa meridiem in duas partes divisus est.

(*Cat. pont.*) Sequenti anno Johannes papa XIII obiit, et Benedictus successit.

(fol. 73'.) Anno ab inc. Dom. 1010, obiit Heldricus abbas Flaviniacensis, 19 Kal. Januarii, et successit domnus Amadeus. (Cf. *Serr. abb. Flav.*) Hic, abbatia dimissa, Cluniacum ivit, et post reversus Colticensem cellam adquisivit (79), et Sinemurensem et Bellilocensem et Corbiniacum recuperavit (80). Sarmatiæ castrum cepit, Passavant destruxit, 19 ecclesiarum altaria cum decimis et paratis optinuit (81)

Defuncto quoque Adelmaro abbate monasterii sancti Vitoni 5 Kal. Jan., Adelardus substitutus est. Et hoc defuncto 13 Kal. Jan., Ermenricus successit, qui, in quantum valuit, locum ampliavit. Hoc etiam ad superna transvecto, 6 Kal. Septemb. Rohardus successit, et Rohardo Lambertus. Post quem raptus est de cœnobio sancti Felicis Mettensis domnus Fingenius Scottorum progenie oriundus, quia locus idem per manum laicam aliquantulum negletus erat, ad restaurandum eum ibidem abbas est ordinatus. Cujus adventum, peregrinationem et conversionem qui plenius nosse desiderat, in vita Teoderici eximii Mettensis episcopi scire potest (82). Et hoc quoque defuncto, cum jam post Adalbero-

VARIÆ LECTIONES.

[276] *titulus deest in codice.*

NOTÆ.

(79) Ab Helmuino episcopo Eduensi anno 30 regni Roberti regis, teste charta; Mabillon., ann. Bened. IV, 652. K.

(80) Ab eodem Helmuino diplomate scripto anno inc. 1034, anno Henrici regis 5. Mabillon l. l, p. 659.

(81) Duæ exstant donationum chartæ Amadeo datæ, Roberti regis una III Kal. Mart. a. 1018; Mabillon, Annal. Bened. IV, 238: Raginaldi comitis altera a. 1037; Labbe I, 270. K.

(82) Laudat hanc Vitam auctor Vitæ Richardi ap. Mabill. Act. SS. Sæc. VI, 1. Cfr. quoque Monum. Germ. SS. IV, p. 696. K.

nem Virdunensem episcopatum Heimo sortitus esset, domnus Richardus locum illum regendum suscepit. Cujus vitam, mores et actus, nobilitatem generis, inicium conversionis, studium religionis et perseverantiam perfectionis humilitas nostra sensu licet tenui et sermone rustico describere gliscit; quia si quid sumus, cum nichil simus, totum post Deum et sanctos ejus ascribendum est meritis ipsius. Unde invocandus est nobis spiritualium distributor karismatum Spiritus sanctus, ut beatitudinem ejus suo quidem sensu, nostro ore enunciet, ut laudetur in operibus suis, et appareat mirabilis in sanctis suis.

1. [277] Extitit igitur nobilissima Francorum stirpe progenitus, patre. . . . . [278], matre vero. . . . . [278] (83), et ab ipsis infantiæ rudimentis litteris liberalibus in æcclesia sanctæ Mariæ Remensis institutus. Quæ ecclesia tanto tunc vernabat religionis decore, tot personarum nobilium et religiosarum, quas ipsa in se educaverat, sibi adplaudebat honesta numerositate et decenti honestate, ut religione ipsa præemineret omnibus æcclesiis Belgicæ, formaque esset omnibus honeste vivendi recteque conversandi in castitate, in scientia, in disciplina, in correptione morum, in exibitione bonorum operum. Probat hoc domni et vere sancti Constantii canonici ejusdem æcclesiæ pia, constans et fidelis constantia, itemque alterius Constantii imitanda et recolenda in pauperes laudabilis rerum suarum profusio et totius patrimonii dispersio. Quorum alterum ipsa sua commendat religio et opera misericordiæ, alterum adeo pauperum prædicat miseratio, ut ipsi soli inventi sint, qui tanti viri dum deflent obitum prædicant meritum, et dum funus illius grata sedulitate officiosi procurant, dum ad missæ solempnia quæ possunt pro requie ejus munuscula offerunt, dum omnes insimul circa corpus aggregati suam deflent desolationem, et suam in tanti elemosinarii ingeminantes conqueruntur destitutionem, ejus nimirum vitam miris laudibus extollunt, et si quid humanæ naturæ vitio in eo corruptum est, id suis lacrimis tegunt et operiunt. Ideo autem horum constantiam ad exemplum fidelium hic inseruimus, ut agnoscat qui legerit, tot et tales viros in palestra sanctæ Remensis æcclesiæ nec sine magistris desudasse, nec sic solos evasisse carneæ molis carcerem, ut non reliquerint aliquos sui propositi testes et cooperatores, qui eorum et vestigia imitati et fidei virtutem sint amplexati.

2. In hac ergo æcclesia religiosæ indolis puer Richardus litteris traditus imbuendus, brevi singula percucurrit quæ magistrorum sollertia percurrenda signavit. Cepit jam altiora meditari, et quæ a magistris non didicerat, vivacitate et perspicacia docilis ingenii attente rimari, ut agnosceretur ab omnibus magni eum futurum esse præconii, quem sic commendabat acumen intellectus, secretorum et misticorum capax, cooperante et præcedente gratia Dei. (fol. 74.) Transivit itaque in eadem urbe proficiens usque ad perfectam incrementorum ætatem, et qui erat acer ingenio, statuit sibimetipsi normam vivendi, recidens in se noxia, quæ in aliis solerti vigilantia reprehendebat. Probat hoc religiosa vitæ ejus conversatio, et continuata malorum redargutio, qua tantum abundabat animi ejus directa simplicitas, ut pro zelo Dei et emulatione justitiæ præcentoris et archidiaconi ei officium committeretur, et magisterio ejus dispositio Remensis æcclesiæ traderetur. Cui officio quam strenue, quam prudenter, quam sollerter invigilaverit, ne nimii fortasse laudando inveniamur, silere decrevimus, maxime cum et silentium ipsum laus ejus sit, quia si totam substantiam nostram in laudibus ejus superextenderemus, minus esset quod diceremus ad id quod dicendum esset. Jubilat ergo in laudibus ejus Remensis æcclesia, quia et ipsa ejus devotio, qua in ea fideliter laboravit, laus ejus est. Utebatur potestate sibi tradita in ædificationem, non in destructionem, habens libertatem vocis judicio suo confutare reos et convincere, nulliusque personam in judicio accipere. Quibus rebus ita cognitus erat omnibus, ut absens etiam pro sui reverentia et inflexa constantia a cunctis timeretur, et pariter omnes senes cum junioribus Richardi inadulatam gravitatis censuram reverebantur. Erat enim vere religiosus, orationibus continuis vacans. Cui etiam moris erat psalterium ex ordine quoquo die dicere, et primos quidem quinquagenos psalmos stando manibus ad terram deflexis dicebat, quinquagenos erectus, quinquagenos prostratus toto corpore, set suspensus. Articulis pedum manuumve sustentatus perorabat. Solebat etiam ante crucem orationem cotidianam dicere, quarum hec erant omnium versuum inicia: *Adoro te, Christe, crucem ascendentem, et benedico te.* Quas cum die una multa perorasset instantia, surgens ab oratione, et crucifixum cum lacrimis aspiciens, audivit vocem dicentem sibi: *Tu me in terris benedixisti, et ego benedico te.* Et elevata dextera, qui erat in forma crucis benedixit eum. Qua dulcedine compunctus, gratias egit sacerdoti summo, et cepit jam tanto artius perfectiora meditari, quanto gratiosiorem circa se agnoscebat dulcedinem miserentis Dei. Hoc nos Rodomi positi a viris religiosis audivimus, qui et ipsi se fatebantur audisse a Hugone cognomine Grammatico, viro strenuo et religioso, Rotomagensis æcclesiæ archidiacono, qui Remis in æcclesia sanctæ Mariæ præsens adfuit quando hec gesta sunt.

3. Verum cum in dies fervore religiosi propositi

VARIÆ LECTIONES.

[277] *numeri capitum habentur in codice.* [278] *locus vacat.*

NOTÆ.

(83) Patri erat Walteri, matri Theodradæ nomen, ut testatur auctor Vitæ Richardi ap. Mabillon Act. SS. Sæc. VI, 1. K.

ad altiora penna devotionis sustolleretur, et contemptores mundi suimetipsius abnegatores miraretur, Deumque in figura crucis positum veneraretur, sequaces suos ad se invitantem et dicentem : *Qui mihi ministrat, me sequatur* (*Joan.* XII, 26.), rememorans quia parum esset ministrare Domino, in quo nulla esset perfectio, nisi et sequeretur eum, delegit Deo firmius adherere, quoniam bonus est, et beati qui sperant in eum. Cepit igitur larga manu quæ circa se erant dispensare pauperibus, et licet a primis annis compassionis in eo opera claruerint, tamen quo amplius miseria seculi et fallax ejus gratia contempnebatur, eo magis instabat misericordiæ operibus, ut nudus Christum sequi, et pauper pauperem imitari valeret, qui propter nos minoratus paululum ab angelis de pauperibus nasci et in præsepio reclinari voluit, ut esset piorum cibaria jumentorum. Ubi vero cuncta distracta sunt, nec desideria dilatione consopita, quin potius augmentata, quia sancta erant, et cogitationum inundantium, quas perfectioni studens fidelis anima patitur, violento impetu sedato, ad portum quietis appulsus fixit anchoram spei, quia deliberaverat jam ut iret, cepit iterum anxiari quo iret, quem sibi locum stationis eligeret; ubi plantatus, in interna cordis amenitate viridesceret. Volebat enim hoc quod dictum est patri credulitatis nostræ Abrahæ : *Exi de terra tua, et de cognatione tua* (*Gen.* XII, 1; *Act.* VII, 3), ad litteram implere, sed considerabat non sine fructu fore, si, inter suos positus, factusque eis forma vitæ honestæ, præberet eis exemplum sequendi Christum, adipiscendo religionis propositum. Considerabat rursus difficillimum esse inter notos et affines gravioris propositi intentionem apprehendere, ubi aliquando certa est via periculi, incerta salutis, cum retrahit hominem jam Deo proximantem amor propinquorum, et reverberat aciem vultus ejus, qua Deus intuendus esset, caritas carnis, et multimodæ punctiones seculi, quas non adeo graves sentit qui oportunitatem sentiendi vitat et refugit. Inter has et alias multiplices repugnantium sibi invicem carnis et spiritus deliberationes affuit adjutorium Omnipotentis, et famulo suo desudanti in palestra gloriosi certaminis solatium præbuit cujusdam fidelis sui, qui sub clamide mundanæ dignitatis abscondi-tum gerebat probatissimum militem Christi. (Fol. 74.') Fredericus nomen erat viro, generosa satis ejus et alta propago. (Cfr. *Gest. Vird.* 9.) Comitatus honore vigebat, et quod maximum est, comitatum mentis indole peroranabat. Pater ejus Godefridus erat, vir probitate gratia et divitiis et honoribus inter magnates regni nominatissimus. Habebat et alios filios, Adalberonem Virdunensem quem diximus episcopum, Herimannum [279] quoque comitum nobilissimum, Godefridum quoque et Gozelonem duces. Herimannus, qui et Hezelo, Mathildem duxit uxorem, ex qua genuit duos filios, bonæ spei arbores, Gregorium et A Godefridum, et filiam Odiliam, quæ fuit abbatissa ancillarum Dei in monasterio sanctæ Odiliæ. Habuit et alium ex concubina filium nomine Godefridum. Godefridus vero dux in divitiis et gloria absque liberis consenuit. Gozelo autem dux Godefridum filium, qui accepta uxore Bonefacii postea factus est marchio, heredem reliquit. Hac ergo generosa stirpe creatus domnus Fridericus, in sublimitate honorum positus, mensurarum suarum limites attendebat, ne in præcipitio [280] pedem poneret : ideo bonum intentionis suæ finem adeptus est, qui extra fines suos vagatus non est. Hostibus terribilis, amore justitiæ spectabilis, pauperibus largus, dapsilis in donis; in parcendo pius, in ulciscendo severus. Qui etsi palacium frequentabat, in sterquilinio tamen cum beato B Job sedebat (*Job*, II, 8) : quia si qua illicite gerebat, ea ad mentis oculos penitendo reducebat. Sedebat in sterquilinio, quia cum ante se peccatorum stercora cernebat, si quid elationis in animo surrexisset, inclinabat. Et quanto se pulverem et cinerem cum Deo loquens estimabat, tanto celsius usque ad honorem divinæ colloquutionis ascendebat. Hinc est quod ita vere humiliatus est, ut ad alta virtutum surgere veraciter posset. Agit enim hoc pia Dei miseratio erga electos suos, ut quanto se infra se ipsos despiciunt, tanto sublimius ad amorem Dei subrigantur, et eo magis videant claritatem Dei, quo eos magis, ne de se magna sentiant, reprimit virtus veræ humilitatis.

4. Cum itaque ad conditoris sui desiderium totus C diutina meditatione incalesceret, et jam aperte mundi lenocinia despicere et Deo tota intentione adherere cuperet, videretque homo in sæculo constitutus pernecessarium sibi fore ut hoc suum desiderium cuilibet religiosorum propalaret, cujus relevaretur consilio et orationibus firmaretur, visum est ei, divina utique faciente clementia, ut virum religione nominatissimum, Richardum videlicet, de quo impræsentiarum agitur (Cfr. *Gest. Vird.* 8), expeteret, et ei tamquam sibi alteri se ipsum crederet, cum eo archana cordis sui participaret : illum esse consiliarium qui nichil haberet fallax, nichil simulatum, nichil corruptæ pacis amicum. Venit ergo, et dum unius voluntas aperitur, amborum desiderium revelatur, et ut perficiatur alterna confirmatione robo- D ratur. Decretum est igitur communi voto, et ex sententia utrimque deliberatum est ut pauper quilibet locus eligeretur, in quo honor Dei et rigor regulæ conservaretur, ubi novi christianæ paupertatis amatores exerceri, et sic demum alios in spiritualis tyrocinii exercitio instruere possent. Delectus itaque locus Virdunum civitas fuit, et in ea monasterium apostolorum Petri et Pauli et sancti confessoris Christi Vitoni, quod et ab antiquo fundatum, et sanctorum patrociniis gloriosum, et religionis erat ordine insignitum. Erant enim in eo boni viri et religiosi, licet perpauci, sub disciplina abbatis Fin-

VARIÆ LECTIONES.

[279] Hezelonem *suprascriptum*. [280] pcipio *c*.

genii, a Scottorum partibus oriundi, qui illo causa religionis convenerant. (Cfr. *Gest. Vird.* 9.) Huc sane cum se conferre destinavissent, ad hoc tamen exploraturi convenerunt, ut opinioni minus creduli oculis attenderent, si eo se cœnobio recluderent. (Fol. 75.) Erat in eadem urbe et aliud monasterium a Wigfrido episcopo constructum, in quo eis videbatur melius eos ingredi debere pro loci oportunitate; quia illud prius cœnobium loci angustia et situs asperitas minus commendabat, licet rigor ordinis in illo melius servaretur. Estimationi vero suæ minus fidem dantes, Cluniacense cœnobium pari voto expetere decreverunt, quod et religione præcipuum, et divitiis opulentissimum esse videbatur; ut a domno Odilone abbate consilium quærerent, et optento adquiescerent, aut certe, si sancto viro sanius videretur, ibidem sub eo remanerent. Ierunt ergo. Sed sanctus vir prophetiæ spiritu plenus, caritatisque virtute refertus, viros egregios et in Christi amore ferventes gratanter susceptos ad solum proprium remisit, inculcans eis et præcipiens ut in monasterio quod primum delegerant, et ubi se devoverant, vota sua Deo redderent, maxime cum ibi vigeret fervor ordinis; adjiciens posse per eos fieri in processu temporis, ut habitacula servorum Dei nunc modica postmodum crescerent, et fieret eorum industria locus ipse insignis, qui nunc videbatur angustus et despicabilis.

5. Intueri plane libet flammam caritatis in corde beati Odilonis, quæ per beatum Job lex Dei multiplex dicitur (*Job* XI, 6), quia cujus mentem plene ceperit, hanc ad innumera opera multiformiter accendit. Hac enim actum est ut vir beatus ea quæ sibi ab altero fieri expectaret, eadem cogitaret alteri facienda. Hac etiam actum est ut proximum ut se ipsum diligeret, ut bona quæ valeret proximis impenderet, et inplendo non tumeret. Hac nichilominus fit ut quo se vir sanctus in solo Dei et proximi amore dilataret, eo quidquid a rectitudine discrepat ignoraret. Hac quoque actum est ut, ceteros tamquam se diligens, per hoc quod rectum in aliis conspexit, quasi de augmento proprii provectus, hilaresceret. Quis namque prælatorum hoc nunc faceret, quod virum sanctissimum tunc constat fecisse? Quis tot et tales viros fama ubique celebratos, si ad se declinare contingeret, ad alia loca demigrare moneret, et non eos potius sibi favore, gratia, vel precibus, seu qualibet arte retinere temptaret? Quod etsi non posset, tamen eos invitus et non sponte a se dimitteret, dolens quasi quos numquam habuerat dimitteret. Quantos nunc in ecclesia Dei prælatos aspicimus qui, provectum alterius videntes suum non esse, fastidiunt? Quibus omnibus beatum Odilonem præferendum merito censemus, ad cujus gloriam spectat, si quid per eos quos nobis attribuit, æcclesia cui attributi sunt [281], in ordine et religione fructificat. Redierunt ergo novi monasticæ religionis tyrones Virdunum, et provoluti genibus patris monasterii aditum precabantur. Quos cum senior cerneret, et viros virtutis ad toleranda obprobria, conculcationes et verbera minus idoneos et delicatos putaret, paupertatemque loci cum illorum metiretur divitiis, egre adsensum prebebat, quia mentes eorum in divino amore roboratas non noverat, quas si novisset, nec momento introitum illorum distulisset. Cessit tamdem, et petentibus assensum præbens ingressum annuit, quia voluntas Dei fuit ut cito eis occurreret quod volebant. Sociati itaque congregationi monasterii, facti sunt omnibus forma patientiæ et humilitatis, ut liquido cognosceretur a cunctis præventos eos esse gratia conditoris Dei. Protectionis enim divinæ gratia perlustrati, majori satis ardore diligere cælestem patriam cœperunt, quam prius in terrena dilectione flagrabant. Deus namque [282], cujus vera hereditas lux est, et defectus luminis ejusdem nullus est, ita eos sua dilectione inlustraverat, ita eos visione sua reficiens repleverat, ut novæ spei spiritu mentes eorum afflatæ, semetipsas quales in vetusta cogitatione fuerant obliviscerentur, ut nichil jam eis nisi quæ æterna sunt placerent, et, despectis transitoriis, sola quæ permanent requirerent. (Fol. 75'.) Quia vero venerabilis Richardus absque permissu et licentia archiepiscopi Remensis monasticum habitum susceperat, conquerebatur episcopus canonicum suæ æcclesiæ ab ea inordinate recessisse. Quamobrem eum conabatur repetere. Quod ubi ad aures Fingenii abbatis pervenit, evocato eo, rem ordine pandit. Ille, patre consolato, Remensi archiepiscopo cartulam misit hec continentem : *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Quam ille suscipiens, et vim verbi diligentius intendens, merito ait : *Abiit qui spiritu Dei ductus est, et ideo a nobis repetendus non est.* Sic confutata repetentium eum calumpnia est, immo magis ad imitandum eum accensa multorum devotio est. Regebat tunc æcclesiam Arnulfus Lotharii regis, qui quintus a Karolo Calvo fuit, filius, qui Traditor cognominatus est, ob id quia civitatem patruo suo Karolo reddidit, cum doleret regnum alienæ stirpi datum et suæ præreptum.

6. Procedente igitur tempore, domno Fingenio abbate ad superna evecto 8 Idus Octobris (1004), et in monasterio sancti Felicis tumulato, cum de electione substituendi abbatis ageretur in præsentia Heimonis episcopi, et, ut in talibus assolet, diversi diversa sentirent, et varia quorumdam haberetur electio; ad interrogationem pontificis, repente puerorum voce electus domnus Richardus consona omnium voce laudatur, episcopo in laudes Dei erumpente et dicente : *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem, Domine Deus* (*Psal.* VIII, 3). Et utique justa pontificis enuntiatio, quia ore infantium et lactentium facta electio, laus Dei erat et glorificatio, qua erat laudandus et glorificandus in fideli suo. (Cf. *Vita Richardi* 6.) Confirmata sane electione, et

VARIÆ LECTIONES.

[281] s. *c.* [282] enamque *c.*

scripto roborata, deducitur ab episcopo novus Jacob in cordis lætitia, et benedictione data more solempni, prælatus est custodiæ gregis Domini. Aderat jam tempus ut impleretur prophetia beati viri Odilonis, quod per eum et domnum Fredericum locus antea permodicus insigniretur, ut et ipse beatus Odilo de profectu illorum tamquam de suo gratularetur. Suscepta itaque prælationis sarcina, studuit elationem et jactantiam cavere. Sciebat enim oportere sibi prodesse fratribus magis quam præesse. Cui tantam Deus contulit gratiam ut a regibus et principibus, a divitibus et mediocribus miro diligeretur affectu; quia et congruum erat ut, quem Deus perfuderat gratia, ab omnibus amaretur. Ordinatus vero est per manum domni Heimonis Virdunensis episcopi anno ab inc. Dom. 1004, cum jam post Ottonem III secundo jam anno principaretur Heinricus consanguineus ejus, qui 9 regni sui anno imperator creatus est. Hujus ergo principis curiam pro quibusdam negociis domnus et pater Richardus adire compulsus venerabilem Fredericum secum duxit, qui et de imperiali sanguine procreatus et principibus regni erat notissimus; ut quod per se posse diffidebat, illius optineret gratia, cui aliquando, dum esset in seculo, tota parebat curia. Verum dispositis sedibus, et residentibus pontificibus et abbatibus, astantibus etiam regni primatibus, cum longe inferius resideret pater mitissimus, et memorabilis ejus monachus, ut regis et principum consanguineus, inter primos palatinis consiliis interesset eminentiorique loco sederet, ratus non sibi fore utile, si patri cui suberat præmineret sessionis ordine, rem fecit memorabilem et imitandam posteris. Surgens namque a latere principis, et suppedaneum suum ipse ferens, abbatem suum petivit, et posito ad pedes ejus suppedaneo, in eo ipse resedit, dans omnibus monachis cunctis postmodum futuris seculorum seculis formam veræ humilitatis, et quod vere exaltatur qui sponte pro Deo humiliatur. Hoc ergo ejus factum omnibus fuit miraculo et laudi datum est, quod non pro laude hominum, sed pro divino famulitio et paterna reverentia celebratum est. Nam regalis magnificentia humilitatem nobilitatis illius amplexata, Christumque in famulo suo devote venerata, cum eum ad se invitasset, et ille a pedibus patris avelli nollet, rex altiori ingenio viri prudentiam admiratus, abbatem ad se evocatum e latere suo sedere fecit, atque post eum domni Frederici sedem sisti præcepit. Sic familiaritatem regis et principum adeptus domnus abbas Richardus, in brevi, sapientia, consilio, astu, prudentia et honesta conversatione cunctis manifestatus est, ut in negociis curialibus disponendis nullus illo utilior, nullus prudentior, nullus validior aut acceptior judicaretur. (Fol. 76.) Probat hoc principalis erga eum liberalitas, qua pro amore ejus Virdunense, cui præerat, dilexit cœnobium, ut dona ei ingentia in auro et argento, in palliis et sacratis conferret vestibus, et totum se adeo in amore ejus transfunderet, ut miraretur qui videret.

7. Optentis igitur pro quibus abierat, abba religiosus ad monasterium suum reversus est, cepitque velle fieri tanto propinquior Deo, quanto per gratiam ejus regi et principibus, pontificibus et quibusque præpotentibus erat acceptior. Cœpit enim totum se sollicitius divinis mancipare cultibus, dominicis die noctuque invigilare laudibus, commissos sibi religiosis assuescere moribus; ita ut per totam Neustriam et Austrasiam, Franciam atque Burgundiam diffunderetur sonus sanctitatis ejus, fieretque omnibus in propatulo sanctimonia ejus. Fiebat ad eum grandis undecumque concursus; alii ejus se subdebant magisterio, postposito mundi fallentis lenocinio; alii filios suos ei offerebant erudiendos, ut videretur jam monasterium ejus monasteriis Nitriæ (84) vel Ægypti conferendum pro numerositate fidelium illo confluentium, qui velut apes ad alvearia undique avolabant, diversis virtutum speciebus onusti mentes, ut illæ mellis et ceræ indiscretas cruribus et pedibus subveunt qualitates. O quales et quanti viri ejus claruerunt magisterio! quam preciosa et devota Deo commissa ei congregatio, doctrinis ejus irradiata, et exercitio artioris propositi ad unguem informata! Probant hoc Galliæ et Germaniæ pontifices, duces et comites, amore Christi ferventes, qui ex monasterio et discipulatu ejus monasteriis quos habebant aut patres præficiebant, sub tuitione tamen ejus et disciplina, aut si patres inde habere nequibant, quos de suis patres facere deligebant, Virduni primo probandos, instituendos et morigerandos dirigebant. Ex quibus nos, licet juniores et moderni, plures religiosos et in omni theoria probatissimos vidimus viros, angelica facie et habitu reverendos: ut ex institutione discipulorum patesceret quantæ religionis, gravitatis et perfectionis eorum magister fuisset, cujus eruditionis decus in discipulorum clarebat moribus. Crescente sane numero discipulorum, crescebat census honorum. (*Vita Richardi*, 9.) Clarebat ubique nomen Richardi, sanctitas ejus ubique prædicabatur, et nomen Dei per eum clarificabatur. Videns autem æcclesiæ suæ vetustissima et pene jam diruta sartatecta, delegit eis dejectis ampliora jacere fundamenta, et in meliorem statum et nobiliorem novam compilare basilicam, quod et brevi actum est. Turres enim ecclesiæ ipsius domnus Fredericus ex suo fecit, et cellarium et refectorium fratrum. (*G. Vird.* 9.) Dormitorium vero cum dejectum restrueretur, et necessaria domus pararetur, nec posset nova parari nisi vetus mundaretur, accersitis quorum esset operis et studii id explere, cum aliqui illorum, ut assolent, erubescerent, et manus apponere in subvehendo quod mundabatur subterfugerent, vir humilitatis et gratiæ Fredericus vere monachus, terræ fossor ac-

NOTÆ.

(84) Pagus supra Memphim situs.

cessit, et quod effossum est onere facto exportavit. Quis jam similia facere erubesceret, cum videret Fredericum comitis filium, fratrem duorum ducum, imperatoris consanguineum, et fecisse et non erubuisse? Fecit et huic simile opus in turrium exstructione. Cum enim jam in altum structura porrigeretur, et strumentum illud quod avis (85) nominatur, subvectione cæmenti aptatum, perpauci essent qui ferrent, his qui huic officio erant deputati alias, ut credimus, occupatis, videns vir beatæ memoriæ quemdam de nobilioribus astantem, ut sumeret ligneum illud instrumentum, et cæmentum collo, ut moris est, subveheret ammonuit. Qui cum erubesceret, et suis id natalibus incongruum adstrueret, vir mitissimus cervice subposita quod rogabat primus implevit. (fol. 76'.) Ac deinde porrecto juveni instrumento eodem, suo docuit exemplo ut disceret facere quod fecerat comes comitis filius, nec erubesceret si ei improbaretur factum quod constaret ab ipso quondam comite primitus actitatum. Sedebat autem quadam die idem vir memorabilis in coquina fratrum, et operis quippiam exercebat, scutellas abluens et vasa alia mundans; cum ecce ad ostium quoquinæ Godefridus dux frater ejus adveniens aditum precabatur. Cui cum aperuisset unus ministrorum qui forte aderat, videns dux fratrem suum operi cepto insistentem, capite inclinato et alludens ad nomen comitis : *Non deceret*, ait, *comitem talia facere, non enim sibi conveniunt nomina et actus, nobilitas generis et exibitio operis.* Cumque egrederetur, ille egredientem subsequutus, nacta oportunitate loquendi, sic ait fratri : *Optime*, ait, *prosequutus es, o dux, quia tanta est dignitas hujus officii, et tantus est cui inpenditur, beatus scilicet Petrus apostolus, et sanctus confessor Vitonus, quod nec meæ congruit parvitati, ut præsumam ad hoc eis exibendum quasi pro nobilitate generis mei; nec tanta est humilitas mea, ut merear ab eis in illorum qui hoc officio digni habentur consortio deputari.* Tanta erat tunc abjectio et suimet despectio in anima illius fidelis, ut ejus humilitas prædicaretur, et miraculo esset cunctis qui noverant nobilitatem generis ejus. Nam cum sederet quadam vice privatus, et necesse esset ei calceos extrahere, quidam de fratribus, quem ipse senem vidi et a quo puerulus ista audivi, Johannes nomine, procumbens cum vellet ei pro caritate servire, obstupescens et quadam religiosa obstinatione obsequium ejus recipere nolens, prohibuit eum dicens : *Quid mihi prodest, frater, honores seculi reliquisse, si a fratribus obsequium, quod habuissem in seculo, cum non sit necesse, accipio? Qui ad hoc veni ut serviam, servitium quod non expedit quomodo accipiam?* Ita dicens, fratris repressit animum, dans omnibus maximum patientiæ et humilitatis et vilitatis appetendæ documentum. Hec in transcursu, pro innotescenda omnibus beatæ mentis abjectione, dictum sit; nunc ad ordinem rei flectamus articulum.

8. Edificata igitur nova æcclesia majori ambitu et elegantiori opere, necessarium fuit ut corpora quorundam sanctorum pontificum transmutari debuissent. Tunc corpus sancti Madelvei incorruptum repertum est, et in cripta sanctæ Mariæ sub altari in vase marmoreo decenter repositum. Tunc etiam facta est translatio duorum episcoporum Hildini et Hattonis Nonas Maii, et ad dexteram crucis monasterii, ad dexteram scilicet altaris sancti Johannis baptistæ positæ sunt eorum reliquiæ. (*Vita Richardi*, 8.) Corpus autem domni Berengerii episcopi et monachi in ingressu claustri tamen infra monasterium repertum, incorruptum inventum est, excepto pede qui in vita ejus aruit; et casula cum sandaliis ab ejus corpore abstracta est, et in thesauris æcclesiæ cum reliquiis reposita. Corpus vero ejus sanctissimum superius versus cancellos chori transmutatum est, casula nova et sandaliis honeste procuratum, et e regione sepulcri altare sancti Firmini, quod ipsius tempore ab eo inventum est, positum. At vero corpus domni Dadonis episcopi e regione duorum supradictorum pontificum, ad lævam scilicet crucis monasterii, ad sinistram partem altaris sancti Martini, honorifice reconditum est. Reliquorum vero episcoporum corpora infra chorum continentur, et desuper tabulatum de lapidibus sectis et quadratis factum est. Attamen quinque episcoporum corpora subtus pulpitum, quo ævangelium recitatur, contineri a multis audivimus, quorum tamen nomina non tenemus. (Fol. 77.) Pulpitum autem ære crebris tansionibus in laminas tabulasque producto, et deaurato, factum esse constat satis accurate et eleganter, et per 19 tabulas, 12 prophetarum imagines, 12 apostolorum formas subvehentium, sculptorio et polimito (86) opere exaratæ sunt. Et hec quidem ad occidentalem partem, ad dorsum scilicet stantium et canentium, positæ sunt. At vero ad septemtrionalem 4 fluviorum species de paradiso emanantium in 4 partibus eminent. In gyrum autem, quo ævangelii recitator stans obumbratur, Abrahæ offerentis filium, Abel agnum, Isaac benedicentis, et Jacob supplantantis, et Tobiæ sepelientis, et David manufactis imagines agnoscuntur, simili opere compilatæ. In facie autem dominus Jesus in throno majestatis residens, et Virgo mater, et Baptista Johannes cum 4 ævangelistis apparet. Porro dextra levaque Domini angeli et archangeli cum Cherubin et Seraphin Redemptori obsequium exibent. Instrumentum vero illud quod paratum est receptui textus ævangelii, Johannes ævangelista in similitudine aquilæ volantis adornat. In ora autem et summitate operis versibus exametris auro digestis patris Richardi devotio summa notatur. Propiciatorium sane sanctorum exornant corpora, quorum meritis floret æcclesia. Et in medio quidem alto satis et prominenti cyborio sanctus quiescit Vitonus redimitus frontem auro purissimo et gemmis pretiosissimis, quibus concluditur majestas Dei incircum-

NOTÆ.

(85) Hodieque Gallis *oiseau*.

(86) multicolore.

scripta et incomprehensibilis, habens ad dexteram beati Petri, et ad levam ejusdem beati Vitoni auro prominentes imagines opere factas cælatorio, quas ambiunt columnæ [283] ex electro purissimo cum basibus argenteis arte fusili et anaglifo productæ. Ipsum quoque cyborium dominicæ resurrectionis, apparitionis et admirabilis ascensionis opere cælatorio protensis adornatur insigniis, habens ante se altare sacratum in honore sancti Vitoni et omnium confessorum : ad levam autem altare sacratum in honore sancti Pulcronii et omnium martyrum, habens et ipsum suum cyborium, quo continetur corpus ejusdem beati Pulcronii, auro et argento decoratum : porro ad dexteram altare in honore sancti Possessoris habetur, et omnium virginum, cum cyborio, quo corpus ejus continetur, simili opere adornatum. Altare vero majus in honore sancti Petri apostolorum principis sacratum est ob privilegium æcclesiæ ipsius, quæ priscis temporibus in honore ipsius apostoli et facta et consecrata est. Ante hoc tabula habetur aurea, auro mundo et purissimo et gemmis preciosissimis densissime conserta, opere mirifico et arte celatoria facta, præferens imaginem Domini signum crucis tenentis et super aspidem et basiliscum ambulantis, et dextra levaque imagines apostolorum Petri et Pauli ejusdem operis et metalli. Ad quorum vestigia procumbentes, cerneres imagines domni patris Richardi et Mathildis digne memorabilis, supplices manus tendentes, et quasi ut grata hec eorum habeatur oblatio, alterius censu, alterius studio facta, supplicantes. (Cf. C. *Vird.* 9.) Factum est et altare gestatorium ex auro purissimo interius mire fabrefactum opere consimili, studio et largitione domni Herimanni comitis, in modum tabularum consertum et conpactum, quod cum aperitur, et altare est, et tabulæ aperiuntur, quibus si moram adhibeas, quod est instrumentum Moysi et Aaron imaginibus gloriosum, figuram dominicæ crucis exprimit. Habet hoc a quattuor cardinibus quattuor ævangelistarum, hominis, leonis, tauri, et aquilæ species ex argento opere fusili, præfatum altare portantium, et se invicem versis vultibus respicientium. Super ipsum vero altare brachium sancti Pantaleonis ponitur pallio serico involutum, et ligno inclusum, argento et auro decoratum, quod attulit cum corpore ejusdem a Nichomedia Coloniensis episcopus (87), optentum dono Constantinopolitani imperatoris, (fol. 77'.) quando pro ejus filia Ottoni II in matrimonio jungenda jussu ejusdem Ottonis ad eumdem imperatorem legatus missus est, cum episcopis duobus, ducibus et comitibus. Et cum, optentis pro quibus ierat, licentiam redeundi accepisset, et imperator ei sociisque ejus munera plura optulisset, et accipere renuissent, corpus sancti Pantaleonis ab eo archiepiscopus petiit, et optinuit, et reversus Coloniam detulit. Fuerat autem cum eo in expeditione ipsa quidam ejus consanguineus, dominus castri de Commarceio (88), et multa prece obtinuit ab eo brachium corporis sancti Pantaleonis, quod et in æcclesia præfati castri reposuit. Evolutis postmodum aliquot annis, obsessum est castrum ipsum, et eversum atque succensum. Cumque flamma tectis æcclesiæ illaberetur, et victricibus globis interiora æcclesiæ lamberet, dolens sacerdos de combustione sanctarum reliquiarum, cuidam armatorum ut æcclesiam ingrederetur et desuper altari reliquias tolleret, significavit. Qui mox ingressus, reliquias tulit et reposuit; et cum ibi adesset abbas R., brachium sancti præsente presbitero marca argenti ei vendidit; quod domnus ipse cum sciret pro certo martyris esse reliquias, Virduni gaudens attulit, et paratum argento et auro diebus festis super altare ponitur. Fecit et alia plura ornamenta, libros evangeliorum auro et argento paratos, cruces ex auro purissimo 3, ventilabra argentea 2, librum epistolarum 1 argento paratum, missale 1, collectarium 1 similiter argento paratos. (*Cf. G. Vird.* 11.) Dedit et Heinricus imperator calicem 1 aureum premaximum cum gemmis preciosissimis et patena ejusdem metalli, et scutellam 1 de berillo, et pixidem 1 de onichino, in qua servaretur corpus dominicum dependens super altare : præterea innumera dona auri et argenti et prædiorum sacrumque vestium, et philacteria aurea et argentea et cristallina cum sanctorum reliquiis, capsam 1 auream insignitam reliquiis 12 apostolorum, et cornua 2 eburnea idemtidem reliquiis conferta. Fecit etiam memorabilis pater Richardus coronas 2 ex argento et auro, et tertiam parvulam, ubi dependerent signorum restes. Adverada quoque comitissa dedit sancto Petro casulam viridem cum aurifrisio, et multi multa dederunt, quæ enumerare longissimum est. Unde et in brevi factus est locus ille insignis. (*G. Vird.* 8, 9.) Ejus namque exemplo provocata progenies domni Frederici seculo renunciavit, et adherens discipulatui præfati patris prædia sua et patrimonia æcclesiæ dedit. Godefridus comes pater Borracum dedit, inde relato filio suo ab Italia Adalberone episcopo, cum eum parentes ejus in æcclesia S. Vitoni sepeliri mandassent, et contra eorum voluntatem in æcclesia S. Mariæ sepultus fuisset, pro requie animæ illius dederunt S. Vitono Forbacum (88*). At vero Herimannus, qui et Hezelo, filium suum Gregorium in annis puerilibus Deo obtulit, et omnem devotionem suam ad eundem locum vertit. Dedit enim S. Petro et S. Vitono Haslud cum æcclesia, in Fesseca unam ecclesiam, in Rotgericorte 12 mansos in Ermefredegehen

VARIÆ LECTIONES.

[283] *ita c.*

NOTÆ.

(87) Gero.
(88) Commercy.
(88*) Forbach.

unam æcclesiam. De his factum est post mortem ejus concambium, et dedit pro his comes Balduinus Flandrensis Bonvillare cum dimidia ecclesia, Hevenges similiter cum dimidia, in Vitereio vineas cum quadam parte æcclesiæ, in Harvia 30 mansos cum familia magna. (*G. Vird.* 9.) Sine isto tamen concambio tradidit adhuc præfatæ æcclesiæ Monnau et æcclesiam cum silva spaciosa; Fontagiam quoque cum familia et vinea optima. Dedit etiam pro anima filii Godefridi ex concubina nati, in claustro tumulati, non tamen juxta fratres et patrem, duas æcclesias, quarum una dicitur Ham, alia Gengeavia.

9. Fecit et vestes sacratas in æcclesia preciosissimas. Et cum æcclesiam ipsam præ cunctis mortalibus suis ditasset bonis et possessionibus, ad ultimum semetipsum Deo optulit, et monachus factus est, ut in æternum cum Christo regnaret. Mathildis autem, uxor ejus digne memorabilis, bonis pollens virtutibus et misericordiæ studens operibus, in claustro ipsius monasterii defuncta venerabiliter quiescit humata. Cujus ad caput filia eorum Odilia virgo sacratissima locum habet sepulchri. (Fol. 78.) De hac sermo extitit, et nos a senioribus audivimus, quod egressa a finibus Bavariæ venerit Virdunum 4 feria ante sanctum diem paschæ, volens cum patre et matre et fratribus diem paschæ celebrare. Quam cum vir Domini Richardus intuitus fuisset, inter blanda consolationis alloquia, an aliquid infirmitatis pateretur interrogavit. Qua respondente sanam se esse, et nullius egritudinis molestiam se sentire; ille prophetiæ spiritu plenus, prævidens imminere tempus vocationis ejus : *Vale*, ait, *filia, vere salutis æternæ filia. Nam cras hac in hora assumeris in gloria; et recipies a Deo pro bene gestis præmia sempiterna. Elegit enim te Deus sociam esse sanctarum virginum, quia jocundum ei in corde tuo virginitatis præparasti habitaculum.* Obstupuit ad hanc vocem pii patris ancilla Dei, et quia virum Dei credidit non posse mentiri, verbis ejus credula cepit de fine suo tractare, excessus suos pertractare, et suffragium consolationis et orationis ab eo expetere. At ille caput sanctum super pectus suum reclinans, et, quasi jam per incorruptionem corporis et spiritus alterata esset, eam demulcens, confortabat spiritum ejus in Domino, proponens beatam eam fore, quam certum erat ad nuptias agni festinare. Post hec eam reficere jussit, omnibus mirantibus quomodo eam sanam et vegetam in crastino morituram predixerit. In crastinum autem liquore sancti olei ab eo inuncta, cum nullam gravedinem pateretur, mandato pauperum cum eo interfuit, et in eodem quo laverat pedes pauperum loco virum beatum intuita : *Hec*, ait, *requies mea in sæculum seculi, hic expectabo diem Domini.* Ad missarum itaque sollempnia ivit, et cum communicasset vivificis mysteriis, dolore aliquantulum pulsata ad cellam rediit, et adveniente viro Dei cum fratribus, exitum suum orationibus muniri petiit, et sic inter manus ejus in cinere et cilicio se reclinans, inter verba orationis læta spiritum efflavit. Et recedente beata anima, tanta illic emanavit flagrantia [284] odoris, ut nulli dubium foret venisse illic auctorem suavitatis. Curatum sane est corpus ejus pia religiosorum instantia, et usque in diem tertium in æcclesia pia servatum sollicitudine et industria; et sic sabbato sancto terræ mandatum cum gloria. (Cf. *G. Vird.* 9.) In hoc monasterio domnus Liethardus comes de Marceio ad conversionem veniens Bailodium contulit, et multis annis in sancto vivens proposito, tandem Cathalaunis, quo eum obœdientia miserat, defunctus et sepultus est, et demum Virduni relatus in claustro tumulatus est. (*Vita Richardi*, 9.) Godefridus dux Gozelonis frater ibidem sepultus, 29 mansos in Beurunes dedit, et sua suppellectile locum admodum ampliavit. Dodo etiam de Comitis castro juxta Teodoricum comitem ibidem in ingressu monasterii quiescit. Ludovicus quoque comes et monachus. (*G. Vird.* 9, 11.) Hiidradus comes Richardum filium suum post episcopum beato patri baptizandum offerens, Baronis curtem sancto Vitono dedit, et defunctus in galilea (89) tumulari meruit. Non est autem facile referre, quot de diversis partibus Franciæ, Neustriæ et Austrasiæ, spretis mundanæ vanitatis illecebris, sub disciplina et magisterio patris Richardi monasticæ se subdebant religioni. Ita namque in ejus amore se transfuderant reges, pontifices et potentes, ut summo eum venerarentur affectu, et patrem eum dicerent patriæ ob paternum ejus erga omnes affectum, quo cunctos fovebat et relevabat. Erat enim pius in vultu, reverendus incessu, severus circa reprobos, dulcis erga benivolos, forma honestus, actione compositus, præferens semper honestum utili, qui nullo terrore, nulla adulatione a vero flecteretur, in observatione regulæ ferventissimus, in corrigendis viciis prudentissimus, in castitate cluentissimus, in exibitione bonorum operum perfectissimus.

10. (1020) Baldricus igitur Leodiensis episcopus (89*) cum beatum virum unice diligeret, cœnobium Lobiense divitiis opulentissimum ei tradidit regendum, ut industria ejus religionis in eo reformaret propositum, quod videbatur a pristino rigore inmutatum. Cujus exemplo delectabili provocatus, cum videret religiosam ejus conversationem in bonis et sanctis moribus, et incrementum religionis et monasticæ perfectionis in cœnobio eodem exere-

VARIÆ LECTIONES.

[284] *ita c.*

NOTÆ.

(89) Area, nostris *galleric.* Gesta epp. Camer. l. 3, c. 15. SS. VII, 470
(89*) Wolbodo; cf. Ann. Laubienses. SS. IV, 18,

scere gaudens miraretur, cepit jam majora meditari, et in suburbio Leodiensi in honore Laurentii martyris monasterium edificari constituit. Evocato ergo ad se eodem abbate, desiderium suum ei aperuit, et ut desiderii ejus cooperator accederet monuit, et obtestatus est adiciens multum perfectioni ejus posse proficere, si ejus studio et industria domus Dei extrueretur, in quo laus et gloria Dei devote die noctuque celebraretur. (Fol. 78'.) Adquievit vir Domini, et congregatis artificibus, delegatisque necessariis sumptibus, Christo domino adjuvante, et beato Laurentio cooperante, opus inchoatum agiliter perficitur et dedicatur, et fratres, qui Deo cotidianis deservirent, ex monasterio sancti Vitoni adducuntur; quibus loco præpositi præficitur domnus Stephanus, qui in præfato cenobio cellerarii officio fungebatur. Tactus simili bonæ devotionis desiderio domnus Rotgerius Catalaunicæ civitatis episcopus, industria et labore ejusdem patris Richardi in suburbio Catalaunensi in honore sancti Petri monasterium a fundamentis construxit, et a monasterio sepefato fratres cum libris et ornamentis necessariis, qui inibi deservirent, deduxit, et in vita sua ipse per se utraque rexit monasteria. (*Vita Richardi*, c. 12.) De quo hoc fertur mirabile, quia cum turres ecclesiæ sancti Laurentii in altum jam porrectæ, et usque ad cacumen elevatæ, postmodum reclines viderentur, et in ruina eorum [285] certa esset dejectio æcclesiæ, vir Dei adveniens, dolorem fratrum, quem ex tedio dejiciendæ et iterum reparandæ turris habebant, blande consolatus est; et nocturno tempore æcclesiam ingressus, cum diutius in oratione pernoctasset, januis patefactis egressus est, et iterum orationi incumbens cum surrexisset, signum crucis edidit, et confestim turres, quæ reclines videbantur, dato maximo strepitu in sese resilientes subsederunt : et, ut cernentibus patet, ita in se resilierunt, ut cunctis palam daretur intelligi, angelico id factum esse ministerio. Tantus autem resilientis in se structuræ crepitus factus est, ut fratres monasterii tantorum sacramentorum ignari a lectis cum maximo timore exurgerent, putantes in ruina turrium quam verebantur dejectam esse partem æcclesiæ. Quos vir Domini ad consuetudinarium matutinorum officium invitans, ipse cum eis interfuit, et mane facto beneficia Domini oculis videnda monstravit, atque ad amorem eos tanti beneficii largitoris mirifice animavit. Hujus miraculi testis est tota Leodiensium civitas, et patres qui viderunt narraverunt ea filiis, et filii filiorum filiis, ut cognosceret generatio altera. Temporibus illis principabatur Francis Robertus, qui Constantiam duxit uxorem. Hic ter beato patri nostro abbatiam sancti Petri Corbeiacensis regendam contradidit, ut ejus institutione et vigore servaretur in eo regula patris Benedicti, et rigor reformaretur monasticæ institutionis. Balduinus vero Flandrensis abbatias ei quamplures tradidit, abbatiam scilicet sancti Petri Gandensis, abbatiam sancti Amandi, abbatiam sancti Bertini, abbatiam sancti Richarii et abbatiam sancti Judoci. Rexit et alia quamplurima cenobia, Bretuliensem, Humulariensem, sancti Quintini de Monte, sancti Wandregisili, sancti Huberti, sancti Remacli, Malmundariensem, Waltiodorensem, Belliloci, sancti Urbani, sancti Vincentii Mettensis insulæ, et alia perplura quæ non occurrunt memoriæ, quas omnes in meliorem repa ravit statum, et melioratis abbates de suis quos elegit instituit. Cenobium vero Belliloci, sancti Petri Catalaunensis, sancti Urbani [286] ipse in vita sua rexit. Preerat tunc Cameracensi æcclesiæ et Atrebatensi Gerardus venerabilis episcopus. Hic æcclesiam sancti Vedasti in suburbio Atrebatensi sitam, de maximis divitiis ad maximam redactam penuriam, anno ab incarnatione Domini 1008 huic patri nostro, quem unice diligebat, assignavit; in qua vir Domini tanta egit et passus est, ut, si singula scriberentur, et lectori ut vereor tedium et audientibus generarent fastidium; sed de multis pauca dicenda sunt, et fortasse utilius proderunt. Dicamus itaque quid rerum intercesserit, ut ad inopiam redigeretur locus tantarum divitiarum. Non autem visa, sed a senioribus audita referimus.

11. Quidam servientium sancti Vedasti in tantam eruperat proterviam [287], in tantam excreverat insolentiam, quia aliquanto necessarius erat æcclesiæ, ut infra atrium monasterii domum sibi constitueret magnæ altitudinis et fortitudinis quasi pro tuitione loci. Sed nacta oportunitate contumatiæ exercendæ, secularitatis in monasterio superabundanti desidia provocatus, propugnacula erexit, infirmiora munivit, et non jam pro loco, sed contra locum et Deum rebellare nisus est, bona æcclesiæ diripiendo, vernaculos et ancillulas sibimet aggregando, canum turbam, histrionum et scurrarum ineptam congeriem deducendo, nec eos ab ingressu claustri arcendo : (fol. 79) cum potius ipse in eo obsequentium stipatus cuneis assidue sederet, et habitacula servorum Dei actibus illicitis prophanaret. Ubi vero vir Dei cœnobium ipsum regendum suscepit, et a fratribus, quibus erat mens sanior, susceptus est, non est passus tantam domus Dei videre desolationem; quin immo ad ejus omnimodis se superextendit ereptionem. Cogitavit tamen si posset liberti illius emollire mentis duriciam, et verborum dulcedine [288] lenire proterviam, ut cessaret ab oppressione et conculcatione æcclesiæ, cui pro debito et jure naturæ debebat potius subesse quam præesse. Sed servum malum non frangunt verba sed verbera, sicut dicit Sapientia, quoniam *qui mentis est duræ suscipiet vulnera* (*Prov.* XXVIII, 14). Et licet verba sapientis sint tanquam clavi in altum defixi, tamen non audiit stultus verba prudentiæ, quia non dice-

VARIÆ LECTIONES.

[285] *ita c.* [286] *aliqua erasa.* [287] propterviam *c.* [288] dulcenide *c.*

bat ea quæ versabantur in corde ejus. Impletum enim erat illud veridicum Salomonis proverbium : *Qui nutrit servum delicate, sentiet illum contumacem* (*Prov.* XXIX, 21). Quid faceret, quo se verteret anxia mens viri Dei? Cilicio itaque obvolvitur, cinere aspergitur, et, in excubias commissi gregis pervigiles noctes ducens, Deum precabatur attentius, ut ab oppressione inimici et membrorum ejus tueretur ecclesiam suam, misereretur parvulis, et protegeret a scandalo; se ipsum quoque, quem eis præposuerat, talem faceret ut subditis eum et matrem pietas et patrem exiberet disciplina, ut esset in eo et juste consulens misericordia, et pie seviens disciplina. Nacta igitur temporis oportunitate populum conveniens, cum pauca pro re et tempore contra superbiam disseruisset, et de sectando religionis proposito nichilominus quedam perorasset, ubi vidit deflexos ad se animos populi, munitionem quam patiebatur infestam adivit, et, ea funditus destructa, illum qui contra justitiam tumidus superbiebat, captum in elemosina sancti Vedasti sedere et de elemosina vivere instituit, sicque locum ab ejus et obsequentium ejus importunitate eripuit. Cepit ergo tanto ferventior studiis religiosis insistere, et deductis a Virduno fratribus in spiritualis exercitii tyrocinio probatis curam loci commisit, inter quos erat Rothardus a Leodio sapientia et religione nominatissimus, quanto noverat et sibi qui præerat et eis qui suberant expedire. Verum quia vita ejus casta et sancta moribus inhabitantium aversabatur, durumque eis videbatur quod in mente veteri cogebantur nova meditari, ex rebellione audacia sumpta, conati sunt quidam eorum de ejus morte tractare.

12. Imminente itaque quadragesimali tempore, quia hec erat monasterii regula ut in illis diebus artiori se quisque mactaret continentia, cum ad hoc propensiori cura et ferventiori compellerentur, tectus in corde livor cepit altius serpere, et ad perficiendum quod anhelaverant in dies mentem excruciatam permovere. Quid multis inmoramur? Venit sacratissimus dies cœnæ dominicæ, et quæ erat pacis et concordiæ, reconciliationis et misericordiæ, hæc factiosis convenit dies proditionis et malitiæ perpetrandæ. Deliberatum est enim apud illos ut eo die perexpleto, cum post ministerii salutaris expletionem vir beatus fessa corporis membra quieti laxaret, cum omnes dormirent, ab eis gladiis perimeretur. O præsumptio temeraria! o impudens audatia! Quis furor, post immolatam illam agni paschalis victimam, ea die vel nocte quemquam quamvis nocentissimum morti adjudicavit? Nec latuit virum beatum feralis illa malorum deliberatio. Audiit namque quod ea nocte ab impiis perimendus esset, nec timuit. Timor enim Domini castus, qui permanet in seculum seculi, a mente ejus timorem mortis exclusit, quia noverat quod nemini super eum potestas daretur, nisi quantum a Domino permitteretur. Totum ergo se committens Domino, ivit cubitum, caput habens retectum, paratus, si Deus vellet, ad excipiendum jugulum. Cum ecce ante matutinum tempus, omnibus post laborem quiescentibus, duo illi, quorum erat operis et voluntatis patrem jugulare, surgentes clanculo dormitorium egrediuntur; et accincti gladiis, cum de perpetrando scelere se mutuo devotantes contestarentur, ad hoc ultimum devenerunt ut unus illorum pedetemptim singula dormitorii lecta circuiret, ne aliquis superesset qui vigilaret, a quo deprehendi verebantur. Quod ubi factum est, et ille est reversus ad socium, captata oportunitate maliciæ perpetrandæ, simul patris Richardi cubile adeunt videntque virum capite retecto soporatum. (Fol. 79'.) Cumque unus audacior in scelere armatam in illum vibrasset dexteram, brachio obrigescente divinam erga se sensit clementiam, ne perderet patrem, qui multos ad æternam transmissurus erat hereditatem. Stabat exerta [289] dextra, inpos ad feriendum, nec inpos ad gladium reponendum. O admirabile Dei præconium! mira patientia! pietas prædicanda! Poterat Jesus noster suos illos palestrites a peccati voluntate avertere, poterat, mox ut cogitata ad effectum perducere temptaverunt, morte multare. Sed sustinuit in multa patientia filios iræ, ut faceret filios misericordiæ. Invasit ergo miserum illum timor cum febre, et recessit a lecto patris, quem protegebat gratia Omnipotentis. Nec multo post signo dato ventum est ad æcclesiam, et ille quem remordebat conscientia, inter alios nocturnali sinaxi interfuit, quanquam tremens, quanquam infirmus, quanquam mordacis conscientiæ stimulis aggravatus. Ubi vero ventum est ad tenebras, miser ille, dum *Kyrie eleyson* cum versibus cantaretur, corde compunctus genibus patris advolutus est, clamans et ipse patri : *Domine, miserere*, scilicet ut sui misereretur, sicut Deum sibi misereri precabatur. Obstupuit vir sanctus ad tactum fratris vestigiis ejus procumbentis, et quid esset prorsus ignorabat. Suscepto tamen eo et in partem declinato, orationem complevit, et dato lumine ceteris ad strata regredientibus, aliquos de fratribus secum retinuit; secedensque in locum congruum, data oportunitate loquendi, trementem fratrem et plorantem, totoque corpore terræ prostrato capite terram ferientem, quid pateretur requisivit. Ille gemitu interrumpente : *Peccavi*, inquit, *in celum, pater, et coram te, qui nolebam dici et esse filius tuus, factus sum persequutor tuus.* Et proferens gladium de sub cuculla : *Ecce*, inquit, *quem extendi nocte hac ad feriendum te, sed Jesus tuus protexit te. Volui quidem perdere te, sed protector tuus Dominus defendit te. Exemi gladium in te, sed cujus est virtus et imperium, gladium continuit, et te a morte, me ab interitu animæ et ab homicidio salvavit. Parce ergo mihi, quia converti paratus sum et tuis monitis adquiescere, regularibusque subdi insti-*

VARIÆ LECTIONES.

[289] exerta *corrigit L.* extera *c.*

tatis; tantum dona mihi quod deliqui in te, et ora Deum pro me. Non erat hoc grave beato viro, donare peccantibus in se, qui ad proprias injurias erat patientissimus. Toto ergo corpore prostrato, gratias egit protectori suo Deo, inde fratri benigne indulsit quidquid in se deliquerat, plurimum eum consolatus, inculcans ut confiteretur Domino peccata sua; dicens peccatum aliquando esse peccatum, et penam peccati, quæ omnia vitare quiret, qui confessioni operam daret. Pauca ergo pro tempore loquutus, fratrem consolatum dimisit, dans in mandatis ut mane facto ad se rediret, et quæ sibi imperarentur faceret, et ita discessum est. Pater Richardus oratorium petiit, et quod superfuit noctis in laudibus Creatoris exegit. Die facto, prima dicta, consuetudinarie officio expleto, ubi tempus oportunum datum est, patrem filius requisivit, et data confessione, penitentiaque accepta, alacer et sospes ab eo recessit, dicens multum sibi prodesse quod hac cum occasione Dominus sibi asciverit. Hic ex tunc patris Richardi fuit filius dulcissimus et comes individuus, hic consiliorum particeps, quia erat nobilibus ortus natalibus et litteris adprime eruditus, et videbat in eo penitentiam cum verecundia. In capitulum ubi ventum est, publicam penitentiam egit cum socio corde contrito et humiliato, et fratres glorificaverunt Deum, qui avertit peccatum hoc ab eis; et jam in majori veneratione sanctum Dei habere ceperunt, quem Deo karissimum, mortis inpavidum, sui contemptorem, injuriæ donatorem, et ob id Deum defensorem et tutorem habere sciebant. Jam autem si quis esset qui viro Dei aliquando infestus fuisset, surgebat in medio, et confitebatur quidquid illud esset, satis verens ne etiam circa se deseviret indignatio divina. Precabantur itaque omnes pariter sibi indulgeri, quia eum non ut decuisset patrem et dominum tractaverant, et facta est ruina duorum sui ipsius et multorum in spiritu resurrectio. (Fol. 80.) Igitur vir Dei generali omnibus indulgentia data, tanta [290] in posterum ab omnibus caritate dilectus est, ut merito diceretur : *Hæc mutatio dexteræ Excelsi* (*Psal.* LXXVI, 11).

15. Ordinata itaque dehinc æcclesia personis et necessariis sumptibus, Virdunum rediit, prædictum fratrem secum deducens, quia intelligebat eum utile vas futurum in domo Domini. Nec eum spes fefellit Cepit enim totus alteratus perfectiora meditari, amare honestatem, diligere ordinem, omnes sibi præponere, se omnibus postponere, et si quid est quod virum honestum deceat, ad id modis se omnibus informare. Quamobrem diligebatur a viro Dei, et cotidiana monitione ad meliora sectanda incitabatur. Leduinus nomen erat viro. Hic est ille Leduinus, qui postmodum jussu et obedientia prædicti patris sub eo sancti Vedasti annis multis rexit æcclesiam. Verum hoc in patre nostro memorabile videtur, quod tanto eum affectu dilexit, quem de morte sua tractasse cognoverat. In quo consideranda est pietas ejus et patientia invicibilis, quæ vicem le dentibus rependere non novit, qua in tantum abundabat animi ejus directa simplicitas, ut quem passus fuerat inimicum, eum sibi crederet fidum amicum. O mens vere plena Deo! simplicitas sine simulatione! caritas sine emulatione! Sed sufficiant interim ista, festinandum nobis est ad reliqua. Non enim omnes ejus virtutes animi describere possumus. Supersedendum aliquibus est, ut ad potiora sufficiamus. Et nunc quidem de benificientia dicamus quod possumus, quia non omnia possumus, qua ita sibi filiorum animos obligaverat, ut inmemor injuriæ, memor gratiæ diceretur. Considerabat enim singulorum affectus, necessitates, oportunitates, et ita quibusque mirabili verborum et vultus gratia occurebat, adjiciens verba bona rebus bonis, et prædicatione benigna et humana se ipse commendans, ut pluris estimaretur animus ejus, quam illud quidquid esset quod querebatur. [Cf. SENEC., *De benef.* II, 2.] Quemadmodum enim in egris oportunitas cibi salutaris est, et aqua tempestive data remedii locum optinet, ita beneficia ejus, quamvis levia, quia præsto erant, quia occurrebant voluntati, gratiam preciosi, sed lenti et diu cogitati muneris vincebant. Gratissima enim erant quia parata, quia facilia, quia occurrentia, ubi nulla erat mora nisi in accipientis verecundia. Noverat enim optimum esse antecedere cujusque desiderium, et proximum sequi; illud vero melius, occupare antequam rogaretur. Nam cum homini probo, ut ait Seneca in libro (II, 1) de Beneficiis, ad rogandum os concurrat, et suffundatur rubor, qui hoc tormentum remittit multiplicat munus. Nulla enim res carius constat, quam quæ precibus empta est. Hinc sanctus Benedictus de dandis necessariis agens : *Consideret*, inquit, *abbas infirmitates indigentium, non malam voluntatem invidentium*. Qui considerandas infirmitates præcipit, occurrendum docet precibus, divinandam cujusque necessitatem, ut rogandi necessitas auferatur. Ceterum et hoc in patre nostro beneficientiæ partes adjuvabat quia, si quis ei de secretis animæ, de internis mentis motibus confitebatur, tanta ei inerat mentis benignitas, tanta dulcedo, tanta compassio, ut qui solus advenerat ut se proderet, alterum se illum esse crederet cui confitebatur, cui non immerito tamquam alteri sibi animum suum applicaret, et se ipsum crederet. Occurrebat namque voluntati ejus, et ita ei conformabatur, cum dolente dolens, cum tribulato spiritum et ipse contribulatum adhibens, ut unam animam duobus inesse corporibus, dum alterum se stupet is qui advenerat, miraretur. Quæ res gratissima est mediocribus, utillima pueris, qui eo utuntur affectu quo vident sibi adclines quibus loquuntur seu confitentur.

VARIÆ LECTIONES.

[290] tamta c.

14. Jam vero in capitolio (90) si quis sermonem ejus audisset, totus tremebat, totus estuabat, totus ad reprehendendum se acutissimum stimulum compunctionis adhibebat, ac si præ oculis videret parata geliennæ incendia, suppliciorum dispertita omnimoda genera, donec procederet consolatio ab ore sermocinantis, fieret dulcedo mellis lingua ejus, favus distillans labia ejus! (*Cant.* IV, 11.) (Fol. 80'.) Non enim dissimulabat peccata delinquentium, immo cum de viciis sermo esset, ita eorum proprie spurcitias, immundiciam et fœtorem verbis exprimebat, ut qui audiret miraretur, et abhorrens talibus inplicari omnino detestaretur. Erat in eo juste consulens misericordia, et pie seviens disciplina. Ut enim ait in Moralibus mitissimus doctor Gregorius, *misericordia vel disciplina multum destituitur, si una sine altera teneatur.* Affectus patrem, pietas matrem, reverentia timoris dominum, disciplina exhibebat magi strum, quod totum de beneficientiæ fonte procedebat. Nolebat enim consumi munus suum, qui semper paratus erat ad donum; ideo in dando beneficio corporali seu spirituali, sensu communi et rationabili tempus, locum, personas observabat, quia et momentis quædam grata et ingrata sunt. [SENEC., *De ben.* II, 1.] Ingratum est beneficium, quod diu inter dantis manus hesit, quod quis egre dimisit, quod sic dare visus est, quasi sibi eriperet. Ideo vir beatus cum aliquid ab eo a filiis quereretur corporalis aut spiritualis necessitatis, non dubitavit, ne proximus esset a negante, et nullam referret gratiam, (*Ibid.*, II, 5) sciens nichil esse tam amarum quam diu pendere, cum equiori animo feratur a quibusdam præcidi spem suam quam trahi. Quod autem donum tam dulce homini, quam juvare consilio, participare laboribus, communicare doloribus, relevare estuantem animum, gaudere cum gaudente, flere cum flente? His donis, his beneficiis filiorum in se deflexerat gratiam, ut injuriam ejus suam arbitrarentur, lætitiam ejus suam crederent, cujus tanta erat benignitas ut, veniente eo, si quid in congregatione qualibet morari licuisset, cum egrederetur, nullus esset qui non se juvatum et relevatum, sustentatum et confortatum letabundus gloriaretur. Jam vero liberalitatem in eo laudari necesse non est, cujus non minima portio est, in omni negocio considerare quomodo quidque aut dicatur aut fiat. Nam procedens ex liberalitate omnis benignitas properat, et proprium est libenter facientis cito facere. (*Ibid.*, II, 5.) Qui enim tarde et diem de die protrahens profuit, non ex animo fecit; ita duas res maximas perdidit, tempus et argumentum amicæ voluntatis; quia tarde velle nolentis est. Aliquando vero in tedium adductus animus, incipit odisse beneficium dum expectat. Quod autem majus beneficium quam mortuis referre gratiam, et requiei eorum providere et consulere, quorum acceperis elemosinam? Summa hæc liberalitas est, memorari eorum qui se tibi dum adviverent commiserunt, quorum vivis laboribus, quorum sanguine pasceris; qui, fiduciam suam post Deum in te ponentes, per manus tuas Deo feneraverunt, dum sua tibi pro ejus amore largiti sunt. Non defuit gratia hæc patri nostro, immo in omnibus monasteriis quæ regebat, mox, ut potuit, jure perenni constituit ut in kalendario, singulorum fratrum et benefactorum ecclesiæ qui seculo excesserant, divisis paginis nomina, anniversaria quaque die in capitulo recitarentur, diligentius annotato quid quisque contulisset ecclesiæ, ut dum eorum beneficia fratres præsentialiter recolerent annotatione diligentissima, recalesceret in eis eorum memoria, et tanto gratius memorarentur illorum, quanto acceptior fieret repræsentatio benefactorum illorum. Quod ut acceptius fieret, sermonem inde habuit coram fratribus, quem exceptum kalendario eidem, cui hec inscribebantur, præscribi instituit, in quo dulcedinem ejus et pietatem, caritatem atque misericordiam, qui diligenter advertit, perpendere potest. Quanto vero affectu et studio memoriam defunctorum eorumdem, id est officium quod vigilias dicimus, et missæ celebrationem agi instituerit, noverunt qui hoc facere consueverunt. Per omnia circa memoriam defunctorum benignissimus extitit. Sciebat enim quia nichil in fructum pervenit, quod non a primo usque ad extremum æqualis cultura prosequitur. Ideo commissorum sibi et in vita et in morte sollicitudinem pia sedulitate est operatus. Quid autem de fortitudine et temperantia dicemus, quibus adeo regebatur animus ejus, ut innata sibi viderentur? Nam cum fortitudo sine temperantia iniquitatis sit materia, ita in eo unum condiebatur ex altero, ut alterum sine altero videri [videre. *Ed. P.*] et velle discernere omnino foret impossibile. Justitia vero cum prudentia privatum sibi domicilium in ejus pectore collocaverat, quibus utilis adomnia pietas non deerat scientiæ discretione munita. Nulla est autem scientia, si utilitatem pietatis dehabeat, quia qui bona cognita exequi negligit, sese adjudicium artius stringit. Hæc quia vir Dei noverat, singularum sib virtutum proprietates adquisierat, quibus munitus mundi fallentis lenocinia superabat. Verum ad narrationis ordinem revertamur.

15. Anno ab inc. Dom. 1011 Romam venerabilis pater Richardus ivit, et Benedicto papæ in amicitiis junctus, familiarissimus ei extitit. Eodem quoque anno cum esset jam nominatus vir in monasterio sancti Vedasti cui præerat rectoris officio, revelationes factæ sunt ei in eodem cœnobio, quorum textum idem ipse misit omnibus æcclesiæ filiis, quas etiam placuit hic annotari.

(1011, Ap. 17) « Electis [291] ecclesiæ Dei orthodoxis

VARIÆ LECTIONES.

[291] *Fol.* 81-83. *inserta eadem manu, atramento pallido scripta minutissimis litterarum ductibus, quorum*

NOTÆ.

(90) i. e. capitulo.

et unitis unitati corporis in Christi capite membris Richardus Dei favente gratia licet indignus abbas, ista legentibus perpetuæ salutis gaudia. (Fol. 81) Evangelica veritate edocti et totius evangelicæ fidei auctoritate in Christo fundati, paterna erga vos quodammodo junctus sollicitudine, vestram fratres dilectissimi exemplari rei divinitus gestæ commonefacio caritatem, quam ad commonitionis vestræ solatium per quendam fratrem nostrum per sex horarum spacia spiritu velut mentis excessu raptam nobis voluisse fieri manifestam, divinam conjicere possumus gratiam. Quæ licet spiritualibus nos res pugnare nequieris multimodis scripturarum divinarum occultis et ipsa vix subtilissima mentis acie contrectandis semper instruat documentis, nos tamen ex assiduitate torpentes, corporeæque impatientis naturæ remissiones adversum pernitionis quasi ex securitate hosti ex adverso insidianti patefacientes, manifesta per hanc visionem Dei miseratione, ad internam mentis nostræ et discussionis reducimur subtilitatem, prout quisque nostrum subtilissimæ mentis et discretionis oculo transfigurata comparataque huic visionis sententiæ prophetarum, apostolorum, evangelistarum quoque invictissima discretione hoc in se ad utilitatem suam veritatis transformare studuerit testatione. Cunctis etiam liquet, quod sine detrimento silentii tegimine non velatur, quod divinæ miserationis ostentatione in salutem nostram manifestatur. Narrare vero opera Domini cum sit honorificum, ea silentio subprimi perniciosum. Quid namque tam saluberrimum atque utillimum, quam divinæ largitatis donum, quod habet quispiam singulare, cum aliis participando faciat illud esse commune : quod cum fit, illa Salvatoris jussio, qua dicitur : *Quod dico vobis in tenebris* (*Matth.* x, 27) et reliqua. Cujus non jussionis vim perpendentes, et toto mentis annisu illam complere volentes, quod in tenebris et in aure, id est in occulto, audivimus, ob multorum utilitatem in medium proferimus. Sane nemo autumet hic aliquid falsitatis esse permixtum, aut a veritate aliquatenus credat alienum, quoniam sicut audivimus, vidimus, absque mendacii fuco fideli narratione perstrinximus. Nunc igitur ad narrationem rei gestæ stilum vertamus. Debita religionis reverentia paschalia nobis 50 dierum exequentibus sollempnia, cum in hoc cenobio quod est Atrebatensium situm in urbe, pretiosissimi confessoris Christi Vedasti cultu dicatum honorifico, cui ipse monachicæ continentiæ instituendis disciplinis Deo auctore deservio, hec divinitus accidit visio. Quidam fratrum nostrorum debilitate corporis præventus, lecto est ægritudinis occupatus. Sicque duobus transactis diebus, in ipso tercii diei noctis perventum est articulo, cum dolore anxietatis suæ nimio hoc visus est exigi funditus migrare de seculo. Quod fratres vigiles inibi deputati videntes, me concite adesse signo faciunt, duorumque fratrum junctus obsequio, quam primum affui, et mox exposito lecto quia spiritus exitus sui separatione colluctabatur, psalmodiæ litaniisque insistens omnem adesse fecl congregationem. Quibus expletis, funebribus intenti exequiis ut a circumstantibus, quia spiritum funditus exalasset vix summa poterat diligentia inquiri, dicendo : *Subvenite, sancti Dei*, exitum ejus et os emundare cepi. Cum interim jam subitis [291] turbatus, me corpori defuncti applicui, manuque mea ejus ori pectori vitalibusque subtilissima indagatione admota, spiritum velut tenuissimi ac subtilissimi aeris flatum inesse præsensi, et remissa commendaticia oratione, quidnam futurum esset cepimus expectare. Cum post velut unius horæ spacium tenuissimo et vix sensibili singultu pariter et anhelitu cepere labia tremere, deindeque inconditum quasi suspiria gementis et dolentis lingua summotenus emittere sonitum, subindeque discretum, velut vagitus infantum verba formare volentum. Sicque est eo usque perventum, ut rectum ad nostrum formaret verba auditum. Sed quæso intendite, quia linguam commovebat tantum, cum in reliquis corporis membris, capite dico, oculis et manibus, coxis et pedibus nullus omnino ac si ligno vitæ inesset spiritus, quod præsens fratrum et frequens indubitanter testabatur attactus. Sed visa inibi et colloquuta nostro auditui verba sola lingua formabat; quæ in se postmodum reversus a nullo sub celo hominum sciri putabat. Cui assistens notarius, inpressis eadem signabat litteris, quæ et ipse corporeo postmodum usus colloquio, non alia atque alia testabatur a se visa et colloquuta esse in cælo. Quem cum in subsequentibus lector audieris, ne quid eorum ambigi posse credideris, vehementius emortuum corpus humana formare posse verba miraberis, quam si et utriusque testamenti verissima assertio credi compellit, ab eo ut refert visum esse non dubitaveris. Egredienti a corpore animæ malignorum spirituum tres ipsa sua visione terribiles astiterunt; cui quasi horrifico impulsu insultantes, dicebant se habituros hunc tormentis infernalibus cruciandum, suarum illi attestationem inferentes culparum : cultellum scilicet cujusdam fratris nostri parvulum quem oblivione et negligentia dudum perdiderat, cujus quamlibet minima videatur culpa nec priori confessa nec venia fuerat absoluta. Affuit etiam pacis et lucis Michael angelus, hostilis invasionis tutor serenissimus. Quibus utrimque conventis, in momento infernalibus astitere claustris. Ubi ignis maximus quantitatem magnitudinis omnino excedens, locis illis cruciandis animabus erat deputatus, nigras adeo et fetentes emittens flammas, in quo traditor Domini Judas catena undique strictus, majoribus in die judicii tormentis servatur cruciandus. Quibus anima se deputatam sperans, nimio

VARIÆ LECTIONES.

non pauci fere evanuerunt. Singulæ paginæ continent inter 67 et 75 lineas. Ita V. Cl. URLICHS, cui apographum foliorum 81-83 *debemus.* [292] *fuitne* subtus ? *U. Fortasse* motibus *aut tale quid excidit.*

præsentis mortis tormentorum terrore constricta, A miserereri sibi Deum sanctosque apostolos Petrum et Paulum, Johannem quoque Baptistam et magnum confessorem Christi cui deserviebat Vedastum, frequenti et lugubri voce iterabat. Illis vero inferentibus veram priori sui distulisse confessionem, ut eum dampnarent testificabant. Tandem miseratione Dei prævenia et angelica confinitate confisa, spiritibus discussa immundis, soli abinde amplioribus procedunt perscrutandis, et ecce subito discreto alteri generi tormentorum consistunt in loco, ubi erat hiatus inferioris inferni, in modum putei latæ et profundissimæ immensitatis, qui velut nubes glomerantur in imbribus, fumiferas eructuante camino renovebat flammas. Super hunc velut rupe in præcipitio constituta, ille vero verso vultu in altera, rogat ut introspiciat. Cujus nimio timore jussionibus parens introspexit, et inibi torqueri Albertum Namucensium comitatui præfectum (91), quem ex nostris multi noverunt, recognovit. Quæ cum illic propriæ perditionis nimium dubia tremeret sublata ab angelo, venerunt non longo adeo interstitio ad aquam sicut ex nimiis et fetentibus pruinis colligi poterat frigidam, circa quam velut medii corporis profunditate inmersi maxima residebat multitudo hominum, licet aliquantulum boni, tamen quia de seculo exierunt impuri, usque in futurum judicium penalibus undis frigoris et fetoris venialibus sunt diluendi peccatis. Deinde venerunt ad aliam, quæ ferventibus undis et ebullientibus innumerabiles C visu volvebat lugentium strepitus. Quorum tortores, equorum, canum omniumque fere repentium similitudinem præferentes, quoniam gravioris culpæ fuerunt, homicidii, fornicationis, adulterii, sacrilegii, eorum miserabili interitu, impudendo gaudebant vocis et corporis gestu. Iis angelico ductu transcursis, exierunt in pulcherrimi prati florum diversitate vernantis tantæque magnitudinis planiciem, ut si æquato omni orbi terrarum sub unius hominis visu colligi posset, huic comparari non posset. Locus hic quadam sui parte refrigeria, quadam vero diversis tormentorum et flammarum ignibus distinctus erat; ita ut qui levioribus pressi, velut aurum igne purgati, seorsum secedant refrigerandi. In hoc refrigerii loco Notkerum (92) recognovit episcoD pum. In tormentis vero alium intercepto nomine recognovit episcopum, qui a collo catena ligatus in dorso, linguam qua populo prædicare debuit, forcipibus igneis tortores ejus nitebantur extrahere..... draco ore, naribus auribusque flammas in faciem mortiferas u..... presbiteros Eucarium et Rainboldum, fratrem etiam suum puerulum nomine Petrum, sororem ex ejus conspexit [293] aduri latere; sororemque aliam toto quo advixit corpore contractam, seorsum jam cessisse liberam; laicum quoque, cujusdam fratris nostri qui inibi adstabat patrem, de quo, quia vitam novimus, minime dubitamus, multosque alios quos memoria notos, sed multimoda præsens ratio fecit esse ignotos. Abhinc lector queso diligenter intende, quia mox ut exiit ab immundis spiritibus, et visis tormentorum periculis hec anima est liberata, ductorisque sui serenissimi ut est familiaritate quam dulciter recreata, quomodo majoribus amplioribusque aucta et incensa desideriis inquirendi et perscrutandi aliqua quæ commimisci ab ea poterant, et quomodo ipsa sua importunitate quam sepissime dicendo : *O domine sancte Michael, pie pater, dic mihi !* semper extorserit, quæ in reliquum scripta audire poteris; et quia B singulis angeli responsionibus anxia hoc [294] iterum iterumque suis vexabat inquisitionibus, clamando : *O domine sancte Michael, dic mihi adhuc!* sub interrogatione animæ et angeli responsione cum omni diligenti assidenti inibi ut supra diximus notario, quod restat curabimus scribere, non permixta nec mutata a nobis latinitate, nec verbo, sed omnia quæ ipsi alternatim sermocinabant, eadem hec nobis in terra positis per linguam emortui corporis resonabat Spiritus sanctus; et cum impressum quarumlibet litterarum inveneris signum, animæ interrogantis in te transfer affectum, ut angelicum facilius possis intelligere responsum : Anima. *O sancte Michael, dimitte me ire ad fratres meos, et dicam illis omnia.* Angelus. *Non dimittam te, veni sequere me. Vide.* Anima. *O domine, quam pulchras mansiones; dic mihi, quis debet in eas habitare. O quam pulchram mansionem. O sancte Michael dic mihi.* Angelus. *Anima, non potes scire. Ista bona est.* Anima. *O domine sancte Michael, dic mihi quæ est ista altera mansio. Dic mihi quis debeat hic habitare.* Angelus. *Fredericus* (93). Anima. *O domine, parvum refrigerium est in ista mansione.* Angelus. *Adhuc non est rectum.* Anima. *Video domine, pulcra est mansio, si perfecta fuisset. O dommus abbas, multa mirabilia ostendit Dominus per te. Magnus Fredericus, fortis et laudabilis. O domine, non permittas me hic stare, dimitte me ire ad fratres meos, et dicam illis omnia quæcumque vidi.* Angelus. *Non. Non est in mea potestate, sed in Salvatoris.* Anima. *O domine, quam longa via est ubi est paradisus?* Angelus. *Eamus, sequere me.* Anima. *Sequor te. O domine, dic mihi quid est?* Angelus. *Unus paradisus est.* Anima. *O Adam, quare credidisti uxori tuæ? O Eva, quare decepisti virum tuum? O maligne serpens Leviathan, quare seduxisti mulierem? O sancte Petre, sancte Paule, sancte Johannes, magnus sanctus Vedastus, misericordiam. O pia Maria, sancta et gloriosa Maria, miserere. O domine, dimitte me.* Angelus. *Anima,*

VARIÆ LECTIONES.

[293] ex . . esp . . . *c.* [294] *faitne* hec?

NOTÆ.

(91) Obiit c. a. 1010; cf. Mon. SS. VII, p. 439; l. VII, XLVIII, p. 440; l. XIV, p. 475; l. V.

(92) Obiit a. 1008.

(93) præpositus S. Vedasti et comes Virdunensis, de quo Hugo plura refert; v. supra col. 201, 202.

non dimittam te, sede, sede, sede. Anima. *Quare non dimittis me?* Angelus. *Non dimittam te, nisi veniemus ad Salvatorem.* Angelus. *Veni, eamus.* Anima. *O domine sancte Michael, dic mihi quæ est ista altera mansio?* Angelus. *Alter paradisus est.* Anima. *O domine, quis est iste homo?* Angelus. *Duo sancti Elias et Enoc.* Anima. *O domine, quid faciunt hic?* Angelus. *Expectant judicium Dei.* Anima. *O domine, quid facient tunc?* Angelus. *Erunt ibi quousque veniat Anticristus.* Anima. *Quando venict Anticristus, o domine, quid facient tunc?* Angelus. *Tunc surgent illi.* Anima. *Ubi pergent?* Angelus. *Ad secula terrena.* Anima. *O domine, quis est ille Antichristus?* Angelus. *Magnus diabolus est, ipse dicet: Ego sum Christus; Helyas dicet non, et Enoch similiter.* Anima. *O sancte Michael, quid facient tunc? dic mihi.* Angelus. *Dico tibi. Salvatoris testes erunt, et dicent ejus testimonium, et testimonium eorum verum est.* Anima. *O omnes gentes non credatis illi; credite mihi, quia Salvator est in celo; qui hoc non credit, vitam æternam non habebit. O omnes gentes non credatis isti seductori; non habebit potestatem. O Antichriste, quare seducis gentes? Verba tua non sunt vera. O sancte Michael, quid facient tunc?* Angelus. *Dico tibi, testimonium prophetabunt quia Salvator veniet; qui hoc credit, salvus erit. Dico tibi, multi credent per Helyam et Enoch.* Anima. *O sancte Michael, quid facient tunc?* Angelus. *Dico tibi; prophetabunt omnia vera usque ad mortem.* Anima. *Qua morte erunt morituri?* Angelus. *Interfecti erunt pro Dei amore.* Anima. *O domine sancte Michael, dic mihi, quid faciemus tunc?* Angelus. *O anima, cessa.* Anima. *O domine sancte Michael, pie pater, dic mihi.* Angelus. *Tunc ardebit omnis terra.* Anima. *Quid faciemus tunc, domine? dic mihi.* Angelus. *Tunc veniet Salvator.* Anima. *Pie domine, quid faciemus tunc?* Angelus. *Tunc venient Matheus, Marcus, Lucas et Johannes. Illi dicent: Ossa arida, surgite; audite verbum Domini. Tunc veniemus coram Salvatore; tunc erit mundus novus et terra nova.* Anima. *O domine sancte Michael pie pater, quid faciemus tunc?* Angelus. *Dico tibi.* Anima. *Dic mihi, in qua forma veniemus.* Angelus. *O anima, cessa, satis audisti prophetas. Omnis plebs habebit formam triginta annorum, simul tam pueri, juvenes, adolescentes quam senes.* Anima. *O Domine, quid faciemus tunc?* Angelus. *Tunc habebitis novam carnem. Tunc veniemus coram Domino omnes angeli et archangeli, tunc duodecim apostoli.* Anima. *Quid facient illi?* Angelus. *Illi sedebunt super sedes duodecim, et judicabunt duodecim tribus Israel.* Anima. *O domine sancte Michael pie pater, quid faciemus tunc? Dic mihi.* Angelus. *Omnia opera omnis plebs habebit in manu sua.* Anima. *O domine, quando veniet Salvator?* Angelus. *Adhuc non venit.* Anima. *O domine, quando veniet, quid faciemus tunc?* Angelus. *Tunc veniet sanctus Petrus princeps apostolorum, et dicet: O fratres, sedete omnes gentes. Tunc veniet magnus Jesus salvator et redemptor.* Anima. *O domine, quam magnam angustiam videbimus tunc? Domine, dic mihi, quid faciemus tunc.* Angelus. *Dico tibi, tunc veniet ille in cruce præparatus.* Anima. *O domine, dic mihi, quid faciemus tunc?* Angelus. *Dico tibi, tunc dicet Salvator: O omnes gentes, angeli, archangeli, apostoli, o omnes gentes, videte dolores meos; palpate et videte; videte passionem meam, manus meas; sicut fui in cruce propter vos, sic sum coram vobis. O omnes gentes, non aurum et argentum propter vos dedi, nec ullum hominem, sed corpus meum. O omnes gentes, ego amavi vos, tradidi corpus meum propter vos, videte dolores meos.* Anima. *O domine, quid respondebunt tunc?* Angelus. *Omnia opera vestra respondebunt propter vos.* Anima. *O domine, quid postea?* Angelus. *Tunc sedebunt apostoli ad dexteram et omnes angeli.* Anima. *O domine sancte Michael, dic mihi, quid faciemus tunc?* Angelus. *Bene.* Anima. *O domine, quid faciemus tunc!* Angelus. *Anima, quare non cessas?* Anima. *O domine pie sancte Michael, dic mihi.* Angelus. *Scis verum, verum potes scire, quia Petrus primus loquutus est.* Anima. *Domine, quid faciet sanctus Petrus?* Angelus. *Ille judicabit primus, secundus Paulus, tercius Johannes Baptista; tunc omnes apostoli; tunc judicabunt sancti heremitæ; tunc perfecti monachi.* Anima. *O domine, quid tunc judicabunt?* Angelus. *Boni episcopi tunc reddent rationem de omni pecore suo.* Anima. *O domine, quid tunc?* Angelus. *Tunc venient boni presbyteri, tunc judicabunt illi.* Anima. *O domine, quid faciemus tunc?* Angelus. *Tunc venient boni layci, et judicabunt omnia bona. Illi vero qui sunt agricolæ, multa bona, omnia bona laboraverunt, omnia bona receperunt.* Anima. *O domine, quid faciemus tunc?* Angelus. *Tunc venient mulieres.* Anima. *O Domine sancte Michael, quid faciemus tunc?* Angelus, *Dico tibi. Ille qui dixit: Vade mulier, jam noli peccare ne deterius tibi aliquid contingat (Joann. v, 14), judicabit illas.* Anima. *O domine, misericordiam, quid faciemus tunc?* Angelus. *Dico tibi. Tunc dicet rex Salvator omnia bona his qui sunt ad dexteram, et omnia mala his qui sunt ad sinistram. Tunc erit rex magnus et fortis, omnis plebs humiliata. Tunc dicet Salvator: Omnes gentes amavi vos; volui ut vos domo venirctis; vos noluistis.* Anima. *O domine, quid tunc dicent illi, qui bona fecerunt?* Angelus. *Dico tibi, tunc respondebunt justi: Domine, quando te vidimus? Nunquam te vidimus; nec te vidimus nec minimos tuos. Tunc dicet Salvator: Quando fecistis uni de minimis istis, mihi fecistis (Matth. XXV, 40).* Anima. *O domine, quid faciemus tunc?* Angelus. *Justi bene, bene justi. Tunc dicet rex: Venite, benedicti patris mei, possidete regnum quod vobis paravi ab origine mundi (Matth. XXV, 34). Tunc erit gloria magna super eos.* Anima. *Post, domine, quid facient illi ad sinistram.* Angelus. *O anima, cessa.* Anima. *O domine sancte Michael, dic mihi.* Angelus. *Dico tibi. Ibunt in supplicium æternum.* Anima. *O sancte Michael, dic mihi ubi pergunt illæ? Quod si erit illis ultra aliqua remissio.* Angelus. *O anima, dico tibi. Indulgentia Dei succurret illis, et angeli Dei facient*

raptum super illos. Omnes sancti intercedent ad Deum pro illis. Anima. *O domine, si omnes liberati erunt?* Angelus. *Possumus succurrere illis. Paucum est.* Anima. *O domine sancte Michael, dic mihi, qui facient raptum?* Angelus. *Dico tibi.* . . . . . .
. . . . . .
et duodecim apostoli facient raptum, et omnes angeli. Anima. *O domine sancte Michael,*. . . . .
. . . . . .
Anima. *O domine, qui liberati non fuerint, quid facient illi?* Angelus. *Certe malum.* Anima. *O domine.. tunc quid facient* [295] *?* Angelus. *O anima, quare non cessas? Vis audire quid facient? Deus, Deus reddet illis secundum opera sua retributionem. Postquam dicet eis* [296] *: Discedite maledicti in ignem æternum* (*Matth.* XXV, 41), *reddite opera vestra angelis vestris quibus servivistis! non erit ultra ulla misericordia. Ibi erit luctuosa et tenebrosa mansio. Tunc veniet Salvator.* Anima. *O domine, quid faciet dominus Deus?* Angelus. *O ānima, quare non cessas?* Anima [297]. *O domine, dic mihi, quid faciemus tunc?* Angelus. *Dico tibi. Tunc dicet Salvator: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI, 28). *Vos qui sequuti estis me sedebitis super sedes* [*duodecim, judicantes*] *duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX, 28). *Modo venite ad me; ego do vobis gaudia æterna, in quibus permanebitis.* Anima. *O domine, quid facient, qui illam vocem audiunt.* Angelus. *Dico tibi. Letabuntur sine fine,* Anima. *O domine sancte Michael, quid faciemus tunc.* Angelus. *O anima, quare non cessas?* Anima. *O domine sancte Michael, adhuc dic mihi.* Angelus. *Sequere me.* Anima. *O sancte Michael, ubi debeo sequi te?* Angelus. *Ego dico tibi. Adhuc ostendo tibi magna bona, magnum paradisum. Vide.* Anima. *O sancte Michael, o domine, quam pulcra est ista mansio! Quid hoc est domine?* Angelus. *Non dico tibi modo; sed vide alterum.* Anima. *Video, domine, quia pulcra est ista mansio, quia pulcher paradisus. Dic mihi, domine, quid est hoc.* Angelus. *Hoc est refrigerium justarum animarum. Tercium non potes videre.* Anima. *O domine sancte Michael, misericordiam.* Angelus. *Dico tibi, non videbis tercium, donec veniat dies judicii Domini.* Anima. *O domine, quid faciemus?* Angelus. *Modo ibimus ad infernum.* Anima. *O domine, quid ibi faciemus?* Angelus. *Ostendam tibi tormenta.* Anima. *O domine, ne permittas me intrare.* Angelus. *Dico tibi, non est homo in terra, qui non debeat videre. Sequere me. Vide.* Anima. *O domine, quid sunt hæ?* Angelus. *Mansiones ubi habitant diaboli.* Anima. *O domine, quid faciemus?* Angelus. *Sequere me. Modo veniemus ad magnam et fortem aquam.* Anima. *O domine, quare non dimittis me?* Angelus. *Veni et ostendam tibi. Vide.* Anima. *O domine, quid faciunt hic?* Angelus. *Ibi sedebunt infirmi usque in diem judicii* Anima. *O domine, quales infirmi?* Angelus. *Qui satis excusationem non habent de peccatis suis, illi sedebunt super rivulum istum.* Anima. *O domine, quid faciemus?* Angelus. *Veni, ostendam tibi. Vide.* Anima. *O domine, quid est hoc?* Angelus. *Hæc sunt tormenta; ibi sedebunt impuri, ut ibi peniteant super rivulum istum usque in diem judicii Dei.* Anima. *O domine, magna sunt ista tormenta. Quid faciemus?* Angelus. *Veni, ostendam tibi. Sequere me. Vide ignem magnum.* Anima. *O domine, quis est ille?* Angelus. *Vide Judam, qui tradidit Deum.* Anima. *O Juda, quare vendidisti corpus et sanguinem domini nostri Jesu Christi? Quare tradidisti dominum tuum? Quare fecisti hoc?* Angelus. *Multa mala fecit, propterea recipiet omnia mala. Vides istos homines? Ille fuit dives, modo est pauper.* Anima. *O domine, quid* [298] *faciet, habebit remissionem de peccato suo?* Angelus. *Non nisi in judicio; tunc dimittentur illi omnia peccata sua.* Anima. *O domine, quid faciemus?* Angelus. *Dico tibi. Eamus de isto periculo. Sequere me. Modo ostendam tibi magna mirabilia quæ adhuc non vidisti. Vide.* Anima. *O domine, quid est hoc?* Angelus. *Infernus malignus; ibi sedent adulteri, perjuri, falsi episcopi, falsi presbiteri, falsi monachi, ibi sedebunt usque ad judicium Dei.* Anima. *O sancte Michael, quid faciemus?* Angelus. *Sequere me. Adhuc ostendam tibi omnia mala.* Anima. *O domine, que sunt?* Angelus. *Adhuc monstrabo. Vides quantas animas?* Anima. *O domine, unde venerunt?* Angelus. *Hoc est tota terra. Adhuc non est plenum, adhuc non sunt omnes. Vides illum magnum qui est ligatus catenis?* Anima. *Domine, video.* Angelus. *Ille magnus fuit Coloniensis episcopus* (94). Anima. *O domine, quis fuit?* Angelus. *Pastor fuit; non fuit pastor, sed mercennarius; ille lupus fuit.* Anima. *O domine, misericordiam; habebit indulgentiam?* Angelus. *Non. Magnus pastor fuit, sed non custodivit præcepta Domini.* Anima. *O Domine, quid faciemus?* Angelus. *Eamus; modo ostendam tibi; sequere me. Modo sede, anima, sede.* Anima. *O domine, quare non dimittis me?* Angelus. *Adhuc multa miracula demonstrabo tibi. Sequere me. Vide.* Anima. *O domine, quid est hoc?* Angelus. *Hoc sunt qui omnia bona laboraverunt, et sedent hic usque ad judicium Dei.* Anima. *O domine, quare non vadunt in regnum Dei?* Angelus. *Anima, dico tibi. Nullus intrabit usque in judicium Dei.* Anima. *O domine, quid faciemus?* Angelus. *Sede. Vis adhuc dicam tibi?* Anima. *Volo.* Angelus. *Dico tibi. Multi homines sunt in mundum* [299], *qui hoc non viderunt quod tu vides.* Anima. *O domine, quid?* Angelus. *Dico tibi. Multi homines sunt, qui non viderunt quod tu vides.* Anima. *O domine, dimitte me ire ad fratres meos, et dicam illis omnia quæ vidi.* Angelus. *Non nisi dominus Salvator voluerit. Dico tibi; sicut leo*

VARIÆ LECTIONES.

[295] *vox evanuit.* [296] *vox evanui.* [297] *vox deest.* [298] *ita c.* [299] qd *c.*

NOTÆ.

(94) Evergerum innuere videtur.

rugiens, sic diabolus inter fratres tuos. Misericordia Domini super illos fuit, quando sexta ab hac nocte diabolus puerum vivum ex fratribus tuis strangulare voluit. Anima. *Modo hoc verum recognosco, quia interfui. Domine, est ille liberatus?* Angelus. *Non, quia veram confessionem dare non vult. Multi dicunt, quia servimus Domino, sed serviunt diabolo. Omnes maculas, quidquid faciunt, demonstrant per veram confessionem. Si non faciunt, dico tibi, quia cito videbis magnum periculum. Cessent murmuria magna in illo loco. Dico tibi; unus vetus est, qui non est acceptus coram Deo.* Anima. *O domine, quis est ille?* Angelus. *Tace, anima; omnia non debes scire.* Anima. *O domine, si dimittis me ire ad illos, dicam illis omnia.* Angelus. *Non debes scire omnia; multi sunt, qui nolunt tibi credere. Dominus tibi demonstrat.* Anima. *O domine, tantum amaverunt me. O domine, quid facient fratres mei? Sunt quatuor. O domine, domnus abbas* (95) *quid faciet?* Angelus. *Omnia bene. Vere est Israhelita, in quo dolus non est.* Anima. *O Domine, domnus Fredericus quid faciet? In Dei nomine dic michi.* Angelus. *O anima, cessa. In Dei nomine dico tibi: Omnia bona opera faciet, sed non sunt adhuc completa.* Anima. *O domine, de aliis fratribus dic mihi bene.* Angelus. *Bonum possum tibi dicere; vera confessio succurret illis.* Anima. *O domine quid faciet.....* Angelus. *Quare non cessas? Non dico tibi.* Anima. *O domine, meus sanguis ipse et caro mea quid faciet? dic mihi.* Angelus. *Omnia bene.* Anima. *Domine, quid illi duo fratres qui fugerunt Gotmundus et Balduinus.* Angelus. *Dico tibi, præparatæ sunt illis mansiones in inferno.* Anima. *O domine, dic mihi.* Angelus. *Dico tibi, malum fecit domnus abbas quia excommunicavit eos.* Anima. *Domine, dic mihi de fratribus meis.* Angelus. *Dico tibi, Dominus elegit duodecim apostolos, et unus ex illis diabolus fuit. In fratribus tuis summi boni et summi mali.* Anima. *O domine, quid faciam?* Angelus. *Dicam tibi.* Anima. *Quare* [300] *dimittis indulgentiæ medicum, ut eam ad illos et dicam illis omnia.* Angelus. *Non est mea licentia, sed Domini.* Anima. *O domine, quid facient fratres mei? Tantum amavi eos.* Angelus. *Quid tibi possum dicere? Pastorem habent.* Anima. *O domine, dic mihi.* Angelus. *Verum dicerem tibi, sed tibi nolunt credere.* Anima. *O domine, bene credent.* Angelus. *Si unus credit, alter non credit. Qui est ex Deo credit, qui non est ex Deo non credit. Omnia sciunt tormenta, sed non intelligunt; cor eorum est clausum* [301].

« Anima. *Quis est serpens?* Angelus. *Laici homines sunt; sed audiunt quia bonum est confidere in Domino quam confidere in homine.* Anima. *Quis est quod fratribus possit succurrere?* Angelus. *Audi, anima. Albricus serpens magnus, sicut leo rugiens circuit quærens quem devoret.* Anima. *Domine, ego non vidi eum; ubi est?* Angelus. *Omne quod cogitat facit. Ille dicit quia fidelis est; sed est infidelis.* Anima. *O domine, de antiquo quis est?* Angelus. *Dico tibi, quia si non emendaverit, per Dei gladium illum coram plebe cito demonstrabo in magna virtute.* Anima. *Ve illi! O Domine, quis est homo? Qui sunt monachi, qui non obediunt domno abbati?* Angelus. *Vis audire? Domnus Robertus obedit.* Anima. *Quid facit modo ille?* Angelus. *Dico tibi, quia modo est in ara* [302] *coram Deo. Dic mihi, quid cogitas? Quare omnia quæ cogitasti, per veram confessionem non demonstrasti?* Anima. *Domine, malum non cogitavi.* Angelus. *Demonstra cogitationes tuas.* Anima. *Domine, mea culpa, satis cogitavi.* Angelus. *Quid cogitasti? veram confessionem da.* Anima. *Domine, mea culpa; satis cogitavi omnia mala.* Angelus. *Non, sed bene, si modo posses adimplere.* Anima. *Domine, hoc cogitavi quod Dominus locum sancti Bertini visitaret.* Angelus. *Dico tibi, multa ibi sunt peccata; misericordia Dei visitabit locum illum.* Anima. *Deo gratias, Deo gratias.* Angelus. *Dico tibi, multum sunt maligni spiritus in illo loco . . . . . ad Salvatorem.* Anima. *Ubi est Salvator?* . . . . Angelus. *Modo veniet . . . . . Domine salvator et redemptor mundi, succurre mihi misericordiam.* Salvator. *Quid quæris?* Anima. *O domine, misericordiam et indulgentiam de omnibus peccatis meis. De magistro require, respice.* Salvator. *Dico tibi, quia quando ibi venit sanctus Bertinus, multi fuerunt diaboli, numquam tamen fuerunt tanti sicut modo sunt.* Anima. *O domine, ... de illo loco et omnibus fratribus qui sunt in eo.* Salvator. *Dico tibi, illi sunt quasi ad seculum sequendum.* Anima. *O domine, dimitte me ire ad illos; dicam illis ut relinquam* [303] *mundum. Dimitte me ire ad episcopum, dicam illi ut respiciam* [304] *locum illum.* Salvator. *Istud verbi secretum custodi.* Anima. *Dimitte me ire ad domnum abbatem; illi soli dicam.* Salvator. *Si aliis dixeris, morte morieris. Modo vade in pace, omnia secreta custodi.*

« His ita finitis, anima ad corpus reversa, in momento nobis videntibus frater ille erectus, aliquantulum ista tamen dissimulans est loquutus. (Fol. 82'.) Acta sunt hec 15 Kal. Mai, anno dominicæ incarnationis 1011.

« (1012. Jul. 4.) Consueto ordine religionis nobis exequentibus propositum sanctæ professionis in pretitulato civitate Atrebatæ posito preciosissimi confessoris Christi Vedasti cenobio, eo ipso a præcedenti visione anno subsequenti, in mense qui Julius dicitur, die quarto, forte quempiam fratrum nostrorum gravi corporis dissolutum valetudine, aliquanto

VARIÆ LECTIONES.

[300] *Exciditne in fine memb.* n? *U.* [301] *Hic spatium duarum linearum vacuum relinquitur.* [303] aita *cod.* [303] *ita c. an* relinquant? [304] *ita c. an* respiciat?

NOTÆ.

(95) Richardus.

dierum spatio contigit infirmasse. Qui nimio ingravescente languoris sui dolore ad ipsum Kalendarum Augustarum (Aug. 1) qui pro vinculis beati Petri venerationi debetur evocationis suæ perductus est diem, cum præsentibus fratribus mentis excessu raptus, emortuo penitus exivit e corpore, locaque revisens inferni vidit multa quæ nobis coram testibus positis pro veritate confirmando, sola absente spiritu referebat lingua; et postmodum peracto pleno trium horarum spacio in se reversus, verius sic confirmabat visa præsens, ut hæc quam eo ipso teste inscio prænotavimus subtitulabit paginula. Egredienti animæ missi ex officio tenebrarum principes extitere, paratique conducere, ipsis infernalibus claustris dicto citius affuere, cujus mox debitam penarum causam acturi introduxerunt in domum, quæ, sicut ex nimia caliginis et fetentis fumi densitate expressius colligi potuit, tantæ magnitudinis inmensa civitas fuit. Hujus parietes et interna munitio velut muris extructa, interius undique litteris videbatur depicta, continens a principio totius mundi peccata, nisi quæ pura confessione et penitentia sunt remissa, quedam vero conculcata, ut iterentur, adhuc viventium servabat memoriam. Huc deductam animam diabolus tenens, illam horribili nimis impulsu cepit agitare, tondere, gravissimis virgarum plagis insistere, et præter hec appositum ignis tormentum comminitari, suas etiam illi improbare culpas, repræsentans quasdam scedulas et quaterniolos, quos negligenter et absque prioris licencia proprio usu contrectavit habendas. Pluraque alia autoritate illius se retinuisse in prædicto pariete juxta signabat inscripta, quæ frater ille in confessione numquam potuit comminisci pro vita sua. Pro quibus cum multiplicia infligerentur tormentorum flagella, consciam tantum fatebatur culpam, divinamque miserabiliter sibi rogans subvenire clementiam. Sciebat enim hoc se promereri reatus sui exigentibus culpis, ac propter hec angelicæ præsentiæ auxilio se destitui, solamque relinqui. Ille vero amplius insultabat dicens, illam jure humanæ militiæ suam debere fieri, sibique servire, nec aliquo modo ab illatis posse tormentis liberari, nisi adoraret, a quo non haberet in perpetuum separari. Cui econtra anima illa immensæ Dei clementiæ recolens sacramenta, spe quadam et credulitatis confidentia confisa, sputa in faciem dabat, simul et inhonesta prout dignus est improperia imprecans, singulis illius verbis sua singula reddens, hoc ipso sermone dicebat : *Tu enim totius superbiæ et perditionis spiritus, qui decepisti Evam, tu fecisti multa mala, quæ per te humano generi sunt illata; te non adoro, quia tu es fur et latro; modo tantam potestatem habes in me, et hanc non haberes nisi tibi data fuisset desuper. Deus est fortis et potens et immensæ misericordiæ, et ipsum qui pro me passus fuit adoro. O domine Deus meus, quare me dereliquisti? Tu formasti me et creasti me; multa sunt peccata mea, Domine, mea culpa.* Cui econtra diabolus respondebat : *Non erit ita; tu non es confessus fuisti. Deus ego sum. Scio enim omnia quæ fecisti, nec ulla peccati negligentia evenit fratribus tuis cui non interesim; me adora; habeo siquidem te in mea potestate, et de fratribus tuis unum. Hem! Num me ibi dudum vidisti, ubi quia et in potestate mea eras horrens præsensisti, et fratrem tuum per subitaneam mortem ut eum mihi perdere deberem suffocare debui? Tu etiam hec fecisti, quæ in pariete hoc inscripta vidisti. Sed si vis ab his tormentis liberari, me adora, quem angelum Dei esse cognovisti.* Hinc anima illa in mortem usque flagris et adhibito igne jam superata dicebat : *O domine Deus, misericordiam. Ardeo, Domine, mea culpa; sancte Michael, succurre mihi!* et : *Quare me domine derelequisti? Multa sunt, scio, Domine, peccata mea, domnus abbas scit ea. O Deus, quam magna sunt judicia tua? O Satan, quare non dimittis me? Non te adoro; scio et ego quia tu omnia scis, sed Domini potestas est in cælo et in terra, et ipsa judicet inter me et te. Quod si tu Deus es, ubi sunt angeli tui? Ostende mihi faciem tuam. Phi! mentiris! Alterum angelum vidi; mentiris! non es angelus. Ego te recognosco; diabolus es. Scio quia angelus fuisti, sed superbia tua de celo cecidisti. Quod ergo in vinculis tuis sum, Domini potestas est et voluntas, non tua. Et dic mihi, quis est frater meus illi quem habes?* et quum totius scientiæ et memoriæ est anima terrena hac habitatione soluta. Reminiscebatur enim, quia et interfuit, quod frater ille novem transactis diebus, cum expleto matutinarum officio paululum cum ceteris se reclinaret in lecto, nobis nescientibus quo infirmitatis morbo, sed cum præsenti mortis suæ periculo emissus a fratribus fuisset e lecto, et post unius horæ spacium vix recepisset vitæ spiritum; ejus subitaneæ morti eo amplius condolens, mortiferas hostis insidias exprobrabat dicens : *O Satan, omnia trahis ad te. Quare decepisti illum? In hoc et tu mentiris, quia servus tuus non erit; mansuetus est multum et humilis, et magnæ erga omnes obedientiæ et pietatis, ac per hoc convertetur et vivet; et quia nullus est misericordiæ Dei finis, qui non mortem sed penitentiam desiderat peccatoris, tuus non erit, sed convertetur et vivet. O frater, cave, cave frater insidias ejus, ne decipiat te. Salvator mundi, succurre mihi. Sancte Michael, quare dereliquisti me? Pater sancte, misericordiam! Domine, ardeo, ardeo. O Satan, ut quid me tota die punis et punis?* Hec et alia plura his similia quæ propter importunitatem multiplicitatis lectoribus nova quæque fastidientibus minus congruum ingerere vilipendimus. Cum ejusmodi confabulatus altrinsecus infatigabili altercatione consererent anima et diabolus, consumptaque flagris cum jam pene se victam ut eum adoraret profiteretur, quam non impetus ignis ardentis et lucentis a longe ad ejus auxilium veniens cepit comparare angelus, cujus placidissimæ præsentiæ gratiæ resumptis viribus conviciis amplius insistebat, perfidis inimici præsumptionibus resistens et dicens : *O Satan, Satan, multa*

te in die Domini expectant mala, quia es humani generis perditio et perditionis causa. Modo non me tenebis, de me diutius non gaudebis, modo te non adoro; quia tu Deus sis, mentiris; nichil potestatis habes amplius in me. O sancte Michael, ubi es? O Domine, misericordiam; mea culpa, Domine; video malum meum, quia præceptis tuis non obedivi. O sancte Michael, misericordiam. Emendo, Domine, emendo; Deo promitto et sancto Petro et sancto Paulo et omnibus sanctis, omnia quidquid rogas faciam. Adjuva me, Domine, ego ardeo! Ad quem angelus : *Tace, hoc est voluntas Dei; sed sequere me.* Et illa : *Sequor te, domine, et tecum paratus sum in mortem usque ire. Sed quid, dic mihi, domine, ille frater meus faciet, de quo dixit mihi diabolus, quod decepisset illum? O sancte Michael, indulgentiam, misericordiam, domine, de eo, dimitte me pergere ad fratres meos; emendabunt se! Dic mihi, domine. Possum ad illum loqui : bene omnia.* Mox recepto in corpore spiritu resedit, vocatoque ex nomine illo qui præsens ibi aderat fratre, dixit : *Cave fiat, ne decipiat te diabolus quia per ipsum fuit tibi proxima . . . . . ab angelo spiritus remanente emortuo corpore sicut prius; et dixit : O sancte Michael, fui ad illum . . . . . fratres omnes vidi.* Ad quem angelus : *Sequere me.* Et illa : *Sequor te, domine.* His dictis tenebrarum to . . . . . abinde procedentes duce angelo, rursus in aliam introductus est domum, quæ quia lucis ac serenissim . . pl . . . . . nimium renitebat, ejus pulcritudine miratus nec satis expleri nec pro voto potuit saciari, sed du . . . pon . . stupendo ac tremendo prospiciens intellexit cujus esset officium, et ad quid locus ille lucis potuisset haberi. Videbat namque in ea parietum superficie conscripta totius humani generis bona opera, sed et quodcunque usibus humanis in quibuslibet est creaturis utile, quod elemosinarum munera pauperibus Christi potest expendi pro animarum salute, quodque quasi substantiali edicens materia mihi videbatur expressum, equos scilicet et jumenta, asinos ovesque et diversa diversorum animalium, aurum quoque, argentum, vestes perpluraque preciosa ejus generis munera, peregrinorum hospitia, pauperum lectisternia, ceteraque gratis impensa pro Christi nomine beneficia, straminis ac feni manipulos, vetustos etiam socios, et virides olerum plantas, desuper quasi filo suspensas, nec non potum aquæ frigidæ de quo Dominus ipse testatur fideles suos in æterna vita mercedem non perdere. Ceterum quia longum est edicere omnia, hec et plura alia Christo in membris suis collata sanctarum elemosinarum vidit donaria, quarum pro æternæ vitæ retributione in conspectu Dei solum servatur in memoria, ut major scilicet Dei populo futuro et præsenti daretur fiducia, nullius sui licet minimi Deum immemorem esse beneficii si in honore laudis ejus et gloria quidlibet optuerit virtutum mater caritas sancta. Viso hoc interea sanctæ memoriæ miraculo, placida præmonitione ammonitus ab angelo, alio secesserunt in loco; ac post paululum progressi : *Vide, inquit angelus, o anima, ea quæ miseratione Dei tibi largiuntur, ut videas inferni tormenta, que licet sint humano generi incredibilia, sciant tamen ita sibi esse prædicta per evangelii sa[cra]menta.* Et ille : *Video, domine, quia multa sunt peccata et mala. Sed remitte in aliquantutum, quia multa sum passus. Diabolus enim non minimum me flagellavit.* Et angelus : *Anima, vis sedere? Sede.* At ille tanta tamque inaudita præsentium tormentorum magnitudine perterritus, propter nimios ejusmodi mirabilis et innumerabilis populi dolores et luctus quodam compassionis præmovebatur affectu, commemorans intra se illius judicii diem, quanta is tunc judice veniente cumulabit supplicia, quos tanta ab ipso ferme mundi exordio adhuc videt possidere tormenta, et clamabat : *Quid o miseri, miseri, cum supervenerit districti et novissimi judicii Dei inrecuperabilis hora et impenitens dies illa? Dies iræ, dies illa calamitatis et miseriæ, dies magna et amara valde!*

« Erat nimirum tanti per immensum spacii locus ipse penarum, tantaque confusio et immemorabilis frequentia lugentium populorum, quantum non est neque continet cujusvis imperii regnum; sed nec totum his putavit conferri cum homine mundum. Ubi plurimis distinctis tormentorum generibus, adstantes sibi ex legione sua singuli ministri sic suis principiabantur ordinibus, ut pars quedam tenebris cum fetore suo tenerentur horrentibus, altera piceis flammis obnoxiis condebatur hominibus, alia vero ignibus, et alia frigore et quasi hiemalibus pruinis cruciandis augebatur peccatoribus. Sic pro meritis cuique pena a suis parabatur apparitoribus, et ejus rursus alia pars quasi quibusdam extructis mansionibus refrigerandis inutili minabatur animabus. Preter hec indeficientia vermium et flammarum eternæque mortis incendia ignis e contiguo maximus non lignis materialibus sed crebris adhuc viventium culpis conficiebatur et cotidianis offensionibus. Quo viso non satis sui fisus periculo, audivit ab angelo : *Veni et vide.* Et ille : *Video, domine, quia malum est; omnia video et mala hic omnia. Sed dic mihi, domine, quid est hoc aut quid significat.* Cui cum dixisset, quod Frandrensi comiti Balduino pararetur et esset, ejus subito admirans non imparem regii cultus personam, denominatam etiam cum divitiis et humana felicitate potentiam, si tantus vir post transitorios honores et gloriam infelicem ejusmodi sortiretur penam, et exitialem debitæ mortis miseriam, hac verborum vece clamabat : *O domine, quia mala habet facta?* Et angelus : *Quia malum fecit, malum recipiet.* Item ille : *Domine, si dimittis me, ego pronunciabo illi ut convertatur et vivat. Sancte Michael, misericordiam de illo; Dominus non despicit peccatores. Scio et credo quia ipse dixit : Nolo mortem pecca-*

toris sed ut m. o. et vivat. Ac per hoc, domine, dimitte me; veniam ad illum, et dicam ut se recognoscat et penitentiam agat. Cui angelus : *Nihil proderit, quia non credit.* At ille : *Etiam, domine; aurum et argentum habet multum; possibilia etiam multa in terra; bene posset emendare.* Et angelus : *Dico tibi, sua non sunt, sed diaboli. Sed, anima, sequere me; veni et vide.* Erat siquidem adjacentibus miræ magnitudinis spaciis diffusum per immensum quasi frigidissimæ aquæ stagnum, cujus congelascentibus undis per exurgentes cum fetore pruinas mortiferos celos usque videbatur eructare vapores. Continebat namque per innumeros ordines loci hujus supplicium muliebrem sexum, solum scilicet meretricum conventum, quæ per incontinentiam propriæ carnis adulterando, humanæ naturæ modum excedentes, siti mercatoris non pertimuerunt corrumpere leges et jura. Harum mamillas, anteriora quoque et posteriora perhorrentia multi generis monstra et cohabitantium maxima multitudo serpentium acceperant devoranda. Quibus visu percursis, præmissis angeli verbis respondit dicens : *Sequor te dominum, et video quia tormenta sunt magna. Sed dic mihi, quæ sunt illa insidentium agmina, vel quod fuit peccatum eorum? Hæ sunt meretrices quas vides, quarum mamillas tortines* [305] *lacerant serpentes, quia peccaverunt per carnem et adulteria adulteraverunt magna.* At ille : *Ve vobis, o mulieres, ut quid nascendo in hanc vitam venistis? Domine, sedebunt hic usque ad judicium?* Angelus : *Dico tibi. Remissius erit illis in die judicii.* Cui rursus : *Veni, sequere me, et his quæ tibi monstrabuntur, diligentius intende.* Et ille : *Domine, quo vis sequor te.* Ac post paululum progressi : *Sede hic, inquit angelus, quia adhuc et alia multa videbis.* Inibi vero consistens patrem cujusdam fratris nostri [306], quem prima visio manifestavit, adhuc in ignis tormento positum vidit. De quo ad angelum dixit : *Dixi, domine, amicis suis, et pronunciavi quod insolubilibus inferni sic puniretur suppliciis, sed non crediderunt verbis meis.* Ubi etiam, appositis juxta sententiam suam suppliciis, torrentibus flammis quedam involvebatur persona cujusvis honoris ut videbatur digna, quæ demonum quibusdam potestatibus tradita, majora semper cogebatur subire supplicia. Cujus cum causam cum angelo ageret, et quis quantusve hic esse potuit diligentius investigaret, audivit : *Is de quo queris est Sciherus* (96) *dives, cunctis quibus effulsit avarus, et totus vere diaboli filius : cui post hec multa quæ video tormenta, multa adhuc supersunt et manent fortiora.* Et ille : *Domine, habebit remissionem?* Angelus : *Dico tibi, nullus scit nisi dominus Deus Christus.* Frater quoque suus juvenculus inibi adhuc detinebatur, ignis tormento purgandus. Nec non tanta hominum multitudo, quantam quis putaret toto non posse contineri mundo ; quorum omnium penalem condolens finem, et quandam aliquatenus illis in adventu judicis sperans remissionem, dicebat : *Sancte Michael, quid facient peccatores vel quando veniet judicium Dei?* Angelus : *Anima, tace; veni, sequere me, et vide quæ ostensurus sum tibi.* Exeuntes vero inferni stationes et penarum loca ex adverso deorsum, totius pacis lucis et quietis accommodum præminentis montis superabant verticem ipsum, ubi per amenissima circumquaque spacia pro unius cujusque merito in eternam requiem mansura edificabatur mansio. A quo cum placidissimo verborum alloquio sciscitaretur, quid hoc esset, vel quibus illæ tantæ magnificentiæ construerentur mansiones, respondit : *Anima, num hic dudum fuisti, et non te recognoscis? Scientiam non habes; hæ sunt fratrum tuorum mansiones, quas olim tibi juxta cujusque meritum denominavi.* Et ille : *Domine, si omnes habemus mansiones?* Angelus : *Habetis juxta opera vestra.* Et ille : *Domine, adhuc innotesce mihi de fratribus meis.* Angelus : *Dico tibi; omnia vis scire, sed non potes. Verum sequere me. Veni, ostendam tibi quod oculus non vidit, et auris non audivit et in cor hominis non ascendit* (*I Cor.* II, 9). Ac proinde paululum eminentioribus spaciis superatis, inter eminentia ejusmodi lucis et claritatis constiterunt fastigia ; ubi quoddam quasi ex auro purissimo solidum in modum parvissimæ camere præfulgebat domicilium, radiis perfusum circumactumque flammantibus, quod nonnumquam ad cujuslibet omnino . . . . . divinæ potentiæ speculum mundo . . . . . imitabatur globum. Viso hoc divinæ transformationis præstigio . . . . . instabat angeli quid hoc esset cognoscere responso. Cui angelus : *Istud, o anima, quod vides, est secretissimum quoddam celestium mysteriorum secretum.* Signatum solvit verborum Dei signaculum, et propius accedens, ostiolum in eo visus est aperire, cum quo tantus odor exivit et liliorum rosarumque flagrantia (97), ut preciosissimas. omnium aromatum species vinceret et genera. Ilujus inestimabilis celestis visionis et pacis desiderio, et inestimabili perennis letitiæ gaudio multomagis anima illa exestuans perfrui, dicebat : *Domine sancte Michael, quam multa hic totius felicitatis bona! quam mira est inexpertis suavitas ista!* Cui angelus : *Accede, anima; sequere me, veni et vide et lege.* Quibus ille intentus dicebat : *Domine, non possum legere.* Item angelus : *Vide, anima, et lege.* Et ille : *Non possum, domine, nisi dixeris.* Adhibitaque paululum perspicaciori oculorum lumine, præ nimia qua admodum resplendebant claritate vix ea quæ hoc modo continebantur inscripta, ita legere poterat : *Veniet, veniet dies Domini, sicut fur*

VARIÆ LECTIONES.

[305] tortiles? [306] *superscript. c.*

NOTÆ.

(96) Fortasse Sciberus? Cf. Gesta epp. Cameracensium I, c. 121, SS. VII, p. 454.

(97) I. q. fragrantia.

cito. Et dicebat : *Quid, domine, quid facient tunc peccatores ? Vel quot restant anni, ut astare debeat novus orbis venturo universorum judici ?* Et angelus : *Anima, lege sequentia et cognosce cunctis intuentibus miranda.* At illa litteras quæ numeros exprimunt videns, sed ex eis numerum redigere non valens, tamen quia modicum tempus ad id usque instaret intendebat dicens : *Etiam, domine, pauci sunt.* Et angelus : *Dico tibi, non est amplius ; sed hodie revelatum est tibi quam in brevi sit hujus seculi finis, de quo non ulli creaturæ, non angelis, sed solius est scire Dei patris. Sed, anima, veni, sequere me.* Et Exinde procedentes, angelo illam tenente et præduce, venerunt ad sanctum Petrum, ejusque potestati illam angelus tradidit et recessit. Qui vinculis eam alligans, et exigens debitum cujusdam voti quod pro reddita sanitate in ejusdem festivitatis anniversario illi dudum devovit et non reddidit, in loco ejusmodi tormentis sic habilem ut puniretur ligavit. Hoc equidem multi ejusdem loci incolæ cujus et hic frater olim canonicus fuit noverunt, quod biennio transacto, cum apud semetipsum de salute sua sollicitus et vita, multa anxius ageret quomodo mundum exiret et se soli Deo victurus alligaret : hac voluntate permotus virum Dei in loco eodem adiit, vota conferre non distulit, petens ejus consilio, conscio et teste coram Deo se laneam non indui, carnibus non vesci, et ab illicitis mundi desideriis penitus abstineri, idque beati Petri testimonio firmari ; cujus memoriæ et veneratioui præsens dies ille præsto eret agi. Quod et factum in præsenti quidem est, sed postmodum juventute illiciente et illecebris revocatus, pactum illud totum abnegavit. Sed non illum adhuc divina misericordia dereliquit. Iterum remeante beati Petri festivitate in maxima desperatione vitæ debilitatus est infirmitate. Sed rursus beato Petro quod limina ejus visitaret votum faciens, recuperatus est sanitati, et hoc iterum non implevit, præventus scilicet Dei miseratione, quæ hunc ad monasticæ vitæ perduxit perfectionem, suarum ob hujusmodi consciam veritatem culparum non immemor, voces attollens in fletibus, et sperans quomodocumque sibi commodum fore si emendationem promitteret, clamabat : *O sancte Petre, mea culpa coram te de peccatis meis ; emendo, domine ; sancte Petre, misericordiam ; domine, emendo ! Nulli hominum de promissione et salute credo nisi soli Domino ; Domine, emendo ; et o sancte Michael, quare me dereliquisti ? Pastor bone, sancte Petre, non diutius possum malum hoc sustinere. Sancte Petre, scio quia mala fuit cogitatio mea ; tamen dixi et confessus sum omnia domno abbati.*

« Hoc dicto, operante divina virtute et gratia denuo spiritus ad corpus rediit, nobisque videntibus in eum viventis hominis vultus resedit, ac mox vocans fratres quos viderat esse presentes, colloquens ait : *Dilectissimi fratres mei et domini, miseremini mei ; orate pro me, quia beato Petro sanctus Michael me tradidit, et is solo me relicto in loco sicut cernitis tormentis et vinculis religavit.* Cum mox fratres missarum sacramenta exibentes, spiritu redeunte a corpore, suo auxilio missum eminus vidit venire angelum et clamans dixit : *O sancte Michael veni domine, veni, testis esto mihi, adjutorium tuum volo ad sanctum Petrum ; et quare me, domine, dereliquisti ?* Cui angelus : *Voluntas Domini fuit. Veni, eamus ad sanctum Petrum.* At ille videns eum, multiplices ingeminabat preces dicens : *O sancte Petre, misericordiam. Si dimittis me, domine, stabilitatem facio tibi, et promitto tibi, per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, quia penitentiam agens requiro præsentiæ corporis tui domum.* Angelus : *Si emendare dabis ? Vis enim dare ?* Et ille : *Volo, domine, volo.* Angelus : *Et in hoc quod promisisti sancto Petro ?* Cui ille : *Domine, non fuit potestas mea, sed voluntas domni abbatis. Et si emendare non possum, veniam hic iterum, debitum luiturus supplicium, et ecce tibi juro per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, sic me omnia completurum.* Hoc ita expleto, educens illam angelus ait : *Anima, vade in pace.*

« *His ita finitis, cum eodem verbo affuit, et sicut eo ignorante scripseramus, ita hec eadem eo ipso postmodum referente scriptis firmavimus. Amen.* »

(Fol. 84.) Anno quoque eodem, id est ab inc. Dom. 1011, regiminis autem ejus a. 7. Heinricus anno regni sui 9 a Benedicto papa in imperatorem promotus est. [Rod. Glab. III prol.] Et cum jam Langobardorum instabilitas Arduinum quendam sibi regem constituisset, tamdem non sine magna suorum cede subdidere se ei, et sic Heinricus Papiam veniens, ab eis miri operis palatium sibi construi fecit. Hic etiam fecit civitatem Bavebergensem, et ecclesiam a Benedicto papa dedicari optinuit, ejusque auctoritate episcopum ibi constituit. Erat enim vere catholicus, et religionis amator præcipuus. Adherebat moralibus seniorum consiliis, quorum puritate et nitore florebat Lotharingia, illuminabatur Saxonia, dirigebatur Suevia et Alemannia. Quamobrem sub ejus imperio salus fuit mundo et gloria. Inter quos habebat gratissimos Odilonem Cluniacensis æcclesiæ patrem piissimum, Willelmum Divionensis æcclesiæ rectorem strenuum, religione præstantissimum, qui etsi non erant de regno ejus, tamen in amicitiis ei jungebantur, et eorum orationibus regni negocia in pace tractabantur. Nec deerat familiaritati ejus Pandulfus Agaunensis, vir vita, moribus, religione, sanctitate celeberrimus, cum eum faceret commendabilem regi et optimatibus fama virtutis ejus. At vero de regno ejus fere quotquot erant pontifices et primi æcclesiarum, tot ei erant incitamenta virtutum, cum ipse eisdem muniretur, et ipsi vice versa ejus auctoritate ab illicitis reprimerentur et ad perfectiora provocarentur. Inter quos hunc patrem nostrum habebat karissimum, inter præcipuos egregium, pietate prædicabilem, religione commendabilem ; quem tanta Deus donaverat omnium gratia, ut a plerisque pro inolita sibi benignitate vitæque et sermonis acceptione et non

affecta elegantia sed inpensa gratia hoc vocaretur agnomine, videlicet Richardus Gratia Dei, sicut et sanctus Odilo ab ingenita pietate Pius, et Willelmus a rigore ferventioris propositi Supra regula dictus est. Erat et in regalibus negociis pertractandis et disponendis consodalis ejus domnus Ermenfridus Virdunensis æcclesiæ canonicus, cujus vita actuum luce satis se ipsa commendat. Felicia tunc tempora Virdunensis æcclesiæ, tantis sub Heimone episcopo insignitæ personis, ut usque in hodiernum diem actuum illorum claritate resplendeat, quæ etiam tanta sit, ut nulla vetustate oblitterari valeat. Sub eo enim Amicus præpositus æcclesiam sanctæ Crucis construxit, Dudo præpositus æcclesiam sancti Laurentii, Ermenfridus præfectus æcclesiam sanctæ Mariæ Magdalenæ, et in ea canonicorum turmam aggregavit, quibus victum ex regali largitione et procerum traditione sufficienter providit; et venerabilis Richardus monasterium sanctorum Petri et Pauli et beati Vitoni confessoris a fundamentis erectum tanta in posterum possessionum et religionis dote ditavit, tanta reliquas æcclesias claritate dotavit, ut merito pater urbis, lux patriæ, decus æcclesiæ debeat nominari. Vita enim ejus mirabilis vitam multorum mirabilem reddidit; conversatio ejus spectabilis plures alios spectabiles bonis operibus instituit.

16. Sed nec ipse domnus Heimo a bonis operibus vacantem animum præbuit, quin potius æcclesiam sancti Johannis in prospectu civitatis sitam, in qua sancti confessores Maurus, Salvinus, Arator quiescunt, melioratam restauravit, et in ea congregationem sanctimonialium sub dispositione patris Richardi regulariter viventium instituit, et matrem eis consilio ejusdem providit Adelbergam fidelem Christi famulam, quæ cognominabatur Ava, cujus memoria est æterna. Hæc enim, velut apis prudentissima, patris sui formam imitata, cum ob zeli boni devotionem et fidei magnanimitatem servorum Dei lustraret cœnobia, ut ad eorum imitationem emularetur karismata meliora, Cluniacum ivit, et viro Dei beato Odiloni advenisse nunciata, cujus animum ipsa possidebat pietas, cum grandi affectu suscepta est. Ubi quanquam usus æcclesiæ esset, et pro lege haberetur, ut claustra monasterii non calcaret pes mulieBris, ipsa pro sua religione et patris Richardi cum sancto Odilone indivisa dualitate non solum claustrum intravit, verum etiam capituli societatem indepta, et Dominico die ad processionem cum fratribus suscepta est, quod usque hodie in eodem monasterio permanet memoriale. Egit hoc beati Odilonis erga filium carissimum et confratrem devotissimum affectus propensior, dilectio profusior, caritas de illo fonte emanans, de quo tantæ nobis perfectionis alveus dirivatus est, idem videlicet pater noster, qui nobis a beato eodem donatus est. Sed nec erga locum qui præerat domni Heimonis defuit liberalitas, verum Masmelli pontem eidem contulit, mercatumque in suburbio qui eidem cœnobio adjacet habendum constituit, et murum in circuitu monasterii ex suo construi fecit. (Fol. 84'.) Exactisque in episcopatu 36 annis, obiit 2 Kal. Maii, anno inc. Dom. 1024 et sepultus est in æcclesia quam ipse construxit (*Gesta Vird.*). Et successit in episcopatu Rambertus, qui sæpefatum patrem non minori affectu coluit, immo devotionem a prædecessoribus initiatam et ad se usque derivatam pia bonæ voluntatis affectione auxit, provexit et sustulit. Verum non ab re videtur, si cum ejus familiares, et regni gloriam, quæ sub ipso erat, miramur, etiam quis imperatoris vitæ exitus fuerit intueamur. [Rod. Glab. III, 1.] Tempore itaque ejus rex Ungrorum cum gente sua Christianus factus est. Cui etiam Stephano in baptismate dicto germanam suam uxorem dedit, et ipse anno sequenti infirmitate ingravescente, quia erat absque filiis, videns quia ad regni fastigium plurimi duces et comites aspirabant, elegit Conradum aliquando sibi suspectum, sed strenuum, qui Cono dicebatur, et sic cum gloria obiit monarches cesar augustus 3 Idus Julii, eo videlicet anno quo superius annotatum est episcopum Heimonem obiisse. At vero Stephanus Ungrorum rex, inminente vocationis suæ tempore ad cœlestia evocatus, nunc in æcclesia qua requiescit humatus, miraculis claret egregius. Regnavit autem Heinricus a. 24, m. 6, et Conradus successit Othonis III. filius [307], qui accepit uxorem Gislam, Rodulfi regis Burgundiæ sororem, Conradi et Mathildis filiam, de qua genuit tertium Heinricum, qui venerabilem Richardum abbatem inter primos palatii habuit. [Ibid. III, 2.] Quo in tempore rebellaverunt contra Robertum Francorum regem Odo, Tebaldi fallacis filius, et Willelmus, Heinrici ducis privignus, favente ei Brunone Linguonensi episcopo, cujus in matrimonio habebat sororem, et Landrico Nivernensi comite. Rainaldus vero comes præfati Willelmi filius sororem Richardi Normannorum ducis Adhelleidam duxit uxorem. Qui videlicet Willelmus, licet advena, intantum convaluit divitiis et milicia, ut non inveniretur ei secundus in patria. Cui tamen plurimum restitit Hugo Autissiodorensis, qui abbicomes dictus est, cujus cognatam Constantiam Robertus habebat uxorem.

[Ibid. IV, 1.] 17. Igitur post Benedictum papam a. 1023 frater ejus Johannes largitione pecuniæ ex laicali ordine neophytus ordinatus est. A quo cum requisisset Constantinopolitanus antistes, ut sua æcclesia sicut et Romana universalis diceretur, et donis eum Romanosque qui curiæ præerant innumeris flecteret, ita ut clanculo temptarent concedere quod rogabatur, omnis ob hoc vehementissime commota est Italia. Sed Galliarum episcopi et abbates his obviare conati sunt, quidam in persona sua, quidam vero litteris missis sedem apostolicam visitantes, et tantum obprobrium et dedecus auctorita-

VARIÆ LECTIONES

[307] O. III. f. *in margine addita.*

tibus ad medium prolatis, quibus contradicere fas non esset, a Romana æcclesia propulsantes. Nec defuit in his patris Richardi autentica præsentia : immo omnino sategit ut Constantinopolitanea præsumptio confutata conquiesceret, filium se Romanæ æcclesiæ, dum matris honori providebat, ostendens. [Ibid.] Inter alios quoque Willelmus abbas eximius epistolam papæ misit corpore brevem, sed materia ingentem et sermone locupletem, quam hic inserere non piguit :

Gratia Dei et reverentia beati Petri sedi in orbe terrarum excellentissimæ indepto papæ Johanni Willelmus [308] crucis Christi servus sedem judicii cum apostolis et coronam regni. Magistri gentium dictis instruimur, seniorem non increpandum. Isdem tamen alias dicit : *Factus sum insipiens, vos me coegistis.* Ideirco igitur filiationis diligentia hortamur communem vestram paternitatem, ut in uno imitemini cogitationes hominum pervidentem dominum Salvatorem, ut dicatis ad aliquem vobis, unanimem, quemadmodum et ipse Petro : *Quid dicunt homines de me?* Si vero responsum ejus ex fide fuerit, animadvertite qualiter sonuerit. Si clare, custodite ne obfuscetur. Si vero obscure, lux mundi oranda est, qualiter ita fulgeatis, ut universis in gremio æcclesiæ constitutis ad viam mandatorum Dei gradiendam lumen præbeatis. Sed est fama rei, quæ nuper apud vos accidit, de qua quis audiens si non scandalizatur, noverit se longe ab amore superno disparari. Quoniam licet potestas Romani imperii, quæ olim in orbe terrarum monarches viguit, nunc per diversa terrarum loca innumeris regatur sceptris, ligandi solvendique in cœlo et in terra potestas incumbit magisterio Petri. Atque idcirco ista diximus, ut animadvertatis non aliter Grecos quam cenodoxia hoc quod audivimus apud vos requirere, impetravisse. De cetero quoque optamus, uti universalem decet antistitem, vos acrius in correptione et disciplina sanctæ et apostolicæ æcclesiæ vigere, æterneque et feliciter in Christo valere.

(Fol. 85.) Sic confutata Grecorum præsumptio est. Eodem anno, qui erat ab inc. Dom. 1024, jussu et obœdientia patris Richardi, Leduinus, de quo supra retulimus, prælatus est abbatiæ sancti Vedasti.

Anno quoque 1027 obiit Fulbertus Carnotensis episcopus, indictione 7; qui quanto amore hunc patrem nostrum dilexerit, experimentis perpluribus patet.

(Fol. 84'.) Tunc temporis contigit innoti ossa hominis de loco abjectissimo a quodam mangone collecta et feretro imposita (fol. 85), in monasterio sanctæ Mariæ apud Seusiam sub nomine Justi martyris a Mainfredo marchione fuisse reposita. [Ibid. IV, 3.] Sed licet religiosis id vanissimum et stultissimum fuisse multis et probatis documentis demonstratum sit, vulgus tamen injustum pro Justo venerans in suo permansit errore [309].

(Fol. 85'.) 18. Jam autem eidem patri Gratiæ Dei prælationis sarcina gravis videbatur, jam ad anteriora progredi, liberiusque divinæ contemplationi inherere juvabat, quia jam in ejus corde mundus aruerat. Et quia quosdam, qui Jherosolymam ierant, beate in Christo occubuisse constabat, inter quos quoque quendam ex Augustudunensi territorio sanum et vegetum nullaque mortis signa habentem, in loco ubi novissime steterunt pedes Domini cum orasset, et se a Domino suscipi in pace postulasset, modico dolore mox tactum, domi relatum, moxque relatum eodem in loco quo oraverat, spiritum Deo reddidisse, certa fama vulgaverat : tactus et ipse sancto simili bonæ devotionis desiderio, sepulcrum Domini invisere gestiens, quæsita a principe et pontificibus regnique primoribus et vicinis fidelibus et vix optenta licentia, destinavit primo filiis providere et eorum in omnibus curam agere, ut posset cum bona omnium affectione peregrinationis officia sancta suscipere. Itaque Cluniacum ivit, et sicut usque hodie in eodem cœnobio manet memoriale, patrem piissimum sanctum Odilonem Virdunum secum deduxit, quem plurimis diebus secum retinens, omnem ei monasterii habitudinem, mores et vitam habitantium ostendit, judicio ejus et tuitioni singula contradens, et ad ejus arbitrium universa corrigens et confirmans. Gavisus est autem in Domino sanctus Odilo, quia per eos quos sibi filios fecerat et loco remiserat, fructus boni odoris carpebat. (Fol. 86.) Ubi vero voluntati illorum satisfecisse se credidit, valedicens omnibus, filium Deo commendans, Cluniacum rediit, et de profectu æcclesiæ illius gaudium filiis et fratribus Cluniacensibus exibuit. Referunt adhuc moderni, qui audierunt a patribus, quia quotiens ab istis partibus regrediebatur, adeo se gratiosum de bonis, quæ in patre nostro et filiis gratulabatur, exibebat, adeo eos commendabiles reddebat, ut gratum haberet qui videbat. Igitur paratis necessariis sumptibus, dispositis viæ comitibus, commissa Deo filiorum cura, benedictione pontificis et vicinorum præsulum, optimatum quoque et omnium omnino postulata et accepta, venerabilis pater Richardus Gratia Dei egressus est cum Madelveo novus peregrinus in cordis lætitia. Prosequutus est eum totus populus cum lacrimis et rugitu cordis, dolens quod destitueretur ejus præsentia, quem suæ salutis præsulem vitæque tutorem credebat. Quos vir Dei benigne consolans, ut reverterentur admonuit, dans in mandatis, Deum tota virtute diligere, proximum venerari, inimicos diligere, caritatem amare, hospitalitatem sectari, elemosinis intendere, et pro se sibique comitantibus Deum propensius exorare. Sic salutatis omnibus, resalutatus a cunctis, dimissus est

VARIÆ LECTIONES.

[308] W. *c.* [309] *Abhinc ordinem immutatum Hugo in margine littera adjecta indicavit et hac nota :* Secundum determinationem et ordinem litterarum tu quoque serva legendi ordinem et capitulorum.

optatæ viæ cum gratia, omnibus orantibus, et elata in excelsum voce clamantibus, ut prosperaretur a Deo via ejus. Expensas autem viæ Richardus comes Normannorum omnes ei attribuit. Erat enim in elemosinis largus, caritate diffusus, honestate præclarus. Supersunt adhuc in Brittannica insula et Normannia nobiles et probati viri, qui viderunt hunc patrem nostrum Gratia Dei, et noverint quanto ab eodem comite diligebatur affectu. A quibus nos etiam ista audivimus, qui et referre soliti sunt, quia sic sibi individua dilectione adhærebant, ut putares unam animam duobus inesse corporibus.

19. Optabili ergo peregrinatione suscepta, vir Domini Richardus septingentos peregrinos secum duxit (98), quibus ex propriis subsidia victus sufficienter administravit. Erant etiam in comitatu ejus quamplures alii, inter quos erant duo ab urbe Bajocensium, pater et filius, Hubertus et Gauzfredus, qui ita comitatui ejus adhæserunt. Erat idem Hubertus diutino languore depressus, ita ut per annum integrum nec lecto surgere nec in latus aliud absque suffragantis amminiculo se posset deflectere. Huic una dierum in cubiculo, quo jacebat, angelus in columbæ species apparens : *Vade*, inquit, *para necessaria, et perge Jherusalem, quia Dominus jubet.* Cui cum ille respondisset : *Quid faciam, quia nequeo surgere?* ille iterato : *Para*, inquit, *necessaria, et vade, quia Dominus vult.* Adquievit homo, et mane facto fratres et propinquos advocans, voluntatem Domini aperuit, suam quoque voluntatem in id esse ut obediret patefecit. Illi admirantes, et pro infirmitate quam videbant voluntati ejus contraire conantes, cum avertere hominem a recta intentione molirentur, inpossibile esse pronuntiabant quod dicebatur; cum ille filium Gauzfredum assistentem videns : *Vade*, ait, *præpara expensas et quæ sunt tanto itineri necessaria, quia et ego ibo, et tu mecum, Dei cooperante clementia.* Adquievit filius, et paratis quo citius potuit tanto itineri necessariis, patrem de profectione admonuit. Ille propinquorum et vicinorum surgens amminiculo, pontem ante monasterium sanctæ Mariæ Magdalenæ in eadem Bajocensium civitate situm, quod erat vicinum domui suæ, a quattuor hinc et inde sustentatus transiit, et mox ut equo impositus est, sanus factus et incolomis, viæ se credidit, et comitante divina gratia Virdunum veniens, cum audiret et videret profectionem viri Dei tota urbe accelerari, sustinuit, et comitatui ejus adherens, orationibus ejus se cum filio commisit, quos vir Dei familiarissimos habuit. Profecti igitur per Illyricum, venerunt ad deserta. Quæ cum jam fere pertransissent, die quadam fontem eminus conspicati clarissimum et perlucidum, descenderunt pater Ricardus cum sociis ut acciperent gentaculum. Turbis quoque circa fontem discumbentibus, venerabilis pater loco competenti pro tempore resedit, et accito famulo ut de fonte sibi afferret, cujus perlucida claritate delectatus erat, admonuit. Ille vadens, ex aqua fontis vase inpleto, viro Dei propinavit. Sed ut vas ori admovit, aquam in vinum Dominus mirabili virtute convertit, et sic qui aquam desideraverat, vinum accepit. Stupefactus a famulo requirit, ubi vinum acceperit, et evacuato vase, iterato cum pro aqua fontis remisit. (Fol. 86'). Ille admiratus, cunctis cernentibus aquam hausit de fonte, et viro Dei propinavit. Sed iterum divinitate propicia aqua fontis in vinum conversa est. Quod vir Dei agnoscens, Deo gratias egit, et bibit, cunctis quoque ex eodem vino in eodem vase propinavit. Quid plura? Biberunt omnes, et virtutis Domino benedixerunt, qui facit mirabilia solus (*Psal.* LXXI, 18), cujus regnum regnum est æternum (*Dan.* VII, 27), et potestas ejus potestas eterna, quæ non auferetur (*Ibid.*, 14). Biberunt, inquam, omnes de vino illo, et vinum imminutum non est; quia cum omnes bibissent, solus ille scyphus abundanter cunctis adfuit, et postmodum patri Richardo non defuit. Et qui vidit, testimonium perhibuit, prædictus scilicet Humbertus et filius ejus Gaufredus; et scimus quia verum est testimonium eorum, quia ipsi ex eo biberunt, cum sederent ea hora prope latus hominis Dei; et præterea virtutis hujus tot sunt testes, quot erant viæ comites, quia nullus in comitatu illo inventus est, cui non vir Dei ex hoc vino virtutis propinasset. Est adhuc in Bajocensi urbe quasi novum hoc miraculum, et patres qui viderunt narraverunt ea filiis suis, et filii filiorum filiis, ut cognoscat generatio altera. Nos quoque hoc a Gauzfredi filio Gozelino nomine, viro probo et honesto, nunc Divionensis ecclesiæ monacho, audivimus, qui jam eo tempore natus et adultus, a patre et ab avo hoc audivit, et didicit ab illis formam orandi, quam instituit simpliciores et idiotas e sæculo ad se confugientes pater Richardus in ingressu æcclesiarum dicere, in hanc formam : *Adoremus Deum, sanctam Trinitatem. deprecemur sanctos ejus qui pro Deo appellantur, ut ipsi deprecentur Deum, ut det nobis pacem et sanitatem, peccatoribus veram penitentiam, discordantibus veram concordiam, vivis pacem, defunctis requiem.* Hec orandi forma in omnibus monasteriis suis laycis tradebatur.

20. Erat autem viro Dei familiare mane surgere, laudes Deo dicere, iter accelerare, atque consuetum Domino in via pensum reddere, et sic hora fractionis panis imminente, missarum solempnia agere, quocumque esset, et expletis misteriis ad frangendum panem discumbere, ne gravarentur fratres labore itineris et continuatione jejunii (*Vita Simeonis* 10). Venit ergo Antiochiam, ubi cum eum itineris necessitas aliquot diebus remorari coegisset, vir Dei Symeon, qui nunc Trevirensem æcclesiam cor-

NOTÆ.

(98) Ademari Hist. III, 65. Vita Richardi, 17.

pore et virtutibus adornat (99), et amicitus ei junctus est, et fratribus qui erant cum eo, adoptans sibi illum in patrem (100). In quo beati Simeonis facto hoc intueri libet, quia idem vir Dei non ejus se crederet magisterio, non committeret patrocinio, nisi divina pietas, quæ eum a seculi actibus alienum reddiderat, cordi ejus revelasset dignum illum esse qui subditis præesse et prodesse posset. Mittebatur autem isdem beatus Symeon a fratribus monasterii montis Syon pro elemosina, quæ de terra Richardi comitis Normanniæ monasterio eidem debebatur; et quamquam nosset spiritu sibi revelante multa se adversa passurum, tamen pater Richardus discretionis oculis hinc inde munitus consilium dedit, ut ceptis insisteret, obœdientiam impleret, usquequo rem probaret eventus. Flentem itaque et tristem eum a se dimisit, utrimque pedibus manibus et genibus exosculatis, quia erat in eis gratia Spiritus sancti. Hæc est enim sanctorum delectatio, diligere alterutrum, quia et Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet (*I Joan.* IV, 16). Caritatem autem aquæ multæ non poterunt extinguere, nec flumina obruent illam (*Cant.* VIII, 7). Probatus igitur Domini servus viam carpens, et viæ ducem Christum collaudans, terram Sarracenorum ingressus est. Et cum appropinquaret civitatibus eorum, prædicabat omnibus Christum Jesum, in domino Deo suo confisus, quia non erat in spiritu ejus dolus. Jam vero ubi ad urbem venisset, ante murum urbis psallebat Salvatori suo, et missarum solempnia ibidem celebrabat, paganis desuper saxa jacientibus, ut capiti ejus illiderent; qui sic urbi appropiaverat, ut tabula altaris hereret muro. Et cum multa desuper saxa ab eisdem aspicientibus et illudentibus jacerentur, ita a Christo protegebatur, ut non altare, non tabula altaris, non postremo illud quidquid est quod altari imponitur, non ipse denique qui altari astabat intrepidus, a lapidibus tangeretur, cum tantus esset multotiens in circuitu altaris agger lapidum desuper ruentium, ut missa dicta non nisi via facta inde extrahi posset. Monachorum vero et clericorum comitantium illum nullus ei coesse vel cohabitare poterat; set quantum jactus est lapidis a longe stantes canebant, et canenti respondebant, ipse solus intendebat his quæ ceperat, donec missa perexpleta egrederetur vel potius extraheretur. (Fol. 87.) Erutus autem inde, ante urbis prospectum tentoria figebat, et comparatis necessariis sumptibus ibidem hospitabatur, a Dei laudibus numquam vacans, quia laus ejus semper erat indeficiens in ore ipsius. Pagani autem miraculo perterriti, et gratia reverendi vultus ejus invitati, veniebant ad eum, quibus ipse per interpretem quæ de Jesu erant gratanter annunciabat, et ut ab injuria servorum Dei manus cohiberent prædicabat. Fiebatque miro modo, ut quos in adventu suo passus fuerat infestos, ipsi ei versa vice cum honore servirent, et mane facto deducerent abeuntem. Mirificabat enim Dominus servum suum signis et prodigiis, in tantum ut omnibus sanctitas ejus innotesceret, et virtus Jesu per eum ubique prædicabatur, quia fama sanctitatis ejus ubique ferebatur.

21. Constantinopolim veniens, cum quanto honore exceptus ab imperatore sit, dignisque muneribus et obsequiis honoratus, dicere supersedemus, quia ad alia properamus. Optatæ itaque viæ dimissus cum gratia, per multimoda pericula apprehendit Jherosolimæ loca desiderata. Ingrediensque civitatis portam, responsorium illud de Dominica in ramis palmarum : *Ingrediente Domino in sanctam civitatem*, dulcissona cum sociis modulatione decantabat, Christum crucifixum, qui est super omnia Deus benedictus in secula (*Rom.* IX, 5), adorans, et locum sepulchri ejus oculis fidei veneranter amplectens. Omnia ergo nativitatis passionis et resurrectionis loca fide circuiens, dum non saciaretur oculis intuendo, mente pascebatur; quia ad visionem dulcissimam et diu desideratam, jamque concupiscenti animo preparatam, mirabilium Domini, gaudio et lætitia ineffabili replebatur. Occurrit autem ei venienti patriarcha Jherosolymitanus; audierat enim famam ejus omnium ore celebratam; et consalutati mutuo, dato sibi pacis osculo, lætati sunt in Domino. Videns vero in eo aspectum angelicum, modestum sermonem, incessum mitem, caniciem venerandam, habitudinem senectutis omnibus reverendam, gratulabatur in spiritu : *Sicut*, inquiens, *audivimus, ita et vidimus* (*Psal.* XLVII, 9). Introductus igitur in sanctam Syon, missarum solempnia celebravit, astante pontifice et clero; et sic locum sepulchri Domini cordis affectu revisens, omnemque locum sanctum pia devotione perlustrans, cum se desiderio satisfecisse crederet, iterum estuantem devota sollicitudine saciabat animum. Numquam a missarum celebratione desistens, numquam a verbi Dei erogatione cessans, immo ubique quæ Dei sunt annuncians, nec timore mortis, nec infestatione barbarica a veri et recti exibitione et mali prohibitione desistens. O quis ejus affectus in Deum! quanta contriti et humiliati spiritus exultatio! quanta cordis jubilatio! cum videret se esse præsentialiter ubi Christus natus est, ubi passus, ubi sepultus, ubi steterunt novissime pedes ejus quando ascendit in celum. Ubicumque ineubuisset orationi, madebat terra lacrimis, clamor cordis ascendebat ad Dominum, corpus atterebatur, spiritus elevabatur. Continuabat noctes vigiliis, attenuabat corpus jejuniis, numquam sine lacrimis, numquam sine precibus, cum totus exultaret in Domino, lætitiam mentis, vultus serenitate proferebat. Dominica die qua

NOTÆ.

(99) Obiit a. 1035.

(100) Ultima hæc sunt verba Eberwini abbatis Trevir., qui Richardi in itinere Hierosolymitano comes, Vitam Simeonis composuit. Mab., Act. SS. Sæc. VI, 1, p. 376. Cf. supra.

celebratur adventus Domini in Jherusalem et exceptio ejus a pueris cum hymnis palmarumque et frondium ramis, urbem ingressus est; ebdomada tota pernoctavit in laudibus Dei, cum tota æcclesia discurreretur a paganis gladiis accinctis ipse nichil dubitans, nichil hesitans, quæ Dei sunt Deo reddebat pervigil in orationibus, in jejuniis continuus : adeo ut gentiles ipsi admirarentur devotionis ejus instantiam, et revererentur constantiam. (Fol. 86b.) Diem cenæ sacratissimum in exibitione mandati Domini et pauperum recreatione deduxit, pedes pauperum abluens, vestes et quæque necessaria tribuens, et totum se Dominicis serviciis conformans et applicans. Jam vero quis referat, qualiter se die parasceve mactaverit, cruciaverit, Christo cruci confixerit? Totus in lacrimis, totus in cordis compunctione, in contemplatione, in suimet abnegatione, maxime cum videret sepulchrum Jesu præ oculis, et esset ei materia doloris et compassionis. In orationibus assiduus, pernox in vigiliis, fatiscentes jejuniis artus spiritui servire cogebat. Die illa cum nocte sequenti a loco sepulchri non recessit, ammirantibus omnibus instantiam illius, quod aliis recedentibus ipse non recedebat. (Fol. 87.) Quid multa? venit dies sancti sabbati, quo expectabatur ignis a Domino, et gentiles armati, Christianis intro conclusis et beneplacitam voluntatem Domini de igne suscipiendo præstolantibus, totam observaverant æcclesiam, ut si ignis non adveniret, omnes gladio perimerentur : cum ecce, hora circiter nona, omnibus orantibus, in una lampade ignis (101) accensus est a Domino, nullius mortalium suffragante amminiculo, et gentiles omnes stupor apprehendit et pavor, Christianos vero gaudium et exultatio, ut ab omnibus tota certatim caneretur æcclesia : *Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est numerus* (*Psal.* CXLVI, 5). Illico vir beatus sacris indutus vestibus, myssa inchoata, *Kyrie eleyson* solempne elata in excelsum voce pronunciavit. (Fol. 87'.) Jam enim lectiones et cantica, seu quidquid est illud consuetudinarii officii usque ad accensionem luminis in expectatione novæ lucernæ finierat, et sic *Gloria in excelsis Deo* cum lacrimis et jubilo cordis intonans, gaudium Christianis, metum et admirationem paganis incussit. Astabant in circuitu altaris undique frementes et frendentes, sed tanta erat reverentia viri, tanta in virum protectio Christi domini, ut omnes sanctitatem ejus et religionem admirantes revererentur, et omni eum honore dignum ducerent ipsi etiam qui inimicabantur. Noctem illam pater noster Gratia Dei duxit insomnem, Dominum resurgentem adorans, et cum Maria Magdalene in orto mentis, ubi virebant per eum plantaria virtutum, ortolanum Jesum videre desiderans, ut vocaret eum proprio nomine, et se magistrum et Dominum doceret agnoscere, ut factus testis veræ resurrectionis ejus, in voce fidei annunciaret fratribus : *Resurrexit Dominus*. Mane facto, consuetudinariis canticis expletis, missam festive circa horam terciam celebravit, et communicatis fidelibus populis cum gaudio domum rediens, celebritati diei satisfecit, et tota die cum patriarcha familiarius loquutus, diem deduxit in jubilo cordis et voce exultationis, semper locum sepulchri Domini revisere gestiens, recolens et admirans sudarium capitis Domini non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum.

22. Diebus festis reliquis celebratis in gaudio et tripudio animi, destinavit vir mittissimus cogitare de reditu. Nec rediit vacuus a munere, quia archa cordis ejus repleta erat bona devotione. Quod autem fuit munus illud? Discurrentes pagani per munitiora templi, ipsa ebdomada ante pascha, lapides in populum sacra celebrantem jaciebant. Casu lapis veniens intra sepulcrum cecidit, quem vir Domini pro magno munere sibi assumpsit, et totis illis diebus, quibus celebratur passio vel resurrectio Jesu, intra sepulchrum jacentem vigiliis et orationibus Domino dedicavit. Hunc recessurus cum magna devotione sustulit, et exosculato loco sancto, quasi totum secum ferret, inter sancta reposuit, et valedicens patriarchæ, prospera ei imprecatus abire decrevit. Ingemuit ille in voce dilecti vale dicentis, et proferens reliquias preciosissimas de ligno Domini, itemque marsupium unum auro textum prægrande reliquiis sanctorum refertum, optulit seni venerabili cum gratiarum actione, inquiens : *Accipe, o dilecte Domini, munus bonæ voluntatis et devotionis, quod sit mutui pignus amoris, munus quod numquam consummatur, semper extet, hereat, amico convivat, quod evanescentem memoriam excitet, jocundum, quod obviam animo veniat, et numquam labatur a memoria. Prestet Dominus istis et omnibus sanctis intercedentibus, ut iterum videamus nos in cælestibus, ubi finis laborum et remuneratio præmiorum æternorum, ubi numquam ab invicem separabimur; gaudentes et gustantes quam sit dulce et jocundum habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXII, 1). Divisi sunt ergo ab invicem flentes, quibus si licuisset convivere, et commori libuisset. Graditur pater Richardus Gratia Dei aggere publico, oneratus onere nobili et dulcifluo, se et sibi commitantes comittens Deo universorum corde humili et contribulato. Pendebant a collo ejus sanctorum reliquiæ, ut haberet præ oculis paratum specimen sanctitatis, nec deesset cordi memoria eorum, quorum sarcina delectabili reliquias gestabat. Quanta vero in redeundo passus sit, ipse novit qui pertulit : quæ omnia dijudicat, qui laborum remuneratorem se promisit. Videres virum seculis venerandum, dum iret, sæpius cervice reflexa versus sanctam Jherusalem humiliari, suspirare, gemere, affectum cordis oculis pandere, gaudere quod sanctum locum sepulchri vidisset, dolere quod non

NOTÆ.

(101) De hoc igne sacro cf. Wilhelm. Malmesb. Gesta R. A. IV. ed. Hardy, p. 562.

semper videret. Hinc ex affectu sermonem populis A dare, beneficia Jesu oculis monstrare, omnes subito ex devotione ingemiscere, Deum benedicere, memorari dulcedinis divinæ, et ad bona sectanda prorsus accendi. Non cadebat passio Domini a memoria, quæ erat fere tota ejus memoria. Quid enim fuit totus vitæ ejus excursus, nisi velle pati pro Christo, commori ei et consepeliri, ut daretur sibi per Christum in gloria resurgere cum illo? Ideo tanta passus est, qui ut pateretur exul pro Domino factus est. (Fol. 88.) Et quidem juste. Sapienti enim omnis mundus exilium, et viro justo omnis mundus [310] domus. Sapiens autem erat, quem ipsa inhabitabat sapientia, vir justus erat, quia corpus peccatis subditum nescit inhabitare sapientia.

23. Reversus tandem ad illos suos palestrites, B Sarracenos scilicet, qua via venerat, eadem et regrediebatur. Ante muros urbium missarum solempnia celebrans, nec assuetos imbres inundantium lapidum pavens. Mirabilis prorsus virtus et stupenda, grande mysterium, spectaculum prædicabile. Stabant supra caput hominis Dei hostes, dirigebantque in illum lapides, adeo pregrandes, ut non tantum caput, sed totum prorsus [311] si occurrissent conquassarent hominem. Manebat ille intrepidus, quia protegebatur a lapide præciso de monte sine manibus. Dirigebantur aliorsum lapides, quia lapidi vivo manenti in lapide qui reprobatus est, qui angularis missus est, timebant illidi; cui si illiderentur, frangerentur. Obstupescebant gentiles miraculo, nec C novitate miraculi terrebantur, cujus admiratione deteriorabantur, quoniam ipsa eis admiratio erat peccati innovatio. Stabant a longe monachi et clerici quantum jactus est lapidis, et peregrini, ipse solus ingrediebatur propiciatorium, qui armum in sacrificio et dextrum acceperat separatum, quia non solum erat operatio ejus utilis, sed et singularis; qui inter malos non solum quæ sunt recta faciebat, sed et bene operantes subditos sicut honore ordinis, ita morum virtute transcendebat. Qui cum armo pectusculum quoque in esu acceperat, quia non solum pectore recta cogitabat, sed et spectatores suos ad sublimia armo operis invitabat. Sed jam quid moramur redeuntem? Reddamus patrem filiis, ut gratulentur in invicem, et pro absentiæ tedio, quod per- D pessi sunt, ipsi sibi sint consolatio. Non autem prætermittamus Antiochiam sancti Symeonis præsentia claram. Ibi enim invenit pater amantissimum filium, ibi recepit filius patrem karissimum, ibi socii socium, fratres fratrem, comites agnoverunt comitem. Neque enim potuit, multis obstantibus periculis, perficere quod decreverat, præcipue cum nosset divina revelatione in itinere illo plura se passurum adversa. Delectatus igitur uterque comparis præsentia, delegerunt simul Virdunum redire, ut quod superat temporis simul explerent in exercicio spiritualis phylosophiæ (*Vit. Sym.* 10). Venientes autem ad civitatem Bellegradam (102), quæ est in confinio Bulgarorum et Hungariorum, a civitatis infelicissimo principe prohibitus est cum eis transire, et ita lugens et dolens divisus est a patre et fratribus lugentibus et dolentibus. Domnus Symeon per multa pericula ivit Rotomagum pro inplenda obedientia; pater Richardus gratia Dei longo et vario itineris labore redditus est finibus Galliæ Belgicæ.

24. Occurrit illico patri a longe filiorum examen lætantium et gaudentium ob adventum ejus desiderabilem. Ubi vero percrebuit fama celebrior cum advenire, factus est concursus ad eum nobilium et ignobilium, divitum, mediocrium, pauperum, et quaquaversus venichat, occursus gaudentium et concurrentium non decrat. Cum tanta frequentia, cum tanta pontificum et palatinorum procerum, nec non cleri plebisque lætitia, longa mora protenso temporis spacio, Virdunum usque deducitur. Quo cum nunciaretur adesse, totis obviam portis ruunt, tota obviam civitas progreditur. Senes cum junioribus, matres cum infantibus, ætas quoque ipse imbecillior in occursum tanti viri se proripit, domi nullus subsistit. Clericorum, monachorum, nec non et sanctimonialium Domino sacer ordo dicatus obvius egreditur patri cum crucibus et cereis, et diverso æcclesiasticæ dignitatis apparatu præstolans venientem, et remorantem vix ferens, quia cupienti animo nichil satis festinabatur. Ubi vero venit, et venientem fas fuit videre, clamor populi attollitur, fluunt lacrimæ gaudio plenæ. Non erat satis cuiquam semel vidisse, nisi daretur iterum iterumque videre. Descendit itaque, et susceptus deductus est ad monasterium cum cantico in jubilo, omnibus plaudentibus et dicentibus : *Benedictus dominus qui facit mirabilia solus.* Diem illam gaudiis plenam solempnem duxit devotio fratrum, quia et justa est causa lætitiæ amicum lætum videre : et si amicum, quid patrem? (fol. 88'.) Agendum est bonis, ut voluntas bona non lateat, sed aperiatur ut luceat. Verba cessent, si quemadmodum debet quis afficitur, conscientia emineblit in vultu. Nichil autem gratius publica amicitia, nullum supplicium gravius publico odio. Intellectum enim rei optimæ et dulcissimæ amisit, qui omnium designatur oculis, et designari se judicat, qui caret acie oculorum, qui sensum beneficiorum amisit, cujus aures morbus obstruxit. Sed pudorem tollit multitudo peccantium, et desinit esse probri loco commune maledictum. At contra qui ab omnibus diligitur, æquali perpetuaque voluptate fruitur. Adveatus igitur patris nostri commune fuit beneficium, quia commune gaudium, quia et cum absens esset, diligebatur ab omnibus. In prima enim parte animi apud universos positus, semper occurrebat memoriæ,

VARIÆ LECTIONES.

[310] munus *c.* [311] *vox hæc passim* prorsus *scribitur in c.*

NOTÆ.

(102) Belgrad.

numquam ita sepositus vel abjectus, ut in ignorantiam verteretur. Quidquid vero frequens cogitatio exercet et renovat, nunquam memoriæ subducitur, quæ nichil perdit nisi ad quod non sepe respexit. Reliqaias ergo Jherosolimitanas seu undecumque quesitas, quibus onustus advenerat, in sanctuario pater Richardus deposuit, et sic lectione præmissa, susceptis et deosculatis fratribus, vicem beneficiis rependit, gaudens cum gaudentibus, et gratias agens quod eorum orationibus munitus labores viarum securus percucurrerit, libens toleraverit, quod gratissimum est cuilibet enumerare ubi evaserit. Postquam igitur (lectioni satisfactum est, et prospera utrimque re-]li.ata, quia in talibus adversis referendis si qua sunt, dies reservatur crastina, ad refocillationem fatigati corporis ventum est; quod et abunde, ita tamen ut honestati sufficeret, procuratum est. Exinde venerabilis pater in reddenda beneficiorum vice accingitur, primam eorum pensionem solvens, quod grate ad eum pervenerint effusis affectibus judicare, et hoc ubique testari. Cepit enim, quasi nichil actum fuisset, beneficiis addere beneficia, rimari singulorum necessitates, et ope eas levare, ut cuncti agnoscerent patrem sibi advenisse, et plenitudini gaudii eorum nil deesset. O virum omni laudis præconio dignum! qui etiam puerorum lecta per se circuibat, ut videret si quid esset addendum, si quid innovandum, si quid meliorandum, ut etiam per hoc paternus ejus animus agnosceretur, et debita pietas cunctis impenderetur. Studebat id omnibus resecare vitia, mores corrigere, ut posset plantaria virtutum inserere.

25. Nec silendum quid de Stephano, quem cœnobio sancti Laurentii prælatum diximus, actum sit. Cum enim esset idem communis pastor noster in expeditione Jherosolimitana, et per annum continuum pene remoratus fuisset, famaque fuisset defunctum eum esse, Duramnus Leodiensis episcopus, qui Wolbodoni successerat, Stephanum ad se evocatum, ut loco abbatis præesset, officio monuit, et ammonendo petivit. Cui cum vir simplicis ingenii patris spiritualis prætenderet obœdientiam, absque cujus permissu et voluntate nulli fas esset quidquam præsumere, ille respondit patris Richardi se in ejus discessu voluntatem agnovisse, quod eum loco præficere delegisset : cujus quia nunc obitum audisset fama vulgante, decrevisset ut decebat voluntatem implere. Quid multis morer? persuasum est homini, et sibi minus cavens, susccpit prælationem loci, consecratus ad officium abbatis. Non multo post vir Dei rediit, et audiens quod factum erat, super fratris errore doluit. Ille quoque ut audivit patrem adesse, non est ausus occurrere venienti, sed cogitavit prævenire faciem ejus in confessione, et sumptis comitibus venit ad festivitatem sancti Vitoni. At ubi venit, solus absque comitibus claustrum intravit, orationes fecit, in claustro sedit, et quasi qui numquam ordinatus fuisset prælationem ablicavit. Conspectui patris præsentatus satisfecit, qualiter ad [illegible]sentiendum inductus fuerit patefecit; semper tamen se errasse, se deliquisse confessus est. Aderant et comites, inter quos erat archidiaconus missus ab episcopo, poscens patrem piissimum ut errori locum daret veniæ, et quod actum erat pro suo amore ratum sineret esse et stabile. (Fol. 89.) At vir mitissimus pauca cum consilio loquutus : *Petitioni*, inquit, *domni episcopi adquiescere honorificum est, et fratrem qui publice peccavit publica satisfactione corripere bonum est.* Hæc loquutus, fratrem ultimum in collegio fratrum interim sedere præcepit, quoad usque tractaret in capitulo de his quæ mandabat episcopus, et consilio generali quid esset agendum disponeret. Abscessit frater a conspectibus patris, et cum tanta virtute patientiæ jubentis obœdivit imperio, talemque se exibuit in obœdiendo, ut miraretur qui vidisset. Vigilia erat festivitatis sancti Vitoni, ad quam certatim undique confluxerant nobiles et spectati viri vulgusque promiscuum, et in præsentia episcoporum, abbatum, monachorum, clericorum, nobilium et ignobilium ultimus omnium sedit Stephanus cum bona patientia et vultus ejus non sunt mutati in diversa (*I Reg.* 1, 18). Quamobrem ad exorandum patrem Richardum pro ipsius restitutione omnes qui aderant unanimes reddidit ejus humilitas. In crastino coram omnibus culpam professus, errati remissionem optinuit, gratiam reportavit et de ultimo promotus est in superiorem statum, cum gratia patris sui prælatus custodiæ gregis Dominici, et jam ad missas, ut abbatem decet, honoratus est, qui de correptione illata injuriatus non est. Verum archidiaconus Leodiensis, quia domini sui ut voluit in omnibus exequuta voluntas non est, rediens ad illum, non tamen cum abbate Stephano, testis fallax factus est; qui rem gestam non ut gesta est, nec eo animo quo gesta est, retulisse comprobatus est. Qui prorumpentes in se animi appetitus nulla vi animi coercens vel refrenans, abbatiam Lobiensem beato patri pro his, quæ secus quam mandavit gesserat abstulit, et abbatem contra jus fasque, quem voluit, substituit. At vero domnus Stephanus aliquot diebus Virduni commoratus, et de correptione melioratus est, et quamdiu vixit patrem fratresque intimo amore dilexit, filiosque suos in timore Deo servire docuit, omnibusque exemplar religionis et disciplinæ extitit.

(Fol. 89') 26. Igitur ad beatum Symeonem reflectentes articulum, quid apud Richardum Normaniæ principem egerit, sicut in armario Rothomagensi continetur, licet libellus vitæ ejus hoc silcat, paucis explicemus. Ad hunc itaque veniens cum sociis, commendatus est cuidam viro nobilissimo Gozelino nomine, qui eos gratanter suscepit hospicio, et benigne post laborem refecit. At vero clementissimus princeps Richardus caritate profluus, misericordia copiosus, servi Dei tam prolixi itineris motus labore, necessitati servorum Dei de monte Syna compassus, plurimas eis largitus est divitias, quas venerabilis Symeon per fratres qui secum advenerant, fratribus

misit, et ipse cum præfato Gozelino uno tantum contentus famulo Stephano nomine, viro eque sancto, biennio mansit ; cujus hortatu idem vir nobilissimus monasterium sanctæ Trinitatis in vicino monte Rotomagensis urbis edificavit. Illo in loco vir mitissimus domnus Symeon reliquias sanctæ Caterinæ, quas secum ferebat, deposuit, gaudens divina id præordinari dispositione, ut scilicet occidentalis plebs tanto gauderet suffragio, dum ejus frequenter relevari mereretur antidoto. Hec autem est sancta Catherina, quæ a Maxentio cæsare apud Alexandriam martyrio coronata, ab angelis ad montem Synay delata, et in habitaculo angelicis manibus præparato locata, quod quidem in modum turriculæ in edito porrectum, uno tantum foramine scala apposita aditum præbet, oleo, quod de ejus corpore profluit, omnibus medetur infirmis. Porro ad radices ejusdem montis ipsius sanctæ virginis extat oratorium, in quo multa turba monachorum die noctuque Deo laudes canentium, beatæ martyri devotum exhibet famulatum. His moris est die Dominico montis supercilium ascendere, et missis ibi celebratis, duos vel tres ibidem semper fratres dimittere ob excubias sacri corporis, quibus alii vicissim fratres per hebdomadas succedunt, sacrumque oleum, quod de illo effluere non desinit, vitreo vase supposito debilium usibus reservandum summa cum veneratione excipiunt, quo non solum Christiani, verumetiam pagani, quod dictu mirabile est, injuncti, opem sibi medicinæ reportant. Inter quos cum beatus Symeon suæ septimanæ fungeretur officio, cum illo salutaris olei liquore tria admodum minuta de sarcofago distillantia meruit ossa excipere. Quæ diligenter collecta, et in concha vitrea cum ipso oleo recondita secum conservavit multis profutura, et ea postmodum, ut diximus, æcclesiæ præfatæ Sanctæ Trinitatis Rodomi contulit, auro et argento preciosiora. Continetur adhuc in eodem cœnobio vas illud vitreum cum reliquiis, id est tribus minoribus articulorum juncturis, quod vas ob inundantiam sancti olei quaque septimana vacuatur, et petentibus pro reliquiis sancti corporis datur. (Cf. supra). Beatus autem Symeon apud præfatum Gozelinum biennio manens, cogitavit tandem patrem suum karissimum Richardum abbatem sociosque suos invisere, et sic valedicens omnibus, Virdunum venit, et cum eodem patre diebus quamplurimis mansit; et frequenter injuriatus, tamquam agnus mansuetissimus omnia pertulit, et speculum totius sanctitatis omnibus se præbuit.

(Fol. 85) 27. Igitur anno ab inc. Dom. 1028. templum sepulchri Domini funditus eversum est jussu principis Babiloniæ, faciente Judeorum nequicia. [Glaber. III, 7; IV, 4.] Sequuta eodem anno in orbe terrarum universo fames, ita cepit convalescere, ut talem antea quis non viderit. Ceperunt enim inter se elementa compugnare, ita ut in tribus annis præ nimia pluvia non invenirentur sulci utiles seminibus. Tunc in plerisque locis fuit modii precium 60 solidorum, alias sextarius 15 solidorum. Tunc etiam humanæ carnes ab hominibus devoratæ sunt, ita ut in forum Trenortii delatæ sint, acsi venundandæ. Quas qui attulit deprehensus, igne crematus est. Carnes vero humo traditæ, atque ab alio noctu effossæ et comestæ sunt. Qui deprehensus, et ipse combustus est. Tunc prope æcclesiam sancti Joannis in castanedo prope civitatem Matisconensem sitam quidam sibi tugurium statuerat, qui cum nocte quadam errantem suscepisset hospicio, deprehensus ab eo hujusmodi cibo vesci, cum susceptus timens sibi fugæ se credidisset auxilio, re in civitate patefacta, missis exploratoribus inventus cum 48 capitibus trucidatorum, quorum carnes voraverat; et hic deprehensus igni traditus est. Tanta fuit famis anxietas, quod attemptatum sit in partibus illis, ut quidam albam terram argillæ similem effossam, permixta farina vel cantabro (103), pane inde facto comederent. Miserum erat et dolendum videre ora marcentia jejunio, hos ad terram ruere non eis suffragante cibi solatio, istos morientes aspicere, alios dum eis funus exiberent pariter commori et super ipsos occumbere, plures numero insepultos jacere, quia non erat qui sepeliret. Sequuta est et alia pestis, quia e cadaveribus mortuorum pre nimia multitudine sepultura carentium lupi adescati, cœpere prædam ex hominibus. Tunc carnaria facta sunt a Deum timentibus, in quibus patrem filius, fratrem frater, et mater filium dum deficientes aspiceret, protrahebat; et aliquando ipse dum desperabat de vita, superaddebatur, ita ut gratissimum id esset officium funeris, si spirans aliquis illo a quovis projiceretur. Quamobrem in expensis egenorum æcclesiarum ornamenta distracta sunt, dispertitique thesauri. Aurum enim, ut ait moralis doctor Ambrosius, æcclesia habet non ut servet, sed ut eroget. Quis autem eo tempore reconderet, cum reconditis, si fames saltim quinquennio durasset, nullus esset qui frueretur? Sed nec omnibus subveniebatur, quia voluntati posse non suffragabatur. Hac ergo tempestate civitatum Gallicanarum præsules consilium, quo tanta mali moles levaretur, incuntes, hoc tandem adinvenerunt (1028), ut quia deficientibus jam ex toto alimentis omnibus opitulari nequibant, ne terra habitatore destituta in solitudinem redigeretur, aliquos quos esse vegetiores constaret, dato pro posse numero cotidiano qualicumque cibo sustentarent: non ut aliis solacia quæ poterant subtraherentur, set ut istos sustentatos terræ cultores reservarent, et aliis misericordiæ viscera non negarentur. Det illis Deus invenire misericordiam, qui in tanta

NOTÆ.

(103) i. e. farfure.

angustia misericordiam necessitatem patientibus inponderunt; et parcat eis, qui cum possent, voluntati indigentium, non ut debuissent et potuissent, consuluerunt. Inter has angustias venerabilis abbas Richardus mente compunctus, cum omnia quæ habebat pauperibus contulisset, non pepercit thesauris ecclesiæ, immo quæ in eis preciosiora erant in ornamentis et palliis vendidit Remensi æcclesiæ, et precium eorum pauperibus distribuit, retento quoque sibi certo numero eorum quibus cotidianum victum ut vivere possent inpertiebatur, mittens præter hæc litteras et nuncios, et per se etiam commonens reges et principes, pontifices quoque quibus familiaritate jungebatur, ut thesauros, quos tinea et erugo demolitur, per manus pauperum cælestibus palatiis inderent, et ventres egenorum gazofilatia æternitatis sibi constituerent. Accepit etiam pecuniam non parvam a comite Rutenensi, concessa loco vadii abbatia sancti Amantii, quæ erat juris æcclesiæ sancti Petri, quam omnino pauperibus partitus est. Verum comes data pecunia et abbatiam sibi usurpavit cum redditibus et fundis; et ut asserunt habitatores Rutenæ urbis, antequam pecunia recepta fuisset ex ejusdem abbatiæ fundis, ipse morte præventus est, et sic abbatia a successoribus ejus retenta est, quamquam ab inhabitantibus non tota sancti Amantii abbatia, quæ latisssima est et possessionis enormis, juris ecclesiæ Virdunensis esse dicatur, sed pars quædam, videlicet abbatia sancti Marii de Utiabra, ut moderni testantur etiam nunc. Nec debet reticeri Willelmi Supra regulæ factum memorabile. Cum a Fructuariensi cœnobio, quod juris erat Divionensis ecclesiæ, redisset, et Divioni, ut decebat, susceptus in capitulo qualiter se fratres haberent, si necessaria non deessent inquireret, ut audivit, omnia esse plena, nullumque locum indigentiæ qui non posset levi obice obstrui, interrogat de elemosina, cognovitque, quia etsi consuetudinaria dabatur non tamen pauperibus prout poterant et habebant suffragabantur, zelo succensus eo qui carnes sanctorum exedit, increpata eorum duricia, a sede concitus cum bona indignati animi stomachatione surrexit, (fol. 85') et imposita antiphona de mandato: *Ubi est caritas?* non ultra progrediens, sed hoc ejus inicium semper repetens, ad cellarium venit, et missile quodlibet, quod manibus Finees alterius occurrit, arripiens, cum in ore et animo ejus semper versaretur: *Ubi est caritas?* vasa, in quibus frumentum, ordeum et vinum servabatur, disrupit, et accitis pauperibus vascula eorum inplevit, illud semper corde et ore depromens: *Ubi est caritas?* et operis exibitione contestans. Cujus animi indignationem vix adjuvando, ut quod aggregatum erat expenderetur, mitigare potuerunt, cum *Ubi est caritas?* semper repeteretur, et ipsi incrassati, inpinguati, dilatati exprobrarentur. [Glab. R. *Vita Will.* 29.] Nec antea cessatum est, donec omne illud repositum pauperibus donatum est, et ipse ad Italiam remeans, cum biennio suum a seculo expectasset excessum, tandem redire compulsus, ante Divionem transiens, loca sibi commissa circuibat, dehinc Fiscanum (104) se contulit, ubi imminente a. dom. inc. 1031 indict. 14 obiit Kalend. Januarii, ad cujus sepulcrum puerulus decennis a maxima egritudine sanatus est.

Hoc anno Chono, qui et Conradus, in Franciam venit

[Glab. Rod, iv, 5.] Anno igitur a passione Domini 1000, ab inc. vero 1033, cepit placida serenitas terræ dulcedinem Creatoris ostendere, et frugum abundantiam portendere. Tunc per Aquitaniam, et Arelatensem et Lugdunensem provincias, et per universam Burgundiam concilia instituta sunt, et pax firmata. Statutum est etiam 6 feria a vino et 7 a carnibus abstinere, nisi gravis infirmitas intercederet, et tunc tres pauperes reficerentur. Eo quoque anno tanta copia frumenti, vini ceterarumque frugum extitit, quantam in subsequente quinquennio quis sperare non potuit. Sed humana styrps [312] immemor beneficiorum Dei, velut canis ad vomitum reversa, recalcitravit, et ad maliciam conversa est. [Cf. Glab. Rod. *Vita Willelmi Divion.* 13.] Preerat eo tempore comitatui Normanniæ Richardus junior (105), primi Richardi filius, qui in Fiscannensi cœnobio, in quo pater suus clericos instituerat, abjectis clericis monachos introduxit sub regimine Willelmi abbatis, quibus etiam ad usum cotidinarium, in ornamentis et prædiis, fundis et reditibus tanta largitus est, ut cupiditati satisfecisse videretur. Erat enim in elemosinis largus, in caritate profluus, æclesiarum amator, pauperum recreator, servorum Dei præcipuus venerator, in cujus manu elemosina sudabat, donec inveniretur cui debebatur. Hujus tempore viris religiosis floruit Normannia, qui ad eum undique confluebant velut apes ad alvearia. Inter quos hunc virum beatum propensiori coluit reverentia, adeo ut speciali eum amore diligeret, et præceptis ejus obtemperare consiliisque adquiescere gauderet.

(Fol. 89')28. Obiit quoque Richardus Normannorum dux a. inc. Dom. 1026, et successit Richardus III, et eodem anno defunctus est. Post quem Robertus comitatum Normanniæ adeptus, hunc ter beatum Richardum, de quo nobis est sermo, inter primos habuit, consilioque ejus regni Normanniæ tractabantur negocia. Tunc extitit quidam Britto nomine Ermenoldus, homo mentis perversæ, detestandæ famæ, qui totam vitam suam diabolo dicaverat, ut post experimentis probatissimis compertum est. Hic horis et momentis omnibus cum diabolo loquebatur, et

VARIÆ LECTIONES.

[312] styrs *c.*

NOTÆ.

(104) Fécamp.

(105) Cfr. Glab. Rod. Vita Willelmi Divion. 13.

quidquid sibi agendum foret illius nebuloso colloquio disponebatur. Hic per suscepta iniquitatis consilia ad plenam iniquitatem enutritus, et vere membrum illius factus, qui est fomes maliciæ et discordiæ et omnis nequiciæ, apud præfatum principem omnes optimates totius regni accusavit, quasi qui ejus meditati essent dejectionem et necem, et ita statum totius terræ perturbavit, ut vere diaboli hoc opus esse, ejus hoc artificium, ejus commentum agnosceretur. (Fol. 90.) Inflammatur princeps adversus optimates, fiunt discidia, excitantur jurgia, et uno intestino bello tota debachatur Normannia. Hac crescente discordia, comitatum pater Richardus adire compellitur, et adjuncto sibi domno Ermenfrido Rotomagum advenit, et pace inter principes restituta, prædictum Ermenoldum alisquantisper mitiorem, quia ante conspectum servorum Dei cassabatur omnis diabolica astutia, convictum et correptum secum Virdunum deduxit, monasticis vestimentis induit, et hominem diaboli laqueis irretitum quæ sunt dæmonis spernere docebat. Sed in corpore peccatis subdito refugit habitare sapientia. Simulabat ille ad tempus se phylosophum, ut crederent eum qui non noverant theosophum, sed nil fictæ pacis amicum sapientia novit. Quamobrem omnis ejus astutia et nequitia brevi cognita est, nec potuit latere inter sanctos feralis illa rabies, pacis inimica. Egreditur inimicus homo de loco non suo, redit ad sua, utitur arte inpudentissima, et iterum perversitate malignitatis ejus corrumpitur Normannia. Projicitur de latebris, quo se fortiorem et valentiorem credebat, et quia diaboli calliditate in mortem ducendus esset, a beato ei viro prædicitur, nec frustratur promissis. Postquam enim plures optimatum Normanniæ conjuratione conficta et imposita duello superavit, quos convictos principalis severitas oculis terrisque privaverat, a quodam forestorio convictus, superatus et occisus, finem vitæ fecit et criminum. Quo in facto intueri libet dulcedinem et pietatem viri justi, qui hominem vere diaboli ergasterium ut vidit præcipitante diabolo convictum, ad sinum misericordiæ confugere docuit, et factum incorrigibilem, ne diutius grassaretur in viciis, ad exemplum omnium perditorum citius perire nunciavit, ut esset ei tanto levior pœna post mortem, quanto celerior peccanti accederet vindicta per mortem.

(Fol. 89.) 29. Veniamus igitur jam nunc ad illud lacrimabile bellum apud Bar castrum habitum a. inc. Dom. 1057, [Glab. Rod. III, 9.] in quo cecidit Odo filius Odonis filii Tetbaldi Carnotensis, cujus cognomen fuit Tricator, qui Willelmum Normannum Rollonis filium dolo interfecit, qui ex sorore Heriberti Trecorum comitis genuit Odonem, ut diximus, patrem hujus Odonis. Et ut plenius illucescat rei veritas, dicamus quæ fuerit causa tanti certaminis. Conradus Burgundiæ rex accepit uxorem Mathildem, sororem Lotharii junioris regis Francorum, et data est ei a Lothario in dotem Lugdunum civitas Galliarum nobilissima. Ex illa Mathilde genitus est Rodolfus rex, qui præfuit Burgundiæ post patrem; et Gisla, quam Conradus imperator duxit uxorem, de qua genuit tercium Heinricum; Berta etiam, quam accepit Odo Carnotensis, ex qua genuit hunc Odonem. Rodulfus vero rex absque liberis existens, Conrado imperatori Burgundiæ regnum dereliquit, dans ei lanceam sancti Mauricii, quod erat insigne regni Burgundiæ. Eo vero defuncto, et Conrado regno potito, Odo, quia erat ex sorore Rodulfi, sumpta tyrannide ad regnum cepit aspirare : et qui erat acris animi et ferocis ingenii, frequentibus irruptionibus irrupit fines Burgundiæ, optinuitque civitates et castella usque ad Jurum et montem Jovis, et magnus factus est vehementer. Obsedit quoque Viennam, quam ea conditione in fœdus recepit, ut præstituto termino in eadem urbe rex appellari et coronari debuisset. Infra hunc terminum expeditionem movit in regnum Lotharingiæ, [Ibid.] et Bar castrum cepit, dimissisque ibi militibus quingentis, ad alia se convertit, quia curis agitabatur innumeris. Rebellaverat enim contra Heinricum Francorum regem Roberti filium, et contra ceptis ejus obsistebat Conradus imperator, quorum lis magna fuit. Qui misit ad expugnandum illum Gozelonem ducem. Hoc Odo agnoscens rediit, et se ad bellum contra Lotharienses accinxit. Gozelo autem, dux totius primæ Retiæ, cum nimio exercitu irruens in eum, cum diu utrimque pugnatum fuisset, exercitum ejus in fugam vertit, et ibi Odo ipse miserabiliter corruit. Cujus corpus lacerum venerabilis pater Richardus et Rogerus Cathalaunensis episcopus a cede susceptum, reddiderunt uxori, et est sepultus Turonis. Cecidit in bello illo et Manasses comes, et Evervinus et Dido, et Virduni sepulti. Walerannus quoque comes in bello ipso a Godefrido Gozelonis ducis filio graviter vulneratus, cum jam deficeret pugnans, vitam poposcit et membra, ut liceret ei apud Virdunum sub regimine patris Richardi monasticis indui vestimentis, sicut Deo devoverat, quod et optinuit. Et bello exacto, cum præfato patre rediit, et monachus factus est (106.)

(fol. 90.) Omittimus necationem et piscationem noveni capitis parvulorum in vivario, viro Dei in abditis et asperis jugis Romarici montis quæ jam subierat amore quietis internæ, Spiritu sancto revelante signatam, ne sancto ordini sanctimonialium injuriam fecisse videamur, maxime cum et illæ habitatione vicinæ sint, et tanta urbis Virdunicæ frequentia miraculum hoc celebratum sit, ut qui non vidit fama referente didicerit, licet vir prophetici spiritus id omnimodis propter improperium impiorum cælatum esse voluerit. Hæc est enim causa quæ eum ab illa sua quiete præfati montis interim deposuit. Unde et correptione pro tempore et loco data, illo se retulit, ut palam daretur intelligi, invi-

NOTÆ.

(106) Vita Richardi II.

tum eum et quasi coactum ad horam relaxasse rigorem propositi sui. Illud erat in viro Dei mirabile, quod absens corpore istud agnoverit, locum etiam et numerum, et quod terno tractu ab imis gurgitis gurgustiis illa naufragosa turba erueretur.

Habitavit autem primitus in loco quinque milibus a Romarici monte semoto, qui nuncupatur....., uno tantum comite contentus, cui tamen versa vice dominus cum Martino serviebat. Ubi quanta se corporis maceratione attriverit, quanta mentis contritione animam relevaverit, solus internorum arbiter novit, quia et ille sic opus dexteræ peregit, ut ignoraret sinistra, maxime cum incolatum suum prolongari cotidie defleret, qui volebat a consortio habitantium Cedar tenebroso divelli. Post hec ad locum, qui Rombêchus.(107) dicitur, secedens, ibi habitaculum sibi instituit. Et cum ibi vellet diutius latere, non potuit. Ceperunt et illo confluere, quis similis inoleverat ardor vitæ anachoreticæ et ejus se discipulatui contradere; quibus et ipse normam vivendi instituit secundum morem a sanctis Patribus institutum. Cumque jam quinquennium dedicatæ penitentiæ impleretur, devotio sancti desiderii non minuebatur, quin in dies propensiori studio augebatur, quia in ipsa sua exercitatione delectabatur, qui delectatione pascebatur. Inclinaverat enim cervicem animi in testimonia Domini, incessu humilia, successu excelsa, processu clarissima, et quia veram philosophiam amplexabatur, excitabatur accendebatur, et ardebat, *ignitum* enim *eloquium tuum vehementer, Domine, et servus tuus dilexit illud* (*Psal.* CXVIII, 140.) Revocabatur ab episcopo et fratribus ejus absentiam egre ferentibus, et illud ei sepissime intendebatur : *Revertere, revertere Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te* (*Cant.* VI, 12). Sed ab eo verbis, litteris, actu quoque ipso reditus denegabatur [313]. Vidi ipse quasdam epistolas in invicem missas, et legi puerulus; in quibus constantiam ejus in responsis, cum ei verbum responsionis opponeretur, ut diximus, ita in fine unius epistolæ fratrum repressit intentio : *Si*, inquiunt, *verbo verbis obviare volueris, non deficient verba pro verbo laborantibus.*

(fol. 90'.) 30. Anno ab inc. Dom. 1035 Robertus comes Normannorum Jherosolimam ivit, infinitam pecuniam secum ferens, quam omnino pauperibus partitus est, et in redeundo apud Niceam obiit. Cui successit Willelmus in ætate puerili. [GLAB. ROD. IV, 6.] Eo anno Johannes papa obiit, et successit Benedictus, Benedicti et Joannis nepos. Willelmus fraude suorum Normannia pulsus, Robertum (108) Francorum expetivit regem, qui bello et manu valida congressus, victis et prostratis Normannis, de traditoribus judicio dato comitatum ei restituit. (IV, 8.) Qui postea Mathildem, Balduini Flandrensis sororem, in matrimonium accepit. Hic etiam tanto amore venerabilem hunc, de quo sermo agitur, coluit, ut ejus consiliis in illa tempestate palatina disponeret moderamina, et quamquam egre ad se accitum omnigena honoraret dulcedinis et devotionis instantia, adeo ut æcclesiam Rotomagensem cum præsule sedis ipsius et clero, ejus gauderet decorari doctrina, ut ex multarum faciebus rerum nunc usque conici potest, etiam a libro communi secundum modos institutionem ejus ordinato post maius altare catena firmato [314].

(fol. 91') Rambertus Virdunensis episcopus Hierosolymam vadens villa Bellagrada obiit a. Dom. inc. 1038, (*G. Vird.* 10) pontificatus sui a. 14, et postmodum tempore Richardi successoris sui a clericis Bernero et Bernardo relatus, Virduni est sepultus in monasterio. Hoc [315] etiam anno obiit Amadeus abbas Flaviniacensis 14 Kalendas Aprilis.

[ROD. GLAB. IV, 9.] Anno ab inc. Dom. 1039, die Kalendarum Julii, 6 feria, luna 28, facta est eclypsis solis. Sol enim factus est saphirini coloris, et eadem die natali apostolorum quidam Romanorum in Clementem papam insurgentes et interimere eum volentes, cum non potuissent, a sede eum depulerunt. Sed Conradus imperator illuc veniens, propriæ eum sedi restituit, et eodem anno apud Saxoniam obiit, et tertius Heinricus successit. Clemens quoque papa, primo Bavebergensis episcopus, dictus Suicherus, obiit, et Robertus Francorum rex. Heinricus vero post mortem Ramberti, primo regni sui anno, viro Dei Richardo episcopium Virdunense concessit, sed vir mitissimus hoc renuit, et Richardum suum in baptismate filiolum Hildradi comitis filium intronizari fecit. [GLAB. ROD. V, 3.] Eo in tempore, in mense Novembrio luna 28 facta est eclypsis solis, et visa est stella quæ Lucifer dicitur, vespere sursum et deorsum agitari, quasi comminando terrigenas. (V, 5.) Tunc etiam in Romana sede quidam puer annorum 12 statutus erat Symoniace, cujus turpitudo conversationis et vitæ horrori est referre. (V, 4.) Fuit quoque in illis diebus suprataxatis circa annum millesimum Dominicæ incarnationis dissensio maxima post mortem Burchardi Lugdunensis archiepiscopi, qui hoc solum fecit nobile quod periit pro episcopatu ipso, quem multi superbe appetebant. Et primus omnium prædicti Burchardi nepos Burchardus Augustanus episcopus, relicta propria sede, procaciter Lugdunensem arripuit, et post multas perpetratas nequitias captus a militibus imperatoris, perpetuo est condempnatus exilio. Post eum Geraldus comes filium suum puerulum arroganter ibi sola præsumptione auctore constituit, et hic in fugam versus delituit. (III, 9.) Regebat eo tempore regnum Francorum Heinricus, Roberti regis ex Constantia filius. Nam Hugo, qui adhuc decennis

VARIÆ LECTIONES.

[313] denegabatur *c.* [314] *major paginæ* 90', *pars et tota* 91 *vacat.* [315] *addita post.*

NOTÆ.

(107) Rumbech auctore Vitæ Richardi cap. 14.

(108) Heinricus I. a. 1031 — 1060 regnavit.

coronatus est, inmatura morte præventus est. Tercium Robertum cum voluisset mater facere regem, nec potuisset, ducem constituit Burgundiæ. (v, 2.) Fuit quoque dissensio magna inter ipsum Heinricum et filios Odonis qui apud Barrum obiit, Tetbaldum et Stephanum : adeo ut idem rex, ablato ab eis dominio Turonicæ urbis, daret illud Gotfredo Tuditi, filio Fulconis, qui eam toto anno obsedit : et inito bello Stephanus fugatus est, Tetbaudus captus cum suis ante civitatem deductus, reddidit eam Gotfredo, et in captione remansit. Mille septingenti et eo amplius viri absque sanguinis effusione in prælio capti sunt. (v, 4.) Ea tempestate Ungros sibi secundo rebelles cum vicisset imperator, ex omni imperio suo episcopos congregari fecit, et contra Symoniam agens ita orsus est (v, 5) : *Lugens vobis incipio loqui, qui vice Christi in ejus æcclesia constituti estis, quam sibi desponsavit et suo sanguine redemit. Sicut enim gratuita bonitate de sinu Patris per virginem ad nos redimendos venire dignatus est, ita suis præcepit et dixit, mittens eos : Gratis accepistis, gratis date. Vos autem avaricia et cupiditate corrupti, qui benedictionem conferre debetis, in hac transgressione dando et accipiendo maledicti estis. Nam et pater meus, de cujus animæ periculo valde pertimesco, eandem dampnabilem avaritiam in vita sua nimis exercuit. Idcirco quicumque vestrum hac se macula pollutum agnoscit, oportet ut a sacro ministerio arceatur. Propter hanc enim offensam venit super filios hominum fames, mortalitas, et gladius. Omnes enim gradus æcclesiastici a maximo pontifice usque ad ostiarium opprimuntur per vestræ damnationis præmium, et in cunctos spirituale grassatur latrocinium.* Ad hanc vocem imperatoris stupefacti pontifices, misericordiæ operam implorabant. At princeps misericordia motus, et pro anima patris sui orare eos monens, proposuit edictum, ut nullus gradus vel ministerium æcclesiasticum precio adquireretur ; et si quis attemptaret, omni honore multaretur. *Sicut*, inquiens, *Deus coronam imperii gratis mihi dedit, ita ego quod ad religionem pertinet gratis impendo. Volo ut et vos similiter faciatis.* Puerulus itaque qui Romanæ incubabat ecclesiæ, præcepto imperatoris a sede dejectus est, et Gregorius VI, natione Romanus substitutus est. Cujus bona fama quidquid prior fedaverat in melius reformavit. (v, 4.) Hic sanctum Odilonem instituens Lugdunensi æcclesiæ ordinari pontificem, misit ei pallium et anulum. Sed vir religiosus humilitati studens hoc renuit, pallium tamen et anulum retinuit, servans illud pontifici qui dignus esset ; quod usque hodie Cluniaci habetur. Heinricus vero, recepto regno Austrasiorum, comperta dissensione condoluit, et apud Bysontium a. ab inc. Dom. 1041, electione cleri et populi firmatum domnum Odelricum Linguonensem archidiaconum speciosis ornatum indumentis ad Lugdunensem destinavit sedem, et facta est provinciæ quies et gaudium populo. (v, 1.) Anno ipso treva Dei primum statuta est et firmata, et pax ipsa treva Dei appellata. Quæ non solum humanis præsidiis, sed et divinis confirmata est terroribus. Quam cum noluisset recipere gens Neustriæ, viro Dei Richardo prædicante, et ut eam susciperent, quia voluntas Domini erat, (fol. 92) et a Deo non ab homine decretum hoc processerat, ammonente, (v, 1.) divino judicio cepit in eos desevire ignis qui eos torquebat ; eo anno fere totus orbis penuriam passus est pro raritate vini et tritici. Sequuta est e vestigio mortalitas hominum præmaxima a. ab inc. Dom. 1042. Multi autem eorum qui torquebantur ab igne, venientes ad virum Dei, meritis ejus et precibus curabantur medica virtute Dei. Superest adhuc domnus Educnsis episcopus (109), vir vitæ longevitate grandevus, qui et referre solitus est, quia cum a sancto Odilone et ceteris ipsa pax divinis revelationibus instituta, treva Dei appellata, et ab Austrasiis suscepta fuisset, et voluntas omnium in hoc esset una ut ubique servaretur, negocium hoc strenuitati hujus patris nostri Gratiæ Dei ab omnibus impositum est, ut ejus studio et industria pax eadem in Neustria servaretur, eo quod certi essent de eo, quod tanta esset ejus erga omnes et omnium erga eum gratia, ut quidquid servandum doceret, servaretur a cunctis, quidquid vitandum monstraret, id cuncti vitarent. Quamobrem sategit pater venerabilis, ut tantum bonum gratanter ab omnibus susciperetur · sed perversa quorumdam voluntas, et mens indomita, quasi inauditum hoc respuit, quasi qui nollent instituta paterna violare et nova atque inaudita suscipere. Unde et subsequata est divina ultio, ignis scilicet in rebelles et contumaces deseviens a Domino, quo torquebantur qui viro Dei resistere et mandata ejus contemnere non verebantur. Videres monasterium eximii patris ardentium turbis refertum, quos ipse sanctorum reliquiis aqua benedicta respersis et vino lotis, et pulvere qui de petra sepulchri Domini radebatur vino ipso consperso, et ad potandum miseris dato, pace firmata et jurata, pristinæ sanitati reddebat. Pro innumeris autem turbis confluentium infirmorum vas potui illi paratum erat, ut si advenirent egroti, potus salutis non deesset, ne fallerentur si hora incompetenti venissent ; neve tunc foret necessitas recurrendi ad ablutionem reliquiarum, quod post expletionem missæ inpleri mos erat.

[Glab. Rod. v, 1.] Anno igitur ab incarn. Dom. 1045, Heinricus duxit uxorem nomine Agnetem, filiam Willelmi Pictavensis, apud Bysontium ; ubi affuerunt episcopi 28. Cum enim esset alias bonus et omnes ejus sitirent dominium, carnis tamen in-

NOTÆ.

(109) Hagano obiit a. 1098. Jun. 25. v. infra.

continentiam frenare non potuit. Pater Richardus A tunc temporis monasterium nolebat relinquere, a quo pro nullis ingruentibus causis patiebatur avelli, quia sciebat et prædixerat filiis inminere resolutionem sui corporis. Etenim superioribus annis quando lues illa, de qua inpræsentiarum mentionem fecimus, populum vastavit, cum dilaberetur populus, et civitas Virdunensis pene redigeretur in heremum, commune periculum communi oratione tolli consultum est. Cujus necessitatis urgente miseria, communi voto deliberatum est beati Vitoni imploran-dum esse præsidium, cujus se confidebant meritis vitæ procul dubio captaturos remedium. Visum etiam est Richardo episcopo, ipsius confessoris corpus sanctissimum exponi debere de feretro, ut processione solempni evectum præsentaretur conspectibus omnium, ut plebs ipsius fulta patrocinio, dum sancti videret loculum, ejus propensius expeteret subsidium, quod noverat sibi non defuturum. Contradicente itaque viro reverentissimo patre nostro, præsul quod deliberaverat in crastinum inpleri destinavit : obsistente eo et dicente levandam quidem miseriam populi, sed episcopo non cessurum in prosperum, qui ausus fuisset inquietare sancti corpus honorificum. Noctem illam pater insonnem duxit, ante altare sancti orationibus vacans cum lacrimis. In crastinum venit episcopus, clerus omnis, et populus, et cum multo timore et reverentia sancti pontificis exponunt reliquias, super aurum obrizum preciosas. Quod ubi factum est, pontificem pater adivit : *Inplesti*, inquiens, *quod voluisti, sed noveris te quintum abhinc annum in sæculo non visurum. Michi quoque qui assensi, ante quintum similiter annum terminus erit vitæ, te post modicum subsequente.* Dixerat, et dictum rei probavit eventus. Quarto enim necdum exacto anno, viribus corporis cepit pater destitui, et convocatis fratribus indicavit imminere diem suæ resolutionis. Mox itaque abbatiæ sancti Petri Catalaunensis Odylardum abbatem instituit, Bello Loco patrem Richardum delegit, cœnobio sancti Huberti Teodericum, sancti Urbani Stephanum, viros in omni theoria probatissimos, in servando religionis proposito clarissimos. Has enim abbatias ipse per se regebat. Exoneratus ergo ab omnibus, illam sibi tantum retinere censuit, cui pastor datus fuerat, in qua etiam se sepeliri destinaverat. (Fol. 92'.) Et jam in mandatis Domini assiduus potius quam frequens, die quadam cum vidis-et unum de fratribus monasterii cui nomen Mysac graviter estuare febribus, ut quasi intercipi videretur spiritus ejus, manum illius tenuit, et ut nunciandæ horæ operis Dei signum daret sanus factus et incolumis, præcepit. Ille in voce jubentis factus sanus obœdivit patris imperio, et sic omni egritudinis caruit incommodo. Hic itaque, qui tantis abundabat virtutibus, imminente die vocationis ejus decubuit febribus, et ultima illa exercebatur egritudine. Quod ubi per urbem sonuit, advenit episcopus, monachorum quoque, clericorum et sanctimonialium cœtus; et visitatione solempni ostendebant erga patrem devotionem piæ affectionis. Nec rediit ad domum episcopus, quin immo cotidianis excubiis adherens ei, non die, non nocte ab illo patiebatur avelli. Advenerunt et vicinarum urbium episcopi, abbates, et quique magnates, ad visitandum eum et commendandos se ei; quibus videbatur, quod in obitu ejus omnino terra commoveretur et conturbaretur. Excubabat diebus ac noctibus ante domum ejus turba filiorum et ceterorum fidelium, alii patri ad meliora festinanti valedicere et se commendare volebant, alii sanitates corporum expetebant, ut saltim aquam ablutionis manuum ejus mererentur, qua inuncti refocillarentur. Ubi ergo sensit inminere horam vocationis suæ, filios quos B Christo adquisierat convenire jussit, et inunctus ab episcopo oleo sancto, confessione data, viatico cælesti pastus, expositus est lectulo, et jacuit in cinere et cilicio, ita ut altare sancti Nicholai ejus semper appareret conspectui. Inde fratres alloquutus, consueta salutis documenta replicans, Deo ut servirent et adhererent ammonuit, suique ut memorarentur piissima devotione petivit, omnibus in commune flentibus et suam destitutionem ingeminantibus, cum ipse omnium cohiberet lacrimas, solaretur dolorem, et Christi domini promitteret affuturam protectionem. Post hec reliquias quas Jherosolimitanus patriarcha ei dederat sibi afferri præcepit; et salutatis eis atque deosculatis cum multa reverentia, C eas quas collo ferre consueverat exposuit, et ante se reverenter sisti præcepit. Hinc commune sanctorum patrocinium implorans, elata manu fratribus et omnibus qui aderant benedixit, et sibi benedici petiit. Sicque data filiis licentia exeundi, ipse oculis et manibus in cœlum porrectis et intendebat ad quem festinabat. Legebantur ante eum passiones Dominicæ, lectiones quoque ex quarto dialogorum libro; et felix ejus anima illi soli adherebat, cui se totum commiserat. Ubi vero cepit jam ab inferiori parte corpus emori (1046), sanctorum reliquias apprehendens in lectulo sedit, et ad pedes eas ponens, atque uti vitalis calor deficiebat, paulatim eas protrahens, tandem in pectore substitit, et reliquias ibidem cum re- D clinasset, deposuit. O admirandam viri devotionem ! O predicandam ejus in omnibus sanctitatem ! Cum ergo reclinasset, manus reliquiis apposuit, et sic usquequo spiritum Creatori redderet, erectis ad Deum luminibus mansit. Aderat ibi episcopus, et viri religiosi quos obligaverat amor et beneficia pii patris, qui exitum ejus præmunibant orationibus continuis et psalmodia, qui vix et raro, licet ad horam separabantur ab ejus præsentia, ne contingeret eos absentes esse quando a corpore migraret felix anima. Illucescente itaque die mensis Junii 14, quod est 18 Kalendarum Junii, hora jam imminente tercia, præsentibus filiis suis, quos loci angustia capere poterat, ceteris in majori æcclesia consistentibus et canentibus, sancta illa anima corporeis ne-

tibus absoluta, ad illud pervenit æternum quod est unum et inseparabile trinum. Oculos patris clausit episcopus; polinctores funeris (110) Richardus, Odylardus, Stephanus et Walerannus abbates fuerunt. Ipsi corpus sanctissimum procuraverunt, vestibus sacratis ex more induit episcopus, non quibus ille voluit et præcepit, qui vilia queque delegerat, sed quas dictavit amor paternus et devotio sanctissima et debita (111). Reliquiæ, quas super pectus suum ipse commiserat, induto eo sacris vestibus, supra pectus ejus repositæ sunt. Elatum ergo funus beatissimum bajulantium manibus, cum ob impetum populi occurrentis et plangentis obserata esset æcclesia, ante altare sancti Petri positum est; ubi missa a pontifice celebrata, tamdem portæ monasterii apertæ sunt, et ecce populus innumerabilis utriusque sexus et ordinis irruit cum lacrimis et ululatu cordis. (Fol. 93.) Plena erat æcclesia lacrimarum, omnes in commune pii patris deflebant obitum, ac si viderent imminere interitum patriæ. O quantus luctus omnium! quanta totæ urbi mestitia! quam pia erat de ejus obitu compassio! quanta omnium destitutio! Ea dies tota fuit gemituum, tota planctuum. Qua advesperascente, corpus beatissimum ad principalem æcclesiam sanctæ Mariæ a fratribus delatum, debitis vigiliarum et psalmodiæ officiis nocte ipsa ab excubitoribus honoratum est. In crastino missa solempniter celebrata a canonicis, per reliqua urbis monasteria deportatum est, et vigiliis missarumque solempniis debita officiositate percelebratis, tandem ad monasterium suum relatum est, et filiis dolentibus et de morte ejus merentibus restitutum. Venit ergo dies crastina, et ecce fere circa horam terciam congregata est tota civitas ad sepeliendum illum. Missam celebravit episcopus, sermonemque habuit ad populum de mutabilitate vitæ hujus, et qualiter in hanc plorationis convallem devenerimus; quis sit finis bonorum, quisve malorum; quæ fuerit patris vita, mors quam preciosa. Hinc percelebrato officio, dictis orationibus solempnibus, ad locum sepulturæ itum est. Et licet solis exequiarum ministris et bajulis funeris cum his qui officia dabant permissum sit ingredi, ceteris intra majorem æcclesiam retentis, tanta tamen fuit obsequentium multitudo, ut fenestras, quibus lumen criptæ infundebatur, ob captationem aeris auferri necessitas impulerit. Vincebat diem luminum multitudo, et fumus incensi et thimiamatis totam repleverat æcclesiam. Tanta erat omnium erga patris sepulturam devotio! Humato itaque mitissimi viri corpore, clausum est sepulcrum, et solido cemento per juncturas litum. Requiescit autem in cripta subterranea ante altare sanctæ Dei genitricis Mariæ et sancti Johannis evangelistæ, et super eum majus altare sancti Petri stabilitum est. In eadem cripta subtus altare præfatum sanctæ Mariæ sanctus requiescit Madelveus, ab eodem patre nostro ibidem transpositus, et reverenter tumulatus. Peracto vero sepulturæ officio, ubi ab aliis discessum est, ad componendum viri Dei lectum unanimis se filiorum accendit devotio. Quattuor columpnæ marmoreæ cooperculo sepulchri cemento facto ex eodem marmore conectuntur, his desuper tabula marmorea prægrandis ipso eodem cemento adjungitur, et sic desuper cooperculo maceriæ aliquantum construitur, et solido bituminis gluttine solidatur. Tabulæ vero in altum porrectæ linteum imponitur, et ei pallium superadditum est; ut cunctis cernentibus patenter detur intelligi cum magni esse meriti, cujus corpus sic honoratur in terris. Et merito. Quod enim fuit ejus in terris studium, nisi Deum diligere, et sanctos ejus venerari, et æcclesiam Dei ornare decore competenti? Nec mirum si a filiis propensius honoratur, quos scivit regere, et regere secundum nostram disciplinam, quæ ex Christiana lege descendit, et ad Deum ducit. Requievit autem hic pater noster a. ab inc. Dom. 1046, regiminis sui anno 42, regnante terris Heinrico Conradi filio. Supervixit vero episcopus Richardus usque ad mensem Novembrium, et obiit 8 Idus Novemb., sicut ipse a patre suo quesierat, cum ei oculos clauderet (112). *Si*, inquit, *pater ad Deum vadis, et ei placet obsequium quo ei servisti, obtine ut unum annum non tibi supervivam in hoc seculo, quia tibi commori quam vivere præopto.* Dixerat, et exauditus est, additusque patribus suis. Cujus corpus cum parentes juxta corpus viri Dei sepeliri mandassent, a canonicis vi retentum, et in æcclesia sanctæ Mariæ majoris sepultum est. (*Chron. Div.*) Eodem anno ordinatus est Lugdunensi ecclesiæ archiepiscopus domnus Halinardus. Eodem quoque anno Heinricus Romam ivit, et concilio habito abjecti sunt pervasores Romanæ æcclesiæ, Johannes, Benedictus et Silvester; et ordinatus est Clemens papa, a quo et ipse coronam suscepit imperii. Et eodem anno Clemens obiit, et Damasus successit. Regimen quoque Virdunensis cœnobii Walerannus suscepit, homo in seculo nobilissimus, Gelduini comitis filius; qui in bello apud Bar castrum in geniculo vulneratus claudicabat. Cujus frater fuit Hugo Linguonensis episcopus, postea a sancto Leone IX, in Remensi concilio depositus, Episcopatum autem Virdunensem Theodericus suscepit, Wezelonis comitis filius; cujus primo benedictionis anno templum sanctæ Mariæ a duce Godefrido et Balduino succensum est (fol. 93'), vasa sacra ablata, civitasque destructa 8 Kal. Nov.

(1047.) Quantæ vero apud illius ævi homines hic pater noster gratia Dei honorificentiæ fuerit, Theodericus Basiliensium episcopus, vir multæ auctoritatis et gratiæ, suo in facto ostendit. Qui cum in deducendo novo episcopo (113) Virdunum missus ab

NOTÆ.

(110) Qui mortuos curabant et unguebant.
(111) Gesta Vird. 10.
(112) Gesta Vird. 10. Vita Richardi 20.
(113) Theoderico scilicet anno 1047; cf. Herimanni Aug. Chron.

imperatore venisset, et esset ei devotio sancti viri sepulchrum invisere, cum ante tumbam magna se lacrimarum contritione mactasset, rememorans defuncti pietatem sobrietatem et mansuetudinem, pallio pretiosissimo crocei coloris tumbam ipsam adornavit, ut affectu ipso testaretur dilectionem quam vivo exibuerat mortuo se quoque non negare; immo propensiori eum cultu dignissimum, quem jam suo Dominus gremio confoveret. Ceperat jam tunc locus ille multis clarere miraculis, et in febricitantes tanta curationum refundebatur gratia, ut quisquis advenisset hoc laborans incommodo, ubi parum obdormisset, sanitatis potiretur suffragio, et rediret omni valetudinis sopito incendio. Sed quid moramur, nec referimus cujus meriti angelico quoque declaratus sit esse testimonio? Etenim qui vidit testimonium perhibuit, et de cujus vita non dubitatur, ejus merito testimonio creditur. Beatæ memoriæ pater Rodulfus, tercius post eum successor in regimine æclesiæ, et ut credimus hereditariæ sanctitatis possessor, nunc felici beatus excessu (114), ubi locum ipsum regendum suscepit, et audiret a referentibus multa de eo relatu digna, videret quoque unanimem erga cultum memorialem ejus omnium devotionem, amplexabatur quidem quod videbat et audiebat generaliter ab omnibus, estuabat vero intra se ipsum, si tantæ sanctitatis vir ille fuisset ut referebatur, et quasi querebat sollicitis et dispositis cogitationum excubiis, cujus meriti apud Deum esset. Solebat et ipse ad ejus sepulchri locum, quia senserat ibi faciles orationum proventus, creberrime orare et multoties pernoctare : cum ecce una nocte post celebrationem nocturnalis synaxis cum ibidem solitas Deo redderet excubias, hac eum cogitatione sepius terente et ad sese devolvente, somnus paulisper allusit. Necdum corporales in soporem erant perfecte resoluti, cum intellectuales oculi aperti sunt, et vidit sibi astare angelum blanda se voce alloquentem et dicentem : « Diu te cogitatio tua morosa curiositate detinuit, ut scires cujus meriti hic cujus sepulchro adsistis esset, et ne te diutius fatigandum protraat, missus sum hec tibi expedire. Duo sunt in hac cripta quiescentes, et diem Domini, quo duplici stola remunerentur, expectantes, hic abbas Richardus, et confessor Christi præcipuus Madelveus, cujus vos festivitatem suo tempore et die devotis, ut dignum est, honoratis officiis : utpote quem Deus in numero sanctorum suorum et sorte justorum ascivit. Et juste quidem digne in memoriam vertitur hominum, qui ad gaudium transiit justorum. Hic autem, cujus adsto sepulchre, pari vobis nec minori devotione venerandus in terris, quem pari sorte nec inferiori gloria Deus decoratum sublimavit in cœlis. Multa sanctitatis ejus fama in terris, quam tamen nec ad medium nostis, quia vir gratia Dei inluminatus humilitati studuit et vilitati, nec actus suos prodere maluit, sed occultare. Sed noveris quia magnum patronum et Deo carissimum præmisistis, et quæ de eo dicuntur vera sunt, quamquam ampliora dici possent. Placeat tibi devotio filiorum ejus erga memoriam ejus, et quæ tibi missus a Deo refero, hac ipsa die omnibus in commune edicito, ut gaudeant de felici successu patris, quem habent suffragatorem et devotum interventorem in cœlis. Tu itaque his de beato viro agnitis, viam quam cœpisti ne deseras, mortificationi carnis, humilitati, vilitati et castimoniæ invigila, lucrandis animabus operam da, ut cum hoc et aliis doneris beatitudine æternæ jocunditatis. »

(Fol. 94.) Obstupuerat vir gratiarum in visione et affatu angelico, et cum videret illum pro his et aliis pietatis ejus beneficiis humanæ fragilitati collatis Deo laudes dicentem, et ad easdem se pararet, toto corpore ut dormiebat assurrexit, et, evigilans, grates quas conatus fuerat mente, jam animo et corpore persolvit intente. Nec apparuit segnis in prædicando quod viderat et audierat, immo omnibus Dei retexit magnalia, quia et quod gratum est vidisse vel audisse, gratius refertur, et gratissimum universis creditur; fratres quoque audita patris magnificentia tanti nuncii voce testificata, laudes et gratias Deo reddidimus (115), satisque cautum est ab illa die et deinceps, ut ejus memoria devotione recoleretur dignissima. Pro his et aliis beneficiis ejus benedicatur nomen Domini in secula [316]. Vivit adhuc et vivet in secula beati viri meritum (116), et quamdiu volvetur seculum, semper ejus meritum accipiet incrementum. Testatur hoc Normannia, fatetur et Britannia, applaudit tota Gallia patris promens magnalia, quæ quanto letata est et jubilavit de conversatione ejus sanctissima dum esset in mundo, tanto nunc dolet in morte ejus sublata sibi tam felicia contubernia, cujus vita sanctitatis erat speculum, penitentium solatium, merentium consolatio, miserorum defensio. Luxit ejus obitum imperator et optimates, defleverunt reges et pontifices, defecit tibia et organum, cithara et psalterium, raucum sonuit tuba et tymphanum. Ascendit ad Deum clamor pauperum, desiderium egentium suam destitutionem ingeminantium, et ut mage mireris, unius obitum mundus deflevit, in quo totus dum viveret requievit. Et quamquam sentirent magis esse gaudendum, si rationem vis doloris admitteret, flebant tamen præcipue monachi, virgines et viduæ, ordo quoque æclesiasticus, ejus peculiari fulti patrocinio, firmati consilio, recreati alloquio. O patris meritum seculis memorabile, posteris venerabile, omnibus imitabile. Laudes ejus nulla umquam delebit oblivio, non minuet temporis interpolatio, non auferet ab ore no-

VARIÆ LECTIONES.

[316] *pergit auctor post alianod tempus.*

NOTÆ.

(114) Sedit biennio vivente Grimoldo, deinde annis 1078-1099.

(115) Hugo igitur aderat.

(116) In sequentibus rhythmos agnosco.

stro, et si gravior excandescat in nos quam nunc est tribulatio (117), quo minus te venerandum, te prædicandum, te, pater, fateamur omnimoda laude colendum. Tuis enim laudibus immorari, est a tribulatione relevari, quia laus tua gaudii est et pacis admiranda comprehensio, meroris et anxietatis propulsatio. Retulit humilitati nostræ ante quinquennium, cum necdum gustassemus quanti sit laboris et tedii aliena curare, venerabilis abbas sanctæ Trinitatis de monte Rotomagensi Hugo nomine, qui nunc usque superest, quia cum esset in obsequiis præfati comitis Normanniæ Willelmi, jam tunc regis Anglorum, cum tractaretur in aula de honestis viris et memoratu dignis, quorum ipse rex habuisset notitiam aut famam audisset, inter præcipuos hujus admirabilis memorabatur, summa laude ejus efferendo præconia, humilitatem, sapientiam, discretionem, animi et vultus devotam Deo hilaritatem, sermonis facundiam, morum elegantiam, subditorum reverentiam. Mirabatur etiam quod his modernis temporibus de loco tam celebri nulla ad se commigraret persona, nulla, ut solebat, regalem ejus magnificentiam expeteret successorum tanti patris aut monachorum loci sedulitas; adeo ut cum pro legatione quadam idem vir, a quo hæc audivimus, quadam vice mitteretur Virdunum, inter alia id ab eodem rege et honorabili ejus conjuge ei daretur in mandatis ut cœnobium nominatissimum sancti Vitoni expeteret ibidem hospitaturus, patremque et fratres loci sua ex parte devote salutaturus, et sollicite notaturus : si idem qui quondam honestatis et religionis cultus niteret, qui esset monasterii pater, si in eo avitæ paternitatis et dulcedinis specimen eluceret, si in filiis gravitatis et reverentiæ antiquum decus emineret, si rerum temporalium copia exuberans, si spiritualium delectationum gratia ab ubertate domus Dei esset habitantes debrians : omnia prospiceret, singula vivido rimaretur ingenio, sibique referret. Verum quid rerum intercesserit, quod præfatus vir aliorsum hospitaturus diverterit, et sperantibus optima regi et reginæ inperata retulerit, nostrum non est edicere, maxime cum illo in tempore, quod id gestum est, puerilis adhuc nos ferula his vel similibus vetaret intendere. Illud tantum notasse sufficiat, quod rex auditis quæ non speraverat, viri spectabilis et memoria digni egregiam conversationem reducens ad animum, tot ingeminationibus ejus deflevit obitum, tot reciproca vicissitudine ejus efferebat meritum, replicando miris laudibus illius præconia, et subinde repetendo indebita et ingrata paternæ sedulitati remissorum filiorum remissæ vicis obsequia, in hoc ipsum quoque omni congeminante aula, ut daretur cunctis palam intelligi, si fama votis annuisset, multis ecclesiam donandam muneribus, multa dilectione a regali fore munificentia honorandam. (Fol. 94'.) Vidimus demoniacum ad monasterium beati Vitoni adductum, intra paucissimos dies plenariæ sanitatis gaudia reportasse, quem cum in primo adventu suo vinctum loris et funibus artatum infra criptam ad memoriam sanctorum ibidem quiescentium parentes ducere vellent, nullatenus potuerunt, credo demone timente præsentiam eorum sanctorum, quorum meritis eadem æcclesia inlustratur et præsentia decoratur [317].

(Fol. 95.) Anno ab inc. Dom. 1051, Leoni IX successit Victor, et 4 anno obiit; et successit ei Stephanus, qui et Fredericus frater Godefridi ducis, cujus primo papatus anno obiit apud Goslare Henricus imperator, et exsequiis ejus interfuit, qui et Spiræ sepultus est a. ab inc. Dom. 1056. Et remansit Agnes imperatrix cum filio parvulo, qui et regnum optinuit sub tutore regni Annone Coloniensi archiepiscopo (1056). Obiit quoque Stephanus a. 1058 et sepultus est apud Lucensem urbem, ubi multæ Deo cooperante fiunt ad ejus tumulum virtutes (1059). Successit ei Nicholaus, qui 2 anno ordinationis suæ concilium habuit in basilica Lateranensi, mense Aprili, indict. 12; ubi considentibus venerabilibus archiepiscopis, episcopis, abbatibus seu venerabilibus presbiteris et diaconis, de electione summi pontificis decernens ait (118) : « Novit beatitudo vestra, dilectissimi fratres et coepiscopi, inferiora quoque membra non latuit, defuncto piæ memoriæ domno Stephano decessore nostro, hæc apostolica sedes, cui Deo auctore deservio, quot adversa pertulerit, quot denique per Symoniacæ heresis trapaezetas malleis et crebris tunsionibus subjacuerit, adeo ut columpna Dei viventis jamjam pene videretur nutare, et sagena summi piscatoris procellis intumescentibus in naufragii profunda submergi. Unde, si placet fraternitati vestræ, debemus auxiliante Deo futuris casibus prudenter occurrere, et æcclesiastico statui, ne rediviva, quod absit, mala prævaleant, in posterum prævidere. Quapropter instructi prædecessorum nostrorum aliorumque sanctorum Patrum auctoritate, decernimus atque constituimus, ut obeunte hujus Romanæ universalis æcclesiæ pontifice, imprimis cardinales episcopi diligentissima simul consideratione tractantes, mox sibi clericos cardinales adhibeant, sicque reliquus clerus et populus ad consensum novæ electionis accedant, ut nimirum ne venalitatis morbus qualibet occasione subripiat, religiosi viri præduces sint in promovendi pontificis ælectione, reliqui autem sequaces. Et certe rectus atque legitimus hic ælectionis ordo perpenditur, si, perspectis diversorum patrum regulis seu gestis, etiam illa beati Leonis sententia recolatur. *Nulla*

VARIÆ LECTIONES.

[317] *reliqua pars paginæ vacat.*

NOTÆ.

(117) Hæc igitur post annum 1096 scripta sunt.
(118) Cf. Mon. Germ. Legg. t. II, B. 177, et quæ ibi notavi.

inquit, ratio sinit ut inter episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt ælecti, nec a plebibus expetiti, nec a comprovincialibus episcopis metropolitani judicio consecrati. Quia vero sedes apostolica cunctis in orbe terrarum præfertur æcclesiis, atque ideo super se metropolitanum habere non potest, cardinales episcopi procul dubio metropolitani vice funguntur, qui ælectum antistitem ad apostolici culminis apicem provehunt. Eligant autem de ipsius æcclesiæ gremio, si repertus fuerit idoneus, vel si de ipsa non invenitur, ex alia assumatur, salvo debito honore et reverentia dilecti nostri filii Henrici, qui impræsentiarum rex habetur, et futurus imperator Deo concedente speratur, sicut jam sibi concessimus, et successorum illius, qui ab hac apostolica sede personaliter hoc jus impetraverint. Quod si pravorum atque iniquorum hominum ita perversitas invaluerit, ut pura, sincera atque gratuita ælectio fieri in Urbe non possit, cardinales episcopi cum religiosis clericis catholicisque laycis, licet paucis, jus potestatis obtineant eligere apostolicæ sedis antistitem, ubi congruentius judicaverint. Plane postquam electio fuerit facta, si bellica tempestas vel qualiscumque hominum conatus malignitatis studio restiterit, ut is qui electus est in apostolica sede juxta consuetudinem intronizari non valeat, electus tamen sicut papa auctoritatem optineat regendi sanctam Romanam æcclesiam, et disponendi omnes facultates illius; quod beatum Gregorium ante ælectionem suam fecisse cognoscimus. Quod si quis contra hoc decretum nostrum synodali sententia promulgatum per seditionem vel præsumptionem aut quodlibet ingenium ælectus, aut etiam ordinatus seu intronizatus fuerit, auctoritate divina et sanctorum apostolorum Petri et Pauli perpetuo anathemate cum suis auctoribus, factoribus, sequacibus, a liminibus sanctæ Dei æcclesiæ separatus subjiciatur sicut antichristus et invasor atque destructor totius Christianitatis, nec aliqua super hoc audientia aliquando ei reservetur, sed ab omni æcclesiastico gradu, in quocumque prius fuerat, sine retractatione deponatur. Cui quisquis adheserit, vel qualemcumque tamquam pontifici reverentiam exhibuerit, aut in aliquo eum defendere præsumpserit, pari sententia sit mancipatus. (Fol. 95.) Quisquis autem hujus nostri decreti vel sententiæ temerator extiterit, et Romanam æcclesiam sua præsumptione confundere et perturbare contra hoc statutum temptaveverit, perpetuo anathemate atque excommunicatione dampnetur, et cum impiis quando resurgent in judicio reputetur. Omnipotentis scilicet Dei Patris et Filii et Spiritus sancti contra se iram sentiat, et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, quorum præsusumit confundere æcclesiam, in hac vita et in futura furorem reperiat, fiat habitatio ejus deserta, et in tabernaculis ejus non sit qui inhabitet. Fiant filii ejus orfani, et uxores [318] ejus viduæ. Commotus amoveatur ipse, et filii ejus, et mendicent, et ejiciantur de habitationibus suis. Scrutetur fœnerator substantiam ejus, et deleant alieni labores ejus. Orbis terrarum pugnet contra illum, et cuncta elementa sint ei contraria, et omnium sanctorum quiescentium merita illum confundant, et in hac vita super eum apertam vindictam ostendant. Observatores autem hujus nostri decreti Dei omnipotentis gratia protegat, et auctoritate beatorum apostolorum Petri et Pauli ab omnibus vinculis absolvat. Nicholaus episcopus sanctæ et apostolicæ Romanæ æcclesiæ huic decreto a nobis promulgato subscripsi. Bonefacius Albanensis subscripsi. Humbertus sanctæ ecclesiæ Silvæ Candidæ subscripsi. » Petrus Ostiensis episcopus subscripsi et cæteri episcopi numero 76 cum presbiteris et diaconibus subscripserunt.

Item : « Nicholaus episcopus, servus servorum Dei, omnibus archiepiscopis, episcopis, abbatibus, clericis et laycis fidelibus, tam majoribus quam minoribus per omnes Gallias commorantibus, immo Aquitanicis, Wasconibus, salutem et apostolicam benedictionem (119). Quicumque sacerdos, diaconus et subdiaconus post institutum beatæ memoriæ prædecessoris nostri Leonis papæ de castitate clericorum concubinam palam duxit, vel ductam non reliquit, ex parte Dei omnipotentis auctoritate beatorum apostolorum Petri et Pauli præcipimus, et omnino contradicimus, ut missam non cantet, neque evangelium aut epistolam ad missam legat, neque in presbiterio ad divina officia cum his qui præfatæ constitutioni obedientes fuerint maneat, neque partem ab æcclesia recipiat, quousque a nobis sententia super hujusmodi, Deo concedente, procedat. Et præcipientes statuimus ut hii prædictorum ordinum, qui eidem prædecessori nostro obedientes ejus institutum servaverint, juxta ecclesias quibus ordinati sunt, sicut oportet religiosos clericos, simul manducent et dormiant, et quidquid ab æcclesiis competit communiter habeant. »

(1060) Hunc igitur Nicolaum papam adiens Walerannus abbas Sancti Vitoni, querimonia facta super comite Rutenensi pro fundis ecclesiæ Virdunensis sitis in comitatu Rutenensi quos sancto Vitono auferebat, id est Maderniacum Puliniacum et alios, optinuit litteras ab eo missas præfato comiti in hæc verba : « Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, R. Rutenensi comiti dilecto filio salutem et apostolicam benedictionem (120). Cognoscentes tui animi propositum, et quod propter regnum Dei et justitiam ejus volueris renunciare temporali fastigio secularium occupationum, confidenter tibi denunciamus, ut — secundum quod tibi iniunximus cum ore ad os loqueremur — æcclesiis Dei et pauperibus

VARIÆ LECTIONES.

[318] U. e. u. *c.*

NOTÆ.

(119) Cf. Mansi t. XIX, c. 873.

(120) Mansi t. XIX, c. 874

defensorem te opponas, justitiamque eis adquirendo in conspectu Dei excusatus existas, quod non sine causa gladium portas. Et quia nostrum est te admonere, si qua non negligenda cognoverimus te negligere, orando simul et præcipiendo auctoritate apostolica monemus, ut monasterio sancti Petri sito Virduni, quod venerabilis vir consanguineus tuus Walerannus abbas regit, curtes quas in terra possessionis tuæ habere dinoscitur restituas, ne, quod absit, ad perditionem animæ tuæ diutius eas retinendo excommunicationem ab antecessoribus nostris imprecatam invasoribus earum incurras. Nec volumus dicas a parentibus tuis vel uxoris tuæ eas servis Dei subtractas, quia justus Dominus reddit iniquitatem patrum in filios, in terciam et quartam generationem. Sicut enim conscia veritatis testatur antiquitas, sanctus Amantius, peculiaris vester patronus, eas contradidit servitorum sancti Petri usibus. »

His acceptis litteris cum reverteretur, apud Aremare monasterium (121) veneno periit, et Grimoldus successit. Capella vero ab inhabitantibus retenta est, sed postmodum requisita reddita est, etsi non tota. Et quia eo defuncto non fuit qui litteras missas comiti Rutenensi perferret, adhuc abbatia cum fundis retenta est. Nicholaus quoque papa obiit anno eodem, id est 1060, ab inc. Domini, et sequenti anno Walerannus decessit, et sepultus apud eundem locum.

Anno igitur 1061 Nicholao papæ successit Alexander II, et secundo anno obiit; cui tercius Alexander successit (122). Millesimo quoque sexagesimo quinto anno, ind. 3, stella, quæ comete dicitur, apparuit, et eodem anno Etwardus Anglorum rex obiit (1066, Jan. 5); qui quia sine filiis fuit, consanguineum suum Willelmum Normannorum comitem post se regnare instituit. Sed Heroldus, contra sacramentum quod Willelmo fecerat, regnum invasit. Ipso anno, mense Octobri, Willelmus mare transiit, et commisso prælio 2 Idus Octobris ruit Heroldus, et Willelmus die natalis Domini apud Lundoniam in regem elevatus et coronatus est, Anno ab incarn. Domini 1063 finis fuit annorum circuli [319] qui constat quingentis triginta duobus annis, et sequenti anno idem incipit circulus; in cujus fine erit labor et dolor. Alexander papa Gyraldum Ostiensem episcopum, qui Petro successerat, ad Gallias destinavit, et vices suas ei per Franciam et Burgundiam commisit. At ille ex præcepto papæ concilium apud Cabilonem instituit, cui præerat Roclenus episcopus, litteris adprime eruditus et in lectione divinorum voluminum studiosissimus (123).

(1073) Anno igitur ab incarnatione Domini 1074 (124), præsidente Romanæ ecclesiæ papa Alexandro, (fol. 96) Giraldus Ostiensis episcopus, Romanæ sedis legatus in Galliis, concilio Cabiloni habito Romam rediens, et apud Diensem urbem hospitatus, cum clericis in æcclesia de utilitate ecclesiæ loquebatur. Erat enim in eadem urbe Lancelinus Symoniacus dictus episcopus, qui vocatus ad audientiam cum venire renueret, et se in domo episcopali manu militari defenderet, et episcopatum retinere temptaret, tractabat legatus cum civibus, canonicis scilicet et plebis majoribus, quid de episcopo agerent, dicens, juxta Ambrosium, inexpiabilem esse culpam venditi ministerii; et juxta decreta sanctorum patrum, Leonis, Gregorii, Nicholai et ceterorum, erga Symoniacos nullam misericordiam habendam in servanda dignitate, et quia quisquis per pecuniam ordinatur, ad hoc ut fiat hereticus promovetur, et omnes qui ei consentiunt, et qui emendare possunt et non emendant, et omnes qui contra illos non sunt, sed favent eis, cum eo habeant partem qui prius commisit hoc peculiare flagitium. Dum ergo de his inter eos tractaretur, et, ut prædiximus, ille dictus episcopus audientiam subterfugeret, juxta canonum instituta et sanctorum Patrum decreta episcopus querebatur idoneus, qui et saluti eorum invigilaret, et animabus commissis sollicitus superintenderet, ecce personuit ad aures eorum advenisse illic et æcclesiam qua tenebantur intrasse orationis gratia dominum Hugonem Lugdunensem camerarium, præcinctum et paratum ad equitandum; ibat enim Romæ ad sanctum Petrum. Nec mora, Spiritus sancti gratia corda suorum illustrante, fit clamor et concursus fidelium, ocreatus cum calcaribus invenitur, rapitur, tenetur; in conspectu apostolicæ sedis vicarii summo omnium favore et gratia deducitur; quod dignus sit qui possit æcclesiæ præesse et prodesse, acclamatur. Reclamabat ille, et votis populi parabat obsistere, quasi qui non posset nec deberet sponso legitimo vivente castitatem æcclesiæ fœda scissione corrumpere. In hac devota contentione placuit divinitati beneplacitam suæ præsentiæ voluntatem in ostensione lucis suis fidelibus declarare. Nam cum esset nubilus dies, lux in modum speræ per aliquas horas in gremio et facie splenduit ecclesiæ, quæ sic accendit cunctos qui aderant et viderant, ad laudandam propiciationem divinæ clementiæ, ut clamaretur ab omnibus : *Benedictus dominus Deus, quia respexit dejectionem ecclesiæ suæ, ut visitaret eam et illuminaret tali pontifice!* Accessit et aliud mirabile divinæ pietatis [320] indicium, quia, cum in ejus [321] electione omnis sibi in voce [322] laudis et jubilo cor-

VARIÆ LECTIONES.

[319] *Vox jam deleta.* [320] -tatis *deletum.* [321] ejus *deletum.* [322] -n voce *deleta.*

NOTÆ.

(121) Moustier Ramey prope Trecas

(122) Alexander duodecim annos sedit et Gregorium VII successorem nactus est.

(123) Concilium Cabillonense habitum est 6 Non. Mart., anno 1072, ut testantur Actorum fragmenta. Mansi, t. XX, p. 47. K.

(124) Vel potius 1073.

dis applauderet [323] æcclesia, et præcipue [324] se tali rectore opitulatam esse [325] gratularetur, legatus papæ [326] mente præsaga quiddam mirum [327] in eo prævidens : *Huic*, inquit [328], *civitati pastor quidem est* [329], *electus et a Deo donatus* [330], *sed majora ei prædestinavit* [331] *Altissimus. Non diu enim* [332] *huic ecclesiæ pastoris officium præstabit* [333], *quoniam excellentiori gibisserio* (125) *donabitur* [334] *dispensaturus* [335] *divinæ* [336] *munera* [337] *gratiæ* [338] (126). Cf. SS. VI, 306.) Sic clamores et vota omnium judicium probavit cæleste, et electus ille, qui nec valuit nec voluit, tot præcurrentibus indiciis, voluntati divinæ contraire, compulsus est auctoritate apostolica remorari, et confirmata est super eum electio cleri et populi. (Fol. 96,) Quo audito, ipse qui æcclesiam per Symoniam invaserat et armis retinere temptabat, dolens unanimem assensum civium, et timens populi gaudentis et ad pia vota incalescentis animo, si intumesceret, impetum ferocissimum, donum episcopalem deseruit et recessit. Angebatur enim curarum estibus, et stimulis mordacis conscientiæ, quam non effugere quibat, quia non inveniebat quo fugeret, nec suis jam ut solebat, (1075) delectabatur erroribus, a quibus puniebatur licet nolens et inscius; et tamen adhuc exultabat in crimine, quia novis vetera obumbrando, peccatis se utcumque adjuvari estimabat. Putabat enim insigne esse virtutis, ubi est lapsus criminis. Sed jam sileatur ejus memoria, quia recessit, quia aufugit, quia quod indebite usurpaverat, non est expectatus dimittere; ad plebis gaudium, ad cleri magnatorum quoque et infimorum tripudium flectamus articulum. Sublimatus est electus noster cum gaudio et cordis jubilo in pontificali solio, acclamatus est et confirmatus episcopus de Dei et Christi ejus judicio, de clericorum pene omnium testimonio, de plebis quæ tunc affuit suffragio, de sacerdotum et bonorum virorum collegio. Invenit itaque civitatem angoris plenam, tribulationibus circumseptam, vigilantia multa egentem, res episcopi direptas, ita ut non invenerit unde vel uno die de reditibus domus episcopalis vivere potuerit, ita omnia attriverant qui ante eum fuerant. Adeo ut de omnibus totius episcopatus æcclesiis vix unam haberet domus episcopalis aut mater æcclesia, cum fere omnes possiderentur a militibus et quibuslibet secularibus. Nec diu passus est suo in tempore tantam videre contritionem et conculcationem ecclesiæ, quin potius statuit decretum, ut nullus laicus optineret æcclesiam, aut partem acciperet in reditibus æcclesiarum. Et factum est, divina cooperante clementia, ut omnes gratanter jussionem ejus susciperent, et obedirent' ita ut ante ejus ordinationem hæc suæ melioratiouis incrementa sibi commissa per eum susceperit ecclesia. Obierat ipso anno papa Alexander in ipso apotolorum Petri et Pauli natalicio, et substitutus erat unanimi electione cleri et populi Gregorius VII, qui in ipsa Romana æcclesia sub præfato pontifice officio fungebatur archidiaconatus. Et licet ordinationis et consecrationis ejus privilegium solis cardinalibus episcopis Albanensi, Ostiensi et Portuensi, sit commissum, Giraldus ipse, quia aberat, expectatus non est, sed qui vices ejus exequeretur subrogatus est. Qui demum reversus, papæ inter cetera electionem Diensis æcclesiæ innotuit, et electum ipsum quam maxime paternitati ipsius commendavit. Non multo post ipse qui commendabatur advenit, et quia solam clericatus tonsuram habebat— detestabatur enim Symoniacorum ordinationes —, in mense Decembrio per manum ejus usque ad presbiteratus gradum promotus est, cum hoc aliqui calumpniarentur Romanorum, et promerent morem sanctæ Romanæ ecclesiæ, neminem licet electum antistitem a papa ordinandum nisi in eadem deserviret æcclesia. Quod tamen in ipso dominus autentica potestate sua fecit; complacuerat enim sibi in illo anima ejus. In quadragesima vero, sabbato in presbiterum, et sequenti Dominica ad missas in episcopum consecratus est. Sic post octonos consecrationis dies affatim imbutus divinis dogmatibus, et ubertim roboratus æcclesiasticis sanctionibus, benedictione percepta dimissus est ad regendos filios, quibus pastor et rector ordinatus erat.

Sed nec illud silendum, in quo egregie convaleseit testimonium probitatis ejus, et præordinatæ ac Deo placitæ consecrationis ejus. Cum post ipsam suam electionem, quæ facta est mense Octobrio die 19, ad suscipiendos ordines Romam mense Decembri venisset, invenit ibidem pro simili expectatione dominum Anselmum Lucensem æclectum, virum omni laudis præconio dignum, nunc felici beatum excessu (127), in quo omnis laus secure canitur. Cum hoc itaque tanto familiaritatis et dilectionis vinculo connexus est, et ita sibi, licet divisa haberent hospicia, in palatio Lateranensi individui adherebant, ut unum videri sine altero mirum videretur his qui eorum noverant unanimitatem. Adeo ut urbis præfectus quodam veritatis præsagio alterum horum diem, alterum vocaret lucem : quod dies non sit sine luce et lucem dies comitetur. Lucebat enim in eorum moribus justitiæ et pietatis decus, præponderabat amicitia constans, mutabilitatis nescia.

VARIÆ LECTIONES.

[323] ap- *deletum.* [324] præcipue *deletum.* [325] esse *deletum.* [326] papæ *deletum.* [327] mirum *deletum.* [328] inquit *deletum.* [329] -emest *deleta.* [330] -us *deletum.* [331] -navit *deletum.* [332] enim *deletum.* [333] -ficium præstabit *deleta.* [334] -sserio dona- *deleta.* [335] -ur- *deletum.* [336] divinæ *deletum.* [337] -a *deletum.* [338] -æ *deletum.*

NOTÆ.

(125) I. e. marsupio,

(126) Provectus est in archiepiscopum Lugdunensem, a 1082 exeunte vel 1085 ineunte.

(127) Obiit a. 1086, Mart. 18

ætatibus pares, caritate non impares, sui delectantur copula, quia et coæqualium [339] usus dulcior, et senum tutior est. Senes autem erant non longevitate vitæ, sed morum maturitate. Et utinam gratiam virtutis et fidei alterius, quem secum in gloria jam assumptum Deus approbat, imitetur et alter qui residuus est, ut cum transierint tempora præfinita, sint in cælestibus unum, quos divinus amor hic dedit esse unum (128). (1074) Cum ergo Romæ positi præstolarentur diem consecrationis suæ, venerunt nuncii regis Heinrici Romam, rogantes ne contra morem prædecessorum suorum dominus papa eos consecrare vellet, qui episcopatus ælectionem solam, non autem donum per regiam acceperant investituram. At ipse convocatis cardinalibus legationem regis aperuit, et quid sibi ad hoc respondendum, quid esset faciendum, ammonuit. Quibus respondentibus usum æcclesiæ hunc esse, hunc haberi pro lege, cum auctoritas eis nulla ad hoc suffragaretur, in Lucensi tamen electo eis adquievit, ut consecrationem ejus differret, donec investituram episcopatus ex regio dono accepisset (129). In Diensi vero adquiescere noluit, sed eum prima quadragesimæ ebdomada, sabbato in presbiterum, et Dominica consecravit in episcopum (130). Et quia vidit hoc sanctorum Patrum adversari decretis, ut in canonica electione episcopi prævaleret donum regis, immo multoties ipsam ælectionem immutaret vel potius irritam faceret, eodem anno (131) in Romana synodo 50 episcoporum, considente presbiterorum et abbatum multitudine, juxta decreta pontificalia et institutiones canonicas ne hoc amplius a quoquam præsumeretur prohibit sub interminatione anathematis, decretum faciens in hec verba : « Si quis deinceps episcopatum vel abbatiam de manu alicujus laycæ personæ susceperit, nullatenus inter episcopos vel abbates habeatur, nec ulla ei ut episcopo vel abbati audientia concedatur. Insuper ei gratiam beati Petri et introitum ecclesiæ interdicimus, quoadusque locum, quem sub crimine tam ambitionis quam inobedientiæ, quod est scelus idolatriæ, cepit, non deserit. Similiter etiam de inferioribus æcclesiasticis dignitatibus constituimus. Item : Si quis imperatorum, ducum, marchionum, comitum, vel quilibet secularium potestatum aut personarum investituram episcopatus vel alicujus æcclesiasticæ dignitatis dare præsumpserit, ejusdem sententiæ vinculo se astrictum sciat. » Sequutus est autem in hoc Patrum exempla, licet jam per multa annorum curricula dampnabilis hæc consuetudo inolevisset, et in usum conversa esset. Dicitur enim in septima universali synodo a quinque patriarchis et 350 patribus sub Adriano papa habita, capite 3 . « Omnis ælectio episcopi, presbyteri vel diaconi, a principibus facta irrita maneat, secundum regulam quæ dicit : Si quis episcopus secularibus potestatibus usus æcclesiam per ipsos optinuerit, deponatur et segregetur, omnesque qui illi communicant. » Item in octava universali synodo habita a quinque patriarcis sub Nicholao I pontifice, cap.... : « Promotiones vel consecrationes episcoporum concordans prioribus conciliis hec sancta et universalis synodus electione et decreto episcoporum fieri constituit, et statuit atque promulgavit, neminem laycorum principum et potentum semet inserere electioni vel promotioni patriarchæ vel metropolitæ aut cujuslibet episcopi, ne inordinata hinc et incongrua fiat confusio vel contentio, præsertim cum nullam in talibus potestatem quemquam potestativorum laycorum habere conveniat, sed potius silere et attendere sibi usquequo regulariter a collegio æcclesiæ suscipiat finem electio futuri pontificis. Si quis vero laycorum ad concertandum et cooperandum invitatur ab æcclesia, licet hujusmodi cum reverentia obtemperare asciscentibus. Quisquis autem secularium principum et potentum, vel alterius dignitatis laycus, adversus communem et consonantem atque canonicam ælectionem æcclesiastici ordinis agere temptaverit, anathema sit donec obediat et consentiat. » Item ex concilio Niceno, cap. 6 : « Per omnia manifestum est quia si quis præter voluntatem et conscientiam metropolitani fuerit ordinatus, hunc sanctum et magnum concilium statuit non debere esse episcopum. » Item ex concilio Antiocheno cap..... « Si quis presbiter vel diaconus per secularem dignitatem ecclesiam Dei optinuerit, deiciatur, et ipse et ordinator ejus a communione modis omnibus abscidatur, et sint sub anathemate sicut Symon magus a Petro. » In electione igi ur et consecratione domni Diensis evidenter ostenditur operata divinitas, quia per hanc occasionem sanctæ Dei æcclesiæ sub papatu domni Gregorii multis retro annis obnubilata ælectionis æcclesiasticæ splenduit veritas. Viderint igitur viri cordati quid juris imperatoribus, regibus et principibus in ælectione pontificis reservetur.

(Fol. 97'.) Commisit autem ei vices suas in Gallia, ubi plurimum Symoniæ serpebat pestis iniqua; quia perrari illic erant, qui non essent aut Symoniaci, aut a Symoniacis ordinati, aut per manum laicam investiti (132). Plurimum illi inculcans, potestate data non abuti, quo minus depravata corrigeret,

VARIÆ LECTIONES.

[339] Coæqualior *c*.

NOTÆ.

(128) Hugo anno demum 1106 obiit.

(129) At contra Gregorius in litteris ad Anselmum Luc. Regest. I, 21, monet ne ab Henrico rege investituram accipiat Kal. Sept., ind. 12 (1073). K.

(130) De consecratione Hugonis Gregorius in Regestro I, 69 litteras dedit ad comitem Diensem vii Kal. April., ind, 12, i. e. ipso consecrationis die 16 m. Martii 1074 ; Pascha celebratum est die 20 Aprilis K.

(131) Sequenti anno 1075, ut docuit Pagius ad h. a. K.

(132) Cf. epist. Gregorii Regist. I, 69. K.

dampnanda recideret, sancta et honesta doceret, et docenda faceret. Scripsit et ad prælatos Gallicanarum ecclesiarum, quæ sunt juris sancti Petri, epistolam pro suo censu debito beato Petro in hæc verba : « Gregorius (133) episcopus, servus servorum Dei, omnibus abbatibus et prælatis tam monachorum quam et canonicorum per Gallias constitutis, salutem et apostolicam benedictionem. Fraternitatem vestram, dilectissimi fratres, latere minime credimus quasdam æcclesiarum vestrarum beato Petro et nobis annuos census persolvere ex præcedentium Patrum institutionibus debere. Sed quia quidam vestrum partim negligentia, partim vero tenaci induratione hæc hactenus minus plene quam oporteret egerunt, hos ut emendari et debita solvere [340] studeant, omnes autem ut apostolico præcepto : *Cui vectigal vectigal, cui tributum tributum*, optemperetis commonemus. Unusquisque enim non quod suum est, set quod alterius, querat ; quoniam si digne redarguitur, qui prout oportet propria non largitur, qua sententia dignus est, qui nec aliena rapere, nec debita metuit retinere, dicente Domino : *Quæ vultis ut faciant vobis, hæc facite et vos illis.* Et : *Quod tibi non vis, alii non feceris.* Nunc igitur, quia dilectum filium nostrum Hugonem Diensem episcopum ob æcclesiasticæ utilitatis diversa negocia in Gallias vices nostras exequuturum mittimus, et quia nemini potius credere debemus, quem in omnibus a nobis sibi injunctis fideliter egisse comperimus, quæ nobis ex ecclesiis vestris specialiter debetis, vos illi ad nos perferenda persolvere, ac de retentis satisfacere jubemus. »

Ipso anno apud Casam Dei (134) monasticum susceperat habitum domnus Jerento, mense Novembrio, die 1. Hic ortus territorio Viennensi, patre Arnaldo, matre Agnes nomine, nutritus est diligenti cura et industria a domno Hugone Cluniacensium patre, (fol. 98) litteris etiam imbutus est ab his qui majoris auctoritatis videbantur in Cluniaco. Postquam vero adolevit, seculo adhesit, et factus est velut expers gratiæ quam adeptus fuerat, levitati omnino studens, canonicæ professionis normam rejiciens, militaria potius instrumenta appetens. Studebatque seculo crescere, non Deo. Animus quietis impatiens, laboris impiger, domari non poterat. Implebatur in eo illud ethnici (135) verissimum de juvene inberbi testimonium, cujus quia nostrum non est memminisse, qui novit recolat. Hoc sane de eo omnes qui noverunt perhibent testimonium, levissimum quidem eum mente et corpore, et tamen gratum fuisse, et ita seculo deditum, ut ejus jam facta conversio omnibus videretur esse miraculo. Ubi vero voluntati satisfecisse se vidit, cœpit jam aliquando tedere quod libuerat. Sed rursus inter ipsa conversionis primordia dum cuperet se extendere ad insolita, reverberatus animo proclivior redibat ad solita. Vicit tandem metus mortis et gehennæ hominem. Credidit se satis tuto periculo, Christi protectus auxilio. Omnia postposuit, omnia deseruit, et ad Casam Dei se contulit, ubi tunc temporis nullæ divitiæ, nulla gloria, sola habitantibus sufficiebat inopia. Vasta erat heremus, utpote quæ ante annos 20 habitationes hominum non noverat. Sanctus illam Robertus primus incoluit, qui animo et corpore mundo mori et Christo vivere paratus fuit, quod libellus de vita ejus scriptus (136) plenius elucidat scire volentibus. Anno enim ab incarn. Dom. 1043 [341] illuc venit, ubi præfuit domui [342] annis 9, et factus monachus [343] et abbas præfuit annis 15 [344] (137), et migravit ad Dominum anno 1067, successorem suum designans nomine Durannum. Ad hunc ergo locum veniens, cui post obitum præfati patris prædictus abba Durannus præerat, sumpsit animum et formam discipuli, sed mox compulsus est magister fieri, et prioratus suscepit officium jussu abbatis et totius congregationis. Tristabatur, quia quod desiderabat esse nequibat : et quia aliis præesse rogabatur, ipse in se de se mirabatur. Triennium in ipso mansit officio sub abbatis imperio, providens pro posse et nosse necessaria pauperibus Christi, et insudans utilitati æcclesiæ. Promotiones æcclesiasticorum graduum adeptus est per manum domni Hugonis Diensis episcopi, a primo usque ad septimum. Invigilabat enim idem sollicitus gregi sibi credito, et legationis sibi creditæ sollicitas servans excubias, primum concilium celebravit apud Ansam, secundum apud Clarummontem (138), in quo Stephano Arvernensi episcopo, Podiensis sedis invasore, quia pro ambitione malo sedem suam deseruerat, Willelmo quoque Symoniaco et invasore sedis Arvernensis deposito, (1077) consecratus est præfatus abbas Durannus Arvernorum episcopus, peracto decennio regiminis sui in loco Casæ Dei, qui etiam post biennium petitione et voluntate fratrum curam regiminis Siguino dereliquit. Tertium Divioni. Persequebatur Symoniacos,

VARIÆ LECTIONES.

[340] -bita sol- *deleta.* [341] M . . . *c.; numerum restitui ex chron. Malleacensi.* [342] d . . . . *c.* [343] *vox abscisa.* [344] *numerum supplevi ex chron. Malleacensi.*

NOTÆ.

(133) Desideratur in Registro Gregorii. K.

(134) S. Robert la-Chaise-Dieu, diœceseos Claromontanæ.

(135) Horatii, de arte poet. 161 seqq.

(136) Auctore Geraldo de Venna expolita demum a Marbodo ; v. Mabillonii Acta SS. ord. S. Bened. Sæc. VI, tom. II, pag. 183.

(137) Scilicet ecclesiæ, et cellæ prope eam constructæ.

(138) Habitum est II Idibus Augusti, ut ex litteris Hugonis Diensis ad Rudolfum Turonensem archiepiscopum patet. Mansi XX, 483. Anno 1076 hoc concilium congregatum esse docent litteræ Gregorii ad episcopos Galliæ, quas vide infra. K.

adversus quos ei jugis pugna, conflictus fuit pe- petuus, quos etia prout potuit ab æcclesia elimina- vit, et orthodoxos substituit.

Anno ab incarn. Dom. 1075. Grimoldus abbatiam (139) dimisit die sancti Nicholai. Rodulfus successit, ordinatio ejus die sancti Urbani.

Anno ab incarn. Dom. 1076, 10. Kal. Mai. terræ motus factus est, feria 6, luna 14, et hoc anno fuit gelu magnum a 7. Idus Decembris usque Idus Martii.

(Fol. 97'.) Quartum concilium tenuit Augustuduni (1077); pro quibus autem causis Eduense celebratum sit concilium, in litteris domni papæ advertere licet, quarum textus iste est: *Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri Hugoni, venerabili Diensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Gerardus Cameracensis electus ad nos veniens*, etc. (140).

(Fol. 98.) Juxta hec itaque mandata apostolica congregata est synodus venerabilium Patrum apud Æduam, sub tutela et protectione Christi domini, assensu et laude Hugonis ducis, anno ab incarnatione Domini 1076 (141), ubi convenerunt ex Francia et Burgundia multi illustres viri, episcopi et clerici, abbates et monachi quamplures, anno papatus domni Gregorii VII, quarto. Dux Hugo justi tenax Burgundiæ præerat, Linguonensem æcclesiam Rainardus cognomento Hugo regebat, vir adprime rhetoricis inbutus studiis, clarus ingenio, sermone facundus, scientia præditus, affabilis alloquio et prudens consilio. Obierat anno ipso Divionensis cenobii abbas Adalbero, et, ut in talibus assolet, de abbate substituendo inter monachos loci diversa ferebatur electio. Quod videlicet cenobium antiquæ nobilitatis religionis stemmate sub Willelmi abbatis regimine fuerat decoratum. Sed tunc Roberti ducis violentia et prælatorum incuria, subditorum quoque segnitia a pristino rigore videbatur aliquantulum imminutum. (fol. 98'.) Et quia quod intus ceciderat, foris diu stare non poterat, intus parum erat religionis, foris cumulus desolationis. Pro tantis angustiis anxietatibus et tribulationibus, ab his quorum erat mens sanior pastor querebatur idoneus. Pontifex Linguonensis et dux, quorum erat istud prospicere, concilio intererant; de multis enim, ut præscriptum est, partibus honesti quamplures illo convenerant. Aderat inter alios etiam prior Casæ Dei, ut querimoniam faceret injuriarum æcclesiæ suæ illatarum; quem quia ante conversionem notum habuerat Linguonensis episcopus, nunc in aspectu immutatæ habitudinis cordis et corporis ejus applaudebat et congratulabatur ei, divinam collaudans potentiam, qui lenitatem dissolutionis ejus, quam habuerat in seculo, infrenaverat monastici ordinis et regularis gravitatis freno, dans in eo exemplum omnibus sub remigio alarum suarum confugientibus, non desperare de sua misericordia, cujus tanta in isto adoptionis filio agnoscebant beneficia. Concilio ergo inito, circumsedentibus Patribus tractatum est de multis sanctæ ecclesiæ utilitatibus, et earum determinatio secunda, tertia quoque et quarta protelata est die. Accusatus est in eodem concilio Remensis ecclesiæ invasor Symoniacus Manasses a clericis Remensibus; et suspensus ab officio, quia vocatus ad concilium ut se purgaret, non venit. Qui cum canonicis Remensis æcclesiæ accusatoribus suis a concilio redeuntibus plurimas parasset insidias, demum domos eorum fregit, præbendas eorum vendidit, et bona eorum diripuit. Inde cum a Roma litteras accepisset, ut in concilio cum sex se purgaret episcopis, Romam ivit (142). Quinta autem die, quia Lugdunensis sedes, Humberto Symoniaco expulso et in locis Jurensibus monacho facto, vacabat antistite, a latere domni Linguonensis ælectus est Gebuinus archidiaconus, vir morum probitate venustus, ut præficeretur Lugdunensi æcclesiæ (143). Hoc totius concilii acclamavit assensus, hoc etiam Lugdunensis ecclesiæ clericorum et laicorum qui aderant expetiit bonæ voluntatis affectus. Raptus igitur ab altari quo confugerat, diligentius servatur, ut in die Dominico more solempni benediceretur. Doluit super hoc Linguonensis episcopus, clerusque qui aderat Linguonicus; quia amisisse videbantur virum in æcclesiasticis et secularibus negotiis pernecessarium, cui plurimum innitebantur. Sed prævaluit concors sententia concilii, quia sic erat præfinitum et placitum in oculis Domini. Sexta jam sessionis die assurgit Linguonensis idem e medio circumsedentium, et ut vir nobilis et urbanæ eloquentiæ, ratione composita attentos sibi reddens auditores et benivolos, replicuit aliqua de dampno ecclesiæ sibi commissæ illato, quod quasi eruissent ei oculum, cui suum tulissent archidiaconum, in quo spes omnis, in quo refrigerium, in cujus sibi erat caritate solatium. Sic honesta verborum serie matris desolationem plangens, et filiæ orbitatem non tacens, replicat antiquam nobilitatem æcclesiæ Divionensis, zelum Willelmi abbatis in rigore justitiæ et fervore disciplinæ, et districta ordinis moderatione, nunc autem in obitu abbatis omnia ad nichilum fere redacta, intus parum religionis, foris cumulos tribulationis, adeo ut quæ quondam multis æcclesiis pastores et rectores idoneos præposuerat, nullum qui ei præesset de suis invenire posset. (Fol. 99.) Confugere se profitetur ad Dei bonorumque vi-

NOTÆ.

(139) S. Vitoni.

(140) In registro Gregorii IV, 22. adduntur signa chronologica: *Data juxta Padum in loco qui dicitur Ficarolo*, IV *Idus Maii*, *indictione* 15, i. e. 1077. Vide in Gregorio VII.

(141) Idibus Septembr. Vide epistolam Hugonis Diensis Mansi t. XX, 492.

(142) Ex Registro Gregorii V, 17, patet præter Manassen archiepiscopum Remensem accusatos fuisse Hugonem Bisontinum, Richerium Senonensem, Gotefredum Carnotensem, Richardum Biturigensem, Rodulfum Turonensem. K.

(143) Epistola Hugonis Diensis ap. Mansi XX, 488 K.

rorum consilium, ut anxietatis suæ, cujus erat hoc providere et disponere, aliquod in rectore substituendo, qui vere rector diceretur et esset, inveniret solatium. Cum perorasset, et a legato spe promissa consilii et auxilii jussus esset edicere, quem eidem officio dignum de circumsedentibus, qua in ipsa æcclesia non inveniebatur, vellet præficere : ille priorem Casæ Dei manu designans, et simul in verbis procumbens, et genua flectens : *Date*, ait, *mihi hunc piscem de fonte Dei*. Et ut facilius postulata acciperet, Hugonem ducem sibi sociavit in precibus, ut ejus mereretur bonitas quod se per se posse diffidebat. Oculi ergo omnium in eum qui rogabatur diriguntur. Sed quia præfatus Romanæ sedis legatus noverat, virum acris esse ingenii et animi, et dissolutionem noverat habitatorum loci et instabilitatem terræ, parcens ei, quamquam nosset utillimum, in concedendo erat difficilis. Temptabant etiam qui cum priore a Casa Dei venerant, modis quibus poterant electioni contradicere; sed quia voluntas fuit Domini, in cujus manu corda sunt regum, ut petitis annueretur auctoritas et laus promulgavit concilii. Illis ergo tumultuantibus, vimque quo nisu poterant inferre parantibus, hic dum clanculo fugam pararet, jamque elaberetur, capitur, tenetur, et flens multumque dolens, suis etiam resistentibus et contradicentibus, in concilium reducitur, et episcopo Linguonensi laude circumsedentium per manum redditur : a quo sollicite custodiendus, remoto suorum amminiculo, solus deduci est jussus. Cumque moneretur a præsidente episcopus, ut de concessis Deo gratias ageret, et virum honore dignum sibi commissum adjuvaret, et in omnibus ut decebat honeste tractaret, prædecessorum, Brunonis scilicet episcopi et Willelmi abbatis, quorum laudabilis prædicatur societas et caritatis unanimitas, mentionem faciens : *Si*, inquit, *istum non adjuvero, non dilexero, non ea tractavero caritate et dulcedine, qua Bruno Willelmum, depersoner ab honore meo*. Divionenses autem fratres concilio primo die interfuerant, et quia per se nequibant, electione pontificis sui ordinare æcclesiam concesserant. Sexta erat feria qua hæc facta sunt; et quia electio fratrum, quibus præesse debebat, ut assolet requirebatur, hec fuit diffinitio concilii, ut si die Dominico fratres electioni consentientes advenissent, electus benediceretur : si non, electio cassaretur et ad sua regredi sineretur. Ob id ab episcopo et duce nuncio præpeti cursu Divioni directo, die et hora præstituta fratres adveniunt, electionem factam scripto roborant, et obedientiæ ejus subdi non reformidant. Laudant in jubilo cordis et oris Dominum et magnificantes eum [345-347] in unum exaltant nomen ejus in id ipsum. (Fol. 99'.) Uno igitur die, id est die Dominico 15 Kalendas Octob. consecrati sunt apud Eduam summa omnium exultatione et tripudio, domnus Gebuinus in Lugdunensem archiepiscopum ab ipso Romanæ sedis legato, et præfatus electus in abbatem Divionensem a prædicto Linguonensi episcopo. Multa tunc utilia et sanctæ Dei ecclesiæ proficua in illo tractata et definita sunt concilio. Quo soluto, ad sua quique redeunt. Lugdunum præsul adivit, archiepiscopum beatificandum in gloria cælesti civibus expectantibus et desiderantibus assignavit, quem cum gaudio totius urbis in sede prædecessorum ejus Hyrenei atque Fotini ante tempora secularia preelectum locavit Nec fuit vana populi exultatio, quæ in dies augmentatur, et fine carebit, quia pastor eorum benignus, in arce poli sacerdos jam beatificatus (144) dum vixit illi adhesit qui est corona sanctorum et exultatio, qui loco non tenetur, et termino non angustatur, nec fine concluditur. A quo donatus præmio immortalitatis beatæ, civibus et omnibus ad se confugientibus patrocinatur. Cujus quia jam in pace factus est locus, et in Syon cælesti habitatio ejus, oremus eum, ut et nos, qui felicibus ejus gaudiis non invidemus, piis suis precibus ad se trahat, cursum nostrum in bono deduci et expleri optineat : cum, qui cum ipso uno in loco ælectus, uno et die est consecratus utinam tam sorte beata! precibus indefessis protegat, et dilectores suos et veneratores secum in celesti gloria nos ascribi faciat.

Stephanus autem Podiensis invasor cum Diensi episcopo Romanæ sedis legato Hugoni multas parasset insidias, novissime euntem eum ad concilium apud Clarum Montem, cum canonicis ante altare sanctæ Mariæ convenit, et se placitis ejus de episcopatu obtemperaturum, si in concilio fons causæ ejus prolongaretur, promisit. Clerici quoque idem tidem promiserunt, si promissis fidem episcopus servare nollet, se eum deserturos, et Romanæ sedi obdituros. Igitur post expletionem concilii Clarimontensis, propter pactionem quam ipse promiserat infra dies 15 quibus a præfato Diensi episcopo moneretur ab episcopatu cessaturum, ante expletionem dierum statutorum, cum jam Lugdunum venisset, ad Podium rediit, paucis secum comitibus assumptis, domnus Hugo, quia omnes tyrannidem invasoris illius suspectam habebant, et in celebratione missæ post recitatum evangelium intrepidus clerum et populum, quia erat absens Stephanus, de pactione cum eo facta convenit, et ne ei in posterum obedirent apostolica auctoritate prohibuit, data in eum qui se absentaverat, excommunicationis sententia, si ulterius ecclesiæ incubare præsumeret. Quam ejus excommunicationem domnus papa confirmavit, scribens episcopis Galliarum in hæc verba :

« Gregorius episcopus, servus servorum Dei, universis Galliarum episcopis et cunctis ordinibus sub

VARIÆ LECTIONES.

[345-347] cum *c*.

NOTÆ.

144) Obiit a. 1082.

eis constitutis, quæ pro meritis debetur, salutem et apostolicam benedictionem. Notum esse volumus caritati vestræ (145), etc. »

Igitur electus noster, Linguonensi comitatus episcopo ad sibi commissum locum devenicns, ingressus est Divionense cœnobium, quod numquam antea viderat, mense Septembrio die 21, et quia locum illum tali provisore vel pastore propitia ditasset divinitas, ex tunc et modo beneficiis multis ejus declaravit pietas. Invenit fervorem ordinis, quem in prædecessoribus fuisse acceperat, tepuisse, tum prælatorum incuria tum subditorum segnitia, habitacula servorum Dei usibus instituta laicis intrantibus et exeuntibus communia, intus parum religionis. foris acervos tribulationis. Ecclesiam annuis stipendiis egentem, ere alieno oppressam, ornamentis ecclesiasticis spoliatam. Urebatur ob hoc curarum estibus, quatiebatur cogitationum fluctibus, cum videret suscepisse se regendam æcclesiam magni nominis, magnæ antiquitatis et antiquæ dignitatis, et se conspiceret egentem omnibus bonis, intus et extra omni destitutum solamine, quo fultus regulariter cum sibi commissis Deo quiret servire. Hoc enim sibi summum et maximum erat refugium in verbis Domini dicentis: *Primum querite regnum Dei et justitiam ejus, et omnia adjicientur vobis* (*Matth.* VI, 33). Noverat, quia cum cresceret interius religionis studium, exterioris quoque substantiæ accederet supplementum. (Fol. 102.) Ad quod sectandum quia sui cum ex equo non adjuvabant, Cluniacum abiit, consilium et auxilium ab abbate Cluniacense quæsivit, quia de loco illo per Willelmum, prædecessorem suum, recolendæ memoriæ virum, fons derivaverat religionis, de quo postmodum omnibus vicinis, exteris quoque et longe positis, satis abundeque propinaverat. Nec ut volebat invenit. Quesivit a Deo corde contrito et humiliato, et invenit : prope est enim obtritis corde Dominus, et sacrificium ei gratissimum spiritus contribulatus. Ad fontem igitur Dei hic, quem in electione sua Linguonensis episcopus piscem de fonte Dei nominaverat, rediit, pisces octonos octonæ beatitudinis virtute coruscos secum adduxit, quos vere pisces dixerim pro sedula meditatione spiritualitatis, quam intendebant, ut piscis aquam fluminis; et fonti sibi commisso, quem viciorum prurigine sentinosum purgare decreverat, saltus super aquas pennis virtutum dantes immisit. Ex his priorem constituit, ceteris officia singula deputavit, ut eorum exemplo doceret reliquos vicia calcare, virtutes appetere, et desuetos animos habitantium assuesceret moribus religiosorum. Sed quid multis immoror? Tanta acta sunt ejus labore et industria, Dei præduce gratia, ut qui vidisset antea locum tempore negligentiæ confusum, attendens nunc felici exercitatione virtutum floridum, clamet in jubilo cordis: *Hæc mutatio dexteræ excelsi* (*Psal.* LXXVI, 11). Ceperunt jam ad ejus monita multi nobilium et mediocrium sua relinquere, et regulari disciplinæ se subdere, seque abnegantes sub ejus ducatu Deo regi uni et vero militare.

(Fol. 100.) Celebravit et quintum concilium (1078) donnus Diensis episcopus apud urbem Pictavorum (146), ubi quanta Deus operatus sit et quanta erga servos Christi diabolus conatus sit, ex litteris ipsius domino papæ directis conjicere possumus, quarum textus iste est: « Domino ac meritis beato papæ Gregorio, Hugo humilis presbyter Diensium, in domino Deo salutem. In concilio, quod Pictavis per gratiam Dei cum aliquo fructu celebravimus, multa nobis pericula prius in itinere, multa nobis adversa in ipsa civitate, tum in concilio, tum extra exstitere. Ecce enim rex Francorum contrarius sibi ipsi, quia contrarius erat regi celi, misit litteras primum mihi, in quibus confitebatur Domino, desiderio desiderans se vocari filium meum, et cum omni gloria et honore auctoritatem nostræ legationis commendabilem efficiens. Deinde comiti, tum etiam episcopis sui juris litteras misit adjurans eos omni attestatione, et suæ majestatis ac fidelitatis reos esse instituens scilicet comitem, si pateretur nos uspiam ubi posset conventicula et quasi concilia, sic eo vocans, celebrare; episcopos vero, si interessent, vel nostris faverent decretis, in quibus nitebamur splendorem coronæ ejus obfuscare et principum regni ejus. Ex hac ergo adversitate inimici veritatis audaciam nacti, nobis insultando eos pene traxerunt in sinistram, quos considerabam ad dexteram, et videbam, et non erat qui cognosceret me. Ecce enim pestis et dedecus sanctæ æcclesiæ, archiepiscopus Turonensis, et cum eo episcopus Redonensis, superbissime perversi, totum pene occupaverunt concilium. Redonensis namque comprobatus est reus, quia non prius ordinatus in clericum, ordinatus est in episcopum; promissa prius ac postmodum data pallii cappa ab episcopo Andegavensi, Redonense tamen illud nesciente, set aliud ante ordinationem confitente ; scilicet cum eques esset, equitem inimicum ab equo dejecit, et hujus Redonensis socius eques dejectum illum vulnere confodit; qui pro ea dejectione et vulnere in mortem occubuit. Nos igitur multorum precibus inclinati, nondum deposition, sed interim suspensum, quia suæ utilis erat æcclesiæ, vestræ misericordiæ præsentandum et judicandum reliquimus. Turonensis vero comprobatus est ante episcopatum decaniam emisse, quam ex consuetudine ejus ecclesiæ, nisi qui jam sacerdos fuisset vel jam futurus sacerdos esset, habere non posset. Hic igitur Turonensis nullo modo cano

NOTÆ.

(145) Data Bibianello x. Kal. April., ind. 15, i. e. 1077. Registr. IV, 19. Vide in Gregorio VII. De eodem eodem die data est epistola IV, 18. ad canonicos Anicienses. K.

(146) XVIII Kal. Febr. ex epistola Hugonis Diensis ad papam, Mansi XX, 490. Canones vide ibidem 498. K.

nice electus, non potuit optinere a rege donum episcopatus, usque dum nepos hujus ipsius per nummos præfatam decaniam fuerit adeptus. De Symonia etiam aliter accusatus est, quia cuidam militi silvam promiserit, si pro episcopatu eum juvisset. Quod cum postea miles ipsi improbasset, Andegavensis episcopus affuit, qui nobis ex eodem clara voce testimonium perhibuit. Longum est, pater, enumerare turbas et conflictus, quos et quantas, quomodo et ubi hic Turonensis nobis intulerit: aliquando pro Redonense, numquam ratiocinando sed semper garriendo, aliquando pro se inclamitando, cum omni suorum garrulitate et impudenti audacia clericorum. Nam dum etiam archiepiscopum Lugdunensem pene inflecterent ad tuitionem suam, ita ut pro eis oraret vel obloqueretur, foribus ecclesiæ effractis servientes eorum securibus armata manu introeuntes, ita concilium magno tumultu exturbaverunt, quod fratrem T. in mortem dedissent, nisi Dominus ut scuto bonæ voluntatis suæ coronasset eum. Ita nobis cum paucitate ac dedecore relictis, Turonensis et suffraganei ejus cum superbo tumultu inordinate et non canonice recesserunt. Altera die in æcclesia beati Hylarrii inito concilio, nulla nobis promissa vel præmissa satisfactione de injuria, iterum draco ille insurgens tanquam leo rugiens non potuit audiri diutius; sed exerentes gladium spiritus, quod est verbum Dei, percussimus ejus superbiam, et decreto hujus negocii prolato suspendimus eum etiam a sacerdotali officio. Et quia sedem apostolicam appellavit, ubi se purgaturum fuisse de Symonia asseruit, ad apostolicam sedem eum remisimus, et vestro judicio deponendum relinquimus. Abbas Bergensis ecclesiæ de Flandria fuisse Simoniacus comprobatus est, et depositus. Bysontinus archiepiscopus nec Eduensi nec Pictavensi concilio se præsentavit, nec canonicam misit excusationem. Belvacensem pulsatum de Symoniaca, et qui post decretum præbendas vendiderit, judicandum vobis remisimus; Noviomensem pro causa sua similiter; item Ambianensem pervasorem, cum ordinatoribus suis, videlicet Laudunense, Suessonense, Silvanectense. Mala quedam nostra etiam intestina reticemus, quia personas, a quibus sunt illata, Deo juvante quam citius venturi, commodius vobis in aure dicemus. Causas Andegavensis comitis, sicut præcepistis, ab ipsius ore audientes, rationabilem pene esse credidimus; sed de absolutione ejus non presumentes, diffinitionem ejus rei prudentiæ sanctitatis vestræ committimus. Si quid vero minus scripsimus sanctitati vestræ, Tenzo filius vester, fidelissimus cooperator noster in Domino, de Tarvanensi episcopo cum Pictavensi quid statuerimus plenius intimabit. Provideat itaque sanctitas vestra, ne diutius tam obprobriose nobis improperetur, quod Symoniaci vel quicumque criminosi a nobis suspensi vel depositi, aut etiam dampnati, libenter currunt Romam; et ubi deberent sentire ampliorem rigorem justitiæ, inde reportant quasi misericordiam pro voluntate; et qui antea nec in levibus præsumpserunt peccare, postmodum exercent aptissimam negociationem cum tyrannide in commissis sibi æcclesiis. Ora, sanctissime papa, pro me, inutili servo sanctitatis vestræ.

(Fol. 100.) Domno Gregorio summo pontifici, patri et domino suo, M. (147) Dei gratia Remorum archiepiscopus, fidelem servitutis et obedientiæ subjectionem et orationis devotionem. Vestro, domine, interventu et obsecratione reddidi dominæ M. marchisæ omnia quæ de me suus antecessor tenuit, et ad defendenda eadem consilium meum et auxilium ac receptus meos promitto fideliter et promisi, et de rejiciendo G. et recipiendo comite A. quidquid ipsa quæsierat paratus sum exequi. Ad quæ omnia confirmanda diebus sacris pentecostes cum confratre nostra fideli vestro T. (148) Virdunensi episcopo suæ civitati interfui, relictis causa necessitatis suæ in sacrosancto tempore meis omnibus necessariis. Sed ego fidelis vester et per omnia ecclesiæ jura vobis obedire paratus, vestrum de archiepiscopo Viennensi G. (149) summopere requiro consilium et imploro judicium, qui in arciepiscopatu meo presbiteros degradavit et eosdem iterum regradavit; legatum se Romanum, cum non esset, simulavit; marsupium suum non sub appellatione veritatis, sed imitatus eos qui, ut ait Apostolus, questum estimant pictatem, cum tamdem implesset, a diocesi mea ad suam rediit. Quapropter ad honorem Dei et Romanæ ecclesiæ hujusmodi præsumptionem et simulationem, sicut decet, corrigite, ne deinceps quisquam in alieno præsumat aliquid tale. Notum etiam facio vobis quod duo suffraganei mei episcopi, Laudunensis et Suessonensis, tertium Ambianensem in archiepiscopatu meo, me nesciente ut pote Romæ posito, episcopum consecraverunt, primum contra decretum vestrum, quo statueratis ne quis saltem archiepiscoporum eum consecraret episcopum qui a laica persona accepisset episcopii donum, maxime cum idem ipsi interfuissent apud Augustudunense concilium, ubi domnus H. Diensis episcopus promulgavit et statuit coram omnibus hoc vestrum æclesiasticum decretum. Hoc igitur, præter id quod diximus, contra auctoritatem et canones factum et etiam inauditum cunctisque qui sanum sapiunt mirabile et plus quam dici possit stupendum, si placet deputetur irritum. Quin potius, quia sine metropolitano juste expleri non potest a quibuslibet coepiscopis consecratio pontificis, sicut scitis, oratum et exoratum vos esse volo, ut ad honorem Dei vestrumque ac nostrum tam temerariam ecclesiastici ordinis confusionem zelo justitiæ corrigatis, ut sciat unusquisque in gradu suo et modo persistere, non alicna

NOTÆ.

(147) Manasses.
(148) Theodorico.
(149) Guarmundo.

sibi temere arrogare. Obsecro etiam benivolentiam honoris vestri, ut dignitatem quam antecessores vestri antecessoribus meis archiepiscopis servaverunt, et privilegiis aliisque scriptis ad posterorum memoriam reliquerunt, mihi reservare dignemini; ne irritum aut infractum fiat privilegium, quod ipse dedistis mihi, scilicet ut vobis ipsi interpellatus et non interpellatus respondeam, et legatis vestris Romanis, non ultramontanis qui conjuncti Romanis querunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, et sub honestis nominibus cupiditati suæ consulunt, non æcclesiæ Dei. Unde propter talium pudendas reprehensiones et vocationes, mihi, qui totius Galliæ episcopos debeo convocare, liceat confidere de vobis sine legatorum vocatione, donec ad pascha veniam ad vos Deo volente. Preterea volo obnixe supplicare, et prænunciare vobis, ut quoniam in absentia mei nuper apud vos commorantis multa prave et inordinate acta sunt in partibus meæ diocesis, ego vero non potero omittere quin ministerio nostro utar in his æcclesiastice corrigendis : si quid pro hoc de me accusationis perlatum fuerit vobis, ne hoc vel cito credatis, vel moleste erga me accipiatis, sed illud in præsentia nostra ante vos dimittatis, quia ego nullatenus volo excedere metas auctoritatis. Quandoquidem enim illi, qui legatos vestros se faciunt, multo justius ego debeo per vos ea quæ sunt providentiæ nostræ corrigere, quam quisquam aliena tractare. De comite Œbalo, qui me in præsentia vestra accusare temptabat, et se suamque fidelitatem vobis verbis simulantibus commendabat, satis in promptu habetis cognoscere, cujus potius sinceritas fidelitatis erga vos videatur existere, utrum mea qui Deo et vobis paratus sum per omnia obedire. an illius qui et apud vos per semetipsum inpugnat beati Petri æcclesiam, et apud nos per Manassem et suos sequaces in suo castro receptos persequitur beatam Mariam. Manasses enim, de quo diximus, cui nos jussu vestro quod in nos amiserat, si ad æcclesiam matrem suam rediret, indulsimus, conscientia sceleris sui depressus nec ad nos vult redire, nec paci æcclesiæ concordare, quin potius cum illis suis sequacibus, quia factis non potest, verbis et maledictis æcclesiam meque lacerare non desinit. Unde, ut de ipso Ebalo taceam, in quem vos credo justam et apostolicam exercere sententiam, super Manasse instanter deprecor sanctitatem vestram, ut aut jubeatis eum ad suam regredi, et ulterius non impugnare æcclesiam, aut in eum ejusque fautores et cooperatores apostolici vigoris dirigatis animadversionem. Dignamini etiam ad eorum receptores scribere aptam epistolam, ut aut eos contra æcclesiæ jura non retineant, aut pari sententia se multatos agnoscant. Restat mihi hoc vobis dicere, quia domnus Hugo Diensis episcopus interdixit episcopum nostrum Drogonem sedis Tarvennicæ, qui tantæ est senectutis, ut cum ante episcopatum diu permanserit in ordine presbiterii, jam nunc ultra tempus 60 annorum gradum tenuerit episcopii, et pene per singula momenta propinquat exitui. Quapropter volumus vos obnixius exorare, ut eum jussu vestro dignemini restituere ministerio suo, ne, quod magnopere formidamus, in hac moriatur interdictione. De hoc vero quod me interpellastis, ut in conductu episcopi Parisiacensis aliquos vobis milites mitterem, notum vobis facio quod ego volebam dirigere; sed comes de Arlonis Fulco rediens ab urbe Roma hoc mihi intimavit ex vestra parte, quia libenter me de ipsa transmissione militum inportabatis, ideo ut in regione nostra strenue et intentius exequerer domnæ marchisæ M. Pro hoc igitur a vobis veniente missatico, remansit a nostra parte prædictæ expeditionis transmissio. Valeat sanctitas vestra, pater reverentissime.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo fratribus Hugoni Diensi episcopo et Hugoni Cluniacensi abbati salutem et apostolicam benedictionem. Quia in sanctæ Dei, cui divina dispositione præsidemus, Ecclesiæ, etc. (150). »

Rescriptum ejusdem ad Manassem Remensem archiepiscopum : *Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri M. Remensi archiepiscopo salutem et apostolicam benedictionem. Cum vos ea a sede apostolica flagitatis.* Requiro (151).

Sextum nichilominus celebravit concilium apud Lugdunum, pro quibusdam negotiis, quorum discussionem ei domnus papa imposuit, scribens ad eum in hæc verba (152).

Gregorius *episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri* Hugoni *Diensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Quod divina clementia pacem Ecclesiæ tuæ restituit,* etc. Vide in Gregorio VII, *epist. extra Registrum vag.*, n. 49.

Dum igitur hæ ei litteræ allatæ fuissent, et locus concilii apud Lugdunum constitutus esset, Remensis etiam archiepiscopus juxta tenorem litterarum ad idem se purgaturus invitaretur concilium, posito domno Hugone apud Viennam pro corporis curatione, nuntii præfati archiepiscopi venerunt ad eum, multis et maximis precibus et muneribus ad hoc eum flectere cupientes, et ob id ei in præsenti trecentas purissimi auri uncias, domesticis quoque ejus preciosa donaria offerentes, insuper et celamentum ne ulli mortalium id proderent jurare volentes, ut cum sex episcopis, quos ipse Remensis eligeret de suffraganeis suis, ei ut se purgaret concederet, remota inquisitione infamiæ ; addentes etiam quod nec sperare poterant, sed tamen nichil intemptatum relinquere volebant, quod si ei solo concederetur facultas se purgandi, inestimabiles thesauros auri, et

NOTÆ.

(150) Registr. VI, 3. Data ad Sanctum Germanum XI Kal. Septembris, ind. 1. K.

(151) Igitur non ad manus erat. Data, ut supra. Registrum VI, 2.

(152) Desideratur in Registro. K.

qui etiam numerum excederent, se juraturos, et insuper sacramentum, ne cui hoc proderent. Quod totum virilis ejusdem legati animus respuit. Et quia inexpugnabilem ejus erga pecuniam animum vidit, timens sibi, concilio interesse noluit, et ideo synodali judicio est depositus, tum quia se purgare noluit, tum quia audientiam Eduensis, Pictavensis et ipsius Lugdunensis subterfugit (153).

Celebravit et septimum apud Avennionem, in quo depositus est Achardus Arelatensis invasor, et electi sunt Gibilinus in Arelatensem archiepiscopum, Lantelmus in Ebredunensem eque archiepiscopum, Hugo in Gratianopolitanum episcopum, Desiderius in Cavaticensem, quos post expletionem concilii secum Romam duxit, et consecrati sunt a papa [348].

(Fol. 102.) His ergo interim sepositis, beati patris Gregorii VII Romanæ Ecclesiæ pontificis, magni illius Gregorii cujus hodie flores eloquii in ecclesia redolent univoci et æquivoci, jam in tuto positi, jam decurso mundi naufragantis pelago, quietis æternæ fida statione potiti, securi prædicemus gesta magnifica, et quos tribulationum impetus pro sancta sustinuerit æcclesia, et sustinens mira et inedicibili superavit constantia, ut esset libera casta atque catholica, divina comitante clementia pia prosequamur instantia. Natus est igitur in urbe Roma, parentibus civibus Romanis, et, quod maximum est religiosis, ascribendus civis curiæ cælestis ; et ab incunte ætate æcclesiasticis mancipatus officiis, pueritiam suam non sine certis, quæ eum illustrem futurum jam tunc signarent documentis, religiosis personis comitatus excoluit. Adolescentiam assumpto sanctitatis proposito inter mundi contemptores non sine magnis perfectionis indiciis perdomuit, Juventutem nichilominus militiæ christianæ dedicatam, sicut ætate ita sana doctrina et firmamento veritatis roboratam, sub præclaris totius christiani nominis tutoribus et præsulibus, publicis sanctæ æcclesiæ mancipavit utilitatibus. (fol. 102'.) Hic ob singularem excellentis ingenii prærogativam a Nicholao papa in archidiaconatum matris ecclesiæ provectus, strenua et laudabili hujus officii administratione in totius orbis notitiam et religiosorum dilectionem brevi devenit. Decedente vero papa Alexandro, ad summum Christiani regiminis culmen accitus et electus, divinitate in electi sui exaltatione communem servorum suorum devotionem incitante, ad perferendum quod abhorrebat jugum, quodque semper quidem animi, aliquando autem corporis fuga declinaverat, mansuetum animal Domino suo cervicem subdidit. Electionem vero de se factam ipse A per se publicavit, scribens Desiderio Cassinensi abbati in hæc verba :

Gregorius in Romanum pontificem electus, D. abbati monasterii sancti Benedicti Montis Cassini, salutem in Christo Jesu. Domnus papa A. mortuus est, etc. (154).

(1073.) Consecratus igitur in justitia et sanctitate miro modo assiduis votis pro se et grege sibi commisso excubans, urgente pastoralis officii necessitate, distorta perversorum corda ad rectitudinis lineam summa vi corrigere nitens, veritatem Dei absque personæ acceptione omnibus patefecit, nactus omnium bonorum dilectionem ob zeli Dei fervorem et justitiæ exequutionem. Sed quia nulla est societas luci ad tenebras, perditorum hominum odium B et detractionem, immo persequutionem acerrimam incurrit ; regiam tamen viam, quam semel intraverat, inconcussus, immotus, per arma justitiæ a dextris et a sinistris fortiter incessit. Ac primo quidem apostolica auctoritate et veridicis sanctorum Patrum animatus sententiis, ad eliminandam Symoniacam heresim et præcipiendam clericorum castitatem pro commissi sibi officii debito vehementer exarsit. Audiant igitur qui audire volunt, ut muniantur, qui audire nolunt, ut confundantur, quam libera quamque catholica voce contra insanos impiorum latratus impiaque molimina aususque nefandos intonuerit hic propugnator æcclesiæ. Cum enim omnes fere sua quererent, non quæ Jesu Christi, et C adherere mallent discipulatui Symonis quam pauperiem Christi servare in unitate fidei ; ministri quoque divini sanctuarii fœdam libidinosæ contagionis pollutionem contra jus fasque usurpatam et subintroductam nollent abjicere, investituræ etiam æcclesiarum a laicis indebite usurparentur ; (1078, Nov. 19) ipse pro communi ecclesiæ utilitate et necessitate in Lateranensi palatio aggregata synodo, circumsedentibus archiepiscopis, episcopis, abbatibus et religiosis Deumque timentibus clericis et monachis, de suprascriptis et aliis ecclesiæ commodis tractans, hæc decretalia promulgavit capitula (155).

Quicumque militum, etc.

Hec sunt beatissimi papæ synodalia decreta, moribus corrigendis idonea, sanctorum Patrum decre- D tis consona, cœlo rorante stillata, universis fidelibus inculcanda, amplectenda atque tenenda, justitia dictante prolata, fortitudine roborata, prudentia promulgata, temperantiæ virtute prædita. Sed perversi dum in eorum norma vitæ suæ perversitate offendunt, hec gravia, hec difficilia, hec, quia corrigi nolunt, emendari refugiunt, omnimodis appel-

VARIÆ LECTIONES.

[348] *major pars paginæ vacat.*

NOTÆ.

(153) Synodus habita est inter d. 3 mensis Januarii et 17 mensis Aprilis 1080. Vid. litteras Gregorii ad Manassem Remensem in Registr. VII, 12, 20. Cfr. quoque ibid. VIII, 17, 18, 19, 20. K.

(154) Data Romæ 11. Kal. Maiii. ind. 11. Registr. I, 2. Pauli Bernriedensis Vita Gregorii, 28. Vide in Gregorio VII K.

(155) Mansi XX, 509 et Mon. Germ. SS. V, p. 314, 315 (*Patrologiæ* t. CXLVIII).

lant impossibilia. O mentem amentem ! O spurcam nequitiam et nequissimam spurcitiam ! Numquid si perditorum mores hominum corrigi refugientes desipiunt, justitia silebitur, pietas conculcabitur, et æcclesiasticæ animadversionis gladius a sanguine prohibebitur ? Væ rectori, quem denotaverit sententia hujusce maledictionis ! *Maledictus*, ait, *qui prohibet gladium suum a sanguine* (*Jer.* XLVIII, 10). Gladium a sanguine prohibere est prædicationis verbum a carnalis vitæ interfectione retinere. Ob hanc igitur causam, quia scilicet sanctam Dei ecclesiam castam esse volebat, liberam atque catholicam, quia de sanctuario Dei Symoniacam et neophytorum heresim et fedam libidinosæ contagionis pollutionem volebat expellere, membra diaboli ceperunt in eum insurgere, et usque ad sanguinem præsumpserunt in eum manus inicere, et ut eum morte vel exilio confunderent, multis eum modis conati sunt deicere. Sic surrexit inter regnum et sacerdotium contentio, accrevit solito gravior sanctæ Dei ecclesiæ tribulatio.

(Fol. 104.) Heinricus enim, Heinrici imperatoris filius, adversus Deum et matrem omnium catholicorum Romanam æcclesiam superbe tumidus, quia vita ejus prava sanctorum Patrum decretis et canonicis aversabatur institutis, adversus Deum et adversus Christum ejus insurrexit, æcclesiasticis sanctionibus impie factus rebellis, membra diaboli contra eum incitando, et omnes quos potuit minis, blandiciis, terroribus, muneribus contra eum armando, facta cum multis episcopis Lothariensibus et Transrhenensibus conspiratione. Posito (156) enim adhuc in diaconatus officio eodem papa sanctissimo, cum de eo sinistra et inhonesta ubique ferretur fama, propter imperialem dignitatem et patris matrisque reverentiam, necnon propter spem correctionis ejus, sepe ab eo litteris et nunciis est admonitus, ut memor clarissimi generis, memor imperialis dignitatis, vitam suam moribus imperio congruentibus institueret, ut regem se et imperatorem moribus ostenderet, operibus exiberet. Sed quia cum ætate illius quoque pariter crevit iniquitas, sublimatus in ordine pontificatus, auctoritate officii sibi commissi multo sollicitius ad vitæ melioracionem eum in dies hortabatur ; cum ille excusatione ætatis flaxæ et fragilis de die in diem monita ejus se susceperum verbis quidem promitteret, ceterum re et exaggeratione culparum, malo eorum in quorum manus curia erat consilio, penitus conculcaret. Hinc jam proclivior factus ad scelera, præceps præcipiti usus consilio ferebatur per devia. Visum est papæ beatissimo, ut familiares ejus, quorum machinacionibus per episcopatus et monasteria inductis Symoniace lupis pro pastoribus, ecclesiæ innocentiam heresi nefanda fedaverat, ad pœnitentiam vocaret, venientes susciperet, respuentes a communione corporis Christi et consortio fidelium separaret ; ut vel sic eum ab eorum surreptione et maligno consilio segregaret, admonens eum ut eos excommunicatos a domo, a convivio, ab omni etiam familiaritate et communione sua expelleret. Interim vero invalescente contra eum Saxonum causa, cum vires regni et præsidia a se videret deficere velle, epistolam ei direxit supplicem et humilitate plenam, penitentiam de perpetratis agens, emendationem pollicens, et suam ei obedientiam et fidele adjutorium contra rebellantes promittens. Et hoc postmodum legatis ejus Humberto Prænestino et Giraldo Ostiensi episcopis in illorum manus per sacratas eorum stolas, quas collo gestabant, jurejurando confirmans. Textus autem epistolæ iste est :

(Fol. 105b.) « Vigilantissimo et desiderantissimo domno papæ Gregorio apostolica dignitate cultus insignito, Heinricus Dei gratia Romanorum rex debiti famulatus fidelissimam exibitionem. Cum regnum et sacerdotium, ut in Christo rite administrata subsistant, vicaria sui ope semper indigeant, oportet nimirum, domine mi et pater amantissime, quatinus ab invicem minime dissentiant, verum potius Christi gluttino conjunctissima indissolubiliter sibi cohereant. Namque sic et non aliter conservatur in vinculo perfectæ caritatis et pacis, et Christianæ concordia unitatis et æclesiasticæ simul status religionis. Sed nos, qui Deo annuente regni jam sortimur ministerium, sacerdotio ut oportuit per omnia jus et honorem non exibuimus legitimum. Quippe datæ nobis a Deo potestatis vindicem gladium non sine causa portavimus, nec tamen in reos, ut justum fuit, judiciaria illum censura evaginavimus. Nunc autem divina miseratione aliquantulum compuncti, et in nos reversi, peccata nostra priores vestræ indulgentissimæ paternitati nos accusando confitemur, sperantes de vobis in Domino, ut apostolica vestra auctoritate absoluti justificari mereamur. Eheu criminosi nos et infelices ! partim pueritiæ blandientis instintione, partim potestatis nostræ imperiosa libertate, partim etiam eorum, quorum seductiles nimium sequuti sumus consilia, seductoria deceptione, peccavimus in cœlum et coram vobis, et jam digni non sumus vocatione vestræ filiationis. Non solum enim nos res æcclesiasticas invasimus, verum quoque indignis quibuslibet et Symoniaco felle amaricatis, et non per ostium sed aliunde ingredientibus, æcclesias ipsas vendidimus, et non eas ut oportuit defendimus. At nunc, quia soli absque vestra auctoritate æcclesias corrigere non possumus, super his, ut etiam de nostris omnibus, vestrum una consilium et auxilium obnixe querimus ; vestrum præceptum studiosissime servabitur in omnibus. Et nunc imprimis de æcclesia Mediolanensi, quæ nostra culpa in errore est, rogamus, ut vestra apostolica districtione canonice corrigatur, et exinde ad cæteras corrigendas

NOTÆ

(156) *Posito — confirmans* ex epistola Gregorii ad Germanos, quæ in codice Udalrici 146, apud annalistam Saxonem et Bernriedensem 78 servatur. Cf Bertholdum a. 1075.

auctoritatis vestræ sententia progrediatur. Nos ergo vobis Deo volente in omnibus non deerimus, rogantes id ipsum suppliciter paternitatem vestram, ut nobis alacris adsit clementer in omnibus. Litteras vestras non post longum tempus cum fidelissimis nostris habebitis, ex quibus nostra quæ dicenda adhuc restant, Deo dante, plenius audietis. » (157)

(Fol. 104.) Verum (158) commisso prælio et victoria optenta, ad vomitum canis rediit, vota fregit, excommunicatos in communionem et gratiam suscepit, æcclesiarum confusionem non abhorruit. Pius autem papa adhuc animum ejus temptandum credens, litteras ei direxit commonitorias, ut recordaretur domini Dei sui, recordaretur promissi, nec inhonoraret honorantem se, nec crederet se fallere posse Deum : adjiciens Deum superbis resistere, humilibus autem dare gratiam, parcensque ei et moderaminis [349] apostolici erga eum censuram conservans [350], quem potuisset pro hoc solo scelere [351] juste punire juxta decretum [352] Gelasii papæ (159), in quo ait scribens [353] Anastasio imperatori, cap.... : *Sicut non potest quilibet perversitatis* [354] *communicatore suscepto non pariter* [355] *perversus approbari, sic nec potest* [356] *refutari perversitas complice* [357] *sectatore perversitatis admisso. Legibus* [358] *certe vestris criminum conscii* [359] *susceptoresque latrocinantium pari* [360] *judiciorum pena constringuntur* [361] *nec expers facinoris estimandus est* [362], *qui licet ipse non fecerit, tamen* [363] *facientis familiaritatem* [364] *fedusque receperit.* Et hec papa [365] Gelasius. Ceterum hoc in patre..... juxta quod ait Gregorius in decretis [366] C cap. 299 illud erat [367] prædicabile, quia erat in eo sollicitudo [368] cauta, non remissa, correptio [369] diligens, non severa, sed sic alterum [370] condiebatur ex altero, ut et boni [371] haberent amando quod facerent [372] et pravi metuendo quod fugerent [373].

Misit etiam speciales epistolas quibusdam episcopis Galliæ et Germaniæ (160) bulla sua signatas, ut ad erigendam æcclesiæ dejectionem et eliminandam hereticam pravitatem reparandamque ministrorum A castitatem confortarentur manus dissolutæ, et roborarentur genua debilia eorum. (Fol. 104.) Qui nimia usi levitate, et ex regis stoliditate et potestate tenebrarum rebellandi accepta occasione, præcepta sedis apostolicæ parvipendere non timuerunt, et se non pastores ovium, sed mercennarios evidenti indicio probaverunt. Constantiensis hic, unus eorum, Otto dicebatur episcopus, quem hujusmodi ausu temerario corripuit præfati Romani pontificis auctoritas, mittens ei et archiepiscopo Mongontino litteras (161); quas cum Otto parvipendisset, obstinatam ejus animositatem papa corripuit, secundo missis ad eum litteris in hæc verba (162) :

« Gregorius VII, servus servorum Dei, Ottoni Constantiensi episcopo salutem et apostolicam be- B nedictionem. Perlatum est ad nos » etc. *Vide epistolas Gregorii VII, Patrol.* t. CXLVIII.

Verum quia ille non solum apostolicæ sedi contraria ausus fuit præcipere, sed et præceptis ejus repugnare nec adquiescere voluit, audiamus missam a papa Constantiensi clero et populo epistolam, in qua liquido continetur, quod qui apostolicæ sedi inobediens extiterit, nulla ei fidelitas exibitio nec ex sacramentorum obligatione fiat :

« Gregorius episcopus, servus servorum Dei, clericis et laicis, majoribus et minoribus in Constantiensi episcopatu consistentibus, Christianam legem diligentibus, salutem et apostolicam benedictionem. Misimus fratri nostro, episcopo vestro Ottoni, etc. » *Vide in Gregorio VII.*

Item Roberto Flandrensium comiti : « Gregorius episcopus, servus servorum Dei, R. Flandrensium comiti salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte omnipotentis Dei et auctoritate beati Petri apostolorum principis te rogamus, etc. » *Vide ibid*

Item ad laicos pro exequendis superioribus statutis :

« Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiis, Berthaldo, Rodulpho, Welfon ducibus (163) salutem et apostolicam benedictionem.

VARIÆ LECTIONES.

[349] -inis *jam excidit in c.* [350] -rvans *jam excidit in c.* [351] scelere *jam excidit in c.* [352] -retum *jam excidit in c.* [353] -ens *jam excidit in c.* [354] -versitatis *jam excidit in c.* [355] non pa- *jam excidit in c.* [356] pot- *jam excidit in c.* [357] complice sectatore *jam excid. in c.* [358] -hus *jam excidit in c.* [359] -cii sus- *jam exc. in c.* [360] pari *jam exc. in c.* [361] -ntur *jam exc. in c.* [362] -mandus est *jam exc. in c.* [363] -en *jam exc. in c.* [364] -em *jam exc. in c.* [365] papa *jam exc. in c.* [366] -tis *jam exc. in c.* [367] erat *jam excidit in c.* [368] sollicitu- *jam excidit in c.* [369] -reptio *jam exc. in c.* [370] - c alterum *jam exc. in c.* [371] boni *jam excidit in c.* [372] facerent *jam excidit in c.* [373] fu- *jam excidit in c.*

NOTÆ.

(157) Hanc epistolam medio anno 1075 scriptam esse confirmavit Stenzel I, 348.

(158) *Verum — posse Deum* ex epistola ad Germanos.

(159) Mansi, VIII, p. 33.

(160) Ad Manassem Remensem, de quo vide supra, ad Isembertum Pictavensen Reg. I, 73; II, 2, 23; ad Rogerium Catalaunensem I, 56; ad Dietwinum Leodiensem II, 61; ad Rainerium Aurelianensem III, 17; V, 9, 20; ad Liemarum Bremensem II, 28; ad Herimannum Bambergensem I, 84; ad Henricum Spirensem V, 18. K.

(161) Respicit, ni fallor, ad epistolam Registr. I, 60 datam xv Kal. April., ind. 12, et II, 19 ad Sigefridum Moguntinum archiepiscopum II Non. Decembr., ind. 13, i. e. 1074 datam. Ad eumdem de Herimanno Bambergensi episcopo et Wernerio Strasburgensi, qui regis partibus favebant, epistolas Registr. III, 2, 4, scripsit, et ad Ottonem Constantiensem Registr. I, 60, III. Id. Martiis, ind. 13, i. et 1075. K.

(162) Desiderantur hæ epistolæ in Registro Gregorii; servatæ sunt in Vita Gregorii Pauli Bernriedensis 37, 38, et in codice Udalrici 142, 143. K.

(163) Carinthiæ et Sueviæ; Welfonis nomen desideratur in Registr. II, 45, et apud Paulum Bernriedensem 39; data Romæ 3, id. Jan., ind. 13, i. e. 1075. K.

Scimus quoniam prudentia vestra, » etc. *Vide in Gregorio VII.*

Item ad omnes clericos et laicos in regno Theuthonicorum constitutos de eadem re (164) : « Gregorius episcopus, servus servorum Dei, omnibus clericis et laicis in regno Theuthonicorum constitutis, salutem et apostolicam benedictionem. (Fol. 106') Audivimus quod quidam episcoporum, » etc. *Vide in Gregorio.*

Quia ergo sunt quidam qui dicunt, inaudita hæc domini papæ præcepta, quatenus a secularibus potestatibus, ut ab officio cessent, vi coerceantur scismatici episcopi, et ut officium eorum non recipiatur : scrutemur gesta patrum, et videamus ad edificationem audientium, si quid simile invenitur in serie scripturarum divinarum. Et certe nichil hic novi, non hec prima diaboli in sanctam æcclesiam temptatio, nec prima ejus hæc est medicinalis defensio. Pelagius papa vir magnæ in Christo et in æcclesia gloriæ, vir magnæ auctoritatis et gratiæ, videamus quid dicat de Paulino Aquileiensi pseudoepiscopo a Mediolanensi contra morem canonicum ordinato. Ait itaque, scribens Johanni patricio : « Relegentes litteras excellentiæ vestræ, de injuria quidem, quam vobis iniquorum hominum præsumptio ingessit, valde doluimus. Sed quia scimus occulto Dei judicio animam vestram, etsi per aliorum iniquitatem ac superbiam a contaminatione scismatis custoditam, egimus omnipotenti Deo gratias, qui etiam de malis hominum actibus bona operari consuevit. Nec enim sine illius factum esse credimus, ut insensati et perversissimi homines ad hoc usque prosilirent, ut suam divisionem catholicam esse credentes æcclesiam, a sua vos pollutione prohiberent. Sic enim per misericordiam Dei etiam nescientibus illis factum est, ut a scismaticorum communione eruti, catholicæ quam diligitis servari vos contigisset æcclesiæ. Quamvis igitur vestra per illorum sceius utilitas facta sit, nolite tamen impunitam præsumptionem iniquorum hominum crassari permittere. Si enim hoc, quod in vestram gloriam præsumpserunt, non fuerit vindicta compressum, quid in minoribus valeant ambigi ultra non debet. Exercete igitur debitam in talibus auctoritatem, et ne eis amplius talia committendi crescat spiritus, coercionibus reprimantur. Ad hoc siquidem Dei nutu in vos talia præsumpserunt, ut vobis talia corrigentibus, ab eorum scelere alios possitis Deo propiciante munire. » Et post aliqua : « Auferte tales ab illa provincia, utimini oblata vobis a Deo opprimendi perfidos occasione. Quod tunc plenius fieri poterit, si auctores scelerum ad clementissimum principem dirigantur, et maxime æcclesiæ Aquileiensis invasor, qui et in scismate, et a scismatico maledictus, nec honorem episcopi potest optinere, nec meritum. »

Pelagius Valeriano : « Quod a vobis poposcimus, et nunc iterum postulamus, ut Paulinum Aquileiensem pseudoepiscopum et illum Mediolanensem episcopum ad clementissimum principem sub digna custodia dirigatis : ut iste, qui episcopus esse nullo modo potest, quia contra omnem canonicam consuetudinem factus est, ultro alios non perdat; et ille, qui contra morem antiquum cum ordinare præsumpsit, debitæ canonibus vindictæ subjaceat. » Item Pelagius Johanni defensori : « Eleutherius frater et coepiscopus noster queritur, clericos suos sibi contra canones superbire, et id quod nobis jubentibus facta in scrinio cautione promisit, ut cotidianis diebus vigiliæ in ejus celebrentur ecclesia, illis contempnentibus implere non posse. Et ideo experientia tua eos, quos tibi esse ostenderit contumaces, debita objurgatione compesce, et modis omnibus vigilare compelle. » Item Augustinus super Johannem, omelia 11 : « Siquidem vult Deus concitare potestates adversus scismaticos, adversus dissipatores æcclesiæ, adversus exuflatores Christi, non mirentur, quia Deus concitat ut a Sara verberetur Agar. Mirantur quidam, cum moventur potestates christianæ contra detestandos dissipatores ecclesiæ. Si non moverentur, quomodo redderent Deo rationem de imperio suo? Intendat karitas vestra quid dicam, quia hoc pertinet ad principes seculi, ut temporibus suis pacatam veint matrem suam ecclesiam, unde spiritualiter nati sunt. » Et Paulo post : « Nabuchodonosor rex decrevit dicens : *Quicunque dixerit blasphemiam in Deum Sydrac, Misac et Abdenago, in interitu erit et domus ejus in dispersione.* Ecce quomodo rex alienigena sevit, ne blasphemetur Deus Israel, qui potuit tres pueros de igne liberare. Et nolunt ut seviant reges christiani, quia Christus exufflatur, a quo non tres pueri, sed orbis terrarum cum ipsis regibus a gehennæ ignibus liberantur? Quis igitur reprehendet post hæc si comprimantur a seculi potestatibus scismatici, dissipatores ecclesiæ, concucatores legis divinæ, prævaricatores constitutionis canonicæ? »

(Fol. 107.) Horum igitur et ceterorum sanctorum decretorum Heinricus contemptor factus est, juvenis animi impetus et appetitus non refrænans sed stultorum malivolis consiliis nimium fidem dans; qui corrupti et abhominabiles facti in iniquitatibus suis, inreprehensibiliter vivere detrectantes, reprehendi non ferebant. (*Epist. ad Germ.*) Mittebatur (165) ei crebra domni papæ legatio, tum litteris, tum etiam religiosis personis et utique fidelibus suis, quibus secrete vocabatur ad penitentiam de sceleribus suis, dictu quidem horrendis, et tamen pluribus notis et per loca plurima divulgatis, pro quibus non solum excommunicari, sed absque spe recuperationis omni deberet regni honore destitui, et ut excommunicatos, quorum consilio præceps ferebatur ad scelera, a sua divideret participatione, ne communicando quibus non licet, in eorum transiret consor-

NOTÆ

(164) In Registro desideratur hæc epistola; legitur apud Paulum Bernriedensem 41. K.

(165) *Mittebatur — abnegare coegit* ex epistola ad Germanos.

tium, quorum non abhorrebat communionis sacrilegium ; [Cf. Hor. *ep.* 1, 2, 69] sed servabat odorem esta quo recens erat imbuta. Qui quanti [374] scripta aut verba per legatos missa, ejus declarant facta, cum non solum a perpetratis criminibus ad emendationem revocari non potuit, sed furore conscientiæ mordacis arreptus, non prius destitit, donec omnes pene episcopos Italiæ et Theuthonicarum partium, quotquot potuit, circa Christi fidem naufragare fecit, dum eos debitam beato Petro et apostolicæ sedi obedientiam et honorem a domino Jesu concessum abnegare coegit. Quia vero justus diviti favere nescit, nec facit quidquam commendandi se causa, cum qui a vero devius superbiebat, potenter domnus papa redarguebat, sciens eam esse veritatis regulam, non accipere personam potentis in judicio, ideoque quorum crimina agnoverat, libera in eorum increpatione ferebatur voce. At ille reprehendi a quoquam aut corrigi inique ferens, occasionesque ab amico recedendi querens, quia non potest esse participatio justitiæ cum iniquitate, introitum ejusdem beatissimi papæ Gregorii VII, culpare cepit, ut culpas symoniæ, quæ ab eodem in se puniri timebat, in illum reflecteret. Ausus est etiam de expulsione ipsius Romani pontificis, *quem*, ut ait Symmachus papa, *suo Deus sine questione reservavit arbitrio*, stipatus factiosorum officio tractare, et cui concessum est peccatorum vincula solvere, criminum compedes frangere, hunc peccator superbiens conatus est, proh pudor ! a sede judiciaria propellere, ut posset sibi consimilem de suis consentaneis in ejus loco subrogare. Sed non est consilium contra Deum (*Prov.* xxi, 30). Quem humana improbant judicia, Deus approbat ; et quem Deus tuetur et approbat frustra impetunt humana molimina. Sic igitur rex, non rex dicendus quia tyrannus, a Romana recessit æcclesia, factus infelix membrum illius qui est rex super omnes filios superbiæ. Impletum est sane in eo illud Jheremiæ vaticinium, quo suscepta in se totius humanæ conversationis specie per lamentum queritur dicens : *Inebriavit me absinthio* (*Thren.* III, 15). Ebrius enim quod patitur nescit. Qui vero absinthio inebriatur, et hoc quod sumpsit amarum est, et tamen non intelligit amaritudinem qua repletur. (Fol. 107.) Sic et hic dimissus voluptatibus suis et per eas spontaneis tribulationibus traditus, absinthio est ebrius, quia et amara pro mundi hujus amore tolerat, et eandem amaritudinem cæcitate cupiditatis et superbiæ quasi ebrietatis insensibilitate ignorat. Stulti facti sunt consiliarii ejus et ignobiles, quos ab eternæ hereditatis consortio repellit servitus mentis. Nam sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum. Ignobiles facti sunt, *quia qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* VIII, 34), semper in laqueis, semper in vinculis, numquam liber a compedibus, quia semper in criminibus. Qui quamvis iniquiorum opera exerceant, occupant tamen loca justorum ; et eorum se filios estimant, quorum per honoris concupiscentiam officia exterius administrant. Sed non sunt eorum filii quorum loca tenent, sed quorum opera exercent. Stulti itaque sunt quia veram sapientiam non intelligunt, ignobiles facti sunt quia nulla spiritus libertate renovantur. Hii positi ad superintendendum fidelibus premunt eos potius quam regant, quia sub nomine pastorum lucra de religione sectantur. Sub eorum ducatu Deus irridetur, fides est obprobrio, veritas in crimine, et tanto est quisque despectior quanto justior, tanto abhominabilis quanto laudandus. Qui cum in æcclesia esse videantur, longe ab ea fugiunt, non passibus gressuum, sed qualitatibus morum. Qui autem sint hii malorum incentores, qui regiæ iniquitatis fautores et complices, qui castitatis æcclesiasticæ spurcissimi et temerarii corruptores, suis jam laboribus, tribulationibus, tortionibus et calamitatibus satis superque compertum habet mater æcclesia. Episcopi, inquam, si tamen episcopi dicendi sunt qui inreprehensibiliter vivere nolentes et reprehendi a suis primoribus refugientes, instituta canonica temerantes, et canonica invectione notari nolentes, ipsi etiam universorum matri ecclesiæ et apostolicæ sedi præjudicium fecerunt, procul dubio usque ad contemptum illius grassantes, qui discipulis suis et per eos sanctæ ecclesiæ rectoribus loquitur, dicens : *Qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* x, 16) ; non recordantes decretorum Julii papæ quibus statutum est, ut vires non habeat quidquid apostolicæ sedis auctoritati obviaret, quoniam eadem sedes testante veritatis voce primum primatum optinuit, quæ prima non diceretur, si aliam super se haberet ; quæ etiam caput est omnium æcclesiarum, a qua omnes sumpsere originem. Primatum enim non synodalibus aut aliquibus commentatis meruit institutis, sed Domino largiente, qui ait : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.*

Hec Julius de primatu sedis apostolicæ loquitur, cui omnium episcoporum finitiva judicia et congregandarum synodorum dixit privilegia reservata. Verum novi dogmatistæ judicia apostolica spernunt, scripturas sanctas abjiciunt, de corde suo profitentes et mercedem scelerum traditi desideriis cordium suorum in suimet a Christo abjectione recipientes. Hi igitur, concilio Warmatiæ habito (1076, *Jan.* 24), ubi omnis quam patimur calamitas exorta est, abjecerunt a se jugum disciplinæ (*Leg.* II, p. 44), quum nullam adhuc in illos domnus papa anathematis destinasset sententiam, et sanctæ obedientiæ libellum repudii conscripserunt, prælationi sedis apostolicæ superba et repentina temeritate abrenunciantes. (Fol. 108.) Primum hoc fermentum totam ecclesiæ massam corrupit. Conventus hic inter nativitatem dominicam et sequentem quadragesimam habitus est, ita distantibus spaciis, ut quæcumque ibi gererentur Romam tempore synodi referri possent. Die

VARIÆ LECTIONES.

[374] *supple* fecerit.

vero natalitio Andreæ apostoli (Nov. 30), ante ipsam natalis Dei festivitatem apud Bavemberg Heinrico posito, tanta adhuc inter regnum et summum sacerdotium vigebat concordia, ut destitutio pontificis urbis ipsius, et substitutio alterius obedientiæ domni papæ deputaretur. Ille igitur, qui ante nativitatem dominicam tantæ in ecclesia magnificentiæ erat, ut ad nutum illius mutationes ordinum fierent, paucis post nativitatem diebus inconventus et inauditus proscriptus est, et quantum ad illos depositus. Ex die enim, qua tanti ab omnibus habitus est, nullam eorum legationem accepit, usque dum illa veniret qua dictum est : *Descende, descende interdicimus tibi jus omne papatus* (*Legg.* II, p. 47).

Audiat cœlum et obstupescat, intelligat terra et contremiscat. Legatur ex quo est religio christiana, id ab aliquo præsumptum ; dicatur quibus canonibus, quibus regulis, qua lectione, quo documento id sit adtemptatum. Auditum sub cœlo non legitur, omnino nec dicitur, quod possit aliquis papam deponere, et concessa sibi privare potestate. Romanus enim pontifex non modo deponi, sed nec aliquo potest dijudicari. Audiant tantæ præsumptionis auctores complices et fautores, quid Symmachus papa de privilegio Romani pontificis senserit. Ait enim in decretis suis capite 2 : « Aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminare, sedis apostolicæ pontificem suo sine questione reservavit arbitrio. Voluit beati Petri successores cœlo tantum debere innocentiam, et subtilissimæ discussionis indagini inviolatam exibere conscientiam. » Et papa Gelasius : « Canones, inquit, sancti appellationes totius ecclesiæ ad hujus sanctæ sedis examen sanxere deferri, ipsam vero a nullo prorsus appellari debere, ac per hoc illam de tota æcclesia judicare, ipsam vero ad nullius commeare judicium, nec de ejus umquam præceperunt judicio judicari, sententiamque ejus constituerunt non debere dissolvi, ejus potius sequenda mandarunt decreta. » Et Anastasio imperatori scribens ait capitulo 3 : « Impeti possunt humanis præsumptionibus quæ divino sunt judicio constituta, vinci autem non possunt. Atque utinam sic contranitentibus perniciosa non sit audacia, quemadmodum quod ab ipso sacræ religionis auctore præfixum est non potest ulla virtute convelli. Desinant ergo queso te temporibus tuis quidam per occasionem perturbationis ecclesiasticæ præcipitanter ambire, quæ non licet, ne illa quæ male appetunt, nullatenus apprehendant, et modum suum apud Deum hominesque non teneant. » Melchiades quoque papa in epistola Hispaniæ episcopis directa de privilegio beato Petro et successoribus ejus vice Domini concesso sic ait post aliqua : « Hoc privilegium Dominus beato Petro clavigero suo concessit et sua vice solummodo commisit, quod ejus prærogativum cunctis successoribus suis hereditandum est atque tenendum futuris temporibus, quoniam et inter apostolos fuit quedam discretio potestatis. Et licet cunctorum par foret electio, beato tamen Petro concessum est, ut aliis præmineret et eorum quæ ad querelam venirent causas et interrogationes prudenter disponeret. Quod Dei ordinatione actum est, ne posteri eorum cuncta sibi vendicarent, sed ad unam beati Petri apostolorum principis sedem confluerent, ut inde suscipiant finem unde acceperunt inicium institutionum, ne quandoque a suo discreparent capite. » Adrianus quoque papa in decretis suis : « Presul summus a nemine judicabitur. Scriptum est enim : *Non est discipulus super magistrum.* » (Fol. 108'.) Audiant etiam novæ hujus præsumptionis et præsumptuosæ novitatis inventores et machinatores ex verbis ejusdem Simmachi papæ quid mereantur, ut confundantur, et revereantur utinam ad penitentiam cap. 2 : « Si quis presbiter diaconus aut clericus papa incolume et eo inconsulto subscriptionem pro Romano pontificatu commodare aut pittatia promittere, aut sacramentum præbere temptaverit, aut aliquod certe suffragium polliceri, vel de hac causa privatis conventiculis factis deliberare atque decernere præsumpserit, loci sui dignitate et communione privetur, pari sententia dampnando eum, qui hoc vivo sicut dictum est pontifice, quolibet modo fuerit ambisse convictus, aut certe temptasse. » Quod vero æquitate Petri roborentur apostolica judicia, ait Innocentius papa : « Manet Petri privilegium, ubicumque ex ejus fertur æquitate judicium. » Gregorius quoque sic ait inter cetera in decreto suo cap. 10 : « Nulli fas est vel posse vel velle transgredi præcepta apostolicæ sedis, nec ejus dispositionis ministerium, quod omnium sequi oportet caritatem. Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus, nec locum deinceps inter sacerdotes habeat, quisquis apostolicis voluerit contraire decretis, sed extorris a sancto ministerio fiat. Non de ejus judicio quisquam curam habeat quoniam jam dampnatus a sancta et apostolica æcclesia et auctoritate suaque inobedientia atque præsumptione a quoquam esse non dubitatur, quia majoris excommunicationis dejectione est exigendus cui sanctæ ecclesiæ commissa fuerat disciplina, qui non solum prælati sanctæ ecclesiæ jussionibus parere debuit, sed etiam alios ne præterirent insinuare. Sit ergo alienus a divinis et pontificalibus officiis, qui noluit obtemperare præceptis apostolicis. »

Sylvester etiam papa de non judicanda prima sede sic ait cap. 6 : *Nemo judicabit primam sedem, justitiam temperari desiderantem. Neque enim ab augusto neque ab omni clero neque a regibus neque a populo judex judicabitur.*

Bonefacius papa de potestate Romanæ ecclesiæ et de his qui erga eam superbiunt, sic ait scribens Eulalio Alexandriæ episcopo : « Olim et ab initio tantam percepimus a beato Petro apostolorum principe fiduciam, ut habeamus auctoritatem universali æcclesiæ auxiliante Domino subvenire, et quidquid nocivum est, auctoritate apostolica corrigere et emendare. Et quia non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia dicentis : *Tu es Petrus, et su-*

per hanc petram edificabo æcclesiam meam, et hæc quæ dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in sede apostolica extra maculam semper est servata religio catholica. De qua spe et fide separari minime cupientes, et patrum constituta sequentes, anathematizamus omnes qui contra sanctam Romanam et apostolicam ecclesiam superbiendo suas erigunt cervices, sequentes in omnibus apostolicam sedem et prædicantes omnia ejus instituta ; et per omnia spero ut in una communione vobiscum, quam sedes apostolica prædicat, esse merear, in qua est integra et vera christianæ religionis et perfecta soliditas. Promittens sequestratos a communione catholicæ ecclesiæ omnes non consentientes sedi apostolicæ et eorum nomina inter sacra ministeria non esse recitanda. Dampnans et antecessores et successores meos, et omnes qui sanctæ Romanæ et apostolicæ ecclesiæ privilegia cassare nituntur. »

Et quod Romana æcclesia a nemine sit appellanda, Gelasius scribens omnibus episcopis cap. 4 (fol. 109') : « Cuncta per mundum novit æcclesia, quod sacrosancta Romana æcclesia fas de omnibus habeat judicandi, neque cuiquam liceat de ejus judicare judicio. Siquidem ad illam pertinet de qualibet mundi parte judicare, ipsam autem nemo est appellare permissus. Sed nec illa præterimus, quod apostolica sedes sine ulla synodo præcedente et solvendi quos synodus iniqua dampnaverat, et dampnandi quos oportuerit habet potestatem, et hoc nimirum pro suo principatu quem beatus Petrus apostolus Domini voce et tenuit semper et tenebit. » Et Kalistus papa in decretis cap. 1 : *Quidquid sine discretione justitiæ contra Romanæ ecclesiæ disciplinam actum fuerit, ratum habere ratio nulla permittit.* Nicholaus quoque de contemptu sedis apostolicæ universali synodo præsidens dixit : « Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones vel decreta pro catholica fide, pro ecclesiastica disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum vel interdictione imminentium vel futurorum malorum, a sedis apostolicæ præsule salubriter promulgata contempserit, anathema. Si anathema est, qui contemnit decreta apostolica, quid meretur, qui in reverendam sanctis omnibus apostolici nominis majestatem manum injicite [375] n n timet extendere ? Et ut tandem invincibili Dei gladio feriamus [376], audiant impugnatores [377] veritatis, propugnatores perversitatis [378], ex verbis beati Petri [379] apostoli cui præjudicium fecerunt quid mereantur. Si quis, ait, hunc, ad Clementem loquens, contristat, Christum qui ei cathedram docendi tradidit non recipit, et tamquam [380] qui Christum non susceperit, nec Domini fratrem [381] suscepisse judicabitur, et ideo nec ipse suscipietur in regno cœlorum. » Qui supra [382] de episcopis loquens : *Qui*, inquit, *episcopos vexant, aut ammovere vel dampnare nituntur, ipsum Dominum dampnare per prophetam videntur, et ideo usque ad satisfactionem dampnati sunt.* Et post pauca : *Qui*, inquit, *his resistit, Deo resistit, et qui eis injuriam vel contumeliam facit, Deo cujus legatione junguntur facit.* Sufficiunt ista, an adhuc ad confutandam adversæ partis ineptiam pluriora de scripturis [383] querimus testimonia? Accedat et Jheronimus, dicat et ipse quid mereatur qui judicium sedis apostolicæ reprehenderit. Audiant malivoli ut instruantur, justi et benivoli ut roborentur et in fide catholica confirmentur. Ait inter cetera scribens ad Damasum : *Hec est fides, beatissime papa, quam in ecclesia catholica didicimus, quamque semper tenuimus, in qua si minus perite aut parum caute forte aliquid positum est, emendari cupimus a te, qui Petri et fidem et sedem tenes. Si autem hec nostra confessio apostolatus tui judicio comprobatur, quicumque me culpare voluerit, se imperitum vel malivolum, vel etiam non catholico nomine hereticum comprobabit.* Secundum hec ergo beatissimi Jheronimi dicta, que nullus fidelium ambigit veritate subnixa, quisquis judicia reprehendit apostolica, heretica notatur infamia. Augustinus quoque dum tractaret de his, qui sunt inter hereticos computandi, vel qui non, sic ait inter cetera : « Dicit Apostolus : *Hereticum hominem post primam et secundam correptionem devita. sciens quia subversus est ejusmodi, et peccat in semetipso dampnatus* (*Tit.* III, 10.) Sed qui sententiam suam quamvis falsam atque perversam nulla pertinaci animositate defendunt præsertim quam non audatia suæ præsumptionis perceperint, sed a seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, querunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati cum invenerint, nequaquam sunt inter hereticos computandi » Quibus in verbis aperte ostenditur, eos procul dubio inter hereticos computandos, qui sententiam suam falsam et perversam et errorem infami mente concretum, audatia præsumptionis adinventum, pertinaci animositate defendere moliuntur, veritatem respuentes, a gremio matris ecclesiæ recedentes, unitatem scindentes, sanam doctrinam abjicientes, errorum spinis viscera materna scindentes, et præter id, quod evangelizatum est universali ecclesiæ, quod tenet, quod docet, aliena docendo anathematis apostolici interminationem non verentur, quorum nisi resipiscant certus est interitus. Qui si dixerint obediendum potestati quoniam non est potestas nisi a Deo, et qui resistit potestati Dei ordinationi resistit, audiant qu d idem Augustinus ad hec respondens dicat : « Quid inquit, resistit potestati, Dei ordinationi resistit ; sed quid, si illud jubeat, quod non debes facere, hic sane contempne potestatem, timendo potestatem. (Fol. 109'.) Ipsos humanarum dignitatum gradus ad-

VARIÆ LECTIONES.

[375] -ilicite *dilctum*. [376] De gladio fe-*ex conj. suppl.* [377] - atores *deletum*. [378] perver-*deletum*. [379] Petri *deletum*, [380] - nquam *deletum*. [381] fra-*ex conj. suppl.* [382] -pra *deletum*. [383] -ris *deletum*.

verte. Si aliquid jusserit procurator, nonne faciendum est? Tamen si contra proconsulem jubeat, non utique contempnis potestatem, sed eligis majori servire. Non hinc debet minor irasci si major prælata est. Rursum si aliquid proconsul jubeat, et aliud imperator, numquid dubitatur illo contempto illi esse serviendum? Ergo si aliud imperator, et aliud Deus, quid judicatis? Major potestas audienda est. Da veniam, tu carcerem, ille gehennam minatur. Hinc jam tibi assumenda est fides tua tanquam secutum, in quo possis omnia jacula inimici ignita extingere. »

Sed fortasse domini et utinam fratres nostri decreta apostolica et canonicas sanctiones aut non legerant, aut lecta vel audita surda aure præterierant, aut quod mage credendum est, et legerant et audierant, et lecta vel audita tenaci memoriæ commendarant, sed domino suo imperatori fideles adjutores et cooperatores haberi volunt cui juraverunt, cui per manus et sacramenta hominium fecerunt. Attendant hii qui hujusmodi sunt, quid de sacramentis episcoporum dicat Cornelius papa. Cornelius episcopus Rufo episcopo : *Sacramentum hactenus* [384] *a summis sacerdotibus vel reliquis fidelibus* [385] *recta fide minime cognovimus, sed* [386] *sponte eos jurasse comperimus. Sacramentum* [387] *igitur episcopis nescimus oblatum, nec a quoquam* [388] *fieri debet.* Pius quoque papa de [389] multimodis juramentis loquens : *Qui* [390], ait, *per capillum Dei vel caput juraverit* [391], *vel alio modo blasphemia contra Deum confessus* [392] *fuerit; si est ex æcclesiastico ordine* [393], *deponatur, si laicus, anathematizetur. Et si auis per creaturas juraverit* [394], *accerrime castigetur, et juxta id quod synodus dijudicaverit sustineat* [395]. Et Cornelius papa in eodem : *Hæc*, ait, *sunt* [396] *sanctorum patrum instituta; quæ si quis in vanum duxerit vel violare præsumpserit* [397], *hostis est animæ suæ, quia nemo contra prophetas, nemo* [398] *contra apostolum, nemo contra evangelium facit* [399] *aliquid absque periculo.* Audiant igitur ministri et provisores æcclesiarum qui Romanæ ecclesiæ præjudicium fecerunt, quid Gelasius papa decernit de privilegio imperatorum et omnium sanctæ Dei æcclesiæ sacerdotum. « Si, inquit, imperator catholicus est, salva pace ipsius dixerim, filius est, non præsul ecclesiæ. Habet privilegia potestatis suæ quæ administrandis publicis rebus divinitus consequutus est, et ejus beneficiis non ingratus contra dispositionem cœlestis ordinis nichil usurpet. Ad sacerdotes enim Deus voluit quæ ecclesiæ disponenda sunt pertinere, non ad seculi potestates, quas, si fideles sunt, ecclesiæ suæ et sacerdotibus esse voluit subjectas. Non sibi vindicet imperator alienum jus, et ministerium quod alteri deputatum est, ne contra eum abrupte tendat a quo omnia constituta sunt, et contra illius beneficia pugnare videatur a quo propriam consequutus est potestatem. Non a legibus publicis, non a potestatibus seculi, sed a pontificibus et sacerdotibus omnipotens Deus christianæ religionis clericos et sacerdotes voluit ordinari, et discuti et recipi de errore remeantes. Imperatores christiani subdere debent exequutiones suas ecclesiasticis præsulibus non præferre. Hec, inquit Gelasius, de privilegio imperatorum et omnium ait sanctæ Dei ecclesiæ sacerdotum. »

Possemus et de sacramentis injustis minime observandis multam exemplorum copiam de scriptis patrum orthodoxorum Augustini, Jheronimi et ipsius Romanæ eloquentiæ fluvii, beati scilicet Ambrosii, deflorare, quod non semper solvenda sunt promissa omnia, contra eos qui dicunt obediendum regibus, imperatoribus et dominis omnibus quibus juratum est, quidlibet faciat, quidlibet jubeat; et hoc ad patrocinium sui erroris assumunt, quod in Petri epistola positum est : *Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis sed etiam discolis* (*I Petr.* II, 18). Quibus breviter respondemus, quod et nos subjectionem competentem discolis non negamus, sed discola jubentibus non obedimus. (Fol. 110.) Quod vero dicitur *in omni timore*, illum intelligimus timorem de cujus possessore dicitur : *Qui timet Deum, faciet bona* (*Eccli.* XV, 1); et : *Beatus qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis* (*Psal.* CXI, 1); et : *Initium sapientiæ timor Domini* (*Psal.* X, 10). Et Paulus in epistola ad Titum : *Admone*, inquit, *illos principibus et potestatibus subditos esse et obedire ad omne opus bonum* (*Tit.* III, 1). Quem locum disserens beatus Jheronimus ita conclusit : *Si bonum est quod præcipit imperator et præses, jubentis obsequere voluntati. Si vero malum est et contra Deum sapit, responde illud de Actibus apostolorum : « Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (*Act.* V, 29); » et super epistolam ad Titum : *Servi subditi sint dominis suis in omnibus quæ non sunt contraria Deo, ut si dominus ea jubet quæ non sunt adversa scripturis sanctis, subjiciatur domino servus; si autem contraria præcipit, magis obediat spiritus quam carnis domino.* Item in eadem pulchre imperans servis uti obediant dominis, addidit : *tamquam Christo*, ut scilicet non audiat servus ad naturalem dominum, si contraria præceptis Domini voluerit imperare.

Hec igitur contra illos qui adversus Deum tumide insani desipiunt, qui clavigeri ætherei vicarium divinitus electum, ab omni christianitate susceptum, sanctitate conversationis perspicuum, diuturnitate temporis confirmatum, quia viciis suis concinnare non vident, dejicere, pro pudor! conati sunt, paucis

VARIÆ LECTIONES.

[384] hactenus *deletum.* [385] fidelibus *deletum.* [386] sed *deletum.* [387] mentum *deletum.* [388] a quoqu- *deleta.* [389] de *deletum.* [390] Qui *deletum.* [391] -verit *deletum.* [392] Deum confess- *deleta.* [393] ord- *deletum.* [394] jur *deletum.* [395] sustin- *deletum.* [396] Hæc ait *delete.* [397] præsum- *deletum.* [398] nem *deletum* [399] facit *deletum.*

dicta sint. Quorum conatus nefarios et impia molimina ipsa destruit divinitas, quæ regis Egypti significi dum virtute Dei patrata suis fallatiis moliuntur obscurare, dum in angelos lucis se transfigurant, dum speciem pietatis prætendunt et ejus virtutem abnegant, corrupti et aphominabiles facti in vanitatibus suis, *sepulcrum patens est guttur eorum venenum aspidum sub labiis eorum* (*Rom.* III, 13). Ad nichilum devenient tamquam aqua decurrens, quia *ova aspidum ruperunt et telas araneæ texuerunt* (*Isa.* LIX, 5), quibus melius fuerat malignorum spirituum consilia non recipere aut intra cordium penetralia concepta abscondere, que figurantur per aspidum ova, quam pro hujus mundi concupiscentia temporalia quelibet operari, nec sibi nec aliis profutura, quia nulla stabilitate fundata, quod exprimitur per aranearum telas. Verum quia sibi nimium creduli, et scripturarum auctoritatibus increduli, fecerunt quod non oportebat, evenit eis quod docebat. Nam sequitur : *Qui comederit ab ovis eorum morietur*, quia qui eorum consilia receperit, vitam in se animæ extingit. *Et quod conditum est erumpet in regulum*, quia per suscepta et enutrita iniquitatis consilia in corpus antichristi adcrescit, qui per consilium malignitatis eorum corde tectum ad plenam iniquitatem enutritur, de quibus recte subjicitur : *Caput aspidum suxerunt* (*Job* XX, 16), quia videlicet latentes suggestiones inmundorum spirituum prava prius persuasione susceperunt, sed occidit eos jam lingua viperæ, quia capti leni subreptione dæmonum, veneno violentæ temptationis enecati sunt, et quid dicam enecati sunt? Jam sepulti, jam mole desperationis premuntur, jam pessimæ consuetudinis et consuetæ nequitiæ eorum fetore fideles gravantur, quatridiani enim sunt (*Joan.* XI, 39). Jamnon tantum sorores, affines et parentes, sed et mater ecclesia quæ eos parturivit et lacte fidei imbuens enutrivit, utinam non ad pabulum ignis æterni, fetorem eorum sustinet. Sed potens est Christi dextera et hos suscitare, et fidem in eis firmam redintegrare, quæ potest de lapidibus suscitare filios Abrahæ. (Fol. 110'.) Quorum dampnationem quia mater æcclesia viscerum suorum torsiones et parricidales manus quondam filiorum non sustinens gemit, videamus jam quid amicus sponsi egerit, quomodo ab eorum communione et societatis participatione filios prohibuerit, postremo qualiter nisi resipuerint gladio anathematis ultionem noxiis intentaverit. Ac primo quidem signiferi ipsius et incentoris malorum feriendam judicavit maliciam et sic in corpus malorum acuendam gladii limati et evaginati mucrone vindictam.

Heinricus igitur, cujus mentem torpor iniquitatis constrinxerat, causa dissensionis et seminarium malitiæ et nequitiæ, in Romana synodo pro suis iniquitatibus a beatissimo papa excommunicatus cum complicibus suis atque fautoribus et a regno est depositus (*Febr.* 22), ut sola vexatio intellectum daret auditui, et quorum oculos culpa clauserat, pena aperiret. Nescit enim impietas mala quæ fecit, nisi cum pro eisdem malis ceperit jam puniri. Omnes etiam, qui ei juraverant vel juraturi erant, a vinculo juramenti sunt absoluti licentia et auctoritate apostolicæ libertatis. Hoc cur et qualiter actum sit ab apostolico, Agnes imperatrix, mater ipsius Heinrici, interrogata respondeat. Ita enim dicit scribens Altmanno Pataviensi episcopo :

« Agnes Dei gratia quidquid est, Altmanno Pataviensi episcopo salutem et carissimam dilectionem Me sospitem Deo adjuvante paternitati tuæ innotescat, sed maximo afficior merore, quod maximum video æcclesiæ imminere periculum, filio meo nimium verbis stultorum credulo. Ea quæ modo gesta sunt in Romana synodo, quoniam ut tibi referrem mandasti, referam. Legati filii mei regis venerunt in synodum, et coram omnibus dixerunt apostolico ex parte filii mei, ut surgeret et dimitteret sedem apostolicam, quam non canonice sed rapina adeptus esset. Qui statim a Romanis capti sunt. Similiter archiepiscopi, Moguntinus omnesque episcopi illius partis, miserunt per eosdem legatos litteras, se deinceps nullam obedientiam exibituros apostolico ; hoc idem Langobardorum episcopi jure jurando decreverunt. Quare dominus papa omnes qui sponte consenserunt, officio et communione privavit, eisque qui coacti assensum præbuerunt, usque ad festivitatem sancti Petri inducias dedit ; filium vero meum regem ob hæc et quia excommunicatis communicat, et quia de sceleribus suis penitentiam agere recusat, regia dignitate privavit et anathematis gladio percussit omnesque qui sibi juraverant juramento absolvit. Valete. »

(Fol. 111.) Ecce testimonium matris de præsumptione, rebellione et iniquitate filii, metus de periculo ecclesiæ imminenti, confutatio et exprobratio illorum quorum factiosis hæc sunt machinata et attemptata consiliis ; quid ad hæc dicta, quid responsuri, quid objecturi sunt catholicæ partis adversarii? Ecce jam regem suum, quem super altitudinem nubium extollere, immo quem contra Dominum et Christum insurgere docuerunt, jam non regem sed tyrannum affectatæ superbia potestatis susceperunt. Ut enim ait Ysidorus in libro Sententiarum, *rex a recte agendo vocatus est*. Si pie, juste et misericorditer regit, merito rex appellatur. Si his caruerit non rex sed tyrannus est. Et ut idem scribit in libro Ethimologiarum : *Antiqui omnes reges tyrannos vocabant ; sed postea pie juste et misericorditer regendo regis sunt nomen adepti. Impie vero, injuste et crudeliter principantibus non regis sed tyrannicum aptatum est nomen.* Rex igitur jure vocatur qui tam se ipsum quam et subjectos bene regere novit et regendo pacificare, qui cultum regiæ dignitatis sanctæ subjicit religioni, qui magis in timore servire Domino quam in tumore delectatur dominari populo, in quo lenitas iracundiam mitigat, potestatem benignitas ornat, qui sub-

jectis sal diligendum
quam met m tenet ut

misericordiam non relinquat, qui se præ omnibus ita sanctæ ecclesiæ catholicæ filium meminit, ut ejus paci atque tranquillitati per universum mundum suum prodesse faciat principatum. Quomodo enim reges serviunt Domino in timore, nisi ea quæ contra Domini jussa fuerint religiosa severitate prohibendo atque plectendo? Aliter enim juxta Augustinum servit quia homo est, aliter quia rex est. Quia homo est, servit vivendo fideliter : quia rex est, servit leges justa præcipientes et contraria prohibentes convenienti vigori sanciendo. *Omnes enim res*, ait Leo papa scribens Pulcheriæ augustæ cap. 10, *aliter tutæ esse non possunt, nisi quæ ad divinam confessionem pertinent, et regia potestas, et sacerdotalis defendat auctoritas.* Si igitur imperator aut cognoscit se ovem esse gregis dominici; si inter sacra altaris cum veneratione se subjicit manibus sacerdotum; si beatæ trinitatis cultum fide quidem sua sed sacerdos prædicatione servat; si non tam dominari se mundo, quam dominari sibi Christum gloriatur; si meminerit a quo factus est, et quo invitatur, quantum sibi præstitum sit, et quanti beneficii Deo debitor est; si misericors terrori mansuetudinem, si temperat spe minas ; si sursum semper respicit; si Deo misericordiam generat; dico cum Johanne Crisosthomo Christo conregnat, immo in Christi regno quæ sunt humana dispensat. Regale ergo est ministerium Dei populum gubernare et in justitia et equitate regere; defensorem esse ecclesiarum, tutorem pupillorum et viduarum, liberare pauperem a potente et inopem cui non est adjutor ; et cum beato Job molas iniqui conterere et dedentibus illius prædam auferre; patrem esse pauperum, oculum cæcorum et pedem claudorum. Hec qui fecerit, auris audiens beatificabit eum, et in eo consolabitur cor viduæ.

Invenit itaque tyrannus hic foveam dejectionis, dum se plus equo [*i. e.* æquo] sustulit in culmine pompaticæ potestatis. Nam ut ait mitissimus doctor Gregorius : *Apostatæ angelo similis efficitur, dum homo homini esse similis dedignatur.* Neque hoc dicentes impugnamus regiam potentiam, quæ quidem ordine suo bona est, sed cauta regentis indiget vita. Bona est, si sciat quis sumere ex illa quod adjuvat, expugnare quod temptat. Semper autem est amica potestati impatientia et ei male subjectæ etiam imperat, quia quod ipsa sentit, potestas exequitur. Et utinam potestas ista ita perversa egisset, ut aliis non propinasset; utinam mors illi sua suffecisset, et non virulentis persuasionibus etiam aliorum vitam necasset. Ipsam tamen ejus perversitatem domnus papa studio rectæ emulationis, non zelo furoris insectatus est. Sed juxta Jheremiam *frustra conflavit conflator; maliciæ enim impiorum non sunt consumptæ* (*Jer.* VI, 29). Ecce enim ignis excommunicationis apostolicæ exterius conflans duræ inustionis admovit penam, et tamen erroris non excoxit culpam. (Fol. 111'.) Adustus est igne anathematis, segregatus est a consortio christianæ communionis, sed nisi redeat ad unitatem matris ecclesiæ, a quo errore scismatis deviaverat, comburi potest, mundari non potest; quia auro locus est in quo conflatur, a quo quisquis recesserit, etsi luceat, aurum tamen esse desiit, nec clarescit fulgore pulchritudinis, nisi redintegratus et incorporatus ecclesiæ, hic prius arserit in officina caritatis, sed noluit Dominus opera impiorum, et idcirco inducit noctem et conterentur (*Job* XXXIV, 25). In nocte enim iniqui conteruntur, cum peccatorum præcedentium confusione dampnantur. Quod exponens beatus Gregorius : « Omne, ait, peccatum quod tamen cicius penitendo non tergitur, aut peccatum est et causa peccati, aut peccatum et pena peccati. Peccatum enim quod penitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud peccatum trahit. Unde fit ut non solum peccatum sit, sed et peccatum et causa peccati. Ex illo enim vicio culpa subsequens oritur, ex quo mens cæca ducitur, ut pejus ex alia ligetur. Sed peccatum quod ex peccato oritur, non jam peccatum tantummodo, sed peccatum est et pena peccati, quia justo judicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, ut præcedentis peccati merito etiam in aliis cadat. Quod videlicet agitur superius dispositione ordinata, inferius iniquitate confusa, ut culpa præcedens sit causa subsequentis, et rursum culpa subsequens sit pena præcedentis. » Quod totum in hoc iniquorum omnium capitis membro et complicibus ejus advertere possumus, qui quia cognoscentes Deum, peccatum superbiæ intelligendo commiserunt, cæcati sunt ne intelligant quod committunt; traditi in reprobum sensum, ut putent se posse divinæ auctoritatis jura convellere, traditas ab ipso Domino sanctiones destruere, inaudita a sæculis uti præsumptione, divinum illud quidquid est sacramentum prophanare subvertere et dejicere. In quibus profecto hoc agitur, ut culpis culpa feriatur, quatinus supplicia fiant peccantium, ipsa incrementa viciorum. Hinc de Domino per psalmistam dicitur : *Immissiones per angelos malos, viam fecit semitæ iræ suæ* (*Psal.* LXXVII, 49). Corda enim eorum prioribus meritis adgravata, juste permissa sunt subsequentibus malignorum spirituum persuasionibus falli, quæ dum digne in culpam trahuntur, reatus earum in pena cumulatur.

(Fol. 112.) Separato ergo Heinrico a communione corporis ecclesiæ et regia dignitate privato, quod semper catholica ecclesia tenuit, quod ab inicio ceptæ christianitatis usque ad monstruosa hæc tempora stabile et inconvulsum perstitit, scilicet non esse communicandum excommunicatis, a fautoribus et complicibus suis sibimet similibus violatum est, et impletum est quod in Danihelis volumine scriptum est, *quia egressa iniquitas a senioribus et judicibus, qui videbantur regere populum* (*Dan.* XIII, 5). Hii enim qui veritatis dicuntur præcones, quibus credita sunt eloquia Dei ad evangelizandum populo, inauditam contritionem ecclesiæ adinvenerunt, communicando regi scelerato et pro sceleribus excommunicato, contra decreta sanctorum canonum et instituta patrum præcedentium, et non abstinen-

dum docendo, et tali se præcipitatione voragini eidem immergendo, non intelligentes quod qui a capite, id est a sede beati Petri, excommunicatis adhærendo dissenserint, juxta sanctiones patrum orthodoxorum pari cum eis dampnatione teneantur adstricti, juxta illud Niceni concilii : *Quod si quis de episcopis, presbiteris, diaconibus seu quilibet ex clero deprehensus fuerit excommunicatis communicare, etiam iste communione privetur, tamquam qui regulam confundit æcclesiæ;* Fabiani quoque cap. 1 : *Quod si quis cum excommunicato avertendo regulas scienter saltim in domo loquutus fuerit vel oraverit, ille communione privetur;* non reverentes illud Augustini quia *quisquis a catholica fuerit separatus æcclesia, quantum laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere quod a Christi veritate disjunctus est, non habet in se vitam, set ira Dei manet super eum.*

Hec igitur est Heinrici quondam regis depositio, hæc est ipsius tyranni fautorumque ejus excommunicatio. Et quia secundum dicta prophetica non erat virga Dei ad correctionem super illos (*Job* XXI, 9), dirigebatur in manu eorum dolus, sicut et de capite omnium scriptura testatur quia *faciet et prosperabitur* (*Dan.* VIII, 12). Qui quanto amplius malis adhærebant, tanto minus intelligebant bona quæ perdebant. Lux enim veritatis quo habita negligitur, eo permittit Deus ut nec amissa requiratur, et pravi quique tanto se inani lætitia extollunt, quanto magis ad pejora convalescunt, quemadmodum scriptum est : *Peccator cum venerit in profundum malorum, contempnet* (*Prov.* XVIII, 3). Perversæ enim mentis est gaudere in iniquitatibus quas flere debuerat. Nam bonæ mentis est vulnus sentire peccati. Qui autem gaudent ad scelera, trahunt quos valent ad perditionem suam, et sub peccatis esse, vel culpis culpas addere, credunt se virtutum opulentia cumulare, de quibus bene per prophetam dicitur, quod esse sub sentibus delicias deputant (*Job* XXX, 7), quia inde perversam mentem ad gaudia sublevant, unde spinas peccatorum portant. Contempnentes [400] enim Deum, minime hic sentiunt quantum sit mali quod agunt. Manere sub sentibus delicias deputant, quia et dura ex præsentis vitæ amore tolerant, et tamen affectu nimiæ cupiditatis obligati, laborem ejusdem tolerantiæ voluptatem putant.

Fautoribus igitur tyranni Heinrici ipsa ejus depositio et excommunicatio versa est in canticum, et domnus papa factus est illis in proverbium. Qui cum audirent excommunicatum regem, præ admiratione se ipsos non capiebant, inpossibile hoc esse proclamabant, a seculo inauditum pronunciabant. Audiamus ergo et nos ab eis illud tantum sacramentum, quod aut regem corrigi prohibeat, aut contumacem canonice notari non consentiat. Quid inverecunde servis Dei opponunt regni fastum? Quod utique si justitia caruerit, a sanctis patribus etiam latrocinium est appellatum. Ait quippe beatus Augustinus in libro quarto De civitate Dei : *Bonus si serviat, liber est; malus etiam si regnet, servus est.* Et beatus Ambrosius : *Misera*, ait, *servitus est servire peccatis, et servile est omne peccatum, libera est innocentia.* Et beatus Augustinus in eodem libro post pauca : *Remota*, ait, *justitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia? quia et latrocinia quid sunt nisi prava regna?* (Fol. 112'.) Manus et ipsa hominum est, imperio principis regitur, pacto societatis astringitur, placiti lege præda dividitur. Hoc malum si in tantum perditorum hominum accessibus crescat, ut et loca teneat, sedem constituat, civitates occupet, populos subjuget, evidentius regni nomen assumit. Quod etiam in manifesto confert, non dempta cupiditas, sed addita impunitas. Coercenda igitur quis neget latrocinia? Si remota justitia nichil aliud sunt regna nisi magna latrocinia, et manus ipsa latrocinantium videtur regi quasi imperio principis præsidentis ad scelera ; ergo coercendus est latrocinantium princeps, coercenda ipsa latrocinia, ut accedente justitia disponantur regnorum jura et cessent latrocinia. Sed et numquid reges excepti sunt, quando ipse Rex regum de disciplina æcclesiastica agens ait principi apostolorum : *Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis* (*Matth.* XVI, 19), et reliqua. Vereantur ergo et reges ab his ligari in terris quorum sententiam Deus confirmat in cœlis. Meminerint se esse non supra æcclesiam sed intra æcclesiam, si tamen non ex eo quod reges dicuntur in gurgitem viciorum aut in tyrannidem effrenantur, sed ex eo quod christiani appellantur per vitæ puritatem et regnantis mansuetudinem Christum imitantur; quem utique, sicut ait beatus Augustinus, *non sequitur, qui non secundum veram fidem et catholicam disciplinam christianus vocatur.* Si vero subsannantes nos contrariæ partis adversarii requisierint quisnam episcoporum reges redarguerit, audiant quid papa Gelasius dicat in epistola quam scripsit Dardaniæ episcopis : « Nathan, inquit, propheta palam publiceque in facie regi David et commissum denunciavit errorem, et ipsum commisisse non tacuit, et confessione correctum consequenter absolvit. Beatæ memoriæ Ambrosius Mediolanensis ecclesiæ sacerdos majorem Theodosium imperatorem a communione publice palamque suspendit, atque ad penitentiam redegit regiam potestatem. Beatæ memoriæ papa Leo imperatorem Theodosium junierem Ephesinæ synodi latrocinio libere coarguit excedentem. Sanctæ memoriæ papa Hylarius Anthemium imperatorem, cum Filotheus Macedonianus ejus familiaritate suffultus diversarum conciliabula sectarum in urbem vellet inducere, apud beatum Petrum apostolum palam ne id fieret clara voce constrinxit, in tantum ut non ea facienda cum interpositione

VARIÆ LECTIONES.

[400] Contepnentes *c*.

sacramenti idem promitteret imperator. Sanctæ memoriæ quoque Simplicius, et post eum sanctæ memoriæ papa Felix non solum Basiliscum tyrannum, sed etiam imperatorem Zenonem pro hisdem ipsis excessibus auctoritate libera sepius increpasse noscuntur, flectique potuisset, nisi Constantinopolitani præsulis accenderetur instinctis, qui particeps externæ communionis effectus, necessario in quod inciderat jam fovebat, malens vi suæ prævaricationis obsistere, quam curandus ad salubria remeare, sicut ipse rerum probavit eventus. (Fol. 113.) Sanctæ quoque memoriæ Innocentius papa Archadium imperatorem, quia consensit ut sanctus Johannes Crisostomus de æcclesia pelleretur, excommunicavit. (Fol. 112'.) Ecce nuper Onorico Wandalorum regi vir magnus et egregius sacerdos Eugenius Carthaginensis episcopus multique cum eodem catholici sacerdotes constanter restitere sevienti, cunctaque extrema tolerantes, hodieque persequutoribus resistere non omittunt. (Fol. 113.) Nos quoque Odoacro barbaro heretico regnum Italiæ tunc tenenti, cum aliqua non facienda præciperet, Deo præstante nullatenus paruisse manifestum est. » Hec Gelasius. Reliquum est, ut et nos exempla querentibus testimonia rei et tempori congrua ex decretis canonicis et scripturis autenticis proferamus, et in domo Dei, si aurum argentum lapides prætiosos non possumus, saltem quia sic nobiscum bene agitur, vel pilos caprarum offeramus. Ut ergo aliquanto superiora repetamus, beatæ memoriæ Fabianus papa Philippum imperatorem, primum omnium imperatorum christianum, eum voluisset in paschalibus festis communicare vivificis misteriis, inter penitentes stare præcepit, quoad culpas, quæ de eo plurimæ ferebantur, per penitentiæ lamenta dilueret; quod et religiosissimus princeps gratanti animo suscepit. Cujus humilitas, ut jam alibi diximus, tanto mordacius tumorem regum nostrorum impetit, quanto religiosius ille disciplinam æcclesiasticam in tam rara recentique christianitate suscepit, quam hii in jam matura et dilatata nec audire consentiunt. Beatus Ambrosius maximum imperatorem a communione segregavit, admonens ut effusi sanguinis domini sui penitentiam ageret. Eugenium quoque imperatorem quia de repetenda ara victoriæ se sacrilegio miscuit, idem Ambrosius munera ejus sprevit et ab æcclesia eum et complices ejus abjecit. Sanctæ memoriæ quoque papa Gregorius III removit Romam, et Italiam, et omnia tam rei publicæ quam æcclesiasticæ jura in Hesperiis partibus ab obedientia Leonis imperatoris et imperii sub eo constituti. Johannes etiam, non papa aut episcopus sed monachus et presbiter Damascenus, doctor optimus, eundem Leonem cum Orientis episcopis anathemati subdidit. Beatæ memoriæ Zacharias papa Hildericum ultimum de stirpe Merovingorum regem a regno deposuit, et in monasterium detrudi jussit, et Pippinum in honore regni sublimari constituit. Stephanus quoque Romanus pontifex, successor ejus, eumdem Pippinum in regno constituit, et omnes Francigenas a juramento fidelitatis absolvit. (*Ann. Fuld.* a. 854.) Ludovicus etiam Pius imperator in Elisatiam profectus, occurrentibus ei ibi filiis suis cum Gregorio IV Romano pontifice, judicio episcoporum arma deposuit, et ad penitentiam agendam aliquanto tempore privatus aut sicut in gestis Francorum legitur inclusus victitavit. (*Ibid.*, a. 863, sqq.) Legat etiam in eodem volumine qui scire voluerit, quid a beato Nicholao papa adversus Lotharium regem et conplices fautoresque ejus actum sit pro Tietberga regina repudiata, et Waldrada adultera subintroducta. Sanctæ memoriæ quoque Germanus Parisiorum episcopus Aribertum regem, quia uxore legitima derelicta duas sibi in matrimonium junxerat, excommunicavit; qui quia correctus non est, judicio Dei percussus mortuus est. Niceforus quoque patriarcha Constantinopolitanus, vir catholicus, considerata difficultate et incursione barbarorum intolerabili, Michaelem imperatorem, quia aliquoties congressus cum barbaris sine triumpho reversus fuerit et inglorius, deposuit, et una cum Procopia augusta natisque suis monastico induit indumento. (Fol. 113'.) Et ut innumerabilia prætermittamus testimonia, dicant qui reges ab æcclesiastica disciplina et per hoc a Deo volunt alienare, utrum in omni divinarum Scripturarum serie, in quibus diversarum sectarum heretici leguntur dampnati fuisse, imperatores videantur excepti; verbi gratia, ut cum Arriani dampnantur, Constantius imperator, aut Walens, aut aliquis regum Arriano cæno sordentum excipiatur? Sed jam ipse domnus papa, qui membra putrida et emortua præcidit ab unitate corporis, porrigat et obtendat contra obloquentes et subsannantes et maledicta jacientes clipeum defensionis. Ait itaque scribens fidelibus in Theutonicorum regno commorantibus et de excommunicatione regis dubitantibus :

« Gregorius (168) episcopus, servus servorum Dei, omnibus episcopis, ducibus, comitibus ceterisque fidelibus in regno Theuthonicorum christianam fidem diligentibus salutem et apostolicam benedictionem. Audivimus quosdam inter vos de excommunicatione quam in regem fecimus dubitare, » etc. (*Vide inter epist. Gregorii VII, Patrologiæ* tom. CXLVIII).

Scripsit et aliam epistolam, intuitu discretionis, pietatis et misericordiæ dulcedine plenam, pro reconciliatione quorumdam; ut si qui ad Deum reverti voluissent, haberent paratum præ oculis medicamentum reconciliationis, ne alicui egritudine prævento obesset, quod ad sedem apostolicam occurrere non posset; et ut nulla haberetur communionis societas cum excommunicatis :

« Gregorius episcopus, servus servorum Dei,

NOTÆ.

(166) Exstat et in codice Udalrici 146 et apud Bernriedensem c. 78. K.

omnibus in Christo fratribus, episcopis, abbatibus, sacerdotibus, ducibus et principibus atque militibus, omnibusque christianam fidem et beati Petri honorem revera diligentibus in Romano imperio habitantibus, salutem et apostolicam benedictionem. Gratias agimus omnipotenti Deo, » etc. (*Exstat Regi:tri* lib. IV, n. 1).

Hec igitur pro reconciliatione regis et aliorum ab ecclesia alienatorum pius pater dabat mandata fidelibus ; cui tamtus [401] inerat justitiæ splendor, ut suam postponeret salutem, quo matri ecclesiæ antiquam redderet libertatem. Non enim eum movebant salutis pericula pro justitia suscepta vel suscipienda. (Fol. 116). Ita enim animum suum informaverat, ut neque divitias, neque voluptates, neque honores in maximis constitueret, neque in his studium suum omne contereret, quin potius illud decorum et honestum ita sibi proposuerat, ut quidquid ei accidisset quo frangi homines solent, quasi superior non sentiret. Sollicitus etiam erat, juxta beatum Ambrosium, ne quid temere aut incuriose ageret, ex quo probabilem non posset rationem reddere. Pretendebat animo ut bonus speculator, ut appetitus rationi lege naturæ subditus, neque præcurreret rationem neque deserere: ; ne præcurrendo perturbaret eam atque excluderet, et deserendo destitueret. Verum Heinrici perturbata mens effuso appetitu, tamquam efferato impetu frenos rationis non suscipiebat, nec sentiebat aurigæ moderamina, ideoque flecti non poterat. Nec deerant qui missas papæ epistolas ei referebant, sed quæ facere despiciebat, etiam scire contempnebat, ex [402] verbis tamen pietatis meditabatur venena iniquitatis, Arrogantis enim est proprium de suis malis bona estimare, de alienis bonis bona sentire. et bonæ pondus actionis vertere in maculam criminis. Dum ergo ex condescensione et compassione caritatis meditaretur arma furoris, audiamus quomodo patris nostri virilis animus, astutia serpentis et columbina simplicitate præditus, velut de specula mentis cogitatione provida obviaverit conatibus ejus iniquis. Ait itaque scribens fidelibus eisdem quibus et supra :

« Gregorius episcopus, servus servorum Dei, eisdem omnibus salutem et apostolicam benedictionem. Postquam fraternitati vestræ epistolam direximus, » etc. (*Vide inter epistolas Gregorii*).

Non mireris cum regem nominari licet depositum, cum et mortui pristino nominentur vocabulo. Sic quoque sanctus Gregorius episcopum inrevocabiliter depositum usurpato nomine episcopi censebat nominari, cui tamen nichil depositæ dignitatis restituere volebat. Quid etiam beatus papa ad legationem illam regis se minime regentis, pro qua etiam in Romana est synodo depositus, responderit, quomodo tota Spiritum sanctum mente concipiens intonuerit subinferatur (fol. 116') :

« Gregorius episcopus, servus servorum Dei, omnibus qui cupiunt annumerari inter oves Christi, quas beato Petro commisit, salutem et apostolicam benedictionem. Audistis, fratres mei, novam et inauditam præsumptionem » etc. (*Exstat Registri lib.* III, *n.* 6).

(Fol. 116'.) Anno ab inc. Dom. 1078, indictione 1, pontificatus ejus anno 5, mense Martio, Gregorius papa VII, Romanæ synodo episcoporum centum præsidens, dixit post aliqua : *Ordinationes illorum qui ab excommunicatis sunt ordinati, sanctorum Patrum sequentes vestigia*, etc. (*Vide in Gregorio VII, Acta synodi Romanæ* I.

(Fol. 116'.) (*Acta concil.* 1079.) Anno ab incarnatione Domini 1078, mense Februario, indictione 2, pontificatus domni papæ Gregorii VII, anno 6, convocatum est concilium ex diversis partibus orbis et omnibus in ecclesia Salvatoris Romæ congregatis, habitus est sermo de corpore et sanguine Domini (167). Maxima siquidem pars panem et vinum per sacræ orationis verba et sacerdotis consecrationem Spiritu sancto invisibiliter operante converti substantialiter in corpus dominicum quod in cruce pependit, et in sanguinem qui de ejus latere fluxit, asserebat : quidam vero cæcitate nimia perculsi, figuram tantum astruebant. Verum ubi res cepit agi, priusquam tertia die ventum foret in synodum, defecit contra veritatem niti pars altera. Denique Berengarius, hujus erroris magister, post longo tempore dogmatizatam impietatem errasse se coram concilio confessus, veniam postulatam ex apostolica clementia meruit, juravitque sic : « Ego Berengarius corde credo et ore confiteor, panem et vinum, quæ in altari ponuntur, per mysterium sacræ orationis et verba nostri Redemptoris substantialiter converti in veram et propriam ac vivificatricem carnem et sanguinem domini nostri Jesu Christi, et post consecrationem esse verum corpus Christi, quod natum est de Virgine, et pro salute mundi oblatum in cruce pependit, et quod sedet ad dexteram Patris; et verum sanguinem Christi qui de ejus latere fusus est, non tantum per signum et virtutem sacramenti, sed in proprietate naturæ et unitate substantiæ, sicut in hoc brevi continetur, et ego legi, et vos intelligitis, sic credo : nec contra hanc fidem ulterius docebo. Sic me Deus adjuvet, et hæc sacrosancta evangelia. » Tunc domnus papa præcepit Berengario auctoritate apostolica, ut de corpore et sanguine Domini numquam ulterius cum aliquo disputare vel docere præsumeret, excepta

VARIÆ LECTIONES.

[401] *ita c.* [402] in *supra posito* vel ex *cod.*

NOTÆ.

(167) Acta concilii apud Mansi XX, 525.

causa reducendi ad fidem eos, qui per ejus doctrinam ab ea recesserant.

(Fol. 117.) Hoc anno obiit Grimoldus abbas sancti Vitoni, dum a Roma regrederetur, et sepultus est Mantuæ in æcclesia sancti Andreæ apostoli 14 Kalendas Julii, cum jam ipsam ecclesiam tertio anno regeret domnus Rodulfus abbas, ipso Grimoldo de prælatione abbatiæ excusato. Erat enim simplicis naturæ.

Hoc etiam anno, qui erat ab incarnatione Domini 1078, regimen prælationis apud Casam Dei Siguinus quondam Lugdunensis canonicus, natalibus clarus, morum probitate coruscus, nunc felici beatus excessu [403]. Sub quo ordinatus est abbas Fraxinensis (168) ecclesiæ Pontius a domino papa Gregorio, qui post aliquot annos infestatione Heinrici dicti regis abbaciam dimisit, quesita a domno Anselmo Lucensi episcopo licentia, et optenta per hæc verba : « P. dilectissimo in Christo confratri, A. omnium episcoporum minimus, salutem in Christo. Tanto diligentiores nos et sollicitiores vos erga salutem animæ tuæ esse convenit, quanto magis de nostra caritate fraternitas tua confidit; ne, quod absit, nostra negligentia sanctum desiderii tui fervorem extinguat, et sanguinem tuum in districto suo judicio omnipotens Dominus de manu mea requirat. Credidi domni abbatis et sanctæ congregationis Casæ Dei, necnon venerabilis patris nostri H. Lugdunensis archiepiscopi obedientiam, cum benedictione apostolica beatissimi patris nostri G. omnibus iniquitatibus majorem esse, et non solum ad detergendam omnem maculam iniquarum cogitationum, verum etiam ad promerendam requiem æternam posse sufficere, nisi tu non credendo indignum efficeres, et gratiam Dei in vacuum reciperes. Omne enim quod non est ex fide, peccatum est, ita ut in his etiam qui tradere videntur corpora sua propter Deum ad supplicia, mors operetur, non vita, vim ex sua diffidentia quodammodo omnipotenti Deo difficultatem perficiendi ingerat, qui omnes salvos fieri desiderat, sicut ipse in Evangelio dicit : « Calicem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram, non est meum dare vobis. » Tibi itaque obedienti, tibi firmiter credenti, tibi omnem spem tuam in virtute sanctæ ecclesiæ collocanti promissa est venia, tibi vero aliud agenti, aliud simulanti, nulla relinquitur fiducia, si corpus tuum tradideris ita ut ardeat. Scis quia multoties in fide mea te suscepi, hac tamen condicione, ut curam regiminis tibi injunctam cum omni sollicitudine exiberes, nec ulterius animæ tuæ, sicut tu male credebas, custodiam commissi tibi gregis necessitatibus præponeres; non quæ tua sunt, sed quæ aliorum attenderes. Sed ut video, nulla ratione a sui propositi tramite animus tuus revocari potest. Propterea metuens ne in pejus proficiant ea etiam quæ bona videntur, melius nobis visum est ut cursum suum peragat bonæ intentionis tuæ fluvius, quam contra impetum currens perpetua ariditate dampnetur. Tolerabilius est enim ut tu solus pereas, quam tecum pariter sicut hactenus omnes tibi commissos in discrimen adducas. Sed tamen confidimus, quia tribuet tibi Dominus secundum cor tuum, quem non invenit idoneum ad regimen aliorum secundum cor suum. Si itaque alia via plus tibi placet, nostra licentia depone sarcinam, quam imposuit tibi sola sine caritate necessitas, et sanctis orationibus tuis adjuva me in alia navi laborantem. Saluto per te domnum Lugdunensem archiepiscopum, si tamen rationabilis necessitas a totius orbis internecione excusat. Si enim aut timore, aut negligentia, aut quietis noxiæ amore matrem suam visitare, et liberare de manu mortis distulit, reus erit judicio, nisi sine mora venire et in omnibus auxiliari studuerit. »

(Fol. 117'.) Destinavit autem præfatus papa ad visitandos et corroborandos christianæ fidei propugnatores ad regnum Teuthonicorum descendere, quod et ab illis missis ad meum nunciis, quesitum erat, ut in sua præsentia magis magisque manifestaretur iustitiæ regula, scribens ad omnes beati Petri fideles in hæc verba :

« Gregorius (169) episcopus, servus servorum Dei, omnibus archiepiscopis, episcopis, abbatibus, ducibus, marchionibus, comitibus omnibusque christianam et beati Petri fidem et doctrinam defendentibus et observantibus, in omni regno Theuthonicorum habitantibus, salutem et per beatorum Petri et Pauli benedictionem omnium peccatorum absolutionem. Ego qualiscumque sacerdos apostolorum principis, » etc.

(1076.) Plures itaque illorum, quos in apostolici depositione desipuisse diximus, cognito peccato inobedientiæ, penitentia ducti, ad Deum post errata reversi sunt, levantes ad Deum faciem cordis, a quo recesserant consentiendo iniquitati. Replebatur os eorum increpationibus, et dum contra se subtile judicantis Dei examen contemplabantur, culpas suas lamentis insequebantur, seque penitendo increpabant quales fuerant, amara se penitentiæ invectione persequentes. Penitentis enim est proprium tunc culpas plangere, cum quid egerit cœperit pensare, et tunc subtilius pensare, cum sollicitius ceperit plangere. Hii ergo absolutione quæsita et obtenta, consilium dederunt regi, ut sicut ipsi erant absoluti, ita et ipse studeret absolvi vinculis anathematis; adjicientes, quia si annus clauderetur antequam absolveretur, omni eorum servitio privaretur, et

VARIÆ LECTIONES.

[403] Suscepit *supple.*

NOTÆ.

(168) Frainet.
(169) Legitur et in Bernriedensi c. 83, et in codice Udalrici 146. (*Patrologiæ* tom. CXLVIII.)

amplius pro rege non haberetur, quia in ejus communione vel servitio certi erant de imminenti animæ periculo. Sed qui fœditatem suæ infirmitatis considerare negligebat, sed per elationis fastum potentiæ suæ gloriam attendebat, unde sibi gloriosior videbatur, inde descendebat, et unde se gloriosum judicabat, inde in ima deterius corruebat. Ut enim ait idem ipse Heinricus in epistola Romanis directa, ubi cum omnia falsitatis et mendacii plena sint, in hoc uno veritati licet nolens favit, sub specie timoris divini, non in veritate catholicæ pacis consiliis illorum adquiescere se finxit. (Fol. 118.) Verum nos, quibus Christus fides, Christus refugium, Christus est solatium, nenias ejus diabolico ab ore ructatas, iniquitatis calamo dictatas, confusionis atramento signatas, a memoria bonorum omnium repellentes, quid egerit, quomodo absolutionem, quantum ad exterioris hominis habitudinem, optinuerit, cum sacra scriptura testetur, quia qui ficte Deum querunt, numquam invenire merentur, ex verbis patris nostri sepe fari audiamus.

« Gregorius episcopus, servus servorum Dei, omnibus archiepiscopis, episcopis ducibus, comitibus ceterisque principibus regni Theuthonicorum Christianam fidem defendentibus, salutem et apostolicam benedictionem. Quoniam pro amore justitiæ, » etc. *Vide inter epistolas Gregorii VII*, *Patrolog.*, t. CXLVIII.

Quod sacramentum quam parum rex attenderit, hæc epistola notat :

« Grègorius episcopus, servus servorum Del, dilectissimis in Chfisto fratribus et filiis, archiepiscopis, episcopis, ducibus, comitibus, cæterisque principibus, cum omni populo regni Teutonicorum Christianam fidem et religionem defendentibus, salutem et apostolicam benedictionem.

« Sicut in prioribus litteris et legatorum verbis vobis significavimus, » etc. *Vide*, *ibid.*, n. 33.

Qui autem fuerint hii domni papæ legati (170), ex verbis regis accepimus, Paduanus scilicet et Albanus episcopi (171), a quibus etiam in Wizeburge synodus est habita. Regi itaque præfato Heinrico, ut in verbis domni papæ colligere possumus, sola est communionis gratia reddita (172), non tamen regno restitutus, nec fidelitas omnium qui ei vel juraverant vel juraturi erant, ut sibi servaretur præceptum est. (*Act. conc.*) Quod ideo retentum est, ut inter eum et principes ultramontanos, qui ei causa jussionis apostolicæ restiterant, justitia fieret vel pax componeretur, sicut ipse juramento per duos episcopos promiserat. (Fol. 119'.) Verum prædicti episcopi et principes ultramontani audientes illum non servare quod promiserat, quasi de eo desperati, absque domni papæ consilio elegerunt sibi Rodulfum ducem in regem.

Rodulfus igitur festinanter misso nuncio, indicavit se quidem coactum regni gubernacula suscepisse, tamen se paratum domno papæ in omnibus obedire. Et eumdem semper promittens sermonem, adjecit etiam, filio suo dato obside itemque fidelis sui ducis Bertaldi filio, quod promittebat sacramento firmare. Interea etiam Heinricus precabatur eum, ut contra Rodulfum eum adjuvaret. Cui domnus papa respondit se libenter facturum, audita utriusque partis ratione, ut sciret cui justitia magis faveret. Quam responsionem contempsit inani elatus rumore, putans cum suis se viribus posse devincere. Mens enim ejus quo procellosis actuum motibus concitabatur, eo ab internæ sapientiæ quiete atque stabilitate disjungebatur. Quia enim maliciam tegebat in corde, ore autem blandimenta exibebat, quia cogitationes suas duplicitate obnubilabat, quia puritatis verba quasi fatuitatem judicabat, et vias simplices innocentiæ declinabat, idcirco sapientiæ tranquillitate perfrui nequaquam poterat.

Igitur domnus papa quod cœperat ut perficeret omnimodis intendebat, querens ducatum qualiter ad Theuthonicorum regnum transiret, et eo magis anxiabatur, quo magis regni status turbabatur. Et quoniam fideles illo legatos destinaverat qui votorum ejus non segnes exequutores essent, misit eis speciales pro hoc negocio litteras, scribens eis ab Italia :

« Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Bernardo sanctæ Romanæ ecclesiæ diacono et Bernardo Massiliensi abbati, salutem et apostolicam benedictionem. Fraternitati vestræ notum esse non ambigimus, » etc. (173).

Item ad reliquos fideles.

« Gregorius episcopus, servus servorum Dei, archiepiscopis, episcopis, ducibus, comitibus et universis Christi fidelibus in regno Theuthonicorum consistentibus, salutem et apostolicam benedictionem. Notum vobis fieri volumus, fratres karissimi, » etc. (174).

Interea Heinricus, quia affectatis iniquitatibus ejus subsequens favebat effectus, bella, cedes, homicidia per se suosque perpetrare non desistebat, æclesiarum destructionem et ovilis dominici perturbationem siciens, pastores ab æclesia abigebat, lupos ad ovilia subintroducens; et prosperitate sua decipiebatur, quia dirigebatur in manu ejus dolus. Quia enim vitæ viam deserens in peccatorum se tenebras dejecerat, voragine iniquitatis demersus, et mole pravæ consuetudinis obrutus, reprobo sensui est traditus, ut nesciret pensare mala quæ faciebat : qui utinam vitæ itinera quæ nouit per innocentiam

NOTÆ.

(170) Fuerunt Bernhardus diaconus cardinalis et Bernhardus abbas Massiliensis; vide Reg. VI, 23, 24.

(171) Hi anno demum 1079 ad Heinricum missi sunt. Bertholdi Ann. p. 318.

(172) *Sola est — possit devincere* ex Actis concilii Romani a. 1080. Mansi XX, 534.

(173) Data Carpinetæ II Kal. Junii, ind. 15, Reg. IV, 25. K. (*Patrologiæ* t. CXLVIII.)

(174) Data ut supra. Registr. IV, 24.

teneret saltim per pœnitentiam. (*Act. conc.*) Hic itaque contra Rodulfum tertio congressus, postquam persensit se quod speraverat non posse peragere, duos episcopos de consentaneis suis, Virdunensem et Obseburgensem [404] Romam misit (1078), et domnum papam in synodo ut ei justitiam faceret per eos rogavit; quod et nuncii Rodulfi, qui præsentes aderant, fieri laudaverunt. (Fol. 121.) Statutum est itaque in eadem synodo, in partibus ultramontanis fieri colloquium, sicut ex verbis domni papæ plenius quilibet potest advertere :

« Gregorius episcopus, servus servorum Dei, archiepiscopis, ducibus, principibus, marchionibus, omnibusque majoribus atque minoribus in Theuthonico regno constitutis, exceptis his qui canonica excommunicatione tenentur, salutem et apostolicam benedictionem. Notum vobis fieri volumus, fratres karissimi, » etc. (175).

(Fol. 121'.) Misit etiam pro hoc negocio speciales litteras Trevirensi archiepiscopo, quas hic etiam subnectere non pigebit : « Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Udoni Trevirensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem. Quanta nobis sollicitudo, » etc. (176).

Udo igitur Treviorum archiepiscopus non multo post beato fine quievit, et si negotium apostolicæ legationis intermissum est. Quamobrem domnus papa pro hoc eodem negotio exequendo alios legatos mittere statuit, scribens fidelibus omnibus in hec verba (177) :

(1079, Febr.) « Gregorius episcopus, servus servorum Dei, omnibus archiepiscopis, episcopis, in Theutonico [405] regno commorantibus [406], si obedire voluerint, salutem et apostolicam benedictionem. Quoniam ex lite et dissensione, » etc.

Secundum ergo fidem dictorum missi sunt legati a latere sedis apostolicæ, de quibus cum aliqua sinistra referrentur, domnus papa has eis misit litteras (178) ab urbe Roma :

« Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo fratribus et coepiscopis, Petro Albanensi et Odelrico Pataviensi, salutem et apostolicam benedictionem. Sunt multi, quibus tamen non credimus, » etc

His acceptis litteris, quia corrupti muneribus a sententia et proposito gravitatis apostolicæ deviaverunt, aliud quam quod eis impositum fuerat agentes, Heinricum videlicet in regnum reformantes et Rodulfum pervasorem et invasorem regni, ab æcclesia publice precidentes, quod omnino veritati adversabatur, episcopos quoque simoniacos confirmantes, qui manifeste Heinricianis communicabant : cum fideles rei veritate minus inspecta a sede hoc apostolica ita processisse crederent et dubitarent, et sermo titubationis illorum ad aures patris nostri venisset, litteras eis misit, in quibus et quod male actum fuerat reprehendit, quodque se ignorante factum esset edocuit, et ut in fide recta inconcussa spe perseverarent, evidenter ammonuit, scribens eis in hæc verba :

« Gregorius episcopus, servus servorum Dei, omnibus fidelibus sancti Petri in Theuthonico regno commorantibus salutem et apostolicam benedictionem. Pervenit ad nos quod quidam ex vobis de nobis dubitant, tamquam in instanti modo necessitate usus sim seculari levitate, » etc. (179).

Colloquium itaque illud qualiter vel a quibus personis fuerit impeditum, in verbis præcellentissimi patris nostri constat apertum. Quia enim Heinricus abjecto jugo obedientiæ, ipsum colloquium impediendo, excommunicationem intentatam non est veritus incurrere, pro his, inquam, et aliis innumerabilibus malis, homicidiis, perjuriis, adulteriis, fornicationibus, symonia, æcclesiarum quoque destructione non minima, in Romana synodo anathematizatus est et dampnatus, et a regno irrecuperabiliter depositus (1080, Mart. 7). Quam ejus dampnationem hic subnectere dignum judicavimus :

(Fol. 123'.) « Beate Petre princeps apostolorum, et tu, beate Paule doctor gentium, dignamini, queso, aures vestras ad me inclinare, meque clementer exaudire. Quia veritatis estis apostoli et amatores, adjuvate ut veritatem dicam vobis, omni remota falsitate, quam omnino detestamini; ut fratres mei mihi melius adquiescant, et sciant et intelligant, quia ex vestra fiducia post Deum et matrem ejus semper Virginem Mariam pravis et iniquis resisto, vestris autem fidelibus auxilium præsto. Vos autem scitis, quia non libenter ad sacrum ordinem accessi, et invitus ultra montes cum domino meo papa Gregorio abii, sed magis invitus cum domino meo papa Leone ad vestram specialem æcclesiam redii, in qua utcumque vobis deservivi. Deinde valde invitus cum multo dolore et gemitu et planctu in throno vestro valde indignus sum collocatus. Hec ideo dico, quia non ego vos, sed vos elegistis me, et gravissimum pondus ecclesiæ vestræ super me posuistis; et quia super montem excelsum me jussistis ascendere, et

VARIÆ LECTIONES.

[404] *ita c.* [405] atque in Saxonico *aaaunt Ann. Sax. et Paul. Bernried.* [406] omnibusque principibus cunctisque majoribus et minoribus qui non sunt excommunicati *habent Ann. Sax. et Paul. Bernried.*

NOTÆ.

(175) Data Romæ VII Id. Martii, ind. 1, Registr. V, 15. Paulus Bernried. 100.

(176) Data Romæ VII Idus Martii, ind. 1. Vide in Gregorio VII.

(177) Exstat et apud annalist. Sax. et Paul. Bernried. 105. (*Patrologiæ* t. CXLVIII.)

(178) In Registro desiderantur. K. *Vide Gregorii epistolas extra Registrum vagantes* (*Patrologiæ* t. CXLVIII.)

(179) Data Romæ Kalendis Octobris, ind. 3, Registr. VII, 3. K.

clamare et annunciare populo Dei scelera eorum, et filiis ecclesiæ peccata eorum, membra diaboli contra me cœperunt insurgere, et usque ad sanguinem præsumpserunt in me manus injicere. Astiterunt reges terræ et principes seculares et æcclesiastici, aulici etiam et vulgares convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus vos christos ejus dicentes : « Disrumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum. » Et ut me omnino morte vel exilio confunderent, multis modis in me conati sunt insurgere. Inter quos specialiter Heinricus quem dicunt regem, Heinrici imperatoris filius, contra vestram calcaneum erexit æcclesiam, facta cum multis episcopis ultramontanis et Italicis conspiratione, adnitens me dejiciendo eam sibi subjugare. Cujus superbiæ vestra restitit auctoritas, eumque vestra destruxit potestas. Qui confusus et humiliatus, ad me in Langobardiam venit, absolutionem ab excommunicatione quesivit. Quem ego videns humiliatum, multis ab eo promissionibus acceptis de vitæ suæ melioratione, solam ei communionem reddidi; non tamen eum in regno, a quo in Romana synodo deposueram, restauravi; nec fidelitatem omnium qui ei juraverunt vel juraturi erant, a quo omnes in eadem synodo absolvi, ut sibi servaretur præcepi. Et ideo hec detinui, ut inter eum et principes ultramontanos, qui ei causa et jussionis ecclesiæ vestræ restiterant, justitiam facerem [407], vel pacem componerem, sicut et ipse Heinricus juramento per duos episcopos mihi promisit. Predicti autem episcopi et principes ultramontani, audientes illum non servare quod promiserat, quasi desperati de eo, vobis testibus, elegerunt sibi Rodulfum ducem in regem. Qui rex Rodulfus festinanter ad me misso nuncio, indicavit se coactum regni gubernacula suscepisse, tamen se paratum mihi modis omnibus obedire. Et ex eo tempore eumdem mihi semper misit sermonem; adjiciens etiam, filio suo dato obside et fidelis sui ducis Bertaldi, quod promittebat sacramento firmare. Interea Heinricus cepit me precari, ut illum contra prædictum Rodulfum adjuvarem. Cui respondi, me libenter facere, audita utriusque partis ratione, ut scirem cui justitia magis faveret. Ille vero putans eum suis viribus posse devincere, meam contempsit responsionem. (Fol. 124.) Postquam autem persensit se non posse sicut speravit agere, duo episcopi ex consentaneis suis, Virdunensis scilicet Teodericus, et Obseburgensis, Romam venerunt, et in synodo ex parte Heinrici me ut ei justitiam facerem rogaverunt, quod et nuncii Rodulfi fieri laudaverunt. Tamdem aspirante Deo, sicut credo, statui in eadem synodo, in partibus ultramontanis fieri colloquium, ut illic aut pax statueretur, aut cui justitia faveret amplius cognosceretur [408]. Et quia putabam quod injustior pars colloquium nollet fieri ubi justitia locum suum servaret, excommunicavi et anathemate obligavi omnes personas sive regis, sive ducis, sive episcopi, aut alicujus hominis, qui colloquium aliquo ingenio impediret ne fieret. Predictus autem Heinricus cum suis fautoribus non timens periculum inobedientiæ, quod est scelus idolatriæ, colloquium impediendo excommunicationem incurrit, et se ipsum anathematis vinculo obligavit; magnamque multitudinem christianorum morti tradi, et æcclesias fecit dissipari, et pene totum Theuthonicorum regnum desolationi dedit. Quapropter confidens de judicio et misericordia Dei, ejusque pissimæ matris semper Virginis Mariæ, vestra fultus auctoritate sepe nominatum Heinricum, quem dicunt regem, omnesque fautores ejus, excommunicationi subjicio, et iterum regnum Theuthonicorum et Italiæ ex omnipotentis Dei parte et vestra interdicens ei, omnem potestatem et dignitatem regiam illi tollo, et ut nullus christianus ei sicut regi obediat interdico [409]. Ipse autem Heinricus cum suis fautoribus in omni congressione belli nullas vires, nullamque in vita sua victoriam optineat. Ut autem Rodulfus regnum Theuthonicorum regat et defendat, quem Theuthonici elegeruht sibi in regem, ad vestram fidelitatem ex parte vestra dono, largior et concedo, omnibusque sibi fideliter adherentibus absolutionem omnium peccatorum vestramque benedictionem in hac vita et in futura, vestra fretus fiducia, largior. Sicut enim Heinricus pro sua superbia et inobedientia et falsitate a regni dignitate juste abjicitur, ita Rodulfus [410] pro sua humilitate, obedientia et veritate, potestas et dignitas regni conceditur. Agite nunc, queso, patres et principes sanctissimi, ut omnis mundus intelligat et cognoscat, quia si potestis in cœlo ligare et solvere, potestis in terra regna, imperia, principatus, ducatus, marchias, comitatus, et omnium hominum possessiones pro meritis tollere et concedere. Vos patriarchatus, archiepiscopatus, primatus, episcopatus frequenter tulistis pravis et indignis, et religiosis viris deustis. Si enim spiritualia judicatis, quid de secularibus potestis? Et si angelos dominantes omnibus superbis principibus, quid de illorum servis facere potestis? Addiscant nunc reges terræ et omnes seculi principes, quanti vos estis, quid potestis, et timeant parvipendere jussionem ecclesiæ vestræ, et in prædicto Heinrico tam cito judicium vestrum exercete, ut omnes sciant, quia non fortuitu, sed vestra potestate cadet et confundetur, utinam ad penitentiam! ut spiritus salvus sit in die Domini. Data Romæ Non. Martii. »

VARIÆ LECTIONES.

[407] facere *c.* [408] Ego enim, sicut vos mihi testes estis, patres et domini, usque hodie nullam partem disposui adjuvare nisi eam cui plus justitia faveret *additur in Actis concilii Mansi XX*, 535, *et apud Paulum Bernriedensem* 107; *desunt in codice Udalrici* 150. [409] omnesque qui ei juraverunt aut jurabant de regni dominatione, a juramenti promissione absolvo. *Acta conc. a.* 1080 *et Paul. Bernried. et cod. Udalr. l. l.* [410] *ita c.*.

(Fol. 124'.) Preerat tunc temporis (179') Mediomatricum urbi vir egregius, et inter præcipuos catholicæ fidei propugnatores magnum patientiæ, religionis et justitiæ documentum, domnus Herimannus episcopus, Leodiensis æcclesiæ filius, piæ memoriæ Adalberonis episcopi Mettensis successor a Deo prædestinatus et donatus; qui in primevo juventutis flore, temporibus Annonis venerabilis Coloniensium archiepiscopi, tutoris et moderatoris regni, palatii frequentiam nanctus, regis illius pene universa noverat, in tantum ut etiam ante perceptam episcopatus gratiam pro ejus insolentia a curiæ se plerumque administratione subtraheret, et magis eligeret contemptus esse mediocritate sua, quam ex inquinatione societatis factiosorum sperare majora : maxime cum videret præfatum reverendæ memoriæ virum Annonem dolere et gemere frequenti contritione, desolatum sub tali principe statum regni, incurvatum jus imperii, contritum cornu dominii, in quo esset sola spes dejectionis æcclesiasticæ, et perturbatio pacis catholicæ, confusio et horror, vanitas et contritio, et omnia pessumdans superba, lubrica, vana, inconstans atque immunda presumptio. Ubi vero episcopatus officium adeptus est, satis penituit de manu regis illius investituram pontificatus se suscepisse, adeo ut etiam impositam prælationis sarcinam libens rejecerit, volens deposuerit, toto se ab ea nisu excusaverit, si assensum præstitisset auctoritas Romani pontificis, apud quem pro excessibus suis, id est incaute usurpata eadem investitura, quæ est contra instituta canonica, culpam fateri non erubuit, satisque cavit in posterum a communione ejus et fautorum ejus, propter quod et tanta passus est, ut et de illo dictum possit videri : *Ego ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati* (*Act.* IX, 16). In primo sane congressu passus est quod fuit hominis, ut disceret jam in secundo, qui ei fuit jugis et perpetuus. de Deo præsumere non de se. Lapsus est enim ut homo, titubavit ut homo, quia præsumpsit ut homo. Sed evacuatum est jam in illo scandalum obprobrii, quia in bonitate vitæ suæ abscisum est quod conturbaverat illum; et per illum bonos omnes, et obscuritate rarescente reluxit aurum, invaluit color optimus, resplenduit in diademate regis eterni lapis sanctuarii. Hic igitur in ipso primo suo ingressu, apostolicæ doctrinæ exequutor factus, cum postmodum communicasset regi sceleratо et pro sceleribus excommunicato, a cujus se, ut dictum est, jam per aliquantum temporis communione suspendarat, doluit ut prædiximus se deceptum; viribusque resumptis, a domno papa absolutionem quesivit errati. Qui etiam præcepti domno Diensi episcopo, ut eum vice sua aut per se, aut si timore regis vereretur illo transire, per aliquem religiosum virum, de cujus fide et magnanimitate confideret, absolveret. At ille vicem obedientiæ imponens abbati Divionensis cœnobii, Mettim eum direxit, a quo absolutus est ipsa vigilia natalis Domini.

(Fol. 125.) Cum ergo totis medullis cordis adhereret præceptis apostolicis, et e contrario omnia ei intentaret adversa indignatio regia, et fallax adulantium ei lingua, conquerentium non posse auctoritatem sanctæ Romanæ æcclesiæ regem imperatoris filium a Deo electum et honoratum, sanctam illam regiæ majestatis dignitatem a seculis honoratam deponere, et a gremio matris ecclesiæ segregare, et concessa privare potestate, cum non esset potestas nisi a Deo, quæ autem sunt a Deo, ordinata sunt : et ille a sede apostolica contra rabiem oblatrantium curationis expeteret antidotum, ut erga eorum impetus scriptis apostolicis quasi clypeo defensionis muniretur, hanc ei ab urbe mitissimus doctor misit (1081) epistolam per Rodultum abbatem Virdunensis monasterii, ita auctoritatibus Scripturarum divinarum munitam atque refertam doctrinæque apostolicæ sale conditam, ut hec sola sufficiat fidelibus ad confutandam adversariorum ineptam stultitiam :

(Fol. 125.) « Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri [411] Mettensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Quod ad perferendos labores et pericula pro defensione veritatis te paratum intelligimus, divini muneris esse non dubitamus, » etc. (180).

(Fol. 128.) Hanc igitur epistolam Mettensis episcopus suscipiens, plurimum confortatus est in Domino. Verum nos hac decursa ad historiæ ordinem redeamus.

Ubi ad aures Heinrici regis et fautorum ejus anathemata domino papa factum personuit, infremuit tyrannus, factiosorum strepitus in beati Petri vicarium turpia et nefanda concrepans intonuit, dicentium magum eum esse et impostorem, hereticum, homicidam, fornicarium, et si quid aliud aversatur sanæ doctrinæ. Non debere regem, imperatoris filium, qui non sine causa gladium portaret, qui Romanæ rei publicæ patricius tutor et defensor esse deberet, tantam pati sanctæ Dei æcclesiæ conculcationem, ut homo omnium peripsima, pro suis sceleribus juste puniendus, et merito ab æcclesia exturbandus, summam illam regii nominis majestatem inpugnaret. Maledictum frustra prolatum, in eum, a quo processerat, retorquendum : ut qui domino suo et regi foveam paraverat maledictionis, eo inmuni remanente, ille, qui caput et causa mali erat, prior incideret in eam. Cum in hoc omnis perstreperet aula, decretum est communi consilio, ut ille qui re-

VARIÆ LECTIONES

[411] Herimanno *supplendum*.

NOTÆ.

(179') Obiit a. 1090

(180) Exstat in Regesto, lib. VIII, ep. 21, et in cod. Udalrici n. 156, apud Eckh. SS. II, 158 sqq. Monographum hoc V. Cl. Ulrichs debemus.

verendam a seculis regiam majestatem ab ecclesia extorrem pronunciaverat, ab æcclesiæ corpore segregaretur, et Romanæ æcclesiæ pontifex, qui supra omnes est, ab his qui ei subesse debebant, excommunicationi adjudicatus est. (Fol. 128'.) O dementia imcomparabilis, furor inedicibilis, insania mirabilis! Quis, rogo, imperatorum, quis regum ad tantam prosilire ausus est protervam insaniam insanamve proterviam ut clavigeri cœlestis vicarium, cujus lingua clavis cœli est, canonice electum, ab omni christianitate susceptum, bene viventem, recta docentem, ab ecclesia alienandum pronunciaverit? Conventus hic apud Ulterius Trajectum habitus est, ubi contra Deum et Dominum disputatum est. Dies erat sabbati, et vespere sabbati ipsa nocte dominicæ diei illuscescente, in concilio malignantium constitutum est et deliberatum ut in crastino ad missas in omnium audientia papa excommunicaretur, quia ausus fuisset regem et dominum suum excommunicare; justam hanc esse sententiam, ut in quo peccaverat, puniretur. Aderat in consessu illo iniqua gerentium Virdunensis Theodericus et Pibo Tullensis, et plures alii, qui etsi favebant regiis negociis, hoc tamen, quia sanctorum patrum obviabat decretis et sanctionibus repugnabat canonicis, aversati sunt. Et quidem Tullensi id officii impositum a rege fuit, eo quod esset mentis timidæ et multæ inconstantiæ, ut negocium id exequeretur; sed ille dum pavet ad singula nec audet reniti, noctu cum Virdunensi assumptis sociis fugæ se credit consilio; quamobrem et in crastinum aliquanto morosius prolongata est negotiis hujus exequutio (181). Solus Willelmus Trajectensis inventus est, qui dum hesternam ructet crapulam, posuit in cœlum os suum, et lingua ejus in dominum et magistrum suum maledictionis intorsit jaculum (182). Sed non inpune. Nam cum hoc inter sacra missarum peregisset solempnia, et peracto scelere datus in reprobum sensum ad eadem perexplenda accingeretur, ne vel in hoc a Judæ proditoris consortio et merito separaretur, ubi corpus dominicum, in quod peccaverat, male sibi conscius sumpsit, ultio divina manifestata est. Percussus est enim a Deo plaga insanabili, ita ut cum horrore et stupore mirabili clamaret: *Ardeo! ardeo!* quia corpus quod vivificat, incendium illi pœnamque parichat, quod exarserat in eo sicut ignis in spinis, ut manifesta in eo fieret ultio Domini. Nec datum est illi tempus ut peniteret, sed mox ut sensit ignem in se grassantem, in sede corpore reclinato, dum clamasset: *Sancta Maria!* miseram vitam miserabili morte finivit (183). De quo certum est, quia nobis ista vidit, nobis hoc monstratum est, ut prodesse inciperet nobis pena ejus. Grandis hinc inolevit terror omnibus, ita ut Virdunensis, quem clam abscessisse notavimus, urbi suæ appropinquans, exeuntibus sibi obviam clericis suis cum crucibus et cereis, ut moris est, processionem palam interdixerit, et excommunicatum se quia ad horam cessisset pronunciaverit, satisque tunc penituerit in excommunicatione domini papæ se factiosis communicasse; ita ut palam protestaretur, quia nisi divina illi prospexisset misericordia et bonorum virorum oratio, penam quam Willelmus perpessus erat, ipse pertulisset. Quamobrem etiam papæ dimissis nunciis, abbate videlicet Rodulfo cum sociis, cum se omnino pro communione illa excommunicatum affirmaret, et ob id ab officio cessasset, in manu ejus per litteras (184) stolam reddidit et anulum. Et cum se sic ipse dampnaret, parebat tamen regi, quia hec erat hora ejus, et potestas tenebrarum. Nam inveteratam ejus maliciam, quæ obduraverat, non frangebant miracula; ut incrementa viciorum parerent ei etiam additamenta tormentorum. Unde et impletum est in eo quod scriptum est: *Multo labore sudatum est, et non exivit de eo nimia rubigo ejus nec per ignem.* (*Ezech.* XXIV, 12.) Ignis enim ei tribulationis circumstrepebat, qui viciorum rubiginem purgaret; sed nec per ignem rubiginem amisit, qui nec per flagella correctus est, quia malicia ejus a conflatore consumi non potuit.

(Fol. 129'.) Anno incarnationis 1087, obiit Willelmus Anglorum rex.

(1080, Oct. 15.) Anno igitur ab incarnatione Domini 1079, factum est prælium in Saxonia, in quo Rodulfus rex cecidit, et Heinricus fugiendo victus est. Hoc eodem anno facta sunt tonitrua et fulgura in Januario, et luna nigra et sanguinolenta visa est 3 Kal. Febr. Et sequenti anno Witbertus invasit sedem apostolicam, a dampnatis et excommunicatis suique similibus in apostaticum, non apostolicum electus. (*Legg.* II, 51.) Quæ conspiratio primum facta est apud Brixiam, ubi congregati aliqui episcoporum de sinagoga satanæ, traditi in reprobum sensum, contra fidem, quæ est confessio Petri, et sanctam sedem ejus Romanam æcclesiam turpia et nefanda jacientes, ad plenitudinem dampnationis suæ elegerunt Witbertum heresiarcham de suis similibus, et desperata superbia apostolicum eum vocantes, apostatam, non apostolicum effecerunt. Qui idcirco omnium fidelium odio dignior est, quia cum a principibus, Heinrico scilicet rege deposito et cæteris hujus perditionis ministris, quesitum esset, quis ad impugnandum sanctum virum, papam videlicet Gregorium, falsitatis vexillum susciperet, nemo omnium tam audax, tam præsumptor, tam

NOTÆ.

(181) Paulo ante scripta videtur epistola Gregorii III, 12, ad Udonem Trevirensem, Theodericum Virdunensem et Herimannum Mettensem. K.

(182) Hoc a. 1076 paschali tempore factum esse narrat Lambertus; Hugonem Wormatiense concilium cum Moguntino a. 1080 confudisse monuit Stenzel I, 387. K.

(183) Obiit a. 1076; cf. Bertholdum, Lambertum, Brunonem, Bernoldum.

(184) In Registro desiderantur.

desperatus vel perditus inventus est, qui naufragium fidei subire deligeret, preter eum solum. Qui ideirco, credimus, antichristi negocium suscepit, ut ruinam archiepiscopatus Ravennensis, quem pro suis criminibus eodem Gregorio præsidente synodali judicio perdiderat, susceptione oblati periculi compensaret. Aderat in conventu illo malignantium multus numerus dampnatorum, quos ad persequendum amatorem justitiæ communicatio criminum et amor principis illexerat, cum solum invenit diabolus promptiorem, cui maliciæ suæ omnem principatum committeret. Suscepit itaque sedem satanæ, et in catedra pestilentiæ sublimatus, impiorum mentes ad expugnandum nomen Domini exacuebat, factus omnibus fovea peccandi. Quæ autem fuerit ejus promotio seu intronizatio, quomodo ad hanc dejectionem et quam præcipitanter ascenderit, et a quibus execratus sit, quæve eorum fuerit vita vel conversatio, et quid de ordinato vel ordinatoribus ejus sentiendum sit, Gevehardus Salzeburgensis episcopus, cujus vita speculum erat bonorum, interrogatus edicat. Ait enim scribens Herimanno Mettensi episcopo :

« G. Salzeburgensis episcopus II. Mettensi episcopo salutem. Wibertus quondam Ravennas archiepiscopus cum obedientiam, quam apostolicæ sedi juramento promiserat, non attendere, sed contra ipsam omnimodis superbire studuisset, in Romana synodo inrecuperabiliter depositus et anathematizatus est ab apostolica sede et ab episcopis totius æcclesiæ ; nec hoc semel in una synodo, sed in omnibus synodis, quotquot jam septennio Romæ celebratæ sunt. Hic igitur ita in perjuriis inveteratus et pro eisdem inrecuperabiliter depositus et anathematizatus, sedem Romani pontificis, cui obedientiam juravit, per manus anathematizatorum, utpote sui similium, invasit, legitimo pastore adhuc eidem sedi præsidente. (1083) Ipsorum autem excommunicatorum nullus eum consecrare, vel potius execrare præsumpsit, præter Mutinensem et Arithinum exepiscopos, qui ambo pro suis criminibus jam annis tribus officio et communione caruerant. Sed hii etiam si officium et communionem haberent, et Romana sedes pastore vacaret, nullum tamen eidem sedi pontificem ordinare possent. Hujus enim ordinationis privilegium solis cardinalibus episcopis Albanensi, Ostiensi, Portuensi, a sanctis patribus est concessum. Ergo Mutinensis et Arithinus episcopi juxta testimonium sanctissimi papæ Innocentii non benedictionem, sed dampnationem quam habuerunt suo Ravennati imponere potuerunt; nec illum in Romanum patriarcham, sed in perditissimum heresiarcham promoverunt. Caveat igitur omnis christianus, caput antichristo inclinare, statuam quam Nabuchodonosor erexit adorare, sicque se ipsius heresiarchæ perniciosissimo anathemati immodare. Nam quicumque illi obedierit, qui dixit: « Ponam sedem meam ad aquilonem, et ero similis Altissimo, » certissime in æternam dampnationem ibit cum ipsis. Amen. »

Hec sunt de Witberto Gevehardi Salzeburgensis, viri utique doctissimi et autentici, scripta veridica, quibus utique nullus cum justitia obviare prævalet. Extant et alia ejus scripta auctoritate et veritate subnixa, quæ pro viri merito reverenter fidelium honorat et amplexatur æcclesia. (1084, Mart. 31.) Ab hoc itaque Wiberto, sale utique infatuato, Heinricus coronam suscepit imperii, factus infelix membrum illius qui est rex super omnes filios superbiæ, suscipiens ab illo maledictionem pro benedictione; et quidem satis congrue. Nam dignus erat, et pro meritis acta res est, ut talis rex talem papam institueret, et ab eodem ipse coronam ignominiæ et sceptrum dedecoris susciperet.

(fol. 129') Defuncto per id temporis Lugdunensi archiepiscopo Gibuino (185), cum varia quorumdam esset electio, domnus Hugo Diensis episcopus electione cleri et populi, auctoritate et præcepto Romani pontificis in archiepiscopum Lugdunensem promotus est anno incarnationis Domini 1082 (186). Adhuc enim Romanæ urbi domnus Gregorius præerat, quamquam Wibertistarum jam esset facta conspiratio, non tamen promotio. Ubi vero et promotio ejus execratione sua illa quasi auctorizata est, et judicatum est ab impiis et perjuris hostili manu Romam aggrediendam, ut papa, qui populi obsequio et amore cum gratia Dei protegebatur, cum injuria et dedecore a sede propelleretur: (1085) eousque rex devenit, ut rex cum papa suo exercitu innumerabili fultus Romam tenderet, et in itinere quotquot poterat ad adorandam statuam, et in ea imaginem bestiæ compellebat. Sed modo mirabili quo plus ad explendam profanæ mentis vesaniam ferebatur, eo gravius deiciebatur et dehonestabatur. Aliquando enim magnum erat si quis regium osculum merebatur, gratum si quis vestigia papæ oscularetur. Nunc versa vice rerum, quicumque inventus fuisset, tenebatur, nec antea dimittebatur, nisi primo pedem paparelli illius oscularetur, et sic demum oculo regis potiebatur : ut esset in ambobus equipartita injuria, verum regis tanto gravior, quanto hic cujus pedibus inclinabatur, erat deterior. Quæ enim major esse potest insania, quam virum litteris adprime eruditum, disciplinis æcclesiasticis imbutum, sanctionis æcclesiasticæ non ignarum, tenentem in æcclesia magnæ dignitatis et

NOTÆ.

(185) XV Kalend. Maii depositio d. Gebuini archiepiscopi Lugdunensis legitur in Necrologio S. Benigni Divionensis. K.

(186) In litteris Registr. IX, 18, IX Kalend. Novemb. ad Hugonem datis monet Gregorius ne regimen Lugdunensis Ecclesiæ accedere dubitet. Scripta est epistola a 1082, si Hugo a. 1085 et ineunte quidem consecratus est archiepiscopus Lugdunensis, quod e veteri quadam charta recte collegisse videntur auctores Gall. Christ., tom. IV, 109. K.

prælationis locum, ad tantam mentis devenire hebetudinem, ut contra Deum superbire incipiat, et locum celsitudinis non in æcclesia, sed extra æcclesiam et supra æcclesiam contra jus et fas appetens, illi assimilari omnino studeat, qui dixit : *Ponam sedem meam ad aquilonem, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo* (*Isai.* XIV, 13, 14) *.

* *Hoc loco proponere libet fragmentum in codice Musei Britannici inter Arundelianos N.* 390. *manu sæculi XI. exeuntis exaratum, quod in itinere Anglico a.* 1844 *exscripsi. Legitur ibi fol.* 132, *et pactum Heinrici IV. cum Romanis a.* 1083 *mense Junio ictum illustrat :* Quidam qui dicuntur religiosi et sanctissimi, sicuti hactenus soliti sunt facere, se posuerunt contra jus, et temptaverunt Deum, et fecerunt quod facere non debuerunt ; ob hoc magnum dedecus habuerunt. Nam isti sunt illi qui fecerunt judicium de regno et sacerdotio ; set Deus qui est misericordissimus et piissimus prævidit quod justum est. Nam abbas Cassini montis et cancellarius qui cardinalis est de sancto Paulo, et episcopus Portuensis cum aliis coepiscopis et Bernhardus diaconus, et Wimundus monachus qui alio nomine Christianus nuncupatur, et Gratianus, qui omnes ex præcepto papæ fecerunt hanc legem quam audituri estis. Set prius dicam qui benedixit aquam, scilicet quidam vir qui est nimis religiosus, et nuncupatur Petrus Neopolitanus, et est monachus, qui prius presbiter fecit triduanum jejunium cum aliis clericis qui ibi fuerunt, et ipse presbiter sanctissimus celebravit missam. Peracta vero missa, abiit ad aquam cum supradictis et benedixit aquam. Misit vero puerum quendam in aquam ex parte regis, ut Deus discerneret veritatem, si ipse rex haberet justiciam. Mox ergo ut puer missus est in aquam abiit jusum in fundo aquæ [412]. Ad hoc miraculum stupefacti fuerant omnes qui ibi aderant, et unus illorum nomine Wimundus qui Christianus nuncupatur, cepit dicere contra Gratianum : *Certe tu impressisti puerum ut iret jusum in fundo aquæ.* Set ipse Gratianus cepit detestare et dicere : *Quia nunquam feci tale quid.* Tunc ipse Wimundus nomine cum iracundia abiit ad papam, et dixit *quoniam Gratianus impressit puerum ut iret in fundo aquæ.* Papa ut audivit, præcepit illi Wimundo, et dixit : *Vade, et dic illis ut iterum mittant puerum in aquam, ut videamus si verum est quod tu dicis.* Ad tale præceptum perrexit ipse Wimundus, et dixit omnibus illis qui ibi aderant ex parte papæ, ut alia vice misissent puerum in aquam. Et ipsi ex præcepto papæ miserunt iterum puerum in aquam, et abiit puerulus jusum in fundo aquæ sicut prius. Post hæc eandem legem ipsi supradicti fecerunt propter papam, et miserunt puerulum in aquam, qui cepit natare desuper. Miserunt et alia vice, qui supernatavit similiter. Ob hoc impulerunt subtus aquam ut iret in profundum aquæ, set Deus non permittebat. Nam habuerunt eum suffocare in aqua. Ad tale miraculum sunt stupefacti, et nesciunt quid agere debeant. Sunt modo consiliati, ac fidem inter se dederunt, si res ista in propatulo esset, regi per aliquem hominem, ut nec unus illorum audeat dicere sine communi consilio et sine consilio papæ. Nam ipse accepit fidem ab omnibus, ut nullus audeat dicere. Hoc factum est in Pallaria in monasterio sanctæ Mariæ, quæ est capella ipsius abbatis Cassini montis. Hoc factum est ad confusionem illorum qui fecerunt et ad salutem vestri imperii, et fuit factum in dominica die post missam de adventu Domini.

SACRAMENTUM.

Tibi dicimus, rex Heinrice [413], quia nos infra terminum illum quem tecum ponemus ad 15 dies postquam Romam veneris faciemus te coronare papam Gregorium si vivus est, vel si forte de Roma non fugerit. Si autem mortuus fuerit, vel si fugerit et reverti noluerit ad nostrum consilium ut te coronet infra constitutum terminum, nos papam eligemus cum tuo consilio secundum canones, et ipsum papam studebimus per bonam fidem ut te coronet, et nos studebimus per bonam fidem ut Romani faciant tibi fidelitatem. Hæc omnia observabimus tibi absque fraude et malo ingenio, nisi quantum communi consilio nostro et tuo addatur vel minuatur.

Reversus inter hæc ab urbe Roma Rodulfus abbas venit Virdunum, et Virdunensi episcopo communionis gratiam a papa reportans, absolutionem ejus domno Mettensi episcopo impositam, qui vices papæ exequebatur, requirendam esse satisfactione præmissa insinuavit. Verum quia Wibertum execratum, et regem obstinato animo Romam tendere jam fama vulgaverat, intumuit animus hominis, et quidquid egerat, quidquid dampnaverat vilipendens, ad vomitum rediit, culpam non solum fateri non erubuit, quin potius gravioribus se vinculis peccati et pertinaciæ innodare non pertimuit. Nam subito per semetipsum absolutus, pontifex in vestitu sacerdotali apparuit, missas celebravit, et quidquid illud est quod sacerdotali officio convenit, quod eotenus caverat inplere non formidavit, in monasterio novo sanctæ Mariæ, quod ipse summo studio et cura exstruxerat, reliquias introducens, aquam benedicens et aspergens, et singula episcopi officia complens.

Exhinc orta sunt mala in Israel. Anno enim ab incarnatione Domini 1084 Heinricus Romam veniens urbem cepit, muros evertit, Gregorium papam in turre Crescentis muro clausit, suumque papam in ecclesia sancti Petri sedere constituit, ut impleretur quod scriptum est : *Cum videritis idolum abhominationis stantem ubi non debet, qui legit intelligat* (*Marc.* XIII, 14). Inter hæc Virdunensis fera tota humanitatis facie eversa, hac illacque debachabatur, ita ut omnis in eo religionis species immutaretur, et obsequium quod prius viris religiosis, qui tunc a Leodio confluxerant et ab aliis undique partibus, atque sub habitu monastico in cœnobiis suburbanis degebant, exhibuerat, verteret in arma furoris. Totus illi sermo de imperio Heinrici, de papatu Clementis erat, ita ut publice in æcclesiis nomen illius heresiarchæ nefandi in canone recitari præciperet. Quod etiam faciebant reliqui episcopi Lotharingiæ et Langobardiæ exceptis perpaucis, qui magisterio Petri adherebant ; quorum vita cum esset sancta, pia, casta et catholica, publica notabatur infamia, insana dicebatur et heretica ; non intelligentes illud Ysidori dictum, quod noverit se a communione totius orbis separari, quicumque nomen apostolici pro qualicumque dissensione in canone non recitaverit. Admiranda prorsus Dei omnipotentis miseratio, qui

VARIÆ LECTIONES.

[412] aq. *c.* [413] II. *c.*

electos suos etsi aliquando permittit concuti, non A sinit tamen penitus labefactari. (Fol. 130.) Non sufficiebat sacerdotibus vel solos peccare; facti erant laqueus juvenum omnes, ut etiam absque synagogis facerent eos qui non communicabant operibus eorum in communicando excommunicatis, in abjectione Gregorii, in assertione Wiberti. Jam vero si quis esset qui Gregorio communicaret, hic publice conviciis appetebatur, hic hereticus, destructor regni, assertor mali, qui nec vita dignus esset, qui publicæ indignationis offensam contraheret perjurus, et quodam adinventicio nomine Paterinus dicebatur. Advenerant tempora periculosa, obnubilata erat facies æcclesiæ, non agnoscebat quos genuerat filios, quia patiebatur infestos, nec ipsi matrem agnoscebant, quam cum multis et miris modis affligerent et insectarentur, vicem ejus dolere non noverant. Beati qui in hac sanctæ Dei ecclesiæ conculcatione non inquinaverunt vestimenta sua; ambulabunt in albis, quia digni sunt.

Nec mutabat pardus varietates suas, Heinricus scilicet nequicias suas, qui immo Romæ positus, quotquot poterat minis, terroribus, blandimentis, promissis sibi conciliabat; bella, cedes, homicidia per se suosque faciens, et totis quibus poterat nisibus iniquitati favens, veritati resistens, et insuper suis litteras mittens, quibus se Romam optinuisse, papam dejecisse, et omnibus omnino prævaluisse mendaciter confingebat. At vero Mathildis comitissa, Romanæ æcclesiæ filia, virilis animi constantiam C tenens, tanto ei fortius resistebat, quanto magis hujus astutias et papæ innocentiam noverat. Sola enim tunc temporis inventa est inter feminas, quæ regis potentiam aspernata sit, quæ calliditatibus ejus et potentiæ etiam bellico certamine obviaverit, ut merito nominetur virago, quæ virtute animi etiam viros præibat. Adesto, summe Deus, et æcclesiæ tuæ regnum et æcclesiasticæ constitutionis robur, quod Spiritu sancto tuo ordinante firmaveras, non patiaris de culmine gloriæ suæ dilabi, nec sinas tantis subjacere periculis. Hec est mulier illa, de qua ab ottrectatoribus [414] fidei et conculcatoribus veritatis crimen incestus sancto pontifici objiciebatur. Cui si deessent meritorum laudes, hoc solum satis eam commendabilem redderet, quod cum tali viro, dum D exprobratur, dum convitia suscipit, dum inproperia audit, approbatur, honoratur, laudatur. Quæ enim ut hæc pro Romana decertavit æcclesia? Quot et quanta passa est, ut illa debita libertate fruerctur? Extant ad eam plures epistolæ papæ; quarum hic unam non pigebit inserere, ut agnoscatur, qua sibi invicem unione connectantur, ut omne os loqui iniqua volentium obstruatur, et ut benivoli instruantur, et maliloqui erubescant et confundantur :

« Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectæ in Christo filiæ Mathildi salutem et apostolicam benedictionem. Quanta sit mihi cura, quantaque sollicitudo de te tuaque salute, ipse solus qui cordis archana rimatur intelligit, et multo melius me ipso cognoscit. Tu tamen si pensare non negligis, ut reor animadvertes quia pro tantis me tui curam habere oportet, pro quantis te caritatis studiis detinui, ne illos desereres, ut tuæ solius saluti animæ invigilares. Karitas enim, ut sepe dixi et dicam, sequens celestem tubam, non querit quæ sua sunt. Sed quia inter cetera quæ tibi contra mundi principem, favente Deo, arma contuli, quod potissimum est, ut corpus Dominicum acciperes, indicavi, et ut certæ fiduciæ matris Domini te omnino committeres B præcepi, quid inde beatus Ambrosius, videlicet de sumendo corpore et sanguine Domini dicat, hic in litteris intimavi. Ait enim in libro 4 de sacramentis inter cetera : *Si mortem Domini annunciamus, annunciamus remissionem peccatorum. Si quotiescumque funditur sanguis Domini, in remissionem peccatorum funditur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur. Qui semper peccō, semper debeo habere medicinam* (187). Item in libro 5 de sacramentis [415] : »

(Fol. 130'.) Gregorius igitur in turre Crescentis muro clausus, legatos misit ad Robertum Apuliæ ducem, qui tunc forte classe instructa mare transire parabat, ut veniret et obsidionem solveret. Erat tunc forte Romæ abbas Divionensis domino papæ per omnia fidelissimus, quem pro ingenita sibi bonitate et obedientia debita beato Petro, dulcissimo amplectebatur affectu, adeo ut concaptivum suum eum vocaret; quia non cum movebant salutis pericula pro justitia susccpta. Hunc ergo ad evocandum ducem cum quibusdam cardinalibus misit. Qui obedientiam non segniter exequutus, principem adduxit, et data Urbi obsidione, patefactoque ingressu, rege fugato, papa liberatur, et ad Lateranense palatium cum gloria reducitur. At quia Normannorum instabilitas Urbe capta et prædæ data multa mala perpetraverat, nobilium Romanorum filias stuprando, et nocentes pariter innocentesque pari pœna affligendo, nullumque modum, uti victoribus mos est, in rapina, crudelitate, direptione habendo : veritus ne duce recedente infidelitas Romana exagitata recrudesceret, et quos antea habuerat quasi fidos amicos, pateretur infidos, cedendum tempori arbitratus, Salernum se contulit. Rex vero hoste adventante, fugæ præsidium requirens, sigillum domini papæ, quem furto subripuerat, secum tulit; et Portuensem, quia olim familiaris papæ fuerat, sibi conciliatum secum duxit. Witbertus vero et ipse aufugit. Quamobrem verita Mathildis, ne simplices quique astutia regis

VARIÆ LECTIONES.

[414] *ita c.* [415] *locus vacat.*

NOTÆ.

(187) Desunt permulta. Data est epistola xv Kalend. Mai., ind. 12, id est 1074; Registr. I, 47; Cod. Udalrici 157. K.

specie sigilli deciperentur, prævenit malitiam illius, mittens litteras fidelibus in hec verba :

« Mathildis Dei gratia si quid est, omnibus in Theuthonicorum regno commorantibus, salutem. Notum vobis facimus, quod Heinricus falsus rex furto subripuit sygillum domni papæ Gregorii. Unde si quid audieritis quod discordet a nostra legatione, falsum arbitramini, neque mendaciis ejus adquiescatis. Preterea episcopum Portuensem secum ducit; quoniam olim fuit familiaris domini papæ. Si igitur aliquid vobiscum vel contra vos per eum vult operari, cum falsum testem nolite dubitare. Nulli umquam credatis, qui aliter quam nos dicere audebit. Sciatis domnum papam jam recuperasse Sutrium atque Nepe. Barrabas latro, id est Heinrici papa, ipse quoque aufugit. Valete, et de insidiis Heinrici cauti estote. »

Igitur summo pontifice ab Urbe discedente, ejus comitatui abbas Divionensis non defuit. Verum die quadam exercitu ultra quam speraverat summo diculo progresso, cum ipse cum sociis celer subsequeretur, calonum turbam offendit, qui extrema hostium sequentes, mira agilitate currendi ignaros doli et fraudis trucidabant. Quorum nequitiam abbas, ut expertus in talibus, agnoscens et præcavens, socios iter accelerare præmonuit. Verum illis propere abeuntibus, cum post terga subdole clamaretur ab impiis, non esse eam viam quæ præeuntium vestigia, sequeretur se viam scire, et paratos ostendere si expectarentur, abbate contradicente et dolos eorum manifestante, frater qui comitabatur Walterius nomine substitit, et ultra votum omnium viam ab eis querebat. A quibus mox peremptus, viam universæ carnis ingressurus erat. Quod et ita contigit. Cum enim accelerantem præstolatur [416], emissa lanceola in eum dirigitur; set dum tarde sibi providet, et ictum devitare gestit, vulnus lætale suscepit. Et dum ex dolore ictus gradum accelerat, abbatem subsequutus, supra pectus ejus capite reclinato, vitali spiritu deficiente corruit, et deficiens mortuus est. Cui illud obfuisse credimus, quia partibus papæ justis et sanctis aversabatur, nec corrigi poterat cum sepius objurgaretur. Parcat ei omnipotens Deus, et tribuat, ut ultio præsens et peccatorum veniam et æternitatis ei pariat mansionem. Illo ergo ruente, non destitit malorum inprobitas a persequendo, donec bestia quæ sarcinas ferebat remanente, inveniret Romana avaritia quo cupiditatis ingenitæ frena laxaret, sicque malicia eorum propter sarcinas interrupta est. Intueamur nunc fluctuantem et æstuantem animum patris de morte filii, et cogitemus quæ potuit consolatio dolori illius mederi. Apud exteras gentes positus, duobus tantum sociis et hoc tercio fultus quid putamus cordi ejus accesserit? Qui cogitationum fluctus, qui perturbationum impetus, qui dolorum gemitus, quæ suspiria, quæ mentis anxietas : cum perderet socium socius, filium pater, magister discipulum, et non solum insalutatum dimitteret, quin etiam ruentem, deficientem, morientem respicere non auderet, nec humanitati officia pia persolvere ? O qui patres estis, qui affectum filiorum corde tenetis, attendite et videte, quis patris hujus dolor extiterit, qui filium dum putat vivum et vegetum, innocenter ante se videt mactatum, in morte filii pater passus est. (fol. 131) Qui habet amicum karissimum, et cum cogitat moriturum, scit qui pater passus sit, licet majora passus sit quam aliquis amicus de amico excogitare possit. Multum enim distat inter id quod somniamus, et quæ oculis præsentialiter videmus ; sic permaxima est differentia inter cogitatum et actum. Venit ergo tandem abbas ad socios, et osculato pede papæ, cum vultus mentem indicaret, dolorem cordis aperuit. Papa vero directis militibus, cum armorum apparatu, auctores tanti sceleris persequi, et corpus exanimati fratris ad se præcepit deportari. Quod inventum est omni veste spoliatum et in suo sanguine volutatum, sicque a quodam clerico de sociis in papæ præsentia perlatum. Qui benigno ut erat animo compaciens, pluviali suo quo indutus erat, corpus fratris operiens, et absolutionem ei faciens, missam pro defuncto cecinit, et sic terræ quod suum erat restituit, multum consolatus abbatem, ut voluntati Dei sui concordaret, judicia ejus esse occulta, numquam tamen injusta. Confortatus est autem spiritus illius in Domino, et cum omnia perdidisset, non ad iracundiam provocatus est, neque stultum quid contra Deum loquutus est. Cogitabat vero papa mitissimus cum penes se retinere diebus vitæ suæ, sed quia idem anxiabatur jam per annum integrum commissos sibi fratres et filios se non vidisse, licet doleret illos non ut decuerat eum a se dimisisse : videns animum ejus in hoc esse ut fratres visitaret, dimisit eum, imposita ei legatione Colimbriæ, dans litteras ad Sisenandum principem præfatæ provinciæ (188), ut ei tamquam alteri sibi crederet. Misit etiam per eum, et per Petrum Igneum (189), et per principem Salernitanum Gisulfum nomine, quos Cluniacum mittebat, litteras omnibus fidelibus, in quibus et calamitatis sanctæ Romanæ æcclesiæ causam, et cur tanta passus sit, quamobrem ad hec patienda adductus sit, breviter dilucidavit, et ut sui misererentur ammonuit in hec verba :

« Gregorius episcopus, servus servorum Dei, omnibus in Christo fidelibus, apostolicam sedem revera diligentibus, salutem et apostolicam benedictionem. Pervenit, fratres karissimi, etc. » *Exstat inter epistolas Gregorii, Patrologiæ tom.* CXLVIII, *col.* 708.

VARIÆ LECTIONES.

[416] *ita codex;* præstolamur *Labbeus edidit.*

NOTÆ.

(188) Neque hæc neque sequentes Gregorii litteræ in Registro leguntur. K.

(189) cardinalem.

Abbas igitur Divionensis cum Petro Igneo et principe Salernitano apud Salernitanam urbem mare ingressi, quia per terram ire propter discursantium hostium impetus pertimescebant, longa navigatione pertesi tamdem applicuerunt apud Sanctum Egidium (190), ubi diversis curarum æstibus cepit mens ejus anxiari, utrum sicut papa præceperat iret recto tramite Colimbriam, an visitaret filios quos jam emenso anno non viderat. Ei itaque fluctuanti providit respectus pietatis divinæ, inspirans cordi illius, ut postposita omni dubietate fratres et filios visitaret; quod et fecit, nec eum fecisse penituit. Nam nisi hoc fecisset, fortasse rediens a Colimbria vix invenisset quos visitaret. (1085.) Perdidisset etiam tantam frugem filiationis, quantam eo anno suscepit, cujus tanta extitit multiplicatio, ut merito debeat Divionensis æcclesia annum ipsum meliori numerare lapillo. Venit ergo Divionem, et quos in discessu suo passus fuerat infestos, invenit toto sibi corde substratos. Invenit etiam scissam in aliquibus cordibus caritatem, quæ sanavit prout potuit et Dominus dedit. Nondum multum temporis fluxerat, cum audita dissensione inter Virdunensem episcopum et religiosos quosdam qui in eadem urbe in cenobiis suburbanis degebant, quibus contrarium erat Witberto [417], et eis qui Wibertistis [417] communicabant, subesse, Bertiniacum se contulit, præstolans et præcavens si forte cum gratia Dei fratres illos posset venari, ut ad se confugerent, ubi in innocentia et quiete modesti spiritus Deo libere servire valerent. Verum de his hec interim dicta sint.

Igitur papa Salernum veniens, ibidem remansit Deo devote serviens, et in tribulationibus quæ increverunt super eum, gratias agens. Confortabatur autem in Domino, et prosperabatur in spiritu; quia sicut omnia adversa habet qui sibi displicet, ita et quem non remordet conscientia simplex, pura et lucida, nullo bono indiget. (Fol. 132) Rememorabatur prædecessorum suorum Romanorum pontificum, Gregorii, Leonis et aliorum, qui quanto perfectiores in via Dei fuerunt, tanto a Romanis gravius insectati sunt, et ideo digni inventi sunt. Simplex oculus corpus reddebat lucidissimum. Incedebat securus per justitiæ semitas, cui testimonium perhibebat conscientia, quod pro defensione veritatis patiebatur; ideo non tribulabatur. Videbat et sollicitus secum retractabat quia, si papa cum Deo esse vult, pauper et inops efficietur; qui autem velet esse cum seculo, ut querat quæ sua sunt, non quæ Jesu, a symonia manum non cohibeat, iniquitati faveat, non æquitati, congregandis pecuniis inhiet: hic ditabitur opibus, et superabundabit. Ideo pauperiem Christi non habentis in corde pravorum ubi caput reclinet, tanto magis appetebat, quanto mammonæ furentis et illicientis fallaces et non veras aspernabatur divitias. Astringebatur enim in utroque humero velamine superhumeralis, qui contra adversa et prospera virtutum semper ornamento muniebatur, et ad sola quæ anteriora sunt nitens, in nullo delectationis infimæ latere flectebatur [418].

(Fol. 132') Jam autem tempus adest, ut resolutionis ejus series referatur, et quo fine ad Dominum suum, pro quo tanta passus est, migraverit, oratio brevis nec tediosa prosequatur. (1085) Re enim vera finis ejus laus Domini est, quia si omnis laus in fine canitur, cum consummata vita ejus tota sit apud Deum gratiarum actio, ipsa ejusdem consummatio perhennis est in laudibus Dei jubilatio. Sciens ergo imminere diem vocationis suæ, longe ante convocatis cardinalibus episcopis et cæteris conceptivis, diem obitus sui prædixit; consummatisque omnibus æcclesiasticæ institutionis officiis, 15. Kal. Junii prædictos fratres sub districti judicii interminatione et sanctæ obedientiæ præcepto constrinxit, ut, si qua in se corrigenda deprehendissent, nullatenus tacere præsumerent. Quibus collaudantibus et vitæ conversationem, et disciplinam doctrinæ sanctæ morumque institutionem, et secundum scientiam sancti zeli fervorem, compulit eos apostolica auctoritate singillatim sibi dextras dare, promittentes quod hereticum illum invasorem sanctæ et apostolicæ æcclesiæ numquam reciperent, nisi forte canonice resipiscens, puram confessionem cardinalibus episcopis offerret nudatus omni æcclesiastici ordinis dignitate; contestans et affirmans omnes simul in perpetuum condempnandos, quicumque communicare præsumpsissent Heinrico archipyratæ, usurpatori imperii, nisi deposita dignitate regni secundum præceptum eorum et reliquorum religiosorum in Theutonico regno commorantium condignam penitentiam ageret. Deinde confirmavit vicem suam potestatemque ligandi et solvendi omnibus vicariis suis, sicut ipse per orbem constituerat; ut quos ipse ligaverat, ipsi post condignam satisfactionem absolverent secundum apostolicæ fidei normam; non sicut quidam se ipsos fallentes, errantes, et alios in errorem trahentes confingunt, quod omnes excommunicatos indiscrete absolverit, ac si posset vivificare eos qui non vivunt. Deinde quod vanitas ipsa per multa regna dissiparetur, divina inspiratione cognovit et prædixit. Demum absolvit omnes, qui in fide ista, quæ per illum innotuit, usque ad finem perseveraverint, ab omnibus peccatis suis; et sic Creatori [419] spiritum tradens, anno ab inc. Dom. 1085. obiit martyr et confessor. Eodem anno ven-

VARIÆ LECTIONES.

[417] *Ita c.* [418] *reliqua pagina vacat.* [419] spm̄. C. spm̄. t. *c.*

NOTÆ.

(190) Saint-Gilles in Languedoc.

tus, grando, fulgura et tonitrua, 4. et 3. Kal. Julii A Galliam attriverunt.

(Fol. 130 b) Dixit (191) Urbanus papa in quadam epistola sua : « Dominus noster papa Gregorius beatæ ac dignæ memoriæ cum apud Salernum gravi teneretur infirmitate, unde ipse postea obiit, convenerunt ad eum episcopi et cardinales Romani qui ibidem aderant, rogantes eum et postulantes, ut quem sibi vellet subrogari successorem in pontificatu eis ostenderet. At ille secum aliquantulum cogitans, hec illis verba dedit : *Quemcumque horum trium, Lucensem scilicet episcopum, Ostiensem, aut archiepiscopum Lugdunensem habere poteritis, in pontificem eligite.* De excommunicatis autem similiter requisitus respondit : *Preter Heinricum regem dictum, et Ravennatem archiepiscopum, nisi forte ad vos prout vobis videbitur, ad dignam atque canonicam venerint satisfactionem, et præter omnes principales personas, quæ aut consilio aut auxilio favent nequiciæ illorum et impietati, omnes absolvo et benedico, quicumque me hanc habere potestatem spiritualem in vice sancti Petri apostoli credunt indubitanter.* »

(Fol. 132') Post Gregorium Desiderius Cassinensis abbas pontificio Romanæ urbis assumpto, Victorem se nominavit. Cujus qualis fuerit electio, promotio et consecratio, domnus Hugo Lugdunensis satis evidenter expressit, scribens comitissæ Mathildi in hæc verba :

« Hugo sanctæ Lugdunensis æcclesiæ servus, dilectissimæ in Christo sorori Mathildi, divinæ consolationis uberrimam gratiam. Quot et quantis sanctæ C Romanæ Ecclesiæ litteris, et reverentissimæ memoriæ beati Anselmi, et vestris tam legationibus quam et litteris coactus, Romam venerim, quantoque tempore in partibus Italiæ contra officii mei propositum moratus sim, prudentia vestra doceri non indiget. Electionem vero Cassinensis abbatis antequam ego Romam venerim factam, sufficienter audistis, cui tam ego quam et ceteri fratres mei sanctæ Romanæ eclesiæ filii, diligentes magis gloriam hominum quam Dei, pro temporis infirmitate assensum præbuimus. Postquam autem ad montem Cassinum, quo ipse jam præcesserat, Romæ aliquamdiu morati, ipsius ducatu pervenimus, ex ejusdem familiaribus nobiscum colloquiis, dum videlicet nefandissimos actus suos in auribus episcoporum et cardinalium jactanter recitare non erubesceret, copiosius necessario deprehendimus, quam intolerabiliter Deum in ipsius electione offenderimus. Quis enim, nisi ex ipsius ore audisset, umquam crederet, Heinrico dicto regi fidem eum dedisse, ut de optinenda Romani imperii corona fideliter eum adjuvaret? Aut cujus accusatio contra talem virum reciperetur, nisi ipse quasi ad cumulum gloriæ suæ adscribendo nobis narrasset, prædictum regem ad invadendas terras beati Petri nunquam, nisi suo consilio et persuasione animaretur, Romam transisse? Numquid non delirans videretur, si quis Romanum electum post absolutionem a beatissimo papa Gregorio susceptam, excommunicatum garriret; nisi ipse Attonem cardinalem Mediolanensem electum a prædicto papa eodem abbate subscribente publice excommunicatum, et sine penitentia defunctum, non solum beatum in communi nostra audientia prædicare præsumeret, verum etiam seipsum non in alia, nisi in qua ille est, gloria futurum oraret? In quibus omnibus dilectissimos fratres nostros He. et B. cardinales, quos vobiscum esse putamus, testes advocamus, qui vel ipsi de ejus ore audierunt, vel bonis viris, quibus indubitanter credunt, referentibus, se audisse dixerunt. Quotiens decreta domini sui papæ Gregorii aliorumque sanctorum patrum non solum B verbo aperte inprobaverit, verum etiam manifestis operibus postea destruxerit, in quot et quibus locis electionem suam non secundum Deum, sed tumultuarie factam asseverans, publice refutaverit, (fol. 133) et numquam se adquievisse, vel in perpetuum adquieturum, sub terribili attestatione affirmaverit; quasve personas electionem reddendo æcclesiæ idoneas eligi in Romanum pontificem dixerit, inter quas quendam vobis ex nomine, Mettensem scilicet Herimannum quorumdam consilio scripsit, quoniam vobis magna ex parte manifesta sunt, et epistolarem modum scripta excederent, ex ordine scribere omittimus. Nunc vero, cum jam tandem post tantum laborem inaniter insumptum respirare videbamur, et electionem totiens refutatam, et æcclesiæ redditam, C divina gratia, et vestro fulti consilio et auxilio, in proximo libere facere sperabamus, sub occasione eligendi Romanum pontificem concilium in Capua sicut illarum partium apostolicus vicarius congregavit. Ad quod ego et abbas Massiliensis atque archiepiscopus Aquensis apud Salernum commorantes, ab episcopo Ostiensi et principe Salernitano et Cenciano Romano ex parte vicarii et Romanæ æcclesiæ invitati, ut communi consilio Romanum pontificem eligeremus, veniendo obedivimus. Dux etiam quibusdam circumventionibus a Jordano principe juveniliter illectus, illuc venit. Cum ergo de proposito negocio tractare disponeremus, abbas quibusdam mollibus et gestuosis repulsionibus fautores suos episcopos et principem ad compellendum se provocare cœpit. Comperta autem versutia sua, cum præ- D dicti ad restitutionem sui quasi invitum eum compellerent, nos prænominati cum Ostiensi episcopo et Witmundo monacho et quibusdam aliis consilium habuimus, qualiter astutiæ illius contrairemus. Postquam ergo ipse jam paratus erat insignia pontificatus resumere, et electionem etiam in ipso conventu multoties refutatam iterum in se retorquere, prædictorum consilio, nos tantam hominis levitatem et propositi sui mutabilitatem inprobantes, in audientia omnium nos nequaquam assensum præbituros diximus; nisi de quibusdam contra famam suam et

NOTÆ.

(191) Cf. cod. Udalrici N. CLXVI. in SS. t. V, p. 563, l. XLIX, sqq.

tanti ordinis dignitatem, quæ post electionem suam nobis de eo innotuerant, primum canonice examinatio fieret. Quod ipse indigne ferens, neque ad examinationem venturum, neque electionem umquam suscepturum se, publice affirmavit. (1087.) Sicque data nobis iterum licentia ab eo quem vellemus eligere, excutiens brachia sua, cepit a nobis recedere, cum Witmundus ex consilio Ostiensis episcopi publice exclamavit, infamem personam non debere in Romanum pontificem eligi vel ordinari, cum constaret eum indubitanter infamiam incurrisse, quoniam quidem excommunicationem domni papæ Gregorii per annum integrum et continuum et eo plus sine canonica penitentia sustinuisset. Taliter itaque dissoluto conventu, et quia nox inminebat, nobis recedentibus remansit dux cum eo, retento secum Ostiensi cum ceteris Romanis episcopis et cardinalibus. Ubi cum diu rogando dux institisset, ut quendam Alfanum in Salernitanum episcopum consecraret, sed Ostiensi contradicente abbas voluntatem ducis inplere non auderet, quoniam de manifestissima ambitione Alfanus convictus fuerat, dux graviter indignatus recessit ab eis. Abbas igitur gratia destitutus, quoniam sine eo ad Romanum pontificatum aspirare desperabat, profunda jam nocte cunctis dormientibus legationem ad ducem misit, sicque duce ad abbatem redeunte, et abbas gratiam apud ducem ut papa fieret, et dux quod querebat optinuit apud abbatem, ut Alfanus consecraretur sequenti die, videlicet dominica in palmis, ex præcepto abbatis id se cunctis facere respondentibus. Eadem itaque die cum post prandium abbas, dux et princeps, uterque a somno meridiano surrexissent, sole declinante ad inferiora, set vino optinente superiora, heu ! proh dolor ! abbas pro mercede nefandissimæ consecrationis, fultus auctoritate ducis, pluvialem sibi ipse imposuit, Ostiensi et nobis inconsultis, et prorsus ignorantibus. His ita gestis, cum Ostiensis episcopus nobiscum bene per omnia cucurrisset, ut vidit quod abbas per potentiam principis Jordani ad consecrandum se Romam ire intendebat, timens forte ne sui dignitate privaretur, si ab alio prima manus consecratio ei imponeretur, conversus est in die belli; et inmemor factus propositi et factæ nobis sponsionis, quod dicere pudet, cum abbate pacem faciens, reverentiam ei per omnia sicut papæ persolvit. Qualiter autem vel quomodo Romam ire disponat, quoniam præsentium lator et peregrini, quidquid postquam a nobis recesserunt per Capuam transeuntes de hujusmodi apparatu fieri viderunt, vel aliis referentibus didicerunt, plenius vobis referre poterunt, inutile judicavimus scribere (192). »

Hic igitur consecratus ab Ostiensi episcopo, cum missas apud Sanctum Petrum diceret, infra actionem judicio Dei percussus est. Et quamvis tarde, cognoscens se errasse, se ipse deposuit, et accitis fratribus de monte Cassino qui secum aderant, præcepit se illo deferri, et in capitulo non ut papam, sed ut abbatem sepeliri.

(fol. 133'.) His ergo ita digestis, quia jam ad id locorum devenimus, ut de peregrinatione nostra nobis agendum sit, oremus Deum ut cordi nostro scientiam verbi infundat, sapientiæ gratiam largiatur, ut verum dicentes non laboremus. Annus erat ab inc. Dom. 1085, et efferatus impetus Teoderici Virdunensis episcopi pro defendenda et attollenda parte Witberti Ravennatis heretici nullo justitiæ moderamine reprimebatur, quominus illum sanctum, justum et catholicum pontificem Romanum annunciaret, et annunciandum præciperet : adeo ut solempnes pro eo in æcclesia orationes diceret, sub eo ordinationes faceret, et quidquid juris sancto papæ debetur, huic contra jus et fas ab omnibus exsolveretur. Non potuit hoc diutius pati abbatis Rodulfi simplicitas, maxime cum in eum omnium præcipue desevirent omnia, quasi dolentium quod solus ab eis dissentiret, qui unus illorum et inter primos esse deberet, et nunc ad illorum contumeliam novas leges, novas institutiones contra principem regni et sacerdotes proponeret. Et quia tectum odium ad apertas jam inimicitias procedebat, cedendum tempori ratus Flaviniacum se contulit, quæ est villa ditioni ecclesiæ sancti Vitoni subdita, in territorio Tullensi sita : ut, aliquantulum semotus a civitate, expectaret si quis daretur locus remedii, ut illis aliquantisper sedatis ipse ad fratres posset regredi; sed incassum res agebatur. Tractaverat autem de his nuper cum abbate Divionensi, et consilii illius hæc fuit determinatio, vanissimum esse, si cum fratribus, ut disposuerat, peregrinari vellet, cum aperta esset via periculi, si fratres juvenes et moderni, qui eo tenus sub arta custodia Deo in monasterio servierant, seculo exponerentur; id melius fore, ut pater simul cum filiis, quia in suo esse quieti nequibant, aliquem locum religione nominatum expeterent, in quo Deo cum gratia et quiete servirent, donec decurso nubilo erroris ejusdem ad sua redire possent. Adjecit etiam prædictus abbas se præsto esse qui hæc illis non negaret, qui non sua eis daret, sed quæ illorum erant eis cum gaudio assignaret, quia bona æcclesiæ omnibus filiis ecclesiæ sunt communia; Divionensem æcclesiam bonis omnibus assignatam, quæ in ea essent bona temporalia religiosis omnibus non defutura. Aderat et tunc ipse in proximo apud Bertiniacum scilicet fundum ipsius Divionensis æcclesiæ in eodem Tullensi territorio situm, paratus fidem facere promissis, longa mora præstolans si veniret, et crebris nunciis admonens ut veniret; quod et ita factum est. Videns enim abbas Rodulfus omnem reversionis sibi intercludi aditum, malis undique multiplicatis, venit ad eum ad prædictam villam Bertiniacum, ipsa vigilia an-

NOTÆ.

(192) Aliam Hugonis epistolam post Urbani II electionem ad Mathildam de eadem re scriptam ex chartulario Cluniacensi edidit d'Achery II. K.

nunciationis Dominicæ, et festum ipsum nocte eadem ibidem celebravimus. In crastino Linguonas venimus, et sic die tercia Divionem peraccessimus, ubi honorifice et caritate suscepti, congregationi monasterii sociati sumus.

Delectat nos hic paulisper immorari meditationi memoriæ mirabilium Domini, quæ fecit nobiscum Dominus Deus, qui operatur magna in pauperes suos : ut confiteatur ei tota substantia nostra, quia fecit nobiscum non secundum merita nostra, sed secundum beneficia sua. Juvat ergo memorari dulcedinis misericordiæ ejus, quoniam bonus est, quoniam dulcis est, cujus gratia gratuita est, cujus pietas incomparabilis, misericordia inedicibilis, qua salvat eos etiam qui salutem qua salvari debeant refugiunt, quos tua, Domine, gratia ad salutem trahit etiam invitos. Tuum est, Domine, regnum, tua virtus, tua potentia; tibi soli cum Patre et Spiritu sancto honor debetur et gloria, laus et jubilatio, et perennis gratiarum actio. Tu me, Domine, hujus tui muneris participem fecisti, tu me refugium et aliena magis quærentem et sub specie discendi seculo adherere volentem per servum tuum abbatem Rodulfum a vanitate seculi subripuisti, et peregrinationis hujus comitem constituisti ; multiplicans gratiam tuam in me, ut non me tæderet adolescentulum notos, affines, patriam, et nidum quo coalueram relinquere ; immo gauderem, et gratias agerem, quidquid tuæ paternitati de me libuisset, et corpus et animam totamque nostri substantiam tibi gaudens devoverem, et in tuo servitio quidquid virium esset juvenilis corporis expendere præoptarem (fol. 454). Addidisti insuper infimo mihi et immerito gratiam et benivolentiam servi tui abbatis Divionensis, qua mox ut me vidit et agnovit, totum in se, te volente, te favente, transfudit, sperans et credens ut reor, aliquid boni a te manaturum in nobis. Et utinam quod speravit, quod credidit, quod quesivit et querit a te de nobis, fiat per gratiam tuam in nobis, ut gaudeat de profectu nostro, quem voluisti ut nos diligeret pro amore tuo. Quid enim erat in nobis, quod tantus vir tanto caritatis affectu diligeret, nisi tua, Domine, gratia quam sperabat et expectabat a te in nobis? Fiat, Domine, per gratiam tuam fructuosus devotionis ejus affectus in nobis, ut lætetur dulcis ejus anima super benignitate tua, quæ nos ejus meritis, tua cooperante gratia confortare et regere dignetur, ut in illo et in nobis misericordia tua prædicetur et honorificetur. Nolo enim beneficiis tuis ingratus esse, nolo patris hujus beneficia, quæ abs te sunt, tam longe projicere, ut extra conspectum sint. Volo ut frequens illa cogitatio exerceat et renovet, ut numquam memoriæ subducantur, quæ nichil perdit, nisi ad quod non sepe respexerit. In prima parte animi ponantur, ut semper occurrant. Delegi ergo propensiori affectu et ferventiori studio servire tibi, quia videbam redundantem in me misericordiam tuam ad delendam iniquitatem meam et confortandam humilitatem meam. In omnibus tibi gratias agit exilis et infima humilitas nostra, quia me a consortio malignantium eripuisti, et a tribulationibus quæ increverunt super servos tuos fratres nostros, postquam a nobis discessum est, gratuita pietate liberasti. Capti enim, cum exprobratione et inproperio conspectui Virdunensis illius bestiæ præsentati sunt, quo totus senatus urbis convenerat, et quasi de fide agendo, quem papam haberent, quem regem venerarentur, inquisitum est. Quibus silentibus, ad inaudita mox perrectum est. Textus evangelii in medio positus est, inde data sententia ut a maximo usque ad minimum omnes jurarent, Witbertum cognomento Clementem papam esse justum et catholicum, Heinricum imperatorem a Deo ælectum et coronatum ; quod qui non fecisset, cum dedecore et ignominia vestibus nudatus ab urbe pellerctur. Factum est hoc, ut probati manifesti fierent. Noverat pietas tua, Domine Deus, servum tuum illum Rufum, latentem inter lapides margaritam Dei, qui spoliatus, cesus, fustigatus, quia jurare noluit, per medium urbis fugatus, ignominiam crucis tuæ, Christe, in corpore portare non erubuit. Nudus ergo in sola staminia (193) per octo fugatus miliaria, cum a quibusdam servis Dei aliquantula veste donatus esset, tandem venit Divionem, et cum gaudio susceptus, et de labore refocillatus est. Multiplicabatur interim numerus fratrum advenientium, et ut concordia et pacis unanimitas inter utrasque turmas artius servaretur, de promittenda stabilitate monebantur. Quod verbum ideo illis erat gravissimum, quia quasi abhorrebat a recto, eo quod nec primam fidem infringere, nec secundam professionem facere se posse, salva prima quam fecerant, sanum eis videbatur. Timebant enim primum votum, primam professionem violare, et ideo de secunda facienda nefas putabant vel sermonem audire, cum id eis omnino intolerabile videretur, monasterium in quo stabilitatem Deo voverant, deserere vel ad horam; quod omnino abnegarent, si secundam stabilitatem in aliena æcclesia firmarent. Quesierat super hac re consilium abbas Rodulfus a quampluribus, et Lanfrancus Cantuariorum archiepiscopus tale ei responsum reddiderat, scribens ad eum in hæc verba :

L. Cantuariæ archiepiscopus Rodulfo abbati salutem. Indicatum est mihi quia de tuo monasterio recedere vis : de promissa stabilitate sollicitus es, ne unde Deum placare debes, inde offendas. De quo rationem talem ostendo, et in ostendendo me in exemplum sic do. Si ego L. manu propria me de aliquo monasterio non recessurum jurassem, viderem autem quod ibi animam meam salvare non possem, exirem, nec perjuri crimen incurrerem. Qui enim Deo propter Deum alligatur, non solvitur ab ipso, nisi contra ipsum solvatur. Porro ab ipso contra ipsum non solvitur, qui

NOTÆ.

(193) Lanea camisia.

propter amorem ejus, et ut ei bene placeat, a filiis discordiæ, superbiæ, diffidentiæ, et, ut apertius dicam, a filiis diaboli migrat ad filios pacis, spei, humilitatis, immo filios Dei. Qui enim sic transit, nonne fugit a sede diaboli ad sedem Dei? Quis autem judicet illum dampnandum, qui ut ad patrem, ut ad Deum et amicum, fugit ad ipsum? Preterea qui sic transit, non ab æcclesia ad æcclesiam transit. Non sunt plures æcclesiæ, sed una est toto orbe diffusa, et uni Deo ubique servitur, uni regi militatur (fol. 134'). *Postremo sanctus Benedictus, qui stabilitatem præcipit firmare, monachum ab illo monasterio ad aliud venientem suscipi jubet, et, si bonæ vitæ fuerit, ut stabilitatem firmet suaderi.*

His et aliis quampluribus probabilibus argumentis et rationibus muniti, præcepto patris sui obtemperantes, quidam stabilitatem ecclesiæ Divionensi in præsentia patris monasterii professi sunt et obedientiam; quidam autem dubitaverunt, et adquiescere ut profiterentur noluerunt. Ego eram, Jesu bone, de dubitantibus unus, cum tua pietas per servum tuum abbatem nostrum mihi jam præcepisset, ut fideli tuo, cui complacuerat sibi in me anima ejus, cotidiana adhererem instantia : quamquam et hoc ipse timerem, quia viri modestiam, pietatem et dulcedinem non noveram : cujus licet nossem sanctitatem, reverebar. Et tamen adherebam ei de longe, et benignitatem ejus multopere sitiebam, quia bonis coesse et cohabitare desiderabam, quod totum abs te erat, domine Jesu. Venabatur ille discretione præcipua, ut peritus auceps, animam meam, muneribus quibusdam et affectione multimoda, quæ tamen religionis propositum non excederent, attrahendo et quasi inlaqueando devotionem meam, quæ aliquanta erat erga illum; sed rursus timebam hominem quem non noveram, quamquam jam ei pectus nostrum aperuissem, et omnia animæ secreta retexissem. Quid erat, domine Jesu, in corde illius fidelis tui? Quid erat, cum me ita dimitteret voluntati propriæ, ut etiam publice prohiberet, quidquid facerem, quidquid dicerem, ne quis objurgaret, ne quis saltim in capitolio reclamaret? Quid erat, cum cotidie quasi pedibus ejus procumbens, cum jam quasi venatus essem, orarem ut me reprehenderet et edoceret, et ipse me quasi repelleret, et optionem daret ut quidquid vellem facerem? Et jam professionem feceram, ad quam faciendam tali ratione ductus sum. Casu de claustro veniebam, cum ipse sederet in consistorio suo, et videns me, de professione monere cepit. Ego audito quod nolebam, erubui, et gradum repressi; cum ecce columpnæ ligneæ appropians, colubrum offendi spira sua inrotatum. Cui, cum nesciens quid esset, quia nichil tale verebar, pedem protendissem, ut quid esset agnoscerem, collo protenso hianti ore morsum minatus est. Cum clamassem, et gradum retro tulissem; jussu ejus prior adveniens, pede capite colubri conquassato, mortuum projecit, clamante eodem viro beato, et dicente : *Occide, sic moriatur serpens qui insidiatur saluti fratris Hugonis!* me quoque in corde assentiente, et dicente : *Sic fiat, amen.* Statim, Jesu bone, ut hoc in corde meo deliberatum est et assensum, dulcedo tua in me pie convaluit, et sensi amorem tuum quasi extinxisse in me omnia venena serpentis, quæ me ab inplenda obedientia professionis inplendæ impediebant. Quid mora? die eodem sentiens vir præfatus cor nostrum inmutatum, te ut credo inspirante solum me aggressus est, et cum multa de simplicitate et modestia abbatis nostri perorasset, quedam etiam de inreverentia nostra et pertinatia, qua obedire patri spirituali refugiebamus, replicuisset, deducta in medium auctoritate regulæ, quæ præcipit obediendum patri, etiamsi ipse, quod absit! aliter agat, nec esse discutiendum de obedientia : vicit me, fateor, auctoritas viri, et vis verborum ratione et auctoritate subnixa, illud etiam, quia te præstante veritati repugnare nolebam. In omnibus tibi, bone Jesu, gratias ago, quia protexisti me; quia sub umbra alarum tuarum fovisti me, et gratia servorum tuorum fidelium donasti me. Itaque eo deducente, abbati nostro de pertinacia satisfeci, et in crastino præceptis eorum obedivi. Per omnia benedictum nomen gloriæ tuæ, qui disponis omnia in tranquillitate. Precor, domine Jesu, non me secernas a numero et consortio servorum tuorum, qui dereliquerunt gloriam mundi cum suis oblectationibus; quia et ego, cum tu inspirasses cordi meo, seculum et quæ ejus sunt voluntate promptissima postposui et postpono, animam et corpus meum tibi domino Deo, teste et mediatrice beata Maria, devovi et voveo, et in tuo servitio emori præopto, quia tibi servire regnare est (fol. 135). Mortifica in me, Domine, quidquid illud est quod neque cibis neque sacrificiis aptum est, et da Patri nostro servo tuo abbati Divionensi videre quæ optat de nobis; ut lauderis in ipso et in nobis, qui es potens, gloriosus, admirabilis et benedictus in operibus tuis.

(Anno ab inc. Dom. 1088.) Igitur his qui residui erant ad obediendum inclinatis, cum in pace et modestia quieti spiritus Deo ab omnibus serviretur, ecce repente de obitu papæ Gregorii VII nuncio veniente *; fratrum præcipue corda turbata sunt, dolentium desolationem sanctæ Dei ecclesiæ, quamquam congaudendum illi scirent, quem multis tribulationibus probatum suo jam Dominus gremio

* *Hæc de obitu Gregorii VII leguntur in codice Musei Britannici inter Cottonianos Nero C. V. membr. sæc. XI exeuntis fol.* 1 : « Volumus vos scire qui æcclesiasticæ cure solliciti estis, quod apostolicus Hiltebrandus nunc in extremis suis ad se vocavit unum de duodecim cardinalibus quem multum diligebat pre cæteris, et confessus est omnipotenti Deo et sancto Petro ac toti æcclesiæ valde peccasse in pastorali cura quæ ei ad regendum erat commissa, suadente diabolo contra humanum genus odium et iram incitasse, Postea vero sententiam quæ in orbem terrarum effusa est, pro augmento Chri-

confoveret; pro animæ tamen ejus absolutione et requie consuetudinarium pensum promptissima voluntate persolverunt in officiis et celebratione missarum et largitione elemosinarum. Vigebat enim virtus caritatis in patre nostro abbate Divionensi, quæ tanta erat, ut quamquam eo anno ubique tempestatis violentia maturæ segetes in spicis et vinum in racemis, omnia prostrata et prorsus dampnata essent, nichil tamen minus fieret in refectorio et elemosina, cum fratres centenarium fere excederent numerum, et his qui de terra fertili et plenissima venerant, et nichil minus noverant quam penuriam pati, abundantissime in omnibus ministraretur, et tua pietas omnia supplebat, domine Jesu. Et quidem juste. Habenti enim caritatem, dabitur et abundabit. Quæ autem major potuit esse karitas, quam virum anno integro a monasterio semotum, inde ad sua redeuntem omnia invenisse confusa et prorsus adnullata, cum omnia deessent, panis, vinum, substantia, 40 fratres cum gratiarum actione suscepisse; et qui suis nullo pacto quibat in necessariis sufficere, hunc pro his quos non noverat deducendis ad terras extraneas isse, et suis eos expensis ad suum locum deduxisse? Hec sunt tua, Jesu, mirabilia, hec de tuo fonte procedunt. Noverat ille tuus famulus, te tuis non defore, qui consuesti cibos in deserto parare, et de paucis panibus multa milia hominum saciare. Hec etiam ei tua omnipotentia prævidisti, qui et necessaria ei subministrasti, et insuper tanta in prædiis et fundis æcclesiæ eidem anno ipso et deinceps contulisti, ut duplicatus videretur census æcclesiæ, et insuper te donante, benedictionem hereditate possidebit, quia in modico inventus est fidelis.

Anno igitur sequenti, persequutione Heinrici tyranni Herimannus Mettim exiit, et sedem cathedræ ejus Walo abbas sancti Arnulfi illicite usurpavit. Actum est illic miro Dei judicio, ut cum ad execrationem ejus crisma quereretur, et allatum esset crisma ab Herimanno confectum, episcopus Virdunensis reprobatum crisma quod sanctum erat, projiceret, et allato suo, quod ipse contra jus et fas sacraverat, inde perficeret Walonis sacrationem, ne benedictionem patris filius impudens mereretur. Walo tamen, quia patris cubile ascendit, publicam penitentiam egit. Heinricus in loco ejus Brunonem quemdam exepiscopum creavit, qui postea ab urbe cum dedecore et ignominia pulsus est, et sic Herimannus post multa laboris et viæ pericula a suis de Langobardia, quo cum Mathilde morabatur, revocatus, 4 anno egressionis suæ Mettis recipitur cum omnium affectione, anno ab inc. Dom. 1089. Eodem anno Odo Ostiensis episcopus in papam consecratus est, et Urbanus dictus est (1088, Mart. 12).

Nos igitur loquuturi de obitu domni Herimanni, videamus primo revelationem factam de translatione corporis beati Clementis, primi Mettensis ecclesiæ apostoli et episcopi, et de obitu ejus. Apparuit sanctus Clemens cuidam puero Hugoni nomine, innocentis et simplicis vitæ, et ostendens ei in æcclesia sancti Felicis locum sepulturæ suæ, præcepit ut iret et diceret Herimanno Mettensi episcopo, ut elevaret inde ossa ejus. Adjungens etiam quia die tertio post factam revelationem corporis sui ipse moreretur. Injunxit etiam puerulo ut mutaret vitam et ne quid puerile ageret, sed monasticum appetens indumentum, Deo servire studeret. Puer evigilans dominum advocat — patre enim et matre orbatus apud eum qui sororem suam habebat, morabatur, — et venienti visionem indicat. Petit ut ducatur ad episcopum. Sed dominus ejus timens, duxit eum ad abbatem sancti Felicis, cui puer quæ viderat refert. Ille religiosis personis omnia per ordinem pandit, inde jam omnes episcopum de translatione ammonent. Puer vero sollicitus de inplenda obedientia, flebat quidem quia non præsentabatur episcopo. Illi vero Gallico laborantes coturno, abbati sancti Felicis inponebant factam revelationem, quasi ut majoris esset auctoritatis, silentes de puero. (fol. 135') Requisivit etiam monasticum habitum, sicut ei injunctum fuerat, et cum a quibusdam in monasterio sancti Clementis judicaretur poni debere, sua ipsius voluntate, quia duos fratres in monasterio sancti Vitoni habuerat, qui jam seculo excesserant, illuc ductus est et susceptus. Det illi Dominus vitam in omni sanctitate et religione perfectam meritis et intercessione sancti Clementis, ut videat bona Domini in terra viventium.

(1090.) Igitur venerabilis Herimannus in urbe sua susceptus, in quadragesima infirmari cepit, et tamen ab episcopali officio multis infirmitatem ejus admirantibus, non destitit. Et quia multis jam præcedentibus annis a quibusdam religiosis personis ammonitus fuerat de translatione beati Clementis, urbis Romæ patricii, postea discipuli et legati beati Petri, qui ab eodem missus primus Mettensis æcclesiæ apostolus et episcopus extitit, quibusdam etiam asserentibus per revelationem satis probabilem, hoc esse reservatum a Deo inplendum diebus ejus, orationes et jejunium, ut erat pius, pie ordinavit, et post pascha translationem distulit, et diem determinavit. Abbas autem sancti Felicis revelationem sibi a puero relatam partim aperuit, partim dissi-

stianitatis cepisse dicebat. Tunc demum misit prædictum confessorem suum ad imperatorem et ad totam æcclesiam, ut optarent illi indulgentiam, quia finem vitæ suæ aspiciebat, et tam cito induebat se angelicam vestem, et dimisit ac dissolvit vincula bannorum omnium suorum imperatori et omni populo christiano, vivis et defunctis, clericis ac laicis, et jussit suos abire de domo Theoderici, et amicos Heinrici ascendere. Teste Mogontino archiepiscopo.

Narrationem in codice Catalaunensi (non Laudunensi, ut male scribitur) obviam supra SS. t. V, pag. 563, lin. 42 sqq. habes. Ibi et lin. 16 sqq. male expressa leguntur, quæ hic a nobis exscripta dedimus.

mulavit. Tacuit enim diem obitus ejus eadem revelatione determinatum die tercio post translationem ejusdem beati Clementis. In cena Domini quanto affectu penitentes reconciliaverit, quam devotum se in consecrando crismate exibuerit, quis satis narrare possit; cum magis angelus quam humana persona filiis ecclesiæ astantibus in ipso refulserit? Infirmitas licet gravis dignitatem vultus et oris constantia mentis in ipso turbare non potuit. Cum omnibus prædicaret publice, non tacebat in domino Deo suo confisus de vitandis Symoniacorum et Nicholaitarum sacrificiis, exponens Nicholaum ideo secundum beatum Augustinum ab apostolis hereticum judicatum, quia in ordine diaconatus eum quem prius habuerat uxoris usum apostolis arguentibus dimittere noluit. In pascha celebrato divino officio, se et oves sibi commissas sacramento corporis et sanguinis Dei munivit. Eadem die ad vesperam gravius infirmari cepit. Appropinquante vero die determinato ad transferendas venerabiles reliquias, vires tenues Domino annuente recepit, et in transferendo beato Clemente Kal. Maii cum summa cleri plebisque devotione divina gratia desiderium ejus inplevit, et tota urbe, immo tota regione ad verbum prædicationis ejus astante, et de ore ejus rore supernæ dulcedinis distillante, omnibus absolutis, et ab omnibus quasi ab ipso Deo absolutione petita, tandem in auribus omnium desideravit, dicens : *Sufficit mihi! O utinam respiciat Deus, et finiat labores meos, et suscipiat in pace spiritum meum per intercessionem sancti Clementis, cujus sacratissimum corpus hodie videre, palpare, et transferre magnifico munere nobis de cœlo donatum est!* Sub hac voce populus ingemuit, et fracto finemque laborum inploranti condoluit. Duobus diebus intercedentibus quasi præsagis vicinis transitus, fidelibus ecclesiæ fieri epistolas jussit, orans et adjurans per viventem in secula seculorum, ut sine dolo, sine simulatione tractarent negocium æcclesiæ in simplici et nuda veritate, et omnibus ultimum vale dixit, cum mirabili verborum et vultus affectione. Die tercio circa horam nonam intelligens suum transitum imminere, convocari fratres jussit, et filios astantes ne dolerent voce et manu compescuit. A quibus cum interrogaretur, cui eos desolatos relinqueret, quid eis præciperet : *Commendo vos*, ait, *Deo; state in fide et doctrina beati Petri, sicut a successoribus ejus et vidistis et audistis.* Et post hec omnes benedicens, signo crucis se munivit, et invocata sancta Trinitate, sanctæ Mariæ se commendans, commune patrocinium sanctorum inplorans, oculis et manibus in cœlum elevatis, sine ullo strepitu vocis et motu corporis, quasi obdormiens spiritum emisit. Sequenti nocte apparuit cuidam dilecto suo, quem in filium adoptaverat, qui cum psalmi cantarentur, præ tristitia obdormierat, et ait illi : *Noli mestus esse, salvus sum.* Iterum apparuit cuidam venerabili viro, et ait : *Mortuum me dicunt, sed vivo.* Hec abbatibus referentibus, et aliis personis non levibus, cognitum est. Obiit autem Non. Maii venerabilis antistes Herimannus, cruce, mitra et pallio decoratus, et his sepultus insigniis in ecclesia sancti Petri anno ab inc. Dom. 1090.

(1089, Mai. 7.) Anno præterito Teodoricus Virdunensis defunctus erat 4 Non. Mai, qui tamen in infirmitate de communione Witberti et de expulsione fratrum penitentiam egit, culpam professus est; (fol. 136) et a quodam fratre Gerardo nomine quondam canonico et archidiacono Virdunensis æcclesiæ, tunc autem monacho sancti Vitoni, quem Rodulfus abbas pia sollicitudine pro hoc illo miserat, præcepto ejusdem abbatis, qui potestatem absolvendi eos, qui ab excommunicatis redibant, ab apostolica sede optinuerat, absolutus est. Ex tunc abbas Rodulfus cum fratribus ad cœnobium sibi commissum revocatus est, cum post discessum ejus intrassent in illud lupi [420] rapaces loco non parcentes, et Deum et hominem non reverentes, a quibus ita omnia confusa sunt et destructa, ut memoria confusionis et pessundationis illius hodieque oblitterari non valeat. Quo in facto admirari libet prudentiam et caritatem patris nostri abbatis Divionensis, qui tales et tantos fratres cum suscepit, letatus est, cum remisit loco, gratulatus est. Utique solus temporibus nostris inventus est, qui fratres quos tempore necessitatis retinuerat, pacis tempore dimitteret, nec doleret. Quod enim eos suscepit, et congregationem congregationi sociavit, signum fuit cui contradictum est, adeo ut omnes rogarent in bonum monstra converti. Nam et Cluniacensis abbas domnus Hugo cum inprobasset factum ejus, dicens inpossibile fore tres congregationes invicem esse concordes, tale ei dedit concilium, ut si vellet ecclesiæ sibi commissæ pacem adquirere, eos qui vellent æcclesiæ Divionensi perpetualiter stabilitatem firmare retineret, qui vero nollent a se omnino dimitteret. Aliter tuta esse pax æcclesiæ non posset, cum illi qui essent suscepti vel nutriti in æcclesia, dissentirent ab illis qui suscipi refugerent, quod religioni adversabatur. Attestans se id facturum, si similis ei necessitas incumberet. Hoc ipse ab ejus ore audivi, cum essem cum eodem patre nostro Cluniaci. Jam enim me secum ducebat, ut viderem quæ circa eum erant, et perfectioni operam darem; cum ipse, humiliter requisitus a me quare tanto tempore voluntati me propriæ dimisisset, breviter respondit : *Volebam* inquiens, *scire si terra tua semen verbi susciperet, si suscepto semine fructum faceret, ne incassum sementem jactarem, ne labor et inpensa periret.* Quibus ejus verbis ex devotione affectum, ex affectu devotionem colligens, tibi, Christe, gratias agebam, et ut fructificaret in me gratia tua; ut letaretur in te de nobis multo affectu orabam, et adhuc in eodem maneo

VARIÆ LECTIONES.

[420] rupi. c.

desiderio, supplicans ut adsit nobis dignatio tua, quæ nos dignos faciat propitiatione tua : quatinus operante in nobis misericordia tua, alieni inveniamur ab omni iniquitate, ut letetur paternus ejus affectus de filiatione nostra. O Deus, et o beata mater ejus, suscipite clamores cordis ejus pro nobis, et lætificate animam ejus de nobis, ut simul inveniamur in sorte gloriæ filiorum Dei. Ingratus enim patri beneficia danti esse nolo, nec remotis arbitris agere gratias. Et licet in adolescentiam collata pereant, quia ipsa numquam retractentur, ego qui beneficium inveni impensum grate accipio, primam ejus pensionem solvo, quod grate ad nos perverenerint effusis affectibus judicando, et hoc ubique testando. Et si referre gratiam non potero, illud certe non desinam ubique confiteri, me referre non posse.

Fratres igitur pater noster et gaudens suscepit gaudensque remisit, quia depositum Dei esse sciebat, et ideo in servando illo et remittendo voluntati Domini sui libens parebat. Ut enim ait beatus Ambrosius in libro de excessu fratris *nichil interest, utrum abjures depositum, an doleas restitutum.* Non igitur doluit restitutum, quia sciebat Dominum; et voluntati illius contraire nefas putabat. Reversus est autem ad cœnobium suum cum fratribus suis domnus abbas Rodulfus anno ab inc. Dom. 1092. cum jam ecclesiæ Virdunensi Richerus prælatus esset, in æcclesia sancti Stephani Mettensis decani functus officio. Mettenses vero domno Herimanno viduati, elegerunt quendam clericum Trevirensem Popponem nomine, fratrem Heinrici comitis palatini, et absque regio dono sola electione præponentes eum æcclesiæ, de consecratione tractare cœperunt. Et quia Trevirensis episcopus Wibertistarum communione contaminatus erat, a domno Lugdunensi archiepiscopo consecrari eum expetierunt, imposito negotio hoc strenuitati domni abbatis Divionensis, de cujus industria confidebant. Qui nichil cunctatus, domnum Lugdunensem cum duobus suis suffraganeis, Matisconense scilicet et Linguonense, per bella et gladios, cum omnia mortem intentare viderentur, Mettim usque deduxit; a quo et consecratus est prima ebdomada quadragesimæ cum gloria, et sic domnus Lugdunensis cum suis reversus est ad propria. Sequenti anno Richerius [421] pro consecratione sua Lugdunum veniens, cum sacramento se de simonia purgasset, in die sancto paschæ consecratus est ab eodem, præsentibus episcopis Matisconensi, Cabilonensi, Augustensi, Tullensi, cum filiis Virdunensis æcclesiæ, et litteris domni Mettensis de ejus electione concinentibus.

Anno ab inc. Dom. 1094 (194), concilium habitum est apud Eduam 32 episcoporum a domno Hugone Lugdunensi (Oct. 15), cui etiam interfuerunt abbates quamplurimi et viri religiosi.

Anno ab inc. Dom, 1095, feria 4, luna 25, 2. Non. Aprilis, a noctis medio usque ad auroram stellæ de celo cadere visæ sunt, et eadem nocte Gyraldus abbas Silvæ majoris (195) migravit ad Dominum (fol. 136'). Eo quoque die domnus Lugdunensis archiepiscopus iter arripuit ad Sanctum Jacobum (196), honesto clericorum et laycorum comitatu decoratus, et apud Anicium (197) tribus diebus remoratus, cum maxima difficultate ab eisdem avulsus est, cum convenissent ibi quamplures religiosi ad retinendum eum. Venit autem ad Sanctum Jacobum imminente vigilia diei sancti pentecostes, et in die sancto missarum sollempnia ad altare sancti publica celebravit, astante episcopo et clero populoque infinito. In crastinum accepta a sancto licentia, destinavit ad sua redire, et venit Lugdunum die 3. ante navitatem sancti Joannis baptistæ, ubi cum favore et laude et gaudio omnium susceptus, nuncios habuit papæ Urbani * de Apulia venientis et ad Galliam festinantis.

* *De gestis papæ in Italia hæc habet codex Musei Britannici inter Harleianos* 3014. *signatus sæc. XII. mbr. manu Germ. aut Gall. :* Anno dom. inc. 1095. ind. 3, Kal. Mart. celebrata est Placentiæ synodus præsidente domno Urbano papa cum episcopis et abbatibus tam Gallarum quam et Longobardiæ et Tusciæ. Facta est autem magna consultatio de his qui æcclesias vel præbendas emerant, sed et de his qui in scismate Wipertino fuerant ordinati. Primo itaque die *etc. usque* capellarum officiis ipse provideat. *Quæ alio loco dabimus. Sequitur :*

Anno dom. incarn. 1095. indictione tertia, 4. Idus April. veniente domno papa Urbano Cremonam, rex Chounradus II. obviam procedens, stratoris officio usus est. Deinde 17. Kal. Mai fecit sacramento securitatem ei de vita, de membris, de captione, de papatu Romano, et regalibus sancti Petri tam intra Romam quam extra Romam acquirendis, tenendis ac defendendis contra omnes homines, bona fide, sine fraude et malo ingenio. Tunc papa eum in filium Romanæ æcclesiæ assumpsit, et si rex ista sicut promisit observaret, coram populo pollicitus est eum adjuvare ad acquirendum et tenendum et defendendum regnum. Et quando ei Deus Romam pro corona venire concesserit, coronam imperii dare, et eum in cæteris negotiis adjuvare, ad honorem Dei ac sancti Petri et Romanæ æcclesiæ, salva scilicet ipsius æclesiæ justicia, et decretis apostolicis, maxime de investituris.

(Nov. 18.) Hic habuit concilium apud Clarummontem, cui præerat Durannus episcopus, cujus dejectionem cum meditata esset Cluniacensium devotio, Christus eum exaltavit, et quod ei placuerit, modo mirabili manifestavit. Cum enim suscepisset legationem, ut papam hospitio reciperet, et

VARIÆ LECTIONES.

[421] *ita c.*

NOTÆ.

(194) Cf. litteras Hugonis ad Lambertum Atrebatensem, Mansi XX, 801. K.

(195) La Sauve-Majeure diœc. Burdegalensis.

(196) Compostellensem.

(197) Le Puy.

necessaria subministraret, et ipse ad hoc cum gratia accingeretur, graviter infirmari cepit, quibusdam eam ipsius infirmitatem male interpretantibus, cujus meritum Christus proxime populis erat ostensurus. Insidiabantur autem ei quidam fratrum Cluniacensium, pro eo quod Moysiacense cenobium, quod erat juris ecclesiæ Arvernensis, quod etiam pro restauratione ordinis Cluniaci contulerat, salva obedientia et reverentia æcclesiæ Arvernensis in subjectione sua habere vellet, et ob id eum apud papam accusaverant, et depositionem ejus attemptabant (198). Adveniente igitur papa, visitatus ab eo, et absolutus, cum jam extremum spiritum traheret, nocte sequenti spiritum Creatori reddidit (199), lotus et curatus summa filiorum, id est abbatis Divionensis, abbatis Casæ Dei, episcopi Gratianopolitani et aliorum diligentia. Et sic antequam concilium inciperetur, toto orbe ad ejus exequias occurrente, ab ipso papa et episcopis terræ est mandatum cum gloria, et sedem ejus Willelmus de Bafia adeptus est laude cleri et populi, præcepto ejusdem apostolici. Obiit quoque infra spatium temporis ejusdem concilii Desiderius Cavellicensis episcopus, et abbas Gemmeticensis cœnobii. Anno ipso confirmata est via christianorum euntium cum armis in Hierusalem. Obiit etiam anno eodem Rainaldus Remensis archiepiscopus, Hildebertus Bituricensis archiepiscopus, Landricus Matisconensis (200). Judeorum quoque exterminium ipso anno multis in locis factum est a viris Iherosolimitanis. Quod certe mirum videri potest, quod una die pluribus in locis uno spiritus fervore exterminatio illa facta est, quamquam a multis inprobetur factum, et religioni adversari judicetur. Scimus tamen quia non potuit immutari quin fieret, cum multi sacerdotes data excommunicationis sententia, multi principes terrore comminationis id perturbare conati sint.

(1096) Tunc temporis pro componenda inter fratres Willelmi regis filios concordia, Willelmum videlicet regem Anglorum et Robertum comitem Normannorum, abbas Divionensis ex præcepto papæ mare transierat, et ut præscriptum regem ammoneret de multis quæ illicite fiebant ab eo, de episcopatibus videlicet et abbatiis quas sibi retinebat, nec eis pastores providebat, et reditus proventusque omnium sibi assumebat, de symonia, de fornicatione clericorum; et quia conventionem fecerat cum eo Albanensis episcopus, quem primum illo miserat papa, ne legatus Romanus ad Angliam mitteretur nisi quem rex præciperet, et quia adeo auctoritas Romana apud Anglos avaritia et cupiditate legatorum viluerat, ut eodem Albanense præsente et consentiente nec contradicente, immo præcipiente, Cantuariensis archiepiscopus fidelitatem beato Petro et papæ juraverat salva fidelitate domini sui regis. Quæ res in tantum adoleverat, ut nullus ex parte papæ veniens honore debito exciperetur, nullus esset in Anglia archiepiscopus, episcopus, abbas, nedum monachus aut clericus, qui litteras apostolicas suscipere auderet, nedum obedire, nisi rex juberet. Qui veniens tanta libertate usus est, ut rex, integritate ejus inspecta et inadulata mentis constantia, se conciliis et votis ejus adquieturum promitteret, et omnes fideles gratularentur eum advenisse, ad cujus adventum quasi respiraret et resurgeret decus et vigor æcclesiæ Anglicæ et libertas Romanæ auctoritatis. (fol. 157.) Sed quid inperturbatum relinquit inexplebilis gurges Romanæ [429] avaritiæ? Rex suspectam habens viri auctoritatem, quem jam diu venturum audierat, legatum papæ præmiserat, et in manu ejus auri probati et purissimi 10 marchas. Hoc fisus prænuncio, respondere prædicto abbati differebat, et interim cum in pascha secum retentum reverenter et honorifice tractabat: cum ecce legatus rediens, inducias regi de omnibus usque ad nativitatem Domini reportavit, per quemdam papæ nepotulum seu vernaculum, si debita beato Petro caritas in suo discessu maturius ut credebat futuro, ei per eumdem tantæ auctoritatis legatum, ut est papæ sororis filius, et si non tota, saltim ex parte mitteretur. Quo responso accepto, rex letus factus, præfato viro apostolicas prætendit inducias; quamquam privatim et publice hoc ipsum papæ improbaret factum, qui tantum virum fama ubique celebratum, privilegiis auctoritatis suæ munitum, ita inhoneste tractasset, ut legationem ejus unius layeæ personæ, nec litteris apostolicis nec secularis scientiæ seu dignitatis honore munitæ, rescinderet. Sic re infecta, fama tamen sua, integritate, honestate, sapientia omnibus oppido commendata, ab eodem viro recessum est; et tamen pro componenda inter fratres pacis concordia in Normannia substitit, donec pace facta, decem milium marcarum pensione accepta, terram suam comes Normanniæ regis Anglorum usque ad trium annorum spacium custodiendam traderet, et sic Iherosolimam profectus, ab eodem abbate usque ad vicum qui dicitur Pons Arliæ (201) comitatui ejus Stephano comite Franciæ et Roberto comite Flandriæ adherentibus, deductus est.

Verum cum adhuc in Normannia essemus, congregatis ad exequias Matisconensis episcopi domno Lugdunensi archiepiscopo, Eduensi quoque et Cabilonensi episcopis, electus archidiaconus Lugdunensis Berardus consecratur in episcopum Matisco-

VARIÆ LECTIONES.

[429] *ita codex; at Labbeus edidit* humanæ.

NOTÆ.

(198) De alia Duranni cum Cluniacensibus lite exs at epistola Urbani ad eum a. 1094. scripta ap. Mabillon. Annal. Benedict. V, 314. K.

(199) XIII Kal. Nov. in duplici quod composuit epitaphio testatur Baldricus Burguliensis. K.

(200) XV Kal. Nov. a. 1096 Urbanus papa Cluniaci bullam ad Landricum dederat. Gallia Christ. Instrum IV, 285. K.

(201) Pontarlier ad fontes Dubis.

nensem (202). Ibi quoque domnus Eduensis episcopus Hagano conquestus plurimum desolationem Flaviniacensis ecclesiæ, cum jam post obitum domni Raynaldi, fratris ducis, septem annis ecclesia eadem pastore viduata mansisset (203), me eo quod quasi essem notus archiepiscopo, quod etiam persæpe fecerat, requisivit ab eo in abbatem; quod etiam vix optinuisset, nisi canonicorum et laycorum suffragia ad id expetendum sibi adhibuisset. Optinuit tamen, et missus est Cabilonensis episcopus, qui domnum Divionensem apostolica auctoritate ut assentiret, me etiam ut obedirem vice sua constringeret, quod et factum est ubi redivimus. Confirmata vero electione, et consecrationis determinato die, archiepiscopum adii; quæ ejus super hoc esset sententia requisivi. Ipse anxietatem nostram plurimum consolatus, ad exequendum quod jubebatur ratione induxit, auctoritate munivit; et sic dimissum, litteris suis honestavit, quas misit Eduensi episcopo in hec verba :

Venerabili in Christo fratri, Haganoni [423] *Eduensi episcopo, Hugo Lugdunensis ecclesiæ servus salutem. Quotiens humilitatem nostram dilectio vestra adierit, quotiens nos pro restauratione Flaviniacensis æcclesiæ rogaverit, benignitas vestra satis recolit. Quesistis a nobis multa sedulitate et instantia karissimum fratrem nostrum Divionensis ecclesiæ monachum Hugonem, quem nobis assumpseramus, cujus nos sedulitati credebamus, immo cujus lingua vox nostra erat; et quod quesistis, ab invito et nolente quasi extorsistis. Electionem igitur ejus a vobis* [424] *factam apostolica auctoritate confirmantes, consecrationem ipsius pro debito vestro vobis inponimus, certum habentes, quia, etsi corpore absentes sumus, spiritu præsentes ad honorem Dei per Christum in Spiritu sancto consecrationi eidem intererimus, et fideles vobis cooperatores erimus. Nunc igitur prædictum fratrem et filium nostrum, quem tanto subjicimus oneri, vestræ specialiter tuitioni contradentes, committimus eum fidei vestræ. Quem quidem semper penes nos volueramus retinere, sed cessimus instantiæ vestræ. Nostis quo eum teneamus affectu; hoc ipso vobis eum committimus. Et autem consilium et auxilium nostrum non deerit; qui non solum Flaviniacensi æcclesiæ, verum quotquot sunt in diœcesi vestra pro ejus amore parati sumus pro debito subvenire. Ita ergo agite, ut idem frater pro adjutorio et consolatione sibi impensa gratias nobis habeat referre, ut habeatis gratiam super gratiam.*

(fol. 137') Anno itaque dom. inc. 1097. (204) ind. 5. anno ætatis 32. die 10. Kal. Decembris, qui est dies festus sanctæ Ceciliæ (Nov. 22.), 7. sabbati, Flaviniacum nobis ingressis, in crastinum consecratione peracta, de profectu ecclesiæ tractatum est; et si post dies paucos a domno episcopo et domno Divionense ceterisque discessum est.

Eodem anno Aymo reddidit 3 solidos censuales de castro quod Sacriba dicitur, et de terris in circuitu castri ad jus æcclesiæ Flaviniacensis pertinentibus, in festivitate sancti Petri in plenaria curia, quos retinuerat multis retro annis, et pro retentione culpam fecit, et absolutus est. Actum die festo apostolorum.

Quidam etiam Folcuinus acceptis a nobis 15 solidis, calumpniam quam habebat in manso de Galiaco, quod Waldinus dederat, vurpivit præsentibus his.... consanguineo suo, qui frenum [425] trium solidorum pro concessione habuit.

Pro equabus quas ceperat et abduxerat Wido Luciniacensis 100 solidos dedi.

Odoni vicecomiti Rubeimontis, cum noster factus est, pro quibusdam compositionibus 30 solidos dedi.

Girardo de Duisino 11 solidos pro quodam nostro serviente de Galiaco, Artaldo de Sancto Baudelio 20 solidos.

Hagano etiam de Roca noster factus, vidente Raynaldo avunculo suo, calumpniam fædi [426], (205) sui Finium Deo et sancto Prejecto et nobis dimisit, acceptis a nobis 20 solidis. Actum Flaviniaci.

(1097, Febr. 6.) Hildegarius etiam de Gurziaco noster factus, quod non fuerat antecessorum nostrorum, auxit elemosinam quam avus suus fecerat, dans ecclesiæ nostræ Eremburgem filiam Helardæ filiæ Wihelelmi, et omnem posteritatem eorum, acceptis a nobis solidis 58 pro caritate. Actum mense Febr. 6. feria, 8. Idus Febr.

Aymo etiam Lovels liius (206) homo noster omnem alodum suum Deo et sancto Petro sanctoque Prejecto tribuens, torturas quas in casamento nostro faciebat, vurpivit, enarratis coram omnibus rectis consuetudinibus casamenti, de capite mansi 2 sextarios avanæ, et 4 vini in salvamento.

Feci etiam pacem cum Wolone Sarmaciensi, et ei nostro facto 100 solidos, equum 1, canem 1 dedi.

In redemptione æcclesiæ de Fontanis 35 solidos dedi. In caldaria Salinensi 40 solidos pro equo.

In redemptione terræ et vinearum, quas prædecessor noster abba Raynaldus Walterio Frossardo homini ducis promiserat, 30 solidos dedi, et terram retinui.

Teberto præposito pro quibusdam placitis 25 solidos dedi, et pro compositione cervi quem canes sui moverant, et homines nostri ceperant meque nolente diviserant, solidos 30. Bernardo de Montbar in captione sua solidos 30.

VARIÆ LECTIONES.

[423] Ha. *c.* [424] nobis *c.* [425] *ita c.* [426] fedi *c.*

NOTÆ.

(202) 4. Ibid. Dec. 1096. donationem quandam firmavit; Gallia Christ. IV. 1067. K.

(203) Philippus rex Francorum rogante Aganone episcopo Eduensi et Rainaldo abbate monasterii possessiones confirmaverat anno 1085. K.

(204) Dies sanctæ Ceciliæ anno 1096 in Sabbatum incidit, anno 1097 in Dominicam; indictio 5 anno 1097 congruit.

(205) i. e. feodi.

(206) i. e. ligius.

In redemptione fanoni deaurati et capsæ argenteæ 60 solidos dedi, et in cappa 7.

Dedit ecclesiæ nostræ quidam miles nunc conversus Arnulfus de Monasterio mansum 1 apud Prusiliacum.

Dedit etiam Gislebertus de Luciniaco mansum 1 apud Darciacum pro filio suo Pontio nomine, cum omnibus appendiciis, et homines tres cum eorum posteritate.

Dedit itidem Hugo de Draciaco mansum unum cum appendiciis in eadem villa pro filio suo. Actum apud Colchas.

Brutinus etiam dominus castri, quod olim Sedunum, nunc Blismurus dicitur, reddidit nobis æcclesiam castri ejusdem cum appendiciis et cum omnibus quæ olim possederat vel tunc possidebat. Et quia de suo proprio quædam ad victum fratrum addidit, 20 ei solidos pro caritate dedi.

Aymo miles ejusdem castri, avunculus ipsius, ad conversionem in infirmitate veniens, reddidit Deo et sancto Petro et sancto Prejecto terras et homines quas nobis vi auferebat, et calumpniam dimisit.

In redemptione cappæ et pallii solidos 110 dedi.

(1099, Apr. 14.) Prefatus etiam Hildegarius Gurziacensis quia Bellum Locum nobis auferens injustitiam nobis fecerat, multo tempore a nobis excommunicatus, tandem culpam fecit apud Conedam, et absolutus a nobis est. Hominium recognovit et resirmavit, et ex toto cellam eandem vurpivit. Obsides dedit, quorum hæc sunt nomina : Hugo frater ejus, Rainaldus de Roca, Deodatus, Girardus de Roura, et frater ejus, Waldricus, Gauzfredus de Masiaco; cui ego 20 solidos dedi. Actum 5. feria paschæ 18. Kal. Maii Conedæ.

Pontius quoque Grimensis comes pro homicidio quod fecerat de Pontio serviente nostro, natalem et neptem ejus nobis reddidit 110 solidis acceptis, et absolutus est 16. Kal. Maii. Postea eum cepit, et pro redemptione 50 solidos habuit.

(fol. 138.) Joffredum de Prumiaco, et fratrem ejus cum uxoribus et filiis, uxore quoque Odonis Tuat. et uxorem Heinrici cum filiis, uxorem etiam Johannis de Poliniaco cum filiis et totam eorum progeniem, quæ latissima et optima est, mediante Raynaldo de Roca, datis solidis 30 Odoni vicecomiti Rubei montis, sancto Petro quietam feci. Testes horum, qui infra : Gislebertus juvenis. Teubodus Mant, Rainaldus Roca, Gislebertus de Turre, Hagano Roc, Hugo Miscus, Goslenus, Gerardus Duis, Brunardus, Rainaldus Fla, Rainaldus.

Willelmo de Turraboit 30 solidos pro quibusdam compositionibus; Gisleberto solidos 30 pro redemptione equi illius de Grosbof quem cepit et mihi reddidit.

(fol. 137') Anno eodem ab incarn. Domini 1098. obiit Agano Eduensis episcopus 7. Kal. Julii (207) ; et sequenti obiit abbas Rodulfus 5. Kal. Aprilis. Regimen æcclesiæ Eduensis post venerabilem Aganonem Norgaudus suscepit, in eadem æcclesia præcentoris functus officio (208). Hic sub contentione electus est. Pro qua tamen electione cum multoties Eduam issem, quia vox nostra prima esse debebat in electione; tandem in ascensione Domini invitatus, cum essem in exteris partibus, occurrere nequivi. Quendam tamen e nostris misi, qui vicem nostram suppleret; et ego postmodum exoccupatus, Lugdunum euntem ad consecrationem solus de abbatibus sum prosequutus : et hec faciens furorem animi ejus, quem conceperat ex absentia nostra, sedare non potui, cum etiam in redeundo duobus ei diebus apud Colticas (209) et toto comitatui ejus servierim satis superque. Hic Flaviniacum veniens honeste a nobis susceptus est; et in eadem nocte dominicæ diei, cum ei honeste servissem, in treva Dei bancos et scarritiones (210) mercati homines ejus fregerunt et tulerunt, quia erant ante domum episcopalem, et terra ipsa, antequam domus ibi fuisset, censita erat hominibus pro mercato eorum; et requisiti ab hominibus quorum juris erant, redditi non fuerunt. Et cum redditi non essent, interim emit quidam homo eorum carnem bovis ad opus episcopi : cum homines nostri pro reverentia episcopi alibi eum vellent occidere, ille coegit eos ante præfatam domum mactare, nostrique parati sunt affirmare, quod defensionem eis et tuitionem promiserit. (fol. 138) Occiso bove, homines nostri jussu nostro pro honore episcopi alibi eum traxerunt. Videntes homines quorum erat terra censita, quia ego eis primus, qui defendere debebam, de consuetudine et usu eorum deficiebam, ipsimet in terra censuali sua scarritiones firmaverunt, et carnes reposuerunt. Propter baculos qui allati sunt, et quia congregati sunt homines ad tuendum usum censualitatis suæ, malum fuit episcopo, et dixit se assallitum; tamen hominem non percusserunt, quia nullus eos assallivit, et ipsi neminem. Ubi vidi molestum id esse episcopo, ego ipse cum quibusdam fratribus et nobilibus viris et servientibus ivi ad eum, et cum consilio optuli ei, quod tantum ei inde facerem in crastino, quantum congrueret justo et honori, et quantum possem et deberem. Et mox ascendens, casatos requisivi et nobiles quos potui, ad faciendum quod optuleram. Interim ipse christianitatem mihi abstulit (211) ita ut nuptiales qui aliunde veniebant missam perdiderint, et corpus sepulturam. Ego tamen quod promiseram munitus consilio implere volui, et in me non remansit, nec sic missam habui. Diem constituit mihi apud Eduam ; suscepi. Cumque

NOTÆ.

(207) VI Kal. Jul. habet Necrologium S. Benigni K.

(208) Paschalis papa litteris XVIII Kal. Mai. 1100 datis Norgaudi electionem confirmavit. Mansi XX, 1017. K.

(209) Couchy.

(210) *bänke und scharren* Teutonice.

(211) I. e. sacris mihi interdixit.

vellet ut homines illo ducerem, dixi non facturum; non enim poteram, quia nec usus erat æcclesiæ. Quesivi christianitatem, nec habui. Videns quia non haberem, de casatis ecclesiæ salvam firmantiam ei optuli quattuor milia solidorum, Walonem de Sarmatia, Gislebertum de Luciniaco, Rainaldum de Roca, Milonem de Frollone, Goslenum Sinemuro, Rainaldum, et Hugonem præpositum, videntibus canonicis suis, Walterio, Stephano, Duranno, et laycis Aymone et Josberto; et hec faciens missam quesivi, et non habui. (Jul. 15.) Eduam ivi, et in placito, quia ita egeram, missam ante alia quesivi, et hoc per judicium curiæ. Et quoniam de testimoniis nostris laycos nominavi et ostendi, et quia de suis laycis Bernardus mariscalcus noster nominavit Aymonem et Josbertum, judicium factum est per clericos et laycos. Firmantiam autem hanc ita fuisse oblatam affirmare voluerunt nostrates, ut judicatum fuisset etiam per ignis aut aquæ judicium. De his factum est hujusmodi judicium :

Quoniam abbas et sui Josbertum non nominavit ad placitum accipiendum, hoc debet esse in respectu quod abbas requirit de missa recipienda, et propter hoc ipse non debet babere respectum de justitia hominum facienda.

Audito hoc judicio obstupui, et consilium æcclesiæ quod antea habueram requisivi, nec habui. Cumque adhuc morarer in consilio placiti et judicii, rupit placitum, et abiit pransurus. Misi ad eum, et respectum quesivi, et non habui, nisi judicium laudarem.

Quantum pro hujusmodi placito gravaverit ecclesiam, hinc colligi potest, quod hac eadem septimana, qua hoc factum est, centum equos absque servientibus 2ª, 3ª, 4ª, 5ª, 6ª feriis Eduæ me tenere fecit; et communiam Eduensis et Cabilonensis parœchiæ super nos postea Flaviniacum juratam adducere voluit, quod tamen infectum remansit. Voluit etiam interdicere omnes cellas et loca ad nos pertinentia; sed obstitit votis ejus integritas capituli Eduensis; fecisset tamen, nisi obstitisset. Tandem cum multociens pro hac causa Eduam venissem, justitiam præsentans, et aliquando misericordiam quærens, et nec justitiam habuissem nec misericordiam, consilio et hortatu ejus quidam fratrum nostrorum insurrexerunt in me, dicentes me conscium fuisse seditionis illius pro qua hec agebantur. Et ob id vocatus Eduam proficisci ceperam, vallatus consilio monachorum nobilium et servientium, ut credebam, quod tamen amisi instinctu ejus. Nam Bernardum de Montfort, quia suus erat de feodo sancti Petri, cui promiseram solides 30 et bonum nostrum tenebat, ipse ne mecum iret prohibuit. Quod ceteri videntes, cum essemus 25, omnes recesserunt a nobis. Ego solas cum solo monacho et 3 servientibus capitulo me præsentavi. Ecce circa horam terciam advenerunt, conscio eo, quidam nostrorum, accusantes me in capitolio, quod conscius fuissem, et alia quedam objicientes, quæ probare non poterant, maxime cum essent infames personæ. Quidam etiam eorum Helinannus me relicto in consessu etiam canonicorum sedebat, cum eo manducans, bibens et equitans. Ego cum essem paratus canonice respondere et judicari, monachum ipsum nostrum, quem mihi episcopus tulerat, canonice requisivi, nec habui. Insuper vidi eos me accusantes, et compulsus sum, ne quasi culpabilis viderer, ipse eis præcipere ut erga me loquerentur. Abbatem ibi aliquem non vidi ; judicium quoque ceptum factum non fuit, quia talis quedam nos concordia sociavit, mediante episcopo Cabilonensi et Anserico præposito, ut rediderem hominem, qui probaret sacramento me conscium non fuisse, et sic amicitiam episcopi reciperem, et in gratiam redirem : feci, nec gratiam, nec missam habui. Insuper prohibuit sub anathemate, ne fratribus ipsis pro hac de causa inimicarer, et omnino eos a nostra dispositione removit ; ne vel saltim eos ab obœdientiis, quibus præerant, removerem.

(Dec. 6) Septies propter hoc placitum a festo apostolorum usque ad festum sancti Nicholai Eduam ivi, nec justitiam, nec gratiam, nec missam habui, maxime cum ad satisfaciendum ei quosdam laycorum, qui impetebantur, illo duxerim contra usum æcclesiæ. Quos qualiter ipse tractaverit, pudet reminisci, maxime cum nulla esset occasio pro qua hæc agi deberent.

(fol. 138') Fratres quoque nostros Divionenses, qui mihi ad solatium laboris et ordinis custodiam dati fuerant, mihi abstulit, præcipiens auctoritate qua poterat et debebat, ut infra dies tres Divionem nisi eos remisissem, et eos qui projecti fuerant revocarem, nullam in ecclesia divinum officium fieret ; et sic in crastinum mane facto Romam profectus est, ut nullus esset de missa recipienda vel fratribus retinendis deprecationis locus.

Ego, qui tanto constrictus articulo vellem etiam majora promittere — nimio enim tedio angebar, quod tantis injuriabar tribulationibus ; siquidem a festo apostolorum Petri et Pauli usque ad diem ipsum beati Nicholai natale insignem, quo hec gesta sunt, nulla mea culpa existente, divino officio Flaviniacus vacaverat et sepultura — decrevi omni ei, etiam in contrariis et noxiis, subdi obedientia, ut vel sic leniretur et pacaretur animi ejus pertinatia; et dum ruinam quasi vitare volui, immanis præcipitii [427] baratrum incurri. Hoc enim in facto nec ejus amicitiam recuperavi, quam numquam habui, nec monachorum nostrorum caritatem; quin potius, quod ipsi querebant, ad quod intendebant, patris nostri Divionensis et fratrum nostrorum unanimitatem offendi. Et quidem satis digne. Nam pro meritis acta res est, ut qui malum feceram — quod certum est malum mihi esse, locos a me mittendo ut veniret bonum, cujus venturi nullam

VARIÆ LECTIONES.

[427] peipii *c*.

habebam confidentiam, sed plenariam diffiden- A tiam —, ut impræsentiarum patet, ipse nec bonum haberem quod non credebam, et quod habebam perderem, ut sola vexatio intellectum daret auditui. Recepi postmodum absolutionem a Lugduno, non tamen per eum, quia per archiepiscopum, et interim dum absens fuit quievi, nisi quod omnia in pejus ruere videbam pro destitutione ordinis, et emendare nequivi, quia solus eram. Tunc cepi sentire quid cogitaverant, quid attemptaverant, quid machinati fuerant, cum jam emendare non poteram.

Interim feci pacem cum Rainaldo de Granciaco, qui frequentibus irruptionibus et deprædationibus omnia nostra perturbabat, et quia justam causam habebat, 60 ei solidos composui. Pacem etiam cum Widone de Luciniaco fratre ejus, et de fedo quod B calumpniabatur duos ei modios et octo sextarios reddidi, dum tutor esset filiorum Tebaldi Rufi; quartum mihi laude uxoris suæ et filiorum donavit, hominium fecit, et fidelitatem juravit.

His, qui graviores erant, ita pacatis, pro Walterio de Insulis, quem calumpniabatur Gislebertus Mischius, 35 solidos dedi, et pro filio sororis ejus 7 solidos et totam eorum progeniem quietam sancto Petro et sancto Prejecto feci. Actum Flaviniaco.

Ducem pro salvamento (212), quod homines nostri de Galiaco contra jus et usum ei dare volebant, Flaviniacum venire feci; et per judicium curiæ nostræ et suæ, quia fœdum nostrum habebat, salvamentum ipsum vurpivit. Cui ego equum centum solidorum pro honore dedi. C

Arnulfus etiam de Grosboes, accepta a nobis societate, et 15 solidis pro caritate, duas familias de fœdo sancti Petri in Cleriaco et Agerniaco nobis reddidit, et tertiam nobis contra Aymonem Lovel militem nostrum conquisivit. Reddidit et mansum unum in Cavanniaco de terra sancti Petri de fedo suo Flaviniaci, vidente R. majore, et filio ejusdem Arnulfi. Actum 4. feria jejunii mensis Septembris.

Aymo quoque de Griniaco hominium recognovit, et noster factus est. Walterius necnon de Grinione pro filio suo monacho terram magnam et pratum indominicatum juxta Corticellas multi precii sancto D Prejecto dedit. Actum die festo S. Petri ad vinculа.

Raynerio de Diusmo, pro quibusdam compositionibus, quibus terra de Empiliaco vastabatur, 30 solidos dedit.

Hugo de Asiaco accepta a nobis societate et 7 solidis pro caritate dedit sancto Petro feminam Walonis sacristæ, laudante filio suo, et alias quasdam de progenie ejus, feminam scilicet Cristiani.

Quedam sanctimonialis sancti Johannis Eduensis, soror Aymonis Lovel, eodem fratre suo vidente faciente et laudante, hereditatem suam in Agerniaco sitam in terris cultis et incultis, mancipiis utriusque sexus, sancto Petro contradens super altare posuit, ea conditione ut neptis ejus soror Hugonis de Curenciaco, ea obeunte illa potiretur, et post ejus obitum dominio æcclesiæ Flaviniacensis eadem proveniret. Defunctis utrisque, de hæreditate nos vestivimus. Et cum calumpniaretur prædictus Hugo, judicio dato, duos legitimos homines produximus, prædicti fundi servum qui pariter datus est, et ministralem ejusdem fundi nostri qui interfuit, et probare voluerunt donum ita factum. Expectatum tamen est ut audiretur idem judicium in majori curia Actum Agenniaco. Sic terram habuimus.

Redemi etiam duos mansos, 1 intra curiam Laliaci, alium extra curiam, solventes quoque anno 12 denarios, 2 solidis, cum iret Hispaniam Folcuinus. Actum Flaviniaco.

Adelelmum quoque et progeniem ejus optimui ab eodem Folcuino 12 solidis. Actum Galiaco.

Tapetiolum etiam, quod Carlet dicitur, redemi 5 solidis.

(Fol. 139.) Duci equum 1 dedi 10 librarum pro insolentia unius servientis nostri, et ipse laudavit nobis donum quod quilibet miles ejus de fedo suo faceret Flaviniacensi ecclesiæ.

Walterio de Tilio in adjutorium ecclesiæ de Prisciaco equum unum 50 solidorum dedi.

Erleio et Widoni dominis Colticarum 40 solidos dedi, et ipsi vurpiverunt omnes malas consuetudines in Colticas.

In thesauro ecclesiæ hec addita sunt, filacterium 1 quod dedit Walterius monachus de Grin., cum mappula pretiosa et alba parata. Cortina 1 quam dedit Teubodus cum mantili. Albæ 5 quas Hugo monachus de Belloloco moriens mihi misit cum calice argenteo, qui est apud Bellumlocum. Calices 2, unus in toto deauratus, quos Walo monachus de Roca fecit, cum cappa 1 de pallio et casula et stolis 2 et albis 4. Albæ 2 quas fecit Gyrardus de Colticis. Alba 1 in capella nostra, quam mihi dedit uxor Gozelini de Besua. Alba quam mihi dedit Bovo de Bar, Baldrici filius super Albam, quando noster factus est. Supersedium 1. Redemi etiam palliolum unum 30 solidis et de eo limbum in pallio, quo corpus sancti Prejecti involutum fuit 300 et eo amplius annis, feci.

Bovoni prædicto de Bar, cum apud Flaviniacum requireret a me fœdum suum, quia haberet filiam Folcuini, de sorore abbatis Odonis, qui idem fecerat casamentum, id est salvamentum hominum sancti Petri, qui sunt in castro illo vel in villis in circuitu castri, nolui ei ad plenum reddere, quia legeram cartam quantam factam hominibus castri Blesensis, qui sunt sancti Petri, et verebar ne idem essent aut de eisdem. Tamen cum multi testes accessissent, quod Folcuinus idem salvamentum habuisset, ita

NOTÆ

(212) *Schutzgeld.*

concessi, ut si ego per nostros, misso nuncio et re explorata, aut ipsi homines per se ipsos probare potuissent quod numquam fuissent in salvamento, nichil ei dabam, quia magis æcclesiam quam eum diligerem. Sin aliter, haberet quod sui juris esset. Et ita noster factus est, sacramentum tamen non accepi ea pro causa. Actum Flaviniaco in claustro. Testes : Gerardus prior, Achadeus, Helinandus monachi ; layci : Hugo præpositus, Raynaldus, et servientes, Raynaldus filius præpositi, Gislerius. Ab hoc casamento illos de Arvico subtraxi, de quibus censum habebam, cascos scilicet, et illos quibus fuit carta facta. Omnes quoque, si probare potuissent, ut dixi. Quod et ipse laudavit.

Iis interim omissis superiora repetamus. Non tamen prætermittamus feminam illam, quam Deodatus tenebat de Nocirs, quæ nostra erat, et pater dimidius, quorum erant 6 filii, quos ita cum abbate sancti Valerii Hugone partivimus, in parte matris 3 filios, in patris vero unum et alterum dimidium, et censum capitis mihi primum misit mater. Partem etiam in Berengerio et fratribus ejus, quam acceptis 10 solidis Rainaldus de Colpeio nobis dimisit.

Igitur reverso a Roma episcopo, occurri ei apud Sedel cum, et benigne susceptus, osculo donatus sum et gratiis. Altera vice ab eo ibidem evocatus, post multas injurias finem de omnibus pro 10 libris feci. Quesivit iturus ad regem, ut mulam sibi præstarem. Ego, qui ejus amorem sitiebam, quem et sciebam difficilem in adquirendo, optuli ei optimam mulam, quam manu ad manum emeram 150 solidis et dedi ei. Et sic veniens ad festum sancti Nazarii, honeste ei servivi, et gratus redii. Pro placito et fine illo Stephano dedit 20 solidos, Hubaldo 20, Hugoni Spiriac. 40, Rainaldo 40, Teubodo 10, Hugoni Misem 5, Gosleno 10.

Pro equo Gyrardi monachi dedi pro compositione Miloni constabulo 10 solidos.

Jam prope oblitus eram quod furnum villæ calumniabatur quidam Erembertus de Massiviaco, et præbendam et campum sancti Clementis, quia pro his 300 solidos dederat pater suus Odoni abbati, excepto quod præbendam pro sepultura sua donasset. Unde cum me multis placitis gravasset, et ob gravamen homo ducis et præpositi Sinemurensis factus esset, et testes quosdam e fratribus, qui hoc viderant, produxisset, eis omnino illi deficientibus, judicium habuimus, quod pacem nobis in posterum contulit.

Ibi præpositus Sinemurensis mansum 1 vestitum in Massiniaco nostro sancto Petro et sancto Prejecto dedit pro amore nostro, quietum ab omni exactione, qui nobis debet omnes consuetudines. Actum Flaviniaco.

Sunt in summa quæ dedi in proficuo æcclesiæ A in 3 annis, 2 mensibus minus, solidi duo milia, exceptis quod datum et in pane et vino et vestitu fratrum, in procuratione hospitum, in Lobus et equis et vineis et in omni nostro apparatu et expensis.

Ab incarnatione Domini 1099. Abhinc multiplicata sunt mala in terra nostra, sed hec interim.

Eo anno, prima hora noctis, a parte aquilonis lux ingens quasi ignis ardentis emissa, usque prope diluculum, noctem prope convertit in diem. Quo etiam anno hiemps solito asperior octo continuis ebdomadibus inhorruit, ita ut bestias, aves, homines quoque plerosque vis algoris existeret [428]. Fuerunt qui dicerent, lucem illam datam a Deo in necem et dejectionem Sarracenorum, ferente eo adjutorium et B vires præbente Jherosolimitanis ad sternendam et omnino consumendam multitudinem principis Babiloniæ, qui venerat ad proterendos eos qui Hierosolimam ceperant, quorum numerus erat ut arena maris, et ob id lucem divinitus directam, ne christianis, qui eo die præliabantur prælia Domini, etiam in nocte lux deesset ad contritionem gentis adversæ. Utrum ita sit, an igneus ille splendor qui apparuit, et igneæ illæ acies portenderint effusionem humani sanguinis, quæ eo die et sequenti facta est, sicut legimus factum cum immineret bellum illud lacrimabile inter filios Ludovici Pii imperatoris; an immineat aliqua mundo tribulatio, ut legitur factum eo anno quo Ludovicus rex a Hugonis Magni procura- C tione separatus est, quando idem signum apparuit, portendens Hungarorum pestem, quæ mox acriter invaluit, viderint quorum opis [429] est id experiri et cognoscere. Visa est autem lux in parte aquilonari versus solis occasum, et nocte declinante respiciendo porrigebatur in ortum, sed antelucanum aliquantum delituit.

Hoc anno obiit Urbanus papa, Paschalis successit. Obiit domnus Rodulfus abbas Virdunensis 5 Kal. Aprilis (Jul. 29), et Hugo abbas Eduensis [430].

(Fol. 141.) Verum consideranti mihi dispensationem admirandæ et ineffabilis patientiæ tuæ et misericordiæ, cujus non est numerus in me, libet inherere considerationi miserationis tuæ, quamquam super me sint hæc, Christe : quomodo raptum ab uberibus ditasti donis superhabundantis pietatis tuæ, tra- D dens me contubernio servorum tuorum, et replens gratia te diligentium ; quomodo ab ineunte ætate, cum jam irem per devia et lubrica, et præceps præcipitantem ætatem sequerer, confessionis antidoto cor lubricum medendo respirare sinebas, et fugientem te quadam blanda et inopinata nec cognita mihi revocabas dulcedine ; quoque modo, ubi jugi confessionis remedio aliquantulum tractus didici illecebrosa cavere, quamquam nondum tederet me ad integrum perversitatis meæ, ita ut scirem intellectu et opere, quod *perdis omnes qui fornicantur abs te* (*Psal.* LXXII, 27), remotum et segregatum a consor-

VARIÆ LECTIONES.

[428] *ita codex ; lege* extingueret. [429] *ita c.* operis ? [430] Verte II folia et lege secundum determinationem litterarum A. *in marg. c.*

tio eorum quorum in medio coalueram, ad exteras terras nolentem et repugnantem et quasi nescientem eduxisti; ubi positum benedictione insperata et multiplici ditasti, gratia scilicet servorum tuorum admirabili, qui in me diligebant quod nesciebam. Licet in his tua, Deus, dona, etsi refugus et desertor mei ipsius, intelligebam. Juvat, inquam, memorari mihi in me dulcedinis tuæ, qua misereris omnium, salvans homines et jumenta; id est et illos salvans, qui rationabiliter viventes non obliviscuntur dignitatis in qua et pro qua creati sunt, et eos, qui jumentorum more viventes facti sunt ut equus et mulus, quibus non est intellectus, per penitentiam supra primæ originis reparans dignitatem; inter quos et me gibbo peccatorum deformem, vanitatis et levitatis horrore sordentem, ad deponendam malitiam et inclinandam cervicem cordis jugo servitutis tuæ edomandam per tuos evocabas, et me mihi ipsi sordere intuitu miserationis tuæ faciebas. O miseriam meam, quæ ad tot vocationis ingeminationes non evigilabat! utique nimia rubigo mea per ignem excoquenda erat, et ideo, etsi surgere conabar, scoria voluptatis inolitæ pravæ consuetudinis aggravabar. Projeceram post tergum peccata mea; denigrata enim erat facies mea, et tamen tu in servis tuis diligens, non feditatem meam, sed curationem in me quæ a te gratia tua futura est, sinebas me ire et prosperari, ut cum hæc reciperes a diligente non te, sed illa data tua vel permissa in quibus prosperabar, adurerer igne tribulationis, et saltim tunc intelligeret impietas mea mala sua, cum pro eisdem malis inciperet jam puniri. Quid referam, quibus me nunciis ad meliorationem in mari navigatione nostra procelloso spiritu maris et quassatione navis, quæ per se infirma piscium impulsu quatiebatur, adgravata præmonuisti, et stertentem somno teporis et negligentiæ excitare conatus es, cum gubernaculo fracto, velo vi ventorum ad medium usque scisso, nautis timore dissolutis, præsentem intentarent omnis mortem, nave solo tibi relicta, et quandam in vertiginem rotante? O qualis illa tunc hora eram! quam bene credulus, quam vel devotus, quam penitens, quam in promittenda correptione sedulus, constans et benivolus! quam peccatorum meorum accusator et judex fidissimus! quam in conversione morum et emendatione vitæ paratissimus! Vidisti hæc, Domine, et liberasti me; exaudisti me, et consolatus es me, et quamquam desperatum, quamquam novissimum, cum primi movissemus a portu, illesa nave cum omnibus quæ in ea erant, terræ reddidisti me. Sed ut pedem terræ appuli, illa dudum devota inter fluctus fervoris et emendationis promissio aliquantulum friguit, quam tamen reductus menti terror ex toto tepescere, ut assolet, non sivit.

Subsequuta est e vestigio alia vocationis compellentis iteratio mox ut Bajocas veni, infirmitas scilicet qua omnino desperatus sum, et quasi conclamatus, de qua suscitasti me, juste rerum arbiter, idem sanctus Jesus. Quid in me operata sint hæc tua magnalia, Deus, aut in quo miseram animam lethargico somno oppressam, ad te timendum, te diligendum, exurgere et evigilare docuerunt; testis est repatriatio nostra, testis subsequens vita mea, quæ pium Dominum de placato reddere possit iratum, non quæ offensum dare sufficiat conciliatum.

(Fol. 141'.) Et nunc hæc qualiacumque nostra legat qui volet, irrideat ut volet, dummodo libeat et concedatur immorari memoriæ dulcedinis tuæ, qui peccantem sustines ad penitentiam, et parcendo invitas ad conciliandam sustinentis patientiam. Inde e vestigio illa nostra promotione, quæ nunc nobis horrori est, promotus, utrum gratia tua an permissu vel judicio nescio, perparvo temporis spacio assumpta prælationis gravitas, cum in me durasset, superducta ejus species multis modis ita oblitterata est, ut non jam qualis essem, verum qualis fuerim rememorari difficile esset, vel quia honores mutant mores, vel quia id merebatur insolentia morum, nondum, ut decebat, satisfactionis verbere castigata et emendationis antidoto curata. Hinc iterum infirmitatis commonitio, privatæ et publicæ inquietudinis animadversio, illa de dormitorii solario plancis deficientibus vel sublatis ruina, immo propulsatio, qua ita affectus sum, ut vita me carere crederem. Nam et sanguis ab auribus eliciebatur, cum misericordia tua ad invocationem nominis Prejecti martiris, et boni studii excquutio, in qua invenit me casus ipse — nam circam (213) matutinis exactis faciebam, — a mortis faucibus eripuerit. Et quidem eo ipso tempore, mense quoque eodem, in Colticensi cella nostra a dormitorio per præcipitium; item in Melundensi cœnobio æque duo monachi lapsi, non tamen satis de tam imminenti altitudine ut ego, confessione et communione caruerant: mihi pietas tua vitam indulsit, qui etsi gravatus, non tamen aliqua corporis parte sum pessumdatus, quamquam cum difficultate sanitati redditus, adhuc casum doleam. Quam tantis beneficiis gratiarum actionem, die qua jacens in lecto signo sanctissimi clavi tui sanctarumque reliquiarum munimine signatus sum, et ablutione virtutifera potatus, post decursam ebdomadariam mei ipsius alienationem, rependerim, rememorans erubesco, erubescens confundor, et quod tunc non feci jam facio, supplicans ut accepta tibi sit confessionis et laudis oblatio et inter flagella misericordiæ tuæ ipsa erratus mei tuæque pietatis rememoratio. Et quia omnia adversa habet qui sibi displicet, in hoc tibi placere appeto, quod mihi te donante, te faciente, displiceo.

Sunt adhuc plura dulcedinis tuæ monimenta ingrato adhibita, usque ad hæc in quibus nunc versatur anima mea, in quibus quia faciem tuam reveritus non sum, juste *versa est in luctum cithara mea, et organum meum in voce flentium* (*Job.* XXX, 31).

NOTÆ.

(213) Circa Teutonice *die runde*.

Itaque proclamet tibi tota substantia nostri in voce exultationis et confessionis : omnia quæ fecisti nobis in vero judicio fecisti. Proclamet, inquam, tibi vita mea tota, ante promotionem peccatrix, post promotionem irritatrix : tibi peccavimus, et mandatis tuis non obedivimus. Condempnet se totam judicio suo, jam quasi condempnata judicio humano ; et non spe recuperandæ secularitatis, sed amore provocandæ in se juste exertæ, et magis magisque exerendæ divinæ animadversionis, quoniam ego in flagella paratus, qui fragilitate deliqui, unde merito ad penam videar debere aptari, et dolor meus ante me est semper, quia a mandatis tuis declinavi. Quid enim referam tam evidens tuæ pietatis indicium, quod rarus invenitur aut pene nullus qui ignoret Flaviniacensium, cum redirem a Sinemuro septus comitatu monachorum et laycorum, inter choruschos et turbines tempestatis inundantis, fulmen ante conspectus nostros cecidisse, ita ut bestia cui sedebam igne ipso ustulata caput pectus et crura, per 40 dies vix stabulo extrahi posset, et me clementia tua immunem a lesione servavit, cum ante me non longe cubito uno fulmen ipsum ceciderit? Quod in crastino quesitum et inventum est, omnibus admirantibus quomodo vivus evaserim, aut immunis a læsione, quamplurimis quoque sinistro id omine interpretantibus, maleficum me et morte dignum, quem Deus ipsa sua animadversione monstraret merito puniendum. Forte autem mihi junctus equitabat ante me eques armatus, et toto corpore pluviæ expositus, clipeo se recurvo et supra se protento munierat, qui dum equo calcaribus acto gressum accelerat, in ipsa fulminis jaculatione lanceam aversam ferebat; cujus mihi acies, dum pavet et ad tantam visionem hebescit, ipso suo timore gressu retardato, acceleranti mihi gutturi inlisa, nisi tu, Deus, bestiam cui insedebam a suo impetu refrænasses, et socii conclamatum illum ad anteriora compulissent, vitæ me extorrem dedisset. Quæ duplex nostri salvatio his qui viderunt, et qui audierunt, facta est miraculo. Jam præterierat illa nostra superius relata impetitio; jam multa alia, quæ enumerare perlongum est, tua beneficia mihi ingrato, sed non usquequaque inpensa, docebant te amandum, tibi adherendum, si invenissent cor docile, benivolum et humile. Quid est, Deus piissime, quomodo procella venti inundantis secularitatis grassantis rapuit me ad te? Abstrahebar et videbam, rapiebar et sentiebam : furabar mihi ipsi a me ipso, et dolebam, et in conspectu tuo gemebam, et curationem sitiebam, et a te vindicari et consumi peccata mea cupiebam, quæ jam ipse tibi confitens in me puniebam, quamquam non usque ad dignam pœnitentiam. Licet enim me peccare dolerem, et aliquando compungerer, non tamen in fine compungebar, ut peccare desisterem, quod est summa pœnitentiæ. Ei mihi! quomodo perturbatur animus præsidentium favore adulantium ? Quomodo qui beati dicuntur, decipiuntur, et viæ gressuum eorum dissipantur! Et quidem nervi testiculorum Beedmot perplexi, ossa ejus velut fistulæ æris, cartilago ejus laminæ ferreæ (*Job* XL, 12) : quia argumenta diaboli inexplicabilia, consilia sonora quidem per dulcedinem sed enervia per delectationem, vitia specie virtutum palliata. (Fol. 142.) Absorbet Leviathan hic fluvium, et non miratur, et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus (*Ibid.*, 18); sed perforata maxilla ejus hamo passionis dominicæ, electa tenere nequit, etsi ultro aliquando influant, traicere non prævalet quin effluant.

Dies erat dominicæ Resurrectionis honore insignis (Apr. 10), missarum sollempnia agebantur, aderamus omnes. Forte porcus discurrens invisibilis, sed sensibilis, chorum peragrando sentiri datus est, et sensus est a cunctis, a me ipso quoque, cum jam aliis vicissim sibi id nutu significantibus perdidicissem, moxque sensissem, et quid portenderet intelligerem; iterato a me sentitur jam stomachante, et vere dolente, et in me primo pro hoc ipso indignante adeo, ut in eum conculcatione qua poteram desevirem, qua actus in fugam cum grunnitu quodam, qui et audiri potuit, ultra sentiri non potuit. Ingemiscebam dolore continuo, et tibi soli flebam, cybus in lacrimis, potus erat in suspiriis : et ut me purgares, qui aliis purgandis institutus eram, tacito conscientiæ gemitu supplicabam, quia tanto videbam me invalidum peccatis meis exigentibus ad corrigenda quædam gravia, quæ solo tamen auditu didiceram, quanto videbatur mihi id ex incuriæ meæ et negligentiæ desidia procedere. Sed quid dico gravia, cum ne minuta quidem corrigere prævalebam ? Ita a me omnis virtus, omnis justitia, omnis rigor, postremo quidquid illud est quod prælatum decet, a me recesserat, quasi factis ipsis mihi loquereris, et diceres, me primo curandum. Quis enim ego tunc, vel qualis eram? Utique homo, cui omnia ad votum suppetebant, singula pro voto erant, ut mihi ipsi palam daretur intelligi, si tibi adhesissem, nec vitæ remissiori frena laxassem, succedentibus utrimque prosperis rex essem, et vere rex. Qui enim dominatur animo suo, melior est expugnatore urbium; quia vero regia mihi ipsi viluerat dignitas, et nomen quod merito honoratur sorduerat, sordes meæ fœtere fecerunt odorem meum, ut fructus penitentiæ darent odorem suum, te illuminante tenebras meas, et emundante conscientiam nostram. Unde non in longum prosperitate malorum meorum fruitus sum. Non enim multi fluxerant dies, et visitasti me gratia pietatis tuæ, ut discerem sperare in te, non in incerto hujus vitæ; decreverat enim facere hoc manus omnipotentiæ tuæ. Hora celebrabatur tercia, intereram ipse choris psallentium. Subrepserat mihi illa cogitatio, quam te permittente et donante habet qui sibi displicet : me arborem infructuosam, terram inutiliter occupantem, fructus boni operis afferre fastidientem, dignam succidi et sucendi. Non esse filios sanctorum qui tenent loca eorum, sed qui exercent

opera eorum, me omni lacrimarum fonte plangendum, quo nemo magis noceret in æcclesia, quoniam et perverse vivebam, speciemque religionis et locum prælationis habere videbar. Clamabam non parvo affectu, interno tantum cordis gemitu, ore silenti, quod tu dabas, quod cordi aspiraveras, usque ad oris suffusionem, et credo quod exaudieris vocem meam. Ostendisti enim servo tuo quæ oportebat fieri cito, loquens voce tua interna et mystica, multa esse peccata mea, pro quibus expiandis trium mihi daretur optio, aut famem venturam, qua populo dilabente et in mortem ruente tota pessumdaretur abbatia, aut impugnationem diripientium vicinorum pati populum, qua ita dilapidaretur, ut mons ipse rarissimo incoleretur habitatore, aut me fugere inimicos meos tempore præfixo, illos invalescere, me omnino deficere, ut omnino non esset qui me amicum agnosceret et ut amico benefaceret, et tamen infamia mea in omni tripertito hoc purgationis genere non lateret : esse autem in voluntate mea, ut adbreviaretur mali tempus exaggeratione vindictæ acrius inundantis, an prolongaretur morositate alicujus deliniationis. Obstupui ad vocem loquentis, et cum artarer responsis, recogitans quia ego sum qui peccavi, ego qui inique egi, subdidi me justitiæ Dei, quoniam bonus, et in seculum misericordia ejus. Timens vero ne deficerem in tribulationibus, cum orarem reservari mihi aliquos amicorum, quorum consiliis protegerer, non optinui nisi gratiam patris nostri, quem etiam novissime habiturus non essem, et audivi quod domus ducis maxime infamiam dilataret et amplificaret. Precatus sum, ut patientiæ virtute munirer, ne subcumberem, et ammonitus sum in tribulatione semper gratias agere, vera ejus judicia laudare, et mea malefacta accusare : hoc addito quod, quoticns hoc fecissem, mali molem levigandam consolatione propinquante. Futurum autem ut infamia cessaret, gratia rediret, tribulatio evanesceret, consolatio succresceret : tunc non obliviscerer Domini, qui percutit et sanat, deicit et allevat; cujus flagella miserationes sunt, verbera propiciationes sunt. Plura prætereo quæ inplebuntur tempore suo.

(Fol. 139') Tercius igitur agebatur annus, et ipsius anni mensis nonus ex quo Flaviniacum veneram, cum repetitis ea quæ solebat domestica malicia me est aggressa calumpniis, et majoribus, Deo utique permittente, quem solum repperit turbavit injuriis. Ac primum clanculo fide sibi invicem data, fratres et filii nostri operis hujus conscios sibi consciscunt, complices advocant, fautores promissis et muneribus sibi conciliant, inde ipsi idem accusatores et testes procedunt, et ad lacerandam famam nostram et improbandam vitam nostram quæque possunt maligna concinnant, accusantes me apud omne hominum genus criminibus mortiferis, et quæ ipsæ audire aures expavescerent. Quod cum ego minus curarem, et cessisse eos atque ab injuria nostra cessasse, pro eo quod conatus eorum jam secundo irritus factus erat, crederem, et maxime pro jugi eorum obsequio, qui tamen non satis aptus et ideo parum erat acceptus, ita ut etiam referentibus non crederem, sensi tamdem et expertus sum quem vix potui sperare dolorem. Avertat Deus furiam hanc ab æcclesia sua! in me finiatur tanta malicia; huc eam venisse sufficiat. Hec Vigilium diaconem in Silverii papæ beatissimi armavit dejectionem, et dum ejus concupivit sedem, adeptus est anathematis dampnationem; quam postmodum pari sorte multatus expiavit. Hæc pestis, ut de speciali, quia innumera occurrunt, interim taceamus, generali tabe omnia fere nostri temporis corrupit monasteria; et ignitus ille serpens obmurmurationis malum a populo Judaico migravit in turbas monachorum, ut jam pene ab eis quis filius patris benedictionem mereatur prorsus ignoretur; a quibus non tantum patrum pudenda revelantur, non tantum fratribus, verum extraneis irrisoribus, sed etiam ipsa paterna viscera scinduntur, dum pax æcclesiastica, glutine caritatis rescisso, dirimitur. Ubi ergo privatis consiliis factiosorum, non filiorum sibi ipsi visa est processisse calumpnia, ex occultis insidiis ad apertas prorupit inimicitias, et quod per socios disperserant, mihi ipsi inerubide (214) palam protestati sunt. Fateor, erubui, et ad me ipsum reversus, cogitans quia *judicia tua*, Deus, *abyssus multa* (*Psal.* xxxv, 7), cum solum me invenirem de amicis, objurgatis eis assurrexi, et multa volvens quæ audieram nec credideram, foveam mihi paratam, dolos aptatos intellexi, decrevique tamdem experiri fortunam, si saltim in his quos ceteris præfeceram, fidem invenirem. Et licet pluribus experimentis unam eorum voluntatem scirem, cogitavi tamen eo mihi illos vinciri posse modo, si auctoritatem eorum illis opponerem, et conatus illorum illicitos horum gravitate coercerem; qua tamen molitione nichil profeci. Dederunt enim mihi verba, non consilia, ut Colticas irem, quo jam exacto anno et eo amplius non fueram, quasi ad ibi pausandum post laborem messis et vindemiarum, ipsis interim laboraturis pro pace et quiete nostra, re autem vera ad quod intendebant oportunitatem et ocium absentia nostra adepturis ut perficerent. Feci, et hoc minus astute, et paratis quæ necessaria erant, benedictione accepta, die 5 Kal. Octobr. (Sept. 27) pransum ivimus, quibusdam ex fratribus, quamplurimis ex laycis nobiscum accumbentibus, et post solito accuratius nobiscum progredientibus, nosque deducentibus, tota plebe quod non sperabam ingeminante, me scilicet non ad præsens reversurum discedere. Notabam singula, et admirans inopinatos voti eorum proventus, sentiens etiam in me multa et pene innumerabilia verbere et correptione dignissima, subdebar animo judiciis divinæ misericordiæ,

NOTÆ.

(214) I. e. non erubescentes.

rememorans judicia Dei occulta et numquam injusta. Et nunc adhuc hec scribens supplico tibi, pater misericordiarum et Deus totius consolationis, da peccatori supplici tuo animum patientem, in tribulatione gratias agentem, errata sua agnoscere et sub flagellis pietatis tuæ humiliter ad te suspirare. Ab illo die neminem Flaviniacensium vidi, manifesta cognita Dei virtute, qui disponit omnia in tranquillitate, quia recesserunt omnes a me, qui et cum mecum essent, longe erant a me, et si qui adheserunt mihi in tribulatione, videntes quod defecerat Flaviniacus a me, ipsi quoque abiere. Et quia abusus sum potentia et honore seculari, dum licuit, donis tuis, Christe, quia totum erat abs te, nec ut debui et potui reveritus sum datorem illorum te : ecce solus sum, et non sum solus, quia nec solus patior; compatiuntur enim quotquot sunt patres, quotquot se viscera paterna habere memorantur. Sed cui averteras faciem tuam, juste factus est conturbatus. In omnibus ore et corde benedico te, solum meum refugium, qui et conturbatum non deseruisti, sed miris et variis modis cor meum visitasti, ut scirem quæ patior, a te esse; quia etsi peccavi, et peccata mea multa sunt et innumera, arenæ maris numero et pondere incomparabilia, non tamen qualia et quanta imposuerunt, mihi sunt. Et ecce porto pondus [431] ignominiæ impositæ, obtenebratur mihi sol vespere, mane et meridie, benedicta dispensatio tua in me.

Veni ergo Divionem ultra spem et votum fratrum et filiorum nostrorum; sed et ibi turbata erant omnia nimietate infirmitatis quæ invaserat patrem nostrum, quem tu sanasti orationibus filiorum suorum fidelium tuorum. Attamen infirmitas ejusdem patris mea fuit infirmitas, quia nec ei loquutus sum, ad quem veneram accepturus de tanta tribulatione consilium. Aliis rem non judicavi propalandam, quod adhuc agebatur ut credebam in clanculo; sed Colticas abii, quia prioris ejusdem loci satis me credebam strenuitati, cujus tamen bonitate non in longum fruitus sum : et in crastino eumdem cum fratre qui nobiscum advenerat, Flaviniacum misi, ut ipse stultorum comprimeret insolentiam et edomaret superbiam. (Fol. 140.) Quo venientes, nuncios episcopi invenerunt; et simul villam ingressi sunt, sed intentione diversa. Mox enim ut ego Flaviniaco exivi, contrariæ partis filii non segnes in exequutione sui propositi, Sedelocum ierunt pontifici nostro prima gaudia perlaturi, quod abbas Flaviniacensis, suus et æcclesiæ hostis apertus, a quo tanta passus pontifex foret, æcclesiam dimiserat, fugæ præsidium laturus non reversurus elegerit; æcclesia jam sine pastore, locus sine rectore, castrum sine tutore. Videret cujus hoc erat prospicere, ne quod dampnum inferretur matri æcclesiæ, neve ille rediret qui recesserat, quia omnia constaret amodo periclitari in ejus præsentia. Audiit episcopus, et letatus est, et auditum omnibus protestatus est. Et qui debuerat A vecordium coercere præsumptionem, et perterrere exemplo Cham, qui quia patris verenda detexit, maledictionem hereditate possedit, inmemor fidei et pacis pactæ, gavisus est quod invenisset locum optatum quasi suas injurias ulciscendi; et infamiam nostram, antequam me conveniret legatis aut litteris, omnibus in curia et extra curiam publicandam curavit. Nec mora; Hubaldum de suis, illis fratribus infamatoribus nostris sociatum, Flaviniacum misit, et e diverso venientes legati sui, et nostri, cœnobium ingrediuntur. Nostri conventu adunato, salute data, pauca pro tempore et re loquuti, cum redarguissent eos verbis juvenum esse nimium credulos, optulerunt eis ex nostra parte purgationem illatorum, ne dissentirent a subjectione nostra et obedientia; nec B susceptisunt. Ingressiset illis, qui expectabantur omnium fere votis et assensu, revolvuntur in nos mille convicia, effunduntur obprobria, improperia dilatantur, quæ dum recolo horreo, dum horreo stupeo, et lux ipsa mihi est fastidio. Nec est inventus ex omnibus quibus benefeceram, qui vicem nostram doluisset, et saltim verbum pro patre quamquam peccatore dedisset. In conciliabulo illo fratres et filii nostri sanctæ obedientiæ libellum repudii conscripserunt, domno episcopo filiationem per legatos ejus offerentes, ei villam servari promittentes, et in omnibus mihi abrenunciantes. Decreverat hoc facere manus tua, Deus, et peccata mea etiam majora promeuerant, qui possederant nos, Domine, absque te, nec C indignabitur humilitas nostra pati quæcumque decreveris, intuitu misericordiæ tuæ. Tunc primum legatis nostris ad nos sine fructu reversis, didici satius esse Deo absque Flaviniaco servire, quam propter Flaviniacum Deum offendere, quod ego feceram, cum fastu superbiæ turgidus et obsequentium cuneis delinitus. Deum non ut debui respexi, nec timorem ejus animo circumdedi. Fateor, sensi quod, non dicam credere, sed nec sperare potui : quia vidi me omnino sine amicis, qui, ex quo potui, ad hoc semper laboravi ut congregarem mihi amicos. Sed licet ipsum fluvium Romanæ eloquentiæ beatum Ambrosium legissem in libris de officiis tuba sancti Spiritus intonantem et eructuantem vires amicitiæ, nondum tamen ad plenum didiceram quis esset fru- D ctus ejusdem amicitiæ, quod omnimodis nescit qui unicuique personæ actum congruum dare non novit. Unde fit ut plerumque noxio velimus assentarie gratificari, et innocenti amico non vereamur insidiari, quod extra officium est. Quod dum stultus agit, violantur fœdera pacis, ut nec dicenda sit amicitia quæ nulla est, quia in nullo congruit ei qui hujusmodi est. Sit igitur benedictum nomen Domini, cujus judicium concessa vel permissa dedit, et misericordia abstulit.

Sed quis potest investigare vias hominis? Quamquam persuaderet mihi mens et ratio, judicio Dei id actitari, deliberavi tamen animo adire Lugdunum, vel quia intercepto nullum est consilium, vel quia

VARIÆ LECTIONES.

[431] *vox crasa c.*

tot sibi adversis succedentibus, bonum est a multorum maxime sapientum querere caritate consilium. Videbam enim me prægravari a proprio episcopo, et ideo recurrendum mihi videbatur ad metropolitanum, secundum scita canonum, tum propter antiquam familiaritatem, et, ut rebar, indissolubile vinculum amicitiæ, quo jugi obsequio me peculiari ipsius famulitio devinxerat sedula nostri devotio, quod utique vinculum nullus mihi videbatur posse rescindere, nec ipsa manus referta munere : tum propter obstinatam dicti episcopi proterviam, et protervam obstinationem, qua nemini umquam inimico ignovit, nec noxio aut innocenti pepercit, quod furor animi ejus animatus in nos nullo nisi magni censura judicii foret medendus antidoto. Ivi itaque, et invenissem utique quod speraveram, nisi pluris constaret apud archiepiscopum numquam vacua a munere amicitia episcopi servitio nostro. Attamen remissus sum ab eo pro defendenda et tuenda parte nostra ad illum, a cujus alarum patrocinio rapuerat me, domnum scilicet Divionensem ; ut ipse conveniret episcopum, quoniam inconventum, indiscussum, inauditum me bonis ecclesiæ spoliasset, quod canonicis omnino sanctionibus aversabatur. Veni itaque ebdomada ipsa ante festum Sancti Benigni (Nov. 1), cum in omni terra adversus me hostis clamaret, et non jam extra synagogam, sed extra communem omnium habitationem ab inimicis pelli debere judicarer. Audierant et ipsi malum meum ; nam quis locus esset quo bona fama nostri præcesserat, ad quem tanti infortunii rumor non accessisset ? sed eum plus dolor angebat qui plus dilexerat, quia plus laboraverat. Ei mihi ! quid refero? Vide, Domine, quia tribulor, vulneratum est cor meum caritate, quia a filiis viscera materna quatiuntur et scinduntur. (Fol. 140'.) Inveni offensos animos omnium, quia eo ipso quo eos offenderam, scilicet in dimissione fratrum, memet destruxeram ; unde et compassione pro his et aliis judicio eorum merito carere debebam. Verum ubi adveni, a patre susceptus benivole, contuli cum illo incommoda hominis utriusque, et consiliator mihi factus est bonus, juxta quod eum decebat dare, et melius quam me decuisset accipere. Nam quia dixeram episcopo me ad eum venturum cum a Lugduno regrederer, qui me, ut audieram et per me ipsum probaveram, omnibus bonis spoliaverat, fuit consilium ut prius Flaviniacum irem, loquuturus fratribus, casatis et servientibus nostris, et temptaturus quem erga me gererent affectum, quo uterentur animo ; qui mihi ubi ab eis discesseram vale fecerant, et reditum nostrum maturius impleri rogaverant. Ivi itaque, et nuncio præmisso, priorem, quem amoto eo qui mecum erat priore Colticensi, in locum ejus substitueram, ad me apud Vidiliacum, et cum eo quos dignum duxi venire mandavi (Oct. 31). Venerunt satis protrahendo, et immutata erat facies eorum, et cor eorum recesserat a me, nec agnoscebar ab illis quibus omnia bona feceram, et obstupescebam, quia fugiebat a me vox et sensus. Dixi me venisse ad festivitatem dedicationis, quæ postera die futura erat ; non receperunt, quia villam episcopo reddiderant, et me non suscepturos promiserant. Loquutus sum de infamia mihi imposita, pro qua defendenda Eduam proficisci paratus eram. Cum monuissem ut mecum irent, nec hoc audierunt, episcopum ut dicebant verentes. Videns quia omni eorum qui mihi juraverant destitutus eram solatio et amminiculo, et solus relictus, cum omnia quæ offerebam, derisui haberentur, destinavi per me ipsum ad nostrum reverti monasterium, satis et super satis experta fidelitate, ubi ipsi idem qui mecum erant a me in crastina, nec expectata festivitate sancti Benigni recesserunt. Benedictus Deus, qui misertus est nostri, ipse judicabit causam meam, cum liberam fecerit a peccatis, quæ increverunt super nos, animam meam.

Misi ergo episcopo litteras, ut quod per me ipsum non poteram, litteris implerem, quarum textus iste est : *Reverentissimo patri et domino suo N. Eduorum episcopo frater Hugo Flaviniacensis æcclesiæ servus salutem. A Lugduno regressus, vobis ut nuper apud Eduam condixeram, occurrere debui, sed quia domnus Lugdunensis cognita causa nostra speciali me patris nostri Divionensis patrocinio, a cujus me alarum tuitione rapuerat, commisit, ut ejus consilio omnis ipsa causa nostra muniretur et protegeretur, Divionem peraccessi. Volens vero Flaviniacum ire, quosdam de fratribus, quosdam etiam de nobilibus et servientibus, ad me apud Vidiliacum venire feci, ut mecum irent, qui neque se mecum ituros, neque intra Flaviniacum recepturos dixerunt, timore vestro, ut asserebant, acti. Monui ut mecum Eduam proficiscerentur, noluerunt. Ita omni nostrorum amminiculo destitutus et spoliatus, Divioni me recepi ; et, quod solum potui, litteras has vestræ paternitati direxi, expoliationis indices, restaurationis supplices, defensionis et purgationis meæ præsentatrices. Rogo itaque ne erga me aliter quam sancti canones præcipiunt, agere velitis, quia et ego in nostro capitulo Eduensi, quod justitia dictaverit paratus sum exequi. Advertite, queso, quid debeatis nobis, ut et nos faciatis advertere quid debeamus vobis. Valete.*

Has ipsas litteras apertas direxi capitulo, et extunc usque nunc Divioni maneo, tuam, Christe, præstolando auxilium, non ut abbas, sed quasi unus e fratribus, quod mihi est tutius.

Episcopus autem consilio a se ipso accepto, per nuncium diem mihi constituit apud Eduam, dicens me non esse spoliatum, et inde dandum judicium si revestiri deberem. Ego communicato consilio respondi eis litteris directis in hec verba : *Domino N. Eduensi episcopo frater Hugo Flaviniacensis ecclesiæ servus salutem. Miratur humilitas nostra quomodo discretio paternitatis vestræ diem mihi constituerit, Eduam quasi ad judicium proficiscendi. Dicitis etiam, quod magis miramur, me non esse spoliatum. Nonne mox ut ad aures vestras rumor infamiæ nostræ pervenit, qui debueratis laborare ad liberan-*

das, non infamandas, personas, Flaviniacum missistis, villam vobis servari mandastis, fratres nostros et filios, nostro abjecto nomine, in filiationem recepistis, me indiscusso, inaudito, et nichil minus quam proscribi verente? Nonne apud Eduam in illo vestro honorabili consilio, cum Lugdunum me profecturum dixissem, promittere me fecistis ut de bonis ecclesiæ non me intromitterem, neque aliquid cuiquam darem, quasi ad tuendam et defendendam nequitiam meam? Ubi sunt abbates, decanus, archidiaconus et meliores in clero, per quos talis persona, qualis Flaviniacensis abbas esse debet, conventus est? Et ecce ad judicium vocor, non restaurationis, non redintegrationis, sed ad judicium judicii, si debeam investiri. Ubi sunt, queso, decreta apostolica, ubi constituta canonica, quæ censent neminem spoliatum vocandum ad judicium, cum non sit unde judicari debeat jam nudatus? Sed heu misero mihi! cui soli vigor et integritas canonum deperiit. Diem igitur constitutam attendere nequeo, quia non debeo. Data die competenti, paratus sum occurrere. Sin alias, in Lugdunensi capitulo paratus sum me præsentare. Si ad altiora tenditis, et quæ dixi nichili penditis, Romanum appello judicium, et interim ex parte Dei et beati Petri ejusque Vicarii, domni quoque Lugdunensis et nostri capituli Æduensis interdico ne mihi abbatiam Flaviniacensem auferatis, neve in ea aliquem subintromittatis.

Exemplar earum capitulo quoque missum est; cujus cum fuisset voluntas et definitio ut investirer, noluit episcopus. Attamen postmodum mandavit ut secunda feria primæ ebdomadæ in adventu Eduam irem investiturus, aut tertia feria ante nativitatem Domini media via justitiam ei facerem, et ipse mihi. Dixi me iturum, si mitteret monachos et servientes qui mecum irent, et in eo remansit. (Fol. 141.) Et interim publica et privata satisfactione conciliavi mihi animos fratrum, subdendo me illis et corpore et voluntate, quia sic mihi noveram expedire, cum quo bene agebatur, si saltim inter infimos privato concedebatur vivere.

Anno ab incarnatione Domini 1100 apud Ansam convenerunt archiepiscopi Lugdunensis, Cantuariensis, Senonensis, Turonensis, Bituricensis, et episcopi numero novem, Eduensis, Matisconensis, Cabilonensis, Autissiodorensis, Parisiacensis, Diensis, et alii duo, et pace statuta, de via Jherosolimitana loquuti sunt, eos qui voverant, et voti exequutores non fuerant, a communione segregantes, quoadusque vota complerent. Miserat autem Lugdunensis legatos Romam, per quos velle suum papæ ostenderat de via eadem, ut cum sua benedictione et absolutione illo deberet ire; et Romanus pontifex annuerat, ammonens ut per se iret, ut legationem suam ei committeret in Asia, quam bene rexerat in Burgundia, et interim legatos a latere suo mittendos pro posse instrueret, qui vices papæ exequerentur: et ideo illud colloquium quam maxime statutum fuerat, ut reversis missis suis cum litteris absolutoriis, ibi quoque a suffraganeis et diocesi sua viaticum acciperet.

Hoc anno obiit Philippus Catalaunensis episcopus; quo etiam anno magna fuit annonæ penuria, et multi fame periclitati sunt.

(fol. 142.) Igitur anno incarn. Domin. 1100 (Sept. 30) advenerunt missi ad Gallias legati sanctæ Romanæ ecclesiæ, Johannes et Benedictus, a quibus concilium primo apud Eduam designatum, apud urbem Valentinam institutum est 2 Kal. Octobris, ad quod convenerunt archiepiscopi, episcopi et abbates numero 24, occurrentibus legatis domni Lugdunensis archiepiscopi, quia ipse infirmabatur, quamquam episcopi dioceseos ejus, Linguonensis et Cabilonensis — Matisconensis enim in redeundo a Roma captus a Wiberto in custodia detinebatur — non interfuerint, prohibiti, ut dicebatur, ab eodem Lugdunensi. Eduensis autem interfuit, quia accusabatur a canonicis suis de symonia et aliis quibusdam; pro cujus defensione maxime illo convenerant Lugdunenses. Ibi ego in primo aditu concilii purgationem illatorum offerens, accusatoribus tacentibus et deficientibus, judicio concilii ad primam abbatis Divionensis vocem de abbatia investitus, astantibus canonicis Eduensibus et laudantibus, cappa et baculo donatus, in circo residere jussus, post soluto concilio ad propria sum remissus, litteris apostolicis munitus in hæc verba: (fol. 142') *Johannes et Benedictus, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales et legati, monachis, clericis et laicis ac abbatiam Flaviniacensem pertinentibus, obedientibus, salutem. Fratrem nostrum abbatem vestrum Hugonem, nobis karissimum, quem sancta synodus judicio concilii de abbatia investivit, dilectioni vestræ commendantes remittimus, præcipientes ex parte Dei et beati Petri, ut Divionem venientes eum ut abbatem vestrum requiratis, et in manu karissimi fratris nostri, sanctæ Romanæ ecclesiæ filii, Divionensis abbatis, promittentes, vos eum secure et paterne tractaturos, cum honore debito ad monasterium eum reducatis. Obedientes benedictionibus multiplicemini; inobedientes vero iram Dei in posterum sentietis, et a nobis pro contumacia sententiam dignam excipietis. Et quia nostrum est, obedire nolentibus aut differentibus præcavere vel obviare, interdicimus omnibus vobis in villa Flaviniacensi et in omnibus omnino locis ad eandem abbatiam pertinentibus divinum officium, donec præceptis nostris quæ sancta synodus firmavit, obediatis.*

Imminente vero eodem concilio, ante mensem unum et eo amplius missæ fuerant a me litteræ Flaviniacum, quarum textus iste est: *Frater Hugo Flaviniacensis expulsus abbas, Girardo [532] priori et omnibus qui se profitentur filios ecclesiæ Flaviniacensis monachis, clericis, laycis, casatis, servientibus; nobilibus et ignobilibus, cujuscumque ætatis aut*

VARIÆ LECTIONES.

[532] Gir[u].

conditionis. Audivimus, fratres, et scimus concilium celebrandum a cardinalibus sanctæ Romanæ ecclesiæ 2 Kal. Octobris apud urbem Valentinam, ad quod convocati sunt archiepiscopi, episcopi et abbates. Ad hoc vos invitamus ex parte Dei et beati Petri ejusque vicarii domni papæ Paschalis et cardinalium Johannis atque Benedicti, qui ad vices ejusdem papæ exequendas directi sunt. Nos enim concilio nos præsentabimus, Deo protectore, si vita comes fuerit, parati cum Dei adjutorio audire, respondere et judicari canonice. Veniant igitur accusatores, criminatores et testes, quicumque erga nos causam habent, qui expulsioni et spoliatoni nostræ consensistis, qui inaudi-tum, indempnatum abjecistis, et ammoniti resipiscere despexistis. Venite; ibi enim dabitur locus audiendi vos, ubi omnia Deo favente juste tractabuntur et canonice.

His acceptis litteris, consilio dato quendam de suis contra me conspiratores illi miserunt, hominem qui in scolis puerum occiderat, et Christum ejusque genitricem baptismumque abnegans, servum se diaboli propria confessione fecerat, et absque penitentia monachus ordinatus fuerat; postea maligno spiritui traditus, et orationibus fratrum curatus, publicam inde confessionem fecerat, et quater professione violata, tandem pro fornicatione et immunditia a populo de monasterio cum socijs suis, eis scilicet qui contra me conspiraverant — sex autem erant —, projectus fuerat, et extra æcclesiam suam presbiter ordinatus erat, cum ante hec omnia in cella Colticensi arcba fracta, pecunia sublata, dalmatica furata et in propries usus aptata, sacrilegium perpetrasset, et alia quedam, quæ referre pudet, commisisset. In episcopi sociorumque tamen præsentia purgationem illatorum ante alia in omnium audientia optuli; quod deficientibus accusatoribus prosequi necesse non fuit; et sic in eorum præsentia abbatia judicio concilii mihi reddita est, et sedi restitutus sum. Litteræ quoque missæ receptæ non sunt, quamvis a quibusdam lectæ sint. Die autem festivitatis exceptionis corporis sancti Prejecti, quæ celebratur 8 Idus Novembris, venerunt Divionem duo ex fratribus Flaviniacensibus missi ab eis, mandantes ut redirem, ipsi obedirent nobis. Consilium vero fratrum nostrorum fuit, quia dicebant pro timore Sarmatiæ et Sombornonis, quorum castrorum habitatores ecclesiam Flaviniacensem impugnabant, se non posse ut decebat ad nos venire, si hii qui præsentes aderant, litteris obedirent, culpam clamando et securitatem et obedientiam in manu prioris, quia domnus abbas aberat, ut paterne ab eis tractaret promittendo, et eos qui domi erant idemtidem facturos spondendo, ut Sarmatiam irem, suscepturus ab eis juxta tenorem litterarum. Ivi, et nichil eorum factum est, cum ad me quidam venissent, dicentes honestius id se facturos in capitulo Flaviniacensi. Credidi adclamationibus omnium, et in susceptione nostra nullum honorem, nullum affectum, nullam reverentiam expertus, quin potius dedecus, contumeliam et omnem inveni inreverentiam, ita ut etiam his qui mecum erant, panis negaretur, et equus servienti, quem solum mecum adduxeram, et ipsa omnis reverentia etiam a minimis non mihi redderetur, immo ipsi qui diligebant nos, vocati a me ipso ante me venire non auderent, sicut protestati sunt, prohibiti ab inimicis nostris, et insuper nisi citius monitus cameram exissem, iturus cum eis ad concilium, quia retardabar pro equo famuli nostri, minæ et opprobria et tumultuantis turbæ turbatio mihi intentaretur.

(Fol. 143.) Mane diei ipsius in capitulo litteras cardinalium lectas omnibus exposui, et expositis eis utrum obedirent, requisivi. In verbis vero eorum et factis nulla inventa est humilitas, aut erga statuta concilii obedientia. Sic in nulla re honoratus, ad concilium Pictavense proxima ebdomada futurum accelerantes, apud Colticas usque in diem quartum remorati, retrogradum iter arripuimus ea occasione, quia noluerunt ire eo quod de investitura sermo ageretur, cum etiam me coram eis professus essem bene investitum : ut vel sic ducerer ab eis, qui nec unum saltim fratrem amicum nobis et pernecessarium comitatui nostro, qui pro libitu eorum agebatur, adjungere volebant, cum ipsi omnes essent inimici, re autem vera ob id ire noluerunt, quia, parti suæ minus credentes, concilii justitiam et domni abbatis Divionensis nostramque verebantur præsentiam. Quod hinc liquido conici potest, quia cum me ita remorato quemdam de suis illo misissent cum litteris, et hoc me inscio, nec concilio interfuit, nec cardinalibus loquutus, ut venit, sic rediit. Hic autem illius superioris, quem Valentino concilio clandestina fuga se subduxisse memoravimus, in perpetratione sacrilegii pecuniæ et dalmaticæ sublatæ et in expulsione pro fornicatione sanctimonialium, maritatarum et puerorum particeps et socius fuit, causa caputque mali abba designatus a sibi similibus, qui mortem ablatis Sancti Germani Autissiodorensis, a quo de monasterio fuga lapsus susceptus fuerat et honeste habitus, tercia manu juraverat, et ob id ad Cellam pulsus habitum dimiserat, et iterum post ignominiosam ejus expulsionem a me receptus, inhoneste et omnino perdite vixerat, ad hoc inhians dejectioni nostræ, ut ipse subrogaretur.

Verum, quid mirum si juvenilia pectora a vero et justo exorbitare cogit dominandi cupido, nullo religionis humilitatis caritatisve radicata plantamine? cum et ipsas mentes senii albescentis canicie venerandas, et quæ a primis annis religionem prætulerint, ab ipsa quoque tam diuturna monachili gravitatis imaginatione desuescere, et in patres armari faciat? Priorem ibi dictus episcopus constituerat grandevum, honoratum, et qui primo mecum semper fuerat. Hic ubi me Flaviniacum introduxit, cum me in sua præsentia passus fuisset dehonestari irrogatis contumeliis, et virgam pastoralem in ipso ingressu nostro latenter vi et aperta rapina tulisset, illam nostram Valentinensis investituram concilii,

in crastinum, cum omnia nobis perturbata relinqueret, exivit, et per dies 10 quibus inibi moratus sum, tanta sum artatus custodia, ut omnis mihi negaretur ad publicum processus, omnium ad me vetaretur accessus; et non solum nulla investituræ melioratio, verum omnis erga me omnium rerum procederet deterioratio, illis privatim et publice per devia et facinorosa impune gradientibus, et in nullo religionis statuta servantibus, adeo ut propter eorum incorrigibilem et pudendam conversationem, et maxime quia inobedientes erant preceptis apostolicis, compellerer egredi, donec finito concilio Pictavensi, ubi de causa Eduensis invasoris, cujus tuitione eorum factio protegebatur, diffinitio synodalis et canonica expectabatur, legatorum consilio et judicio negocium æcclesiæ ventilaretur: tum præcipue, quia ad propulsandam illius malivoli infaustam prælationem, majores in æcclesia Eduensi, quorum erat istud nostri discidii genus dirimere, Pictavis abierant, sine quibus vecordium præsumptio non poterat coherceri. Miserabilis et prorsus desperata hujusmodi hominum præsumptio, qui nec Deum reverentur nec homines, dum intemerata a seculo præcepta spernunt apostolica, et interdictum usurpare non metuunt divinum officium! Non dubium quin eos ad hunc finem duxerit digna necessitas, ut quia contemnentes Deum, nec attendentes se ipsos, in patres armantur, et publicantes pudenda eorum pietatis paternæ jura violant; quæ etiamsi publicata, nec tamen a se, irridere solum voluissent, maledictionis Cham hereditarii possessores forent. Fiat illis ut peccatum eorum, quod penitendo cor rectum non est, sit et peccatum et causa peccati, et idem peccatum quod ex peccato oritur, sit non jam peccatum tantummodo, sed peccatum et pœna peccati, ut putent se divinæ legis statuta impune rescindere, dum attrectant inhibita altaris sacrosancta mysteria; non intelligentes quid sanctus Leo dicat in epistola sua: quod si quis contra canonum instituta venire temptaverit, et prohibita admittere ausus fuerit, a suo se noverit officio submovendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ. Quanta vero in eis et coessentibus sibi sit obcæcatio, hinc datur intelligi, quod ipsi qui pro vita sua dampnabili et pudenda, omnibusque nota, a monasterio pulsi sunt manu layca, hii in hac fece temporis prælati rectores et domini constituuntur: quondam ab eis a quibus nunc honorantur, publico obprobrio habiti, publica despectione, abjectione reprobati, verberibus et vinculis dedecoroso scemate dehonestati, et qui publica notatus confessione a clero reprobandus, et solum in fine vitæ suæ communione donandus esset, hic celerarius monasterii, pater congregationis, ut curam gerat de omnibus promotus est; quique post abnegationem Christi Dei et Domini sine penitentia ordinatus diaconus fuit, nunc post homicidii et abnegationis publicam penitentiam, sacerdos et princes (*sic*) institutus est.

Hec autem fuit occasio modernæ dissensionis, quia videbatur eis propter permissionem præceptam in litteris faciendam in manu abbatis Divionensis, velle me Flaviniacensem æcclesiam subdere ditioni Divionensis; quod ego nec speraveram, nec volebam.

(Fol. 145'.) In spacio igitur temporis quo Valentinense celebratum est concilium, obiit Wibertus, 20 anno ex quo sedem invasit apostolicam, cum haberet in captione Matisconensem episcopum et alios quamplures clericalis ordinis, quos omnes pro absolutione sua in egressu suo per se absolvit, monens episcopum, ut Romam remeans apud papam pro sua laboraret ereptione. Qui papam adiens, repperit ibi legatos ecclesiæ Eduensis super suo episcopo conquirentes, et gesta concilii referentes modumque accusationis:

1. Quod promiserit Walterio archidiacono præsente Stephano cantore in dormitorio Eduensi, si ipse adjuvaret eum, ne mater ejus vel frater, penes quos magnum erat posse, nocerent ei de episcopatu adipiscendo, haberet quidquid vellet in æcclesia, et quod pro hac accusatione, cujus erant auctores omnes fere canonici, illi quam maxime qui concilio interfuerunt missi ab aliis numero 13 de primoribus æcclesiæ, et in ea meliores archidiaconi duo, præpositus, cantor, et alii nobilitate et scientia honestateque præcellentes, ego quoque ipse qui ad querimoniam capituli Eduensis judicio concilii in sedem et locum restitutus eram; quod pro hac, inquam, accusatione, quam eo cnixius domnus abbas Cluniacensis per legatos suos, domnus quoque Divionensis per se efferebant, quo inclementius tyrannidem ipsius qui impetebatur, experti erant, controversia in concilio orta fuerit; dicentibus his qui partes accusati defendebant, non esse idoneas ad accusandum personas, pro eo quod oves pastorem reprehendere aut accusare non habent, hii maxime qui electioni ejus consenserant, et favera.t consecrationi. Audierant quoque anathema invectum in eos, qui eam reprobandam scirent nec manifestarent, et rem ipsam ante consecrationem actam constabat, quodque post consecrationem accusator ipse diaconii officium locumque promotionis ab eo susceperit, et testis accusationis officium cantoris, et uterque ei hominium fecerint, non esse sufficientem accusationem, in qua alter accusator, alter esset testis idemque accusator. Legatis e contra respondentibus, in causa symoniæ nullum omnino, quamquam infamem, quamquam subditam personam, removeri ab accusatione, cum domnus papa Gregorius VII in concilio Romano ad accusationem cujusdam abbatis symoniacum quemdam deposuerit episcopum, eodem abbate primo pro eadem symonia, cujus ipse particeps et consentaneus fuerat, deposito, sufficientem esse in uno accusatore et uno teste accusationem. Illis quoque qui impetebant objicientibus, et sacramento probare volentibus, quia juniores erant et non adeo in canonibus exercitati, ignorasse quod

esset in promisso illo pestis symoniæ, et mox ut resciverunt prodidisse, sicque a se jaculum excommunicationis repellentibus, adjicientibus etiam quod electio ejus in ipso exordio infirmata et omnino reprobata fuerit a metropolitano, pro eo quod anno et die in excommunicatione manserit, archidiaconii officium in æcclesia Linguonensi optinendo, itemque archidiaconi et cantoris — cum non esset diaconus — in æcclesia Eduensi, contra vetitum ejusdem metropolitani et legati, et in ipsis prælaturis symoniace vivendo; quodque postea quam infirmata est, absque conscientia capituli Lugduni diaconus ordinatus sit. Referebant etiam idem legati, ubi ad judicium ventum est, dissensionem accrevisse, dicentibus episcopis, pro usu Gallicanæ æcclesiæ, qui quasi confirmatus erat in concilio Clarimontensi pro præsentia Urbani papæ, itemque in conciliis habitis a domno Lugdunensi, purgationem imponendam ipsi qui impetebatur, quamvis hoc canonum auctoritatibus firmare non sufficerent. Legatis e diverso respondentibus, et canonica assertione firmantibus, accusatorum esse probare quod objecerint, si legitimi sunt, vel in causa symoniæ ubi nulla requiritur legalitas, eo quoque qui accusabatur Romanam sedem appellante, cui appellationi non assensum sit ab eis : eo quod curam, quam alii in parte sollicitudinis, ipsi haberent in plenitudine potestatis, qui Romana æcclesia, et judices in eadem essent æcclesia. Cumque tardantibus episcopis judicium dare, nox imminens et expectatio episcoporum conventum solvisset, dilatione data, sententia suspensa, in crastinum eadem re diutius ventilata, agitata, nec terminata — petentibus omnibus episcopis de judicio dissidentibus — induciæ datæ sunt usque ad Pictavense concilium, quo pars utraque vocata est; eo tamen a pontificali et sacerdotali suspenso officio, cum idem per se et suos munera quædam episcopis nocte eadem misisset, quæ a quibusdam suscepta, a quibusdam sunt reprobata : quod etiam cardinales non latuerit, adeo ut in plenario conventu gratiæ circumsedentibus redditæ ab eis sint, quod sacerdotalia pectora auri sacra fames etsi temptasset, non irrupisset.

Hæc quidem, cum præsens esset Matisconensis, in audientia domni papæ referebantur. Aderant et litteræ cardinalium sedi apostolicæ directæ pro eadem causa; ne quod factum erat ad honorem Romanæ æcclesiæ cardinales sinerent infringere. Et cum rogaret pro confratre episcopo, dimissus est ab eo, acceptis mandatis ut justitiæ faverent cardinales, apud se ratum fore judicium æquitate Petri prolatum. Sicque rediit, et Pictavensi concilio interfuit.

Quod aggregatum est in æcclesia sancti Petri, die octavarum sancti Martini (215) (Nov. 18), episcoporum et abbatum numero 80. Affuit et Eduensis cum Cabilonensi Diensis quoque episcopus, quem illo miserat domnus Lugdunensis, ut partes Augustudunensis sua vice tueretur. Advenerunt et canonici adversus eum numero 35. Repetuntur quæ jam in priori concilio super accusatione ejus objecta fuerant; quibus miro modo, multo documento, set non probabili, abalia parte resistitur. Manet controversia præfata, et fere a toto concilio repugnatur superius dictis cardinalium responsionibus pro usu Gallicanæ æcclesiæ, illis suam auctoritatem in nullo infringere volentibus, nec appellationi assentientibus. (Eol. 144.) Datur tamen ei locus se purgandi cum idoneis personis, sicut voluerat concilium, et hoc impræsentiarum, non concessa dilatione induciarum quæ quærebantur, nec admissis ad purgationem Cabilonensi, quem secum adduxerat, et Diensi, quem archiepiscopus miserat. Quod cum factum non fuisset, judicio dato, eis frustra sedem apostolicam appellantibus, rogabatur stolam reddere et anulum. Et interim ipse retro altare secedens cum suis, nec judicio parere voluit, nec ad consessum remeare, ut præcipiebatur, assensit. Quamobrem ab episcopali et sacerdotali est officio omnino depositus, et nisi obediret, a liminibus sanctæ ecclesiæ segregatus; omnesque qui ei ulterius ut episcopo obedirent vel revererentur, æterna maledictione multantur, vel qui ei opem ferrent in pertinacia persistendi. Quid autem intercesserit, quod cum Turonensis archiepiscopus, et Redonensis, et alii quamplures cooperatores se primo optulerint defensionis et adjutores purgationis, quia erant de provincia Lugdunensi, in tempore se necessitatis subtraxerint, reticere non debemus. Ubi audierunt canonici nostri, id ab eis præsentari personæ illi cujus ignorabant vitam et mores, solliciti ad eos conveniunt, privatim contestantes et publice, ne attaminarentur communione illius nec dicendi sacramenti, immo perjurii, quorum purgatione eadem certissimum erat periculum, si tamen purgatio dicenda esset criminis exaggeratio; asserentes si non adquievissent, se quotquot erant canonici, perjurium eorum ratione et sacramento declaraturos, et judicio ignis probaturos. Quod dictum a principio cos prohibuit, maxime quia videbant viros tantæ auctoritatis et nobilitatis rationem suam evidenti assertione et documento probabili astruere. Et de eo quidem ita se res habet. Ipse vero quamquam depositus, quamquam a consortio et communione æcclesiæ sequestratus, stolam retinuit, et anulum; bona tamen episcopii clerici providebant et disponebant, quod et nunc usque faciunt, omnimodis id egre ferente archiepiscopo, quod extra voluntatem suam et accusatus et judicatus depositusque foret a se sacratus episcopus, querimonia extra provinciam ventilata per manus legatorum, nec ad se, qui metropolitanus et primas erat provinciæ, infra provinciam relata secundum scita canonica. Ad quod tamen exequendum, et ita ut actum est peragen-

NOTÆ.

(215) Cf. epistolam legatorum ad Lambertum Atrebatensem, Mansi XX, 1125. Vide ibidem Acta concilii a. 1100, non integra

dum, justæ eos rationis evidens adduxit necessitas. Etenim cum in ipso primordio scandali cardinales advenissent, hortatu et precibus ejusdem pseudoepiscopi ad componendam pacem æcclesiæ, quæ fœda dilaceratione sed necessaria scindebatur, Æduam in festo sancti Nazarii venerunt, et audita partis utriusque sententia tanto favore prosequuti sunt et tuebantur vices illius, quamquam justitia canonicorum parti faveret, ut de maxima dissensione ad pacis unionem rediretur, et talis eos concordia sociaret, cui quamvis egre a canonicis assensum esset. Quæ cum tandem obstinatione ejus in irritum deducta fuisset, ab eisdem post capitulo abnegatam justitiam, ad audientiam metropolitani et judicium ejus, de communitatis dilapidatione unde agebatur, vocatus est. Quod respuit, et de priori benignitate cardinalium confidens, ad designatum Valentinense concilium eos ibidem responsurus et satisfacturus invitavit, et nolentes ire coegit invitatione sua, illis et pro publico dampno communitati eorum illato et pro privatis injuriis hominium ejus rejicientibus, etapertos se inimicos, ex hoc maxime quia de rebus domesticis ad concilium et extra provinciam vocabantur, protestantibus. Dolenda hominis miseria, qui nullum umquam dilexit, a nemine dilectus est, nulli in se peccanti ignovit, nulli post iram benedictionem tribuit, in sola pecuniæ aggregatione spem suam omnem constituens! Non credatur nobis, si non in hoc vox una consonat omnium. Nec nostrum est, etsi lesi sumus, lesionis maledicto talionem rependere, qui scimus in nos peccantibus nos debere ignoscere; sed nec congruit veritati et pietati æcclesiasticæ, de his quibus in se peccantibus ignoverit, falsa pro veris concinnare, quia vera dilectio a fide veri nescit deviare. Tribuat illi Dominus ut, quia ceptis suis omnia adversa responderi videt, non adiciat ut similem principio finem faciat, set speret in nomine Domini, non in incerto divitiarum, et innitatur super domino Deo suo. Amen.

Et quoniam viros virtutis memoriæ commendare gratissimum omnibus et utile arbitramur, non ab re videtur nobis, si zelum horum legatorum contra impudicissimum Philippi regis Francorum adulterium, secundæ Jhezabelis veneficiis a vero et justo, utili et honesto depravati, paucis explicemus. Nec indignetur erga nos quispiam, quod quasi regia a nobis carpatur vita, aut lacerctur tantæ majestatis vel nominis excellens auctoritas. Non est nostræ voluntatis aut studii, in his vel tempus expendere vel studium atterere; sed virorum facta fortia, quæ sine illis, quorum comparatione fortia sunt, et cum quibus decertatum est, memorari aut vix aut nullatenus possunt, a nostro non patimur alienari labore, ut si fortia audere nequimus, saltim fortium bene acta rimemur. (Cf. *Leg.* 1, 196.) Si sileat scedula, tota conclamabit Francia, immo totus Occidens una intonabit fama quod rex, legitimo abdicato matrimonio, regiæ stirpis uxore repudiata, thori fide violata, regii cubilis decore obnubilato, regii germinis splendore obfuscato, comiti suo Andegavensi uxorem subripuit, militi utique suo cui fidem promiserat, et carnis consanguinitate propinquo : adeo ut ex una parte in tertio, ex alia in quarto propinquitatis sanguine necterentur, et federa conjugii, quæ ne dirimerentur regalis gladius ultor hactenus inhibuit, impudica et incontinens regis dissolvit lascivia, impudica et inreverens, scindenda et dirimenda tot annis violat obstinatia. Verum quid mirum, si in fluvio seculi, in torrente fluoris regii, Leviathan antiquus quem absorbeat invenit; qui in descensu Jordanis preciosa et electa rapit, in ordine episcoporum qui præesse debent ipsos præsidentes sibi substernit? Rex regiæ castitatis osor, regii thori violentus effractor, diadematis regii procax conculcator, etsi potuit reginam a thoro et corona indebite dejicere, non poterat adulteram in solio regni benedictione firmare, nisi in ordine episcoporum complices sibi invenisset, vel sibi ipse miserabili desperatione promovere fecisset, qui voluntatis ejus exequutores, et reginæ novæ novi forent sacratores. O impudentia ! o miserabilis dispersio lapidum sanctuarii in capite platearum ! (1092) si regina immerito abjicitur, quid est quod adultera, quod cognato juncta, marito reclamante vimque passo, subintroducitur? (Fol. 144') Si vis regia jus abnegat, fas subruit, nefas attollit, quid rogo est, quod nefas benedicitur; et in templo sacrilegium attollitur, adulterium sacratur, impudicicia promovetur, et hoc per manus episcoporum? Nequius hic aliquid video, quam in tempore beati papæ Nicholai in Tietberga regina repudiata et Waldrada adultera subintroducta a Lothario, Lotharii imperatoris qui monachus factus est filio, quia, etsi ibi fallax episcoporum judicium, si reginæ innocentis dejectio, si legitimi thori divortium, si pelicis exaltatæ [433] intra regales aulas prostibulum, non illa tamen viro juncta, non a latere viri, consanguinei et militis rapta, non in ea nuptiarum utrimque sunt federa violata, sed concubinariæ oblectationis antiquæ gurges inexplebilis intemperanter memoriæ reductus, dum concupiscentiæ ænerves laxat habenas, nec scit revocare solutas, sibi mortem, regno horrorem, episcopis calamitatem, optimatibus miserabilem induxit necem et confusionem. Hic omnia confusa, omnia horrentia, omnia diabolico astu et malignitate corrupta. Invenit, inquam, rex iste in episcopis, quos sibi sociaret, quos tanti sacrilegii ministros efficeret, Philippum Trecensem episcopum, et Walterium Meldensem; cui ob hoc episcopatum dedit, ut sacrationi, cujus Trecensis esset operator, hic foret consentaneus et minister. Sed quid succensemus episcopos, quibus pietas apostolica errati tribuit remissionem ? Multa hii a domno episcopo Lugdunensi tunc temporis legato Romanæ ecclesiæ coerciti invectione, multa, nisi ipsi sibi præcavissent, multati fuissent

VARIÆ LECTIONES

[433] exaltatam *primo scriptum fuisse videtur.*

severitate. Sed, ut præfati sumus, Romana pietas et errata donavit et remissione sua infamiam superavit. Adeo ut compelleretur archiepiscopus datis a Roma sibi litteris, utrumque communione suscipere et osculo. Quod ex quo pietatis fonte manaverit, querat qui volet, et si potest intelligat. Regem quoque ipsum pelicis suæ prostitutione superbum, a reproba ejusdem conjunctione sequestrare temptavit, interdicta illi corona nisi obediret. (1094) Sed nescit impietas mala quæ fecit, nisi cum pro eisdem peccatis cæperit jam puniri. (1095) Diu de his tractatum est, Sed renuit apostolico mederi antidoto, cui veritas et judicium ad arbitrium pendet femineum; usquequo Urbano papa decedente Paschalis succederet, et has æcclesiæ columnas de quibus agitur, ad Gallias destinaret, quos jure columnas æcclesiæ dictos ex ipsa sui infirmitate et inconcussa animi virtute, qui opera eorum solerter intuetur, colligere potest. Hi post concilium Valentinum per se ipsos rege convento, cum nullam in verbis vel actibus ejus correptionem vel penitentiam, fodiendo circa arborem infructuosam et cophinum stercoris aggregando, reperissent; non passi tantam videre in æcclesia catholica ignominiam et conculcationem, membrum putridum in concilio Pictavensi a compage corporis Christi gladio anathematis præcidere non metuerunt. (1100, Oct. 20.) Aderat ibi comes Pictavensis, summa prece eos deposcens ne dominum suum excommunicarent. Aderant et episcopi identidem facientes, et cum non impetrarent quod volebant, a consessu et loco concilii, idem comes et sui minas intendendo, aliqui quoque ex episcopis, multi ex clericis, innumerabiles ex laycis exierunt. Sic ordine turbato, pace in tumultu versa, illi remanserunt qui Finees zelum imitari gestiebant; et sicut ille scortum Zamariæ cum Chorami Madianita gladio pupugit, furoremque Domini placavit, sic et isti, non veriti fremitum perstrepentium, adulterantem regem cum adultera quem corrigere nequiverunt, excommunicationis pugione perfossum, vitæ, quæ in Christo est, extorrem reddiderunt. Hoc autem actum est, quando jam erat solvendum concilium. Jamque laus Christi in ore eorum quiastabantpro dimissione concilii, ut moris est, resonabat, et æstus turbæ tumultuantis ut fervor maris incandescebat pro domini sui regis excommunicatione insanientis, cum quidam e populo in superioribus consistens æcclesiæ lapidem jecit, cardinales ferire volens, cujus ictu clericus quidam qui astabat capite illiso prosternitur. Sanguine manent [434] pavimenta, clamore confuso domus impletur, furore et insania intus et extra ministri satanæ debachantur. Manent columnæ Christi immobiles, mortem si Dominus jubeat intrepidi opperientes, et ad saxa volantia mitris ablatis capita nuda retegentes, nec aliquando a laude Dei et prædicatione veritatis reticentes, quod voce prosequuti erant, sanguine confirmare, si sit necesse, gestientes. Quorum constantia devota et devotio constantissima furentium facta est repressio et ad penitentiam cordium inclinatio. Adeo ut comites et quotquot antea grassabantur in confusione eorum humiliati sint in conspectu illorum satisfactione præmissa et prætenta obedientia.

Tractatum est in concilio eodem de expulsione abbatis sancti Remigii injusta et Burchardi substitutione illicita, et cum diu re ventilata conversatio ejus sancta, introitus legitimus, promotio atque sacratio inventa fuisset autentica et canonica, quæ etiam litteris domni papæ Urbani roborabatur, quibus merito fides adhiberetur, cum jam ipsa etiam pars inimica restaurationem ejus non reprobaret: pro quibusdam litteris confictis, quasi a sede apostolica directis, in quibus cardinales nec stilum Romanum nec pergamenum Romanum agnoscebant, maxime cum in fine earum subscriptum foret: *Valete*, quod Romana non habet auctoritas, pro illis inquam confutandis judicatum est ad sedem eundum apostolicam, quibusdam qui primo appellaverant, nec concessum erat eis, id egre ferentibus; quibus tamen evidenti ratione responsum est, etsi satisfactum non est.

Quantam autem fidei frugem virilis illa propugnationis cœlestis seges attulerit, hinc colligi potest quod postea, cum apud urbem Senonum rex cum regina sua per 15 fere dies remoratus fuisset, clausis tota urbe æcclesiis, nulla facta est ei christianitas (216), in tantum ut Jhezabelis furor usus novitate profana manus impias in Deum extendens, missis apparitoribus æcclesiam frangeret, et in ea sibi missam a sui similibus dici cogeret. Ve humanæ impudentiæ! Inerubida, servilis et non regii animi cavillatio, Romana usa levitate, nunc usque reginam suam tuetur, et dedecorosis amplexibus erroris et impudicitiæ estibus succensa, coronæ dignitatem dedecorat; et cum olim ad exorandum Deum gentiles reges, et absque jugo leges dederint, et blasphematoribus seu contemptoribus Dei vindictam intentaverint, hic regni Francorum propagator, christianæ legis propugnator, contraria præceptis prædecessorum peragit, legis sanctæ et Romanorum pontificum statuta convellit; et, quod pejus est, eisdem patrocinantibus, si dici licet quod pudet, ignominiæ suæ defendit causas, excusationes prætendit, et a quibus cogi debuerat ut resipisceret, eisdem faventibus admonetur ut in iniquitate perduret. Agit hoc Romanæ [435] avaritiæ gurges inexplebilis, qui dum nequit expleri, novit resecanda tueri. Verum de his ista sufficiant.

(Fol. 145.) Anno inc. dom. 1101, Johannes Tu-

VARIÆ LECTIONES.

[434] *ita c. loco* manant. [435] *vox a Labbeo prætermissa.*

NOTÆ.

(216) I. e. missa.

scolanus episcopus a papa in Angliam missus est propter censum beati Petri. Hic canonicus Sancti Quintini Belvacensis regularis, professione violata, habitu deposito, ad seculum rediit; et cum imperperium terre nequiret, Becci monachus factus, cum esset natione Romanus, papa Urbano ad Gallias vemente, familiaritatem ejus adeptus est, Romamque reductus, et defuncto Lavicano episcopo, cum jam de abbatia quadam muneratus esset, demum de abbate in episcopum promotus est. Jam Romam cardinales redierant, sententiam depositionis factam in Eduensem invasorem palam confirmantes, et testimoniis authenticis canonicam eam pronunciantes, cum a domno Lugdunense hoc eorum factum improbaretur palam et publice. Hunc Ierosolimam euntem prædictus Tuscolanus sive Labicanus episcopus invenit in itinere (217) cum Cabilonense et ipso Eduensis ecclesiæ invasore, et absentibus accusatoribus extra provinciam purgationem Eduensis suscepit, Lugdunensi prosequente, et juramentum ejus ita confirmante : *Credo Norigaudum istum Eduensem episcopum vera jurasse sicut me Deus adjuvet*, Cabilonensi quoque in id consentiente, et idem jurante. Ego miror gravitatem tanti viri, pro ingenita sibi bonitate et honestate fama ubique celebrati, cujus inadulatam constantiam Gallicana veneratur æcclesia, ita ab uno homine potuisse decipi, ut nunc usque partes illius manu teneat, tueatur et protegat, et fere solus sit in nostro orbe, qui de illo homine bona et recta sentiat, cum sententiæ ejus huic omnium fere etiam absentum et ignotorum repugnet generalitas et generalis unanimitas. Additur et hoc miraculo, quia, cum ante ordinationem illius infaustam venissent ad eum bonæ memoriæ domnus Hugo abbas Sancti Martini Eduensis, præpositus quoque ejusdem Eduensis ecclesiæ, et archidiaconus Signius, et electionem illam symoniace factam approbassent, decania, archidiaconia, præcentura et aliis quibusdam æcclesiasticis officiis promissis et datis, ut nunc potis est apparere, verba dixit esse ex odii fonte manantia, coegitque viros ab incepto interim silere, dum voci illorum renuit aurem accommodare. Adeo ut eos etiam fecerit eidem ordinato professionem facere, quem culpabant de tam manifesta ambitione; promittens, si symonia illa effectui manciparetur, se aliter loquuturum; nunc de occultis alieni cordis non debere temere judicari. Et ne aliquis esset, qui ordinationem illam a se factam improbaret, eandem professionem, quam illi fecerant, omnes canonicos qui convenerant promittere fecit, et eos qui domi remanserant idem agere mandavit, cum in primordio electioni eidem omnino obstitisset, quia semper canonicis repugnasset decretis, in duabus æcclesiis prælationem optinendo, scilicet archidiaconias duas, cum non esset diaconus, nec esse vellet, et cantoris officium.

Ea igitur suscepta purgatione, præfatus Johannes Æduensem secum reduxit, Lugdunense Romam tendente, ubi et canonicorum Eduensium aliquos invenit causam suam agentes. Excommunicaverat enim eos idem post discessum cardinalium, quia se dimisso apud Romanos judices accusationem retulerant, et quia bona æcclesiæ pro hac dissensione, dum quod ceperant ad perfectum elaborant deducere, aliquantulum distraxerant, et quia de his vocati ad judicium, audientiam ejus, quem sibi inimicari cognoscebant, non receperant, et quia domum episcopalem sibi reddere nolebant. Unde Romæ questione habita, et ipsi a papa absoluti pronuntiati sunt, et domum cum litteris apostolicis remissi, Lugdunensi cum Diensi Jerosolimam proficiscente. Norigaudus vero Eduam veniens cum Johanne, apud Sanctum Martinum hospitatus, a canonicis susceptus non est; in eodem tamen cœnobio missas celebrat, crisma fecit, et ministerium sacerdotale attemptare non timuit, parvipendens quidquid cardinales in eum intentaverant, et de tuitione archiepiscopi et pietate apostolici et sua liberalitate confidens. At vero cardinales in sua sentia permanentes, quod factum erat publice reprehendebant, quod non esset canonicum, sed ab æquitate Petri alienum; et ob id a familiaritate et consilio papæ se subtraxerunt, ita ut Johannes, Roma relicta, Papiæ etiam nunc remoretur, regulariter degens cum fratribus in æcclesia, de qua ad palatium raptus erat. Benedictus vero in titulo suo remoratur, a curiæ consilio se removens, et quod dampnavit improbans. Ita turbata Eduense æcclesia, Norgaudus Flaviniacum ivit, et Gyrardum aliquando priorem Colticensem contra interdictum capituli Eduensis ibi abbatem constituit, mercedem pertinaciæ suæ in hoc etiam consequutus, ut omnia diebus suis in pejus vergi videret, sicut et de ecclesia sancti Martini religionem exturbavit, et secularitatem introduxit cum ibi ordinans, quem nomine tenus domnus archiepiscopus interdixit; sic et in hac summam infelicitatem de dispersione et destructione ordinis consequutus, non intelligens quod dicitur in Sardicense concilio cap. 4 : *Cum aliquis episcopus depositus fuerit eorum episcoporum judicio qui in vicinis locis commorantur, et proclamaverit agendum sibi negocium in urbe Roma, episcopus in ejus cathedra post appellationem ejus qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit judicio Romani episcopi terminata.* Ita Norigaudus indiscussum, inauditum, indempnatum me, Eduensis capituli audientiam et Lugdunensis appellantem, et cum ad hec non admitterer, Romam etiam appellantem, et ex parte Dei et beati Petri et papæ ordinationi illi contradicentem, quantum in se fuit dejecit, et ipse quod quesivit invenit. Nunc igitur si juste, si canonice egit, letetur in pastore quem constituit, et in grege cui

NOTÆ.

(217) Hugonem post IV Id. Mart., anno 1101, iter ingressum esse docet charta Gall. Christ. IV, 107. K.

tam idoneum pastorem providit; sin aliter, egrediatur ignis de Norigaudo, et devoret eum cum suis; egrediatur ignis de Gyrardo et sibi commissis, et consumat Norigaudum cum ordinationibus suis.

Post hoc missus est legatus in Franciam Milo ex monasterio sancti Albini (218)..... [436] episcopus. Hic fecit ut infra civitatem Norgaudus reciperetur, et quandam concordiam inter eum et canonicos fecit; fecit etiam ut in capitulo Cluniacensi susciperetur, et episcopus acclamaretur, facta in eodem capitulo cessione quarumdam æcclesiarum numero....., [437] absque laude canonicorum, et eorum qui erant cum eodem Norgaudo, et eorum qui contra eum venerant causas acturi in præsentia legati [438].

(Fol. 145'.) Anno inc. dom. 1099, (Aug. 2) obiit Urbanus papa, successit Paschalis. Obiit etiam Willelmus junior rex Anglorum. Quo etiam anno in Anglia fons verum sanguinem olidum et putentem manare visus est. Ad quod spectaculum cum fere tota insula cucurrisset, insolita rei novitate stupefacta, rex præfatus advenit, et vidit, nec tamen ei profuit vidisse. Autumabat vulgus promiscuum, portentum istud mortem regis portendere, quod etiam ei dicebatur a referentibus; sed homo secularis, et in quem timor Dei non ceciderat, voluptatibus carnis et superbiæ deditus, divinorum præceptorum contemptor et adversarius, qui tamen satis regii fuisset animi, si non Deum postposuisset fastu regni inflatus, nec cogitabat se moriturum. Ideo cum temporibus ejus miranda in Anglia contigissent, Domini recordatus non est, immo nec sui ipsius, cum etiam quibusdam revelationibus, quæ tamen ei non profuerunt, ad Deum converti moneretur, quibus nec obedivit, pena quæ ei judicio divino intentabatur perterritus. Impletum enim erat in illo quod dictum est: *Peccator cum venerit in profundum malorum, contemnet* (*Prov.* XVIII, 3). Et quia Deum deseruit, sanctam æclesiam opprimens et eam sibi ancillari constituens, a Deo quoque derelictus est; in silva, quæ adjacet Wintoniæ (219) civitati dum venationem exercet, sagitta a quodam percussus, quo lethali vulnere decidit et exanimatus est, penitentia et communione carens, et apud eandem urbem sepultus. Temporibus ejus ventus vehemens de flumine Tamisiæ exurgens edificia plura destruxit, nec aliquando tantus turbo ventorum sevientium illo auditus est. Hic irruens monasterio sanctæ Mariæ in civitate Lundoniæ constituto, ubi hec acta sunt, tectum omne dejecit, trabes novem numero uti erant compactæ, distantibus inter se spaciis insimul arripiens, longius asportavit usque ad forum passus fere 50, et in eodem foro, quod dictu quoque incredibile est, ita distantibus equaliter spaciis ut erant compactæ, terræ capitibus in ima demersis, infixit, ut vix cubitus unus de tanta earum longitudine foris appareret, quod et permanet usque in hodiernum diem. Quadros etiam super muri altitudinem sitos, supra quos tectum stabilitum erat, usque ad septem miliaria evolare fecit, quod nunc usque cernere possibile est; fuit autem circa horam diei nonam. In eadem etiam æclesia jacebat quidam edituus cum alio quodam in lecto uno, et inter medium eorum, cum jacerent distante inter se spacio, una trabium vento acta per medium lecti terram intravit, ut vix summitas ejus appareret, nec lesit jacentes, nisi quod timore pene exanimati sunt.

In eadem civitate spaciosa et populosa, cum essent multi canes ad observandas domos, qui quanto breviores sunt corpore, tanto sunt acrioris et ferocioris naturæ, nocte obtenebrante ante domum majoris æclesiæ sancti Pauli congregabantur, ita insistentes transeuntibus, si quem forte offendissent solum aut impotentem aut sine baculo, ut nullus auderet absque comitatu vel defensione per locum illum transire, præsertim cum jam plurimos morsibus attrectassent; et singulis noctibus ad hujusmodi excursus ferebantur. Jam prope nullus per illud iter agebatur, et, si cui forte incumberet necessitas itineris, diverticula querebantur, cum congregati Lundonienses in banno placito suo clamorem super hoc bis terque fecerunt, et cum præceptione data ut unusquisque canes suos includeret noctibus et custodiret, nec sic revocari ab incepto potuissent, data sententia adjudicatum est omnes debere occidi, die quoque constituta qua id deberet fieri. Quæ cum instaret, nocte ipsa quæ diem præcedebat, ita omnis multitudo canum illorum fere usque ad quatuor milia diffugiens, non comparuit, incertum an in mare se jecerint, ut nullus inveniretur qui diceret quo abierint, vel quid facti fuerint; et ita civitas liberata est.

Pudet referre illud inauditum seculis omnibus monstrum, quod tunc temporis in eadem insula contigit; sed reticendum non est, ut quicumque audierit, tinniant aures ejus, et obstupescat, et erubescat talibus involvi, quibus nullus umquam irretitus est, nisi qui a Deo derelictus in reprobum sensum traditus est, hominem dico masculum a mascalis impregnatum, et monstrum illud cum dedecorosa concretione usque ad quædam liniamenta corporis humani perductum, et hominem illum, quod detestabilius est, clericum de capella regis, Petrum dictum, per annum integrum et eo amplius hoc portentuoso et ignominioso onere dehonestatum, et usque ad mortem perductum, cum ille palam et publice confiteretur peccatum suum, quod si vellet, celare non

VARIÆ LECTIONES.

[436] *cathedræ locus vacuus.* [437] *numerus vacat.* [438] *reliqua paginæ vacant.*

NOTÆ.

(218) Scilicet Andegavensis.

(219) Winchester.

posset, et aperiri sibi uterum ad detrahendam et A eruendam informis prodigii sarcinam deprecaretur, nec impetraret, ad hoc usque ingravescente et recrudescente insania, cum feminea pati cogeretur, et natura repugnaret, perductus est ut mori ei necesse esset, ignominiosam mortem de ignominiosa vita consequutus, et extra cimiterium absque officio christianis debito, suo tamen jussu et petitione, sepultura asini sepultus. Cujus cadaver apertum, ita in se habere inventum est, sicut relatum est. Frater hic erat Girardi, cui post rex præfatus Eboracensem dedit archiepiscopatum ; cujus vita cum satis superque esset notabilis, etiam diabolo sacrificasse impetebatur. Fuisset nimia in omnes magnates ejus et amicos demonum oppressio, et in omnes et obsequentes, nisi camerarius ejus, cui porcum parare et sibi B clanculo afferri mandaverat, ammiratus quid vellet facere, in locis abditioribus se occuluisset, cum rogatus fuisset egredi, illis tamen locis de quibus liber esset videndi quæ ab illo operabantur accessus; et cum cum cum demone loquentem audisset, cujus tamen vocem audiens formam non vidisset, et post cum illum per necessarias translatum jussu demonis ab illo vidisset, et post ab eo adoratum, infanda etiam quædam in conciliabulo illo audisset, cum post evocato ei præceptum fuisset instruere convivium, convocare omnes quotquot posset ad epulum, et de illo porco omnibus omnino prælibationem quandam parare, ut nullus esset qui non gustaret, ille porcum terræ infodisset, et de alio quod præceptum fuerat implere studuisset : illo ita ut precepterat factum fuisse putante et credente, nisi a dæmone instructus fuisset, a quo, quidquid camerarius fecerat, publicatum ei est. Qua de re cum camerarius impeteretur, et capi mandaretur, ille qui hoc timens sibi præcaverat, gladio educto sese defendendo domum venit, et consenso equo quem paraverat, ad regem Heinricum Willelmi successorem confugit, cui omnia retulit, paratus quod dicebat uti judicatum fuisset approbare. Hec et alia quædam monstruosa ferebantur hoc anno de eo per totam insulam, quando ibi fuimus, et dies quo de his et aliis disceptatio haberetur, et judicium daretur, constitutus erat, quem tamen non expectavimus. Hoc tamen de eo omnibus notum erat, esse cum malæ vitæ et omnino episcopi officio indignæ, quæ a puero impura extitisset, nec aliquando emendationem suscepisset. Quo etiam anno inundatio sanguinis a præfato fonte manare dicta est, quam tamen non vidimus. In capella autem omnibus diebus dominicis sive festis sodomitæ excommunicantur. (fol. 146) Alibi quoque enixa est vacca fetum informem bicipitem, quadricornem, ammirari quis posset tantam rerum novitatem, nisi, quod mirabile, Dei pacientiam tanta hominum crimina et peccata tanta patientia sustinere, ut jam pene rarus sit qui credat Deum aut res humanas curare, aut in malefactores vindictam exercere; ita cernimur omnes in iniquitatibus efferbere. Quid enim nunc in mundo, nisi omnis justitiæ exinanitio, omnis iniquitatis et abhominationis inundatio? Sed nos interim hec tristia seponentes, paulo superiora repetamus, et quod dulcescat spiritui referamus.

Non autem prætermittendus a nobis est domnus Hugo abbas Sancti Martini Eduensis, qui ad eandem æcclesiam in pristinum statum ordinis et religionis restituendam de ecclesia Divionensi raptus, et inibi pastor institutus, cum multa adversa passus fuisset, et nec nocte nec die requiesceret, cum etiam de monasterio expelli ad horam quos secum adduxerat a Divione vidisset, et post securi percussus pene cerebro vacuatus esset indefessus perstitit, et novissime, ut dicitur, veneno vitam finivit, bravium beatæ perennitatis adeptus. In cujus obitu omnis illa religiositas cepta deperiit. Quis autem ejus successor institutus sit, referre supersedeo, quia ad injuriam domni Lugdunensis referri potest, nec sine ejus nota dici; cum ille, quem ipse nomine tenus, ne intronizaretur adhuc abbate vivente, interdixerat, ut dicitur, hic eo sciente, eo suscipiente, eo annuente ordinatus est. Sed hec interim.

Anno igitur præfato ab inc. Dom. 1099 domnus et pater noster Rodulphus abba post multa peregrinationis et laborum pericula, cum ad eternæ repausationis vocaretur gaudia repromissa, in quadragesima infirmari cepit. Morabatur tunc apud Flaviniacum villam, honestam et optimam monasterii cellam, vel propter incursantium occupationum vitandas molestias, vel ut liberius spiritualibus intenderet theoriis et filiorum utilitatibus. Et quamvis C gravissimis infirmitatis corporeæ artaretur anxietatibus, pernox tamen in orationibus et vigiliis, divinis intererat officiis, diurnale seu nocturnale officium ante se religiosa devotione celebrare faciens, et ad missam semper in oratorio sustentatione obsequentium fultus iens; ubi vero immensitate doloris et infirmitatis lecto in totum decubuit, quod solum poterat, affectu, desiderio, manibus protensis, et oculis totus ad Deum vigilabat, nec de rigore propositi, animo et fide constans, quidquam minui patiebatur. Et jam fama infirmitatis ejus vicinos et absentes, longe etiam positos perterruerat fideles, et certatim confluebant omnes, mediocres, divites, comites, duces, ipsi etiam præsules, ut tanti viri sciarentur alloquio et caritate; dampnum enim sibi D maximum reputabant, si insalutatus ab eis recederet. Quibus ipse tanta sedulitate, dapsilitate, industria, et caritate servire ammonebat, ut cum pene innumerabiles cotidie confluerent, mirum videretur etiam his qui suscipiebantur, unde tanta abundantia, tanta largitas, tanta in omni apparatu hylaris et non deficiens exuberaret caritas. Nec recusabat, ut plerisque infirmis moris est, intrantium et exeuntium devotorum frequentiam; quin potius tanto affectu et officiositate qua poterat, et gestu corporis suscipiebat, ut nullus esset qui non se refectum, qui non consolatum, qui non adjutum, dum solum videre liceret, profiteretur. Direxerat jam Virdunum epistolam infirmitatis suæ nunciatricem, et ipsi circumquaque

miserant ad congregandos fratres qui possent venire, et qui non possent, ut sanitatem ejus a Domino expeterent, aut exitum ejus orationibus præmunirent [439].

Cum igitur ad eum visendum certatim undique concurreretur, ipse omnes commonefaciebat, omnibus fidem quam tenuerat et pro qua exulaverat tenendam inculcabat; dicens hanc esse veram fidem, hanc catholicam et apostolicam, pro qua nullus dubitare deberet pati adversa, immo nec ipsam mortem subire; asserens se, si vellent et oportunum fuisset, in tam tremenda hora, cum ad Dei judicium festinaret anima, se paratum esse quod dicebat sacramento firmare, et pro fide eadem milies, si Deus juberet, velle occidi (Mart. 28). Et cum jam totus ad sui dissolutionem laboraret, inde tamen totus ei sermo, totum desiderium, tota affectio, ut hec fides servaretur, hæc tota virtute, tota anima custodiretur; nec aliquis ante eum venit, qui non ad hoc commoneretur: dicens omnino damnatos esse quorum mens ab hac observantia per se repelleretur, si contigeret eos absque pœnitentia defungi, ut non per pœnitentiam unitati corporis æcclesiæ redintegrarentur. Aliquibus ergo diebus intercedentibus, quasi presagus vicini sui transitus, fratres et filios quos Christo adquisierat, ante se venire fecit, et ammirabili vultus et oris gratia de salute sua eos commonefaciens, et in Domino sperare ammonens, confitebatur quod non bene eos rexerit, non ita paterno erga eos affectu egisset ut debuerit, quia homo esset, qui numquam in eodem statu permanet (fol. 146). Et cum eos satis paterne ammonuisset ut in fide recta firmi persisterent, sicut eum viderant constanter et firmiter perdurasse, et omnes astantes ne flerent manu et voce qua poterat compesceret: *Ego*, ait, *qui patris vice et officio, licet immeritus fungor, primus vos absolvam auctoritate Dei et sanctorum et officii mihi commissi, et vos post hæc patrem karissimum, sicut filii amantissimi et desiderantissimi; et sic separabimur corpore, non autem spirituali affectione. Vos præmittetis patrem, et ipso affectu deducetis ad Dominum; ego, si Deus misericordiam animæ meæ fecerit, quod credo et expecto, adjutor et corroborator ero fidei vestræ omnibus diebus, et mei memorum memor ero per auxilium gratiæ Dei.* Hec dicens, stolam sibi fecit afferri, et cum eam collo ejus imposuissent, jacentis tanta gratia et decore resplenduit facies ejus, et ita aptabatur ei, ut omnes mirarentur, et nunc usque protestentur quod numquam ita ei in tota vita sua habitudo vestimenti illius in gratia coaptata sit sicut tunc, cum omnibus diebus usque ad id tempus et horam vix inventa sit persona aliqua, cui sic conveniret ornatus et appositio sacrarum vestium sicut ei, in gratia, in honestate, in proceritate, in vultus, et pronunciationis, et habitudinis dignitate. Prostratis ergo omnibus, absolvit cunctos, et absolutus ab eis est. Inde sociatus omnibus in osculo sancto, cum vidisset aliquos nobilium astantes, viros religiosos et qui Deum pluris habuerant quam seculum, ipsos etiam ad se evocavit et osculatus est. Stabant in partem alteram et nobiles feminæ, et ipsæ a seculo conversæ, soror scilicet Richardi Albanensis episcopi, et alia quedam non ignobilis familiæ; quas cum ad se similiter evocasset, et pio patris affectu eas filias et sorores suas protestatus fuisset, dicens debere et ipsas patri ultimum vale dicere, manum eis porrexit ut eam oscularentur, hanc designans ipsarum esse debere ad eum socialem unionem, quod non sit licitum mulieres sacerdotibus jungi in osculo, et maxime religiosas religiosis. Cum igitur et ipsas, ammonitas ut his quæ aliis dicta erant intenderent, et scirent eadem dicta esse et sibi, a se dimissas gratiæ Dei assignasset, corpus dominicum sumpsit, et totus ad Deum conversus, se et omnes pietati ejus commisit, præcipiens omnibus ut quem nominaret donnus Godezo, qui sibi assistebat, vir utique boni testimonii et religiosæ conversationis, ipsum sibi ipso die tumulationis suæ per obedientiam successorem eligerent, et illi obedirent; et si alter illo neglecto et repulso eligeretur, nullo modo ei obedirent. Dicebat enim nolle ut, quod ipse ædificaverat, alius destrueret. Cui præcepto cum omnes se assensuros promisissent, omnes manu protensa benedixit, et clausis oculis, præparabat se ad horam Domini venientis, ut aperiret ei, intraturus cum eo et per eum ad nuptias agni. Legebantur ante eum passiones dominicæ ab eo quem voluit, et cui præcepit (220), et cum recitaret lector quæ et quanta fecerunt ei, totus in se fremebat, adeo ut crebro audiretur vox dicentis: *Inimici Dei quare hoc fecerunt? Non agnoscebant Deum vera dicentem, mira facientem? Ah! quales penas modo luunt!* Venit ergo hora quam semper optaverat, et cum paululum siluisset, oculis clausis veluti dormiens spiritum efflavit. Corpus ejus lotum et curatum pia filiorum diligentia, vestibus sacratis ex more indutum est, et ante altare sancti Firmini piis suorum humeris delatum est, et excubiis debitis, quas dictavit et potuit amor filiorum, honoratum est (Mart. 29). In crastinum missa cum nimio luctu et ululatu omnium celebrata, ad monasterium iter aggredi maturarunt, quo se sepeliri mandaverat, quia inter filios in humili loco, sicut et præcepit et voluit, tumulari disposuerat. Ideo autem egredi acceleratum est, ne veniente duce vel comite ceterisve patriæ primoribus, a quibus nimio diligebatur affectu, corpus ejus retineretur, et ad monasterium perferri vetaretur; quod et contigisset, nisi ab his, quorum studii id erat prospicere, anticipatum esset, ut a villa elatum jam partem viæ peregisset, quæ ducit illo quo erat tendendum. Occurrebat corpori honorifico turba populi diversi sexus et ætatis, et

VARIÆ LECTIONES.

[439] 14 *lineæ erasæ.*

NOTÆ.

(220) Scriptor horum fuisse videtur.

ubicumque per villas intrasset, signa pulsabantur, populus a vicis et agris conveniens venientes oppe-
riebatur cum crucibus, thuribulo et luminaribus. Illud autem mirabilius, quod cum a longe vide-
rent venientes funeris obsequutores, hii qui erant in agris vel in pascuis equorum, rustici boves re-
linquebant, equites equos ascendebant, et funus injussi prosequebantur, et ne saltem oneri vi-
derentur esse bajulis exequiarum, quæ necessaria erant ipsi sibi præparabant, et cum offerretur, non accipiebant. Cum tali igitur triumpho Tullum venerunt, et ab episcopo et abbate Sancti Man-
sueti parata sollempniter processione, tota congre-
gatione albis induta, crucibus, vexillis et diverso gloriæ apparatu elatis, corpus sanctum excipitur, ante altare deponitur, et exequiis solempnibus ho-
noratur. Itaque ibi pernoctatum est. (Mart. 30.) Ubi illuxit, ad missam devota fratrum caritas ac-
cingitur, et occurrentibus certatim fidelibus, cum summa devotione in laude Dei et fidelium obla-
tione percelebratur. Expectabant ecclesiæ majoris sancti Stephani canonici deferri sibi glebam corpo-
ris, ut et ab ipsis exequiis debitis honoraretur, et per monasteria civitatis deportaretur; sed ab his, quorum erat iter accelerare, permissum non est, quod satis egre ab episcopo et canonicis acceptum. (fol. 147.) Ea die longo ordine præcedentium et subsequentium, ventum est ad monasterium sancti Michaelis (221) super Mosam fluvium situm, uti tunc et nunc præsidet abbatis officio domnus O. (222) bonæ simplicitatis vir, innocentiæ et religionis do-
micilium, de eodem cenobio, ubi vir Dei de quo agi-
tur monachicum scema susceperat, raptus ad regi-
men animarum! Qui etiam tanta se invicem caritate dilexerant, ut intelligeres quandam in eis caritatis et benivolentiæ communionem et similem innocen-
tiæ et religionis concordiam, unde et iste illum pa-
tri debito reverebatur honore, et istum ille quadam tenerrima et inreprehensibili amplexabatur filiatione, utpote qui bonæ vitæ, bonæ famæ, bonæ conversa-
tionis erant et gratiæ. Hic ut audivit patris defuncti adesse corpusculum, quasi qui suscepturus esset preciosissima pignora sanctorum, sic instituit pro-
cessionis officium crucibus, vexillis, timiamatheriis, ceroferariis et omni gloriæ apparatu, et sic decoratis omnibus sericis auroque textis vestibus obvius pro-
cedit corpori totus festivus, excepto quod cum lacri-
mis et gemitu; quamquam et hoc sit festivum esse, exequias religiosorum, eorum maxime qui labora-
verunt in verbo et opere, et de quorum vita non du-
bitatur, in quorum estimatione laus nostra non pe-
riclitatur, celebrare sollempniter in gemitu et animi contritione. Volebant aliqui reprimere impetum viri, sed qui noverat defuncti innocentiam, nichil nimis facturum se credebat ad ejus pro Deo reverentiam. (Mart. 31.) Fecit ergo nocte illa, quod potuit et di-
ctavit æstuantis affectus animi, et locata nave et nautis bajulis funeris per Mosam fluvium, ipse præ-
sens cum fratribus, quoadusque navi impositum aspectui subduceretur, dirigit Virdunum, omnibus trito calle gradientibus, et psalmodiæ officium non deserentibus. Ventum est igitur ad quandam villam Giniscort nomine populosam, supra præfatum al-
veum sitam, tribus leugis ab urbe longe positam, et illis remorantibus aliquantulum qui per sinuosos et reflexos fluminis anfractus corpus deducebant, cum illi jam venissent qui exequias deducebant, et remi-
gantes expectarent, vellent etiam et ammonerent cle-
ricos villæ, trium scilicet æcclesiarum, ut corpori obviam euntes funebria justa persolverent, sicuti et alii fecerant etiam non ammoniti: maligna quædam et indigna obicientes sacerdotes, numquam ad id cogi potuerunt, ut consueto jure humanitatis oratio-
nem progredientes darent; sed malignum eum asseve-
rantes, eum esse, qui erga episcopos rebellione utere-
tur, ipsos sacerdotio, imperatorem regno quasi detru-
dere moliretur, conclamabant beatam esse horam funeris ejus, in quo omnis rebellionis et dissensionis occasio deperisset. Ilis ita garrulitate rusticana per-
strepentibus, corpus pertransiit, prosequentium turba ceptum iter prosequuta est, rusticanorum vesaniam ultione divina evestigio consequente. Cum enim hec se fecisse gaudent, et quadam superba levitate recte se fecisse applaudunt sibi palam et publice, impeni-
tentes ignis ultor invasit, et totam villam incendio ab integro concerematam necdum mense exacto fuisse constat. Non credent his, qui non credunt Deum vindictam retribuere in hostes populi sui, sanguinem servorum suorum paratum ulcisci. Jam ad mona-
sterium nuncius adventantium exequiarum præcu-
currerat, jam grex filiorum patri pie devotus in oc-
cursum corporis appropinquantis longo processu se proripuerat, et prætergressa civitate ad suburbium ultramuraneum opperiens venientes in æcclesia san-
cti Victoris consederat. Erat in eadem congregatione frater aliquantæ utilitatis, si scisset reprimere motus animi indignantis, et appetitus frangere carnis male blandientis, ut quod plerumque male ceperat bene nosset dimittere; qui et ordinationi ejus in initio, in medio et in fine semper extitit contrarius, et omni-
bus prope factis ejus et præceptis seu constitutioni-
bus erat adversarius; sed quod destruere non pote-
rat, quia aliter nequibat, egre videbatur assentaneus. Erat etiam, ut videbatur, et ut asserebat, infirmita-
tibus carnis aliquantulum præpeditus, sicut plerum-
que assolet ex indignatione et adversa habitudine, seu passionibus hominis interioris exteriorem cor-
rumpi et indignari; dum non est qui medicamen-
tum adhibeat, aut malagma plagæ liventi imponat, quod illi quam maxime contingit, qui passiones animæ patri spirituali differt confiteri. Hic, dum alii accinguntur expeditioni, qua patri obviam eant, operam dare dum conantur et necessaria præparant, ad priorem accedens causas infirmitatis enunciat · non posse se iter illud conficere autumat, ut remit-
tatur exorat. Prior tergiversationis ejus non ignarus,

NOTÆ.

(221) S. Mihel.

(222) Odelricus.

quo pede claudicaret bene sciolus, nec concessit nec abnuit, sed ei totum imposuit, ut ipse videret quid ageret, negocium istud dicens inter Deum et ipsum constare, qui cordis videret occultà ; præcaveret ipse sibi, si vera esset impossibilitas quam prætendebat; Deum paratum ulcisci omnem dolositatem, inobedientiam et mendacium; se super se nichil horum accipere, sed Deo et ipsi totum imponere. (fol. 147'.) Itum ergo est, illo remanente, et omnem illum pro mortuo apparatum quasi graviter ferente. Sed qui ad patris ire distulit exequias, ipse eo qui sibi confessionem daret, viaticum porrigeret, morienti exequias faceret, obsequio caruit : subita et inopinata morte defunctus, ut etiam post mortis ejus maximum intervallum vix adveniret qui funeri ejus justa persolveret, Deo in hoc etiam servi sui injurias ulciscente. Fratribus igitur, ut ad rem redeamus, in ecclesia sancti Victoris corpus patris operientibus, episcopo vero cum clericis et diverso, ut in talibus assolet, apparatu ripæ fluminis astantibus, nautæ adveniunt cum corpore; et tota urbe certatim occurrente, ut ex concertatione affectum omnium erga mortuum intelligeres, funus excipitur; et congregationibus præcedentibus, ut mortis est, crucibus et reliquo apparatu circa corpus remanentibus, ad ecclesiam majorem sanctæ Mariæ iter protenditur, tota urbe signis pulsantibus. Videre erat suburbanos homines, et etiam rusticanos, compati doloribus monachorum pro sua destitutione merentium, et ex compassione in vocem cum lacrimis erumpere, et dicere : *Boni monachi, non amplius recuperabitis patrem tam pium, tam amatissimum; merito doletis, merito tristamini.* Quod ideo erat mirabilius et ad divinitatis laudem honorabilius, quia qui aliquando ab ineptis et minus sapientibus subversor legum et patriæ pro dissensione regis, quia nolebat communicare destructoribus sanctarum constitutionum divinæ legis, appellabatur, hic nunc ab omnibus in commune et absque detractatione pater civitatis et patriæ, et qui non amplius recuperari posset, vir consilii, murus et scutum domus Domini pronunciabatur, ut lacrimæ et gemitus dictorum fidem astruere videretur.

(Apr. 1.) Sic deductum corpus a filiis et ab omni fere populo civitatis, a canonicis occurrentibus infra monasterium sanctæ Mariæ excipitur, et post exequias de more celebratas missa generalis cum oblationibus celebratur. Dehinc ad monasterium sancti Vitoni processio dirigitur. Precesserant autem fratres ejusdem cœnobii, postquam corpus patris a canonicis susceptum est, et quasi patrem recepturi quem eternaliter essent habituri, sic se competenti more adornaverant, et ita caverant, ut canonicis egredientibus portam urbis, ipsi in suo suburbio occurrerent, et corpus honore condebito suscipientes, eisdem comitantibus cenobio inferrent. Post quod a canonicis discessum est, et a filiis quæ justa sunt corpori propensius exibita sunt. Ita omnia ordinate et c mposite proveniebant, ut palam daretur intelligi quod, quia ipse, cujus erat funus, ordinate vixerat, honeste et ordinate se habuerat, omnia quæ ei competebant, ordinata et composita a Deo ei providerentur. Nam et cum de petra qua claudi debebat ageretur, et vix inveniri posse videretur, ad locum ubi inveniri putabatur artifices directi, prima irruptione seu aditu terræ quinque petras excavatas invenerunt cum operculis, quarum quæ dignior, et major, et habilior visa est, receptui corporis beati aptata est. Dicebant aliqui ut juxta domnum Berengarium episcopum, qui institutor fuit cenobii, ante altare scilicet sancti Firmini sepeliretur, pro eo quod monasterio, ubi preciosum corpus ejus quiescit, vita excesserat; sed quia locus ille a conspectu congregationis nimium remotus erat, ante altare sancti Benedicti, juxta domnum Dadonem episcopum, ubi etiam domnus Humbertus primus ejus loci abba requiescere dicebatur, sepultura ejus iniciata est. (Apr. 2.) Qua operose accelerata, in crastinum congregata est omnis civitas ad sepeliendum eum ; et missa dicta, sermone dato, terræ redditus est, resurgendus in gloria et nobiscum semper spiritualiter conversaturus; quod et ipse promiserat, dum suos, qui præsentes aderant, ad Deum iturus, Deo, cujus erant, qui sibi eos commiserat, assignaret. Cui et hoc digne potest in meritis ascribi, quod apud Deum vivens optinuerit ut inter sepulcra episcoporum 25 sepeliretur, ubi, præter domnum abbatem Richardum, et præfatum Humbertum Ermenricum quoque æque abbates, domnum quoque Bernerium urbis præpositum, cui pro suæ sanctitatis merito sepultura illa concessa est, nullus sepultus invenitur, cum locus ille ducum, marchionum, comitum aliorumque procerum sepultura insignis habeatur.

(Apr. 2.) Expleta igitur sepultura, ad consolandos fratres in capitulum venit episcopus cum abbatibus et cleri primoribus; et cum, habita tractatione de morte patris, ad eligendum successorem qui esset idoneus commonerentur, cujus protelatio religionis et honoris esset diminutio, maxime cum constaret defunctum præcepisse ut die eodem sepulturæ suæ successor sibi eligeretur, de capitulo egressus est episcopus dans oportunum locum fratribus, ut de patre sibi præponendo licentius ab eis tractaretur. Et cum omnes exissent, et hii solum ad quos pertinebat electio, remansissent, et terræ prostrati 7 psalmos, cum orationibus, quarum initium est : *Adsumus, sancte Spiritus, peccati quidem immanitate detenti, sed in tuo nomine congregati,* decantassent, ubi assurgentes resederunt, et a priore ammoniti essent ut quem idoneum judicarent eligerent, se si idoneum nosset electum, paratum electioni assentire : assurgens suprascriptus frater bonæ vitæ et testimonii ante conversionem et post conversionem, fideles orationes toto conventui ex parte domni abbatis Rodulfi peroravit. (fol. 148.) Quibus ammirantibus, et salutationem illam genibus terræ deflexis grate et cum lacrimis excipientibus, ille adjecit : jubere domnum abbatem Rodul-

fum per obedientiam, ut successorem sibi quem ipse nominasset, quem elegisset, cui onus suum imponendum decrevisset, eligerent. Qui cum stupentes obedientiam excepissent, ille subjungens priorem nominavit, et pro eadem obedientia, quæ sibi sicut et aliis injuncta fuerat, ne inobediens esset, eum cum nominasset elegit, Assensum est ei a cunctis, sed ab eo, qui nominabatur, non est : *Ego*, inquiens, *dixeram, si idonea persona eligeretur, me consensurum electioni; nunc, quia video vos infirmum et hebetem elegisse, et cujus infirmitas desidiæ vobis fomentum sit, non assentio, maxime cum et electio vestra canonum repugnet institutis, et ob hoc infirma sit, quod non licet prælatum ecclesiæ successorem sibi eligere.* Dicebat hec et alia multa, cum ille frater id solum omnibus obiceret : *Domnus abbas Rodulfus per obedientiam precipit.* Quid multa? Electio facta ad laycos relata est, et præceptum atque consilium præfati patris illis relatum est, in quo omnis assentiret congregatio. Quam electionem illis suscipientibus, et in ea una voce omnibus acclamantibus, ad capitulum revocatur episcopus. Et cum resedisset cum abbatibus et cleri capitaneis, assurgens sepedictus frater idem, quod dixerat fratribus, recapitulavit episcopo ceterisve primoribus, domnum videlicet abbatem Rodulfum et jubere et precari ut successor a se electus et nominatus sibi daretur. Electionem igitur quantum in se erat, laudat episcopus, et inquirit utrum in hac consentiret conventus et populus. Quibus pariter acclamantibus, cum electus quæ dixerat eadem et similia vellet repetere, et electionem in se factam niteretur improbare, a fratre cui preceptum fuerat concurritur, arripitur, et cum sederet, ab eo et reliquis qui ad hoc ipsum opem suam paraverant, præsentiæ episcopi sistitur, et ut baculum pastoralem suscipiat, ammonetur, cogitur, nec vincitur. Ubi inflexibilem ejus animum vidit episcopus et qui aderant, inchoata antiphona *Confirma hoc Deus*, in æcclesiam a fratribus asportatur potius quam deducitur, et in loco abbatis sistitur, signa manibus ejus vi imponuntur, nec ab eo pulsantur; et a conventu ut moris est jam non resistens, quia non proficiebat, deosculatur, et sequenti dominica in abbatem benedicitur. Actum est hoc anno ab inc. Dom. 1099. 4. Non Aprilis, 4. feria, 5. die depositionis (223) bonæ memoriæ patris Rodulfi. At vero sepulcrum patris prædicti diligenter clausum et bituminatum est, et ei tabula marmorea imposita est, et quia est in ingressu chori, ante altare scilicet sancti Benedicti, ut ubi a mandato cotidiano fratres redeuntes prosternantur, et oratione finita memoriam patris inibi quiescentis faciant, constitutum est; et ne cui grave videretur, memoria quæ solita erat pro domno abbate Richardo dici post matutinos, quæ quasi ob gravamen fratrum ab eo intermissa est, quia id fratribus aliquibus, apud quos, ut dignum est, patris Richardi memoria celebris habetur, grave videbatur, repetita est, ne quasi causarentur memoriam illius intermissam, et hujus iniciatam. Sed et usque hodie bonus utrorumque patrum successor, ante sepulcrum transiens, oves sibi ab eo commissas illi reconsignat; et ut ab eo regantur et protegantur, et pastor et oves plerumque ore, semper autem animo ac devotione exorat. Tribuat illi Deus ut curam, quam invitus suscepit, fideliter exequatur, ut ab auditu malo non timeat, sed *Euge* dominicum audiat, et supra multa constitui mereatur. Qui autem voluerit agnoscere quid de patre nostro Richardo huic patri nostro Rodulfo ab angelo ostensum sit, ut ab eo fratribus relatum est, in vita præfati venerabilis viri Richardi querat, et inveniet. Natus est autem isdem vir, qui sic ordinatus est, in episcopio Leodensi, non ignobilis familiæ, et eodem tempore quo et domnus abbas Rodulfus seculo derelicto monachicum habitum suscepit, et in eodem cenobio quo et ipse; et, illo promoto ad abbatiam cum prior esset, in locum ejus substitutus est, et post cum Divionem commigrassemus, claustralis ibi prior habitus est, et postmodum regressis fratribus ad cenobium, revocante eum præfato patre, sub eo et ab eo prior Virdunensis institutus est. Sic per singula monasteria et ministeria probatus, semper ascendens et proficiens, ad regimen animarum loco et voto patris assumptus est.

Anno ab inc. Dom. 1101. die festivitatis sanctæ Ceciliæ, ventus vehemens Normanniam intravit, qui adeo vehemens fuit, ut quedam edificia straverit, silvas autem ita devastaverit, ut etiam annosas quercus non aliquibus ut assolet in locis, sed totam silvam, dum hec eruta alteri innisa, eam cui innititur frangit et dejicit, ab imis radicibus eruerit. Fuit autem circa mediam noctem, et duravit fere usque ad diem mediam, nec aliquando temporibus nostris hujusmodi ventus auditus est, quocumque irruit, ita omnia pessumdederit.

Anno ab inc. Dom. 1102, ordinatus est in episcopum Aniciensem Pontius Casæ Dei abbas, et abbatiam Casæ Dei procurandam suscepit Aymericus. Legatus quoque in Burgundiam et Franciam directus est Richardus Albanensis episcopus, primo sancti Stephani Mettensis ecclesiæ decanus.

SERIES ABBATUM FLAVINIACENSIUM.

. . . . . [a] Gayroinus episcopus successit, et in expeditione imperatoris obiit 2 Non. Julii 755 indict. 13.

Manasses ordinatur abbas dono Pippini regis. Hic corpus sancti Prajecti a Volovico relatum Flaviniacensi ecclesiæ intulit. Moritur anno 787 [789.]

VARIÆ LECTIONES.

[a] *Quæ præcedunt, investigare nulla ratione valuimus. Labbe.*

NOTÆ.

(223) Scilicet primæ, ante altare S. Firmini Flaviniaci, ipso die obitus.

ind. 15. et post eum [441] Adalbertus ordinatur. Obiit anno 4. et Zacho successit, ordinatus Kal. Maii (224), et hic quarto anno obiit 7. Idus Maii (an. 793). Alcuinus post hunc successit (796), 7 anno Apollinari sedem reliquit dono Karoli imperatoris (803). Quantus hic, qualisve fuerit, publica continent gesta; obiit tempore Ludovici imperatoris indict. 4, 826, et mortuo Vigilius successit. Huic anno 839, Adrevaldus successit, et tertio anno obiit. Marianus successit 845. ind. 8, et Wlfaldo sedem reliquit. Quo migrante, Warinus comes dono imperatoris Karoli præfuit vice abbatis, et sub eo Sarulfus diaconus, et post eum Gozserus abbas successit. Quo defuncto, Hugo successit 16 anno Karoli; et ei successit sanctus Eygil. postmodum Senonensis archiepiscopus, qui corpus sanctæ Reginæ transtulit. Huic etiam Sigardus succedit et 5. anno Wolfardo, Ludovici II imperatoris sororio, dono ejusdem sedem reliquit. Cujus ordinationis anno 3 consecratio Flaviniacensis ecclesiæ acta est a Johanne papa et 18 episcopis, anno 878 ind. 11. Quo etiam anno moritur Ludovicus imperator, et Karlomannus successit. Post hæc Adalgarius episcopus Eduensis a Karolo Simplice primo anno regni ejus sub Odone abbatiam perquisivit et obtinuit, et ab hoc a papa Romam invitatus, in itinere obiit Trenortii, anno eodem, scilicet 893; et sub eo Aquinas præpositus fuit. . . . . .
. . . . . .
. . . . . Richardi ducis successore. . . . ordinari, quem ordinavit Argrimus a Johanne papa de Lingonensi episcopatu depositus, sed a Formoso restauratus in Lugdunensi, cum non haberet pallium, nec restitutam dignitatem qua posset episcopum consecrare, et contradiceret ordinationi ex parte papæ Tetbaldus Lingonensis episcopus. Quamobrem Argrimum Formosus inrecuperabiliter deposuit et Walonem cum fautoribus, id est Richardo, Manasse et reliquis, pro invasione ecclesiæ Flaviniacensis excommunicavit. Walo tamen sæculari potentia fultus, episcopatum obtinuit, et abbas Flaviniacensis factus a se ipso casamentum sua manu retinuit, et sub se Otbertum præpositum constituit. Sic per multa annorum curricula absque abbate fuit Flaviniacensis ecclesia. Sic etiam casamenta ecclesiæ, dum sibi vicissim succedunt, pontifices Eduenses in sua divisione obtinuerunt. Post Otbertum prælatum, Girfredus de morte Adalgarii culpatus, sed judicio episcoporum purgatus, prælationem obtinuit: cui successit Raingus magnæ utilitatis et honestatis. Obiit Idus Maii. Obiit etiam Walo anno inc. Dom. 913 ind. 15. Herveus successit, et sic abbatiam sibi tenuit, et sub se Gausarium prælatum constituit. Herveo nihilominus decedente, Remundus substitutus est. Hic curam Flaviniacensis ecclesiæ Rainoni abbati Magabrensi commisit, tempore Rodulfi regis filii Richardi Justitiarii. Quo decedente, Wichardus succedit, et ei domnus Fulcherius tempore Ludovici filii Caroli Simplicis. Hic Hierosolymam profectus anno dom. inc. 944 indict. 2, partem clavi Domini et portiunculas crucis ejus, zonæ et sudarii, baculi quoque apportavit suæ ecclesiæ. Rexit etiam Divionensem ecclesiam. Sanctam quoque Paschasiam Flaviniacensi intulit ecclesiæ, mediam scilicet partem corporis ejus. Obiit quarto Kalendas Maii, anno 955, et successit ei Milo Magabrensis. Romundo migrante anno 968 indict. 11, Gerardus successit. Milo abbas Romam profectus, privilegium a Benedicto papa obtinuit. Gerardo pontifici Eduensi domnus Walterus successit anno 978. ind. 6. Hic defuncto Milone, Roberto Flaviniacensem tradidit ecclesiam; qui totam eam, nisi cautum esset, pessumdedisset ecclesiam. Expulsus enim de abbatia, quia erat propinquus Landrici comitis Nivernensis, commissus est ei prioratus cellæ Corbiniaci, et Heldricus Cluniacensis monachus abbas subrogatus est. Robertus vero Corbiniacum veniens, de eo se abbatem vocari fecit. Ex eo Corbiniacus abbatia dicitur. Obiit Heldricus anno dom. inc. 1010, et Amedeus successit, et cellam Corbiniaci recuperavit. Colticensem etiam et Sinemurensem et Bellilocensem cellas instituit, et multæ authoritatis et dignitatis obiit, et Aymo successit, sed culpatus de simonia, in manu Leonis papæ IX virgam pastoralem dimisit, et Odo I Aremari monasterii monachus successit, et post 2 annos Odoni II sedem reliquit, Elmuino sedem Eduensem procurante, qui etiam Corbiniacum, quia tunc non habebat, nostræ reddidit ecclesiæ; ubi cum processione facta susciperetur a monachis, in processione minus caute virgam pastoralem, quam Robertus diabolicus laqueus habuerat, suscepit, a fratribus nostris id omnino calumniantibus, et ob id de processionis statione recedentibus. Hac igitur de causa invalescentibus mandatis apostolicis, ne quis abbas duas obtineat abbatias, accusatus ab eisdem in concilio Exoldunensi, quasi qui contra decreta apostolica duabus præesset ecclesiis, virgam reddidit, et requisita justitia de cella sua, id est fundo Flaviniacensis ecclesiæ, nihil obtinuit. Errwino tandem episcopo decedente, cum in Aganonem communis processisset electio, curiam regis Francorum Heinricus abbas adiit, auribus regiis querimoniam suam propalavit, et procedente justitia coactus est episcopus sacramento firmare ut, mox post consecrationem suam, jus suum reformaret Flaviniacensi ecclesiæ. Et quia abbatis Flaviniacensis est prima vox in electione episcopi, quam omnes debent confirmare, in capitulo Flaviniacensi veniens electus episcopus, fidem fecit in osculo sancto fratribus pusillis et

A B C D

VARIÆ LECTIONES.

[441] p:.... *apud Labbe.*

NOTÆ.

(224) 9 Kal. Mart., *Ann. Flavin.*

magnis de redintegratione ecclesiæ Flaviniacensis, id est de restitutione cellæ Corbiniacensis. Sed quod promisit, delinitus obsequio Corbiniacensium non implevit, jus tamen suum esse semper protestatus est privatim et publice. Odone ergo decedente, Rainaldus ducis frater, ejusdem loci monachus, substitutus est. Hic corpus sancti Præjecti recondidit in loculo aureo, gemmis et argento sub studio et labore composito, et ad transmutationem ipsam A invitavit domnum Hugonem Cluniacensem abbatem. Ecclesiam quoque sibi creditam honestavit palliis et cappis et ornamentis diversis; strenuitatem tamen animi sui infirmitate præpediente, ut voluit, exequi non potuit; mortuus enim est in primævo flore juventutis, necdum septem annis in prælatione perexpletis. Et post hæc fere septem annis absque rectore fuit ecclesia, nisi quod Elmuinus solis duobus præfuit mensibus.

CIRCA INITIUM SÆCULI.

BEATUS WOLPHELMUS

ABBAS BRUNWILLERENSIS PROPE COLONIAM.

VITA B. WOLPHELMI

Auctore CONRADO *eiusdem loci monacho ac beati Wolphelmi discipulo.*

(MABILL, *Act. Bened.* VI, II, 675)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Beatus Wolphelmus, tertius monasterii Brunwillerensis abbas, vitæ suæ scriptorem habuit unum e suis discipulis, Conradum nomine, qui sancti magistri sui gesta, ut pleraque viderat, ac de cætero ab aliis viris fide dignis audierat, scriptis fideliter et accurate commendavit. Illud opus paucis post beati viri obitum annis scriptum fuisse patet, tum quod Everhardo proximo Wolphelmi successori sit nuncupatum, tum ex fine prologi, ubi auctor sic loquitur : « Quod si ullius fides hæsitaverit, tot exstant idonei testes quot ex illius temporis collegio fratres usque nunc permanent superstites. « Conradi vero ipsius elogium paucis his verbis describit Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad annum 1091, ubi de Wolphelmo agens ait : « Ejus vitam plenam virtutibus et signis Conradus monachus atque discipulus ejusdem veraci narratione descripsit ad Everardum Brunwillerensem et Hermannum Sancti Pantaleonis abbates; qui Conradus, cum esset in sacris sæcularibusque litteris non infime doctus, et a bono doctissimoque præceptore optime in omni scientia imbutus, composuit et alia quædam opuscula quibus ingenii sui acrimoniam ad posteritatis notitiam transmisit. » Quænam sint illa opuscula quæ edidit Conradus, nos latet, nisi quod idem Trithemius in Sangallensi Hirsaugiensis Chronici editione et in Catalogo virorum illustrium, alterum librum de beati Wolphelmi miraculis præter ejus Vitam, ac complures sermones ab eo editos fuisse dicit, cum aliis opusculis quæ sibi incognita fatetur. Laudatum hic a Trithemio De miraculis librum, si alius fuerit a Vita quam Bollandiani exhibent, excidisse facile crediderim, cum neque a Surio, neque a Bollandianis, ad quos multa de Brunwillerensibus sanctis transmissa sunt, editus fuerit.

2. Porro ex hac Conradi Vita plerique auctores qui postea secuti sunt beati Wolphelmi elogium contexuere, quales sunt ex recentioribus Yepesius tomo VI Annalium Benedictinorum, Bucelinus in Menologio Benedictino, aliique ordinis nostri historiæ scriptores, et inter cæteros ipse Trithemius, qui in Chronico Hirsaugiensi hæc ad annum 1091 habet : « Eodem anno quo in abbatem fuerat electus Gebhardus, tribus videlicet et septuaginta diebus ante obitum sancti Patris Wilhelmi, anno Christianæ salutis 1091 x Kalendas Maii, mortuus est venerabilis atque sanctissimus ille Brunwillerensis cœnobii abbas, Wolphelmus nomine, vir tam in divinis Scripturis quam sæcularibus litteris egregie doctus, cujus sanctissima conversatio multis profuit ad salutem. Magna inter duos istos reverendissimos viros, Wilhelmum Hirsaugiensem et Wolphelmum Brunwillerensem familiaritas pari fuit sanctitate comparata, quæ usque ad mortem utriusque inviolata permansit, » etc. Iisdem elogiis eum exornat in Catalogo virorum illustrium, qui Germaniam suis scriptis illustrarunt, ubi etiam opuscula ab ipso edita recenset. « Wolphelmus, inquit, abbas. . ., vir in divinis Scripturis eruditus, et in sæcularibus litteris egregie doctus, vita et conversatione devotus atque sanctissimus, et multorum miraculorum patratione clarus, ingenio subtilis et comptus eloquio, metro excellens et prosa. Scripsit nonnulla præclara volumina, sed pauca eorum ad notitiam meam pervenerunt. Contra Berengarium Turonensem de sacramento altaris edidit parvum, sed necessarium opus ad Meginhardum abbatem, lib. I. Sermones quoque multos ad fratres, et varias ad diversos epistolas. Carmina etiam multa et elegantia vario genere metri composuit, et epigrammata super omnibus voluminibus suæ bibliothecæ ordinavit. Alia quoque nonnulla scripsisse dicitur, quæ ad notitiam nostræ lectionis minime venerunt. » Ejus opusculum De sacramento altaris, cujus Baronius meminit ad annum 1059, Conradus Vitæ inseruit num. 10, in quo illud singulare observari potest quod Berengarius Dominum Christum ad discipulos januis clausis ingressum fuisse negaverit, quem errorem ab aliis auctoribus ei fuisse tributum nusquam invenimus.

3. Præter monasteria Sancti Maximini Trevirense et Sancti Pantaleonis Coloniense, in quibus privatam vitam egit beatus Wolphelmus, aliis tribus præfuit, quæ non solum sanctissima vita, sed etiam cura pasto-

rali et paterna sollicitudine egregie illustravit. Primum est Gladbacense in agro Juliacensi, alterum vero Sigeburgense trans Rhenum; sed cum ibi exterioribus negotiis supra modum gravaretur, ab Annone Coloniensi episcopo ad Brunwillerense monasterium, quod aliquot leucis ab eadem urbe distat, translatus est; ibique usque ad vitæ finem perseveravit. Monasterium istud Erenfrido seu Ezzoni comiti palatino originem suam debet, qui illud in honorem sancti Nicolai cum uxore sua Mathilde, Ottonis secundi imperatoris filia, construxit, operam promovente beato Poppone abbate Stabulensi, qui ibi Ellonem abbatem primum instituit, anno circiter 1024. Ezzonis comitis Mathildisque ejus uxoris ac filiorum Vitam ad nos transmisit R. P. Willelmus Wlfrath, prior Sancti Pantaleonis Coloniensis; sed cum jam a Bollandianis ad diem 21 Maii edita sit, nonnullisque fabulis aut dubiis rebus videatur interpolata, eam omittere visum est. Id solummodo notandum velim Ezzonis filias sex totidem ordinis nostri monasteriis præfuisse, præter Richezam Poloniæ reginam, erga Brunwillerense monasterium munificentissimam. Monasteriorum autem, et ipsarum nomina sic recenset ille auctor: « Adheleit in Nivilla monasterio, Theophanu in Asynde, Heileweig in Nussia, Mathilt in Didinckirica atque Wilica, Ida in monasterio Sanctæ Mariæ in Colonia, Sophia similiter in monasterio Sanctæ Mariæ Moguntiæ, atque Gandersheim, sanctimonialibus feminis sunt prælatæ loco regiminis. »

4. Cæterum cum Wolphelmus nondum publico decreto inter sanctos annumeratus sit, nullaque etiam apud Brunwillerenses nostros, ut quidem scribit Henschenius, officio publico colatur, eum *beati* titulo donasse satis fuit. Quamvis in catalogo reliquiarum ejusdem monasterii, qui ad nos transmissus est, inter alias recenseatur *caput beati Wolphelmi*, « cujus, inquit, catalogi scriptor, ossa reliqua per bella huc illuc distracta et asportata fuerunt violentia militum. » Quæ sane indicant ejus sacras reliquias e terra levatas fuisse ac publicæ venerationi expositas. Unde Gelenius libro tertio De admirandis Coloniæ Agrippinæ, inter festa peculiaria monasterii Brunwillerensis, festum sancti Wolphelmi ad diem 22 Aprilis assignat. Quo quidem die memoriam ejus recolunt Martyrologia Benedictina Arnoldi Wionis, Hugonis Menardi et Benedicti Dorganii, Molanus in additionibus ad Usuardum, Martyrologium Germanicum, Philippus Ferrarius in Catalogo sanctorum qui in Martyrologio Romano non habentur, aliique passim ejusmodi auctores.

PROLOGUS.

1. Dominici gregis pastoribus, rectoribusque vigilantissimis, Everhardo (1) videlicet cœnobii Brunwillerensis, et Herimanno in Colonia beati Pantaleonis, Conradus infimus omnium sub regulari proposito, coronam vigilantibus repositam a Domino. Hortamini, Patres excellentissimi, nos vitam beati Wolphelmi abbatis scriptis depromere, secundum a Deo vobis collatam præscientiam, non modicam hinc fidelibus providentes ædificationis gratiam. Satagitis enim ut virtutum ejus exempla ad notitiam legentium litteris deducta, bene vivendi piis mentibus pariant instituta. Sed quid, Patres illustrissimi, id placuit injungere nobis, dum nec scientia suppetit, nec facundia sermonis suppeditat? Porro in jubendo vestra tanta est auctoritas, ut, licet quod exigitis paveamus, omnino tamen negare vobis nefas esse ducamus. Liceat autem sub exemplo rei visibilis, plenius vobis declarare qua sumus hactenus suspensi dilatione. Nostis quod absque dubio acies oculorum solis succumbat reverberata splendore; quanto magis scintilla nostræ scientiæ, si altiora se præsumpserit attentare? Verum, ne sanctitatis illius testimonium diutius differendo videamur subtrahere, quamvis mole videamur victi succumbere, vestris tamen votis, pro virium nostrarum facultate, statuimus obedire. Dat ausum etiam vel fiduciam istud præsumendi, quod quisque pro suo modulo, in Domini legitur obtulisse tabernaculo: alius aurem et argentum; alius purpuram vel coccum tinctum; alius pelles rubricatas arietum. Bene autem agitur nobiscum, si pilos obtulerimus caprarum. Hæc autem omnia cum allegorica sint, ut catholici doctores tradunt, in diversis donariis gratiarum genera distinguentes, in pilis caprarum, quibusdam locis verba exprimi voluere laudationum. Unde, quoniam per scientiæ donum, vel affluentiam meritorum, perfectionem illam attingere nequimus auro figuratam et argento, purpura, vel cocco bis tincto, cæterisque donariis: cupimus saltem pilos offerre caprarum, quod est, vitulos labiorum nostrorum; quatenus in tabernaculo Domini utcunque nos contingat utiles inveniri, ne vacui prorsus appareamus in conspectu Domini. Itaque virorum illustrium actibus vel triumphis traditis litterarum monimentis, triplex inesse commodum reperitur utilitatis, dum studio æmulandæ pietatis, tot plerique modis illorum informantur exemplis. Sunt quippe instrumenta bonorum operum errantium via, pœnitentium venia, perseverantium spes et corona. His tribus generibus differentiarum vim profecto patitur regnum cœlorum (*Matth.* XI, 12), dum errans corrigi, pœnitens justificari, perseverans contendit salvari. Laudes etiam divinæ attolluntur, dum ad exemplum fidelium, sanctorum merita ad memoriam revocantur. Ne vero plura replicando fastidium legenti faciam, per hæc omnia ad illud tendit oratio, ut doceam sanctorum merita, rediviva fidelium votis semper accipere incrementa; dum supernа gratia illorum fecunditatem mentibus præstat, et fructificandi gratiam subministrat. Igitur sancti ac beatissimi Wolphelmi abbatis vitæ seriem explicaturi, nil aliud prorsus intendimus prosequi, quam quod

(1) Everhardus B. Wolphelmo successit. Hermannus autem monasterio S. Pantaleonis usque ad ann. 1021 præfuisse dicitur.

ab idoneis testibus contigit audiri, seu quod aliquot annis ministrantibus vel astantibus sibi, divina nobis gratia contulit intueri. De quibus, si ullius hæsitaverit fides, tot nobiscum exstant idonei testes, quot ex illius temporis collegio fratres nunc usque manent superstites.

INCIPIT VITA.

2. Igitur gloriosus Domini confessor Wolphelmus in Ribuarensi (2) pago ex illustri prosapia ortus, Dei, omnem justum gratuito illuminantis, præveniente gratia, lineam generosæ propaginis ornavit titulo sanctitatis. Qui merito juxta etymologiam, vel idioma linguæ regionis illius, Wolphelm (3) dignoscitur appellatus, quoniam pro castris Domini contra immanissimum lupum, id est diabolum, galea salutis munitus, erat congressurus; quod quam efficaciter, quam strenue, pro re, pro tempore, nomini contendens gestis congruere, studuerit exercere, loco suo lector plenius poterit invenire. Pater vero ipsius, Frumoldus (4) nomine, ut ex nominis ejus liquet expressione, probus modis omnibus floruit actione. Hic genere moribusque sibi competentem, Evezam nomine, sortitur uxorem : quibus, juxta Apostolum, honorabile connubium et torus exstitit immaculatus (*Hebr.* XIII, 4); quoniam matrimonium non contraxere causa explendæ libidinis, sed gratia procreandæ sobolis. Qui genere clari, et inter suos quodam innocentiæ privilegio insigniti, erant christianæ religionis devotissimi cultores, fidei dote pollentes, charitate ferventes, pietatis amatores, juxta Apostolum, bonum operantes ad omnes (*Gal.* VI, 10). Verum domina Eveza, ut illustrem exponam familiam et alti sanguinis decus, ex cujusdam illustrissimi comitis, Sicconis nomine, stirpe descenderat, quem et ampla prædiorum spatia, et utriusque sexus numerosa familia, sed et militaris animi commendabat audacia. Hic, quod opibus et nobilitate sit celsius, justitiam æquitatemque sectatus, qua Deo nil invenitur acceptius, totis elaborabat nisibus ut, sicut propaginem magnificentia generis, ita et illustraret operibus pietatis. Unde procul dubio innuitur hunc justum tamque præclari meriti virum, ex modestis et piis parentibus ortum, quanquam plerosque legamus justorum ex parentibus editos impiis, veluti rosæ gignuntur ex spinis. Genitricem vero ejus, quam, exemplo Rachelis, pro filio doloris ac dexteræ, in benedictione seminis Abrahæ hunc constat peperisse, dubium non est, cum Anna Samuelis matre, vicem a Deo commodati fenoris meruisse. Pari quippe voto hæc filium invenitur obtulisse Domino. De qua etiam plane sentiendum, quod non minus placuerit in tabernaculo Domini propter commercium conjugii, quam si toro minime fuisset sociata virili ; hinc etenim potius laudis ejus videtur propagari titulus, quod tam bene redolentis floris fructum ad totius Ecclesiæ edidit statum, quam quod clarissimum stemmatis ramum, ab anteritate dignoscitur traxisse priorum. Magis denique Omnipotens uniuscujusque approbat mentem, quam conditionem, dum liber ac servus, unum profecto in Domino sumus. Ea vero solum, præter omnem mundi gloriam, Deo probatur grata libertas, eamque nobilitatem non eximet ulla vetustas, si quid boni, si quid recti aut nos ipsi fecerimus, aut talium studiosos successores habere meruerimus.

3. Primam itaque humani incrementi beatus Wolphelmus ascendens lineam, auspice Deo, de infantia ad bonæ indolis transiit pueritiam. In qua ætate, et liberalium artium disciplinam est professus, et suorum instantia, Coloniæ apud ædem (5) beati Petri apostolorum principis, corpori congregationis sociatus. Quo temporis articulo, post juniorem Ottonem sceptrum imperii Henrico secundo feliciter administrante, rebus quidem bellicis viro potentissimo, circa ecclesiasticas vero disciplinas solertissimo, sanctus Heribertus, toto jam orbi fama sanctitatis notissimus, sanctæ Coloniensi Ecclesiæ præsidebat episcopus. Qui beatissimus pontifex, jam ultimæ ætatis senio fessus, famulum Dei Wolphelmum, tam corpore adhuc quam et malitia parvulum, more sibi Christianæ religionis oblatum, ut evangelicum Dominus parvulum, in medio statutum benedixerat, et per sacri chrismatis unctionem, sanctique Spiritus invocationem, in filiorum Dei transtulerat sortem. Porro ne inanis, aut vacua, vel certe fortuita in illo posset æstimari tanti benedictio viri, sancti Spiritus attractus calore, ad contemplativam vitam toto jam mentis desiderio cœperat anhelare, satisque fecisset votis, si immaturitas id non impedisset ætatis. Verum quanto naturali processu augmentum capiebat virium, tanto in dies sancti fervoris illius crescebat desiderium.

4. Fuit autem ut corpore castus, ita mente sobrius, tantam possidens gratiam vultus, ut quodammodo angelicus ejus putaretur aspectus. Præter hæc divinæ pietatis indicia, in eruditione Scripturarum tantam promeruit efficaciam, ut quod semel legendo adverteret, perpetuo retineret. Quod plerumque, ut credimus, occulto Dei agebatur judicio, ne beatissimo

(2) Ripuarii tunc dicebantur, qui nunc potissimum agros Coloniensem et Juliacensem incolunt. Wolphelmi originem ex comitibus de Niel repetit Gelenius libro III De admirandis Coloniæ.

(3) Notat Henschenius apud Colonienses *Wolf* lupum, *helm* vero galeam significare.

(4) Idem notat Germanis *From* idem significare ac probum, *Olde* vero antiquum referre.

(5) Hæc est ecclesia metropolitana Coloniensis, cui S. Heribertus ad annum usque 1022 præfuit.

viro, in aliquo scientiæ deesset plenitudo. Igitur, exceptis divinorum voluminum paginis, quidquid poeta cecinit, orator facundus disseruit, philosophus excogitavit, quadam penna altioris sensus penetravit. Quanquam vero tanta juvenis scientia præditus claruerit, nunquam tamen hinc jactantiæ vitio elatus succubuit, memor dicentis Apostoli : Nolite seduci per inanem sapientiam hujus mundi (*Ephes.* v, 6). Tanta autem gravitas, tanta morum illi inerat maturitas, ut palam cunctis daretur intelligi, vas illum electionis existere. Nullam vero pro carnali ingenuitate sibi patiebatur reverentiam exhiberi, utilius censens amore Christi se humilem exhibere personam, quam animum habere degenerem. Ineptas etiam fabulas, juvenumque lasciviam declinabat, venenatas adulantium linguas abhorrebat; vaniloquium, levitatem oculorum, totiusque motus corporis, anchora cohibebat gravitatis. Considerans itaque et perpendens magister scholarum hunc illius in omnium virtutum disciplinis profectum, gaudebat doctrinæ illi impendisse studium, quem perfectionis cernebat attigisse fastigium. Arctius itaque sibi eum eligens annectendum, honorificentiusque servandum, assumpsit illum consortem participemque laboris, onus cum illo partiens regendæ disciplinæ scholaris, Fervebat itaque in eo magnifice studium, jugi exercitatione Scripturarum : et, quoniam scientiæ illius thesaurus non occultabatur absconditus, fiebat ubique, fama vulgante, celeberrimus. Hinc non minor de longinquo, quam ex proximo, studiosorum illum clericorum expetebat frequentia, præsenti auditu cupientium experiri quanta in illo veri Salomonis vigeret sapientia. Verum sicuti nulla eum argumentatione concludere, sic nulla tam argutæ propositionis valebant documenta proponere, quæ concite non solverentur, convenienti historica vel allegorica expositione.

5. Itaque novorum iste ac veterum de bono thesauro sui cordis prolator, animadvertens quantæ impossibilitatis sit duobus dominis servire (*Luc.* xvi, 13), ut uni Deo, cui servire regnare est, liberiori animo posset inhærere, sæculo penitus deliberat renuntiare. Juxta illud ergo Gregorianum (lib. ii, *Dialog.*, c. i), pedem quem quasi in ingressu mundi posuerat, retrahens, ruptis terrenarum voluptatum catenis, morarum impatiens, fugam iniit, latenter discessit, sanctumque Maximinum in Treverica urbe expetiit, ubi sub venerabilis Patris' Bernardi (6) regimine, amplius et perfectius tunc temporis monachicam vitam fervere cognovit. Ibi præoptati diu voti compos effectus, se monachum est professus, senisque cum Seraphim alis amictus, Deum excelso gloriæ solio subnixum tranquilla mentis acie contemplari lætatur. Quod ne abusive videatur prolatum, noverit lector, Romana auctoritate decretum (7), illius ordinis habitu significantiam exprimi sex alarum. Duas alas, illo quo totius corporis velatur altitudo : duas, quo brachiorum tegitur latitudo; duas vero superiores, invicem sibi junctas, capitis operimento. Quod quia priorum sancta definivit auctoritas, nulla argumentatione refellere habet posteritas, cum videatur et crucis per omnia speciem gerere ejusdem habitus inspecta qualitas. Quam crucem beatus Wolphelmus, ut alter Paulus, vel Antonius, non tantum exterius assumens, sed et interiori homini indissolubiliter astringens, onere sæculi expeditus, sequebatur Christi vestigia, expansis in suæ exaltationis ligno manibus ad se trahentis omnia.

6. Colonienses interea, quibus non leviter ferendum videbatur tantæ sanctitatis viro carere, ubi ubi requisitum, tandem audientes Treviris angelicæ conversationi studere, invicem contulerunt qualiter eum possent repetere. Hinc Herimannum (8), illis diebus Coloniæ currum Dei aurigantem, adeunt, quid habeant voti palam faciunt illi, et cur alio translatum insigne urbis suæ non repetat, pie severa indignatione in eum conclamant. Erat tunc videre togatæ urbis primores iterum Gregorii (9) sui discessum conquerentes; quia non major illo discedente Romanorum confusio, quam hoc absente Coloniensium agitabatur quæstio. Nec id injuria. Sicut enim ille, suo nomini bonis operibus congruendo, suæ et proximorum saluti invigilabat; ita et iste fidei opera exsequendo, cunctorum dilectione et veneratione dignissimus erat. Archiepiscopus autem juxta illud Sapientis : *Qui a multis timetur, necesse est ut multos timeat*, subjectorum importunitatibus obtemperare festinat; sed suspicatus Trevirenses difficile reddituros virum tam laudabilis vitæ, æstimavit eum repetendum, facta in totius Ecclesiæ auditu vocatione.

7. Eminebat tunc temporis inter præsentis regni cœlorum majores, Henricus (10) abbas monasterii Sancti Pantaleonis, qui memorati et sæpius memorandi viri avunculus erat. Iste charissimi sui revocationem gratanter quidem suscipiens, sed illam æquanimiter ferre nequiens. episcopi præsentiam expetiit, quid facto opus sentiret, exposuit. Pontifex sani consilii neglector fugiens apparere, litteras

(6) Bernardus celeberrimo S. Maximi Trevirensis monasterio duobus tantum annis præfuit, de quo in Vita S. Popponis, quem Bernardus in eodem monasterio decessorem et successorem habuit.

(7) Illud est decretum Bonifacii papæ IV in concilio Romano promulgatum anno 610, quod videsis conciliorum Labbei tom. V.

(8) Hic est Herimannus Ezzonis comitis Palatini, Brunwillerensis monasterii conditoris filius, qui ab anno 1036 ad 1055 Ecclesiæ Coloniensi præfuit.

(9) Vide S. Gregorii Vitam per Joannem diaconum lib. i, cap. 6.

(10) Hunc abbatem ejus loci sextum fuisse dicit Gelenius, quem anno 1066 e vivis abiisse notat, vii Idus Novembris, quamvis ejus depositio vi Kalendas Septembris in catalogo abbatum Gladbacensium, ut ipsemet Gelenius testis est, notetur. Anno fortasse sequenti eidem monasterio præfectus est Wolphelmus.

sigilli sui impressione bullatas, Treviros maturat dirigere, ad patrem videlicet Bernardum, sub cujus conversabatur regimine. Ille perpendens nihil interesse utrum ovem alienam de manu pastoris sui rapuisset, vel eo invito retinere contenderet, humilem tantæ legationi præbuit assensum, quamvis non sine gravi mœrore tantum gregis omitteret ornamentum. Talem adolescens, monasticæ vitæ desiderantissimus, Coloniensium passus violentiam, in sui pontificis deducitur præsentiam : a quo, ut filius debito paternæ dilectionis affectu recipitur, et propter assumptum angelicæ dignitatis habitum, Henrici avunculi sui providentiæ commendatur. Qui videns eum assuetæ solitudinis inhærentem studio, frequentiam audiendi et videndi causa undique concurrentium habere fastidio, urbe eductum, præposuit cuidam sui regiminis abbatiæ, nomine Gladebaco. Cujus utilitatibus quam strenuam suæ sagacitatis curam impenderit, nemo eorum qui præcesserunt credulus dubidare poterit.

8. Interea isdem vir Dei, cujus animus a terrenorum appetitu *pergere* erat, et *sine corpore velox* (Hor. Epist. I, 12, 13) ad supernorum civium societatem tendebat, dudum præconceptam aggressus est peregrinationem, Romamque petiit causa solvendi vota precum apud apostolorum confessionem. Qui vero, in suis positus, unicam salutis nostræ hostiam singulis diebus assueverat immolare, ab hoc etiam inter eundum noluit desuescere. Neque enim gravis videbatur itinerisdilatio, quæ fiebat solo amore patriæ cœlestis. Factum est autem ut nonnulli peregrinationis illius comites, humano more ad dulcia soli natalis arva suspirantes, eo paucis cum necessariis relicto, abirent, quasi ex hoc expeditiorem et viam et reditum habituri essent. Sed frustra renisi sunt sententiæ Apostoli, qui omnem [profectum] non volentis neque currentis, sed miserentis ait esse Dei (*Rom.* IX, 16). Ita enim occulta Dei voluntate profecit sancti viri dilatio, et ita illorum dilata est acceleratio, ut unius horæ una omnium fuerit perventio. Nondum enim illi expediti viatores apostolorum subintrarunt limina, cum vir Dei subsequenti gradu pressit eorum vestigia; non tam verbis ostendens quam rebus, non esse in quoquam hominum viam ejus. Qui expertam in hoc rerum eventu Dei omnipotentiam admirati, transacto peregrinationis negotio, in sua sunt reversi, ex illo tempore Dei hominem digno reverentiæ loco habituri.

9. Herimanno autem Pelegrini successore cum vita pontificatus infulis exuto, pari Coloniensium assensu substitutus est divæ memoriæ archiepiscopus Anno. Qui cum, ut sacerdos magnus in diebus suis, volens Deo placere, miro religionis ferveret amore, non minimum expendebat in constructione cœnobiorum, unde unde legis Dei æmulatores aggregans inhabitationi eorum. Cætera igitur piæ sollicitudinis monimenta Sigebergensis cœnobii constructione decoravit, virumque sæpedictum, accepta sanctitatis ejus notitia, loco præponere curavit. Sed studiosum divinæ contemplationis hominem, activæ vitæ, talibus initiis pernecessariæ, videns omnino expertem, eduxit eum ad locum solitudini ejus competentiorem. In proximo enim abbatia Brunwilerensis erat, quæ quoniam viduata erat pastore, curam ejus sancti viri commendavit providentiæ, quam sine propositi detrimento facile posset explere.

10. Istis diebus Francia turbabatur per Berengarium Turonensem, qui asserebat eucharistiam, quam sumimus in altari, non esse revera corpus et sanguinem Christi. Unde contra eum, et pro eo, multum a multis et verbis et scriptis disputatum est. Adversus quem etiam exstat hujus beatissimi viri epistola ad quemdam Meginhardum abbatem Gladebacensem edita, firmiter undique veritatis assertione subnixa : qui quasi filius patrem scriptis consuluit super hujus quæstionis definitione. Quam licet attexere sit longum, utilitati tamen prospicientes legentium, non incongruum duximus præsenti inserere opusculo, ut ad notitiam translata posterorum, hinc ejus cognita sinceritate fidei, caveant fideles aliquando hujusmodi erroribus implicari. Est autem hic modus vel textus epistolæ :

Epistola sancti Wolphelmi de sacramento eucharistiæ, contra errores Berengarii.

11. « Dei gratia Wolphelmus abbas, coabbati « Meginhardo salutem.

« Lac doctrinæ spiritualis, quod a me rogasti, de « cœlo tibi fide et humilitate largius accumulasti. « Fide, quoniam quod in me non est, credis in me « posse Deum omnipotentem operari ; humilitate « vero, quia, deficientibus meritis et sapientia, « canitiem et ordinis dignitatem non abhorres in « me venerari. O quam consequens est ut, dum « nocet quod inebriat, pro remedio desideres quod « deebriat. Nocet autem quædam ebrietas hæresis « Berengarii, cujus ebrietatis periculum declinemus, « et ad ubera vino meliora appropiemus. Et mox, « ut eam assertionem, juvante Christo, possimus « destruere, quæ clausis januis eum ad discipulos « post resurrectionem non intrasse nititur astruere ; « ex matris Ecclesiæ manans mammis, lactet nos « Evangelium Joannis : *Cum esset*, inquiens, *sero « die illo una Sabbatorum, et fores essent clausæ, « ubi erant discipuli congregati, stetit Jesus in medio* « (*Joann.* XX, 19). Et paulo inferius : *Post dies « octo, iterum erant discipuli ejus intus, et Thomas « cum eis ; et venit Jesus januis clausis, et stetit in « medio* (*Ibid.* 26). Ecce inter Berengarium, quod « non intraverit Dominus januis clausis (11), et « inter Joannem, quod intraverit, cum sit controversia, superat ille, cui, scimus, inquienti, quia « verum est testimonium ejus, omnis applaudit « Ecclesia. Nam si gentilitas, dum libros claudit, « his quos recipi judicat applaudit, multo verius

(11) Sic Guitmundus libro III ; hinc emenda quæ diximus in observ., n. 2.

« huic Evangelio perhibet Ecclesia testimonium « (*Joan.* XXI, 24), pro quo, priusquam scriberetur, « præmisit orationes et jejunium. Norit igitur « Berengarius hæc sibi sufficere, quibus, cum a « Deo sint, non possit homo contradicere. Itaque « deinceps ad id quoque, Domino juvante, veniam, « quod in eucharistiæ sacramenta loquitur blas- « phemiam. Sed quia Scriptura docet stulto juxta « stultitiam suam esse respondendum (*Prov.* XXVI, « 5); repressis interim ipsis blasphemiæ verbis, « ad fontem ejus præcurrendum, ut, si Dominus « dederit nos eum obstruere, desinat inde sanies « hujus blasphemiæ ad nos defluere. Est autem vena « hujus scaturiginis, quod non recte sentit de « sacramento Dominici corporis et sanguinis: et « dum ad aspiciendum in eis panem et vinum, B « oculos corporis habet, ad perspiciendum in eisdem « carnem et sanguinem, oculos mentis non adhibet. « Nos autem ut visum acuamus, et acuendo profi- « ciamus quo hæc intueamur, ad obtinendam semel « acceptam hujus veritatis traditionem nosmet hoc « modo cohortemur. Si qui *dixit, et facta sunt; et « mandavit, et creata sunt* (*Psal.* XXXII, 9) omnia; « si is, inquam, dixit de hoc pane: *Hoc est corpus « meum* (*Matth.* XXVI, 26); et de vino: *Hic est san- « guis meus* (*Ibid.*, 28); necesse est omnino sic « esse. Nam hæc sola mysteria non ab aliis sunt « separata, quæ, dicente Deo, facta sunt, vel man- « dante creata. Est autem unus atque idem Deus, « primo mundum formans, deinde hoc sacramento C « suam imaginem reformans. Si enim alius faceret « hominem, et alius redimeret; redimens plus « honoris sibi assumeret, atque ita et Deus per se « redempturus erat, et homo non nisi per se redimi « poterat; quia videlicet nil homini jure redimendo « proficeret, quidquid aliud quam hominem induendo « Deus perficeret; ut ex hoc liquido constet quod « unus atque idem, Deus et homo, redemptor « hominis exstet. Igitur omnino sic esse necesse « est quod, dicente Deo vel mandante, non esse non « potest. Ecce Novi et Veteris Testamenti nos hæc « auctoritate probamus: quibus Berengarius ter- « tium addit, quod non minus quam tertium « de cœlo cecidisse Catonem reprobamus. Eia « ergo, post duo Testamenta, tertium hoc; et ideo D « tertium, quia ab eis alienatur, verbis ipsius auc- « toris, ita loquitur: Si mures consecratum corpus « Christi comederint, non ideo Christus in eis, et « ipsi in Christo manebunt, nec vitam æternam « habebunt. O si nunc apud inferos tortor Horatii « desideat, dum hostem Ecclesiæ hunc verbis his « derideat :

Parturient montes, nascetur ridiculus mus!

« Putavimus hunc inter montes exaltatum, magnum « quid parturire, dum ecce mures in adjutorium « ejus conspicimus eum de cavernis accire. Jam « autem mediam hanc ironiam abrumpentes, contra « Berengarium et pro nobis nosmet cohortemur, « ita dicentes: Si corpus hoc, unde agitur, ab « apostolis et ab omnibus electis comestum, qui « soli sic illud comedunt ut Christus in eis maneat, « et ipsi in Christo: et non Judas et omnes reprobi, « ad quos post buccellam panis Satanas intrat, et fit « longe alia conglutinatio intrantis Satanæ et repro- « borum, quam ea quæ est Christi et electorum: « (nusquam enim angelos apprehendit, sed semen « Abrahæ apprehendit): si, inquam, hoc corpus ita « ab electis comestum et eis conglutinatum, illis « quoque conglutinatis eidem, se sanum et incolu- « me, vivum et integrum recipit ad Patrem; multo « magis a Juda et reprobis omnibus, plus etiam a « muribus et ab aliis mundi spurcitiis, recolligitur « in regnum suum sine sui dimunitione vel conta « minatione. Nam et sol hic visibilis, creatus et non « omnipotens, radios suos in cloacas et alias mundi « sordes emissos, rursus retrahit ad se sine aliqua « pollutione. Hoc autem corpus, post expletam more « catholico communionem, sanum et incolume, « vivum et integrum se recipit ad Patrem. Sic enim « testatur Ecclesia Achaiæ (12) beatum Andream « apostolum dicere: Postquam omnis populus cre- « dentium Agni carnes comederit et sanguinem « biberit, Agnus, qui sacrificatus est, integer perse- « verat et vivus: et cum vere sacrificatus sit, et « vere carnes ejus comestæ sint a populo, et vere « sanguis ejus sit bibitus; tamen, ut dixi, et integer « permanet, et immaculatus, et vivus. Igitur corpus « hoc ab his, quibus ille participibus particeps est, « se vivum et integrum et incolume recipiens, « multo magis ab his [qui ejus gratiæ non partici- « pant] colligit in regnum suum. Hoc interim cha- « ritati tuæ puto sufficere, dum videamus si sit opus « his aliquid adjicere. Verumtamen et quod dixi, et « si quid dicturus sum, tuis orationibus et omnium « pie de me sentientium commendo; quoniam, etsi « mortui sunt obtrectatores Hieronymi, auctorem « obtrectationis hujusmodi vivere perpendo. »

Taliter hic miles emeritus armis justitiæ, fide scilicet, spe et charitate munitus, perfidiam Berengarii, in acie Domini constitutus, suo loco expugnavit invictissimus. Quod quanta fecerit devotione, testantur, quas fundebat, orationes et lacrymæ, quatenus seducti resipiscerent, catholica fides intemerata consisteret, et a recto tramite nulla pravitate infecta deviaret.

12. His ita prælibatis, vertatur stylus ad describendum quales, pro bono ecclesiæ suæ, Cloteno videlicet nomine, pertulit labores, imo, si dici fas est, persecutiones. Quod qualiter ecclesiæ collatum fuerit et ablatum, paucis videtur intimandum; quoniam non pleniter advertitur ratio, cujus ignoratur origo. Domina Richeza (13), cujus genitores Brun-

(12) In epistola encyclica de martyrio S. Andreæ.
(13) Hæc Mizechoni regi Poloniæ nupsit, fuitque mater Casimiri de quo supra egimus. Ejus sanctitatis apologiam conscripsit contra Poloniæ scriptores

wilerense a fundamentis exstruxerunt cœnobium, fidei ac devotionis illorum æmulatrix existens, terrenarum possessionum suarum ecclesias Dei fecit hæredes, ut regni cœlestis, ipsa compos effici mereretur et hæres. Tradidit itaque beato Petro in Colonia Comburg et Salevelt, cum universis appendiciis suis; sancto vero Nicolao in Brunwilere villam quæ dicitur Cloteno, cum omnibus reditibus suis. Quam traditionem, sub multarum probabilium personarum testimonio factam, præsens domnus episcopus Anno sua auctoritate corroboravit, auctorizavit; et, ut per sæcula inconvulsa consisteret, violatores, raptores perpetuo anathemate damnavit. Solvente vero domna Richeza regina mortis debitum, dum deferretur tumulanda in Brunwilerensi cœnobio, uti ipsa vivens constituerat, nam et locum sibi sepulturæ ibidem designaverat, jussu prædicti archiepiscopi Annonis corpus ejus vi retinetur, et in ecclesia (14), quam ipse in honorem beatæ Dei genitricis semper virginis Mariæ a fundamento erexerat, sepelitur. Quo facto, memoratum allodium Cloteno eidem contulit ecclesiæ, contradicentibus illis, quibus ardore justitiæ hæc erat ad videndum violentia gravis. Adeo tunc vir prudeus et solertissimus pravorum fuerat consiliis circumventus, nec repente poterat animus ab incœpto revocari, quippe cujus nutu etiam tunc disponebantur negotia regni.

His ita patratis, imminente jam ejus mortis articulo, gravi cœpit anxiari infirmitatis incommodo. Tunc vir beatus Wolphelmus visendi eum gratia adiens, inter consolationis verba hujus rei mentionem ingerens, monuit eum pia sollicitudine hoc piaculum expiare, hanc injustitiam eliminare : addens, nisi emendatione mutasset commissum, perniciosum ejus animæ imminere periculum. Cujus ille, ut erat vir mentis ingenuæ, benigne suscepta admonitione, sciens eum virum justum et sanctum, humiliter ejus se commendat orationi, spondens in proximo aut idem bonum redditurum, aut aliud reciproca vicissitudine pro eodem restituturum. His exhilaratus promissionibus, gaudens remeat ad propria Domini servus. Sed, proh dolor! secus quam promiserat, accidit; nam immatura morte præventus obiit, et cum vita in medio, quod promiserat, imperfectum dereliquit. Igitur quæ a majoribus nostris, coævis videlicet vel discipulis beatissimi viri, comperimus, fideliter stylo percurrente digessimus : nunc quæ nostris siat acta temporibus, et ipsi vidimus, in gestorum illius ordinem referamus.

13. Post excessum itaque venerabilis archiepiscopi Annonis, domnus Hildolphus, non absque Coloniensium injuria, præsulatus obtinuit insignia : qui super hac eadem re sæpius est conventus a venerabili Patre. Qui præmonitus a prædicti loci congregatione, respondit se nulla ratione id sanctæ Dei genitricis adimere, quod tanti meriti vir pro sua contulerit devotione. Tunc vir Domini apud archiepiscopum minime se cernens proficere, per suos legatos regiam magnificentiam studuit adire, omnemque gestæ rei ordinem proclamare. Tunc quartus Henricus rex, postmodum Romanorum Augustus, qui illo tempore regni monarchiam strenue gubernabat, hujus rei comperta proclamatione, spondet se omnimodis adfuturum juvamine : factum quidem graviter ferre, nunquam vero, quoad viveret, permissurum stabile. Animadvertens etiam famam bonitatis domni archiepiscopi Annonis hac prævaricatione legum vel justitiæ non mediocriter posse obfuscari, memor veteris amicitiæ viri (ab illo quippe educatus vel nutritus fuerat) mandat domno Hildolpho ejus successori, Cloteno celerius restitui cœnobio Brunwilerensi. At illo nil certi ad hæc respondente, sed potius de die in diem differendo tempus redimente, non ex voto consulti, sed spe frustrati, rediere legati. Tunc vir Domini, omni humano destitutus consilio, quid ageret, quo se verteret, dubius fluctuabat; sed ab eo sibi opem vel consilium flagitat, qui solus novit in periculis et necessitatibus subvenire.

14. Tunc ejus incidit animo, nil præstantius, nil consultius fore, quàm pontificem sedis apostolicæ super hac re interpellare. Qua inspiratione animæquior factus, destinat velociter legatos ad apostolicum, tunc forte consistentem in confinibus Alpium. Qui ubi coram senatus primoribus, et Romanæ Ecclesiæ judicibus ad liquidum verbis papæ exposuere singula, quæ ab archiepiscopo Annone de Cloteno sæpius memorato gesta fuere, omnium mentes et corda stupor apprehendit cum admiratione non modica. Tunc domnus papa Hildebrandus, qui et Gregorius, ex auctoritate beati Petri apostoli per epistolas (15) suas denuntiat domno Hildolpho ejus successori, ne, sub specie pietatis defensor existens impietatis, Cloteno, Brunwilerensi Ecclesiæ violenter ablatum, diutius patiatur irrevocatum. Non eget, inquiens, o fili, Deus offerri quidquam ex injustitia sibi; quia, ut legimus, sic ei fiunt victimæ ex rapina, quomodo si mactet quis filium in patris præsentia (*Eccli.* xxxiv, 24). Patratorem quidem multorum bonorum agnovimus fratrem nostrum Annonem archiepiscopum; sed tamen in hac parte minime defendendus est non errasse; dum quod beato Nicolao præripuit, sanctæ Genitrici Dei gratum holocaustum æstimavit, dicente Domino per prophetam : *Quia ego Dominus diligens judicium, et odio habens rapinam in holocausto* (*Isai.* LXI, 8). Nec fas est a fidelibus credi matrem discrepare a voluntate filii, dum id prorsus constet utrisque proprium atque commune eadem velle et eadem nolle. At tu, ne defendendo injustitiam videaris offendere Deum, tolle de medio quod,

Gelenius. Ipsius vero nomen variis in Martyrologiis inscriptum est, qua de re videsis tom. V Maii Bollandiani die 21 ejusdem mensis.

(14) Hæc ecclesia hactenus stat Coloniæ, quæ dicitur beata Maria ad Gradus, estque collegiata, de qua Gelenius libro III Mirabilium Coloniæ.

(15) Hæ litteræ non reperiuntur inter Gregorianas, quæ in ejus Registro exstant.

alias licet bonus, hic male consultus commisit episcopus Anno : ne et illius detrimentum sit coronæ, et tibi occasio culpæ.

15. Hujusmodi paternis admonitionibus a sedis apostolicæ auctoritate susceptis, prædicti pontificis Hildolphi magis in furorem versus est animus, quam ad justitiam vel misericordiam provocatus. Denique convocat Ecclesiæ Coloniensis primores, se diffamatum et accusatum per virum Dei conquerens apud apostolicum. Tunc vir mitissimus, his humiliter renitens objectionibus : Proferatur, inquit, o domine, in medium, si placet, accusationis testimonium; si nequeo me excusare de quibus criminor a te, tunc demum digne convincar offensam meruisse. Episcopus itaque domni apostolici epistolam tenens præ manibus, legendam tradit in publico, æstimans per ejus relationem cunctos in servi Dei armari contradictionem. Qua recitata, plures assensere nil actum dignum offensione. Quidam vero Bezelinus, domus [*i.* eccles. cathedralis] beati Petri apostoli custos, cum aliis, quibus erat animus rem potius perturbare, quam ex æquo determinare, cum aliud non invenirent quod obtenderent, non absque suo consultu papam super hac re asserunt licuisse expetere. Dum facili responsione hanc Domini famulus objectionem quivisset refellere, episcopi magis furentis odio, quam justo judicio, injuriatur, calumniatur; conviciis quoque et contumeliis, secus quam pati dignum fuerat tantæ reverentiæ virum, attrectato, postremo etiam terribilibus sacramentis pastoralis curæ baculum adempturum minatur. Tunc vir beatus in injuriis patientissimus, virtute constantiæ roboratus, timore nudus, adversariorum conatibus respondit intrepidus (nesciebat quippe mens justi pavere, quæ nulla torquebatur conscientia culpæ) : Divina nos comitante clementia, non hic hodie præjudicium veremur incurrere, puram gerentes conscientiam, totius prorsus criminationis innoxiam. Hic sermo videtur completus, ubi dicitur ut leo confidere justus (*Prov.* XXVIII, 1). Dum hæc et his similia vir Deo plenus efficacissime loqueretur, oris gratiam, mentisque constantiam omnes æmuli mirabantur : et veluti nox quædam et tenebræ mentibus eorum infusæ quid agerent, quo se verterent, dubii nutabant, dolentes se casso consumptos labore, non invenientes, qua parte eum caperent in opere et sermone.

16. In his perturbationum angustiarumque pressuris, ex primoribus præcipue favebant beato viro Bertulfus, vir probus, ecclesiæ beati Andreæ apostoli præpositus, quidam Wigmannus de Heversbach, vir militaris et nobilis, sed et eloquentia insignis. Hi duo medium habentes eum, ut olim cœlitus directi Machabæum, pro defensione justitiæ non sunt reveriti injustitiam oppugnare; adeo ut nec minis, nec terroribus concuti, nec a proposito aliquo possent munere frangi. Instabant igitur viriliter ex apostolica auctoritate, precantes judicium Ecclesiæ Brunwilerensi fieri, juxta mandatum et legationem apostolici. Quorum vocibus et instantia non mediocriter exacerbatus episcopus, cum gravi indignatione inquit : Habetote vobis Cloteno; meum erit tam et injuriam meam vindicare, quam et utiliora pro Cloteno data recipere. Itaque raptum ex ore ejus verbum, et cum velocitate diriguntur legati, idem bonum vindicaturi.

17. His ita patratis, jubet episcopus virum Domini apud Nussiam (16) castrum sibi occurrere, ea omnimodis intentione, ut nullo ejus obsistente adjutore vel defensore, facilius cum valeret pro voto deponere. Sed *non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum* (*Prov.* XXI, 30). Quandiu vero ista incubuit adversitas, tandiu fratrum non destitit votiva charitas septem psalmorum et litaniæ supplicatione Dominum incessanter exorare, ut de mœrore gaudium, de tribulatione lætitiam concederet invenire. Vir itaque Domini sciens tutam defensionem constare non posse per hominem, Psalmista dicente : *Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus* (*Psal.* CXVII, 19); de adjutorio Domini confisus, hilaris et gaudens iter aggreditur, quo fuerat imperatus. Perveniens igitur ad locum, non modica inopum collecta multitudine, per opera pietatis et misericordiæ se Deo cœpit attentius commendare. Cumque in solario cujusdam domus resedissent, et vir Domini cum suis necessaria ministrans, sollicitus circuiret, ex improviso solarium corruit, totaque illa multitudo cum viro Dei in cellarium subterraneum cadendo devenit. Quos e vestigio pars non minima domus subsequens oppressit, sed ex Dei providentia, servi sui meritis, nulli læsionem intulit. Itaque exciti cives tanti sonitus fragore, ocius advolant undique, et non sine grandi admiratione sospites extrahunt, quos jamjamque periisse crediderunt. Quidam vero præ cæteris lapsus oppressusque periculossius, dum jam ac si mortuus defleretur ab omnibus, eductus, nulla reperitur parte corporis læsus. Sed et pincerna hominis Dei, Godecho nomine, ipsa hora bina vasa testea vino repleta præ manibus tenens, cum ruentibus pariter ruit. Sed, mirum dictu! nec sui, vel vasorum, vel vini pertulit effusionem. Quod factum mirabile idcirco divinæ clementiæ placuit demonstrare, ut panderetur mortalibus quanti apud se meriti vir sanctus iste fuerit. At vero episcopus, qui eo illum advenire compulerat, divinitus, ut creditur, refrenatus, in nullo tunc ei valuit esse contrarius. Egit quippe hoc miro modo circa famulum suum divina provisio, ne mortalis hominis premeretur judicio, quem tanto magnificare disposuit prodigio. Hinc non sopitum, sed acrius accensum est prædicti episcopi furoris incendium. Nam quamvis tunc eum siverit abire, rursus tamen Coloniam statuto die ad se jubet redire. Interea fratribus, ut supra meminimus, pro eo sollicitis in vigiliis et ora-

(16) Alias Novesium, urbs ditionis archiepiscopalis, vulgo *Nuitz*.

tionibus, adest vir Domini improvisus. Quis, quæso, fluctus eloquentiæ, quæ lingua potest evolvere gaudium tunc factum in commune? Gloriabatur quippe non immerito humilitas gregis ex præsentia sui pastoris, quem Dominus glorificaverat admirandæ protestatione virtutis.

18. Ea tempestate, quidam Hartmannus (17), abbas Tuitiensis, dum nocte quadam somno indulsisset, tale vidit somnium, præsagium utique futurorum. Vidit igitur per visum, virum quemdam forma egregium, vultu reverendum, episcopalibus infulis decenter ornatum, a Brunwilerensi Ecclesia prodeuntem, et iter Coloniam dirigentem. Quem præcedentem, beatum Wolphelmum abbatem cum fratrum caterva cernit e vestigio subsequentem, septem psalmos cum litaniis sæpius modulatis vocibus iterantes. At ubi ad fores perventum est cubiculi episcopi quiescentis, fores obseratæ, virga præcedentis impulsæ, dicto velocius sunt apertæ. Quibus taliter intromissis, dux prævius stratum adiens recubantis, cum gravi requirit animadversione, cur tanta contra se temerarius præsumpsisset exercere. Expleto sermone, virga, quam manu gestabat, ad ultionem injuriæ graviter illum percussit in vertice. Itaque somno excitus abbas præ pavore, virum Domini certum reddit ex divina protectione et beati Nicolai consolatione. Nec falsum prorsus somnium exstitit vel inane, dum quod fratres in psalmis et litaniis constitit egisse, hoc illi Dominus per visum dignatus sit revelare. Adhibet etiam certam fidem visioni exhibitio operis. Nam uno eodemque momento, ut hic illum vidit percuti, se sensit episcopus morbo gravari. Tali ergo modo divinitus relisa, nisu frustrata illius adversatrix intentio est; morbo quippe invalescente, post dies paucos obiit, et cathedram præsulatus Seguinus vir pius obtinuit. De his ita meminisse sufficiat; nunc se ad gestorum ejus sequentia describenda articulus vertat.

19. Hic itaque Domini famulus, quæ retro sunt oblitus, in anteriora se extendens totis viribus, exemplo David prophetæ dicentis : *Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ* (*Psal.* xxv, 8); domum Dei aggressus est adornare omni decoris varietate; quod quia devotissima mente concepit, mirifico effectu consummavit. Denique, ut breviter cuncta perstringam, ejus instantia vel tempore, in varios ornatus picturæ vel fabricæ, seu etiam musivi operis decore, intus et extra se status extulit Brunwilerensis Ecclesiæ. Textum præterea cujusque operis versibus expressit egregiis, ut liquido pateret inquirenti totius plenitudo materiei. Operæ pretium est, illud etiam non reticere, quod singulis annis vir Domini, Novi ac Veteris Testamenti paginas ex integro faciebat legendo revolvi : quatuor vero Evangeliorum libros, quoniam non eo loco vel ordine, quo reliquos, competebat expleri, A statuit quatuor temporibus recurrentibus anni in quatuor plagis claustri singulos a singulis diaconibus recitari. Quod cujus fecerit utilitatis intuitu, vel devotionis affectu, ex subjectis ejus, super utrumque Testamentum compositis, liquet versibus. In quibus singulis annis utrisque explendis non parvipendendam annectit causam utilitatis : plurima etiam necessaria tangens, nunc personas subito decenter immutans, nunc electorum per verbera salutem denuntians, nunc Scripturarum suavem gustum commendans, postremo geminam in Christo naturam generis humani medicinam declarans. Hæc idcirco prælibavimus, ut cum ad talia ventum fuerit loca, intrepidus lector percurrere possit, quod se jam didicisse meminerit :

B

20. *Late diffusus sic ecclesiasticus usus,*
Se Testamentis exercet in Omnipotentis,
Ut legat hæc ambo, sed et omni compleat anno,
Sicut in hebdomada psalmorum clauditur oda.
Ast hinc psallendi cum stet status, inde legendi,
Lectio quo prosit, nunquam præfatio desit,
Qua clavi limen patet ad quodcunque volumen :
Pandat ut admisso quod clamet abyssus abysso.
Admitti vero dedit ejus gratia clero,
Qui populis ipso parat hinc documenta ministro.
Sed cunctis æque non detegit intima quæque ;
Quis tamen interea non abnuit interiora.
Angelus hinc ensem suspendit percutientem.
Altius inflictus non lædit fulminis ictus,
C *Non ignis torrens, non vultus dæmonis horrens,*
Captivis diræ discedunt sensibus iræ ;
Vasta lues morbi, quæ sæpe supervenit orbi,
Aut non accedit, citiusve precando recedit :
Exceptos natos quod vult pater esse paratos,
Verberibus tangi, pœnisque fugacibus angi,
Queis absterrendi nocuo sunt fœdere mundi ;
Sed non donorum Deus usum subtrahit horum,
Quin patrem sese per verbera comprobat esse.
Si sit eis ritus legaliter hic stabilitus,
Ut sic psallatur, ceu diximus, atque legatur,
Utilitas extra patet hæc, latet altior intra.
Hunc introductus gustabit munera fructus,
Cui donat mentem Dominus gustare scientem
D *Fructus majoris, quam pandat lingua, saporis.*
Sed nec erit, gustum qui scriptis exprimat istum :
Gustans ipse magis scit, quam sit gratia suavis,
Quam Scripturarum conservat cella sacrarum,
Et quæ diffundi se vult per climata mundi :
Quo genus humanum sit in hoc medicamine sanum ;
Quod naturarum peragit compago duarum,
Dum Deus inde Pater parit, hinc parit innuba Mater.
Nil cœlis illinc, nil terris clarius est hinc,
Qua specie bina componitur hæc medicina,
Christus Patre satus, Deus : ast homo, Virgine natus ;
Qui cum Patre Deus, sed et almo Pneumate, verus,

(17) Quintus dicitur fuisse hujus loci abbas. De Tuitiensi abbatia a B. Heriberto prope Coloniam constructa vide Gelenium Coloniæ suæ lib. III, Syntagm. 14.

Ad nos indultis pandat pia viscera culpis,
Sæcla per examen dum juste discutit. Amen.,

21. Hos versiculos beati viri ideo huic operi inserendos utile dixi, ut quomodo simpliciores plane currentis prosæ delectantur pastu, ita perfectiores enucleatius spiritualiter dicta indagantes, eorum spirituali gustu pariter reficiantur et fructu. Sæpius autem in conventu fratrum de salute disputans et suadens animarum, inter multimodas virtutum propositiones, hoc modo plerumque eleemosynarum vel hospitalitatis commendabat gratiam. Oportet, inquit, ut scriptum est, et testimonium habere bonum ab his qui foris sunt (*I Tim.* III, 7), et hospitalitatem non oblivisci : dum et quosdam placuisse legamus, angelis etiam hospitio receptis. Unde magnopere vos, fratres, pauperum vel hospitum susceptioni curam impendere admoneo ; quia profecto quidquid illis fideli devotione confertur, Christo nimirum, qui se in paupere suscipi, in hospite colligi vult, impenditur. Ideoque maxime necessariam hospitalitatis vel eleemosynarum intuli gratiam (*Hebr.* XIII, 2) : quia nec locum propagari perpendo vel inhabitantes, nisi per eleemosynas et assiduas preces. Verum, charissimi, dum alicujus in vobis boni scintillam videritis ignescere, ne vestris, quæso, meritis velitis ascribere ; quoniam, ut scriptum est : *Neque volentis, neque currentis, sed Dei est miserentis* (*Rom.* IX, 16). Omnipotens quippe Deus, aspirando nos prævenit, ut bona velimus, et adjuvando subsequitur, ut possimus. Inanis enim aliter esset conatus noster, nisi divina cooperaretur et virtus. Taliter autem gratia præcurrente, et bona voluntate subsequente, quod Conditoris est doni, nostri fit meriti. His et hujusmodi exhortationibus corda fratrum irrigans frequentius, ad sectandam provocabat pietatem. Lucrandis autem sedulus invigilans animabus, satagebat nil promere verbis, quod non roboraret exemplis, ne vitæ munditia prorsus discreparet a lingua. Hoc ordine nimirum hypocritarum declinabat consortium, qui verba quidem sanctorum habent, sed vitam non habent : et quos sermonibus generant, non fovent exemplis ; et quos verbis ædificant, moribus et vita destruunt. Namque vir beatus non solum lingua sua suasit, sed et exemplis, moribus et vita subjectis ostendit quæcunque fidelibus suis omnipotens Deus observanda mandavit.

22. Pauperum vero illi semper fuerat maxima cura. Unde dispensatione provida xenodochio superaddidit decimas atque vineta, ut absque pecunia victus eis præberentur necessaria. Jugiter illi adversus vitia pugna ; quia mens ad virtutes erecta, non erat proclivis ad vitia. Radicem omnium malorum cupiditatem vel avaritiam adeo perhorrebat, ut, præter communem simplicemque victum, nil sibi prorsus quod speciale foret, assumeret. Pietatis affectu potius amari quam timeri satagebat ; unde jactantiam et elationem procul dubio respuebat. Nulli vero detrahere, nullum volens odire, extinctis facibus iræ vel invidiæ, elegit omnes fraterna dilectione diligere. Semper hilaris, semper lætus ; præferens hilaritate vultus quam sincerus et purus erga Deum et hominem ejus esset affectus. Quanquam vero jugi esset contemplatione suspensus, erat tamen singulis compassione proximus ; mente minime deflectens a contemplatione, dum pietas ferveret in opere. Sic nimirum in similitudine cœlestium animalium, ante et retro oculatus, utrarumque virtutum fuerat charitate devinctus : et dum cuilibet earum videretur intentus, proprietate tamen non careret alterius.

23. Taliter se agebat, qui Deo nil charius possidens præferebat, ex omni cordis et animi affectu diligens Deum, omnem vero Christianum tanquam se ipsum : servans in simplicitate innocentiam, in charitate concordiam, in humilitate modestiam, in disciplinæ severitate censuram. Erga bene agentes apparere prælatus noluit, sed ut coæqualis et socius ; adversus vero vitia delinquentium, promotionis suæ exercebat privilegium. Quis autem verbis valeat exprimere quanta discretione omnia judicia sua studuerit temperare, quantave justitia moderari ? Dum etenim pro quovis delicto alicui foret inferenda correctio, primitus in se descendens, juxta illud Apostoli : *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris* (*Gal.* VI, 1) ; tanquam proprii reatus delictum deflebat alterius. Ita nimirum mens Deo devoti pectoris omni se excoluit genere pietatis, satagens *gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus* (*Rom.* XII, 15), vir plane mitis et justus, sic omnibus omnia factus. Quo enim dolente non condoluit ? Quis ad illius aspectum mœrorem non mutavit in gaudium ? Quis ira inflammatus, illius sermone non est mitigatus ? Quis iniqua cogitatione pulsatus, non illo est medente curatus ? Quis consolari petiit, et consolationem non invenit ? Quis vim verborum, quis efficaciam exprimat sermonum ? Quis pietatem evolvere, quis charitatem valeat enarrare ? in qua adeo radicatus fuerat et fundatus, ut, licet nullius expers esset virtutis, hujus tamen cultor existeret specialis. Non segniter etiam animo retinens quod quanto [pluribus. Ed. P.] subjectis prælatus, tanto curis majoribus esset occupatus, studebat omnimodis Deo per contemplationem placere, exteriorum curas per idoneas quasque [personas] solemniter [*f.*, solerter] administrare. Taliter ex voto liberius vacans Domino, utrobique providus gregi prospexit ; intus propria vigilantia, exterius congrua providentia. At quoniam fuerat miræ mansuetudinis et discretionis ; sciens quod districtio, si modum excedit, sævitiam gignit, et nimia pietas dissolutionem disciplinæ parturit, tanta inter utrumque usus est discretione, ut nec indiscreta districtio subditis recusandi laboris fieret occasio, nec nimia pietatis exhibitio disciplinæ foret immoderata remissio. Ita nempe exemplo sanctorum Patrum gressus suarum instituit actionum, ut

nullatenus extra limitem justitiæ propriam sineret effluere actionem.

24. Hinc profecto felicem ac jure beatum talem dixerim virum, qui et ecclesiasticæ disciplinæ vigorem fortiter tenuit, et tamen matrem virtutum discretionem nunquam deseruit. Cujus ut mores vel actus summatim perstringam, fuit vita laudabilis, verbo discretus et utilis, consilio providus, moribus ornatus, affabilitate mellifluus, misericors et benignus, pronus ad veniam, tardus ad iram; per pietatis affectum, omnium condescendens necessitatibus miserorum, juxta beatum Job, pater erat pauperum (*Job* XXIX, 16), mœrentium consolator, pupillorum adjutor; non despexit inopem, nec dimisit absque operimento pauperem; alios refovens verbo consolationis, alios ope relevans pietatis. Ab infantia Deum timere didicit, ex utero enim secum egressa miseratio crevit. Arca cordis jugiter referta bona voluntate, nunquam vacua manus exstitit munere. Pauperum sibi apud Deum sic conciliabat patrocinia, faciens sibi amicos de iniquo mammona, qui eum quandoque reciperent in æterna tabernacula (*Luc.* XVI, 9). Ne autem mundum plus justo videretur diligere, mundo solummodo usus est ad necessitatem, non ad superfluam delectationem. Noxias quippe ab animo excludens delectationes, apostolicas æmulabatur traditiones, corpus videlicet castigare et in servitutem redigere (*I Cor.* IX), ut extenuatum cœlestibus disciplinis vas aptum fieret sanctificationis. Noverat enim animum non posse lætissimo imperio perfrui, nisi carnis motus penitus essent subjugati. Hoc denique ritu sacrificii in sui cordis penetralibus hostiam vivam, sanctam, Deoque placentem se exhibuit (*Rom.* XII, 1), dum singulis diebus, cum sacrosanctis corporis et sanguinis Christi mysteriis per compunctionis gratiam sese in holocaustum mactavit.

25. Exstiterat huic beatissimo viro frater germanus, Frumoldus (18) nomine, sorores sanctimoniales duæ, quarum una, Oswenda nomine, miræ simplicitatis et innocentiæ fuit femina; altera vero, Berta nuncupata, litterarum plurimum emicuit scientia. Hæc (19) vitam beatæ Adelheidis, primæ Vilecensis abbatissæ, eleganti satis admodum stylo conscripsit, et plurimum religionis vel scientiæ suæ fructum in eodem loco dereliquit. De cujus prædicta sorore, domna videlicet Oswenda, nostris temporibus factum libet referre miraculum, omni sane laude, memoria et veneratione dignissimum. Quidam frater ex cœnobio Brunwilerensi, Udo nomine, adeo pessima laborabat infirmitate, ut omnes cogerentur de ejus desperare salute. Denique toto miserabiliter intumescente corpore, omnium membrorum amissa sanitate, trunco potius quam humano corpori videbatur similis, quodque maxime mortis indicium solet existere, nullum remedium illi adhibitum valuit proficere; volente, ut credimus, Domino demonstrare quod quanto gravior morbus, tanto potentior Omnipotens credendus est medicus. Cumque de solis ejus ageretur exsequiis, lento sopore corripitur, videtque per somnium domnam Oswendam, jam immortalitatis luce potitam, sibi assistere, compatientisque affectu, manu totum corpus permulcendo, vim doloris lenire. Inde oratorium, jacentis lecto contiguum, ingressa, tertio flexis genibus adoravit; sicque super ægrotum signum sanctæ crucis exprimens, disparuit. Illico virtus divina est subsecuta: nam post paucos dies convaluit, integra sospitate recepta. Unde nec dubium exstitit, illo visa pandente, ipsius suffragantibus meritis, erutum illum de confinio mortis. Fuerat autem tam immanissimus languor, ut a planta pedum usque ad verticem in eo non esset sanitas; sed tota corporis cute subtracta, ac si vetere homine exutus, recenti corio cum salute est superindutus.

26. At vero prædictus beati Wolphelmi germanus, domnus videlicet Frumoldus, armis terrenæ militiæ exutus, se illis implicari recusavit ulterius, ut Deo servire posset expeditius. Studium itaque peregrinationis arripiens, ne exsul cœlestis fieret patriæ, omni reliquo vitæ suæ tempore longe lateque, ad promerenda sanctorum patrocinia, se studuit exsiliare, uno tantum contentus servulo comite, cui tamen versa vice, ut alter Martinus, hic sæpius consuevit ministrare. Quod genus divinæ propitiationis illo pedibus jugiter exsequente nudis, adeo sæpius vidimus eum liventes plantas habere, ut nulla ratione calceamenta valeret admittere. Erat etiam ei solemnis consuetudo, quandiu ad divinum in ecclesia assistebat officium, omnimodis alicujus vitare colloquium; sed stans, vel humi prostratus orans, tanta lacrymarum potiebatur ubertate, ut velut imbre perfusum, madidum reliquerit pavimentum. Hanc compunctionis gratiam per divinam possidens clementiam, custodem in se reliquarum deputavit esse virtutum; quia nullum penitus ei dominari novit delictum, cujus mens sedulo compungitur ad lamentum. Quis hunc fidelissimum Domini dubitaverit servum, cujus exsecutio mandatorum tam evidens meritis illius præbet testimonium? Quamvis etenim in pace præsentis vitæ consummaverit cursum, explevit tamen martyrium, satagens crucifixum habere mundum, dum carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifixit, et, Dominum fideliter sequens, mundo peregrinus exstitit. Hic cœtibus justorum, ut confidimus, conjunctus, in ecclesia propriæ possessionis quiescit sepultus. Hæc pauca prolata sufficiant ad sanctitatis testimonium beatissimi Patris Wolphelmi et Frumoldi germanorum.

27. Erat tunc temporis vir quidam genere nobilis, sed moribus nobilior, Burchardus nomine, præfectoriæ dignitatis, sed et præpotens armis, qui germanus exstitit illustrissimi viri Eine-

(18) Frumoldum et Oswennam inter alios sanctos enumerat Gelenius in fastis Coloniensibus, quos tamen sanctorum catalogo ascriptos non putamus.

(19) Hanc Vitam habes tomo I hujus Sæculi

hardi (20) Wiceburgensis episcopi. Hic Evangelii non surdus auditor : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me* (*Matth.* XIX, 21), relictis omnibus quæ temporaliter videbatur possidere, Kanerberch, castellum suæ munitionis, Domino consecrari fecit locum orationis. Taliter cum dives esse posset in mundo, pauper elegit esse cum Christo ; plebeio habitu amictus, sanctorum perlustrabat loca, servorum Dei solerter requirens alloquia. Unde et ad notitiam famuli Dei Wolphelmi deductus, maximæ ab eo loco venerationis est habitus : et ut quondam animæ David colligata est anima Jonathæ, sic amor Dei confœderavit utrosque. Ex hac itaque mutuæ charitatis affectione, frequenter eum solitus invisere, dulcissimos gaudebat verbi divini favos ex ore ejus percipere. Mirabatur autem supra modum tantam illi cœlitus concessam divini affluentiam verbi, ut quomodo ex supercrescente fluvio rivus, ita ex illius mellito gutture manaret sermo divinus. Sed quid mirum, quod semper animus fixus in cœlestibus, de divinis tractare malebat subtilius? Ut ergo rei ordinem prosequamur, volens Dominus pio revelare discipulo quanta perfectio lateret in magistro, talis ei nocturno silentio divinitus declaratur visio. Vidit igitur illum quem tremit tartarus, colit abyssus, cœlorum adorat exercitus, in quem desiderant prospicere ordines dignitatis angelicæ : hunc, inquam, vidit balneo impositum, manibus et officio beatissimi Wolphelmi reverenter foveri, ablui et detergi ; ubi etiam circumstantes duodecim apostoli, adminiculum ferre videbantur ministranti. Ille igitur vir præclarissimus cœlitus sibi ostensam visionem per quemdam, Meginhardum nomine, monachum, fratrem sibi satis familiarem, ad viri Dei properavit transferre notitiam. Qui sagaci animo vim somnii discutiens, cœpit diligenter investigare quid visio hæc videretur portendere. Intellexit itaque patenter se commoneri vigilanter boni servare tenorem propositi, Christo in suis omnimodis membris ministrare, juxta ipsius dicentis vocem : *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV, 45). Gaudebat autem vir Deo amabilis, summo electorum capiti se operibus placuisse pietatis ; sed seriem actibus exsequi cupiens visionis, vice Domini balneum præparatur egenti, in cujus singula peraguntur obsequia, quæ visionis poposcerat ordo. Quibus rite completis, toto corpore mundus et sanus egressus, ex integro novis est vestibus ornatus. A quo tempore tantam gratiam meruit obtinere, ut mirabilium quoque patrator operum mereretur existere.

28. Ipso namque tempore fuit quædam mulier in territorio Brunwillerensi, Golda nomine, quæ utrorumque luminum cæcitatem se doluit incurrisse. Cumque omnium Illuminatori placuisset per famuli sui merita illi subvenire, sub nocturno silentio tali perfruitur visione : videbatur illi leviter dormienti, viro Dei Wolphelmo missarum solemnia celebranti assistere, et post expletionem, manuum ejus ablutione oculos suos diluere, extersosque fimbriis vestimentorum ejus, diu optatum lumen recepisse. Quam visionem ad nos perlatam, famulo Dei ad divina mysteria properanti humiliter suggessimus, et, ut pauperculæ mulieri compateretur, exoravimus. Qui non assensit, hoc sui non esse referens meriti, et somniis sæpe fallentibus fidem non leviter adhibendam. Sed si est, inquit, hæc visio ex se, secundo ac tertio Dominus eam dignetur revelare. Itaque corde contrito et humiliato, in jejuniis et orationibus eo constituto, eadem visio, quæ mulieri primo, apparuit secundo ac tertio. Quid plura ? Tandem vir Domini nostra victus est instantia, et secreto admittitur illa, ante fores ecclesiolæ jussa consistere ; quia non ei usus fuerat facile, nisi certa ex causa, frequentiam mulierum admittere. Itaque rite peractis missarum solemniis, ut docuit visio, abluit, extersit, mox clare videns remeavit. Tunc vir sanctus, nolens virtute facti hujus humanis favoribus attolli, memor Dominicæ præceptionis, jubentis discipulis ne quoadusque tempus compleretur resurrectionis, ordinem cuilibet panderent visionis, interdixit summopere nobis id, illo in vita superstite, nulla ratione prodere, nulla necessitate detegere.

29. Vir itaque Domini de die in diem virtutum exuberans copia, indesinenter ad vitæ cœlestis suspirabat gaudia, quæ jam promeruisse gaudet felix ejus spiritus in Domini sui præsentia. Nam quandiu in corpore vixit, mundum corpore, non mente, inhabitavit : ibi magis habere fixum appetens animum, ubi gaudium noverat sine fine mansurum. Unde et merito dicere valebat cum Apostolo : *Nostra conversatio in cœlis est* (*Phil.* III, 20). Et illud : *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* (*Hebr.* XIII, 14). Cœlestis ergo patriæ incessabili flagranti amore, inter alia atque alia virtutum exercitia, tanta ei erat orationis instantia, ut quanquam omnibus floreret virtutibus, hanc tamen possidere videretur principalius. Ex cujus assiduitate hæc etiam ei inolevit devotio, ut singulis annis, dum more sanctæ et universalis Ecclesiæ jejunium observaretur quadragesimale, non solum circumjacentia, sed et Agrippinæ Coloniæ ubique sanctorum orando inviseret loca.

30. At, quoniam hujus rei nunc incidit mentio, libet referre grande periculum, imo miraculum, quod nobis contigit redeuntibus Coloniam e Tuitio. Beati et gloriosi confessoris Heriberti sepulcrum oratum petiveramus ; redituri, puppim ascendimus ; soluti a littore, admodum prospere navigabamus. Intror-

(20) Hic vulgo Ainhardus dicitur, Meginhardo successit anno 1088, et sedem Wirzeburgensem difficillimis temporibus usque ad annum 1104 egregie administravit. Comes Rotemburgius ad Tubarum dicitur a Bruschio, filiusque Richardi comitis.

sum nos unda jam longius rapuerat, dum ecce repente intolerabili exorta tempestate, rupta quies Rheni ab imis sedibus perturbatur, undæque in se redundantes, ad instar prominentium rupium, capitibus imminere videbantur in navi residentium. Sicque navis huc illucque vagis dilabitur undis, et nunc summo in fluctu pendens, nunc unda dehiscens terram inter fluctus aperit, turbatisque nautis præ pavore mortis, sonus hæsit in gutture vocis. Tanto nobis vallatis periculo, virum Domini in posteriori navis parte residentem, et suo more nescio quid secreti meditantem, et eorum quæ nobis evenerant prorsus ignarum, adii, et mortem omnimodis imminere nuntiavi. Qui protinus ad orationem convolans, nota præsidia, sanctorum devotissime implorat suffragia, litaniæ supplicatione imposita. Dehinc cum crebra sanctæ crucis objectione, Salvator mundi, salva nos, cœpit canere. Qui per crucem, inquiens, et sanguinem redemisti nos, auxiliare. Hortatur dehinc, resumptis viribus constanter remigare viros, nullo metu mortis concuti, nullum ex eis asserens periturum providentia Dei. Hac exhortatione animati, et quoniam res pro anima fuerat illis, dum fortiter ad littus tendunt, viriliter æquora scindunt. Interea miserabilis clamor utriusque sexus super littus consistentium attollitur in cœlum, periculum nostrum eminus intuentium. Quid multis morer? Inter confinia positi mortis et vitæ, tandem perlabimur ad locum, ubi multitudo navium latius Rheni occupaverat sinum. Quas attingentes, et ex altera in alteram transmigrantes, juxta viri Dei vocem, præter spem evasimus omnes. Verumtamen ne dubitaretur ullo modo illius nos salvatos merito, concite id rabies Rheni fluminis divino declaravit indicio. Denique ut ille beatus pedem extra puppim extulit, paulo ante divinitus suspensis fluctibus, prædæ fuit; et quæ prius onusta mergi non potuit, subsistere tanto viduata patrono nequivit, sed protinus, nobis cernentibus, submersa disparuit. Taliter per immensi mœroris præcipitium, meritis servi sui, maximi nobis gaudii Dominus contulit beneficium; dum et virtutum ejus gratiam extulit, et quod verebamur avertit.

31. Per idem tempus quadam die cum secretorum suorum consciis, oratorium, ut tunc falso credebatur, Brunwillerensis parochiæ in villa, Kyrchedoro nomine, oraturus intravit: et ecce solo prostratus, carere locum sanctorum patrocinio, Spiritu sancto revelante, didicit. Qui surgens ab oratione, cum secum consistentibus accessit ad altare, et velamine subducto, cum omnia diligenti intuitu perlustrasset, nihil omnino vel sub sigillo, vel rimarum fissuris, præter nidificationes vespertilionum, et telas reperit aranearum. Unde nimirum [*f.*, nimium], ut par erat, mente consternatus, absque morarum dilatione Coloniensis Ecclesiæ præsulem adiit, illi, quæ gesta fuerant, ordine exposuit. Cujus mentis dolori ille condolens, datis etiam sanctorum reliquiis, evocatum ad se direxit cum eo quemdam Hezelinum, Scarnensis (21) sedis antistitem, ut sua vice prædictum locum, quia episcopii sui diœcesis erat, Deo consecraret, et ejus servitiis manciparet. Qui libenti animo ejus obtemperans imperio, congregata multitudine fidelium, divinæ religioni dedicaverunt idem oratorium, statuentes ibi duo altaria: superius quidem in honore archangeli Michaelis, inferius vero in veneratione habenda beati Martini confessoris. Hoc in facto illi nimirum cum beato Martino similis exstitit proportio virtutis, qui pari modo similiter illustratus divina revelatione, populum absolvit a diabolicæ fraudis seductione, ara destructa latronis, qui in vice venerabatur martyris. His ita rite celebratis, redierunt uterque ad propria Deum collaudantes in jubilo.

32. Illud etiam non reticendum arbitror rei gestæ miraculum, quod vidimus fieri sub testimonio omnium fratrum, et est, fama vulgante, circumquaque notissimum. Mulier quædam, Adelheidis nomine, variis omnium membrorum languoribus oppressa, ad beati Nicolai in Brunwillerensi cœnobio limina, recuperandæ salutis gratia, est perlata. Quæ, cum detrimento omnium membrorum, occultis etiam viscerum doloribus ac non ferendis cruciatibus quatiebatur, ita ut omnis generis annonæ panem adeo fastidiret, ut non solum gustare, sed et vitaret attingere. Hæc quidem beati Nicolai meritis celerem sospitatem recepit in membris. Verumtamen occulto Dei judicio omnimodis, ut prius, abstinuit edulio. Dum vero post aliquot annos divinæ clementiæ ab hac illam placuisset infirmitate absolvere, intempestæ noctis silentio tali perfruitur visu. Videbatur illi, beatissimum virum Wolphelmum panem benedixisse, et illum susceptum ab ejus venerabili manu se avide comedere. Quæ fidem adhibens visioni, sciens per eum his majora posse fieri, flebilibus vocibus panem sibi ab eo obsecrat benedici. Qui renitens totis viribus, indignum se proclamat ministrum operis hujus. Tunc videres animum viri Dei anxie perturbari; velle quidem misereri, sed palam id propter jactantiam favoremque nolle fieri. Attamen ne diutius videretur protrahere quod divinitas per eum disposuerat adimplere, allatum panem benedixit, mulieri porrexit, præsentibus nobis illa comedit. Quæ viri Dei meritis ex integro sanitati restituta, omni, quoad vixit, tempore ibidem ecclesiæ usibus tanto commodius ac devotius studuit deservire, quanto præ aliis multiplicius ac differentius gratias sanitatum meruit obtinere. Vir autem Domini, quanquam tam præclaris et eximiis polleret virtutibus, nunquam tamen illius elationi succubuit animus, non gloriandum recolens ex virtute signorum, sed ex consortio col-

(21) Scardonensis, restituendum esse putat Henschenius, eo quod ejus nominis sedes episcopalis sit in Dalmatia, cujus forte titulo donatus fuerit ille episcopus, quem chorepiscopum Coloniensem appellat.

legii electorum. Quis vero singulatim queat referre sanitatum genera, in diversis per illum languentibus exhibita miseratione divina? Sæpius enim, illo visitante, est indulta ægrotantibus salus, quod tamen ab aliquo sibi imputari prorsus non patiebatur. Sufficiant e pluribus ista fidelibus ex illius memorata virtutibus. Nunc ad referendum, qualis ei fuerit de hac vita transitus, dirigatur articulus.

33. Post innumera divinæ per illum operationis patrata beneficia, volens pius Dominus servi sui consolari gemitus et suspiria, crebro dicentis cum Propheta : *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei mei?* (*Psal.* XLI, 3) Satiabor, dum manifestabitur gloria ejus (*Psal.* XVI, 15); placuit ei hoc ordine, dissolutionis suæ tempus revelare. Quodam die, tempore meridiano, pro consuetudine, illo, non jacendo, sed sedendo dormiente, speciosissimus per visum juvenis ei astitit, et ut se quantocius sequi festinaret, admonuit. Qui comitatus euntem, angelico ductu ad loca perducitur amœnissima, omni decoris varietate vernantia, incomparabili lucis splendore micantia, totius etiam suavitatis odore redolentia. Ibi ostensis illi diversarum habitaculis mansionum, fidelibus nimirum a Domino promissarum, tandem in quoddam illum angelus magnæ venustatis et proceritatis introduxit ædificium, cujus intus et extra contemplari jubetur diligenter ornatum; hunc sibi mansionis locum divinitus esse prænuntians destinatum : Quem, inquiens, quanto studiosius ac venustius exornaveris, tanto jucundius ac felicius in perceptione illo frueris. Taliter angelico affatu de perennis gloriæ felicitate commonitus, evigilans, seorsum quibusdam visum indicat fratribus, adnectens procul dubio se quantocius dissolvendum. Unde miro modo animo consternati, utpote, cujus semper fuerant beneficia pietatis experti, de illius merito amissione intolerabili torquebantur afflictione. Verum certius hinc colligere cupientes, diem signant, eum cum visione notantes : quem anni revoluto circulo ipsa die carnis solvi contigit ergastulo, quo cœlitus ei fuerat visio oblata. Unde patuit, non phantasticam illusionem, sed veram fuisse visionem, quæ tam evidenter et viri Dei dissolutionem, et cœlestem ei designavit mansionem.

34. Per continuum itaque illius anni spatium, non segniter dormiendo, sed solerter bonis operibus invigilando, Domini sui adventum exspectabat, atque conservis suis talentum sibi creditum erogabat. Tanta autem vis divini amoris cor ejus penetraverat, ut etiam si nollet de Deo loqui, silere non posset. Cumque id solito instantius atque ferventius ageret, proinde nonnulli cœperunt fastidire, minusque libenter audire. Quod ille perpendens, non se a bona subtraxit intentione; sed volens eos resipiscere, illud Apostoli crebra inculcabat repetitione : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (*Gal.* IV, 19). Hæc quippe dicebat, quia quos jam prædicando pepererat, reformando gemens iterum parturiebat, illud subjungens : *Mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium* (*Phil.* III, 1). Dum vero quadam die paterna se minus cerneret admonitione proficere, Spiritum sanctum tota concipiens mente, in hæc verba prorupit Amos prophetæ; imo, ut potius postmodum rerum probavit eventus, ipse spiritu tactus prophetiæ : *Venient*, inquit, *dies, dicit Dominus, et mittam famem in vos : non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei* (*Amos* VIII, 11). Noverat, procul dubio, quod sicuti fames est carnis subtractum subsidium corporis, ita fames est mentis silentium vel amissio divinæ collocutionis. Unde futura eis quasi jam præterita narrans : Noveritis, asserebat, quod absque dubio in quibus nunc vobis onerosus existo, vel fastidium genero, summo ea vobis quandoque, non tamen effectum habituris, futura desiderio. *Ego enim jam delibor, et tempus resolutionis meæ instat* (*II Tim.* IV, 6). Hæc idcirco non prætereunda putavi, ne incassum prolata hæc verba credantur hominis Dei, dum omne quod locutus est verbum, aut impletum, aut in futuro non ambigamus implendum.

35. Licet autem jam ultimam duceret ætatem, nullatenus tamen propositi sui passus est infirmare rigorem, indulgentius vivendo, labore remisso. Exiguum quippe reputabat præsentis temporis laborem, ad superventuræ gloriæ recompensationem. Quapropter nec longævitatem temporis, nec difficultatem causabatur laboris; sed potius omnimodis apponens labori laborem, angelicam exsequi studebat exhortationem. At vero, imminente jam ejus migratione, ubi se sensit repente viribus destitui, infirmitate gravari, evocatum reverendissimum abbatem cœnobii beati Pantaleonis martyris, nomine Herimannum, totius honestatis et religionis virum, olei sacrati se fecit liquore perungi. Paucis dehinc evolutis diebus, primo lucis crepusculo, decimo Kalendas Maii, viam universæ carnis ingressus obiit, et gaudium Domini sui felix feliciter intravit. Floruit autem temporibus secundi Henrici imperatoris, qui monarchiam regni obtinuit post decessum tertii Ottonis, tempore beati Heriberti, sanctæ Coloniensis Ecclesiæ archiepiscopi, et vixit usque ad tricesimum tertium annum quarti Henrici imperatoris, cujus pater exstitit tertius Henricus, avus imperator Conradus. Transiit autem plenus dierum, omniumque profectibus operum bonorum, anno millesimo nonagesimo primo Dominicæ Incarnationis. Cujus obitu comperto Herimannus (22), tunc temporis archiepiscopus Coloniensis, exsequiis ejus summopere satagens devotionis obsequium impendere, ad sepeliendum eum devotus occurrit. Cujus exemplo religiosorum virorum etiam turba confluxit; inter quos præcipui et illustriores habebantur abbates, Herimannus videlicet, supra memorati cœnobii

(22) Hujus scilicet nominis III qui Sewino successit anno 1089 ad 1099.

Sancti Pantaleonis, et Reginhardus bonæ memoriæ Sigebergensis; qui utrique famulum Domini summo semper coluere studio pietatis. Expletis itaque ab archiepiscopo pro ejus veneranda memoria missarum solemniis, ubi sacrosanctum corpusculum deponi debuit in sepulcrum, accedens per se, amictum amovit quo sacer ejus velabatur aspectus : et ecce, mirum dictu ! cum esset jam triduanus mortuus, apparuit non defuncti more pallidus, sed roseo colore perfusus, gratia plenus, et veluti roscidulis guttis sudore respersus; quo præclaro viso miraculo, plerique flevere præ gaudio. Ad circumstantes vero conversus episcopus : En, inquit, Patres dilectissimi, quam devotus hic fuerit Domini servus, quem tanta ac talis commendat gratia vultus. His a præsule peroratis, cum debita veneratione secus beati Petri apostoli altare decenter traditur sepulturæ. Ibi suffragantibus meritis ejus, fidelium exaudiuntur vota, infirmis impenduntur beneficia, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui una cum Patre et Spiritu sancto est honor, potestas et gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.

36. Itaque veluti magno mari emenso præsentis historiæ pelago, jam quasi littus cernentes respiramus, dum quædam solum de miraculis ejus referenda superesse videmus. Satagendum est ergo ut portum teneamus, cursum consummemus; quoniam, sicuti solent solem obducere nubes, sic pigri, desidesque scriptores, utilium rerum sæpe subtrahunt cognitiones. Aggrediamur itaque referre miracula quæ post obitum ejus divina per eum sunt celebrata virtute. In territorio Brunwillerensi mulier quædam, Wazela nomine, dum quadam die ad opus consedisset textile, tam crudeli ex improviso utrarumque manuum torqueri cœpit vexatione, ut clamore diræ vocis cives cogeretur excire. Ex cujus immanitate doloris, paralysis obnoxia credebatur passioni. Subito namque adeo inutilis est reddita manibus, ut ad nullos eas valuerit usus applicare. Quo magis magisque ingravescente morbo, præ nimia doloris contritione inter manus tenentium obdormivit, et hujusmodi lenis vocis sonum dulciter audit: Quid sopore deprimeris? Si præsenti passione carere volueris, surge velocius, et cum oblatione cerei domini Wolphelmi adito sepulcrum. Illius enim meritis es gaudio potitura salutis. Quæ, alacri fide, promptaque devotione, jubenti satagens obedire, ardente sepulcrum invisit cereo, nec beati Patris diffidens meritis, nec dictis credere cunctata monentis. Quæ ubi ad orationem procubuit, post pusillum sana surrexit, et, gratias agens Deo, sospes ac læta recessit.

37. Frater quidam ex cœnobio Brunwilerensi, Heribertus nomine, post obitum beati Wolphelmi in Daciam (23) provinciam fuerat transmissus, cum aliis quibusdam, religionis monasticæ gratia, fratribus. Ubi cum aliquantisper commoratus esset, et jam reditum ei persuaderet animus, comitantibus secum viris honestis ac religiosis, iter est aggressus. Cumque ad mare pervenissent, piratis insidiantibus, et die noctuque maris sinum occupantibus, fermo per dies novem negabatur transitus. Unde nimia cordis contritione omnes pariter afflicti, ut propitius adesse dignaretur Dominus se invocantibus, intimis precabantur visceribus. Nec distulit pius Dominus suorum vota fidelium, concite largiendo subsidium. Adest namque prædicto fratri sub noctis silentio beatus Wolphelmus ter visum, in crastinum jubens accelerare transitum, mare pacatum, hostium denuntians impetum refrenatum. In memoriam vero suæ liberationis, ter ternis psalmis cultor ille sanctæ Trinitatis, Domino vota persolvi jussit jubilationis. Taliter hostium sublata formidine, non modicum gaudium sumpsere ex divina revelatione, et marinis se læti ingerunt fluctibus, piratis minime nocere valentibus. Hoc ordine per servi sui merita ab imminentibus malorum procellis eruti, divinæ gratias agunt liberationi. Quod et ab ipso fratre, qui pertulit, agnovimus, fideli narratione retulimus.

38. Eodem tempore claudus quidam, Willemannus nomine, ex villa loco Brunwilerensi contigua, Polheim videlicet nuncupata, obtentu beati Wolphelmi, diu negata membrorum recepit officia. Tempore quippe quadragesimali, ad locum accedens sepulcri, quo salutis arderet desiderio, cordis promebat gemitu : quo salutis ducebatur gemitu, cordis illius declarabat afflictio. Denique ad Deum tota intentione conversus, lacrymosis precabatur suspiriis, ut servi sui meritis sospitatem mereretur in membris. Nec spes fefellit, cui fides incitamentum præbuit. Citius enim dictu claruit, cujus sanctitatis vel meriti vir beatus exstiterit. Repente enim diu contracti se cœperunt extendere nervi, et venarum meatus vitalis sanguinis infusione repleri, et membra prius præmortua, in pristinum vigorem restitui. Quid longius morer? Sentiens homo divinam in se operari virtutem, lento conamine assurgere nitens, quanquam adhuc nutante gressu, in pedes constitit et quæ circa se acta fuerant præsentibus fideliter disseruit. Quorum manibus sustentatus, et huc illucque deductus, ut res innotuit fratribus, magnifice laudatur et glorificatur Deus, qui in sanctis suis mirabilis est (*Psal.* LVII, 36) et gloriosus (*Dan.* III, 52), faciens mirabilia solus (*Psal.* LXXI, 18). Ad indicium vero tanti miraculi, sustentatorii illius baculi super sepulcrum beatissimi viri multo tempore mansere suspensi.

39. Alio ferme tempore huic miraculo accidit consimile, quod quando qualiterve sit factum, libet referre. De villa Geroldeshoven, mulier omnimodis contracta ad sæpe memoratum locum ab amicis est deducta. Hæc sedulo ibidem incubans precibus, templi limina frequentabat attentius : existente autem sacratissima beati Petri apostolorum principis so-

(23) Daniam interpretatur Henschenius.

lemnitate, et hanc cum reliquo vulgo tantis contigit interesse solemniis. Quæ largiter flens, et longa suspiria trahens, ante sepulcrum beate viri prosternitur, miseram se ac infelicem nimium conqueritur; cujus nec preces mererentur admitti, nec corporis incommoda solvi. Sed qui quondam mulieris Chananææ, et hujus voluit preces differre, ut importunum illius desiderium, fidei esset experimentum. At vero quoniam beati viri meritis salvari posse non hæsitavit, sed in fide postulans perseveravit, effectum meruit. Erecta quippe divinitus, exclamavit, omniumque silentium clamoribus rupit. Ubi enim ossibus ossa se conjunxere disjuncta, et nervorum contractio juncturarum fiebat connexio, non est mirandum quod fragilior mulieris sexus expavit animus. Exsurgens itaque a pavimento, recepto vigore, incolumis prævaluit ad propria remeare. Talibus miraculorum effectibus veraciter cum Christo se vivere mundo testatur vir iste beatus. Amen.

BEATI WOLPHELMI

OPUSCULUM DE SACRAMENTO ALTARIS.

(Exstat supra, Vitæ B. Wolphelmi num. 10.)

VERSUS DE UTROQUE TESTAMENTO.

(Hos quoque Vitæ inseruit Conradus, quos, ut opusculum De sacramento altaris, propter connexionem qua textui adhærent, seorsim edere noluimus.)

SÆCULO UNDECIMO EXEUNTE, DUODECIMO INEUNTE.

EKKEHARDI URAUGIENSIS CHRONICA,

EDENTE V. CL. G. WAITZ PROF. PUBL. KILON.

PERTZII PRÆFATIO

MONUMENTORUM GERMANIÆ HISTORICORUM TOMO VIII PRÆFIXA.

Scriptores tomo superiori editos, quos sæculo undecimo historiam universalem traaidisse vidimus, jam qui eamdem usque ad Conradi III regnum produxerunt Ekkehardus, Sigebertus, annalistæ Erphesfurtensis et Saxo excipiunt. Quorum primo loco primaque vice tenebris ereptus Ekkehardus Uraugiensis prodit. Cujus edendi cum jam ante viginti annos viam quærerem, felici ave contigit, ut codices præstantissimos, quorum ope Annales Heinrici IV et V imperatorum integritati restituerentur, tum vero et codicem autographum priori Chronici parti restituendæ necessarium, et alterum autographum, quo Chronicon ante æque ignotum imperatorum habebatur, editioni nostræ vindicarem, et ita subsidiis ditissimis collectis, fontibus quoque unde Ekkehardus hauserat passim indicatis, codices in classes suas secernere, novæque editionis consilium et rationem in Annalibus nostris t. VII, pagg. 469-509, proponere possem. Via igitur patefacta, editionem inceptam Waitzio nostro, quem post sexennium Monumentis Germanniæ summo cum fructu dicatum jam professoris historiarum publici munus in universitate Kiloniensi ornare gaudemus, absolvendam commisi, et indefessa ejus opera absolutam lectoribus nostris hodie propono. Opere typis expresso, cum mense Septembri anni superioris Pragam adirem, in Museo Bohemico primus codicis cujusdam incogniti et sæculo XII *scripti quaternio*

in manus venit, quo principium Chronici Ekkehardiani usque ad Phoronei circiter tempora legi; quem igitur codicibus infra pagg. 14-15 recensitis addas velim. Sigebertus Gemblacensis, paratis editioni novæ subsidiis multis at haud sufficientibus, Bethmannum nostrum restauratorem nactus est. Qui dum Bruxellis in codicem olim Gemblacensem incidit, ipsum Sigeberti et Anselmi autographum esse agnovit, nec solum editionis vere novæ fundamentum posuit, sed supplementa, auctaria, continuationes una cum Roberti de Monte Chronico æque ex autographo descripto adjecit, ex quibus nostrates exterosque historiæ studiosos plurimum emolumenti capturos confidimus. Annales Erphesfurtenses paucis tantum paginis comprehensos ex codice autographo luci dedi. Annalista Saxo, cui æque codex autographus, Parisiis anno 1827 a me primo evolutus, fundamento datus est, Waitzii opera textu restituto, fontibus historiæ in margine indicatis, majore quam hucusque fieri solebat fructu historiæ undecimi et duodecimi sæculi investigandæ adhibebitur.

Dabam Berolini in Bibliotheca Regia a. d. IV Kal. Julias a. 1844.

V. CL. G. WAITZ PROŒMIUM.

Ekkehardi historiographi, sæculo XI exeunte, XII ineunte celeberrimi, memoriam nostra ætate oblivione fere obrutam vidimus, ita ut, cum Herimannus, Lambertus, Marianus, Bernoldus, Sigebertus omnium ore volverentur, illius pauci mentionem fecerint et ne hi quidem quis fuerit quæve scripserit satis edocti; in quod, libris ejus historicis editis, deinceps fieri non posse confidimus. Nam quis non primo voluminis hujus aspectu auctorem agnoscet gravissimum, qui paucis annis plura conscripserit opera iisque tam antiquam quam sui temporis historiam amplis illustraverit commentariis? Tunc fortasse in memoriam revocet, jam in libro illo De scriptoribus ecclesiasticis, quem anonymi Mellicensis nomine afferunt, Ekkehardum laudari (1) virum admodum doctum et religiosum, « qui et suam nihilominus chronicam scribit, » et Helmoldum ad ipsum revocare (2) tanquam auctorem qui Heinrici IV et V historiam enarraverit (3). Quod Eccardo ansam præbuisse, ut Ekkehardo opus illud tribueret annalistæ Saxonis nomine inscriptum, monuisse A sufficiat. Nam et hunc et alios errores (4) jam Martenius refutavit (5). Post quem etiam Pezius accurationem hujus auctoris notitiam nactus (6), neque tamen Chronici edendi consilium exsecutus est, ita ut nostra demum ætate, codicibus undique collatis, quam Ekkehardus in historia conscribenda collocaverit diligentiam quidque libris suis præstiterit, intelligi potuerit (7).

Ekkehardi vitam vero ne sic quidem satis perspectam habemus. Ubi, a quibus sit parentibus natus, nemo tradit. Trithemius solus, qui pluribus locis ipsius mentionem facit (8), canonicum eum fuisse Wormatiensem dicit (9); sed in hoc falsus esse videtur. Pergit enim, Ekkehardum jam tunc cœnobium Hirsaugiense intrare voluisse, sed voto peregrinationis ad terram sanctam suscipiendæ astrictum id perficere nequivisse ideoque mox itineri se commisisse. Quod anno 1101 factum esse ipse Chronico suo narrat. Per Balgariam cum magno Germanorum exercitu Constantinopolim perrexit, inde Joppen navigavit, ibique mortalitatem magnam vix evasit,

B

NOTÆ.

(1) C. 104.

(2) I. c. 40, ap. Leibn. II, p. 574.

(3) Ex his locis et Trithemii testimonio jam Bosius (v. Struvium obss. select. ad universam rem. litter. spect. I p. 318), et Baluzius (epist. ad Schilterum, Archiv. I, p. 344) ipsius notitiam habuerunt.

(4) Nam Browerus catalogum episcoporum Hildesheimensium (Vita Godehardi ep. Hild. Mog. 1616. 4, p. 97-101), Leibnitz (SS. R. B., I. præf., n. 46-52) Chronicon epp. Hild. Ekkehardo tribuunt, quem tamen ab alio quem Helmoldus laudat diversum esse hic putat (ib. II, p. 514, n. Præf., p. 52).

(5) Collect. ampl., t. IV, p. 2, 3. Cf. Scheidt Orr. Guelf. III, p. 153, n. 30.

(6) Ex Pezii collectaneis Mayer hausit quæ de Ekkehardo ejusque Chronico scripsit (ap. Hormayr Archiv. 1828, p. 806); quæ recentiores tantum non omnes fugisse videntur.

(7) Cf. præsertim quæ Archiv. vol. VII, p. 469-509 dicta sunt.

(8) Chron. Hirsaug. (a. 1559) p. 129. Ann. Hirsaug. I, p. 278, 344, 367, 390 De SS. eccl., c. 378.

(9) p. 340 : *Anno prænotato magister Eckardus Wormatiensis ecclesiæ canonicus et scholasticus divino spiritu compunctus, mundum cum suis pompis et vanitatibus pro Christi amore deseruit, veniensque ad Hirsaugiam, sanctæ conversationis habitum suscepit. Erat autem vir in omni genere scientiarum eruditissimus; sub cujus magisterio multi nobiles et ignobiles in omni litteratura magnifice profecerunt. Qui monachus factus, in omni puritate vitam suam instituit, et crescentibus meritis, tandem post annos undecim abbas in Uraugia primus ordinatus fuit.* — Et p. 367 : *Anno etiam præscripto sanctus Otto episcopus Babenbergensis, Christi servus per omnia fidelissimus, inter multa pietatis suæ studia monasterium ordinis nostri suis impensis de novo fundavit Herbipolensis diœcesis, juxta Salam fluviolum, sub honore sancti martyris Laurentii, quod Uraugia nuncupatur et distat a Wirzburg versus aquilonem sex ferme milliaribus; quod tandem perficiens, ut potuit, pro sustentatione servorum Dei dotavit, et abbatem cum monachis de Hirsaugia impetravit. Eckhardus itaque, monachus hujus cœnobii Hirsaugiensis, primus abbas in Uraugiam fuit missus a reverendissimo patre Brunone, vir in omni varietate scripturarum doctissimus, qui, sicut anno Brunonis abbatis secundo supra diximus, primum fuit canonicus et scholasticus ecclesiæ Wormatiensis, deinde monachus sub abbate Gebhardo fieri voluit, sed voto peregrinationis ad terram sanctam*

C

postea obsidionem urbis tulit, etiam Hierosolymam visitavit, a. vero 1102 mari in Italiam et postea in Germaniam reversus est. Sed jam antea, a. 1099, in Chronico scribendo occupatus fuit (10), et, nisi valde fallor, Bambergæ tunc temporis vixit. Nam libros quos adhibuit, eosque maximam partem rarissimos, bibliothecæ Bambergenses ipsi suppeditarunt (11), ibique codices Ekkehardi antiquissimi sunt reperti (12); illius fundationem resque ibi gestas ea narrat diligentia quæ auctorem in ipsa civitate vel diœcesi degentem arguit; monasterii denique S. Michaelis Necrologium diem mortis adnotavit. Wormatiæ vero ipse nullibi mentionem fecit, ne Hisaugiam quidem verbo attigit, quamvis, si Trithemio fidem præberemus, ibi ex itinere redux per plures annos vixisse et litteris incubuisse, quin scholæ præfuisse putandus esset. Econtra ipse Ekkehardus se aliquando Corbeiæ vixisse profitetur (13); id quod inter a. 1091 et a. 1107 factum sit oportet (14).

Quæ cum ita sint, Trithemium, cujus fidem sæpissime vacillare omnes consentiunt, hæc sine causa sibi persuasisse, ne dicam ex ingenio finxisse, fortasse quæ ad alterum nescio quem Ekkehardum monachum Hirsaugiensem spectent, ad Bambergensem, postea Uraugiensem, retulisse putarim, præsertim cum in aliis libris nihil hac de re dicat, imo nobiscum facere videatur (15), et quomodo in illum perductus sit errorem non difficile sit intellectu. Nam in hoc ad rectum redit tramitem, quod Ekkehardum postea abbatem fuisse ordinatum Uraugiensem dicit. Otto enim episcopus Bambergensis in prædio suo Uraugia, in diœcesi Witzburgensi ad Salam fluvium sito, quod nunc Aurach dicitur, S. Laurentii monasterium fundavit ordinis Benedictini, quod regulæ subjecit Hirsaugiensi monachisque ex Hirsaugia assumptis tradidit (16); id quod Trithemio ansam præbuisse videtur, ut etiam abbatem Ekkehardum inde petitum esse statuat; etiam in hoc falsus, quod fundationem a. tribuat 1118, cum litteræ (17) monasterium a. 1108 inceptum, post quinque annos esse dedicatum doceant, et ipsum Ekkehardum jam a. 1117 ex S. Laurentii monasterio epistolam scripsisse videamus (18). Ab Ottone episcopo, quem summis laudibus effert et colit quasi patronum (19), quem jam antea in itineribus comitatus esse videtur (20), electus, hoc munus suscepit, monachus tunc, nisi valde fallor, monasterii S. Michaelis Bambergensis. Quot annis postea vixerit non satis constat (21); Chronicon usque ad a. 1125 continuavit, epistolam Volmaro Hirsaugiensi, si Trithemio fides, a. 1129 scripsit (22); tunc jam per triginta annos litteris operam navaverat, ideoque ætatem fere senilem attigisse videtur. D. 23 Januarii (23) mortuus est (24).

NOTÆ.

adstrictus, satisfacere illa vice desiderio suo non potuit. Reversus tandem de partibus transmarinis, ad Hirsaugiam rediit, et habitum monachi sub venerabili abbate Brunone suscepit. Postremo factus abbas in memorato cœnobio Uraugiensi, regularis disciplinæ observantiam, quam in Hirsaugia didicit, in omni vita sua tam in se quam in commissis sibi subditis diligentissime custodivit. Erat enim fundatus in timore Domini, et in ejus mandatis singulari devotione studiosus, quippe cui nihil dulcius fuit unquam in omni vita sua quam divinis nocte simul ac die vacare obsequiis. Qui cum esset in omni varietate scripturarum eruditus, nequaquam inerti vacabat otio, sed quoties sibi licebat a curis respirare temporalibus, aut legit aliquid boni et sancti, in quo ipse proficeret, aut scrivsit quidpiam utiliter, quod legentes ædificaret. Rerum quippe temporalium inopiam magnam sustinuit, sed humilitate, patientia cæterarumque virtutum plenitudine dives fuit.

(10) V. infra, n. 27.

(11) V. infra, col. 441-444.

(12) V. infra, col. 439, 440, 444-446.

(13) V. præfationem ad Erkembertum, col. 449.

(14) Nam his annis Marquardus abbas fuit; v. Ann. S. h. a.

(15) Nam in priore Chron. Hirsaug (Bas. 1559), p. 129 : *Eckhartus*, inquit, *venerabilis monachus sæpedicti monasterii Montis monachorum, vir*, etc., ubi Bambergense monasterium S. Michaelis in Monte intelligendum est.

(16) Hoc epistola docet ab Ekkehardo cæterisque monachis Uraugiensibus ad Volmarum abbatem Hirsaugiensem scripta, quam Trithemius l. l, p. 390 exhibet : *Dignissimæ reverentiæ rererendissimæque dignitatis viro, domino Volmaro Hirsaugiensium abbati, eisdemque præcipuis nimirum membris capitis summi, frater Eckardus cæteraque sancti Laurentii perexigua familia, si quid valent orationum vel servitutis payperum xenia. Spirituali plurimarum filiarum matri Hirsaugiæ, nondum ad incrementum perducta gratias agit ingentes filia cæteris jure despectior Uraugia; arbitris etiam internis semper implorat præmia pro beneficiis scilicet nobis a vestra clementia gratis impensis, per quæ tam erga nos quam super cunctos necessitatem patientes materna viscera recludere soletis. Ad hæc iterum iterumque pedibus vestris advoluti mente et spiritu petitionem nostram continuam auribus clementiæ vestræ suggerere non cessamus, quatenus novellam plantationem vineæ Domini Sabaoth, quam apud nos initiastis, neglectui non tradatis, sed servo Domini Ottoni episcopo, cujus legatione fungimur, hanc suæ charitatis vicissitudinem rependentes, aliquem nobis ad præsens seniorem destinetis, quem vos seniorem noveritis; cujus apud nos irrigetur solertia quod benigne plantastis. Remisimus etiam fratrem præsentem Conradum, paupertatem nostram tædio habentem vestrasque spirituales divitias spiritu fervente sitientem, testimonium illi perhibentes.*

(17) Ap. Ussermann episc. Wirceb. cod. probb., p. 29. Versio est Germanica sed antiqua diplomatis a. 1122 dati.

(18) V. infra, col. 448-450

(19) A. 1124, 1125.

(20) V. infra, col. 445-447.

(21) In diplomate n. 17 allato ipse non nominatur, occurrit vero in altero sine anno ap. Ludewig. SS. R. Bamb. I, p. 1124.

(22) Ann. Hirs. l. l., p. 390.

(23) Necrolog. S. Michaelis Bamberg. ap. Schannat Vind. litt. II, p. 29 : x. *Kal. Febr. Eggehardus abbas S. Lauræ* (lege : *Laurentii*) *Uraugiæ*. Minus recte Ussermann (episc. Wirzb. p. 418), d. 20. Febr., i. e. x. Kal. Mart. indicare videtur.

(24) De anno non constat. A. 1130 numerus ap. Trithemium de SS. eccl., c. 378, potius ad antecedentem quam ad sequentem referendus est sententiam; cf. c. 377, 381, 383, etc. Ita quidem a vero longe recedit. Sed etiamsi aliter statueremus, tali testimonio inniti vix possemus.

Ekkehardum litterarum studio excelluisse et non in uno libro operam suam collocasse, Trithemio libenter credamus, *Eckardus*, inquit (25), *primus abbas monasterii sancti Laurentii quod Uraugia dicitur, in diœcesi Herbipolensi in Hircinia silva, ordinis sancti Benedicti, natione Teutonicus, vir in divinis Scripturis eruditissimus et in sæcularibus litteris nulli inter Germanos suo tempore doctorum inferior, metro excellens et prosa. Scripsit non spernendæ lectionis opuscula, quibus ingenii sui vivacitatem declaravit. De quibus ego tantum vidi opus insigne ad imitationem Boetii gemino stylo compactum, ad instructionem et consolationem monachorum et omnium fidelium Deum timentium valde utile et necessarium, quod prænotavit Laternam monachorum lib.* v. *Sermones quosdam elegantes variasque epistolas ad diversos composuit. Claruit sub Conrado tertio imperatore. Anno Domini* 1130, *in medio ecclesiæ præfati monasterii sepultus.* De operibus vero ab Ekkehardo scriptis alio loco accuratius prosecutus est : *Scripsit autem non contemnendæ auctoritatis opuscula, quibus et tunc præsentibus se utilem reddidit et memorabilem posteris commendavit; e quibus feruntur subjecta. Chronicon ab origine mundi usque ad annum Dominicæ Incarnationis* 1124 *inclusive volumen insigne composuit, in quo Gesta regum et imperatorum in Germania et extra ordine satis congruo digessit. Ad imitationem quoque Marciani Capellæ ac Boetii Severini scripsit gemino stylo, hoc est carmine et soluta oratione, satis instructum opus, quod in tres libros divisum Laternam sive Mathiam prænotavit, in quo cujusdam Mathiæ ægroti planctum Paulus, ejus in Domino adoptivus filius, artificiali quadam consolatione delinivit. Scripsit etiam ad sanctam Hildegardem abbatissam apud Bingios epistolam unam, ad sanctum Ottonem episcopum Bambergensem epistolas plures, ad Volmarum abbatem hujus monasterii Hirsaugiensis epistolas plures, ad alios quoque diversos epistolas similiter plures. Sermones etiam ad monachos suos et homilias non spernendas edidit. Cætera quæ composuit ad nostræ lectionis notitiam minime venerunt.*

Epistola una tantum exstat, sermonum et homiliarum nullum vestigium; ne opus quidem a Trithemio visum et accuratius descriptum, quod Laterna sive Mathias inscriptum fuit, hucusque innotuit, ita ut nonnisi libri historici temporum injuriam fugisse videantur. Præter Chronicon vero usque ad a. 1124 deductum, Trithemius etiam brevem affert (26) historiam, qua Ekkehardus res suo tempore gestas descripserit. Accuratius vero, codicibus quotquot reperiri poterant evolutis, singula quæque ipsius opera recensere eorumque tempus definire licet.

Ultimis sæculi XI annis Ekkehardus, monachus tunc Bambergensis, Chronicon aggressus est scribendum, quod inde ab orbe condito usque ad ipsius tempora quam amplissimam rerum gestarum notitiam exhiberet, in quo colligeret quæcunque ex libris tam historicis quam biblicis theologicisque vel aliorum scriptis comportare posset; cui inter varias sæculi XI et XII historias universales primum locum summo jure tribuere mihi videor. In hoc occupatus fuit opere, ut ipse profitetur (27), a. 1099; neque tamen tam brevi tempore id absolvisse putandus est. Nam textus hac editione quamvis minutissimus plerumque typis expressus 180 explet paginas; Ekkehardi vero codex autographus (28) folia plus quam ducenta continuit. Hic, quem numero I indicavi, nunc in bibliotheca universitatis Jenensis exstat, olim vero fuit « monasterii Sancti Michaelis in monte prope Babenberg. » Folia quædam excisa esse dolemus; cæterum genuinum et nonnisi paucis mendis aspersum præbet textum, qualem Ekkehardus propria manu exaravit, hinc inde leviter correxit nonnullisque additamentis auxit. Librum integrum cum infra edamus, materiarum dispositionem, annorum computandorum rationem, aliaque quibus auctor diligentiam solertiamque probavit, lectores ipsi judicent. Subsidiorum et numero et gravitate tantum non omnes sui temporis, imo plerosque medii ævi scriptores, si Sigebertum illum eruditissimum excipias, antecellit. Nam (29), ut antiquitatis historiam illustraret, præter Chronica Hieronymi (30), Prosperi (31), Jordanis, Isidori et Bedæ, etiam Scripturam sacram (32), Josephum De antiquitatibus Judaicis et de bello Judaico, Eusebii Historiam ecclesiasticam ex translatione et cum continuatione Rufini, Tertulliani (33), Hieronymi (34), Augustini (35)

NOTÆ.

hibentes quod fideliter nobiscum conversatus tam honori vestro quam utilitatibus nostris non segniter hactenus per omnia insudaverit. Nunc autem, ut omnimodis affirmat, obitus sui vicinitatem pertimescens, in vestro sanctissimo collegio potissime ac novissime inveniri desiderat. Valeat, vigeat et in æternum coram Christo vivat sanctitas vestra, inveniat etiam nunc et semper in conspectu vestro gratiam humilitas nostra. Nota quod Ekkehardus neutiquam seipsum Hirsaugiæ deguisse indeque Uraugiam missum esse dicit.

(25) De SS. eccl. l. 1.

(26) Chron. Hirsaug. (a. 1559), p. 129.

(27) Col. 671 : *temporaque pontificum Romanorum — ab hoc anno d. i.* 46° *— usque in millesimum nonagesimum nonum ejusdem incarnationis annum seriatim perduxi, A. d. i.* 1057. *— Heinricus — regnare cœpit, et quando hæc conscriptio facta est, anno* 42° *regnavit.*

(28) Quod jam Pertz, Archiv. VII, p. 472, probavit.

(29) Quæ de fontibus Chronici Urspergensis disputarunt Gretser (Op. XVII, p. 75), Semler (Versuch, p. 129), et Schumacher (Beiträge, p. 43, 44) huc pertinent; sed rem magis perturbarunt quam explicarunt.

(30) Integram fere præfationem ex hoc descripsit.

(31) Chronicon adhibuit tam quod dicunt consulare quam imperiale.

(32) Cui adde librum apocryphum, Judæ apostoli epistolam (col. 502).

(33) Infra, col. 645.

(34) Præsertim commentarium in Danielem diligenter evolvit (cf. col. 545 sqq.); bis etiam comm. in Isaiam respexit (col. 509, 541), postea affert comm. Marcum, ubi fortasse Matthæanum intelligendum esse dixi (not. 218).

(35) Præter opus de civitate Dei, cujus præsertim

Gregorii Magni (36) opera, librosque passionum (37) adhibuit; Romanæ antiquitatis novit auctores, Sallustium (38), Plinium (39), fortasse Livium (40) et Virgilium (41); multa ex Orosio sumpsit; in codice quodam Bambergensi hodieque superstite (42) historiam et epistolas Alexandri fabulosas legit, nec non Aurelium Victorem, Jordanis Historiam Gothorum (43), Gesta regum Francorum, abbreviationem Chronicorum, Pauli Diaconi librum De rebus Langobardorum (44) aliaque, quemadmodum ab Italo quodam, sermone mutato, descripta sunt et interpolata. Ut Francorum historiam concinnaret, etiam Fredegarii librum secundum consuluisse videtur (45), pluraque ex Vitis S. Columbani (46) et S. Galli (47) hausit. Præterea hac libri parte etiam Vita S. Gregorii Magni (48), Bedæ operibus (49), Dicuili libro De mensura terræ (50), præsertim vero Historia miscella, quæ sæculo post ex illius opere aliisque fontibus confecta est (52). Cum ex his, præsertim ex Bedæ Martyrologio (53), multa de pontificibus Romanis repeteret, sæpe tamen ab his aliisque auctoribus in illorum ordine temporeque definiendis recessit; id quod catalogo quodam (54) duce fecisse videtur Usi ad sæculi noni historiam venit, fontes adiit graviores, Einhardi dico libros, tam Vitam Caroli (55) quam annales, quibus Annales Laurissenses (56), Vitam Burchardi Wirzburgensis (57), monachum Sangallensem (58) aliaque (59) adjecit, postea etiam Annales Lobienses (60) adiit. Ex Rudolfi libro De translatione S. Alexandri Saxonum origines illustravit (61), quorum historiographum Widukindum (62) postea ducem habuit præstantissimum, ejusque narrationem

A

B

NOTÆ.

libros 15 — 18 exscripsit (col. 505 seqq.), etiam commentarium de Genesi adhibuit (col. 726).

(36) Ejus dialogum ipse affert (col. 796).

(37) Passionum libri (col. 671, 693, 695) et Vita Patrum (col. 760) nescio quæ afferuntur; cf. col. 668: *Ut non solum in martyrologiis attituletur, verum etiam in canone missarum et in supplicationibus lætaniarum publicitus — recitetur.* Libros passionis Dionysii Areopagitæ et Alexandri papæ V. col. 668 (cf. col. 679). S. Basilii Vitam adhibuit Ekkehardus col. 711.

(38) Col. 537, 634, 640.

(39) Col. 505, 725. Cf. Col. 509, 510, 511, 512.

(40) Col. 537.

(41) Col. 655. Nescio an versus col. 607 ex Cicerone desumptus sit.

(42) De quo in Annalibus nostris (Archiv., Vol. IX) accuratius disputabo. Notandum est plurimas interpolatoris illius glossas ab Ekkehardo esse exscriptas (e. gr. col. 675. verba : *quod tunc erat signum liberationis*). Præterea errores quos jam ille commisit ne Ekkehardo tribuas cave, e. c. col. 721 : *Dagobertum episcopatui preposuit* (cod. Bamb. : *Dagoberhtum episcopatu preponit*), col. 709-711 de pugna inter Saxones et Suevos commissa. Unum afferam exemplum, quomodo codex ille a genuino textu recedat :

Paulus Diac. VI, 20.

« Liutbertum vero quem ceperat pari modo in balneo vita privavit. »

Cod. Bamb. f. 183'.

« Liopertum vero quem vivum in pugna apprehenderat, misit cum in balneum et clausit regiam super ipsum, qui et pro nimio calore mortuus est. »

Ekkehardus (col. 810).

« Liopertum in pugna vivum apprehendit — misit in balneum et clausit januam super ipsum, sicque nimio calore mortuus est. »

(43) Pures Ekkehardi lectiones nonnisi ex hoc codice explicandæ sunt. Ut unum afferam : pro *familiæ balthorum* codex legit : *familia evalthorum*, unde Ekk. (col. 732) : *familiæ — Ewaldorum*. Fortasse tamen et alterum possedit codicem, ex quo nomina quædam correxit. Certe Jordanis Chronicon non integrum ibi invenit.

(44) Cf. n. 49, 51.

(45) Col. 523.

(46) Col. 720.

(47) Col. 720.

(48) Col. 797, 798, 815 sqq.

(49) Præter Chronicon de sex ætatibus mundi etiam librum adhibuit, cujus illud pars est, de temporum ratione (col. 555), præterea Commentarios in Marcum et in Acta apostolorum (col. 661, 667), Martyrologium (cf. n. 53), nec non Historiam ecclesiasticam Anglorum (col. 641; cf. 666, 667), quam codex ille Bambergensis continet.

(50) Quæ ex hoc exscripsit, Bedæ nomine affert, apud quem hæc non inveniri, jam Lappenberg (Arch. VI, p. 890) monuit. Equidem quin Ekkehardo Dicuili liber ad manus fuerit, non dubito, cum plures hujus codices etiamnum in Germania reperiantur, e. gr. Dresdæ (Ebert. Gesch. d. Dresd. Bibl. p. 283), Vindobonæ (Endlicher cod phil. Lat., p. 231, 232). Facile vero, ut alia plura, etiam hos opus celeberrimo Bedæ tribui poterat.

(51) Interdum eum adhibuit textum quem codex ille Bambergensis præbet, plerumque tamen genuinum, qualem in altero cod. Bambergensi hodieque legimus.

(52) Etiam hujus collectionis codex integer (26 librorum) Bambergæ asservatur (Arch. VI, 42), quem quamvis nondum viderim, Ekkehardo ad manus fuisse puto. Certe genuinum et amplum possedit librum, ex quo multa descripsit, quæ in editione vulgari omissa sunt et nonnisi ex codicibus vel Hersfeldensi vel Palatino ab editoribus afferuntur.

(53) Quod ipse affert col. 669, 674, eoque col. 674 seqq., sæpe usus est.

(54) Cf. col. 670. Maxime in annis definiendis a cæteris fontibus recedit.

(55) Cf. col. 843.

(56) Præter Annales Einhardi etiam hos exscriptos esse, anni ostendunt 768 (verba : 7 *Idus Octobris*), 775, 783 (*in quibus tunc erant vigiliæ ascensionis*), a. 797 initium, etc. A. 823 et 828 quædam habet quæ nonnisi in Ann. Bertinianis leguntur, sed non ex his sed ex communi fonte, ampliori Einhardi codice, descripta.

(57) Col. 837, 839.

(58) Col. 847, 853, 864, 866, 868.

(59) Locum a. 753 de coronatione Pippini non ex Reginone, quem in margine allatum vides (col. 859), sed vel ex clausula coronationis (ap. Bouquet. V) descripsit, vel ex fonte quodam deperdito, qui etiam a. 799 quædam ipsi suppeditasse videri potest. Quæ ex Genealogia regum Francorum col. 871, 876, 883 repetuntur, ad eam referenda sunt quæ in Chronico legitur Wirziburgensi, col. 493.

(60) Col. 871 sqq. Nota quod etiam horum codex Bambergæ exstat.

(61) Cf. Mon. SS. II, p. 673

(62) Cf. ibid., III, p. 415.

C

D

ex libris non vulgaribus, Liudprandi (63) Richerique (64) Historiis atque Vita S. Udalrici (65), et auxit et emendavit. Inde a sæculi XI fine uberiore fonte destitutus, ea plerumque repetivit quæ in Chronico quod nominavi Wirziburgense, ex Herimanno Augiensi derivata leguntur. Ex eodem jam antea quamplurima mutuatus est (66). — Horum auctorum narrationes more medii ævi scriptoribus consueto descripsit quidem tam fideliter, ut verba eorum interdum etiam tunc retineret, si a scipsis visa narrarent vel quidquam ad sua tempora referrent (67); nihilominus vero neutiquam ea scripsit levitate et inconsiderantia, quam in aliis hujus ætatis operibus non raro deprehendimus. E contra rerum materia quamvis amplissima nunquam se obrui passus est, sed singula quæque apte disposuit, quæcunque de eadem re apud diversos auctores legebantur diligenter collegit (68), aliam narrationem ex alia emendavit (69), auxit, supplevit, interdum etiam accuratius in unam aliamve rem investigavit (70). Quo ipsum veritatem assecutum esse non contendo, sed certe pro viribus fecit, et quod minus perspexit candide professus est (71). Prima saltem criticæ artis rudimenta eo posuit, quod non solum varia scriptorum testimonia perpendit, sed nonnunquam dissonantiam vitiis librorum ascribi posse putavit (72). — Præter scriptos fontes semel vel bis etiam ad ea provocavit quæ populi voce ferebantur carminibusque canebantur (73), et ubi ad tempora devenit suis propiora, plura adjecit quæ a coævis accepisse credendus est, ea potissimum quæ res spectant Bambergenses (74). Sæculi XI exeuntis historiam ipse composuit, breviter quidem et simpliciter, sed satis accurate, litteris aliisque documentis usus (75); atque hac parte mentem nulli parti obnoxiam, sensum justum rectumque, patriæ amorem et eamdem erga imperatorem quam erga summum pontificem reverentiam ostendit. Historiam, ut supra jam dixi, a. 1099 vel sequenti composuit brevique itineris sacri his annis suscepti narratione finivit, quam ex epistola quadam hausit crucifecorum (76).

Ita vero in codice supradicto, olim Bambergensi, nunc Jenensi, non amplius exstat, sed postea ab ipso auctore mutata atque continuata. Altero vero codice, et ipso olim monasterii S. Michaelis Bam-

NOTÆ.

(63) Cf. ibid., p. 272.

(64) Cf. ibid., p. 566. Richeri unicum quod exstat exemplar Bambergæ inventum esse nemo nescit. Nihilominus non hunc sed alterum libri codicem Ekkehardo ad manus fuisse, non possum quin statuam. Nam certe ab illo sæpe ita recedit, ut narrationem potius e memoria retulisse quam descripsisse dicendus esset; quod alibi nusquam factum est. Præterea unum habet locum, quem Richerianum redolere ingenium omnes concedent, quem et ipse Richero tribuit (col. 900; cf. Jahrbucher l.l., p. 198), quamvis in codice illo Bambergensi non legatur; quem ab Ekkehardo confictum esse nullo modo persuaderi possum.

(65) Col. 897. Secundam illam habuit quem Gebehardo episcopo debemus; cf. Mon. SS. IV, p. 389, n. 14. Ruotgeri Vitam Brunonis ipsi ad manus fuisse (col. 905) non putarim.

(66) V. Col. 445.

(67) E. gr. col. 680 : *Hujus memoriæ tantum delatum est, ut usque ad nostram ætatem non aliter in senatu*, etc., ex Historia miscella; col. 731 : *Datiam autem dico antiquam, quam nunc Gepidæ possidere noscuntur*, ex Jordane; col. 905 : *Brunonem quem pontificis summi ac ducis magni officium vidimus gerentem*, ex Widukindo. Sed quod apud alios sexcenties notandum, apud Ekkehardum ter quaterve occurrit.

(68) Luculentum ejus rei exemplum vide p. 151, ubi narrationem ex Historia miscella et Vita Gregorii diligentissime composuit. Alibi non raro singula verba ex altero fonte desumpsit.

(69) E. c. col. 918, ubi Hugonis filium recte Lotharium (ex Liudprando) neque cum auctore suo Widukindo Ludovicum dicit. — Nonnunquam vero et ipse Ekkehardus, libris male intellectis, errores commisit; e. gr. col. 630 : *fertur ex hac pecunia instituisse xenodochia, quibus susciperet pauperes et peregrinos*, ubi de peregrinis auxiliis, militibus auxiliariis, apud Josephum sermo est; col. 673 : *Iliadem tragediam canebat*, quia additum legebat : *tragico indutus habitu*; col. 839, a. 786, col. 881, 882, ubi vide notas.

(70) Præsertim ordinem regum Judæorum et pontificum Romanorum definire conatus est, col. 535, 543 sqq., 668.

(71) Col. 535 (*Has igitur diversitates in hystoriis inveniens, sed neutram partem veluti nullius auctoritatis homuncio reprehendere presumens, utriusque notavi opinionem, ut studiosiorem lectorem reddam cautiorem*), col. 549 (*Horum omnium convenientia qualiter se habeat, studiosioribus propositam relinquamus*). col. 555 (*Sed nos forsan stulte proponentes, nichil autem temere definire præsumentes, hystoriarum scriptoribus, ut par est, cedamus, hæcque studiosioribus investiganda relinquamus*), col. 557 (*Has diversas expositorum sententias — ideo posui, ut sapiens attendat et quid eligat videat*), col. 585 (*ceterum prudens lector eligat, quid sibi de hiis maxime placeat*), col. 662 (*Exhis prudens lector eligat quid magis sit tenendum*), col. 671 (*Hæc autem omnia non dico, quasi pro mea garrulitate prejudicium cupiens inferre aliorum me satis satisque precellentium sententiæ, sed quasi pro indagandæ veritatis cupiditate, stulticiæ notandus elogio, sensum meæ denudans imprudentiæ. Ceterum sapiens quisque pro capta suo deliberet, quid pro vero tenendum dijudicet*, etc. — *melius ostendenti veluti certi et veri cupidus desiderantissime cedo*), col. 693 (*Qualiter autem super his veritas se habeat, in scriptorum ratione consistat*), col. 890 (*penes lectorem vero erit, cui magis credatur*).

(72) col. 535 (*Quod utrum vitio scriptorum pro varietate numeri errantium sit depravatum vel qua ratione sic variatum, necdum invenimus certum; — liber Regum apud nos nescio an viciatus an purus*—), col. 670,671 (—*inolevisse creditur ob incuriam et vitium scriptorum. — Unde satis intelligi potest, vitio scriptorum pro similitudine nominum ordinem esse confusum; — multaque inveniens scriptorum negligentia vel imperitia depravata, propter numerorum varietates litteris designatorum, in quibus facile a diligentibus delinquitur, quantum magis a non adtendentibus, dum aut littera pro littera ponitur vel aliqua forte subducitur*); col. 693,694 (*Qua de re conjci potest, successionum vices vitio scriptorum pro similitudine nominum mutatas fuisse; — si tamen vitio scriptorum liber depravatus non est*).

(73) Col. 756.

(74) Col. 928 sqq.

(75) A. 1076, 1080.

(76) V. infra, not. 278.

bergensis, qui nunc vero bibliothecæ Carlsruhanæ illatus est (77), ultima hujus Chronici pars, ab a. inde 1057 continetur, eaque forma, quam omnium esse antiquissimam facile est intellectu. Nam hic textus, quem *A*. nominavi, iis caret mutationibus additionibusque quas Ekkehardus in codice autographo (1.) postea faciendas judicavit (78). Post a. 1099 brevis adjecta est a. 1100 et 1101 notitia, sive ab Ekkehardo, sive a codicis scriptore sit confecta. — In eodem vero volumine huic fragmento præmittitur, alia sed coæva manu nitide scriptum, breve rerum inde ab orbe condito gestarum Chronicon, ad annum usque 1057 deductum, ita ut illa Ekkehardiani libri particula hoc quodammodo excipere videatur. Certe non fortuito utrumque conjunctum esse, putarim, quamvis non unius esse operis partes inde pateat, quod cum illud jam Heinrici IV initia referat, hoc ab iisdem incipiat, sicque idem bis similibus verbis legatur. Chronicon illud dixi Wirziburgense, eo quod episcoporum Wirziburgensium ordinem ubique accurate diligenterque indicatum reperi. Præterea tantum non omnia ex fontibus hausta sunt notissimis, Josepho, Orosio, Isidoro, Beda, Pauli Diaconi Historia Romana et Langobardorum, Fredegario, Einhardi Annalibus, quibus fortasse addi possunt Rufini Historia ecclesiastica (79) et Gesta Romanorum pontificum (80); præ cæteris vero Epitome, qualem ex Herimanni Augiensis Chronico factam novimus (81), ab initio usque ad finem descripta est. Ex hoc opere in Ekkehardi Chronicon universale quamplurima transiisse patet aspectu. Cum vero eosdem plerumque fontes in utroque opere adhibitos viderem, eamdem fere rerum disponendarum rationem deprehenderem, denique utrumque uno volumine conjunctum invenirem, parum aberat quin etiam hanc breviorem historiam Ekkehardo tribuendam esse mihi persuaderem. Obstat tamen quod neque Fredegarii continuationem neque Gesta pontificum Romanorum in magno Chronico adornando Ekkehardus adhibet; quæ vix neglexisset, si ad manus habuisset; quod non semper idem ordo idemque sermo occurrit, denique quod Ekkehardus semel ad ea quæ in Chronico Wirziburgensi leguntur ita provocat (82), ut alienum opus satis aperte indicare videatur. Quare Chronicon Wirziburgense, quod etiam longius perductum fuisse alibi suspicatus sum (83) quodque a pluribus medii ævi scriptoribus (84) lectum est atque exscriptum, non inter opera sed inter præcipuos Ekkehardi fontes referendum puto (85). Quare nomen ipsius p. 17 — 32 editionis nostræ lectores deleant velim.

Jam vero ad Ekkehardum revertamur. Non diu enim in opere illo acquievit, sed mox id retractandum et continuandum suscepit. Anno 1101 iter in terram sanctam suscepit, sequenti reversus Romam adiit, ibi paschalem annum erga Heinricum imperatorem promulgantem audivit, indeque in patriam regressus est. Tunc multa viderat ipse vel ab aliis acceperat relatu digna, tunc præsertim de expeditione prima cruciferorum multa antea ipsi ignota collegerat. Hæc procul dubio fuit causa quod in codice quem habemus autographo a. 1098 et 1099 Historiam delevit novamque eamque fusiorem rerum tunc gestarum narrationem exorsus est (86), quam sive calamo continuo sive temporis decursu ad a. usque 1106 continuavit. Hac libri parte magis Ecclesiæ favet, non Heinrici imperatoris, sed filiorum rebellium partes agit (87), præsertim quintum Heinricum, cujus primæ curiæ a. 1105 Northusæ aderat (88), laudibus effert. Eodem sensu tunc etiam in prima libri parte quædam vel delevit vel mutavit (89), hinc inde etiam errorem correxit (90).

Neque tamen in his substitit auctor. Heinrico quarto seni et exoso successerat juvenis Heinricus V, qui, patre mortuo, Ecclesiæ et imperii unitatem restituere videbatur, ideoque summo plausu ab omnibus est exceptus. Hoc etiam Ekkehardum movit, ut stylo quietem denegaret eumque Heinrici laudibus describendis libentissime voveret. Hoc ipse præfatione profitetur, quam Heinrico nondum imperatore, imo rege vix constituto, id est a. 1106 vel 1107 scriptam esse patet (91). Hanc sequitur anni 1106 Historia ampla et, nisi valde fallor, in mediis motibus scripta. Nam Heinricum IV verbis acerbissimis

NOTÆ.

(77) V. infra, col. 455.
(78) V. a. 1072, 1085, 1096, 1097, 1098. 1099.
(79) Col. 472.
(80) Col. 482.
(81) V. Mon. SS. V, p. 73.
(82) Col. 756 : *quod—in quibusdam chronicis annotatur*. Sequitur quod ibi, col. 473 475, narratur, hic vero tam cum vulgaribus cantilenis quam cum Jordanis relatione comparatur.
(83) V. quæ in præfatione ad annalistam Saxonem dixi.
(84) Ab annalista Saxone et in annalibus quos dicunt Wirziburgenses (Mon. SS. II, p. 239), quos rectius vocaveris S. Albani Moguntinos. Hos in Annalibus Hildesheimensibus, Erfortensibus et S. Pysibodi descriptos esse, alibi ostendam.
(85) Herimanni vero Augiensis Chronicon jam inter Ekkehardi fontes referri nequit (cf. Mon. SS. II, p. 238; III, p. 20; V, p. 73). — Ex Chronico Wirziburg etiam regum et imperatorum tam Carolingorum quam Saxonum genealogias sumptas esse, jam supra n. 59 dixi.
(86) V. infra, col. 972, et Archiv. VII, p. 472. Longiorem belli sacri Historiam fortasse dedisset, nisi Hierosolymis librum ejus argumenti invenisset, quem exscribere nolebat (col. 972).
(87) Conradus, de quo a. 1095 scripserat : *Chuonradus filius imperatoris — patri rebellasse infamatur*, a. 1099 laudatur vir per omnia catholicus et apostolicæ sedi subjectissimus, etc.
(88) V. infra, col. 991.
(89) V. supra n. 85.
(90) A. 1085; cf. a. 1072.
(91) Infra, col. 999. Tota præfatio id ostendit. Nota præsertim verba : *Te—tandem et vix impetratum caput* —Romanus a pulveri jam expergiscens orbis—*tempus jam remisse miserendi sui testantur, de tua indole*, etc. *Beata erit et—gloriosior producetur ætas tua, si*, etc.

insectatur, ipsum tanquam hæresiarcham, apostatam, animarum persecutorem omnibus contumeliis dignum habet, ejusque fautores ardenti sermone perstringit. Ekkehardus tunc Ottoni Bambergensi, qui regi juniori se addixerat, adhæsit. Quem anno 1106 cum aliis regis legatis Romam missum (92) comitatus esse videtur, certe anni fine concilio Guastallis habito adfuit (93). His temporibus, ut supra vidimus, abbas constitutus est Uraugiensis, et deinceps non solum episcopo sed etiam regi Heinrico V familiaritate conjunctus fuisse videtur.

Etenim rex eo tempore quo nuptias cum filia regis Anglici celebraturus erat Ekkehardo præcepit ut imperatorum Historiam sive Chronicon inde a Caroli Magni temporibus usque ad suam ætatem componeret. De quo ipsum audiamus auctorem, qui libro hanc præmisit præfationem :

INCIPIT PROLOGUS SEQUENTIS CHRONICI [1] OPERIS.

Quamlibet rem publicam testatur Tullius felicem fore, si vel a sapientibus regatur, aut eos qui eam rexerint studere contingat sapientiæ, sine qua ipsam fortitudinem constat usque ad nomen temeritatis degenerare. Nos igitur impensius cæteris gentibus debemus gratias Deo referre, quoniam, sedatis procellis quibus hactenus quatiebamur, princeps magnæ sapientiæ magnaque pollens strenuitate ad gubernandum Romanum imperium emicuit, cui Dei dispositione universus orbis tam Romanus quam Teutonicus gaudet omni nisu applaudere, videlicet Henricus quintus rex et quartus imperator, vir compositus multiplici virtute, ferox in bello, pius et mansuetus in pace. Cum igitur ipse resplendeat velut coruscans lucifer splendore sapientie et redoleat omni boni odoris suavitate, dignatus est nostræ parvitati precipere ut colligat sibi chronicum opus a temporibus Karoli Magni usque ad sua tempora, servando ubique veritatem istoriæ. Quod opus recipere cum nostra recusaret imperitia, nos tamen compulit deducere ad aliquem effectum sua auctoritas et benivolentia. Habes igitur, serenissime imperator, amministrante caritate chronicum opus, excerptum non nostra, set veterum chronographorum [2] bis auctoritate, utinam non indignum, ne dicam oculis imperatoriis, set saltim minimis lectoribus tuæ curiæ. Cum igitur tota intentio hujus libri tam Romani imperii quam Teutonici regni deserviat honori, quorum regnorum conjunctio cepit a Karolo Francigena, necessarium duximus, tam nobilissimæ gentis, que habilis inventa est ad procreandos dominos Romanæ potentiæ, altius originem repetere, et sic per antiquissimæ nobilitatis generationes usque ad eundem Karolum narratione deducta, qualiter ipse capesseret rem publicam labefactam, et qualiter deinde Romanum imperium per successiones regum istius gentis excellentissime gubernaretur, ceteris chronicis relationibus exclusis, competenti brevitate usque ad hæc tempora digerere. Primus igitur liber ab origine Francorum per regnum ejusdem gentis tempora discurrit. Secundus liber ab imperio Karoli Magni cunctorum successorum ejus regimina actusque breviter atque annos includit. Tercius autem liber orditur acta atque agenda hujus quinti Heinrici; que utinam non possent terminari aliquo fine, aut saltem terminentur post multa curricula annorum, in bona et Deo bene complacita senectute! »

Incipit primus liber, ut supra indicatur, capitulo *De origine Francorum*, verbis : *Francorum gentis exordia De antiqua Trojanorum prodiere prosapia. Nam*, etc. (94). Tam hæc quam sequentia plerumque cum Ekkehardi Chronico ita conveniunt, ut eumdem auctorem, licet more suo nomen tacuerit, statim agnoscas. Accedit quod codex unicus chartam quoque continet ad monasterium Uraugiense spectantem, quod denique auctor ad Chronicon ante scriptum diserte provocat (95). - Hujus libri textus, quem C. nominavi, quamvis ex priori Chronico desumptus, ex singulis ejus capitibus consarcinatus, interdum tamen ab illo recedit. Primum enim ex Sigeberti Gemblacensis Chronica quamplura recedit, quibus suam ampliavit narrationem, tunc inde a medio sæculo XI, mutato rerum statu, historiam etiam mutandam duxit. Heinricus quintus patris manes placaverat pacemque inter Ecclesiam et imperium, expeditione Romana finita, felicissime stabilisse sibi visus est. Ideo etiam Ekkehardus nunc omnia vitavit quæ antiquæ discordiæ renovare poterant memoriam, eaque mitigavit quæ primo libro contra Ecclesiam, postea mutata sententia contra Heinricum IV imperatorem ejusque asseclas nimis acerbe scripserat (96). Id enim studuit, ut rerum gestarum imaginem talem Heinrico juniori porrigeret, quæ nulli parti faveret neque cujusquam animum offendere posset. Quo adductus est, ut annorum 1105 et 1106 Historiam novam scriberet, continuationemque adderet eodem animo æquo et moderato confectam.

Exstant vero præterea duæ Chronici Ekkehardiani recensiones, quæ cum *C.* in multis conveniunt, quamvis in aliis tam ab hoc quam a priori textu recedant. Utraque præfationem, anno 1106 præmissam, Heinrico juniori directam, exhibet, utraque textum sine annorum tabulis scriptum sed multis additionibus ex Sigeberto desumptis auctum, denique narrationem annorum 1070 sqq. præbet interdum eodem modo mutatam quo *C.* Cum hoc

VARIÆ LECTIONES.

[1] chon. *cod.* [2] Chon. *cod.*

NOTÆ.

(92) Infra, col. 1001.
(93) Col. 1015.
(94) Col. 713.
(95) A. 1096, n. ****, a. 1101, p. et ****; a. 1086, n. *; a. 1093, n. *; a. 1102, n. *; 220, n. ****.
(96) Cf. a. 1072, n. *; a. 1080, n. * præsertim vero a. 1105 et 1106. — Hinc inde (col. 953), n. **; a. 1083, n. *; a. 1084, a. 1085, n. * etiam leviores errores sustulit (a. 1076, 1089).

vero iis potissimum locis animadvertatur, quibus verba acerbiora erga Ecclesiam papasque mitigata sunt, nec pariter ubi in Heinricum IV auctor invectus erat, cum econtra a. 1106 historia animo hostilissimo scripta hic retineatur : fortasse has recensiones historia *C.* antiquiores, imo jam a. 1106 vel 1107 una cum præfatione illa ejusque anni narratione confectas putaris. Cui nec ipse refragarer sententiæ, nisi Sigeberti Chronicon a. demum 1112 finitum esset et nisi utramque recensionem in codicibus usque ad a. 1125 continuatam reperirem. Sigebertus quidem jam antea opus edidisse putatur (97), codices autem etiam in aliis a primæva forma recedere atque Chronicon postea ab auctore ita compositum continere videntur. — Sed recensiones hæ, quamvis inter se in plerisque conveniant, sunt tamen in quibus differant. Prior, quam *D.* dixi, Chronicon a. 1099 susceptum, a. 1106 finitum fundamento ponit, sed locis Sigebertianis quamplurimis ampliat. Historiam belli Hierosolymitani a. 1099 sqq. omittit et in finem voluminis rejicit, a. 1106 modo pergit supradicto, narrationem vero usque ad a. 1125 continuat. Altera, *E.* dicta, et ipsa primævi textus vestigia premit, Sigebertiana eadem fere quæ *D.* habet fragmenta, majores tamen illas narrationes De historia Alexandri (98), Francorum (99), Gothorum, Langobardorum, Caroli Magni Saxonumque omittit (100), nec non expeditionis cruciferorum Historiam a Chronico secernit et in singularis libri formam redigit, qui Hierosolymita (ideo *H.* indicatus) inscriptus et Erkemberto abbati Corbeiensi dedicatus est (101). Eidem Chronicon quoque transmisit, hac epistola libro præmissa (102) :

INCIPIT PROLOGUS.

Christi familiæ fideli prudentique dispensatori Erkemberto necnon eidem formoso gregi, sub tam elegante pastore Christi martirum Stephani atque Viti excubias celebranti, frater Ekkehardus cum ceteris sancti Laurentii pauperibus, si quid valet caritas non ficta tantis pressa ponderibus. En, sarcinis propriis media interim via relictis, impositum nobis ab auctoritate vestra grande videlicet onus, Deo gratias, Christo laudes! ad metam usque detulimus, soli tantum caritati — quæ cum Deus sit, nichil nimirum nequit utrimque — digne asscribentes, quod, ipsa manum semper porrigente, tanta tantilli potuimus. Ecce enim diversorum chronograforum series ab exordio mundi breviando decursas, nostrorum temporum fecibus eciam per nostri stili supplevimus officium, per hoc ipsum precepti vestri voto, quamvis non absque famæ nostræ periculo, volentes jam esse satisfactum. Igitur ob fastidii remedium [3] *5 libellis opus ipsum distinguitur. Primus a conditione urbis Romæ, secundus Christi nativitate, tercius imperio Karoli, quartus illius qui adhuc superest et quintus Heinricus imperator appellatus est, terminatur. Cujus enim nomini quintum incongrue librum videbatur inscribi, quem ad arbitrium uniuscujusque scriptoris constituimus finiri. Addidimus quoque in fine scedulæ libellum quem Jherosolimitam dicimus, et perigrinationis tibimet, o Pater venerande, jam divinitus inspiratæ levamen speciale futurum non ambigimus. Unum est ergo quod votis omnibus exoptamus, quod eciam nostri laboris recompensationem summopere postulamus, quatinus volumen presens nostræ servitutis debitum in cenobio Corbeiensi perpetualiter persolvat, ac renovatæ per se pristinæ societatis, quam sub sanctæ memoriæ patreque dilectissimo Marcwardo consecuti sumus, monimentum in armario sancti Viti pro pauperibus sancti Laurentii posteris pretendat. Ad hæc, nimio nec immerito erga reverentiam vestram* [4] *ferventes affectu caritatis, direximus unanimem nostrum vobisque per omnia nichilominus devotum Amel, priorem nostræ congregationis, qui et tibi, pater, ad vestigia Salvatoris tendenti, prescntialiter nostra vice intimum vale faciat, ac inter utramque congregationem mediator notissimus ac testis ydoneus optatæ fraternitatis nostræ ore ad os confirmare sufficiat, et si qua sunt literis neglecta, hinc inde responsa subinferat. Valere vos hic semper et in æternum vivere, nos oramus unanimes et sine intermissione.*

Quam patet epistolam Henrico V imperante scriptam esse, antequam Erkembertus abbas in Terram Sanctam profectus sit (103), inter annum igitur 1112, quo ille imperii coronam suscepit, et 1117, quo hic iter exsecutus est (104). Nihilominus codices, quibus Chronicon cum hac epistola et Hierosolymita continetur, id præbent usque ad a. 1125 deductum, neque quinque libros in præfatione indicatos et ab Helmoldo in suo exemplari lectos (105)

VARIÆ LECTIONES.

[3] reme *et* rimus *in codice deleta.* [4] nostram *cod.*

NOTÆ.

(97) Cf. quæ Bethmannus noster proœm. ad Sigeb. dixit. At certe non a. 1105, Ekkehardus Sigeberti Chronico usus est, sed a. 1106 vel sequenti; quod cum iis quæ n. 47* notavit optime convenit.

(98) Omnia inde a verbis (col. 563) *Sed quia idem Alexander — quinque postea regnavit* (col. 602, desunt.

(99) a. 366; col. 713, 725, 788, 844, 882. — Historiæ Alexandri Gothorum Saxonumque etiam in præcipuo recensionis D. codice omissæ sunt, sed post eadem manu suppletæ; v. infra, n. 168.

(100) Præterea locum (col. 668) de successione pontificum.

(101) Hujus rei mentionem faciunt Annales illi Corbeienses dubiæ fidei apud Leibnitz II, p. 306.

(102) Edita est ex codice Parisiensi (E2) a Martenio Coll. V, p. 511; et Œsterreich. Archiv. 1831; Urkundenblatt V, p. 17.

(103) Cf. Hierosolym. p. 265.

(104) Ann. Hildesh. h. a.

(105) V. locum supra allatum II, 40 : *Qui actus eorum* (Heinrici patris et filii) *et terminum scismatis hujus plenius nosse desiderat, legat historiarum magistri Eggihardi librum quintum, quem ad Henricum juniorem describens, bona ejus amplissima laude*

accurate discernunt (106), ita ut opus quale Erkemberto transmissum sit genuinum nondum possideamus. Proxime tamen *E.* ad hoc accedere videtur. Continet enim præter epistolam etiam brevem Corbeiæ fundatæ notitiam (107), quam alii codices (excepto *D.* prætermittunt, et textum præbet ex *D.* confectum (108), sed novissimis curis ab Ekkehardo castigatum (109). Cum nonnullis continuationis locis *E.* propius ad *C.* quam ad *D.* accedat (110), hujus quidem partem priorem antiquiorem quam *C.* habeo, sive a. 1106 ita sit confecta, sive aliquot annis post, Chronicon vero Erkemberto directum (*E.*) circa a. 1117, ergo post *C*, quod a. 1114 finitum scimus, confectum, denique primum *D*, postea etiam *E.* continuatione usque ad a. 1125 auctum esse statuo.

Præterea ipsi Ekkehardo, quem indefessa cura diligentiaque opus iterum iterumque pertractasse et modo hac, modo illa forma edidisse videmus, non possum quin et eam tribuam recensionem, qua Chronicon a. 1106, immutatum fere et nonnisi paucis Sigiberti fragmentis auctum, cum continuatione usque ad a. 1125 (eadem fere qua *D.*) conjunctum habemus (quam *B* dixi), præsertim quum etiam hanc jam in sæculi XII codicibus reperiri constet.

Continuationes hæ maximæ sunt auctoritatis atque reliquo operi longe præstant. Nam quæ auctor ipse viderat (111) vel ab æqualibus audierat (112), accurata et satis ampla narratione exposuit, etiam aliorum scriptorum opera non neglexit, sed tam Davidis Scotti historiam expeditionis Romanæ ab Heinrico V. a. 1111 et 1112 susceptæ deperditam (113), quam librum Hessonis de pace inter papam et imperatorem componenda (114) adhibuit, epistolas vero aliaque documenta, quorum compos factus est, narrationi inseruit vel breviter attulit (115). Non uno tempore horum annorum compositam esse historiam satis patet; a. 1106, a. 1114, denique circa a. 1117, in ea conficienda et mutanda ipsum occupatum vidimus; etiam reliquas partes, quamvis non singulis annis, temporis decursu scripsisse putandus est, easque post a sæpius retractavit. — Ex his omnibus Ekkehardum non leviter rerum scriptoris munus suscepisse apparet; quem ubique non minus veritati studisse non est quod dubitemus. Id unum ei objiciendum esse videtur, quod non firmo et constanti animo res hominesque judicavit, sed vel partium studio vel regis papæve favore se ita abripi passus est, ut quæ antea scripserat, postea supprimenda duceret, et eamdem rem modo sic modo aliter narraret. Quod quamvis non prorsus negem, id tamen lectores meminerint velim, res eo tempore mire fuisse turbatas et sæpissime mutatas, inter reges et pontifices Romanos paucis annis modo pacem modo acerbissimas fuisse inimicitias. Ekkehardus Ecclesiam ejusque caput pontificem Romanum reverenter semper coluit, initio tamen etiam imperatorem jura imperii defendentem excusandum, fortasse laudandum duxit, atque in eam inclinavit sententiam quam tunc apud plures patriæ amatores viguisse constat, et papæ et imperatori, quamvis neutri in omnibus assentirent, esse obediendum. Paucis annis post, itinere sacro perfecto Romaque visitata, totus in Ecclesiæ partes abiit (116), Heinricum juniorem illius ope adjutum regem gaudet constitutum, postea vero et ipsum novum schisma exordientem acerbe vituperat (117), summa iterum repletur lætitia, ubi firmam pacem, nobis turbinibus sedatis, videt stabilitam (118), Heinricum tamen vota non exsolventem, spem de ipso conceptam frustrantem dolet, ideoque non potest quin regem, quem lætissimis verbis salutaverat, vix mediocri laudatione mortuum dignum judicet (119). Itaque de hominibus singulisque rebus mutavit quidem sententiam, neque tamen leviter fluctuasse, neque æquum et justum judicium, si a. 1106 Historiam in mediis turbinibus scriptam excipias, deposuisse mihi videtur.

Alexandri Magni, Gothorum, Langobardorum et Saxonum historias, quas Ekkehardus ultima Chronici recensione (E.) secluserat, separatim quoque edidit, iisque Vitam reginæ Mahthildis addidit, ex antiquiore illa excerptam (120), quam cum in chro-

NOTÆ.

extollit, ad malefacta aut omnino tacuit aut in melius interpretatus est.

(106) Liber quartus a 801, col. 863, not. 1153, quintus a. 1105, col. 999. notantur, reliqui nonnisi majoribus litteris initialibus indicantur : *Numitor a nepotibus*, etc.col. 537 liber 2. *Eo igitur tempore* etc. col. 657. liber 3. Notandum vero, priorem partem in antiquissimo recensionis E. codice depertitam esse.

(107) A. 822.

(108) Cf. a. 936, 972, 1024.

(109) Cf. a. 1110, 1114, a. 1115, 1119, 1121. præsertim vero a. 1123, col. 1051.

(110) Cf. col. 1015, var. lect. 2000; col. 1017, var. lect. 1989; col. 1019, 1021.

(111) V. a 1099. 1101. 1102. 1103. 1106. Nuptiis regalibus a. 1114. interfuisse videtur.

(112) A. 1099, 1100 (*ut ab ipsius* [Wigberti] *ore didicimus*), 1101 (*Testari solent qui aderant*), 1106 (*Referunt enim qui aderant*), 1118 (*quod multis testibus comprobamus*), 1121 (*Audietur interea necnon et nunciis a Roma venientibus approbatur*). Cf. a. 1111. ex E : *sicuti nobis tunc inibi presentes affirmant; quamvis nonnulli longe aliter inde sentiant.*

(113) Col. 1019, ubi etiam Willelmum Malmesburiensem hoc libro usum esse dixi. Trithemius Ekkehardi verbis exscriptis addit (Ann. Hirsaug. I. p. 349) : *Iste David postea monachus factus est sub sancto Machario, primo abbate cenobii sancti Jacobi apostoli majoris, in suburbano Herbipolensis urbis.*

(114) A. 1119, col. 1041.

(115) A. 1106, 1118, 1119, 1122, 1125.

(116) Id jam Gretser sensit (Rerum variarum II, 10. Op. XVII. p. 73.).

(117) A. 1118.

(118) A. 1122.

(119) A. 1125.

(120) Archiv. VII, p. 486. Mon. SS. IV. p. 283.

nico nondum adhibuerit, fortasse postea demum est assecutus. Certe non est cur hanc collectionem in pluribus codicibus inventam alii cuidam ascribamus, præsertim cum verba (121) quibus Saxonum historiæ (122) Vita conjuncta est Mahthildis, Ekkehardianum sermonem redolere videantur.

Quamvis nullum fere medii ævi scriptorem operum tam numero quam gravitate Ekkehardo æquiparari posse nunc constet, diu tamen ejus nomen tenebris obrutum et oblivioni traditum fuit, quippe qui nonnisi præfatione ad Heinricum V et epistola ad Erkembertum scriptis id prodiderit, cæteraque opera nulla inscriptione, nulla auctoris indicatione ornaverit. Jam vero ejus narrationem etiam ab aliis rerum Germanicarum scriptoribus exscriptam deprehendere licet. Hi enim sunt, quos ex illius libris hausisse compertum habeo : Annalista Saxo (ex *E.* et *B*.*) (123), Otto Frisingensis (ex *B.*) (124), monachus Opatowicensis (125), Helmoldus (ex *e.*) (126), Chronographus Saxo (ex *a.* et *e.*) (127), Adalbertus in Vita Heinrici II imperatoris (128), Annales Vetero-Cellenses breves (ex *b*.*) (129), auctor Chronici Halberstadensis (ex *b**) (130), Pegaviensis monachus (ex *b*.*) (131), quisquis fuerit auctor, sive Godefridus sive Otto, chronici S. Pantaleonis Coloniensis (ex *b.*) (132), Burchardus Urspergensis (133), qui chronicon (*b*.*) integrum fere descripsit atque Ekkehardo per plura sæcula palmam ita præripuit, ut a recentioribus sæpissime chronicon laudetur Urspergense (134), ubi Ekkehardi liber ab illo exscriptus afferendus erat; præterea Albertus Stadensis (ex *b.*) (135), Hermannus Altahensis (ex *b.*) (136), chronica — 1310. (137), Henricus ab Hervordia (138), Andreas Ratisbonensis (ex *b.*) (139), chronicon Bambergense « de Henrico II. et fundato ab ipso episcopatu Bambergensi » (140), Trithemius, Staindelius. — Monachus Hamerslebensis totum Ekkehardi chronicon (*b**?) in epitomen redegit (141); fragmenta excerpta in codice quodam Hannoverano (142) aliisque leguntur. Populorum historias etiam alibi adhibitas videmus, Saxonicam potissimum, in libello « quomodo Saxones primo venerunt ad terram Saxoniæ » (143), in opusculo « de origine Suevorum » (144), in historia « Annales Vetero-Cellenses » inscripta (145); alii historiam Alexandri sibi vindicarunt, ita ut Ekkehardus in Germania

NOTÆ.

(121) Leibnitz SS. III. p. 655. Archiv. VII. p. 488, 489 : *Hoc ordine Heinricus rex factus, quantam et qualem rem publicam ex attenuata et dilacerata effecerit, alias, id est, in serie regum, qui querit edoceri poterit. Jam de vita et conversatione conjugis suæ Deo dilectæ feminæ aliqua pro ingenioli nostri tenuitate dicenda sunt. Si enim omnes virtutes ejus vellemus enarrare, hora deficeret, facundia Homeri vel Maronis si adesset, deficeret.*

(122) Duobus locis etiam in hanc pauca verba ex Vita Mahthildis transierunt (Leibn. p. 654 : *ex vxore Hadewic dicta*, et : *Henricus ergo contra — de qua vaullo post latius disseremus*).

(123) Cf. Martene Coll. IV. p. 2. Schumacher Beitraege p. 57—59, Stenzel Fr. K. II. p. 110, 111. et quæ infra dicturus sum (præf. in Ann. S.).

(124) Ipse ad hujus provocat testimonium VII, 7. 11. Ex Ottone Godefridus Viterb. et Albericus etiam hæc sumpserunt (cf. Stenzel II. p. 10).

(125) Cf. Meinert Wiener Jahrb. XLVIII. p. 36. Palacky Würdigung d. Bohm. Geschichtschr. p. 65.

(126) V. supra n. 105.; cf. Lappenberg Archiv. VI, p. 559.

(127) Cf. Schumacher p. 65. Archiv VII p. 474.

(128) Mon. SS. IV. p. 788.

(129) Ap. Mencken II. p. 435. Quos circa a. 1200 scriptos esse codex ostendit autographus Lipsiensis.

(130) Additamentum recepit in codice Lipsiensi (6.) exstans (.col. 937, n. *2).—Cf. jam Leibnitz II. p. 110. et Schatz in præfatione editionis suæ.

(131) Ap. Hoffmann SS. Lus. I, 1. Cujus epitome, s. XVI a monacho Hamerslebensi facta, est libellus de cœnobii Bigaug. fundatione (ib. IV.).

(132) Cf. Semler Versuch p. 108. Schumacher p. 57, 59. Stenzel II. p. 109.

(133) Priores Conradum a Lichtenau chronici Urspergensis dixerunt auctorem (primus Bruschius Monast. Germ. centuria prima 1551. fol. p. 168[a]); jam vero constat Burchardum præpositum (inde ab a. 1215.) integrum vel saltem maximam ejus scripsisse partem; v. Christmann (*Hist. Friderici imp. magni*. Ulmæ 1790. 4. p. XII sqq. XXXIII) et Braun (Not. hist. litt. de codd. mss. in bibl. monast. ad S. Udalricum et Afram. Aug. Vind. 1792. 4. II. p. 92 sqq.), qui dissertatione Kuhnii inedita usus est.

(134) Plures tamen antiquius chronicon in Urspergensi esse descriptum viderunt, Bellarminus (*de SS. eccl.* ed. ultima, Lutetiæ 1631. 8. p. 333), Freherus, Goldastus (v. infra n. 154), Gretserus (*Rer. var.* II, 10. Op. T. XVII), Vossius (de H. L. II, 57.), Thomasius (*De plagio litter.* Lipsiæ 1673. 4. §. 585-591), Martenius (v. supr., col. 436), Struvius (*Obss. selectæ* I, 20.), Schumacher (*Beitræge zur Deutschen Reichsgesch.* 1770. 4.), Adelung (*Directorium* p. 79.), ut recentiores omittam. Molleri dissertationem Altorfi 1694 non vidi.

(135) Cf. Lappenberg Archiv. VI. p. 331.

(136) Cf. Archiv VII. p. 475, Potius Hermanni quam Ekkehardi codex dicendus est, quippe qui hujus textui multa inserat ad Altahense monasterium pertinentia, nisi fallor ab Hermanno, cum hanc partem suo libro præmitteret, adjecta, et cum ipso edenda.

(137) Ineditum Guelferbytanum; cf. Ebert. Archiv. VI. p. 13.

(138) Cf. Bruns Beitræge p. 15. Codicem habuisse videtur E. similem sed aucum et continuatum. Nam plura ex Ekkehardo affert Henricus (cujus codice usus sum Berolinensi mss. Lat. fol., n. 224) quæ illic frustra quæras, etiam usque ad Friderici II. tempora (a. 32). Ex Henrico Kornerus hausit; v. Arch. VI. p. 763. 592.

(139) Codicem in monasterio Pruefingen invenit; chron. gen. ap. Ecardum I. p. 1933; cf. p. 2071. Etiam in chron. Bavar. hoc fonte usus est (*SS. Kulpis.* ed. Schilter p. 8, 16, 17).

(140) V. cod. Hamburgensem (*Arch.* VI. p. 242.) p. 156. 157. 185.

(141) Edidit Mader Ant. Brunsw. p. 136. Leibnitz I. p. 707; cf. de ejus codice quæ Archiv IX. dicturus sum.

(142) Archiv. VIII. p. 641. ex codice quodam S. Michaelis Hildesheimensi.

(143) Ap. Ludewig Rel. mss. VIII. p. 154.

(144) Ap. Goldast SS. rerum Suevicarum.

(145) Ap. Mencken II. p. 379 : *Gesta itaque Witikindi magni ducis gloriosi reperies in historiis Caroli Magni et in chronica de origine Saxonum.* Quæ se-

præsertim septentrionali eamdem fere habuisse videatur auctoritatem quam Herimannus in Alemannia, Bajoaria et Austria, Sigebertus in Belgia et Gallia adepti erant.

Cum tantopere vulgata essent Ekkehardi opera, non mirum codices etiamnum inveniri quam plurimos. Quos tantum non omnes ad hanc editionem adornandam adhiberi potuisse, lectores mecum gavisuros esse confido. Sunt vero hi :

A. Codex bibliothecæ Carlsruhanæ n. 36, mbr., in-4°, plura continet opera s. XI et XII a diversis scripta (146), nunc uno volumine conjuncta, in fine f. 171-186 Chronicon Wirziburgense, f. 187-197 Ekkehardi Chronicon a. 1057-1099 (1101) (147). Utrumque a V. cl. Molter diligentissime exscriptum, postea, codice benevole nobis transmisso, et ipse contuli.

B. Inter hujus textus codices omnium est præstantissimus

I. Jenensis, mbr. in-4°, ex bibliotheca Bosii acceptus, ibique numero 19 notatus. Continet jam 199 folia. De quo Ekkehardi autographo (148) v. Archiv. VII, p. 472 sqq. et supra p. 4.

Ib. Ita codicem Guelferbytanum chronicæ regiæ S. Pantaleonis dixi, Archiv. VII, p. 643 sqq. descriptum. Ad eamdem recensionem referendus est :

2. Brugensis, olim *beate Marie de Dunis*, chart., s. XV, a Pertzio primum inventus, a Bethmanno nostro a. 1842 accuratius perlustratus; qui inde (149) a Caroli Magni temporibus Ekkehardi Chronicon ea forma repetit qua a. 1106 absolutum est, ita ut folia in codice 1 excisa ex hoc suppleri possint.

3. Vindobonensis potius Hermanni Altah. quam Ekkeh. nomine inscribendus (150).

His vero apte illi addi possunt codices in quibus huic textui continuatio a. 1125 adjecta est (*b**.). Omnes vel pluribus vel singulis locis monasterii Swarzahensis mentionem faciunt; quæ si ab Ekkehardo addita neges (151), illos ex hujus monasterii exemplari, quale olim exstitisse scimus (152), derivatas esse, statui debet (153). Huc vero, præter codicem Freheri, postea Heidelbergensem, cujus fata ignorantur (154), hi pertinent :

4. Erlangensis (155), olim Heilsbronnensis, mbr., s. XII, fol., qui id habet singulare, quod breviora illa additamenta ex Sigeberto huic recensione addita non omnia habet atque aliis quoque locis propius ad 1 accedit. Cæterum satis negligenter exaratus est, ita ut scriptor etiam a verbis mutandis aliterque disponendis non satis parceret. A. 815, 1074, 1121, Swarzahensia recepit.

5. Gothanus (156), olim S. Petri Erfuntanus, mbr., s. XII, fol., optime scriptus, qui quamvis integrum Ekkehardi contineat textum, vix tamen ipsius codicibus adscribi potest, quippe qui illum fragmentis ex Lamberto sumptis aliisque additionibus nonnullis ita ampliaverit, præterea continuatione usque ad a. 1137 auxerit, ut potius novum chronicon scriptor condidisse quam Ekkehardiani exemplar fecisse videatur. Swarzahensis monasterii fundationem refert a. 815.

Plures sunt codices qui prope ad 5 accedunt (157), inter se vero ita conveniunt, ut alterum ex altero vel plures ex eodem descriptos esse exemplari dubitari nequeat (158). Hi non solum a. 815, 1074 et 1121 Swarzahensia recipiunt, sed etiam a. 1095, 1112, ejusdem abbates memorant. Sunt vero hi :

6. Lipsiensis, mbr., s. XII, fol., de quo cf. Archiv. VII, p. 497.

7. Zizensis, olim *Liber sancte Marie in Posavia*, mbr., s. XIII, fol., non una manu diligenter satis scriptus (159), eaque continuatione insignis, quam Eccardus Annalium Bosaviensium nomine edidit. Quæ quamvis usque ad a. 1137 cum Erfurtensi (in 5) conveniat, Ekkehardi tamen textus ab hoc recedit.

8. Dresdensis (I 49) chart., s. XV — XVI, fol. (*Archiv.* VI, p. 223; VII, p. 499).

9. Tres codices, brevi continuatione — 1169 (160) aucti : 9ª.) Dresdensis (I, 48), olim *celle S. Marie*, mbr., s. XII, fol. *Archiv.* VI, p. 223; VII, p. 498);

NOTÆ.

quuntur maximam partem cum Ekkehardo conveniunt.

(146) Quæ accuratius Archiv. Vol. IX indicabo.

(147) V. supra, col. 445.

(148) Antea descriptus est a Struvio Obss. selectæ I. p. 316. et Archiv. III. p. 277 sqq.

(149) Initio nonnisi excerptum ex Ekkehardo aliisque fontibus præbet, postea saltem historias Francorum, Gothorum et Langobardorum omittit.

(150) V. supra n. 136.

(151) Nego vero, quia pleraque cum chron. Swarzah. conveniant, quod ad aliud revocat antiquius (Ludewig *SS. R. Bamb.* II, p. 9-12 sqq.).

(152) In codice Parisiensi, qui Annalistæ Saxonis compilationem continet, f. 219. (a. 1116.) hæc leguntur verba manu s. XV. scripta : *Item in chronicis Eusebii que in cenobio Swartzach continentur invenies clarius de altercatione episcopatus Wirtzpurgensis* ; quibus aperte Ekkehardi historia indicatur.

(153) Communem omnium originem etiam singulæ probant lectiones, e. gr. col. 639, var. lect. 2490 col. 1043, var. lect. 1466, aliæque.

(154) Freherus hunc in directorio, SS. R. Germ. Vol. I. præmisso, chronici Swarzahensis nomine affert (cf. Goldast SS. R. Alam. I. p. 207, Apolog. pro Heinrico IV. p. 13); quem Heidelbergensi bibliothecæ illatum esse, testatur Thomasius de plagio litterario, § 591. Nunc vero neque ibi est, neque Romæ hucusque repertus.

(155) De quo cf. Hocker bibl. Heilbronn. p. 86-88. Archiv. VII. p. 111. 496. 497.

(156) De quo cf. Jacobs Beitræge II. 386. Archiv VII. p. 505.

(157) Cf. n. 890, col. 931, n. 238*

(158) Cf. col. 883, n. 231* et alia plura.

(159) Omittit tamen quædam a. 949, 1033, 1092, 1115.

(160) Sequuntur numeri — 1184. Sine causa hoc chronicon Guidoni Calixto tributum est (cf. *Archiv.* I, p. 111; V, p. 687; VII, p. 499). In codice enim 9ᵇ. manu s. XVI hæc verba scripta sunt : *Calixtus papa II, ante Guido dictus, ex Burgundia comitum genere natus, hanc historiam composuit, prout in eodem historia invenies, præcipue in Vita Heinrici IV et V. Qui autem illius historiæ scriptor usque ad a.*

9b.) Dresdensis (F. 60.) mbr., s. XIV, fol. (*Arch.* VII, p. 499) (161); 9c.) Ienensis n. 65, mbr. s. XIV, fol. (*Arch.* VII, p. 498) (162).

10. Stutgartensis, hist. n. 411, fol., olim Zwifaltensis (163), mbr. s. XII, initio mancus, postea hinc inde corruptus additionibusque auctus, quæ tantum non omnes ex Bernoldo haustæ sunt (164). Præterea Swarzahensia habet omnia quæ reliqui additque unum locum qui fortasse ad idem pertinet monasterium (165). Hunc codicem, quem accuratius descripsi Archiv. VII, p. 500 sqq., nactus erat

11. Urspergensis præpositus Burchardus, cum, hoc codice descripto, Chronicon conderet usque ad a. 1229, quod in omnium manibus versatur, usus sum editione principe, quam Joannes Miller impressor Augustanus a. 1515 ex exemplari Conradi Peutingeri in monasterio Urspergensi reperto (166) curavit (167).

Chronici a. 1114 Heinrico V directi unicus, quod sciam, codex est.

C.) Cantabrigensis collegii Christi n. 373, mbr., s. XII, Ekkehardi autographus, diligenter scriptus et eleganter exornatus, quem Pertzius a. 1827 detexit accurateque (*Archiv.* VII, p. 493) descripsit. Fortasse a Mahthilde, Heinrici V uxore, in Angliam portatus, ideoque in Germania nunquam est descriptus.

D.) Hujus recensionis præcipuus est regius Parisiensis n. 4889, mbr., s. XII, fol. Historiæ Alexandri, Gothorum atque Saxonum prætermissæ erant, sed pluribus foliis insertis, postea eadem manu supplentur; quo facto, quaterniones novo ordine numerantur (168). Quod quamvis auctoris manum indicare videatur, ipsi tamen hic codex negligentius scriptus vix tribui potest. Historiam Hierosolymitanam in calce positam excipit catalogus episcoporum Hierosolymitanorum. Ex hoc descriptus esse videtur :

*D*2.) Codex Parisiensis, *Arsenal*, n. 6, olim *liber Viridis vallis prope Bruxellam* (169), chart., s. XIV, fol. Incipit ab a. 576, titulo præmisso : *Secunda pars cronice Eusebii.* In fine leviora quædam addit (170).

E.) Ultimam libri formam exhibent duo codices :

*E*1.) Berolinensis Lat. n. 295, mbr., s. XII, ex fol. min., olim Havelbergensis (171) (ultima pagina legitur : *Iste liber est sancte Marie Virginis sanctique Laurentii martiris in Havelberch. Quem contulit dominus Sichebodo episcopus;* qui sedit a. 1206-1220). Codex initio septem quaternionibus (olim 24 fuerunt, nunc sunt 17) duobusque foliis destitutus est, tamque fœde habitus, ut sæpe singulæ lineæ putredine sint deletæ; alioquin bene scriptus, coæva manu hinc inde correctus atque notis quibusdam de archiepiscopis et abbatibus Magdeburgensibus in margine ascriptis auctus (172). Quas in textum recepit.

*E*2.) C. regius Parisiensis n. 4889 A., olim *liber sancte Marie in Rastede* (173) Bremensis diœceseos, mbr., XIII, fol. Constat 14 quaternionibus, foliis 111, ultimo exciso. Qui cum ex *E*1 descriptus sit, partem illius deperditam supplet ejusque loco hinc inde afferendus est.

Classi *D* aut *E* ascribendi sunt codex cujus fragmentum Cramerus invenit ediditque (174), alius quem in S. Michaelis monasterio Hildesheimensi fuisse supra monui (175), pluresque a medii ævi scriptoribus lecti. Nihil certi comperi de codice in quadam Bohemiæ bibliotheca a V. cl. Haupt viso; neque fragmentum codicis Vindobonensis *Hist. prof.* n. 645) (176) ad quam recensionem referendum sit scio. Etiam codices a Chronici Urspergensis editoribus adhibiti Ekkehardianum Chronicon continuisse videntur : c. bibl. Dalburgii episcopi Wormatiensis (177) et c. bibl. monast. Augustinorum Argenti-

NOTÆ.

1099 *fuerit nescitur* (Götze Merkwürdigkeiten der königl. Bibl. zu Dresden I, n. 62, p. 483).

(161) Cf. Götze l. l. Ebert Archiv. V. p. 687.

(162) Cf. Struve Obss. sel. I, p. 315. Archiv. III, p. 272.

(163) De quo v. Hess. Mon. Guelf. p. 166. Archiv. I, p. 397; II, p. 310; III, p. 589. Codex Weingartensis, de quo cogitavit Dümge ibid. I, p. 43, et (Mone?) 402, nullus fuit.

(164) V. a. 694, 720, 734, 744, 926, 982, 997, 1045, 1048, 1052, 1055, 1066, 1070, 1074, 1076, 1077, 1087, 1088. Alia a. 431, 470 et 479, ex Fredegario, ut videtur, sumpta sunt, alia pauca ex aliis fontibus.

(165) A. 1076.

(166) Hoc testatur Weissung canonicus Urspergensis a. 1524; cf. Christmann l. l, p. XV *n.* Itaque Braun erravit (l. l, p. 92), qui Peutingerum codice Augustano s. XV usum esse dicit.

(167) Postea prodiit Argentorati 1537, 1540. Basileæ 1569. Argentorati 1609, fol.

(168) Inserti sunt fasciculi V, XII, XIII, XX. Pro XXV, XXVI et XXVII, scripti sunt XX, XXI, XXII, qui priscum ordinem exprimere videntur.

(169) Cf. Sander Bibl. Belg., p. 139 et Hormayr Archiv. 1828, p. 807.

(170) Præter breves a. 1095 et 1100 notitias etiam hos versus :

Julius . . . . . ter quina luce calebat,
Urbem cum Franci capiunt virtute potenti.
Anno milleno centesimo nec non quaterno
Urbs Achon vi capitur Tholomaida que vocitatur.
Non est urbs Accaron quam quilibet estimat Achon,
Illa Philistea, Ptolomaida dicitur ista.

cf. de hoc codice Archiv. VIII, p. 356.

(171) Ibi d. 20 Jul. 1821, a nescio quo notatus, iterumque a V. cl. Riedel repertus est (V. Serapeum I, p. 185).

(172) A. 937, 968, 981, 1004, 1013, 1023, 1051, 1063, 1076, 1099, 1107, 1113, 1119.

(173) Initio et fine quædam de libri fatis scripta sunt jam pene deleta : *Hunc librum frater Conradus prior vice[n]sis redemit in Brema pro 5 fertonibus,* et alio loco : *Iste liber cronicorum a Herm . . . . . Delmenhorst prope . . . . . filio pro tribus solidis et dimidio.*

(174) De fragmentis nonnullis vetustarum membranarum. Kiliæ 1826, 4°, p. 20 sqq.

(175) V. n. 143.

(176) Cf. Archiv. III, p. 189.

(177) Quæ Ladenburgi asservabatur (v. Ullmann

nensium a Cratone Mylio a. 1537 collati, alius in editione a. 1569 adornanda adhibitus.

Ultimo loco codices nominandi sunt, quibus historiæ illæ Alexandri, Gothorum, Langobardorum, Saxonum iisque conjuncta Vita Mahthildis reginæ leguntur : Vaticanus-Guelferbytanus, Monacenses duo, Wirzburgensis (178). Quibus accedit regius Parisiensis n. 6181 (Colb. 3999) chart., s. xv, quo historiæ Francorum, Gothorum, Langobardorum continentur. In aliis denique libris mss. sola Alexandri Magni historia invenitur : e. gr. Monacensi, Hannoverano (179), Weimariensi (180), Ienensi (181).

His subsidiis uberrimis usus id egi, ut primo loco Chronicon a. 1106 absolutum ex codice autographo quam fidelissime ederem, omnes vero correctiones, mutationes et additiones, quas Ekkehardus postea fecisse dignoscitur, accurate indicarem. Tunc continuationes subjeci, quales in codicibus *C.*, *D.*, *E.* (et *B.*) exstant, diversosque textus, ubi potui, integros retinui, leviora quibus inter se differunt aut in margine aut in notis attuli. Ultimo loco Hierosolymitam, jam a Martenio editum, recudere quidem nolui, quippe qui cum Chronico plerumque ad verbum conveniat, præfationem vero finemque cum lectoribus communicanda curavi librique formam ordinemque accurate indicavi (182). — Hanc vero Ekkehardi editionem, ad quam jam ante novem annos Hauniæ, postea Berolini me accinxi, Hannoveræ per plures annos continuatam, præcipuis codicibus partim eo transmissis partim in itineribus exscriptis, nunc in patria feliciter me absolvisse, non possum quin valde gaudeam.

Dabam Kiliæ die Paschatis a. 1843.

G. Waitz.

NOTÆ.

memoria I, Dalburgii 1840, 4°, p. 7) et fortasse postea in Heidelbergensem devenit.

(178) De quibus cf. Archiv. VII, p. 486-489.

(179) Archiv VII, p. 490, 491.

(180) Ib. VIII, p. 692.

(181) Ib. p. 698.

(182) Scripsi a. 1836 dissertationem inauguralem *De Chronici Urspergensis prima parte, ejus auctore, fontibus et apud posteros auctoritate*, cujus specimen ibi impressum est. Ex qua nonnulla etiam in hanc præfationem transtuli.

CHRONICON WIRZIBURGENSE

AUCTORE, UT VIDETUR, EKKEHARDO.

Sex diebus rerum creaturam Deus formavit. Primo . . . . . .

(*H. S.*) [183] Anno 42 Octaviani Augusti Cæsaris, ex quo autem Ægyptus in provinciam redacta est et Cleopatra cum Antonio victa 29 anno, ab Urbe vero condita 752, olimpiadis 190 3, anno dominus noster Jhesus Christus in Betheleem Judæ nascitur, transactis ab initio mundi secundum Hebraicam veritatem annis 3542, secundum 70 interpretes 5199.

Anno ejusdem 43[s].

Anno 44. Augustus Tyberium et Agrippam in filios adoptavit. Herodes infantes occidit.

45. Judas Galileus ad rebellandum Judeos cohortatur.

46. Asinius Pollio orator moritur.

47. Herodes rex Judeæ magno cruciatu moritur; pro quo Archelaus regnavit ann. 9.

48. Fames magna Romæ facta est.

50. Tyberius cæsar Dalmatas Sarmatasque subegit.

53. Jani portæ 12 annos jam ab Augusto clausæ aperiuntur.

55. Eclipsis solis facta est.

56. Archelaus in Viennam Galliæ urbem ab Augusto relegatur, et Judea tetrarchis committitur.

(*H. R.*) [184] Postquam Octavianus victor ab oriente Romam rediit, tunc primum Augustus consalutatur, eo quod publicam rem auxerit, quam ex eo 44 annos solus obtinuit; antea enim 12 annos cum Antonio et Lepido regnavit. Hujus temporibus die natali Domini trans Tyberim de taberna meritoria fons olei per totum diem e terra fluxit. Hic erga cives clementissimus, in amicos fidus extitit; quorum præcipui erant Mecenas ob taciturnitatem, Agrippa ob modestiam laborisque pacientiam. Diligebat præterea Virgilium Flaccumque poetas, liberalibus studiis tantum incumbens, ut nullus dies laberetur, quin legeret, scriberet, declamaret; isto glorians dicto : *Urbem latericiam repperi, relinquo marmoream;* toto corpore pulcher, sed oculi ejus ut clarissimorum syderum acies. A cujus facie dum quidam miles averteret oculos, interrogatus cur hoc faceret, respondit : *Quia lumen oculorum tuorum ferre non possum.* Obiit anno ætatis suæ 75, regni vero 56, in oppido Athellæ. Quem mortuum senatus

VARIÆ LECTIONES.

[s] *Annos vacuos in sequentibus omisi.*

NOTÆ.

(183) Ita Epitomen ex Herimanni Chronico factam, qualem ex cod. Sangallensi Siehardus edidit, indico.

(184) Id est Pauli Diaconi Historia Romana.

multis modis censuit decorandum, dicens : *Utinam* A *aut non nasceretur aut non moreretur !*

Tiberius, privignus Augusti, regnavit ann. 23.

(*H. S.*) Anno ejusdem primo Herodes tetrarcha, magni Herodis filius, regnum Judeorum tenuit ann. 24.

2. Mathematici Urbe pelluntur.

3. Livius [6] hystoriographus moritur. Ovidius poeta in exilio moritur.

4. Germanicus a Tyberio missus Germanos vicit. Tredecim urbes terræmotu corruerunt.

5. Germanicus cæsar moritur.

6. Fenestella poeta moritur.

7 Tyberius multos reges ad se vocatos nunquam remisit.

8. Theatrum Pompei incensum est. B

9. Thyberius Drusum consortem regni fecit; qui eodem anno veneno periit.

12. Pilatus præses Judeæ a Tyberio mittitur.

15. Dominus noster Jhesus Christus baptizatur, 30 anno secundum carnem incipiens.

16. Johannes baptista decollatur ab Herode tetrarcha.

18. Dominus passus est et resurrexit. Eclypsis solis et terremotus factus est.

19. Jacobus, frater Domini, Jherusalimorum episcopus ab apostolis ordinatus, sedit ann. 30.

20. Pilatus imaginem cæsaris in templo statuens, seditiones Judeis excitavit.

21. Sejanus præfectus Tyberium, ut Judeos de- C leat, cohortatur.

22. Agrippa, filius Aristoboli, cognomento Herodes, Herodem tetrarcham patruum suum Romæ accusans, a Tyberio in vincula mittitur.

23. (*H. R.*) Tyberius populum Romanum graviter afflixit, et ipse veneno periit. Iste quia Claudius Tyberius Nero dicebatur, a jocularibus Biberius Mero ob vinolentiam nominatur; satis prudens in armis satisque fortunatus ante sumptum imperium, habens scientiam literarum, multo eloquio clarus; sed ingenio pessimo, simulans se ea velle quæ nollet; per se ipsum nulla bella gessit; publice rei cum modestia præfuit, adeo ut quibusdam præsidibus provinciarum tributa augere volentibus scriberet, boni pastoris esse tondere pecus non deglo- D bere; sed paulatim mutatur in pejus; nam et filios suos pluresque patricios et consulares interfecit; resolutisque miliciæ artibus, Armenia a Parthis, Mesia a Dacis, Pannonia a Sarmatis, Gallia a finitimis gentibus direptæ sunt. Hic 23 imperii anno, ætatis 78, ingenti omnium gaudio mortuus est in Campania.

(*H. S.* — Oros.) Gaius Caligula regnavit ann. 3, menses 6, dies 8. Vir scelestissimus [7]. Hic exclamasse fertur : *Utinam populus Romanus unam cervicem haberet !*

(*H. S.*) Anno 1. Herodes Agrippa rex Judeæ constitutus a Gaio, regnavit ann. 7.

2. Judei apud Alexandriam profliguntur; pro quibus Phylo clarissimus [8] scriptor apud Gaium interpellans, nihil profuit.

3. Pilatus se ipsum interfecit, multis a Gaio calamitatibus obpressus.

4. Matheus evangelium scripsit Hebraice. Gaius a protectoribus suis occiditur in palatio anno ætatis 29, regni vero 4. (*H. R.* — Cf. Jos. *De bell. Jud.* II, 8.) Hic, Drusi et Tyberii privicnorum Augusti nepos, sceleratissimus erat, sororibus suis stuprum intulerat. Herodes tetrarcha, qui in Johannis baptistæ nece auctor extitit et passioni Domini interfuit, et ipse Gai amiciciam petens, cogente Herodiade Romam venit, sed accusatus ab Herode Agrippa, Aristoboli fratris sui filio, tetrarchiam perdidit, et in Hispaniam fugiens, merore periit.

(*H. S.*) Claudius ann. 13, menses 8, dies 18.

Anno hujus 1.

2. Petrus Romam veniens per 25 annos episcopatum ibidem tenuit.

3. Primus episcopus Anthiochiæ Evodius ordinatur. Herodes Agrippa ab angelo percutitur; pro quo filius ejus Agrippa regnavit ann. 26.

4. Fames magna facta est. Claudius Britanniam subegit.

5. Nova insula 30 stadiorum in mari apparuit.

6. Cives Romani a Claudio numerati, inventi C sunt 69,144,000 [9].

7. Judeorum in sedicione 30,000 necantur diebus azimorum.

9. Claudius [10] Judeos Urbe expulit.

10. Magna fames facta est.

11. Claudius Felicem Judeæ procuratorem fecit.

12. Simon magus simoniacæ hereseos auctor extitit.

13. Ægyptius quidam pseudopropheta Judeos complures seducens, a Felice opprimitur.

14. Claudius moritur anno ætatis suæ 64, imperii 14. Hic fuit patruus Caligulæ, filius Drusi, qui apud Magontiam monumentum habet; cujus Caligula nepos erat. (*H. R.* — Oros.) Hujus tempore D fames maxima Romam corripuit; imperator conviciis correptus, a populo fracminibus panis turpiter in foro infestatus, aufugit; et veneno periit.

(*H. S.*) Nero ann. 13, menses 7, dies 28. Iste flagitiosissimus fuit in cunctis. Primam in Christianos persecutionem fecit.

1. Hujus anno seditio in Cesarea orta est, plures Judeorum perdidit. Festus Felici successit.

2. Paulus apostolus Romam a Festo præside mittitur.

3. Hucusque librum Actuum apostolorum Lucas

VARIÆ LECTIONES.

[6] Luuius *c.* [7] cælestissimus *c.* [8] carissimus *c.* [9] LX. VIIII. C. XL. milia IIII. *c.* [10] cladius *c.*

evangelista perduxit, continentem annos a passione Domini 26

4. Statius poeta clarus habetur.

5. Nero Agrippinam matrem suam et sororem matris suæ interfecit et Octaviam uxorem suam.

6. Nero infinita luxuria et lascivia ignaviaque bachatur.

7. Jacobus, frater Domini, a Judeis lapidatur. Festo Albinus successit; huic Florus.

8. Marcus evangelista apud Alexandriam passus est

9. Neroniane thermæ a Nerone edificantur.

10. Nero, ut similitudinem Trojæ ardentis videret, magnam partem Romæ incendit.

11. Nero Senecam magistrum suum interfecit.

12. Vespasianus dux exercitus adversus Judeos a Nerone mittitur.

13. Petrus et Paulus a Nerone interfecti sunt. Pestilentia facta est.

14. Nero se ipsum interfecit. Linus primus a beato Petro papa sedit annos 12. Antiochiæ secundus episcopus Ignatius ordinatur.

(*H. R.*) Nero Romanum imperium deformavit inusitate luxurie sumptuumque, utens frigidis et calidis ungentis et aureis in piscando retibus; saltavit etiam et cantavit in scena; nihil in bello ausus, Britthaniam pene amisit. Hostis tandem a senatu pronuntiatus, cum ad penam quereretur, captus et publice virgis cesus, e saxo præcipitatus [11] est; et fugiens quarto ab Urbe miliario in suburbano liberti sui se interfecit anno ætatis 31, imperii 14; atque in eo omnis Augusti familia consumpta est.

Galba regnavit menses 7. Hic ab Ottone jugulatus in foro Romæ, sepultus est in hortis suis anno ætatis 73, via Aurelia non longe ab Urbe.

Otto menses 3. Qui cum se a Vitellio vinci videret, semet interfecit apud Betriacum Italiæ anno ætatis 38, 95 imperii die. Hi tres simul post Neronem imperium rapuerunt, Galba in Hispania Vitellius in Germania, Otto Romæ.

(*H. S.* — *H. R.* — Oros.) Vitellius menses 8. Vespasianus in Judea pugnans, imperator ab exercitu constitutus. Vitellius captus a Vespasiani ducibus, cujus fratrem Sabinum in Capitolio incendit, nudus per Urbem publice trahitur, fimum in os ejus passim jactantibus, tandemque jugulatus in Tyberim projicitur, anno ætatis 57, mense imperii 8, die primo.

(*H. R.*) Vespasianus annos 9, menses 10, dies 12, vir militari virtute præcipuus, obscure tamen natus.

(*H. S.*) Anno regni hujus 1, Titus Judeos inenarrabili fame cruciatos obsedit.

2. Hierusalem a Tito destruitur anno a passione Domini 40, a prima conditione templi sub Salemone 1089.

5. Josephus hystoriographus clarus habetur.

7. Colossus erectus est, habens altitudinem pedes 107.

9. Pestilentia Romæ facta est, et terræ motus tres civitates Cipri subvertit.

10. Vespasianus profluvio ventris in villa circa Sabinos obiit anno ætatis 69, imperii 9, die 8. (*H. R.*) Hic a Claudio in Germaniam, dein in Brittanniam missus, tricies et bis cum hoste conflixit, duas validissimas gentes, 20 oppida, insulam Vectam Romano imperio adjecit. Moderatissime rexit imperium, avidus tamen pecuniæ, nonnullis [12] eam injuste abstulit et præcipue indigentibus dedit.

(*H. S.*) Titus, Vespasiani filius, annos 2, menses 2, vir omnium genere virtutum mirabilis, ita ut divitiæ et amor generis humani diceretur.

Anno regni sui 1, Tytus amphyteatrum Romæ construxit, in cujus dedicatione 5000 ferarum occidit.

2. (*H. R.*) Cletus papa secundus sedit annos 12. Tytus in eadem villa qua et pater obiit anno ætatis 42, imperii mense 8, die 20. Hic tante bonitatis erat, ut cum [13] quodam die recordatus esset in cena nulli se illo [14] die quicquam præstitisse, diceret: *Amici, hodie diem perdidi.* Hierosolimis 12 prepugnatores 12 sagittis conflixit.

(*H. S.*) Domitianus, frater Tyti, regnavit ann. 15, menses 5. Hic infectus omnibus sceleribus, secundo prosequitur christianos.

1. Domitianus eunuchos prohibuit fieri.

2. Tytus inter deos decreto senatus refertur.

3. Tres virgines Vestæ ob stuprum damnantur.

4. Arianus, primus Alexandriæ post Marcum evangelistam episcopus, post ann. 22 obiit. Pro quo Abilius sedit ann. 13.

6. Domitianus se deum et dominum appellari jussit.

9. Heresis Manandri magi et aliorum multorum exoritur.

10. Romani multa mala a cæsare et ab hostibus pertulerunt.

11. Domitianus de Dacis et Germanis triumphat.

12. Clemens papa tercius sedit ann. 9. Cornelia virgo Vestalis ob stuprum viva defossa est.

13. Domitianus multos nobilium occidit.

14. Johannes apostolus in Pathmos insulam a Domitiano exilio missus, apocalypsin scripsit.

15. Domitianus Flaviam Domitillam cum multis aliis in exilium pro fide Christi relegavit.

16. (*H. R.*) Domitianus cum multa mala fecisset, crudeliter a suis interficitur anno ætatis 55, imperii 15. Hic nullam sibi nisi auream aut argenteam statuam in Capitolio passus est poni; consobrinos suos interfecit.

(*H. S.*) Nerva senex ann. 1, menses 4, dies 8. Hic primum edicto suo omnes exules revocavit. Sanctus [15] Johannes ab exilio rediens, evangelium seri-

VARIÆ LECTIONES.

[11] præcipitus *c.* [12] nulli' *c.* [13] *deest c.* [14] illa *corr.* illo *c.* [15] Sancte 1.

psit. Nerva morbo confectus obiit anno ætatis 71 ; A regnavit ann. 1, mensibus 4, diebus 8. (*H. R.*) Hic in privata vita moderatus ac strennuus, nobilitatis mediæ, operam dante Petronio præfecto prætorii, item Paternio, interfectore Domitiani, imperator factus, æquissimum se ac civilissimum præbuit. Trajanum in regnum adoptavit.

(*H. S.*) Trajanus genere Hispanus ann. 19, menses 6, dies 15.

1. Anno regni ejusdem Alexandriæ Cerdo tercius episcopus sedit ann. 12.

2. Johannes apostolus apud Ephesum obdormivit, anno a passione Domini 68.

4. Eevarestus papa quartus sedit ann. 8.

5. Trajanus multas gentes Romano subjecit imperio. B

6. Symeon, Cleopæ filius, Iherusalem episcopus crucifigitur anno ætatis 120. Pro quo Justus ordinatur. Ignatius Antiochiæ episcopus Romæ bestiis traditur. Pro quo Orion constituitur.

8. Terræmotus multas urbes subruit, et aurea domus incendio periit. Et Pantheum fulmine crematum est.

9. Plinius Secundus phylosophus clarus pro christianis Trajanum mitigat.

12. Alexander papa quintus sedit ann. 10.

13. Primus quartus Alexandriæ episcopus sedit ann. 12.

14. Post Justum Iherusalemæ episcopum Zacheus sedit. Post quem Tobias. Post hunc Benjamin. C Deinde Johannes. Post quem Mathatias. Cui succedit Philippus.

16. Trajanus Armeniam, Assyriam [16], Mesopotamiam provincias fecit.

18. Judei commoti magnas cedes hominum faciunt; sed in Alexandria victi, ab omnibus ubique trucidantur. Terræmotus totam pene Antiochiam subruit.

19. Trajanus profluvio ventris moritur anno ætatis 64, mense 9, die 4, imperii 19, mense 6, die 15. Solus omnium infra Urbem sepultus est. (*H. R.*) Ossa ejus collata in urnam auream, in foro quod ædificavit sub columna posita sunt; cujus altitudo 140 pedes habet. Hujus tantum memoriæ delatum est, ut usque ad nostram ætatem non aliter in D senatu principibus acclametur [17] nisi : *Felicior Augusto, melior Trajano.* Rome se omnibus equalem præbuit, nullum senatorum ledens, ita ut omni ejus ætate unus senator sit damnatus, et hoc per senatum.

(*H. S.*) Helius Adrianus ann. 21. Hic per Quadratum discipulum apostolorum et Aristidem virum sapientem libris apollogeticis edoctus, mitis efficitur christianis.

Anno 1 regni sui Alexandriam Adrianus publicis restauravit expensis.

2. Adrianus Judeos iterum profligat.

3. Sixtus papa sextus sedit ann. 10.

4. Terræmotus factus est.

5. Adrianus Atheniensibus legem dedit.

6. Alexandriæ Justinus episcopus sedit ann. 11.

7. Hierosolimæ episcopus Seneca decimus. Post hunc Justus undecimus. Deinde Levi. Post quem Effres. Postea Jesses. Post hunc Judas episcopi fuerunt.

11. Saturnides et alii duo heresim condiderunt.

12. Thelesphorus papa sedit ann. 11.

13. Antiochiæ constituitur Cornelius episcopus.

14. Nicopolis et Cesarea terræmotu corruerunt.

15. Templum Veneris Romæ factum est.

17. Judei Palestinam depopulantur. Alexandriæ Eumenes episcopus sedit ann. 13.

18. Judei magnis ubique cedibus enecantur.

19. Hierusalem ab Helio Adriano reparata est, et ex ejus nomine Helia nuncupata.

20. Primus ex gentibus Hierosolimæ episcopus Marcus ordinatur, cum jam quindecim ex Judaica gente obissent.

21. Adrianus morbo intercutis aquæ moritur major sexagenario.

Antonius cognomento Pius ann. 22, menses 3. Iste clemens efficitur christianis.

Anno regni hujus 1, Yginus papa septimus sedit ann. 4. Valentinus et Cerdo ecclesiam heresi impugnant.

6. Pius papa sedit ann. 15. Antiochiæ episcopus Heros constituitur.

8. Alexandriæ Marcus episcopus sedit ann. 10.

19. Alexandriæ Cæladion episcopus sedit ann. 14.

21. Anicetus papa decimus sedit ann. 11. Hierosolimæ Cassianus episcopus ordinatur, Publius, Maximus, Julianus, Gainus, Symachus, Gaius, Julianus, Capito.

23. Antonius Pius apud Lorium obiit 77 ætatis anno.

Marcus Antonius Verus cum fratre Lucio Commodo Aurelio ann. 19, mense 1. Hi æquo jure administraverunt imperium.

Regni sui anno 1. 2. 3. 4.

Seleucia capta est a Romanis. Cæsares de Parthis triumphant.

6. (*H. S.*) Multi sanctorum sub his principibus coronantur. Hoc tempore lues maxima Romanum exercitum aliasque multas provincias pene delevit.

7. Sother papa undecimus sedit ann. 8. Antiochiæ Theophilus vir sapiens ordinatur episcopus.

8. Alexandriæ Agrippinus sedit ann. 11.

14. Antoninus imperator multa prælia per se et per duces suos contra Romanorum inimicos exegit.

16. Eleutherus papa duodecimus sedit ann. 13.

VARIÆ LECTIONES.

[16] assyria *c.* [17] acclemetur *c.*

17. Antoninus Commodum filium consortem regni facit.

18. Lutius Brittanniæ rex ab Eleuthero papa ut christianus efficiatur impetrat.

19. Antoninus in Pannonia moritur.

Lutius Antoninus Commodus post mortem patris annos 13 regnat.

Anno regni hujus 1.

2. Julianus episcopus Alexandriæ sedit ann. 10.

3. Panthenus et Clemens Alexandriæ clari habebantur.

4. Hierosolymæ Maximus episcopus ordinatur. Post quem Antonius, Valens, Dulcianus, Narcissus, Dius, Germanio, Gordius, Narcissus.

5. Commodianæ thermæ Romæ factæ sunt.

7. Origenis Alexandriæ nascitur.

8. Hireneus Lugdunensis episcopus clarus habetur.

9. Capitolium Romæ et bibliotheca fulmine crematur.

10. Colossi capite sublato, Commodus suæ imaginis caput imposuit. Victor papa 13 sedit ann. 13.

11. Alexandriæ Demetrius undecimus.

12. Serapion Antiochiæ episcopus ordinatur.

13. Commodus cunctis incommodus in domo Vestali strangulatur.

Helius Pertinax menses 6. Hunc Julianus occidens, regnavit menses 7.

Severus genere Afer. ann. 17. Hic Julianum civili prælio vicit et se Pertinacem appellavit.

4. Regni ejus anno Narcissus Hierosolimitanus episcopus et alii multi episcopi insignes habentur.

6. Severus Parthos et Arabas superavit.

8. Severianæ thermæ Antiochiæ factæ sunt.

9. Zepherinus papa quartus decimus sedit ann. 18.

10. Severus, quintus persecutor, plurimos sanctorum coronavit; inter quos pater Origenis Leonides martyrizatur.

13. Perpetua et Felicitas apud Carthaginem bestiis deputantur.

15. Severus vallum apud Brittannos 132,000 passuum a mari usque ad mare fecit.

16. Tertullianus Afer clarus habetur.

17. Severus in Brittannia moritur.

Antoninus Caracalla ann. 7.

1. Antiochiæ Asclepiades episcopus constituitur.

2. Alexander episcopus Capadociæ a Narcisso Hierosolimitano episcopo constituitur.

4. Antoninus Caracalla propter genus vestis, quam Romæ erogaverat, cognominatur.

5. Antoninus Romæ thermas sui nominis ædificavit.

6. Antoninus in libidine destitutus, novercam suam Juliam duxit uxorem.

7. Antoninus interficitur anno vitæ suæ 42.

Ophilius Macrinus ann. 1. Macrinus cum filio Diadumeno occiditur. Antiochiæ Philetus episcopus ordinatur.

Marcus Aurelius Antoninus ann. 4.

1. Calistus papa quintus decimus sedit ann. 5.

2. Hypolitus episcopus clarus habetur.

3. In Palestina Nicopolis, quæ prius Emaus vocabatur, condita est.

4. Aurelius militari tumultu Romæ occiditur.

Aurelius Alexander ann. 13. Hic in matrem suam unice prius fuit.

1. Alexander Xerxen regem Persarum vicit.

3. Urbanus papa 16 sedit ann. 8. Hic multos nobilium ad fidem convertit.

4. Ulpianus jurisconsultus insignis habetur.

5. Neronianæ thermæ Alexandrinæ vocantur.

6. Geminus presbyter, Hypolitus et Herillus clari habentur.

7. Antiochiæ episcopus Zebennus undecimus.

8. Mammea, mater Alexandri, Origenem celeberrimum [18] doctorem ad se vocatum curavit audire.

10. Pontianus papa 17 sedit ann. 6.

11. Alexandriæ Heraclas, vir sapiens, sedit ann. 14.

13. Alexander tumultu militari occiditur.

Maximinus ann. 3.

1. Iste christianos et maxime rectores æcclesiæ sextus post Neronem persequitur.

2. Pontianus papa et successor ejus Antherus post 1 mensem pontificatus martyrio coronantur.

3. Fabianus papa sedit ann. 14. Maximinus Aquileie occiditur.

Gordianus ann. 6.

1. Julius Africanus cronographus clarus habetur.

2. Origenes Theodorum et Athenodorum fratres, postea episcopos nobiles, divina imbuit phylosophia.

6. Gordianus cum victor a Parthis reverteretur, haut longe a Romano solo interficitur.

Phylippus cum filio Philippo ann. 7.

1. Phylippus Phylippum filium suum regni consortem fecit.

2. Alexandriæ Dionisius episcopus clarus habetur, sedit ann. 21.

4. Millesimus annus ab Urbe condita festus celebratur.

6. Origenis presbyter his temporibus tanta scripsit, ut Hieronimus quodam loco 5000 librorum ejus se legisse dicat.

7. (*H. S.*) Phylippus senior Verone, junior occiditur Romæ.

Decius an. 1, menses 3. Iste christianos persequitur. Fabianus papa martyrizatur. Pro quo Cornelius sedit ann. 1. Decius cum filio suo in Tracia a Gothis occiditur. Antonius monachus in Ægypto nascitur.

Gallus Hostilius cum Volusiano filio ann. 2, menses 4.

VARIÆ LECTIONES.

[18] celébrat rimum *c*

1. Origenes anno etatis 70 moritur.

2. Gallus et Volusianus Teramine interfecti sunt.

Valerianus cum filio Galliemo ann. 15. Iste octavus christianos persequitur.

1. Cornelius papa martyr efficitur. Lucius papa 21, sedit ann. 3, et martyr efficitur. Stephanus papa 22 sedit ann. 1.

4. Cyprianus doctor præcipuus Carthaginensis episcopus martyrizatur. Syxtus papa sedit ann. 3.

7. (Oros.) Valerianus, commota persecutione, a Sapore rege Persarum captus et oculis privatus, acclinis humi regem semper ascensurum in equum dorso attollebat. (*H. S.*) Sicque servitute miserabili consenescit. Gallienus territus pacem christicolis reddidit.

8. Germani Italiam, Alamanni Gallias et Italiam depopulantur.

9. (10.) Gretia, Macedonia, Pontus et Asia depopulantur per Gothos, et alias perplures civitates quassavit irruptio.

12. Maximus Alexandriæ episcopus sedit ann. 18.

13. Hierosolymæ episcopus Hyrmenes constituitur.

14. Dionisius papa sedit ann. 9. Gallienus Mediolanio occiditur. Claudius an. 1, menses 9.

1. (*H. R.*) Iste Gothos jam per annos 15 Illiricum Macedoniamque [19] devastantes superat; ob quod in curia clyppeus aureus, et in capitolio statua aurea a senatu ei decreta est.

2. (*H. S.*) Paulus de Samosathe [20] Antiochiæ episcopus hereticus esse convincitur. Claudius Firmio moritur. Pro quo frater Quintilius 17 dies, interfectus est.

Aurelianus ann. 5, menses 6. Ann. ab Urbe condita 1027.

1. Hic rei publice utilis; primo clemens christianis, postea persecutor fuit.

2. Antiochiæ Thimotis episcopus ordinatur. Zenobia regina orientis vincitur.

3. Aurelianum Romæ triumphantem Thetricus et Zenobia captivi præcesserunt.

4. Aurelius templum soli ædificat, et nonam persecutionem in christianos excitat.

5. Aurelius divino fulmine territus, intra Bizantium et Heracliam a militibus occiditur.

Tatius menses 6, alibi ann. 1 (*ita Isidor.*). Quo apud Pontum occiso, Florianus regnavit dies 88, et apud Tharsum occiditur, Felix papa 25 sedit ann. 5.

Probus ann. 6, menses 4

1. Galliæ a barbaris vastatæ, a Probo Romano imperio restituuntur.

3. Antiochiæ episcopus 18. Quirillus constituitur.

5. Euthicianus papa sedit menses 10. Gaius papa sedit ann. 15.

6. Alexandriæ Theonas episcopus sedit ann. 18. Probus apud Firmium tumultu militum occiditur.

Carus cum filiis Carino et Numeriano ann. 2.

1. Carus victor de Parthis, super Tygridem fulmine ictus interiit. Numerianus occiditur.

2. Carinus apud Margum a Diocletiano interficitur. Huc usque ab incarnatione Domini subputantur secundum Dionisium anni 284.

Diocletianus anno ab Urbe condita 1040, regnavit ann. 20.

1. Ab hoc anno Græci pascales circulos [21] inchoabant.

3. Diocletianus Herculium Maximianum in consortium regni assumit.

4. Diocletianus Constantium, Constantini patrem, cesarem facit; qui regnavit ann. 16.

7. Diocletianus Galerium Maximianum facit cesarem.

11. Diocletianus se ut deum adorari jussit.

13. Gaio papa martirizato, Marcellinus successit.

15. Constantius 60,000 Alamannorum occidit.

17. Alexandrie Petrus episcopus sedit ann. 12.

18. Antiochiæ Tyrannus episcopus constituitur.

19. Diocletianus in oriente et Herculius Maximianus in occidente æcclesias subvertunt, libros divinos incendunt, et christianos decima persecutione post Neronem cruciarunt.

20. Diocletianus Nicomedie et Maximianus Mediolanio purpuras et regnum ob senectutis defectum sponte deponunt. Marcello papa martyrizato, Eusebius successit menses 8. Quo item passo, Meltiades sedit ann. 4. Galerius et Constantius augusti, Maximianus, persecutor christianorum, et Severus cæsares eliguntur. Constantius augustus, vir mansuetus, in Brittannia obiit. Constantinus, Constantii filius ex Helena concubina, regnavit ann. 30, menses 10. Hic primus imperator, excepto Philippo, christianus efficitur, et ab hoc imperatore christiani cœperunt.

1. Maxentius, Maximiani Herculii filius, augustus appellatur.

2. Maximianus Herculius apud Massiliam turpiter interficitur. Occiso Severo, Lucius cæsar efficitur.

3. Quirinus episcopus passus est. Galerius Maximianus, christianorum persecutor, divina ultione tactus, parcere christianis jussit.

4. Maximinus cæsar persecutionem restaurat et ipse moritur. Meltiade papa passo, Silvester papa sedit ann. 21.

5. Petrus Alexandriæ episcopus martyrizatur. Pro quo Achyllas.

6. Constantinus Maxentium civili prælio apud pontem Mulvium vicit.

9. Magna fames in persecutores facta est et lues. Diocletianus moritur et inter deos refertur.

VARIÆ LECTIONES.

[19] macediamque *c*. [20] samothe *c*. [21] circulo *c*.

15. Hierusalem episcopus Macharius constituitur. Alexandriæ Alexander episcopus ordinatur; a quo Arrius presbyter de æcclesia ejectus, multos errori suo sociat, et ecclesiam heresi inpugnat.

17. Concilium in Nicea congregatur 318 episcoporum sub Silvestro papa, in quo Arrius dammatur.

19. Crux Domini in Hierusalem repperitur ab Helena, sub Machario ejusdem urbis episcopo.

21. Constantinus uxorem suam Bausiam interfecit.

22. Antiochiæ post tyrannum Vitalis episcopus ordinatur. Pro quo Phylogimius. Post hunc Paulinus. Cui successit Eustatius. Quo ob fidem catholicam in exilium misso, Arriani episcopi 11 numero æcclesiam illam unus post alium occupaverunt.

24. (*H. S.*) Constantinus Bizantium urbem reparavit et ex suo nomine Constantinopolim appellavit, et sedem regni Romani eam esse voluit.

25. Alexandriæ Athanasius episcopus ordinatur.

26. Rome Marcus papa sedit menses 8. Pro quo Julius ann. 16.

30. Constantia, Constantini soror, uxor Licinii [22], moriens, Arrianum quendam presbyterum fratri commendat.

31. Constantinus dum bellum in Persas pararet, apud Nicomediam obiit, anno vitæ 66.

Constantius, Constantini filius, cum Constantino et Constante fratribus ann. 24, menses 5, dies 13.

2. Constantinus bellum fratri suo inferens, juxta Aquileiam occiditur.

3. Terræmotus multas urbes obruit.

5. Franci a Constante perdomiti, in pacem recepti sunt.

7. Maximinus Treverorum episcopus clarus habetur. A quo Athanasius Alexandriæ episcopus, a Constante profugus, honorifice est susceptus.

9. Athanasius episcopus ad Constantis literas Alexandriam regreditur.

10. Eclypsis solis facta est et terræmotus.

11. Bellum contra Persas gravi Romanorum damno geritur.

12. Maximus post Macharium Hierosolymitanus episcopus moritur. Post quem Cyrillus, expulso Heraclio, et ceteri Arriani episcopi ecclesiam illam occupant.

13. Constans haut longe ab Hispania interficitur, anno etatis 30.

17. Victorinus rethor et Donatus grammaticus [23] insignes Romæ habentur.

18. Julianus [24] cesar a Constantino efficitur. Antonius monachus obiit 105 ætatis anno.

19. Magnæ Alamannorum copiæ apud Argentarium deletæ sunt. Romæ Liberius papa ordinatur. Quo ab Arrianis ejecto, Felix locum ejus occupat annum 1. Sed Liberius heresi subscribens, rediit, et Felix ejicitur. Item Liberius papa et multi catholicorum episcopi ab Arrianis expulsi sunt.

20. Ossa Andreæ apostoli et Lucæ evangelistæ et Thimothei Constantinopolim allata sunt.

21. Paulinus Treverorum episcopus in exilio obiit. Hylarius Pictaviensis episcopus. Athanasius Alexandrinus multa ab Arrianis mala passi sunt.

23. Constantinus contra Julianum arma sumens, Parthico bello dimisso, moritur anno ætatis 46.

Julianus apostata ann. 1, menses 8. Hic ex christiano lectore paganus factus, christianos persequitur.

1. Alexandriæ Georio Arriano episcopo a populo incenso, Athanasius ad sedem suam revertitur. Parte catholicorum Paulinus Antiochiæ episcopus. Pagani apud Sebasten Palestinæ urbem sepulchrum Johannis baptistæ invadunt, ossa spargunt, eadem rursus collecta et cremata latius dispergunt. (Cf. Rufini *Hist. eccl.* xi, 28.) Sed quidam ex Hierusalem monachi intermixti colligentibus, quæ potuerant ad patrem suum Philippum pertulere. Ille supra se hæc ducens, ad Athanasium Alexandrinum per Julianum diaconum misit. Quæ ille paucis arbitris subcavato sacrarii pariete interclusa, prophetico spiritu posteræ generationi conservavit profutura. Cujus præsagium sub Theodosio per Theophylum episcopum completur; qui, destructo Serapis sepulchro, sancti Johannis ibidem consecravit æcclesiam. (*H. S.*) Julianus ad bellum Parthicum profectus, et christianorum sanguinem diis suis vovens, Dei judicio occiditur, 30 ætatis anno.

Jovianus menses 8, alibi ann. 1. Iste cum omni exercitu ad christianitatem rediit. Synodus heresiaca Antiochiæ facta est. (Oros.) Jovianus novo cubiculo recubans, calore prunarum et nitore parietum nuper calce illitorum suffocatus, obiit.

Valentinianus ann. 11. Hic ob fidem Christi tribunatu militum a Juliano privatus fuit.

1. Valentinianus Valenti fratri suo occidentis imperium dedit.

2. Valens ab Eudoxio Arrianorum episcopo seductus et baptizatus, post mortem fratris orthodoxos persequitur. Terræmotus per totum orbem factus est. Romæ Damasus papa ordinatur.

3. Vera [25] lana pluviæ mixta de nubibus fluxit.

4. Hylarius Pictaviensis episcopus obiit.

5. Athanaricus rex Gothorum in sua gente persequitur.

7. Valentinianus Saxones in regione Francorum cede perdomuit.

8. Eusebius Vercellensis episcopus obiit.

9. Alexandriæ Petrus episcopus post Athanasium ordinatur.

10. Magnentia, quæ et Tecla, Romanorum nobi-

VARIÆ LECTIONES.

[22] lucinii *c.* [23] d. et gr. *c.* [24] julius *c.* [25] Uara *c.*

lissima, Hierusalem veniens, magnis virtutibus et humilitate claruit.

11. Valentinianus apoplexi moritur, bellum in Sarmatas parans.

Valens post mortem fratris cum Gratiano et Valentiniano ann. 4.

1. Basilius Cæsareæ Capadociæ episcopus, vir sapientissimus et continentissimus, sed, ut aiunt, superbus (Cf. Hier.), clarus habetur. (*H. S.*) Theodosius, Theodosii postea imperatoris pater, et multi nobiles a Valente occisi sunt.

2. Gratianus 30 millia Alamannorum delevit. Valens legem dedit, ut monachi militarent; nolentes fustibus interfici jussit.

3. Gothi expulsi ab Unis diffunduntur in Thracia; Gothi fame compulsi rebellant.

4. Valens, a Gothis occiso exercitu, fugiens, in domo quadam vivus crematur.

Huc usque chronica Eusebii Ieronimus perduxit.

Gratianus cum Valentiniano fratre post mortem patrui ann. 6.

1. Romæ post Damasum Ursinus papa sedit ann. 14.

2. Ab hoc anno Theophylus paschales circulos inchoat.

3. Sinodus 150 episcoporum Constantinopolim adversus Macedonium congregatur sub Damaso papa.

5. Archadius imperator efficitur, Theodosii filius.

6. Maximus regnum sibi usurpans, Gratianum Lugduno [25] occidit. Valentinianum Italia depulit.

Theodosius, qui Gratiano vivente 6 ann. regebat orientem, post mortem ejus regnavit ann. 11, primo cum Valentiniano, quem ipse Theodosius, vir omnibus virtutibus plenus, Italia expulsum benigne susceperat.

3. Ambrosius Mediolanensis episcopus, Martinus Turonensis et Hieronimus presbyter Behtlehemites clari habebantur.

7. Valentinianus dolo Arbogastis suspendio periit.

10. Hieronimus librum quem de illustribus viris æcclesiæ scripsit hucusque perduxit.

11. (*H. S.*) Theodosius Eugenium tyrannum superavit, et ipse Mediolani in pace obiit. Augustinus, doctor facundissimus, Hyppone regio [27] Affricæ episcopus ordinatur. Hucusque æcclesiasticam hystoriam Eusebius Rufinus perduxit.

Archadius, Theodosii filius, cum fratre Honorio ann. 13.

1. Joannes heremita obiit.
2. Sanctus Martinus obiit.
3. Ambrosius episcopus migravit ad Dominum.
4. Romæ Anastasius papa 37 ordinatur.
5. Gothi Alarico et Radagaiso regibus Italiam ingrediuntur.
7. Corpora prophetarum Abbacuc et Micheæ a Domino revelantur.
8. Romæ Innocentius papa sedit an. 13.
13. Archadius orientis imperator Constantinopoli moritur.

Honorius cum Theodosio, fratris sui filio, ann. 15.

1. Wandali Hispanias occupant.
3. Attalus Romæ imperator factus, mox regno privatus, Gothis cohesit.
4. Roma irrupta est a Gothis, Alarico rege, anno conditionis ejus 1164; sed quia christianus rex erat, clementer victoria usus est.
7. Corpora sanctorum Stephani protomartyris, Gamalielis, Abibon, Nichodemi Luciano presbytero revelantur.
8. Zosimus papa sedit ann. 3.
10. Eclypsis solis facta est. Hieronimus presbyter Behtlehem obiit anno vitæ 91.
12. Romæ Bonifacius 60 papa ordinatur.
13. Honorius apud Ravennam Constantium consortem regni fecit decimo imperii sui anno. Constantius imperator Ravenne moritur tercio imperii sui anno. Honorius moritur, frater Placidiæ.

Theodosius minor, Archadii filius, ann. 26.

1. Theodosius Valentinianum, Placidie filium, consobrinum suum cæsarem fecit et cum matre ad occidentis imperium misit.
6. Aetius, multis Francis occisis, partem Galliæ quam possederant recepit.
8. (Beda.) Augustinus Hypponensis episcopus et omnium doctor eximius æcclesiarum, ne civitatis suæ ruinam videret, tercio obsidionis ejus mense migravit ad Dominum anno etatis 76, episcopatus vero sui 40.
9. (*H. S.*) Romæ Sixtus papa ordinatur.
11. Synodus tercia universalis in Epheso congregatur 200 episcoporum contra Nestorium.
13. Aetius Gundicharium Burgundionum regem vicit; quem Huni postea perimerunt.
14. Valentinianus filiam Theodosii in matrimonium accepit.
15. Julianus pelagianista hereticus a Sixto papa damnatur.
16. Bellum adversus Gothos Hunis auxiliatoribus geritur.
17. Romæ Leo papa constituitur.
18. Theodosius bellum contra Gothos inefficaciter movit.
20. Briccius Turonensis episcopus obiit.
21. Eustochius successit.
26. Theodosius imperator orientis obiit.

Martianus cum Valentiniano ann. 7.

1. Aetius cum Romanis auxiliatoribus Attilam superavit.

VARIÆ LECTIONES.

[25] lugdudo *c.* [27] hyppenerie *c.*

2. Attila Aquileiam vi magna cepit.

Eo tempore Ermenricus super omnes Gothos regnavit, astutior omnibus in dolo, largior in dono; qui post mortem Friderici filii sui unici, sua perpetratam voluntate, patrueles suos Embricam et Frithlam patibulo suspendit, Theodericum similiter patruelem suum, instimulante Odoacro patruele suo de Verona pulsum, apud Attilam exulare coegit.

(*H. S.*) Attila Hunorum rex moritur.

3. Synodus quarta 630 episcoporum in Calcedone congregatur sub Leone papa contra Euthicen.

5. Valentinianus Aetium patricium rei publicæ utilem sua manu occidit. Valentinianus ab amicis Aetii in campo Marcio occiditur. Eodem anno Geisericus cunctis opibus Romam exspoliat. Huc usque chronicam suam Prosper perduxit.

7. Martianus orientis imperator moritur.

Leo ann. 17 orienti imperat.

2. Mauronianus imperator occidentis in Affricam procinctum movit.

11. Anthemius imperator occidentis a Leone mittitur.

16. Olibrius imperator 7 mense moritur.

17. Leo senior obiit. Pro quo iunior paucis mensibus regnavit.

Zenon ann. 17 orientem rexit.

3. Orestes Nepotem Romanum principem fugavit et filio suo Augustulo imperium dedit. Odoacer rex Torcilingorum et Rugorum cum multis barbarorum auxiliis Italiam veniens, Orestem et Paulum fratres occidit, Augustulum exilio damnavit et Romam obtinuit, anno conditionis ejus 1229.

Ermenricus rex Gothorum a fratribus Hamido et Sarilo et Odoacro, quorum patrem interfecerat, amputatis manibus et pedibus, turpiter, uti dignus erat, occisus est.

(*H. S.*) Odoacer Romæ invito Zenone regnat.

4. Corpus Barnabe apostoli et evangelium Mathei stilo ejus scriptum Domino repperitur revelante.

9. Theodericus, Theotmari filius, rex Ostrogothorum Zenoni augusto familiaris efficitur.

10. Zenon Theodericum consulem et magistrum militum fecit.

11. Honoricus rex Wandalorum, plus quam 334 episcopis exulatis, catholicos Arriana impietate persequitur.

17. Odoacer nocte egressus, quarto prælio vincitur a Theoderico. Vandali pacem fecerunt; et Zenon obiit.

Anastasius 27 ann. alibi 28.

4. Theodericus Odoacrum sibi insidias molientem interemit, et ipse occidentis regnum 20 ann. tenuit.

7. Trasemundus rex Vandalorum catholicas æclesias clausit, et 220 episcopos exilio Sardiniam misit; quos Symmachus papa sanctissimus ibi aluit.

12. Boetius consul Romæ plurima ingenii sui monimenta præclara scripsit.

14. Theodericus Romam venit, et multa in ea miranda edificia construxit.

15. Theodericus aquam Ravennam perduxit.

17 Theodericus, victis Francis, Gallias acquisivit.

20. Fulgentius clarus habetur. Sub hoc Anastasio diversis ubique bellis res publica fatigatur.

23. Vitalianus adversus Anastasium cum Scythis servus rebellat.

25. Theodericus filiam suam Amalsuindam Eutharico dedit.

28. Vitalianus sepe milites Anastasii vincens, ipsum irridens sprevit. Anastasius heresi favens Eutticetis et catholicos persequens, divino fulmine periit, major octogenario.

(Beda *De temp.*) Justinus major ann. 8. Acephalorum heresis abdicatur.

1. (*H. S.*) Justinus plurimos regno suo inhiantes occidit, et cum Vitaliano fedus percussit; quem tamen postea occidit.

2. Joannes papa Constantinopolim veniens, ad portam quæ dicitur Aurea ceco lumen reddidit.

3. Theodericus Johannem papam Ravenne reversum carceris afflictione peremit, et Symmachum patricium occidit.

5. Theodericus subitanea morte Ravenne periit. Pro quo Athalricus, nepos ejus, regnavit ann. 8.

6. Heldericus rex Vandalorum episcopos ab exilio reverti jubet.

7. Sanctus Benedictus abbas virtutum gloria claruit.

8. Justinus Justinianum regni consortem et successorem faciens, obiit.

Justinianus, Justini ex sorore nepos, ann. 38.

2. (Beda.) Justinianus Parthos bella moventes [28] misso exercitu superat. Carthago anno excessionis suæ 960 recipitur, victis pulsisque Vandalis, et rege eorum Gelismiro capto Constantinopolim misso.

4. (*H. S.*) Parthi Romanum exercitum sabbato vincunt paschæ.

5. Amalsuilda jubente Theodohaldo occisa est, quem consortem regni fecit.

8. Dionisius abbas Romanus ab hoc anno paschalem magnum circulum inchoat, incipiens ab anno incarnationis Domini 532, qui est annus Diocletiani 249.

18. Corpus Antonii monachi repertum Alexandriæ sepelitur.

20. (Paul. D., I, 25.) Arator subdiaconus librum suum publice coram Vigilio papa legit. His temporibus Cassiodorus apud urbem Romam claruit; hic primitus consul, deinde senator, ad postremum vero monachus extitit. Tunc quoque apud Constantinopolim Priscianus Cesariensis Juliano consuli librum suum de grammatica arte obtulit.

21. (*H. S.*) Quinta synodus universalis in Constan-

VARIÆ LECTIONES.

[28] movens *c*.

tinopoli congregatur [29] contra Theodorum et omnes hereticos sub Vigilio papa.

23. Totila Gothorum rex in Italia tirannidem exercet.

25. Victor Capuanus de hujus anni pascha scribens, Victorii arguit errores.

28. Hucusque Jordanis episcopus chronicam suam de gestis Romanorum perduxit.

38. Justinianus imperator obiit.

Justinus minor an. 11. Armeni fidem suscipiunt.

3. (Beda *De temp.* — *H. S.* — Beda.) Narses patricius Totilam regem Gothorum occidit Gothosque Italia expulit. Narses idem per invidiam Romanorum accusatus apud Justinum et conjugem ejus Sophyam, quod servitio Italiam premeret, secessit Neapolim Campaniæ et Longobardos in Italiam venire fecit.

7. (*H. S.*) Sanctus Vedastus obiit.

10. Johannes papa æcclesiam Phylippi et Jacobi cepit, quam prædecessor ejus Pelagius perfecit et dedicavit.

11. Justinus imperator moritur.

Tyberius Constantinus ann. 7.

7. Gregorius tunc apocrisiarius in Constantinopoli moralia Job scripsit et Euthicium ejusdem urbis episcopum, præsente Tyberio, in fide resurrectionis errasse devicit. (Beda.) Docebat enim Euthicius corpus nostrum in illa resurrectionis gloria inpalpabile ventis aerique subtilius esse futurum, contra quod Dominus dicit : *Palpate et videte quia spiritus carnem et ossa non habet* et cet. (*H. S.*) Tyberius imperator obiit.

Mauricius ann. 21.

4. (Beda.) Levigildus rex Gothorum Arrianus Hirminigaldum filium ob fidem catolicam, quam a Leandro Hyspolitano episcopo percepit, securi occidi jussit.

9. Richardus rex, Hirminigaldi frater, per eundem episcopum cum tota gente Gothorum ad fidem Christi convertitur.

12. (*H. S.*) Sanctus Gregorius ad pontificatum Romanæ æcclesiæ eligitur.

16. Gregorius papa synodum 24 episcoporum ad corpus beati Petri congregat indictione 13.

21. Gregorius, missis doctoribus Augustino, Mellito, Johanne aliisque pluribus, Anglos ad Christum convertit. Tunica Domini, super quam milites sortem miserunt, in Zaphat procul ab Hierusalem in arca marmorea reperitur; quam Gregorius Antiochenus, Thomas Hierosolimitanus, Johannes Constantinopolitanus cum aliis multis episcopis triduano jejunio ordine pedestri in ipsa arca Hierosolymam perducentes, in æcclesia, ubi crux Domini adoratur, posuerunt. (*H. S.*) Mauricius penas scelerum suorum, ut ipse oravit, exsolvens, a Foca turpiter occiditur.

Focas ann. 7.

3. Gregorius papa migravit ad Dominum indict 8.

6. Romanam æcclesiam omnium æcclesiarum caput esse Focas constituit; nam et Constantinopolitana primam se scripsit. Focas pantheon, id est domum omnium idolorum, æcclesiæ dedit, rogante Bonifacio.

7. Focas moritur. His temporibus Perse multas provincias Romanis auferunt, Hierosolimis quoque crucem Domini abstulerunt.

Heraclius ann. [30] 26, alibi 27.

4. (Beda. — *H. S.*) Anastasius Persa monachus magicas artes puer a patre didicit. Post a captivis christianis fidem [31] accipiens, relicta Perside, Hierosolimis in monasterio abbatis Anastasii 7 ann. vixit. Sed cum Cæsaream gratia orationis venisset, captus et verberatus a Persis, remittitur ad regem eorum Cosdroe; a quo tercio verberatus, manu tandem una per tres horas suspensus, sicque decollatus, nobile martyrium cum aliis 70 peregit.

6. Eduinus rex Anglorum efficitur.

16. Heraclius Cosdroe regem Persarum, qui se ut deum coli jussit, superavit, et lignum dominicæ crucis Hierosolimam reduxit.

19. Eduinus rex Anglorum in Brittannia a Paulino episcopo ad fidem convertitur, 15. indit.

26. (Cf. Fred. c. 65.) Heraclius, astrologus effectus, vidit imperium suum a circumcisis gentibus esse vastandum, mittensque ad Dagobertum regem Francorum, omnes regni ejus Judeos baptizari petiit et impetravit; ipseque per omnes sui imperii provincias idem fieri decrevit. Agareni, qui et Sarraceni, gens circumcisa, provincias Heraclii vastant. Contra quos dum Heraclius dimicat, 150 milia militum ejus Sarraceni interficiunt, et spolia eorum Heraclio remittunt. Quæ ille recipere nolens, dum vindictam ab eis maluit [32], portas Caspias, quas Alexander Magnus Macedo super mare Caspium fecit et propter inundationem sevissimarum gentium servari jussit, aperuit, indeque 150 milia auro armata cum universis universarum provinciarum ejus militibus contra Sarracenos præliandum misit. Cumque in crastinum essent præliaturi, ipsa nocte 52 milia de exercitu Heraclii in castris percutit angelus Dei. Regredientes reliqui cum jam Hierosolimam propinquassent, videns Heraclius inimicorum violentiæ se nequaquam resistere posse, merore arreptus, Euthiciana heresi [33] cultum Dei maculavit; habensque uxorem sororis suæ filiam, vexatus febribus, vitam crudeliter finivit.

Annus Domini 639. Heraclonas cum matre Martina ann. 2.

2. (*H. S.*) Cyrus Alexandrinus et alii multi heresim instaurant. Heraclonas occiditur. Anni ab initio mundi 4600.

Constantinus, Heraclii filius, menses 4 [34].

Constans [35], Constantini filius, ann. 28.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Hic deceptus a Paulo heretico persequitur christianos.

VARIÆ LECTIONES.

[29] constantinoli congregatus *c.* [30] *deest c.* [31] fidens *c.* [32] malens *corr.* maluit *c.* [33] heracli *c.* [34] *e corr c.* [35] constantinus *corr.* constans *c.*

12. Martinus papa synodum 105 episcoporum congregans, Cyrum, Sergium, Pyrrum et Paulum condemnat, indict. 11.

16. Martinus papa a Constantino Cersonam exilio missus, migravit ad Dominum.

24. Constans [35*] Romam venit, et beato Petro pallium auro textile obtulit, toto exercitu cum cereis intrante.

27. Eclypsis solis facta est hora 10, 5 Non. Mai, indict. 11 [36].

28. Constans [35*] post multas deprædationes provinciarum occisus in balneo periit, indict. 12.

Constantinus, filius Constantis [36*], ann. 17.

2. Vitaliano papa Adeodatus 78 [37] successit. Cui Domnus 79 [37] papa.

5. Sarraceni Siciliam deprædantes, cum magna præda Alexandriam redeunt.

16. (Beda.) Sexta synodus universalis Constantinopoli congregatur sub Agathone 80 [37] papa, qui Dono successit, coram piissimo principe Constantino et legatis apostolicæ sedis et episcopis 150 residentibus. (P. D. VI, 4.) Ea vero hora tantæ araneārum telæ in medio populi ceciderunt, quot sordes heresium expulsas omnes mirarentur.

17. (*H. S.* — P. D. VI, 23.) Constantinus imperator obiit. Agathoni papa successit Leo junior 81 [37]. Apud Gallias in Francorum regnum Ansgisus [38], filius Arnolfi, qui de nomine Anchysæ Trojani creditur appellatus, sub nomine majoris domus gerebat principatum. Leoni papa successit Benedictus 82 [37]; cui Johannes 83 [37]; cui Conon 84 [37] menses 11, (Cf. *H. S.*) a quo sanctus Kylianus pontificalem potestatem accepit; cui Sergius papa successit.

Annus Domini 686. Justinianus minor, filius Constantini, ann. 10.

2. Sanctus Kylianus cum sociis suis passus est anno videlicet Domini 688 [39].

4. (*H. S.*) Ilic heresi pollutus catholicos persequitur, et cum Sarracenis pacem fecit.

9. Willibrordus qui et Clemens, a Sergio papa episcopus ordinatus, Fresonum gentem ad Christum convertit.

10. Justinianus ob culpam perfidie regno privatus, exul in Pontum secessit.

Annus Domini 696. Leo ann. 3.

1. (Beda.) Sergius papa capsam cum portione dominicæ crucis invenit; quæ omnibus annis in basilica Salvatoris quæ dicitur Constantiniana die exaltationis ejus ab omni populo osculatur atque adoratur. Sanctus Gudpertus obiit, episcopus ex anachorita.

3. Leo regnum dimisit.

(*H. S.*) Annus Domini 699. Tyberius ann. 7.

4. Synodus Aquileie [40] congregatur sub Sergio papa. Ind. 1, ol. 370.

6. Beda venerabilis presbyter Anglorum chronicam minoris libri usque huc perduxit.

7. Johannes papa Sergio successit. Cui item alius Johannes successit. Justinianus Leonem et Tyberium cum aliis qui eum expulerant occidit; quem videlicet Justinianum Leo in expulsionem illius naribus detruncarat. (P. D. VI, 32.) Qui post iterum assumpto imperio, quotiens defluentem guttam reumatis manu detersit, totiens pene aliquem de suis contrariis jugulare præcepit.

(*H. S.*) Annus Domini 706. Justinianus secundo cum filio Tyberio ann. 6.

5. Justinianus de peccatis suis penitentiam agens, Constantinum papam summo honore habuit, ita ut die dominica missas ejus audiens communionem de manu sua acciperet.

6. (Beda.) Justinianus prohibente papa cum mitteret in pontem Mulvium [41], comprehendere Phylippicum [42], quem ibi relegaverat, conversus exercitus ad Philippicum [43], fecit cum ibidem imperatorem; veniensque cum eo Constantinopolim, victo atque occiso Justiniano, regnum suscepit Philippicus [44]. (*H. S.*) Hildibertus rex justus obiit; regnavitque Dagobertus, filius ejus, pro eo. Johanni papa Sisinnius successit. Cui Constantinus.

Annus Domini 712. Phylippicus ann. 1, menses 6. Phylippicus catholicis infestus fuit. Anastasius Phylippicum oculis privavit regnoque expulit. Heribertus rex Langobardorum obiit.

Annus Domini 713. Anastasius ann. 3.

2. Pippinus senior major domus obiit. Pro quo Karolus ann. 26. Dagobertus rex obiit.

3. Ecpertus vir sanctus de gente Anglorum Schottos legitime pascha celebrare docuit. Constantino papæ successit Gregorius secundus.

(Beda.) Annus Domini 716. Theodosius ann. 1. Hic Anastasium prælio vicit, datoque sibi sacramento, clericum fieri ac presbyterum fecit ordinari. (*H. S.* et Beda.) Tyberis fluvius alveum suum egressus multa Romæ subvertit ædificia, ita ut in Via Lata ad unam et semis staturam excresceret.

Annus Domini 717. Leo ann. 8.

1. Karolus Saxoniam magna plaga vastavit (185).

4. (*H. S.*) Sarraceni triennio Constantinopolim obsidentes et multas provincias devastantes, fame, peste, ferro naufragioque pelluntur.

6. (Beda.) Luidbrandus [45] rex Langobardorum,

VARIÆ LECTIONES.

[35*] constantinus *corr.* constans *c.* [36] *e corr. e.* [36*] constantini *corr.* constantis *c.* [37] *hos numeros manus correctoris superscripsit.* [38] ansgis *corr.* ansgisus *c.* [39] DCLXXXVII. *corr.* DCLXXXVIII. *c.* [40] aquilegie *corr.* aquileie *c.* [41] *valde hic locus turbatus est. Herim.:* cum m. in Pontum, multum proh. papa *c.* [42] phylippum *corr.* phylippi *c.* [43] phylippum *corr.* philippi *c.* [44] philippicus *corr.* philippi *c.* [45] *ita c*

NOTÆ.

(185) Cf. Ann. Lauresh. Alaman., etc.

Sarracenis depopulata Sardinia etiam illa loca fe- A dantibus, ubi ossa sancti Augustini episcopi propter devastationem barbarorum olim translata et condita fu erant, misit et dato orecio accepit et transtulit ea in Ticinum.

8. (*H. S.*) Sanctus Pirminius in Auguiam insulam, eamque (185*) a serpentibus liberavit. Huc usque Beda venerabilis presbyter chronicam suam in majori de temporibus libro perduxit continentem ab initio mundi secundum Hebraicam veritatem ann. 4680.

Annus Domini 725. Constantinus.

Huc usque regnum Romanorum. Exhinc Francorum.

Annus Domini 726. Karolus, Pippini filius, cum jam principatum majorum domus 12 ann. teneret [46], post hæc eumdem principatum tenet 15 annis, B regibus tamen in Francia, sed parva dignitate, regnantibus.

15. Pirminius ex Augia pulsus, in Alsatiam venit.

16. Beda venerabilis Anglorum presbyter obiit, indict. 14.

17. Karolus contra Sarracenos pugnat die sabbati.

18. Karolus major domus Fresiam vastat.

19. Wasconiam invasit.

22. (*Fred. Cont.*) Gregorius III papa claves sepulchri sancti Petri et vincula ejusdem cum magnis muneribus ad Karolum misit, eo pacto ut a partibus imC peratoris Constantini, qui Leoni successit, recederet. Karolus legatos et legationem cum honore recepit, munera contulit, atque cum suis nuntiis Romam remisit.

23. (*H. S.*) Karolus contra Sarracenos in Gothia pugnat. Karolus Saxoniam intrat.

27. Karolus major domus moritur, indict. 8. Gregorio tercio successit Zacharias papa.

(*Fred. Cont.*) Annus Domini 741. Pippinus, filius Karoli, cum fratre Karlomanno major domus ann. 11. Karlomannus Austriam, Alamanniam atque Thoringiam sortitur ; Pippinus Burgundiam, Neaustriam atque Provinciam.

1. (*H. S.*) Karlomannus Wasconiam et Alamanniam petit.

3. Initium Fuldensis monasterii.

5. Karlomannus Alamanniam vastat. Karlomannus pacem cum Saxonibus facit, Alamanniam ingreditur.

9. (Einh. *Ann.*) Karlomannus divino amore succensus, Romam pergens, sese Zachariæ papæ obtulit, et ab eo clericus factus, monasterium sancti Silvestri in monte Soracte construens, se monachum fecit; et post aliquantum temporis ad monasterium sancti Benedicti profectus est.

10. Sanctus Burchardus accepit pontificatum anno Domini 751 ; sedit 40 ann. (Cf. *G. pontt.*) Iisdem temporibus Radgisus Langobardorum rex similiter fecit.

11. Translatio sancti Kyliani. Beatissimus papa Zacharias in venerabili patriarchio beati Georgii martyris caput in capsa reconditum repperit in pethacio literis Grecis exarato, et in Romanam urbem transtulit. (*G. pontt.*) Hic libros dialogorum quatuor, quos beatus Gregorius fecit, de Latino in Grecum transtulit eloquium. Ad quem Burchardus Wirciburgensis episcopus et Folradus abbas missi sunt Romam, ut consulerent Romanum pontificem de causa regum, qui illo tempore fuerunt in Francia, nomen tantum regis, sed nullam regiam potestatem habentes. (Einh. *Ann.*) Per quos prædictus pontifex Zacharias mandavit, melius esse illum vocari regem apud quem summa potestatis consisteret; dataque auctoritate sua, Pippinum regem constitui jussit.

(*H. S.* — Einhardi *Ann.*) Annus Domini 753. Pippinus per auctoritatem Stephani papæ, qui Zachariæ successit, rex Francorum est appellatus, et unctus manu Bonifacii archiepiscopi Magontiocensis, moreque Francorum in solium elevatus regni in civitate Suessona, regnavit ann. 15 [47].

1. Hildericus vero, qui falso regis nomine fungebatur, tonso capite in monasterium missus est.

2. (*H. S.*) Sanctus Bonifacius archyepiscopus martyrizatur.

3. Pyppinus Langobardiam hostiliter petit.

4. Haistulfus rex Langobardorum moritur.

6. Pyppinus Saxoniam bello petit, Wasconiam invadit.

10. Sanctus Othmarus in insulam Reni Stein relegatus obiit. Eclypsis solis facta est 18 Kalend. Septembris hora quasi 6.

11. Inventio capitis Johannis baptistæ. Pyppinus aliquot comitatus filiis dedit.

12. Hiemps valida facta est hoc anno.

13. Eclypsis solis 2 Non. Jun. hora quasi 6.

15. Corpus sancti Nazarii ad Laurissam allatum est [48]. Pyppinus rex moritur, indict. 6.

Annus Domini 769 [49]. Karolus Magnus, Pyppini D filius, cum fratre Karlomanno ann. 3, postea solus 42.

4. (*H. S.*) Corpus sancti Othmari 10 ann. in insula, quo mortuus est, incorruptum reperitur et in basilica sancti Galli sepelitur. Karlomannus rex moritur, frater Karoli.

5. Karius Saxoniam petiit.

6. Italiam.

7. Corpora sanctorum Gordiani et Epimachi de Roma in Alamanniam translata sunt. Karolus Lon

VARIÆ LECTIONES.

[46] XII° *in marg. add. c.* [47] XVI. *corr.* XV. *c.* [48] XVI. *erasum c.* [49] DCCLXXVIIII. *corr.* DCCLXVIII. *c*

NOTÆ.

(185*) *Eamque — liberavit* in Herimanno Sangall. non leguntur.

gobardos cum Italia subjecit, et cum triumpho Romam venit.

8. Karolus Saxoniam petiit.

9. In Italia Routgisum occidit.

10. Iterum [50] in Saxoniam pergit.

11. Hispaniam cepit.

12. Iterum Saxoniam sepius rebellantem invadit. Fames et mortalitas Franciam vastat.

13. Karolus tandem Saxonicum bellum, ut [51] putabatur, subjectis Saxonibus, consummat.

14. Karolus iterum Romam venit, et filius ejus Pyppinus baptizatur ab Adriano papa.

15. In Saxonia conventum habuit.

17. Hiltigart regina, uxor Karoli, obiit 2 Kal. Maii, et Berhta obiit.

18. Karolus Saxones rebelles plaga magna occidit et christianos fecit.

19. Eclypsis solis facta est 15 Kal. Oct. hora quasi 2. Karolus iterum Romam pergit, et cruces in vestibus apparuerunt.

20. Karlus per Alamanniam ad fines Bajoariæ rebellantis cum exercitu venit.

21. Tassilo dux Bajoariæ, jubente Karolo, in Franciam venit, et Bajoaria Karolo subjicitur.

22. Karolus Sclavos qui Wilci dicuntur bello petit.

23. 4. Non. Febr. sanctus Burchardus obiit anno Domin. 791. Hunc annum sine bello Karolus Wormacie sedit.

24. Karlus Pannoniam, regnum Hunorum, vastat.

25. 6 Kal. Octob. Megingaudus episcopus obiit anno Domini 794; sedit ann. 3, menses 10, dies 25.

26. Saxones fidem Christi relinquentes, iterum rebellant.

27. Fastrada regina obiit. Karolus synodum magnam congregat.

28. Karolus Saxones petit, et terciam partem virorum obsides accepit.

30. Huni munera offerentes, Karlo subjiciuntur.

31. Geroldus, piissimus signifer Karoli, in pugna occiditur.

32. 6 Kal. Oct. Bernwelfus episcopus obiit; sedit ann. 6. Romani papam in letania majore excecant, et linguam ejus amputant.

33. Luitgarda regina obiit 2 Non. Jun.

34. Karolus imperiali benedictione sublimatus, augustus et cæsar Romano more appellatur.

35. 3 Kal. Mar. Ludericus episcopus obiit; sedit ann. 3, menses 5. Greci pacem cum Karlo firmant.

36. Terremotus est et mortalitas subsecuta.

39. Karolus Saxonum rebellantium multitudinem in Franciam transfert.

40. Eclypsis solis facta est 3 Idus Feb. hora quasi 6.

41. Gotefridus Nordmannorum rex superbe Karlo minatur.

42. Karlus synodum magnam [52] congregat.

43. Eclypsis solis facta est 7 Idus Jun. hora quasi secunda. Item eodem anno eclipsis 2 Kal. Dec. hora quasi 3. Pippinus rex, filius Karli, obiit.

44. Karolus thesauros in episcopia et æcclesias dividit. Karolus, filius Karoli, obiit.

45. Bernhardus rex a Karolo efficitur [53]. Karolus febre et pleuresi pulsatus obiit, indict. 7 5 Kal. Feb. anno ætatis 71.

Annus Domini 815. Ludewicus, Karoli Magni filius, ann. 26 [54].

3. Leo papa obiit. Ludewicus a Stephano papa imperator factus est.

4. Pascualis papa efficitur.

5. Bernhardus rex Ludewico rebellat.

6. Bernhardus rex interiit. Luitwidus rebellat.

7. Exercitus contra Luitwidum congregatur.

8. Iterum exercitus contra eundem congregatur.

10. Nix magna a Kal. Oct. usque 2 Idus Apr. permansit.

14. Wetthi Augiensis monachus in spiritu raptus admirabilem vidit visionem.

16. Pascualis papa obiit.

17. Corpora sanctorum Valentis et Senesii in Augiam insulam deferuntur.

18. 2 Idus Nov. Wolfgerus episcopus obiit; sedit ann. 22, menses 6, dies 11.

19. Ludewicus magnum conventum in Noviomago [55] habuit.

24. Hatto Basiliensis episcopus obiit.

26. Poutho diaconus palatii in judaismum lapsus est [56]. Eclypsis solis facta est 3 Non. Mai hora ante nonam. Et Ludewicus imperator obiit 12 Kal. Jul.

Annus Domini 841. Ludewicus, Ludewici filius, cum fratribus Lothario, Karolo et Pippino ann. 56.

1. 7 Id. Mar. Humbertus episcopus obiit; sedit an. 10, menses 3, dies 8. Bellum inter fratres de partitione regni excanduit.

8. Ludewicus Germaniam, Lotharius cum imperatoris nomine Italiam, Karolus Gallias, regnum dividentes, accipiunt. Judith imperatrix, uxor Ludewici prioris, obiit.

14. 12 Kal. Oct. Gozbaldus episcopus obiit; sedit ann. 13, m. 10, d. 8.

15. Æcclesia sancti Kyliani in Wirciburg fulminibus exusta est; et Lotharius rex tonsuram et monachicum habitum suscepit moriturus. (*H. S.*) Corpus sancti Martini de tumulo levatur.

17. Leo papa, Trougo, Rabanus, Benedictus papa et Hiltegart regina obierunt.

20. Lotharius imperator obiit. Pro quo Ludewi-

VARIÆ LECTIONES.

[50] itē *c. et sequentibus annis, quod certe a.* 26 item *legi nequit.* [51] in *c.* [52] magna *c.* [53] XLVI. *erasum c.* [54] XXVII. *cor.* XXVI. *c.* [55] novio magno *c.* [56] XXVII. *erasum c.*

cus, filius ejus, imperavit cum fratre Lothario A rege.

22. Meginradus heremita martirizatur.

24. Huni christianitatis nomen aggressi sunt.

27. Nycolao pape Adrianus suscessit.

28. Terremotus facta est, et cometa visa est.

29. Lotharius rex, frater Ludewici imperatoris, obiit, et Karolus Galliarum rex regnum invasit.

30. Ludewicus imperator de solario cecidit.

31. Ludewicus et Karolus cum patre pacificantur.

32. Adrianus papa obiit. Wormatium fulminis ictu crematur.

35. Ludewicus imperator obiit, et Karolus rex Galliarum Romam pervenit.

36. Ludewicus rex Germaniæ obiit 5 Kal. Sept. B Bellum in Ribuaria inter Ludewicum et Karolum committitur.

Annus Domini 877. Karolus, junior filius Ludewici, cum fratribus Karlmanno et Ludewico ann. 11.

2. Karolus rex Galliarum obiit.

3. Ludewicus Balbus, filius Karoli, obiit.

4. Ludewicus vivente fratre suo Karlmanno Bajoariam ingreditur. Karlmannus obiit.

5. Karolus junior cum uxore sua Rihcgartha imperiali benedictione sublimatur.

6. Ludewicus rex Francorum, frater Karoli imperatoris, obiit.

11. Karolus imperator vivus dimisit regnum.

Annus Domini 888. Arnolfus, filius Karlmanni, C ann. 12.

1. Karolus junior imperator obiit. Luitperto archiepiscopo Sunderolt successit. 3 Idus Jul. Arn. Wirciburgensis episcopus in Saxonia occisus est inter missarum sollemnia; sedit ann. 36. m. 7, d. 12.

3. Arnolfus rex exercitum Nordmannorum prorsus delevit.

4. Ratispona incendio flagrat.

6. Sunderolf a Nordmannis occiditur. Pro quo Hatto.

8. Arnolfus Italiam Burgundiamque suo regno subjecit.

9. Arnolfus rex Romam veniens, imperator efficitur.

11. Magna fames homines se invicem comedere persuasit.

12. Arnolfus imperator obiit. Gentes Pannonicæ, quas Ungarios dicimus, Italiam depopulantur.

Annus Domini 900. Ludewicus, Arnolfi filius, admodum puer ann. 12.

1. Ungarii Bajoariam ingrediuntur, et plus mille ex eis occiduntur.

2. Ungarii Carenthaniam invadunt, et in sabbato commissa pugna, occiduntur.

6. Ungarii amarius occiduntur. Berenger, Reginolt et Gerhart germani fratres occiduntur.

7. Pugna inter Adalbertum, fratrem eorum, et Cuonradum, fratrem Ludewici imperatoris, committitur; in qua Conradus occiditur.

8. 3 Non. Aug. Ruodolfus episcopus Wirciburgensis obiit; sedit. ann. 17, m. 12, d. 2. Adalbertus perfidia Hattonis archiepiscopi et cujusdam Luitpaldi deceptus, Ludewico jubente, decollatur. Bajoarii ab Ungariis interficiuntur.

9. Ungarii Saxoniam et Turingiam vastant. Luitpaldus occiditur.

10. Ungarii Alamanniam petunt.

11. Bellum Francorum cum Ungariis.

12. Ludewicus rex moritur. Burchardus dux occiditur.

Annus Domini 912. Counradus, filius Counradi illius quem Adalbertus Babenbergensis interfecit, in regnum elevatus regnavit ann. 7.

1. Ungarii ab Alamannis et Bajoariis juxta fluvium Inc occiduntur.

2. Cometæ videntur. Roudolfus rex obiit. Ungarii Alamanniam depopulantur. Hatto archiepiscopus moritur. Cui Heriger successit.

5. Salomon episcopus captus est. Ungarii totam Alamanniam igne et gladio vastant.

6. Erchenger dux et Berhtolfus germani fratres decollantur 12 Kal. Febr. Basilea ab Ungariis destruitur.

7. Ungarii per Alamanniam, Alsatiam, regnum Lotharii invadunt. Burchardus dux constituitur. Counradus rex obiit.

Liutolfus dux Saxoniæ.

Brun dux a Danis occisus.	Ottho dux.	
	Heinricus rex.	
Heinricus dux Bajoariæ.	Ottho imperator.	Baba. Adalbertus quem Ludewicus decollavit.
Heinricus dux Bajoariæ.	Ottho imperator.	
Heinricus Babenbergensis dux Bajoariæ postea imperator. Cujus uxor Cunigunt absque filiis obiit.	Ottho imperator absque filiis.	

Annus Domini 919. (*H. S.*) Heinricus comes rex D effectus regnavit ann. 17.

1. Salomon episcopus obiit.

4. Karolus rex Galliæ in Franciam venit

7. (*H. S.*) Sanguis Domini in Augiam insulam venit.

8. Ungarii totam Franciam, Galliam, Alsatiam atque Alamanniam gladio et igne devastant. Bur

chardus dux occiditur. Herimanno Alamannia com- A mittitur.

11. Heriger archiepiscopus obiit. Pro quo Hiltibertus.

12. Heinricus rex Poemiam petit.

13. 17 Kal. Dec. Thieto Wirciburgensis episcopus obiit; sedit ann. 24, m. 2, d. 14. Heinricus regem Abodritarum et Nordmannorum christianum fecit.

15. Heinricus Ungarios in Suirbia interfecit.

16. Notingus Constantiensis episcopus obiit. Pro quo Counradus.

17. [57] Heinricus rex obiit.

Annus Domini 937. Otto Magnus, Heinrici filius, ann. 38.

1. Ungarii Franciam, Alamanniam, Galliam usque Oceanum et Burgundiam devastantes, per Italiam B redierunt. Monasteria sancti Galli et sancti Bonifacii cremantur. Arnolfus Noricorum dux et Roudolfus rex obierunt.

2. Heinricus, frater Ottonis, ab Eberhardo comprehensus est.

3. Gisilbertus et Adalbertus occisi sunt, et episcopi in fugam sunt lapsi.

4. 8 Kal. Apr. junior Burchardus Wirciburgensis episcopus obiit; sedit ann. 9, m. 3, d. 23. Hiemps valida et mortalitas animalium facta.

5. Ottho Gallias petit.

6. Ottho rex et Ludewicus pacificantur.

8. Ungarii cum Bajoariis pugnant et vincuntur [58].

10. Ottho rex Galliam ingreditur.

11. Berhtolfus Bajoariorum dux moritur. Cui Heinricus, frater Otthonis, successit.

13. Herimannus dux Alamannorum obiit. Pro quo Luidolfus, filius Otthonis regis.

14. Ottho rex Italiam petit eamque sibi subjecit; Berengerum regem expulit.

15. Beringer apud Augustam in conventu Otthoni ad deditionem [59] venit. Inde cum regina conjuge ejus Willa nomine ad castellum Babenberch deductus, præsentem vitam clausit. (*H. S.*) Ignitus lapis quasi massa candentis ferri ab occidente volitans venit; et draco visus est.

16. Ottho rex una cum filio Italiam intrat, ac nuptiæ regales Papiæ factæ sunt.

17. Luitolfus dux Otthoni regi patri suo rebellat. D Adalbertus comes occiditur.

18. Ungarii Noricam, Franciam Italiamque petunt.

19. Ungarii totam Bajoariam depopulantes, juxta Augustam Alamanniæ urbem ab Otthone rege pugna victi, inmensa cæde necantur.

20. Luitolfus dux hostiliter Italiam invasit.

21. Luitolfus Adalbertum bello vicit, et ipse eodem anno moritur.

23. Cruces in vestibus apparuerunt.

24. 15 Kal. Mar. Pobbo Wircibürgensis episcopus obiit; sedit ann. 20, m. 10, d. 14.

26. Ottho rex Romam veniens, imperator efficitur. Signum in sole.

27. Ottho imperator natale Domini Papiæ moratur.

28. Item Ottho natale Domini Romæ moratur.

31. Ottho imperator de Italia redit.

32. Et Burchardus dux in Italia rebelles cæsari vicit. Eclypsis solis facta est. 11 Kal. Dec.

35. Signum quoddam ignei coloris in cœlo apparuit.

38. Ottho imperator Non. Mai obiit. Sanctus Oudalricus obiit anno episcopatus sui 50.

Annus Domini 975. Ottho secundus, Otthonis Magni filius, ann. 9.

8. Ottho imperator, apud Galabriam occiso a Grecis exercitu, de navi exiliens, aufugit. Ottho dux obiit.

9. 11 Kal. Aug. junior Pobbo Wirciburgensis episcopus obiit; sedit ann. 23, m. 4, d. 21. Otto imperator Romæ 6 Idus Dec. moritur et sepelitur.

Annus Domini 984. Otto tercius, Otthonis secundi filius, admodum puer, ann. 18.

5. Fames magna.

6. 4 Kal. Sept. Huc Wirciburgensis episcopus obiit; sedit ann. 6, m. 7, d. 28.

11. Sanctus Adalbertus, episcopus de Praga civitate, a Prucis martyrio coronatur. 12 Kal. Oct. Berenwardus Wirciburgensis episcopus obiit; sedit C ann. 5, m. 8, d. 19.

14. (*H. S.*) Counradus dux obiit.

18. Ottho imperator in Italia obiit 5 Kal. Febr.; cujus intestina Augustæ, reliquum corpus Aquisgrani sepelitur.

Heinricus dux Bajoariæ rex effectus ann. 23, m. 2 [60].

2. Heinricus rex Heinricum marchionem et alios sibi resistentes cum exercitu petit.

3. Heinricus rex Italiam, Boemiam et Bolizaum ducem cum omni gente Sclavorum subjugavit.

4. Magna fames facta est.

6. Episcopium Babenberg a rege Heinrico constituitur, et Eberhardus ibi episcopus ordinatur.

8. Brun episcopus et monachus a Prucis multis suppliciis afflictus, et manibus pedibusque abscisis, postremo capite plexus, cælos petiit.

13. (*H. S.*) Heinricus Romæ imperiali benedictione coronatur a Benedicto papa.

14. Ernest dux in venatu occiditur.

16. 18 Kal. Dec. Heinricus Wirciburgensis episcopus obiit; sedit ann. 23, m. 5, d. 22.

Megingaudus Treverorum episcopus obiit. Pro quo Poppo.

17. Lantpertus episcopus obiit.

19. Benedictus papa, Babenberg veniens, æcclesiam sancti Stephani dedicavit. Eodem anno Werenharius Argentine episcopus cum Alamannis contra Burgun-

VARIÆ LECTIONES.

[57] XVIII. *erasum c.* [58] vicuntur *c.* [59] deditio *c.* [60] *in loco raso c.*

20. (*H. S.*) Terræmotus magnus factus est 4 Idus A Maii feria 6. Heribertus Coloniensis archyepiscopus obiit. Pro quo Piligrinus.

21. Heinricus imperator Novam Trojam deditione cepit, et mortalitas [61] magna in exercitu facta est.

22. Gebehardus Radisponensis episcopus obiit. Pro quo iterum [62] Gebehardus.

23. Heinricus imperator 3 Idus Jul. obiit et in Babenberg episcopio a se facto in monasterio sancti Petri apostoli sepelitur.

Counradus ann. fere 13 regnavit.

1. Magna dissensio in regno contra Counradum regem efficitur.

2. Counradus rex filium suum Heinricum regem fecit, et ipse Romam pergens imperator efficitur.

3. Brun Augustensis episcopus et Welf comes prædas et incendia inter se faciunt.

4. Ernost dux et Welf comes Counrado imperatori ad deditionem veniunt.

5. Bruno Augustensis episcopus obiit. Pro quo Heberhardus.

6. Counradus imperator Stephanum Pannoniæ regem cum exercitu petit. Interea in Alamannia Ernost dux et Werinharius comes cum aliis multis occiduntur [63] 16 Kal. Sept.

7. Stephanus rex missis legatis cum imperatore Counrado pacificatur.

8. Roudolfus rex Burgundiæ moriens diadema suum Counrado imperatori misit.

9. 11 Kal. Apr. Meginhardus Wirciburgensis epi- C scopus obiit; sedit ann. 15, m. 2, d. 21. Counradus hieme Burgundiam petit. Eclypsis solis facta est 3 Kal. Jul. hora 6.

10. Counradus orientalem Franciam contra Outhonem petit. Counradus iterum [64] Burgundiam vastat.

11. Wirbinam castellum in confinio Saxoniæ pagani qui Luittici dicuntur, multis christianis occisis et captis, obtinent; quos Counradus cum exercitu petit.

12. Italia civili discordia laborat. Gebehardus Radispona episcopus obiit. Pro quo iterum [64] Gebehardus. Nuptiæ Heinrici regis. Pagani supradicti Counrado imperatori tributarii [65] facti sunt. Piligri- D nus Coloniensis episcopus obiit. Pro quo Herimannus.

13. Counradus imperator Italiam cum exercitu petit, et Mediolanensem episcopum in custodiam mittit; qui fuga lapsus imperatori rebellat. Outho princeps Karlingorum [66] a Gozzelone duce pugna victus fugiensque a quodam milite occiditur.

14. Cunigunt regina obiit. Herimannus dux obiit. Stephanus christianus Ungariorum rex obiit, qui cum omni gente sua ad fidem Christi convertitur.

15. Counradus imperator 2 Non. Jun. obiit et Spire sepelitur. Eclypsis solis 11 Kal. Sept. Reginbaldus Spirensis episcopus obiit 3 Idus Octob.

Heinricus rex pius, filius Counradi, incipit regnare.

2. Heinricus rex ducem Boemiæ Fratislaum bello petit; sed multis proceribus et militibus in præstructione silvæ citra et ultra occisis vel captis, nil dignum efficere potuit. Petrus quoque Ungariorum rex eidem duci [67] contra Heinricum regem auxilia misit.

3. Ungarii quendam Ovonem regem sibi eligentes, B Petrum regem suum expellentes. Qui profugus et exul Heinrici regis, cui priori anno rebellaverat, gratiam querit et invenit. Heinricus rex Boemiam ingressus, igne prædaque cuncta devastat, et rebellem ducem obsides dare et ipsum post se Radisponam ad deditionem humiliter venire sibique jurejurando fidelitatem servitiumque confirmare coartat. Ovo rex Ungariorum, ob susceptum a Heinrico rege Petrum a se expulsum, fines Bajoariæ prædis et incendiis depopulatur; sed magna pars exercitus ejus ab Adelberone marchione deleta est.

4. Heinricus rex Pannoniam ingressus duas populosissimas civitates evertit, plures deditione subjecit. Sed cum Petrum regem, quem secum ducebat, provinciales recipere nollent, alium quem petebant ducem eis constituit; quem Obo post discessum ejus in Boemiam repulit. Gisela imperatrix, mater Heinrici regis, 16 Kal. Mar. obiit et apud Spiram sepelitur.

5. Heinricus rex iterum Pannonias invadens, satisfactionem, obsides, munera, pacis per jusjurandum confirmationem accipiens, discessit. Inde reversus, Constantiensi synodo affuit; ubi cunctis debita dimisit; destructisque omnibus inimiciciis, pacem hactenus inauditam tam [68] in tota Suevia quam in aliis sui regni provinciis regia censura per edictum confirmavit. Dein Agneten [69], Willehalmi Pictaviensis principis filiam, reginam apud Magontiam ungui faciens, regalibus sibi nuptiis Ingelenheim copulavit; unde infinitam histrionum et joculatorum multitudinem sine cibo et muneribus vacuam et merentem abire permisit. Luitpaldus marchio, Adelberti filius, maxima Ungariorum clades, immature obiit. Pestis pecudum maxima. Hiemps dura et nivosa.

6. 6 Kal. Jun. Brun. Wirciburc. episcopus obiit anno Domini 1045; sedit ann. 11, m. 1, d. 14. (Cf. Herm. a. 1044-1045.) Heinricus (186) rex tercio

VARIÆ LECTIONES.

[61] mortalita *c.* [62] itē *c. quod hic etiam* item *legi potest.* [63] occidunt *c.* [64] itē *c.* [65] tributari *c.* [66] kalinlorum *corr.* karlinlorum *c.* [67] duce *c.* [68] *deest c.* [69] aguetæn *c.*

NOTÆ.

(186) In sequentibus raro verba Herimanni retinuit, res vero tantum non omnes ab ipso mutuatus est

Pannonias iratus ingrediens, Dei favente clementia et beato Oudalrico episcopo imperante[70], victor factus, Obonem cum uxore et filiis cognatisque, quibus locus evadendi erat, effugabat. Petrum in regnum restituit; subditoque sibi Ungariorum regno, summo cum honore revertitur. Gothefridus dux Lotariorum Heinrico regi[71] rebellans, ad deditionem coactus, in castello Gibichenstein (187) usque ad dignam satisfactionem sub custodia mancipatur.

7. (Cf. HERM. a. 1046.) Heinricus rex Italiam ingressus, pacifice a Romanis suscipitur, papas tres non digne constitutos synodaliter deposuit, et Suidegerum Babenbergensem episcopum papam constituit; ipseque et conjunx ejus Agnes regina eadem die imperiali benedictione sublimantur. Imperatrix vero Agnes filiam apud Ravennam genuit. Ipse autem imperator per Apuliam multasque provincias felici victoria exercitum ducens, honore magno revertitur.

8. (Cf. HERM. a. 1046-1047.) Interea Petrus Ungariorum rex a quodam tyranno Pannonico captus et cecatus, ille qui eum expulerat regnare cœpit. Corpus sancti Widonis de Italia allatum est Spiram ab imperatore Heinrico 8 anno regni ejus, imperii ejus anno 1, ab incarnatione Domini anno 1047, indictione 15. Suidegerus papa obiit eodem quo constituitur anno[72]. Pro quo Boppo ordinatur.

9. (HERM. a. 1047-1048.) Otto dux Suevorum obiit. Pro quo Otto de Suinvurti surrexit. Boppo papa obiit anno quo constituitur. Bruno, qui et Leo, Tolanensium antistes, papa ordinatur.

10. (Cf. *ib.* a. 1049.) Heinricus imperator anno imperii sui tertio quasdam partes Galliæ invasit contra Gotefridum et Baldewinum; quibus ad deditionem coactis, et regno his partibus pacificato, victor cum honore revertitur. Synodus Magontiæ habetur. Cui affuit Bruno apostolicus et Heinricus imperator.

11. (*Ib.* a. 1050.) Ungarii iterum[73] rebellant. Quos Gebehardus episcopus Radisponensis, vice Heinrici imperatoris obviam factus, in fugam conversos non minima cede afflixit; insuper urbem marchiæ[74]. Heimenburc ædificiis restauratam militari obsidione muniri fecit; ipse summa cum pace regreditur.

12. (*Ib.* a. 1051.) Bartho archiepiscopus obiit. Pro quo Luitpoldus. Heinricus imperator iterum Pannoniam ingressus, divisa in duas partes multitudine militum, utrimque regionem ipsam silvis et maxime aquarum collectionibus circumseptam occupans, intravit; sed illa gens durior ceteris cum rege suo dolose et ignaviter agens, sua pariter cum aliis diripiens fame et siti multisque cladibus lassatum nostrum fugiens[75] evasit. Milites autem imperatoris, vastata magna parte provinciæ multis insuper inibi occisis, pacifice, quamvis inacte, ad propria cum imperatore redierunt.

13. (*Ib.* a. 1052-1053.) Heinricus imperator iterum Pannoniam petit, et inacte redit, habens secum in comitatu Brunonem apostolicæ sedis præsulem et proximum natale Domini pariter ducentes Wormatiæ, apostolicus Romam redit 1053 anno, multis cum diversarum provinciarum militibus imperiali præceptione et amicorum subventione comitantibus; et post pascha exercitum ducens per Apuliam contra Nordmannos, illius terræ quondam advenas sed tunc Romani imperii inimicos, infinitaque utrobique cede peracta, papa cum paucis fugiens absque victoria regreditur, relictis illic Suevorum ac Noricorum militibus obtimis; et in urbe Beneventana consedit.

14. (*Ib.* a. 1054.) Dein religiosus papa Bruno, qui et Leo, anno incarnationis Domini 1054, regni vero Heinrici imperatoris 15, gloriose vitam finivit, sepultus Romæ in æcclesia beati Petri. Counradus dux Noricorum, federatis sibi Ungariis, graviter rebellat. Item Baldwinus et Gotefridus.

15. Leoni papæ Gebehardus, qui et Victor, successit (*an.* 1055). Adalbertus marchio obiit. Fames magna fuit. Heinricus imperator Italiam cum exercitu petens, omnia cum pace disposuit; revertensque neptam suam Beatricem secum duxit, indigne eam tractans propter quandam ejus insolentiam, qua vivere consueverat mortuo viro ejus Bonifacio duce. Welf dux Carinthiorum obiit. Counradus dux antea Noricus ab imperatore expulsus, in Pannonia exul male moritur. Arnolfo Spirensi episcopo Counradus successit.

16. Herimannus comes orientalium Francorum obiit 6 Kal. Feb. (1056.) Gebehardus Radisponensis episcopus, magni imperatoris Heinrici patruus, hostis occulte pessimus deprehensus, victus atque custodiæ mancipatus, sed misericorditer tractatus, exilio remittitur et sedi pristinæ restituitur. Gotefridus dux ad deditionem venit. (Cf. BERTH.) Magna cedes a barbaris qui Luitici dicuntur in christianos facta est; quorum quidam gladio, quidam fugientes[76] in aqua perierunt; inter quos Willehalm marchio occiditur. Hisdem temporibus multi diversarum provinciarum principes perierunt. Fames multas provincias afflixit. Egestas et penuria undique prævaluit. Multa mala tunc temporis facta sunt. Heinricus imperator his doloribus cordetenus compunctus, infirmari cœpit, et perductus usque ad mortem; sapienti tamen usus consilio, ab omnibus quibus potuit veniam petens, quibusdam prædia quæ abstulit restituens, cunctis qui contra eum culpas damnabiles fecerunt relaxans, filium suum Heinricum Romani pontificis ceterorumque pontificum et principum electione regem constituit. His

VARIÆ LECTIONES.

[70] *lege* impetrante. [71] rege *c*. [72] *deest c*. [73] itē *c*. [74] marchionem *c*. [75] fūgiens *c*. [76] figientes *c*.

NOTÆ.

(187) ita cod. Murensis Herimanni.

et aliis, prout vitæ possibilitas admisit, bene dispositis, 3 Non. Octob. hanc vitam præsentem in Deo finivit.

Heinricus, filius Heinrici imperatoris, admodum puer, cœpit regnare, anno ab incarnatione Domini 1057. Agnes imperatrix, mater ipsius Heinrici, ducatum suscepit Bajoariæ. Pontifex Romanus Gebehardus, qui et Victor, multis bene in Germaniæ aliisque Romani regni partibus pontificum vel principum secularium consilio dispositis, Romam cum pace rediit, incipiente illius anni quadragesima. Hic etiam eodem anno finivit vitam. Pro quo Fridericus, qui et Stephanus, jam monachus factus

A a Romanis pontifex constituitur. Saxones iterum congregato exercitu gentem efferam Luiticiorum [77] hostiliter invaserunt, diversisque malis eam affligentes, Romanæ ditioni subdiderunt, acceptis obsidibus et tributis, atque ad propria cum pace redierunt. Eodem tempore quidam Fridericus et fratres ejus Germaniæ partibus tyrannidem exercentes contra imperium Romanum, ab Agnete imperatrice et principibus regni victi ad deditionem venerunt. Fridericus, qui et Stephanus, pontifex Romanus vitam finivit. Otho dux Suevorum obiit 4 kal. Octob. [78].



VARIÆ LECTIONES.

[77] *Ita c.* [78] *In codice eodem fere modo quo hic pagina non expleta textus desinit. In sequenti pagina, quaternionis ultima, stemma legitur genealogicum quod additimus.*

Hic duo subjicienda duxi stemmata, e coa. Trevirensi N. 1709 (LXXXVI) olim Prumiensi s. XI f. 73' descripta, quæ tam cum iis quæ Ekkehardus recepit quam cum aliis ex cod. Steinveld, supra SS. III, p. 215, editis quam maxime conveniunt.

1.

Domnus Arnolfus Metensium episcopus. Cujus pater Botgisus fuit vir illustris.
Ansgisus filius ejus.
Pippinus princeps et major regiæ domus.
Karolus cognomento fortissimus.
Pippinus rex Francorum.
Domnus Karolus rex Francorum et Langobardorum ac patricius Romanorum.
Hludowicus rex cognomento Pius.

Hlutharius rex Franciæ et Italiæ et Burgundiæ. Karolus rex Francie et Hispaniæ. Hludowicus rex Germaniæ.

Hugo filius ejus in monasterium trusus, — Hludowicus rex Italiæ et Romaniæ. — Hlotharius rex Hlotharien-sium. — Karlomannus excecatus. — Hludowicus rex Francie. — Karolus in venatione occisus. — Hlodowicus rex Ostrofranciæ. — Karlomannus rex Bajoariæ. — Karolus rex Alamanniæ.

Bertha. — Irmindrut. — Karolus rex Franciæ. — Arnolfus rex Bajoariæ et Franciæ.
Hugo rex Italiæ. — Cunigunt. — Hludowicus rex Franciæ. — Zvendiboldus rex Hlotharien-sium. — Hludowicus rex Ostrofranciæ.
Hubertus. — Hlotharius. — Sigefridus[79] comes. — Hlotharius rex Francie. — Karolus.
Hugo marchisus. — Cunegunt imperatrix. — Karolus.

2.

Liudolfus dux Saxoniæ.

Bruno dux. — Otto dux. — Liutgarda regina.
Heinricum respice de cujus | fluxit semine[80].
Heinricus rex primus. ═══ Mathildis regina. Theodericus pater Mathildis reginæ ex stirpe Widikindi magni ducis Saxoniæ. Cujus fratres fuerunt Widikint, Immit, Reginbern.

Hadewieg. — Gerbirg. — Otto imperator primus. — Heinricus dux. — Bruno archiepiscopus Coloniæ.
Hugo rex Francorum. — Beatrix. — Hlutharius rex Francie. — Karolus dux. — Mathildis. — Alfratha. — Dudicha. — Otto secundus imperator. — Item Heinricus dux.
Ruotpertus rex. — Theodericus dux. — Ruodolfus rex. — Bertha. — Gepa. — Ermindrudis — Otto dux. — Otto imperator tercius. — Mathildis. — Heinricus imperator.
Heinricus rex. — Fridericus dux. — Mathildis. — Gisla. — Agnes. — Heinricus. — Cuono. — Luodolfus. — Herimannus archiepiscopus. — Otto dux
Philippus rex. — Heinricus rex. — Agnes. — Cuonradus imperator.
Heinricus imperator.

VARIÆ LECTIONES.

[79] *linea qua Hludowici filius indicatur erasa est.* [80] *ita cod.*

EKKEHARDI CHRONICON UNIVERSALE.

id est abbreviatio

EPYTHOME EUSEBII DE SEQUENTI OPERE.

(Hier.) Moysen (188-89), gentis Hebraicæ ductorem, qui primus omnium prophetarum ante adventum Domini Salvatoris divinas leges sacris litteris explicavit, Inachi fuisse temporibus, eruditissimi viri tradiderunt, ex nostris Clemens et Africanus, ex Judeis Josephus et Justus, veteris hystoriæ monumenta replicantes. Porro Inachus quingentis annis Trojanum bellum antecedit. Ex ethnicis vero impius ille Porphirius in quarto sui operis libro, quod adversum nos casso labore contexuit, post Moysen Semiramidem fuisse affirmat, quæ apud Assyrios ante Inachum regnavit annos 150. Itaque juxta cum 800 pene et 50 annis Trojano bello Moyses senior invenitur. Cum hæc ita se habeant, necessarium duxi veritatem diligentius persequi, et tempora regnorum contra se invicem ponere, ac singularum gentium annos dinumerare, ut quid cuique coætaneum fuerit curioso possimus ordine notare. Neque me fugit, in Hebreis codicibus dissonos ætatum annos inveniri, plusque vel minus, prout interpretibus visum est, lectitari, sequendumque illud potius quod exemplariorum multitudo in fidem traxit.

Verum utcumque quis volet computet, reperiet, Inachi temporibus, quem primum Argis regnasse aiunt, patriarcham Hebreorum fuisse Israhelem, a quo 12 tribus Israhelis vocabulum sortitæ sunt. Semiramidem autem et Abraham contemporales fuisse manifestum est. Nam Moyses, licet junior supradictis sit, omnibus tamen quos Greci antiquissimos putant senior deprehenditur, Homero scilicet et Hesiodo Trojanoque bello, ac multo superius Hercule, Museo, Lino, Chirone, Orpheo, Castore ac Polluce, Apolline, Esculapio, Libero, Mercurio et ceteris diis gentium sacrisque vel vatibus, ipsius quoque Jovis gestis, quem Grecia in arce divinitatis collocavit. Hos, inquam, omnes quos enumeravimus etiam post Cecropem Difien [81], primum Atticæ regem, fuisse convincimus, Cecropem autem Moysi coætaneum hystoriæ ostendunt et ante Trojanum bellum fuisse annis 350. Quod ne cui dubium videatur, sequens ratio sic probabit. Quadragesimo secundo anno imperii Augusti Christus natus est, 15 Tyberii anno predicare orsus est. Si quis igitur retrorsum A computans annorum numerum, alterum Darii regis Persarum querat annum, sub quo templum Hierosolimorum, quod a Babyloniis destructum fuerat, instauratum est, reperiet a Tyberii 15 usque ad Darium annos 540. (190) Darii quippe secundus annus sexagesimæ quintæ olimpiadis anno primo fuit, et Tyberii 15^mus^ in 201 olimpiadis annum quartum incurrit. Fiunt ergo inter Darium et Tyberii 15^mum^ annum olimpiades 136, anni 546, quadriennio in una olimpiade subputato. Deinde secundo Darii anno septuagesimus desolationis templi annus expletur, a quo usque ad primam olimpiadem retrorsum numerantur olimpiades 64, anni 256, qui similiter subputantur a supra dicto desolationis templi anno usque ad 49 annum Oziæ B regis Judæorum, sub quo Ysaias et Osee fuerunt. Itaque prima olimpias in Ysaiæ et reliquorum qui cum eo prophetaverunt incurrit ætatem. Rursum si a prima olimpiade ad superiora tempora et usque ad captivitatem Trojæ proveharis, invenies annos 405 [82] quos curiosissima Grecorum hystoria conscribit. Item apud Hebreos a supra dicto Oziæ anno et temporibus Ysaiæ prophetæ usque ad Samson et tercium annum Lapdon judicis subputabis annos 405 [82]. Samson autem est quem in corporis robore Herculi similem ferunt posteri Judæorum. Et michi videntur non multum distare tempore, siquidem ambo circa Trojæ captivitatem fuerunt. Post hæc iterum ad priora convertere, et cum 329 annos numerus retro actus tibi expleverit, Cecropem C Defien [83] Grecorum et Moysen invenies Hebreorum. Nam a 45 Cecropis anno usque ad captivitatem Trojæ et ab 80mo ætatis Moysi, in quo populum Israheliticum de Ægypto eduxit, usque ad tercium annum Lapdon judicis computantur anni 329. Itaque sine ulla ambiguitate Moyses et Cecrops, qui primus Atheniensium rex fuit, hisdem fuere temporibus. Porro iste est Cecrops Difies [84] indigena, sub quo primum in arce oliva orta est, et urbs Atheniensium ex Minervæ appellatione nomen sortita est. Hic primus omnium Jovem appellavit, aram ei statuit bovemque immolavit, simulachra reperit, et victimas obtulit, nequaquam istius modi rebus in Grecia unquam visis; cetera quoque quæ apud

VARIÆ LECTIONES.

[81] *in loco raso* 1. [82] V *e corr.* 1. VI *Hier.* [83] *ita e corr.* 1. [84] *e corr* 1.

NOTÆ.

(188-89) Tota præfatio paucis mutatis ex Eusebio ab Hieronymo translato descripta est.

(190) Numeros et totam annorum supputationem Ekkehardus in sequentibus paulo mutavit, verbis tamen Hieronymi servatis.

Grecos mira jactantur, posteriora Cecropis annis deprehenduntur. Sit ergo Cecropis consequentia et Moysi. Post hunc describitur diluvium sub Deucalione, incendium sub Phetonte, Ericthonius, Vulcani et Terræ filius, Dardanusque, qui Dardaniam condidit, Libiæ quoque raptus et Europæ, sacra Cereris atque delubrum Ysidis, in Eleusina frumenta Triptolemi, regnum Trois,

Cujus dii natum Ganimedem ad sidera raptum
Vina Jovi magnis voluerunt fundere mensis.

Quo tempore Tantalus et Tycius fuerunt et Apollo natus est; nam Latona, Jovis conjunx, per Tycia fugit regna; Latonæ autem et Jovis filius Apollo. Post quos Cathmus Thebas venit,

Qui Semelen genuit, de qua pulcherrima proles
Liber condignam partu tulit edita frugem.

Porro Liber et quos mox inferimus post ducentesimum annum Cecropis fuerunt, Linus scilicet et Zetus et Amphyon, Museus, Orpheus, Minos, Perseus, Esculapius, Castor et Pollux gemini, Hercules, cum quo Apollo servivit Admeto. Post quos facta est Trojæ subversio, quam Homerus longo sequitur intervallo; Homerus autem Solone et Talete Milesio ceterisque qui cum his septem sapientes appellati sunt multo prior reperitur; deinde Pythagoras extitit, qui se non sapientem ut priores, sed phylosophum, id est amatorem sapientiæ, dici voluit; quem secutus Socrates, qui Platonem erudivit, a quo famosas in partes phylosophia divisa est. Horum singulos juxta ordinem historiæ suis locis inseremus. Igitur Moyses cunctos quos supra memoravimus antecedit, quia ætate Cecropis fuisse monstratus est. Ab octogesimo autem anno Moysi et egressione Israel ex Egypto rursum ad superiora conversus usque ad primum annum Abrahæ reperies annos 505 [85], quos similiter a 45 anno Cecropis usque ad Ninum et Semiramidem Assyriorum principes 505 [86] subputabis. Primus quippe omni Asiæ, exceptis Indis, Ninus, Beli filius, imperavit. Itaque manifestum est Abraham Nini ætate generatum, juxta eum tamen numerum quem contractiorem editione vulgata sermo prebet Hebreus. Verum in curiositate ne cesses, et cum divinam Scripturam diligenter evolveris, a nativitate Abraham usque ad totius orbis diluvium invenies retrorsum annos 292 (191), item a diluvio ad Adam annos 1656, in quibus nulla penitus nec Greca nec barbara, et ut in commune loquar, nulla gentilis invenitur hystoria. (192) Quam ob rem omnes hystoriarum scriptores a Nino, qui suo regno non contentus aliena invasit et ideo primus regnasse dicitur, temporum incipiunt digestiones. Nos ab ipso mundanæ creationis primordio incipientes, generationes patrum ab Adam usque ad Noe, et a Noe post diluvium usque ad Abraham describamus, deinde cum ceteris scriptoribus ab Abraham et a Nino usque ad nostram ætatem inferiora tempora prosequamur, et statim in principio sui, commemorato Belo, Nini patre, et Egialo Sicioniorum rege, Hebreorum Abraham et Assyriorum Ninum et Semiramidem preponamus, quia neque Athenarum adhuc urbs neque Argivorum regnum nomen acceperat, solis Sicioniis in Grecia florentibus, apud quos temporibus Abrahæ et Nini Europem secundum regnasse ferunt. Quod cur etiam et nos putemus, demonstrabitur in sequentibus [87].

B Si enim diligenter enumeres a quadragesimo tercio anno Nini usque ad [88] Trojæ captivitatem, invenies annos 834, item in Sicione a 22 anno regis Europis usque ad supradictum tempus eosdem annos invenies 834, apud Hebreos quoque a nativitate Abraham usque ad tercium annum Lapdon [89] judicis Hebreorum, qui Trojanis temporibus populo prefuit, æque [90] supputabis annos 834, item apud Ægyptios ab ætate Nini et Semiramidis, quo tempore 16 jam dinastia Thebei Ægyptiis imperabant, usque ad vicesimam dinastiam, id est potestatem, et regem Ægypti Theoren, qui ab Homero Polipus vocatur, sub quo etiam Troja capta est, colliguntur supra dicti anni 834.

C Igitur consequenter uno eodemque tempore in ordine descriptionis ponemus Abraham, Ninum vel Semiramidem, Europem, Ægyptiorum Thebeos. Nunc etiam illud in cura est, ut Hebreorum quoque annos in quatuor tempora dividamus, ab Abraham usque ad Moysen, a Moyse usque ad primam ædificationem templi, ab ædificatione templi usque ad secundam qua instauratum est [91], ab instauratione ejus usque ad adventum Christi Domini. A nativitate quippe Abraham usque ad Moysen et egressum Israel ex Ægypto computantur anni 505, exinde usque ad Salomonem et primam ædificationem templi anni 478 [92], secundum minorem tamen numerum, quem tercius Regnorum liber continet; nam juxta volumen Judicum supputantur anni 600; a Salomone vero usque ad instaurationem templi,

D quæ sub Dario Persarum rege facta est, colliguntur anni 512, porro a Dario usque ad predicationem Domini Jhesu Christi et usque ad 15^mum^ annum Tyberii principis Romanorum explentur anni 547 [93]. Itaque simul fiunt ab Abraham usque ad 15^mum^ Tyberii annum anni 2042 [94]. Similiter a 43 anno Nini [95] usque ad 46^tum^ Cecropis sunt anni 505, exinde usque ad captivitatem Trojæ anni 329, a

VARIÆ LECTIONES.

[85] V *e corr.* 1. [86] *e corr.* 1. [87] in s. *e corr.* 1. [88] a quadr. — ad *e corr.* 1; *et ubique Hieronymi numeros mutavit.* [89] t. a. l. *in loco raso* 1. [90] it. æque *e corr.* 1. [91] tum est *e corr.* 1. [92] IX *Hier.* [93] VIII *Hier.* [94] duo *e corr.* 1. IV *Hier.* [95] nini — DV *e corr., ut videtur,* 1.

NOTÆ.

(191) Numeros Hieronymi Ekkehardus mutavit.

(192) Hæc Ekk. adjecit.

captivitate Trojæ usque ad primam olimpiadem anni 405 [96], a prima olimpiade usque ad secundam Darii annum et instaurationem templi anni 256, ab instauratione templi usque ad 15mum Tyberii annum et predicationem Christi anni 547 [97]. Sunt ergo a Nino et Semiramide [98] usque ad 15mum Tyberii Cæsaris annum 2042 anni [99], quos et ab Abraham usque ad Tyberium supputatos ostendimus.

Sed ne longus forte numerorum ordo aliquid turbationis afferat, a conditione primi hominis Adæ, qui sexto mundanæ creationis die formatus est, genealogias antiquorum patrum usque ad Abraham conferamus, ut facilis præbeatur inventio, cujus Greci vel barbari ætate prophetæ et reges et sacerdotes Hebreorum fuerint, itemque diversarum gentium falso crediti dii, qui heroes, quæ urbs quando condita, qui de illustribus viris phylosophi, poetæ, principes, qui scriptores [100] variorum operum extiterint, et si qua alia digna memoria putavit antiquitas, quæ universa in suis locis cum summa brevitate ponemus.

(Isid.) Sex [101] diebus rerum creaturam Deus formavit, primo die condidit lucem, secundo die firmamentum, tercio speciem maris et terræ, quarto sidera, quinto pisces et volucres, sexto bestias et jumenta, et novissime ad similitudinem suam fecit primum hominem Adam (193). A cujus conditione et mundi creatione usque ad diluvium secundum quosdam (Jord. *De R. S.*; Beda *De VI æt.*) computantur anni 2242, secundum Hebraicam vero veritatem mille sexcenti quinquaginta sex; in quibus annis adhuc rudi et simplici hominum natura non reges sed familiarum capita suo in genere erant, quorum ordo hujusmodi fuit.

(Isid.) Adam anno vitæ suæ 130 genuit Seth, qui pro Abel natus est, interpretaturque *resurrectio*, quia in eo [102] resuscitatum est semen justum, quod est stirpis filiorum Dei, quoniam, cum esset vir egregius, imitatores sui filios reliquit, qui disciplinam rerum cœlestium et ornatum earum primitus invenerunt. Adam vero cum esset annorum 930, mortuus est et rerum summam filio suo Seth reliquit.

(Isid.) Seth anno vitæ suæ 105 genuit Enos, vivente Adam et habente annos 235. Hic Enos cœpit, sive ut sanctus Augustinus juxta translationem aliam dicit (*De civ. Dei*, xv, 18) speravit, invocare nomen Domini. Cumque vixisset Seth annos 912, mortuus est.

(Isid.) Enos anno vitæ suæ nonagesimo genuit Cainan, qui interpretatur *natura Dei*, vivente Adam et habente annos 325. Cumque esset Enos annorum 905, mortuus est.

Cainan anno vitæ suæ septuagesimo genuit Malaleel, cujus nomen interpretatur *plantatio Dei*, vivente adhuc Adam et habente annos 395. Cainan autem postquam vixit annos 910, mortuus est.

(Isid.) Malalehel anno vitæ suæ 65 genuit Jaret, qui interpretatur *descendens* sive *superans*, Adam adhuc vivente et habente annos 460. Ipse autem Malalehel cum vixisset annos 895, mortuus est.

Jareth anno vitæ suæ 162 genuit Enoch, Adam adhuc vivente et 622 annos habente. Jareth autem cum esset annorum 942, mortuus est.

Enoch anno vitæ suæ 65 genuit Mathusalam, vivente adhuc Adam et habente annos 687. Enoch autem postquam vixit annos 365, raptus est a Deo, ideoque finis ejus non invenitur conscriptus. Dicitur autem multa scripsisse, sed ab antiquitate suspectæ [103] fidei repudiata sunt. Judas tamen apostolus in epistola sua exemplum de illius dictis ponit. Hac generatione concupierunt filii Dei filias hominum, hoc est filii Seth filias Cain.

Mathusalam anno vitæ suæ 187 genuit Lamech, adhuc Adam vivente et annos 874 habente. Anno autem Mathusalæ 243, cum filius ejus Lamech esset annorum 56, mortuus est Adam anno vitæ suæ 930. Hac generatione nati sunt gygantes. Hac quoque ætate Jubal, qui erat de genere Cain, artem musicam reperit, cujus etiam frater Tubalcain æris ferrique inventor fuit. Mathusalam igitur juxta septuaginta Interpretum computationem reperitur vixisse post diluvium annos 14, propter quod nonnulli cum patre suo Enoch, qui translatus est, aliquantulum fuisse, donec diluvium preteriret, falsa opinione existimant. Certum tamen est, ut sanctus Augustinus in libro de Civitate Domini (xv, 11) dicit, cum post diluvium non vixisse, sed in ipso anno quo diluvium factum est mortuum esse, habentem annos nongentos sexaginta novem.

Lamech anno vitæ suæ 182 genuit Noe, cui divino jubetur oraculo ædificare arcam anno ætatis suæ quingentesimo, cum Deus delere disponeret homines propter maliciam eorum (Isid.; Joseph. I, 4). Homines autem illius temporis, qui per ingenium divinitus traditum per tot annorum vitæ spacia diversarum artium et disciplinarum repertores erant, cum predixisset eis Adam spiritu Dei plenus, exterminationem omnium rerum, unam ignis virtute, alteram aquarum vi ac multitudine fore venturam, facientes duas columnas, unam quidem ex lateribus, alteram ex lapidibus, studiis suis inventa in his conscripserunt, ne delerentur memoria quæ sapienter invenerunt. Quarum lapidea fertur diluvium evasisse et hactenus in Syria permanere. (Isid.) La-

VARIÆ LECTIONES.

[96] *e corr.* 1. VI *Hier.* [97] VII *e corr.* 1. VIII *Hier.* [98] semirade 1. [99] duo anni *e corr.* 1. IV *Hier.* [100] q. s. *e corr.* 1. [101] *Addit* 5. *rubram* : Incipit liber qui dicitur cronicorum sive annalis. [102] quia in eo *e corr.* 1. [103] susceptæ 1. *etc.*

NOTÆ.

(193) Cujus chronicam in Chron. Wirzburgensi ad verbum exscriptam dixi. Ekk. vero hic ejus narrationem ex aliis fontibus valde ampliavit.

mech vero cum esset annorum 777, quinque annis ante diluvium mortuus est. Ex supra dictis autem liquido claret, exordium litterarum ab ipso primo homine cœpisse, qui adhuc supererat, quando filii ejus in sapientiæ studio fervebant.

Noe cum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham et Jafeph [104], centum annis ante diluvium, in quibus etiam annis arcam fabricavit; sexcentesimo autem ejus anno diluvium inundavit. In his ergo generationibus decem ab inicio mundi usque ad diluvium juxta septuaginta Interpretes computantur anni 2262, juxta Hebraicam vero veritatem 1656, ut sanctus Augustinus testatur. Josephus autem (*De ant. Jud.* I, c. 5.) dicit duo milia 656. Qui etiam dicit: *Nullus itaque perscrutetur priscorum fines, quantum cum suis filiis eorumque avis aut atavis suam quis extenderet ætatem, sed tantum ortum eorum et generationes attendat.*

Sed nec hos solos, qui in hoc ordine scribuntur, genuerunt, cum scriptum sit de singulis: *genuit filios et filias*, verum hi tantum assumuntur a veridico hystoriographo Moyse, ex quibus Noe cum filiis suis ducebat originem, per quos et mundus post ceterorum hominum perditionem in diluvio erat restaurandus (Cf. Aug. *De civ. Dei*, xv, 15).

(Isid.) Transacto autem diluvio, arca Noe sedisse refertur in montibus Armeniæ qui dicuntur Ararath. Fuerunt autem filii Noe tres, ex quibus 72 gentes ortæ sunt, id est de Japhet 15, de Cham 30, de Sem 27. Vixit autem Noe post diluvium 350 annis, et mortuus est annorum 950.

(Jord. Cf. Bedam.) A cujus regimine vel ab ipso diluvio usque ad divisionem linguarum, quæ item ob delicta ædificantium turrim in campo Sennaar facta est, et usque Heber, in quo Hebreorum et lingua prisca remansit, quia nec in illa conspiratione ædificandi interfuit, sunt anni secundum Hebreos centum et unus, juxta alios vero 531, qui plures annos cuique generationi attribuentes, etiam Cainan quendam inter Arphaxat et Sale ponunt, cui 125 annos tribuunt, dicentes, Arphaxat genuisse Cainan, Cainan vero Sale. In hac opinione Lucas quoque evangelista secutus septuaginta Interpretes, eundem Cainan in ordine genealogiæ patrum in Evangelio suo ponit dicens: *Qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxat, qui fuit Sem*, sanctus Augustinus (*De civ. Dei*, xvi, 10) etiam et Jordanis (Mur. I, p. 222) episcopus eundem simili modo ponunt, cum in bibliotheca (194) sancti Hieronimi secundum Hebraicam veritatem non habeatur, sed Arphaxat Sale genuisse dicatur, aut ipso Hieronimo nescio qua ratione Cainan pretereunte, aut scriptorum vitio nimium permanente. Ratio vero annorum satis in hoc conturbatur.

Prima autem mundi ætas numeratur ab Adam usque ad Noe et diluvium, continens annos 1656 secundum Hebreos, juxta septuaginta Interpretes, 2262. (Cf. Abb. *Chron.*) Dein secunda ætas incipit. (Cf. Isid.)

(Isid.) Sem cum esset annorum centum, genuit Arphaxat biennio post diluvium.

Arphaxat anno 35 [*alias* 135 [105]] genuit Sale, a quo antiqui Samaritæ.

Sale anno 30 genuit Heber, a quo Hebrei dicti sunt.

Heber anno 34 [*alias* 134 [105]] genuit Falech. Cujus temporibus ædificata est turris, incitante hominis ad injuriam et contemptum Dei Nembroth gygante, nepote Noe, filio scilicet Chus, filii Cham, filii Noe. Hujus autem altitudo turris dicitur tenuisse numerum quinque milium passuum et 174, paulatim in altioribus coartata, ut pondus imminens facilius sustineret (Cf. *Gen.* x. — Isid.) Divisiones autem linguarum 72 fuisse hystoriæ declarant, non quod solummodo tot homines tunc fuissent et non plures; sed tot jam principes familiarum ex filiis Noe procreatos ostendit, qui populos et gentes condiderunt (Cf. Bedam.)

A confusione vero linguarum et primatu Heber usque ad nativitatem Abrahæ, qui natus est anno 43° Nini regis Assyriorum, computantur anni 191 secundum Hebraicam veritatem, secundum alios (Jord.) vero 541.

Falech anno vitæ suæ 30 [*alias* 130 [105]] genuit Reu. (Isid.) His temporibus primum templa constructa sunt, ut quidam dicunt, et quidam principes gentium tanquam dii adorari cœperunt.

Riu anno ætatis suæ 32 [*alias* 130 [105]] genuit Saruch, sub quo Scytharum regnum exortum est, ubi primus regnavit Thanus.

Saruch anno vitæ suæ 30 [*alias* 130 [105]] genuit Nachor.

Nachor anno ætatis suæ 29, sive ut alii (195) volunt 79, genuit Thare, sub quo regnum Assyriorum et Sicioniorum exoritur.

(Aug. *ibid.* xvi, c. 1.) Thare anno vitæ suæ septuagesimo genuit Abraham, anno Nini regis Assyriorum 43°, qui [106] est annus circiter millesimus 238us ante conditam Romam, velut alteram in occidente Babyloniam.

Eo autem tempore quo natus est Abraham eminentia gentium regna erant tria, Sicioniorum, Ægyptiorum, Assyriorum; sed Assyriorum multo erat potentius atque sublimius, quia rex ille Ninus, Beli filius, universæ Asiæ populos excepta India huic regno subjugaverat. Unde et primus in mundo regnasse dicitur, non quod ille primus rex esset, cum pater illius Belus ante illum 65 regnasset, sed quia regnandi cupiditate regna externa invasisset. In Assyria igitur prevaluerat dominatus impiæ civitatis:

VARIÆ LECTIONES.

[104] *ita* 1. [105] *ita in margine* 1. [106] qui CCXXXVIIIus *e corr.* 1.

NOTÆ.

(194) Id est Biblia.

(195) Ita semper Isidorus.

hujus caput erat illa Babylon, quam ædificavit Nembrot gygas, contemptor Dei, in principium regni sui, cujus terrigenæ civitatis nomen aptissimum est, id est confusio. In qua civitate rex primus appellatus est Belus, pater Nini, regnavitque apud Assyrios annos 75 usque ad 27mum annum Tharæ, patris Abrahæ (Cf. Hier. ; Oros. I, 4 ; Aug. *l. l.* et c. 4, 17).

(Hier.) Quadragesimo quinto autem anno Beli regis Assyriorum cœpit regnum Sycioniorum, in quo regnavit primus Egialeus an. 52 usque ad 49 annum Tharæ, patris Abrahæ, et ab ejus nomine dicta est terra illa, in qua regnavit, Egialia, quæ deinde [107] Peloponensis nuncupatur. Mortuo autem Egialeo, secundus regnavit Europs ann. 45, cujus 22 anno, qui erat Nini 43us et Tharæ 70us, natus est Abraham.

In regno autem Ægyptiorum sexta decima tunc erat potestas, quam illi vocant dinastiam, ab hoc vero tempore imperabant eis Thebei centum nonaginta annis.

In Assyriorum vero regno mortuo Belo rege anno regni sui 75°, qui erat 27mus Tharæ patris Abrahæ, successit ei filius suus Ninus, qui in serie regni Assyriorum primus ponitur, quia, ut dictum est, ceteris regibus fraudis ignaris et regnorum suorum finibus contentis (Oros. I, 4), ipse propagandæ dominationis libidine arma foras extulit, cruentam vitam annis quinquaginta bellis egit, donec omnem Asiam excepta India sibi subjecit. Novissime Zoroastrem, Bactrianorum regem eundemque magicæ artis, ut ferunt, repertorem, pugna obpressum, interfecit, de quo Aristotiles scribit (Cf. Plin. XXX, 1), quod vicies centum milia versuum ab ipso condita indiciis voluminum illius declarentur (Oros. *l. l.*). Ejus vero artem multa post secula Democritus ampliavit. Ninus autem post expugnatum a se orbem ictu sagittæ interiit. Qui cum regnum Assyriorum ceteris potentius fecisset, anno regni sui 45 condidit civitatem nominis sui Ninum (Hier.), quam Hebrei dicunt Niniven, regnavitque annis 52, decem postquam natus est Abraham.

Anni Nint regis Assyriorum.		*Anni Europis regis Sycioniorum secundi.*
1	22	1
2	23	2
3	24	3
4	25	4
5	26	5
6	27	6
7	28	7
8	29	8
9	30	9
10	31	10
11	32	11
12	33	12
13	34	13
14	35	14
15	36	15
16	37	16
17	38	17
18	39	18
19	40	19
20	41	20
21	42	21

(Hier.) Anno igitur Nini regis Assyriorum 43, et Europis regis secundi Syciniorum [108] 22, natus est Abraham de Thare septuagenario, eodemque anno cœperunt Thebei Ægyptiis imperare, et hoc per annos 190. Ab hoc itaque loco omnes hystoriarum scriptores incipiunt annales.

Hic etiam finitur numerus ætatis secundæ, habens annos 292, et fiunt simul anni duarum ætatum, hoc est ab Adam usque ad Noe et diluvium et a diluvio usque ad Abraham 1948 [109] secundum Hebraicam veritatem. (Cf. *Abbr. Chron.*) Orosius autem secutus septuaginta Interpretes dicit, ab Adam usque ad Abraham esse annos 3184, et ab Abraham usque ad Christum 2015 (I, c. 1).

Tercia vero ætas incipit ab Abraham usque ad David.

Hebr. Abrah.	Assyr. Ninus.	Sycion 22	Ægypt. Thebei.	
1	43	22	1	
2	44	23	2	Hinc usque ad egressum Israel de Ægypto anni 505.
3	45	24	3	(Hier.) Ninus condidit civitatem Ninum in regione Assyriorum, quam Hebrei
4	46	25	4	dicunt Niniven. Quadragesimus jubeleus incipit a tercio anno Abrahæ. Unus
5	47	26	5	autem jubeleus quinquaginta sunt anni.
6	48	27	6	
7	49	28	7	Zoroastres rex Bactrianorum magicæ artis inventor claruit.
8	50	29	8	
9	51	30	9	
10	52	31	10	

(Hier., Oros., Hier., Jord.) Semiramis, uxor Nini, regnavit post eum in Assyriis ann. 42, de qua innumerabilia narrantur. Nam non contenta terminis quos a viro suo, tunc solo bellatore, acceperat, Ethyopiam bello pressam suo imperio adjecit, Indis bellum intulit, quo preter illam et Alexandrum nullus intravit. Hæc (196) Babyloniam muris coctilibus instauravit, et aggeres propter inundationes aquarum construxit *. Sub qua et Abraham adolescit in Chaldea, qui et ipse natione Chaldeus fuit.

*11. *addit* : Hæc (197) privignum suum Trebetam regno expulit, qui per mare et Rhenum et

VARIÆ LECTIONES.

[107] hactenus G. [108] *ita* I. *sæpius*. [109] *e corr., ut videtur* I.

NOTÆ

(196) Cf. Ovid., Met. IV, 58, et ex ipso Hier. ad Osee, c. 2.

(197) Cf. Gesta Trevir.

Mosellam classe vectus, Treverim primus construxit et eam ex nomine suo, ut aiunt Treverenses, appellavit. Unde etiam ad hæc tempora parvum repertum fuit ibi in lapide sculptum hoc epitaphium:

Nini Semiramis, quæ tanto conjuge felix
Plurima possedit sed plura prioribus addit,
Non contenta suis, nec totis finibus orbis,
Expulit a patrio privignam Trebeta regno,
Insignem profugus qui nostram condidit urbem
Treveris etc.

Hebr.	Assyr.	Sycion	Ægypt	
11	1	32	11	
12	2	33	12	
13	3	34	13	
14	4	35	14	
15	5	36	15	
16	6	37	16	
17	7	38	17	
18	8	39	18	
19	9	40	19	
20	10	41	20	
21	11	42	21	
22	12	43	22	
23	13	44	23	
24	14	45	24	
25	15	1	25	(198) (Hier. Aug. xviii.) Telchin tercius rex Syciomorum regnavit annis 20. Quo
26	16	2	26	regnante usque adeo cum illis mitia et læta tempora fuerunt, ut eum defunctum velut deum colerent, sacrificando et ludos celebrando, quos ei primitus institutos ferunt.
45	35	1	45	(Hier.) Apis quartus Sicioniorum rex regnavit annis 25, a quo terra illa Apia dicta est, quæ prius Egialia nun upata est, nunc vero Peloponensis appellatur. 2000 annorum ab origine.
53	1	9	53	(Hier.) Zameis, qui et Ninias, filius Nini et Semiramidis, rex Assyriorum quartus regnavit annis 38. (Jord.) Cujus 23 anno Abraham cum esset septuaginta quinque annorum, Domino jubente de Aran egressus, ivit in terram Chanaan, factaque est ad eum repromissio Dei; (Hier.) et hic est annus primus repromissionis, ex quo ad egressum Israel de Ægypto computantur anni 430, quorum meminit Paulus apostolus dicens: *Hoc autem dico testamentum* et cet.
54	2	10	54	
55	3	11	55	
56	4	12	56	(Hier.) Cres primus regnavit in ea insula, quæ ab eo Creta dicta est.
70	18	1	70	Telexion rex Sycioniorum quintus regnavit an. 52.
75	23	6	75	Abraham cum septuaginta quinque annorum esset, divino dignus alloquio repromissionem accepit. Primus annus repromissionis.
89	37	20	89	Abraham ex ancilla Agar genuit Ismahelem, a quo Ismahelitarum gens, qui postea Agareni, deinde Sarraceni dicti sunt.
90	38	21	90	
91	1	22	91	Arius rex Assyriorum quintus regnavit ann. 30.

Hebreorum Abrah.	Ysaac.	Assyr.	Sycion.	Ægypt.		
100		10	31	100		Abraham cum centenarius esset, genuit Isaac ex Sara libera nonagena-
101	1	11	32	101		ria, et vixit postea ann. 75. — Primo omnium prophetarum Abrahæ verbum Dei cum in figura apparuisset humana, vocationem gentium pollicebatur, quam in nostro tempore sermo Christi perduxit ad finem per Evangelium in omnes gentes predicationem.
121	21	1	52	121		Aralius rex Assyriorum sextus regnavit annos 40.
122	22	2	1	122		Egidrus Sicioniorum rex sextus regnavit annos 34.
153	53	33	32	153		(*An.* 2100.)
156	56	36	1	156		Thurimachus rex Sycioniorum septimus regnavit annis 45.
157	57	37	2	157		
158	58	38	3	158		
159	59	39	4	159		
160	60	40	5	160		Isaac anno vitæ suæ 60 genuit de Rebecca geminos, quorum prior Esau, qui et Edom, a quo Idumei, alter Jacob, qui cognominatus est Israel, a quo Israhelitæ.

Hebreorum Abrah.	Ysaac.	Jacob.	Assyr.	Sycion.	Ægypt.	Argivor.		
161	61	1	1	6	161	1		Xerxes, qui et Baleus, rex Assyriorum 7us regnavit annis 30. — Ab hoc loco incipit regnum Argivorum, ubi primum regnavit Argis Inachus annis 50. Quod [110] regnum fuit ab Inacho usque ad Euristeum primum Mycenarum regem per annos 552.
174	74	14	14	19	174	14		100 annus repromissionis [111].
175	75	15	15	20	175	15		Abraham mortuus est.

VARIÆ LECTIONES.

[110] Quod — DLII *e corr.* 1. [111] *hos annos in sequentibus omisi.*

NOTÆ.

(198) In sequentibus annos plures qui vacui exstant omisi.

76	16	16	21	176	16	
90	30	30	35	190	30	nucusque Thebei imperabant Ægyptiis, ex hinc Pharaones per annos centum et tres, qui et pastores dicti sunt, ob hoc, ut conjicimus, quia Jacob et filii ejus ut pastores ingressi sunt in Ægyptum temporibus eorum.
91	31	1	36	1	31	Armamitres rex Assyriorum octavus regnavit annos 38.
101	41	11	1	11	41	Leucippus rex Sycioniorum 8 regnavit ann. 53.
109	49	19	9	19	49	Sem mortuus est post annos quingentos a diluvio, et hunc
110	50	20	10	20	50	quidam putant esse Melchisedech, traduntque Hebrei, ab hoc usque ad sacerdotium Aaron omnes primogenitos fuisse sacerdotes et Deo victimas immolasse, et hæc esse primogenita quæ vendiderit fratri suo Jacob (Cf. Isid. Hier. *in Isaiam* c. xli).
111	51	21	11	21	1	

(Hier. — Aug. xviii, 3; *ib.* viii, c. 27.) Phoroneus, Inachi et Niobæ filius, secundus regnavit Argis ann. 60. Hic primus leges et judicia Grecis conscripsit. Cujus soror Io Ægyptum regina est facta et Isis dicta, et quia late justeque imperaverat multaque commoda Ægyptiis fecerat et litteras eis instituerat, divinum post mortem meruit honorem, in tantum ut, si quis diceret eam hominem fuisse, plecteretur capite. Hæc Osyridis regis Ægypt. cum esset uxor, et parentibus regis, qui omnes reges fuisse dicebantur, sacrificasset, hordei segetem invenit, atque inde spicas marito regi et ejus consiliario Mercurio demonstravit; unde et eandem Cererem esse quidam volunt. (Hier.) Io vero postea nupta Telegoni genuit Epaphum.

126	66	36	26	56	16	Thessalus, filius Greci, regnavit in Thessalia; sed a Greco
127	67	37	27	37	17	Grecia, a Thessalo Thessalia dicta est (Cf. Plin. i, 7).
128	68	38	28	38	18	
129	69	1	29	39	19	(Hier.) Belochus rex Assyriorum regnavit ann. 35.
130	70	2	30	40	20	
136	76	8	36	46	26	Ogyges condidit Eleusinam in Attica provincia, quæ antiquitus vocabatur Acta, et alias civitates plurimas. Cujus temporibus apud lacum Tritonidem virgo apparuit, quam Greci Minervam vocaverunt.

Hebreorum Ysaac.	Jacob.	Assyr.	Sycion.	Ægypt.	Argiv.	
137	77	9	37	47	27	
138	78	10	38	48	28	Jacob Liam duxit et Rachel in Mesopotamia.
150	90	22	50	60	40	Jacob genuit Joseph, decem filiis antea natis.
151	91	23	51	61	41	
152	92	24	52	62	42	
153	93	25	53	63	43	
154	94	26	1	64	44	(*An.* 2200.) Messapus rex Sycioniorum 9 regnavit ann. 47.
160	100	32	7	70	50	Diluvium in Achaia factum est sub Ogyge. In Ægypto quoque
161	101	33	8	71	51	diluvium fuit.
162	102	34	9	72	52	
163	103	35	10	73	53	
164	104	1	11	74	54	Baleus rex Assyriorum decimus regnavit annis 52
165	105	2	12	75	55	
166	106	3	13	76	56	

(Hier. — *Gen.*) Joseph cum sedecim esset annorum, a fratribus in Ægyptum venditur, sed dominus terræ a Pharaone constituitur, ad quem pater fame cogente cum omni domo sua descendit, ibique habitavit.

170	110	7	17	80	60	

(Hier.) Apis tercius regnavit Argis annis 35, quem dicunt esse Serapim. Ilic fratrem suum Egialeum preficiens regem Achaiæ, ipse cum populo ad Ægyptum navigavit. (Aug. *De civ. Dei*, xviii, 5.) Ubi cum mortuus esset, factus est Serapis maximus omnium Ægyptiorum deus. Quem cum sepultum venerarentur in sarcophago priusquam templum ei construeretur, ab eo quod sarcophagum dicunt soror, primum dictus est Sorapis quasi sororapis, postea mutato o in e [113] dictus est Serapis. Constitutum est etiam de illo, ut quisquis eum hominem fuisse dixisset, capitalem penderet sententiam. Et quoniam fere in omnibus templis, ubi colebatur Isis, colebatur et Serapis, erat ibi simulacrum, quod digito labiis impresso ammonere videretur, ut silentium fieret, scilicet ne quis eos homines fuisse diceret. (C. 6.) Apis ergo non Ægyptiorum sed Argivorum rex fuit, cui apud Ægyptum hæc instituta sunt.

171	111	8	18	81	1	(Hier.) Apis regnavit ann. 35.
174	114	11	21	84	4	200 annus repromissionis.
179	119	16	26	89	9	Memphis in Ægypto ab Ape condita est.
180	120	17	27	90	10	Joseph cum esset annorum 30, dux Ægypti constitutus est a Pha-
Ysaac	121	18	28	91	11	raone.
anno-	131	28	38	101	21	Jacob descendit in Ægyptum cum familia sua.
rum	132	29	39	102	22	
180 mor	133	30	40	103	23	
tuus est.	134	31	41	1	24	Post 18 dinastiam apud Ægyptios primus Diapolitanorum Amoses
regn. ann. 25.						
	140	37	47	7	30	Sparta condita a Sparto, filio Foronei.
	141	38	1	8	31	Arathus rex Sycioniorum decimus regnavit ann. 46.
	142	39	2	9	32	
	143	49	3	10	33	
	144	41	4	11	34	

VARIÆ LECTIONES.

[113] e in o 1.

145	42	5	12	35
146	43	6	13	1
147	44	7	14	2

(Hier.) Argus, filius Apis, succedens patri, regnavit annis 70, a quo Argi dehinc Argivi dicti sunt. (Aug. *l. l.* c. 6.) Quo regnante cepit Grecia uti frugibus et habere segetes, delatis aliunde seminibus. Hic etiam post mortem divinos meruit honores.

Jacob cum esset annorum 147, mortuus est in Ægypto, relinquens filium suum Joseph ducem Ægypti, annorum 57, agentem in principatu annum 27. (Jord.) Joseph autem corpus patris sui cum magno honore revocavit in terram Chanaan.

An. Joseph post mortem Jacob.					
57	45	8	15	3[113]	
65	1	16	23	11	(Hier.) Altadas rex Assyriorum 11[us] regnavit annis 32.
66	2	17	24	12	
67	3	18	25	13	
68	4	19	1	14	Chebron rex Ægyptiorum regnavit ann. 13.
80	16	31	13	26	His temporibus dicitur Prometheus fuisse, a quo homines factos esse de luto fingunt poetæ, quia, cum esset sapiens, feritatem et imperitiam hominum ad humanitatem et scientiam transformabat. Cujus frater Athlas magnus fuit astrologus. Qui quoniam cursus siderum in Athlante monte deprehendit, nacta occasione fabula hunc cœlum portare confinxit. (Aug. *l. l.* c. 8.) Mercurius etiam, nepos Athlantis ex filia Maia, multarum artium peritus claruit, et ab hoc post mortem in numerum deorum cessit. Multa quoque in Grecia his temporibus confinguntur.
81	17	32	1	27	(Hier.) Ammenofis [114] rex Ægyptiorum 3 regnavit ann. 21
96	32	1	16	42	Plemneus rex Sycioniorum 11 regnavit ann. 48.
97	1	2	17	43	Maminthus rex Assyriorum 12 regnavit annos 30.
98	2	3	18	44	
99	3	4	19	45	
100	4	5	20	46	
101	5	6	21	47	
102	6	7	1	48	(*An.* 2300.) Meires rex Ægyptiorum 4 regnavit ann. 12.
103	7	8	2	49	
110	14	15	9	56	Joseph anno vitæ suæ 110, principatus vero 80, defunctus est; ex hinc Hebreorum servitus dura in Ægypto annis 144. Fiunt autem omnes anni quos Hebrei exegerunt in Ægypto 215, qui computantur ab eo tempore quo Jacob in Ægyptum descendit cum filiis suis.

Anni Hebreorum in Ægypto post Joseph.					
1	15	16	10	57	
2	16	17	11	58	
Hebr.	Assyr.	Sycion.	Ægypt.	Argiv.	
3	17	18	12	59	
4	18	19	1	60	(Hier.) Mispharmutos rex Ægytiorum 5 regnavit ann. 26.
15	29	30	12	1	Creausus rex Argivorum quintus regnavit ann. 54.
16	30	31	13	2	
17	1	32	14	3	Machaleus rex Assyriorum 13[us] regnavit ann. 30
30	14	45	1	16	Theomesis rex Ægyptiorum 6[us] regnavit ann. 9.
31	15	46	2	17	
32	16	47	3	18	
33	17	48	4	19	
34	18	1	5	20	Ortopolis Syciniorum 12[us] regnavit ann. 63.
35	19	2	6	21	
36	20	3	7	22	
37	21	4	8	23	
38	22	5	9	24	
39	23	6	1	25	Ammenopes rex Ægyptiorum 7[us] regnavit ann. 31. — His temporibus fuisse putatur Syrus indigena, a quo Syria dicta est.
47	1	14	9	33	Sperus rex Assyriorum 14 regnavit ann. 20.
65	19	32	27	51	Moyses in Ægypto nascitur.
66	20	33	28	52	
67	1	34	29	53	Mamilus rex Assyriorum 15[mus] regnavit annis 30.
68	2	35	30	54	Epidaurus condita est.
69	3	36	31	1	Phorbas rex Argivorum sextus regnavit ann. 35.
70	4	37	1	2	Horus rex Ægyptiorum octavus regnavit ann. 38.
77	11	44	8	9	Hemon regnavit in Thessalia, a quo dicta est Hemonia (Cf. Plin. I, 7).
78	12	45	9	10	
79	13	46	10	11	
80	14	47	11	12	
81	15	48	12	13	(Hier.) Hercules fertur primus Antheum superasse luctæ certamine.
88	22	55	19	20	Xanthus triopa Lesbum condidit.
89	23	56	20	21	
90	24	57	21	22	
91	25	58	22	23	

VARIÆ LECTIONES.

[113] *in* 1. *anni* 3-17, *uno numero priores scripti sunt*, 17 *vero bis.* [114] amenosis *corr.* amenofis 1.

92	26	59	23	24	(*An.* 2400.)
93	27	60	24	25	
94	28	61	25	26	30 annus Moysi
95	29	62	26	27	
96	30	63	27	28	
97	1	1	28	29	Sparatus rex Assyriorum 16us regnavit annis 40. — Marathius rex
98	2	2	29	30	Sycioniorum 13us regnavit annis 30.

A tricesimo quinto anno Moysi regnum cœpit Atheniensium, ubi primum regnavit Cecrops, qui et Difies, ann. 50. Difies autem dictus est sive ob longitudinem corporis, sive quia, cum esset Ægyptius, utramque linguam sciebat, Ægyptiacam et Grecam. Hic in Acta, quæ nunc Attica dicitur, Athenas, quam et Diadas vocant, condidit, quam urbem Euboici Corcomenon appellaverunt. (Aug. *l. l.* 5.) Quæ civitas ut vocaretur Athenæ, quod certe nomen a Minerva est, quæ Grece Athena dicitur, hanc causam Varro narrat. Cum apparuisset illic repente olivæ arbor, et alio loco erupissent aquæ, regem prodigia ista moverunt. Unde misit ad Appollinem Delphicum super hac re sciscitandum. Qui respondit, quod Neptunum et Minervam significaret, et quod in civium esset potestate, ex cujus duorum numinum nomine potius civitas vocaretur. Hoc oraculo Cecrops accepto, cives omnes utriusque sexus consulendos convocavit. Mos enim tunc in eisdem locis erat, ut etiam feminæ publicis consultationibus interessent. Consulta igitur multitudine, mares pro Neptuno, feminæ pro Minerva tulere sententias. Sed quia una plus inventa est feminarum [115], Minerva vicit. Tunc Neptunus iratus, marinis fluctibus exestuantibus terras Atheniensium populatus est, quoniam spargere latius quaslibet aquas dæmonibus difficile non est. Cujus ut iracundia placaretur, triplici supplicio ab Atheniensibus affectæ sunt mulieres, ut nulla ulterius ferrent suffragia, ut nullus nascentum acciperet nomen maternum, ut ne quis eas Athenas vocaret. Ita illa civitas, mater et nutrix liberalium doctrinarum et tot tantorumque phylosophorum, qua nichil habuit Grecia clarius atque nobilius, ludificantibus dæmonibus de lite deorum suorum, maris et feminæ, et de victoria per feminas, feminæ, id est Minervæ, nomen Athenas accepit. (Isid. — Hier.) Unde et Cecrops Atticos Athenienses appellavit, et ab eo regio Crecopia [116] vocata est. Iste bovem immolans, primus Jovem invocavit, eumque in sacrificio adorari precepit. A quo usque ad primam olimpiadem numerantur reges 17, principes vero quos mors tantum finiebat 12, sub quibus apud Grecos multa miranda narrantur. Tunc enim primum Curetes et Coribantes, qui Gnosum condiderunt, modulatam et consonam in armis saltationem invenerunt. Tunc etiam fuisse in Thessalia diluvium sub Deucalione describitur. Tunc etiam Phetontis fabulosum incendium, tunc templum Apollini Delphis construitur, et multa hujusmodi. A Crecope [117] vero usque ad Trojæ captivitatem computantur anni 329.

Hebr.	Assyr.	Sycion.	Ægypt.	Argiv.	Athen.	
99	3	3	30	31		
100	4	4	31	32	1	Cecrops rex primus Atheniensium regnavit annis 50.
101	5	5	32	33	2	
102	6	6	33	34	3	
103	7	7	34	35	4	
104	8	8	35	1	5	(Jord. — Hier.) 40 annus Moysi. Qui occiso Ægypto fugit in terram Madian.
105	9	9	36	2	6	Triopas rex Argivorum septimus regnavit ann. quadraginta sex.
106	10	10	37	3	7	
107	11	11	38	4	8	
108	12	12	1	5	9	Acenceres rex Ægyptiorum nonus regnavit ann. duodecim.
109	13	13	2	6	10	
115	19	19	8	12	16	Deucalion regnare cœpit apud eos qui circa Parnasum morabantur.
116	20	20	9	13	17	
117	21	21	10	14	18	
118	22	22	11	15	19	
119	23	23	12	16	20	
120	24	24	1	17	21	Achoris rex Ægyptiorum decimus regnavit ann. septem.
127	31	1	1	24	28	(Hier.) Marathus rex Sycion. 14us regnavit ann. 20. — Cenchris
128	32	2	2	25	29	Ægypt. rex 11us regnavit annis 18.
129	33	3	3	26	30	Diluvium sub Deucalione in Thessalia.
137	1	11	11	34	38	Aschatades rex Assyriorum 17us regnavit ann. 40.
144	8	18	18	41	45	(Jord. — Hier.) Moyses anno repromissionis 430 populum Israhel, jubente Deo, in signis et virtutibus eduxit de Ægypto, cum esset annorum 80, eisque in heremo per annos 40 legem exponit.

Ab hoc loco usque ad Salomonem et ædificationem templi numerantur anni 478, ad captivitatem vero Trojæ 329.

An. ducat. Moysi.						
1	9	19	1	42	46	Acherres Ægyptiorum 12us rex regnavit ann. 8.
2	10	20	2	43	47	
3	11	1	3	44	48	Echireus rex Syciniorum quintus decimus regnavit ann. 55.
4	12	2	4	45	49	
5	13	3	5	46	50	Primus pontifex Hebreorum Aaron constituitur.
6	14	4	6	1	1	Crotopus rex Argivorum octavus regnavit annis viginti et uno .—
7	15	5	7	2	2	Gravanus rex Atheniensium secundus regnavit ann. 9.
8	16	6	8	3	3	
9	17	7	1	4	4	Cherres Ægypt. rex 13us regnavit ann. 15.
15	23	13	7	10	1	Amphicteon rex Atheniensium tercius regnavit ann. decem.
24	32	22	1	19	10	Armagis Ægypt. rex 14us regnavit annis 5. Hic etiam Danaus

VARIÆ LECTIONES.

[115] fe | | narum 1. [116] *ita* 1. *alii* cecropia. [117] *ita* 1. *alii* cecrope.

25	33	23	2	20	1	dictus est. Erycthonius Atheniensium rex quartus regnavit ann.
20	34	24	3	21	2	quinquaginta. Hic in Grecia primum junxit currum. (Aug. *l. l.*,

c. 2.) Ipse quippe in templo Vulcani et Minervæ, quod ambo unum habebant, inventus est puer a dracone involutus; quod significavit eum magnum futurum. Et cum parentes ejus essent ignoti, propter commune templum dictus est Vulcani et Minervæ filius. Et quia a dracone involutus erat, draconteis pedibus fingitur natus, et ob hoc junxisse currum.

27	35	25	4	1	3	(Hier.) Stenelus rex Argivorum nonus regnavit ann. 11.
28	36	26	5	2	4	

Remeses, qui et Ægyptus, a quo Ægyptus, quæ prius Acria dicebatur, nomen accepit, regnavit ann. 68. Huic erat frater Danaus, qui habuit quinquaginta filias; Ægyptus vero habuit totidem filios, quos Danaus simulatis nuptiis per filias suas una nocte omnes occidit, excepto Linceo, qui post eundem Danaum Argis regnavit, qui miseratione suæ sponsæ effugit. (Or. I, 11.) Ipse vero Danaus, pulso fratre, Ægypto regnavit, sed pulsus et ipse postea, Argos se contulit, ubi a Stenelo benigne susceptus, et ipsum postea expulit, et in loco ejus regnavit.

29	37	27	1	3	5	
30	38	28	2	4	6	
31	39	29	3	5	7	
32	40	30	4	6	8	
33	1	31	5	7	9	(Hier.) Amintes rex Assyriorum 18[us] regnavit ann. 45.
34	2	32	6	8	10	
35	3	33	7	9	11	
36	4	34	8	10	12	
37	5	35	9	11	13	

Danaus, a quo et Danai, rex Argivorum decimus, expulso Stenelo, regnavit ann. 50, minoresque ejus perseveraverunt usque ad Euristeum, filium Steneli, nepotem Persei, post quem Pelopides imperium susceperunt, primo ex ipsis regnante Atreo.

Eodem tempore Dardanus Dardaniam condidit, templum Delphis a Flegeo incensum est.

Hoc etiam tempore Busyrides in Ægypto fuit, filius Neptuni et Lybiæ, filiæ Epaphi. Qui dum apud loca Nilo vicina tyrannidem exerceret, transeuntes hospites crudeli scelere posita ara interfecit.

(Aug. *l. l.*, c. 12.) Per hæc tempora, id est, ab egressu filiorum Israel ab Ægypto usque ad mortem Josuæ, sacra sunt instituta falsis diis a regibus, quæ memoriam diluvii, quod fuerat sub Deucalione, vitæque erumnosæ modo ad alta modo ad plana migrantium revocaverunt.

38	6	36	10	1	14	
39	7	37	11	2	15	
40	8	38	12	3	16	

(Hier.) Moyses cum esset annorum 120, anno principatus sui quadragesimo, defunctus est, ad cujus obitum a fabrica mundi computantur anni 3730 secundum Septuaginta interpretationem, juxta Hebraicam vero veritatem duo milia 493 [118].

(Hier.) Josue, qui et Jesunave (*ita Aug. et Jord.*), minister et successor Moysi, introduxit populum in terram promissionis et divisit eis terram, et rexit populum annis 27

1	9	39	12	4	17	
8	16	46	20	11	24	(*An.* 2500.)
18	26	1	30	21	34	Corax Sycioniorum rex 16[us] regnavit ann. 30.
27	35	10	39	30	43	

Mortuus est Josue, cum esset annorum 110; post cujus mortem cum peccassent filii Israel coram Domino, tradidit eos Dominus in manus alienigenarum annis 8, dein clamantibus ad Dominum dedit ducem Gothoniel, qui primus judex rexit annis 40, quibus annumerantur illi octo afflictionis Hebreorum [119]. (Cf. Hier.)

1	36	11	40	31	44	(Hier.) Eo tempore Finees suscepit sacerdotium Gotoniel.
8	43	18	47	38	1	Pandion rex Athen. quintus regnavit ann. 40. Hujus filiæ fuerunt
9	44	19	48	39	2	Progne et Phylomela.
10	45	20	49	40	3	
11	1	21	50	41	4	Belochus rex Assyriorum nonus decimus regnavit annis 25.

Hujus filia Tosa, quæ et Semiramis, regnavit cum patre ann. 8.

Hoc tempore Juppiter mixtus est Europæ, filiæ Phenicis, quam rapuerunt Cretenses navi, cui fuit insigne taurus, quam postea Asterius, quem alii (Aug. *l. l.*, c. 12) Xantum dicunt, rex Cretensium accipiens uxorem, procreavit ex ea Radamantum et Sarpedonem et Minoem, quos magis ex eadem femina filios Jovis fuisse vulgatum est.

(Hier.) Tunc etiam Cathmus regnavit Thebis, ex cujus filia Semele natus est Dionisius, qui et Liber pater et Bachus dictus est. Postea Cathmus et Phenix profecti de Thebis in Syriam, apud Tyrum et Sydonem regnaverunt. Linus et Zetus et Amphion hoc tempore in musica arte claruerunt. Ea quoque quæ de Dana [120], ex qua Perseus natus est, dicta sunt, hoc tempore gesta sunt.

Ephyra, quæ nunc Chorintus dicitur, a Sysipho condita est, et Bythinia a Phenice. Tharsus quoque et Paphus conditæ sunt.

Hebr.	Assyr.	Sycion.	Ægypt.	Argiv.	Athen.	
21	11	1	60	1	14	Epopeus Sycion. rex 17[us] regn. ann. 35. — Linceus, Argivorum

rex 11[us], regn. ann. 41.

30	20	10	1	10	23	Menopes, rex Æg. 17[us] regn. ann. 40.

Bellespares rex Assyriorum vicesimus, regnavit annis 30 (*cf. infra*).

VARIÆ LECTIONES.

[118] *e corr.* 1. [119] judeorum 5. [120] *ita* i. *pro* Danæ.

(Aug. *l. l.* — Oros. c. 9.) Hoc tempore Dionisius, qui et Liber pater, vitem dicitur ostendisse hospiti suo in Attica terra. Hic etiam subactam Indiam sanguine madefecit, cedibus oblevit, libidinibus polluit, gentem utique nulli unquam hominum obnoxiam vernacula tantum quiete contentam. (Hier.) Habebat autem multas in exercitu suo feminas, quæ Bache appellatæ sunt, non tam virtute fortes aut nobiles quam furere.

(Aug. *l. l.*) His etiam temporibus Hercules cognomento Desanaus in Phenice clarus habetur, sed non ille cujus ingentia et innumerabilia narrantur facta, et quem Greci suis litteris produnt se ipsum incendisse. Secretiori quippe hystoria, ut sanctus Augustinus ait, plures fuisse Hercules et Liberi patres et Apollines dicti sunt.

(Hier.) Eo quoque tempore Minos regnavit in Creta, et Celeus in Eleusina. Archas etiam, Jovis et Calistonis filius, Pelasgis in deditionem receptis, regionem eorum Archadiam nuncupavit.

31	21	11	2	11	24	
32	22	12	3	12	25	
33	23	13	4	13	26	
34	24	14	5	14	27	
35	25	15	6	15	28	
36	1	16	7	16	29	Bellespares rex Assyriorum ann. 30.
37	2	17	8	17	30	
38	3	18	9	18	31	
39	4	19	10	19	32	
40	5	20	11	20	33	

(Cf. Hier.) Post mortem Gothoniel iterum peccaverunt Hebrei Domino, ipsoque dimittente affixerunt eos Allophili ann. 18, qui tamen annumerantur annis Aoth.

(Beda.) Aoth ex tribu Effraim, secundus judex Hebreorum, judicavit eos ann. 80. Hic utraque manu pro dextera utebatur.

1	6	21	12	21	34	
7	12	27	18	27	40 [121]	
8	13	28	19	28	1	(Hier.) Erictheus, rex Athen. 6[us], regnavit annis 50. Hujus filiam Orithiam rapuit Boreas, filius Astrei, rex Tracum, quem fabula ventum fuisse confingit.
16	21	1	27	36	9	Laomedon, rex Sycioniorum 18[us], regnavit annis 40
22	27	7	33	1	15	Arbas, rex Argivorum 12[us], regnavit ann. 23.
23	28	8	34	2	16	

(Aug.. *l. l.*, c. 13.) Lamprides, Assyriorum rex vicesimus primus, regnavit ann. 32.

(Hier.) His temporibus fabula conficta est de Triptolemo, Celei filio, quod, jubente Cerere, serpentium pennis gestatus indigentibus frumenta contulerit. Revera autem, ut Philocorus ait, longa navi ad urbes diversas accedens frumenta distribuit, cujus navis insigne serpens pennatus fuit.

Fabula quoque Proserpinæ, quam rapuit Aidoneus, id est Orcus, rex Molossorum. Cujus canis miræ magnitudinis Cerberus nomine Pirithoum devoravit, qui ad raptum uxoris ejus cum Theseo venit, quem et ipsum Theseum jam in mortis periculo constitutum adveniens Hercules liberavit, et ob id quasi ab inferis ereptus dicitur.

Hac ætate Frixus dicitur fuisse secundum opinionem quorundam, qui cum Elle sorore sua fugiens insidias novercales, visus est per aerem vehi ab ariete velleris aurei. Fuit autem ei navis parata fugienti, cujus insigne aries erat. (Aug. *l. l.*) Porro Palefatus [122] affirmat, illius nutritorem Taurum vocatum, per quem liberatus sit. His temporibus Latona peperit Apollinem, non illum cujus oracula solebant consuli Delphis, sed illum qui cum Hercule servivit Admeto, qui tamen sic est deus creditus, ut pene omnes unum eundemque Apollinem fuisse opinentur.

24	29	9	35	3	17	
25	30	10	36	4	18	
26	1	11	37	5	19	Lamprides.
27	2	12	38	6	20	
28	3	13	39	7	21	
29	4	14	40	8	22	
30	5	15	1	9	23	(Hier.) Setus, rex Æg. 18[us], regn. ann. 55, qui primus fuit post 18 [123] dinastiam.
45	20	30	16	1	38	Proetus, rex Argivorum 15[us], regn. annis 17.
56	31	1	27	12	49	Sycion, rex Sycioniorum 19[us], regn. ann. 45, a quo Sycionii
57	32	2	28	13	50	dicti sunt, qui prius Ægialei dicebantur.

Sosares, rex Assyriorum 22[us], regnavit ann. viginti.

His temporibus Pelops regnavit in Grecia, a quo Peloponensis est vocata. (Oros. I, 12.) Hic (199) fuit Pandionis filius, sub quo mysteria Grecorum esse cepere.

In Dardania vero regnavit Tros, a quo Trojani nuncupati sunt. Horum temporibus Melampus divinus agnoscitur.

Tunc Tantalus Frigas regebat, qui prius Meones vocabantur. Hic Ganimedem, Trois Dardaniorum regis filium, cum in venatu flagiciosissime rapuisset, majore conserti certaminis feditate detinuit, sicut Fanocles poeta confirmat, qui maximum bellum ob hoc excitatum fuisse commemorat. (Hier. Oros. *l. l.*) Quidam autem dicunt ipsum Tantalum, utpote asseclam deorum, raptum puerum ad libidinem Jovis familiari

VARIÆ LECTIONES.

[121] *Hic deficit cod.* 10 ; *unde* 11 *jam ad historiam transit Romanam ita pergens :* His temporibus cœpit regnum esse in Italia. Quod translatum Romam, per diversas potestates excrevit in monarchiam Romanorum, quæ hactenus durat, sicut sequens ratio declarabit. [122] *e corr., duobus vocabulis, quorum alterum erat* philocorus, *erasis* 1. [123] VIII. 1.

NOTÆ

(199) Dicit Hieronymus de Erechtheo.

Jenocinio preparasse, qui filium quoque suum Pelopem epulis ejus non dubitasset impendere. Ipse etiam Pelops, quia Hyppotamiam duxit uxorem, contra Dardanios Trojanosque magna pertulit certamina.

Eo etiam tempore Atrei et Thiestis stupra et parricidia cœlo quoque invisa contigerunt ; Medea quoque sevo amore sauciata, cede pignorum parvulorum grassatur ; Etheocles eciam et Polinices mutuis concursibus perierunt.

(Hier. — Oros. I, 11. — Aug. c. 13.) Perseus, interfecto non sponte Acrisio, a Grecia in Asiam transiit, ibi barbaras gentes gravi diuturnoque bello domuit, et novissime victor nomen subjectæ dedit. A Perseo namque Persæ sunt vocitati. Perseus vero et uxor ejus Andromeda post mortem sic in cœlum rapti crediti sunt, ut imagines eorum stellis designarentur et eorum nominibus appellarentur.

(Aug. *ib*. c. 14.) Ino, uxor Radamanti, et filius ejus Melicertes precipicio spontaneo in mari perierunt, et Ino a Grecis Leucothea dicta est, a Latinis mater Matuta, Melicertes deus Portunus.

(Oros. I, 12. — Aug. c. 13.) Tunc et Œdippus fuit, patris interfector, matris maritus, filiorum frater, suusque vitricus, de quo fabula refert, quod monstrum quoddam quadrupes humana facie, quod sphingam dicunt, suo precipicio perire compulerit, eo quod questionem, quam velut insolubilem solebat proponere, solverit.

Aliæ quoque fabulæ his temporibus fictæ sunt. De Gorgone scilicet, quod serpentibus crinita fuerit et pulchritudine sui aspectus homines in lapides converterit, de Pegaso equo ex ejus sanguine nato, de Yppocentauris, quod equorum hominumque natura permixti sint, et aliæ multæ.

(Hier.) Ion, quidam vir fortissimus, Athenienses ex suo vocabulo Iones vocavit.

Hebr.	Assyr.	Sycion.	Egyp.	Argiv.	Athen.	
58	1	3	29	14	1	Cecrops, junior Ericthei frater, rex Athen. 7us regnavit ann. 40.
59	2	4	30	15	2	
60	3	5	31	16	3	
61	4	6	32	17	4	
62	5	7	33	1	5	Acrisius, Argivorum rex 14us, regn. ann. 39.
78	1	23	49	17	21	Lamperes, rex Assyriorum 23us, regnavit ann. triginta.

Hujus temporibus, mortuo Acrisio, defecit regnum Argivorum, quod stetit per annos 452 ; exin translato in Micenas imperio, regnavit post Acrisium Euristeus, Steneli filius, deinde Atreus, Thyestes, Agamemnon, Egystus, Orestes, Thysamnus, Pentilus, Cometus usque ad Heraclydarum descensum in Peloponensem.

79	2	24	50	18	22	
80	3	25	51	19	23	

Post mortem Aoth Hebreos in ditionem sibi redigunt alienigenæ annis 20, qui conjunguntur temporibus Debboræ et Barach.

(Beda. — Aug. c. 15.) Debbora prophetissa judicavit populum annis 40, debellans hostes per Barach, qui fuit ex tribu Neptalim. Debbora vero fuit ex tribu Effraim, cujus prophetia de Christo minus est aperta et diuturna indiget expositione.

1	4	26	52	20	24	
2	5	27	53	21	25	
3	6	28	54	22	26	
4	7	29	55	23	27	
5	8	30	1	24	28	(Hier.) Ramses, rex Ægypt. 19us, regnavit ann. 66.
18	21	43	14	37	1	Pandion, rex Atheniensium 8us, regnavit ann. 25.
19	22	44	15	38	2	
20	23	45	16	39	3	
				Micenarum regnum incipit.		
21	24	1	17	1	4	Polibus, Sycion. rex 20us, regn. ann. 40. — Euristheus, rex Micenarum primus, regnavit ann. 45.
28	1	8	24	8	11	Pannias, rex Assyriorum 24us, regnavit annis 45.

Hoc tempore Amphion regnabat Thebis, quem ferunt cantu cytharæ saxa movisse, quia duro corde et, ut ita dixerim, saxei quidem erant auditores.

Ea etiam quæ de Spartis memorantur hoc tempore contigisse dicuntur, quod Palefatus scribit, eos, cum proximarum essent regionum, adversus Cathmum constitisse, et propter repentinos quasi de terra contractus et ex omni parte confluentiam Spartos esse vocatos.

Ilium conditum est ab Ilo.

(Aug. c. 15.) (*H. R.*) His temporibus Laurentes ubique in Italia regnabant, quorum rex primus, ut quidam dicunt, Picus fuit, filius Saturni. Qui Saturnus Jovem filium de Grecia fugiens, in civitate quæ ex ejus nomine Saturnia dicta est latuit, cujus ruinæ hactenus cernuntur in finibus Tusciæ non longe ab Urbe. Et quia in Italia latuit, ab ejus latebra Latium appellata est. Hic rudes adhuc populos et in montibus aut silvis latitantes ad plana deduxit, domos ædificare, terras colere, vineas plantare docuit, atque humanis moribus vivere instituit, cum antea semiferi glaudium alimentis tantummodo vitam sustentarent, et aut in speluncis aut frondibus virgultisque contextis casulis habitarent. Et quia docuit eos terram stercore conficere, ut uberiores funderet fruges, Stercutius sive Sterticen vocatus est. (Aug. *l. l.* — *H. R.*) Ipse etiam et nummos æreos primus instituit. Pro quibus meritis indocilis et rustica multitudo deum illum appellavit. Sed ut quibusdam placet, primus in Italia regnavit Janus, deinde Saturnus, quem (200) ipse Janus fugientem de Grecia suscepit et propter ingenium ejus in regni consortium assumpsit, (*H. R.*) deinde Picus, filius ejus, de quo fabulose dicitur, quod a quadam maga famosissima Circe nomine ob contemptum ejus amorem in avem nominis sui mutatus sit, eo quod augur preclarus avem picum in augurio secum habuerit (Cf. Aug. *l. l.*). (*H. R.*) Post hunc filius ejus Faunus, qui fuit pater Latini, cujus mater Carmentis Nicostrata Latinas litteras creditur repperisse. Quibus regnantibus 150 anni referuntur evoluti. Reguante tamen Latino, qui Latinam linguam correxit Latinosque de nomine suo vocavit, Troja capta est, cum apud Hebreos Lapdon tercium sui principatus ageret annum.

NOTÆ.

(200) *Quem — assumpsit*, unde hausta sint nescio

Hebr.	Assyr.	Sycion.	Ægypt.	Argiv.	Atheu.	
40	13	20	36	20	25	

(Hier.) Post mortem Debboræ Hebreos in ditionem redegerunt alienigenæ annis 7, qui conjuncti sunt annis Gedeon secundum traditiones Judeorum [124]. Gedeon, qui et Hierobaal, ex tribu Manasse judicavit populum Hebreorum annis quadraginta (cf. Bedam).

1	14	21	37	21	24	
2	15	22	38	22	25	
3	16	23	39	23	1	(Hier.) Egeus, filius Pandionis, rex Athen. 9us, regn. annis 48.
21	34	1	57	41	19	(Hier.) Inachus, rex Sycion. 21us, regnavit ann. 42.
22	35	2	58	42	20	
23	36	3	59	43	21	
24	37	4	60	1	22	Atreus et Thiestes fratres regnaverunt Mycenis annis 65.
31	44	11	1	8	29	Menoses, rex Ægypt. 20us, regn. ann. 40. Hic a quibusdam
32	45	12	2	9	30	(Orosio) dicitur Vesoces [125].
33	1	13	3	10	31	(Hier.) Sosarmus, rex Assyriorum vicesimus quintus, regnavit annis decem et novem. His temporibus quidam asscribunt gesta Liberi patris et ea quæ de Ligurgo et Acteone et Pentheo dicuntur.
40	8	20	10	17	38	

Abimelech, filius Gedeon ex concubina, occisis fratribus suis septuaginta, judicavit populum Hebreorum annis tribus (cf. Hier.)

1	9	21	11	18	39	
2	10	22	12	19	40	
3	11	23	13	20	41	
1	12	24	14	21	42	Thola, filius Foa patrui Abimelech, judicavit Hebreos annis 22

(cf. Hier. et Bed.)

8	19	31	21	28	1	(Hier.) Theseus, filius Ægei, rex Athen. 10us, regnavit ann. 30.

Mitreus, rex Assyriorum vicesimus sextus, regnavit annis 27.

Hoc tempore Orpheus Trax clarus habebatur, cujus discipulus fuit Museus, Emolpi filius.

(Aug. c. 13.) Linus etiam, magister Herculis, famosus fuit; ipse etiam Hercules certamina multa egit, Antheum interfecit, qui idcirco filius Terræ dicitur fuisse cadensque vires ex ea sumpsisse, quia palestricæ artis, quæ in terra exercetur, scientissimus erat. (Hier.) Ydram autem quam Hercules occidit, licet alii dicant [126] paludem fontibus redundantem, Plato asserit mulierem fuisse callidissimam sophystam.

Bellum Laphytarum et Centaurorum hoc fuit in tempore, quos scribit Palefatus nobilissimos equites fuisse Thessalorum, ipsosque a Laphitis creditos et dictos esse Centauros, (Oros. I, 13) quia discurrentes in bello equites velut unum corpus equorum et hominum sua velocitate viderentur conficere.

(Hier.) Ea etiam quæ de Dedalo referuntur hoc tempore fuisse dicuntur, qui visus est fecisse simulacra se moventia, qui etiam primus omnium pedes statuarum a se invicem separavit, aliis conjunctim eas facientibus, necnon quomodo cum filio Icharo Minoem navi fugerit, et propter nimiam velocitatem et investigabilem fugam avolasse pennis estimatus sit.

(Oros.) Minos [127] Cretensibus leges dedit, cujus filius Androgeus ab Atheniensibus dolo interfectus est, cum ludos agentes superaret. Unde atrocissimum inter Cretenses et Athenienses certamen fuit, ubi populis utrisque profligatis, cruentiorem victoriam infeliciter exercuerunt Cretenses. Qui nobilium Atheniensium [128] filios Minotauro devorandos crudeliter addicebant. Utrum vero hic Minotaurus ferus ac inhumanissimus crudelisque fuerit homo, an informe prodigium, dubitatur (*ita Oros.*). (Hier.) Scribit enim Philocorus in secundo Attidis libro, magistrum Minois fuisse Taurum nomine inhumanum atque crudelem, et quia Minos super mortem Androgei agonem statuerat, præmii nomine pueros Atticos largiens, ille fortissimus omnes in contentione superabat; sed tandem factum est, ut a Theseo in palestria vinceretur, ob quod Athenienses pueri a tributaria pœna liberati sunt. Theseus autem Athenienses, qui prius per regionem dispersi erant, in unam congregavit civitatem. Qui etiam Helenam rapuit, quam rursus fratres illius receperunt, capta matre Thesei. Tandem Theseus Athenas profugus dereliquit, ignominiose ejectus.

Hoc etiam tempore Argonautæ fuerunt, qui cum Jasone pro rapiendo vellere aureo Colchos petierunt. Quo tempore Laomedon regnavit apud Trojam, post quem filius ejus Priamus, sub quo Troja capta est (cf. Hier.).

(Oros. I, 14.) Eodem quoque tempore Vesoces rex Ægypti meridiem et septentrionem, divisas pene toto cœlo ac pelago plagas, aut miscere bello aut regno jungere studens, Scythis primus bellum indixit, missis prius legatis, qui hostibus parendi leges dicerent. Scythæ autem legatis responderunt, stolide opulentissimum regem adversus inopes sumpsisse bellum, quod timendum sibi magis versa vice fuerit; propter incertos belli eventus nulla ibi premia, et dampna manifesta; porro sibi non exspectandum dum ad se veniatur, sed causa predæ ultro se obviam ituros. Nec mora; nam dicta factis insecuntur, primumque ipsum Vesocen territum refugere in regnum cogunt, destitutum vero exercitum invadunt, omnemque belli apparatum capessunt, universam quoque Ægyptum depopularentur, nisi paludibus Nili impedirentur. Inde continuo reversi, totam Asiam infinitis cedibus perdomuerunt. Hi autem fuerunt, qui Getæ vel Gothi dicti sunt, et hoc modo hocque tempore primum de Scythia exierunt (cf. *Jord. de reb. Get.*, c. 6.

9	1	32	22	29	2	Mitreus.
20	12	1	33	40	13	(Hier.) Festus, Sycion. rex 22us, regn. ann. 8.
21	13	2	34	41	14	
29	14	3	35	42	15	

VARIÆ LECTIONES.

[124] hebreorum 5. [125] Hic — Vesoces *post addita esse videntur* 1. [126] dicunt *cor. ut videtur* dicant 1. [127] inos *littera* M *rubra omissa* 1 *ideoque* Inos 5. [128] athenensium 1.

Jair ex tribu Manasse judicavit populum Dei annis viginti duobus habens filios bellatores 30, totidem civitatum principes.

Hebr.	Assyr.	Sycion.	Ægypt.	Mycen.	Athen.	
1	15	4	36	43	16	
2	16	5	37	44	17	
3	17	6	38	45	18	
4	18	7	39	46	19	
5	19	8	40	47	20	
6	20	1	1	48	21	Adrastus, Sycion. rex 23us, regn. ann. 4. — Agamenes, rex Ægypt. 21us, regnavit annis 26.
7	21	2	2	49	22	
8	22	3	3	50	23	
9	23	4	4	51	24	
10	24	1	5	52	25	Phylopides, Sycion. rex 24us, regnavit annis 31.
11	25	2	6	53	26	
12	26	3	7	54	27	
13	27	4	8	55	28	

Thautanes, rex Assyriorum vicesimus septimus, regnavit annis 32.

His temporibus Minos adhuc leges et jura constituit, qui tandem in Sicilia adversus Dedalum arma capiens, a filiabus Cocali occiditur.

(Hier.) Tunc etiam Hercules agonem Olympiacum constituit, a quo usque ad primam olimpiadem subputantur anni 430. Cui inter ejus ingentia duodecim annumerantur insignia (cf. Aug. c. 12. — Hier.) Qui dum plura fortiter fecisset, incidit in morbum pestilentem, et ob remedium doloris injecit se in flammas in monte Œta, sicque morte finitus est anno ætatis suæ 52.

Per hoc tempus Alexander Paris Helenam rapuit, propter quam decennale Trojanum bellum ortum et Troja capta est. Rapuit autem eam annó 15. Thautanis et 25. annò ejus Troja capta est

14	1	5	9	56	29	Thautanes.
15	2	6	10	57	30	
16	3	7	11	58	1	Menesteus, rex Athen. 11us, regn. ann. 23.
22	9	13	17	64	7	

Post mortem Jair Hebreos in suam ditionem redigunt Ammonitæ annis 19, qui cum temporibus posteriorum judicum computantur juxta traditionem Judæorum.

1	10	14	18	65	8	Jepthe judicavit populum Hebreorum annis 6.
2	11	15	19	1	9	Agamemnon Micenis imperat. ann. 15, cujus anno 15° Troja capitur.
1	16	20	24	6	14	

Abessan sive Esebon judicavit populum Dei annis septem (*Jud.* xii), habens triginta filios totidemque filias, deditque filias viris et filiis duxit uxores dum adhuc viveret

2	17	21	25	7	15	
3	18	22	26	8	16	
4	19	23	1	9	17	(Hier.) Theores, Ægypt. rex 22us, regn. ann. 7.
5	20	24	2	10	18	
6	21	25	3	11	19	
7	22	26	4	12	20	

Labdon judicavit populum Dei annis octo, habens filios 40. In libro autem Judicum (cap. xii) fertur póst Esebon rexisse populum ann. 10 judex Aglaon, qui apud 70 interpretes non habetur. (Isid.) Tercio autem anno Labdon, qui est 25us Thautanis, capta est Troja.

1	23	27	5	13	21	
2	24	28	6	14	22	
3	25	29	7	15	23	(Hier.) Excidium Trojæ, ex quo usque ad primam olimpiadem computantur anni 405.

Ægyptiorum dinastia vicesima mox post excidium Trojæ incipit, tendens per annos centum septuaginta septem, cujus temporis reges apud nos non habentur. — Micenarum vero reges post hæc non scribuntur in ordine; regnavit tamen post Agamennonem Egistus, post quem Orestes, dein Thysamenus, Pentilus, Cometus; sicque post annos octoginta ab excidio Trojæ ad Lacedemones translatum est regnum (cf. Hier.).

4	26	30	1		1	Demophoon, filius Thesei, rex Athen. 12us regnavit ann. 33.
5	27	31	2		2	

(Jord. Aug. c. 19) Æneas fugiens de Troja venit ad Italiam cum viginti navibus, ut dicunt (*H. R.* Jord.), anno tercio post excidium Trojæ, licet quidam dicant (cf. Hier., Jord., *H. R.*, Aug.), cum venisse anno septimo, seque conjunxit affinitatis gratia cum Latino, filio Fauni, rege Latinorum, accepta filia ejus Lavinia in uxorem, interfecto Turno, Dauni Tuscorum regis filio, qui eam desponsaverat; sicque Frigas Italosque populos unitos nominavere Latinos, et jam ex tunc et deinceps quamvis in pauperrimo regno locoque angusto qui dicebatur Agro Laurentum regnaverunt. Mortuo autem Latino, regnavit Æneas annis tribus, fecitque castellum quod ex nomine uxoris suæ Lavinium appellavit. Qui (201) dum sevissimus esset ac crudelissimus belligerator et nulli parceret, ob tantam impietatem a Deo ictu fulminis percussus interiit. Quidam dicunt (cf. Fred. II, 8, 3) quod Æneas et Frigas duo fratres fuerint germani, e quibus Æneas in Latio, Frigas regnaverit in Frigia, de quo progressa progenies cum per multas regiones vagando cum uxoribus et liberis oberraret, elegit sibi regem ex se Francionem nomine, ex quo Franci putantur vocari, eo quod ipse fortissimus esset, et dum cum plurimis gentibus pugnasset, dirigens iter suum in

NOTÆ.

(201) *Qui — interiit.* ex quo auctore desumpta sint nescio. In Uspergensi (11) de ipso hæc narrantur *Hinc Romanorum gens duxit originem ab Æneа profugo et, ut ipse Virgilius adulatur, viro forti ab aliis vero traditur, patriæ proditore ac necromantico, utpote qui etiam uxorem suam diis suis immolaverit.*

Europam, inter Rhenum et Danubium consedit, ibique mortuo Francione, plurima prelia gesserunt quos reliquit, quibus attrito, ad parvam manum deducti sunt. Illinc duces ex se constituerunt, attamen jugum alterius ferre semper recusaverunt. Ex quibus progressi estimantur qui adhuc Franci vocantur.

(*H. R.*) Mortuo autem Ænea, Ascanius, filius ejus, quem ei Creusa apud Trojam peperit, quemque secum adduxit, regnum suscepit, annisque 38 regnavit. Genuit autem Lavinia filium post mortem Æneæ, quem Postumum Æneam vocavit, qui etiam Silvius dictus est, ut quidam dicunt (Jord.) quia Lavinia, metuens invidiam Ascanii, clam eum in silva genuit et nutrivit. (*H. R.*) Quem tamen Ascanius summa pietate educavit, et derelinquens Lavinium novercæ suæ Laviniæ, Albam condidit civitatem, ibique regnavit, filiumque generans Julium vocavit, unde familia Juliorum orta est. Cumque regnasset Ascanius annis 38, et filius ejus adhuc esset parvulus nec regendis civibus idoneus, fratrem suum Postumum Æneam Silvium regni reliquit heredem, a quo reges postmodum dicti sunt Silvii, et ab Alba Albani (cf. Jord.)

(Hier.) His temporibus facta dicuntur ea quæ de Ulixe referuntur, quomodo trieri fugerit Scyllam, hospites spoliare solitam. Scribit quoque Palefatus in primo libro incredibilium, Syrenas tunc fuisse meretrices, quæ decipiebant navigantes.

Tunc etiam Pyrrus in templo Delphici ab Oreste occiditur, proditione sacerdotis Macharei.

Homerum quoque tunc fuisse quidam dicunt, de cujus tempore varia opinio est, aliis dicentibus eum fuisse post annos centum Trojanæ eversionis, aliis post 200 aliis post 180 aliis diverso modo.

Hebr.	Assyr.	Sycion.	Ægypt.	Alban.	Athen.	
				Latin.		
6	28	1	3	Æneas.	3	Pelasgus, Sycion. rex 25us, regn. ann. 20.
7	29	2	4	1	4	
8	30	3	5	2	5.	

Post Lapdon Hebreos in ditionem suam redigunt alienigenæ annis 40, qui annumerantur temporibus judicum posteriorum secundum traditionem Hebreorum.

Samson judicavit populum Hebreorum annis viginti. Qui cum mirabiliter fortis esset, a gentibus putatus est Hercules.

1	31	4	6	3	6	
2	32	5	7	1	7	Ascanius, Albanorum rex primus, regn. ann. 38.
3	1	6	8	2	8	(Hier.) Teuteus, Assyriorum rex vicesimus octavus, regnavit ann. quadraginta. Cujus anno primo Ascanius civitatem condidit, quam Albam longam vocavit.
18	16	1	23	17	23	Zeuxippus, rex Sycioniorum 26us et ultimus, regnavit ann. 32.
19	17	2	24	18	24	
20	18	3	25	19	25	

Heli sacerdos pariter et judex erat annis quadraginta, sub quo arca capta est, quod ille audiens ceci de sella sua et mortuus est.

1	19	4	26	20	26	
9	27	12	34	28	1	Onixistes, Athen rex 13us, regnavit ann. 12.
20	38	23	45	1	12	Silvius Postumus, filius Æneæ, Albanorum rex secundus, regnavit annis 29.
21	39	24	46	2	1	Aphidas, Athen. rex 14us, regnavit annum unum.
22	40	25	47	3	1	Thymætes, Athen. rex 15us, regnavit ann. 8.
23	1	26	48	4	2	Tineus, rex Assyriorum 29us, regnavit annis 30. Quo regnante filii Hectoris, expulsis Antenoris posteris, receperunt Ilium, Heleno subsidium sibi ferente.
30	8		55	11	1	Melanthus Athen. 16us regnavit ann. 37

Defecit regnum Sycioniorum, quod per annos 962 [129] traditur porrectum.

31	9		56	12	2
40	18		65	21	11

Samuel propheta et judex et Saul rex populum Hebreorum regebant annis quadraginta. Ex hoc cœperunt reges esse in populo Hebreorum; Saul quippe primus erat (cf. Hier.)

1	19		66	22	12	
9	27		74	1	20	(Hier.) Æneas Silvius, Albanorum rex tercius, regnavit ann. 31, In alia vero reperitur hystoria, Latinum Silvium quarto regnasse loco, Silviæ et Melampodis filium, fratrem Postumi Silvii, et quinto, qui nunc hic quartus ponitur, Silviam Æneam, Silvii Postumi filium.
10	28		75	2	21	
11	29		76	3	22	
12	30		77	4	23	

Dercilus, rex Assyriorum tricesimus, regnavit annis 40. Quidam dicunt, hoc tempore Homerum fuisse.

Hoc tempore Peloponenses contra Athenienses dimicant. (Aug. c. 19.) Codrus autem rex Athenien sium [130] Peloponensibus, suæ civitatis hostibus, se interficiendum ignotus obtulit, sicque patriam liberavit, Responsum enim acceperant Peloponenses, tum demum se superaturos esse Athenienses, si regem illorum non occidissent; Codrus autem habitum pauperis induens, accessit ad castra colligens ligna. cosque jurgiis provocavit, donec eum quidam interfecerunt. (Aug. *l. l.*) Unde ait Virgilius: *Et jurgia Codri.* Quem Athenienses tanquam deum honore sacrificiorum coluerunt.

Hebr.	Assyr.	Ægypt.	Alb	Athen.	Laced.	Chorinth.	
13	1	78	5	24			
14	2	79	6	25			(Hier.) Lacedemoniorum et Chorinthiorum regna exo-

VARIÆ LECTIONES.

[129] mille LXIII. 3 9c. [130] athenensium 1.

Heor.	assyr.	ægypt.	Alban.	Athen.	Laced.	Chorinth	
15	3	80	7	26			riuntur; sed Lacedemon.orum rex primus Euristheus
16	4	81	8	27	1	1	regnavit annis 42. Corinthiorum vero primus Alethes regnavit annis 35.
27	15	92	19	1	12	12	Codrus, filius Melanthi, rex Atheniensium 17[us], regnavit annis 21.
40	28	105	1	14	25	25	Latinus Silvius, rex Albanorum quartus, regnavit ann. 50.

Hic finitur ætas tercia, habens annos nongentos quadraginta, et fiunt simul anni trium ætatum 2888. Quarta ætas dehinc incipit a David (cf. Isid. abb. Chron.)

1	29	106	2	15	26	26	(Hier.) David ex tribu Juda rex Israel regnavit annis 40,

prophetantibus in Judæa Samuele, Gath, Nathan, Asaph; sub quo Abiathar pontifex.

8	36	113	9	1	33	33	Medon, rex Athen. 18[us], regnavit ann. 20.
9	37	114	10	2	34	34	
10	38	115	11	3	35	35	
11	39	116	12	4	36	1	Yxyon, rex Chorinthiorum secundus, regnavit annis 37.
12	40	117	13	5	37	2	
13	1	118	14	6	38	3	Eupales, Assyriorum rex tricesimus primus, regnavit

annis triginta octo. Cujus anno 30, ut quidam dicunt, Kartago condita est a Carcedone Tyrio, sive ut alii volunt a filia ejus Didone, anno centesimo tricesimo quinto post eversionem Trojæ.

14	2	119	15	7	39	4	
15	3	120	16	8	40	5	
16	4	121	17	9	41	6	
17	5	122	18	10	2	7	
18	6	123	19	11	1	8	Ægis, Lacedemonum rex secundus, regnavit annum
19	7	124	20	12	1	9	unum, post quem tercius Echestratus regnavit ann. 35.
28	16	133	29	1	10	18	Acastus, Athen. rex 19[us], regnavit ann. 36.
1	29	146	42	14	23	31	Salomon, filius David, omnium Hebreorum regum sa-

pientissimus ac ditissimus, potitur regno Israhelitico, a patre David nobiliter dilatato, qui Domino monente templum Hierosolimis mirabiliter, patris suffragantibus impensis, quarto regni sui anno ædificare cœpit, annoque regni 11° omne opus templi consummavit. Regnavit autem annis 40. Sadoch et Ahias Sylonites prophetabant.

2	30	147	43	15	24	32	
3	31	148	44	16	25	33	
4	32	149	45	17	26	34	Prima templi ædificatio, ex qua usque ad [131] desolationem

ejus anni 442, menses 4, dies 10, usque ad restaurationem vero ejus, id est ad secundum annum Darii, anni 512, menses 7, dies 20.

5	33	150	46	18	27	35	
6	34	151	47	19	28	36	
7	35	152	48	20	29	37	
8	36	153	49	21	30	1	Egelaus, rex Chorint. 3[us], regnavit ann. 37.
9	37	154	50	22	31	2	
10	38	155	1	23	32	3	Alba Silvius, Albanorum quintus, regnavit ann. 39.
11	1	156	2	24	33	4	Laosthenes, rex Assyriorum tricesimus secundus, regna-
12	2	157	3	25	34	5	vit annis quadraginta quinque.
13	3	158	4	26	35	6	
14	4	159	5	27	1	7	Labotes, rex Lacedem. quartus, regnavit ann. 37.
24	14	169	15	1	11	17	Archippus, rex Athen. 20[us], regnavit ann. 19.
33	23	1	24	10	20	26	Ægyptiorum dinastia 21[a], in qua primus regnavit Se-
							mendis ann. 26.
40	30	8	31	17	27	33	

Hic oritur dissonantia hystoriarum in annis videlicet Salomonis, qui in libro Regum dicitur annis quadraginta regnasse. Josephus vero dicit (III, 11), cum annis octoginta regnum tenuisse, et omne vitæ illius spacium annorum 94 fuisse. Mortuo autem Salomone, regnum Hebreorum divisum est, et duæ tantum tribus remanserunt cum Roboam, filio Salomonis, qui regnavit in Hierusalem; quæ duæ tribus ex eo quod David ex tribu Juda ortus est, dictæ sunt Juda, unde et universa gens Judæorum sortita est nomen; decem vero tribus retinentes antiquum nomen, Israel dictæ sunt, regemque sibi elegerunt Hieroboam, qui regnavit in Samaria (cf. Hier. et Aug. XVII, 21).

(Hier.) Roboam itaque, filius Salomonis, regnavit super Judam in Hierusalem ann. 17, licet alii dicant 22. Cujus anno quinto Sesahc (*ita Beda*) sive [132] Susachim rex Ægypti pugnans contra Hierusalem, cepit eam, et spoliavit templum. Prophetabant autem in Judæa Achias, Amos, Johel et Azarias.

Hieroboam autem regnavit super Israel in Samaria ann. 22, et peccare fecit Israel in vitulis aureis, quod malum per annos multo prevaluit (*III Reg.* XII).

Juda.	Israel							
1	1	31	9	32	18	28	34	
2	2	32	10	33	19	29	35	
3	3	33	11	34	1	30	36	(Hier.) Thersippus, Atheniensium rex vicesimus
4	4	34	12	35	2	31	37	primus, regnavit ann. 41.
5	5	35	13	36	3	32	1	Primnis rex Chorinthiorum quartus, regnavit

VARIÆ LECTIONES.

[131] ad — XX. *partim e corr., partim post add.* 1. [132] q. s. sive *e corr.* 1.

Juda.	Israel.	Assyr.	Ægypt.	Alban.	Athen.	Laced.	Chor.	
6	6	36	14	37	4	33	2	annis triginta quinque.
7	7	37	15	38	5	34	3	
8	8	38	16	39	6	35	4	
9	9	39	17	1	7	36	5	Egyptus Silvius sive Atis, rex Albanorum sextus,
10	10	40	18	2	8	37	6	regnavit annis viginti quatuor.
11	11	41	19	3	9	1	7	Doristus, Lacedemoniorum rex quintus, regnavit
12	12	42	20	4	10	2	8	annis viginti novem.
13	13	43	21	5	11	3	9	
14	14	44	22	6	12	4	10	
15	15	45	23	7	13	5	11	

Pyriciades, rex Assyriorum tricesimus tercius, regnavit annis triginta.

His temporibus Ephesus condita est ab Andronico. Samus quoque conditur et Smirna in modum urbis ampliatur. Una etiam ex Sybillis claruit, quia plures legimus.

16	16	1	24	8	14	6	12	
17	17	2	25	9	15	7	13	
1	18	3	26	10	16	8	14	Abia, filius Roboam regnavit super Judam in

Hierusalem annis tribus (cf. HIER. et BEDAM.).

2	19	4	1	11	17	9	15	(HIER.) Pseusennes, rex secundus vicesimæ primæ
3	20	5	2	12	18	10	16	dinastiæ Ægyptiorum, regnavit annis quadraginta et uno.
1	21	6	3	13	19	11	17	Asa, filius Abiæ, regnavit in Hierusalem super

Judam annis quadraginta et uno, prophetantibus in Judæa Aggeo, Hieu, Amos, Johel, Azaria, qui et Abdo [133], Abdia, Michea (cf. HIER. et BEDAM.).

2	22	7	4	14	20	12	18	
3	1	8	5	15	21	13	19	Nabath, filius Hieroboam, regnavit in Samaria
4	2	9	6	16	22	14	20	annis duobus, quem interfecit Baasa, et regnavit pro eo (cf. HIER.).
5	1	10	7	17	23	15	21	Baasa regnavit super Israel in Samaria [134] annis

viginti quatuor.

12	8	17	14	24	30	22	28	Tria milia annorum ob origine mundi.
13	9	18	15	1	31	23	29	(HIER. et *H. m.*) Capis Silvius, qui Capuam con-

didit, filius regis superioris, rex Albanorum septimus, regnavit ann. viginti et octo.

20	16	25	22	8	38	1	1	(HIER.) Agesilaus, Lacedem. rex 6[us], regnavit
21	17	26	23	9	39	2	2	ann. 44. — Bachis, Chor. rex 5[us], regnavit ann. 35.
22	18	27	24	10	40	3	3	
23	19	28	25	11	41	4	4	
24	20	29	26	12	1	5	5	Phorbas, rex Atheniensium vicesimus secundus,
25	21	30	27	13	2	6	6	regnavit ann. triginta et uno.
26	22	1	28	14	3	7	7	Offractheus, rex Assyriorum tricesimus quartus,
27	23	2	29	15	4	8	8	regnavit annis viginti.
28	24	3	30	16	5	9	9	
29	1	4	31	17	6	10	10	Hela, filius Baasa, regnavit super Israel annis
30	2	5	32	18	7	11	11	duobus, quem occidit Zambri et regnavit in loco

ejus [135] septem diebus [136] (cf. HIER.).

31	1	6	33	19	8	12	12	Amri, occiso Zambri [137], regnavit super Israel
								annis duodecim.
40	10	15	1	28	17	21	21	Nefercheres rex Ægypt. regnavit ann. quatuor.
41	11	16	2	1	18	22	22	Carpentius Silvius, rex Albanorum octavus, re-

gnavit annis tredecim.

1	12	17	3	2	19	23	23	Josaphat, filius Asæ, regnavit super Judam in

Hierusalem ann. viginti quinque. Cujus temporibus prophetaverunt Helias, Heliseus, Abdias, Zacharias, Micheas.

2	1	18	4	3	20	24	24	Ahab, filius Amri [138], regnavit super Israel ann.

viginti duobus.

	2	19	1	4	21	25	25	Ammenopthis, rex Ægypt. regnavit ann. novem.
4	3	20	2	5	22	26	26	
5	4	1	3	6	23	27	27	Offratanes, rex Assyriorum tricesimus quintus,

regnavit annis quinquaginta.

12	11	8	1	13	30	34	34	(HIER.) Osochor rex Ægypt. regnavit annis sex.
13	12	9	2	1	31	35	35	Tiberinus Silvius, Carpentii filius, rex Albanorum

nonus, regnavit ann. octo. (*H. m.*) Hic cadens in fluvium Albulam extinctus est, unde postea Tiberis appellatus est.

14	13	10	3	2	1	36	1	(HIER.) Megiales vel Migades [139], rex Atheniensium

vicesimus tercius regnavit annis triginta. — Agelas rex Corinthiorum 6[us] regnavit ann. 30

15	14	11	4	3	2	37	2
16	15	12	5	4	3	38	3
17	16	13	6	5	4	39	4
18	17	14	1	6	5	40	5

Spinnacheus rex Ægyptiorum regnavit annis 9.

VARIÆ LECTIONES.

[133] qui et Abdo *in margine* 1. [134] samaria *superscr.* tersa *alia fortasse manu* 1. r. pro eo 5. [136] s. d. *e corr.* 1. [137] o. z. *e corr.* 1. [138] *e corr.* 1. [139] vel m. *post add.* 1.

Jud.	Israel.	Assyr.	Ægypt.	Alban.	Athen.	Laced.	Chor	
19	18	15	2	7	6	41	6	
20	19	16	3	8	7	42	7	
21	20	17	4	1	8	43	8	Agrippa Silvius, filius Tyberini, rex Albanorum decimus, regnavit annis 40.

His temporibus quidam dicunt Homerum fuisse. In Latina quippe hystoria hæc ad verbum scripta reperimus (*ita Hier.*) : Agrippa apud Latinos regnavit. Homerus in Grecia claruit, ut testantur Apollodorus grammaticus et Euphorbus historicus ante Urbem conditam anno 143, et ut ait Cornelius Nepos ante olimpiadem primam anno 138.

22	21	18	5	2	9	44	9	
23	22	19	6	3	10	1	10	Archelaus, rex Lacedemoniorum 7us, regnavit annis 60.
24	1	20	7	4	11	2	11	Ochozias, filius Ahab, rex Israel regnavit in Sama-
25	2	21	8	5	12	3	12	ria annis 2.
1	1	22	9	6	13	4	13	Joram, filius Ahab, frater Ochoziæ, regnavit super Israel annis 12. — Joram, filius Josaphat, regnavit super Judam in Hierusalem annis 8. Quo tempore prophetabant in Judea Helias et Heliseus et Micheas. Septimo autem regni ejus anno Helias raptus est.
2	2	23	1	7	14	5	14	Spusennes rex Ægyptiorum regnavit annis 35.
3	3	24	2	8	15	6	15	
4	4	25	3	9	16	7	16	
5	5	26	4	10	17	8	17	
6	6	27	5	11	18	9	18	
7	7	28	6	12	19	10	19	Helias rapitur.
8	8	29	7	13	20	11	20	
1	9	30	8	14	21	12	21	Aazias sive Ochozias (*ita Hier.*), filius Joram regis Juda, regnavit anno uno.
1	10	31	9	15	22	13	22	Athalia, mater Aaziæ, regnavit in Hierusalem annis septem. Quæ cum occidisset omne semen regis filii sui, Josabeth, filia Joram, soror Aaziæ, furata est Joas, filium regis Aaziæ, et abscondit eum, qui postea regnavit (*IV Reg.* XI). (HIER.) Hæc Josabeth uxor fuit pontificis Joiadæ, quem Dominus in evangelio Barachiam vocat, qui clarus eo tempore habebatur, solusque post Moysen centum triginta annos vixisse perhibetur.
2	11	32	10	16	23	14	23	
3	12	33	11	17	24	15	24	
4	1	34	12	18	25	16	25	Hieu interfecit Joram, filium Ahab, regem Israel anno duodecimo regni sui, et regnavit ipse super Israel ann. viginti octo
5	2	35	13	19	26	17	26	
6	3	36	14	20	27	18	27	
7	4	37	15	21	28	19	28	
1	5	38	16	22	29	20	29	Joas, filius Aaziæ sive Ochoziæ, patrocinante Joiada ponfifice regnavit super Judam in Hierusalem annis quadraginta. Hic anno sexto sive ut quidam scribunt (HIER. — Cf. *II, Par.* XXIV.'— *Jos.* IX, 10) tricesimo sexto regni sui Zachariam, filium Joiadæ, occidit oblitus bonorum quæ fecit sibi Joiada.
(HIER.)	Heliseus moritur.							
2	6	39	17	23	30	21	30	
3	7	40	18	24	1	22	1	Diognitus, rex Athenarum vicesimus quartus, regnavit ann. viginti octo. — Eudemus, rex Corinthiorum septimus, regnavit annis viginti quinque.
14	18	1	29	35	12	33	12	Acrazapes, rex Assyriorum tricesimus sextus, re-
15	19	2	30	36	13	34	13	gnavit annis quadraginta duobus.
16	20	3	31	37	14	35	14	
17	21	4	32	38	15	36	15	
18	22	5	33	39	16	37	16	
19	23	6	34	40	17	38	17	
20	24	7	35	1	18	39	18	Aremius Silvius, Agrippæ filius, Albanorum rex undecimus, regnavit annis decem et novem. Hic inter montes ubi nunc Roma est presidium Albanorum ponens, ob impietatem fulminatus est. Hujus filius Julius Proculus proavus fuit Julii Proculi illius qui cum Romulo Romam commigrans fundavit Juliam gentem.
21	25	8	1	2	19	40	19	Sisonchus rex Ægypt. regnavit ann. viginti et uno.
22	26	9	2	3	20	41	20	
23	27	10	3	4	21	42	21	
24	8	11	4	5	22	43	22	
25	1	12	5	6	23	44	23	Joazhaz, filius Hieu, regnavit super Israhel annis
26	2	13	6	7	24	45	24	decem et septem.
27	3	14	7	8	25	46	25	
28	4	15	8	9	26	47	1	Aristedemes, rex Chorinthiorum octavus, regnavit
29	5	16	9	10	27	48	2	annis triginta quinque.
30	6	17	10	11	28	49	3	
31	7	18	11	12	1	50	4	Fereclus, rex Athenarum vicesimus quintus, regnavit annis decem et novem.
39	15	26	19	1	9	58	12	Aventinus Silvius, Aremii filius, Albanorum rex duodecimus, regnavit ann. triginta sex. De cujus nomine mons Aventinus dictus est, quia ille ibi sepultus est.
40	16	27	20	2	10	59	13	
1	17	28	21	3	11	60	14	Amasias, filius Joas, regnavit in Hierusalem annis viginti et novem.

Juda.	Israel.	Assyr.	Ægypt.	Alban.	Athen.	Laced.	Chor.	
2	1	29	1	4	12	1	15	Joas, filius Joachaz, regnavit super Israel annis sedecim. — Osorthon rex Ægypt. regnavit ann. quindecim. Theleclus [140], rex Lacedemoniorum octavus, regnavit annis quadraginta.
10	9	37	9	12	1	9	23	Arifron, rex Atheniensium vicesimus sextus, regnavit annis viginti.
11	10	38	10	13	2	10	24	
12	11	39	11	14	3	11	25	
13	12	40	12	15	4	12	26	
14	13	41	13	16	5	13	27	
15	14	42	14	17	6	14	28	
16	15	1	15	18	7	15	29	Tonos Concoloros, quem Greci Sardanapallum nominant, rex Assyriorum tricesimus septimus regnavit annis viginti. (Oros. I, 19.) Hic muliere corruptior inter scortorum greges femineo habitu purpuram colo tractans, a nullo suorum pene videbatur, a prefecto autem suo Arbace, qui tunc Medis prefuit, visus atque exsecrationi habitus, mox etiam, excitis Medorum populis, provocatus ad bellum, vincitur, seque ardenti pyræ pre dolore injiciens concrematur; sicque Arbaces regnum capiens ad Medos transtulit; regnum vero Assyriorum post annos mille ducentos 19 a primordio regni Nini, ex quo vero pater ejus Belus regnare cœpit post annos mille 294 finem tantæ diuturnitatis accepit (cf. Hier. et Bedam). Ferunt (Hier.) autem, interim usque ad Dejochum regem sine principibus res agi, et in medio hoc tempore Chaldeos proprie prevaluisse, quorum separatim quædam regum successiones feruntur. Reliquæ quoque gentes propriis regibus utebantur. Idem Sardanapalla Tharsum atque Anchialidem condidit

Per idem tempus Esiodus pocta claruit, atque Fidon Argivus mensurarum pondera reperit. Lycurgus Lacedemoniis jura componit.

17	16	2	1	19	8	16	30	Thelegotes rex Ægypt. regnavit ann. tredecim.
18	1	3	2	20	9	17	31	Hieroboam, filius Joas, regnavit super Israel ann. quadraginta et uno.
19	2	4	3	21	10	18	32	
20	3	5	4	22	11	19	33	
21	4	6	5	23	12	20	34	
22	5	7	6	24	13	21	35	
23	6	8	7	25	14	22	1	Agemon, nonus rex Chorinthiorum, regnavit annis sedecim.
1	13	15	1	32	1	29	8	Ozias, qui et Azarias, filius Amasiæ, regnavit super Judam annis quinquaginta duobus. Prophetabant hoc tempore Osee, Amos, Jonas, Ysaias, Micheas. — Ponibastes rex Ægypt, regnavit ann. viginti quinque. — Thespieus, Atheniensium rex vicesimus septimus, filius Arifronis, regnavit ann. viginti septem.
2	14	16	2	33	2	30	9	
3	15	17	3	34	3	31	10	
4	16	18	4	35	4	32	11	
5	17	19	5	36	5	33	12	
6	18	20	6	37	6	34	13	

Hucusque ferunt hystoriæ regnum Assyriorum stetisse a primo anno Nini per annos mille ducentos triginta [141] et novem; ex hinc Medorum incipit regnum (cf. Hier).

Arbaces Medus interfecto Sardanapalla rege Assyriorum, regnum eorum ad Medos transtulit, ipseque primus ibi regnavit viginti octo.

Juda.	Israel.	Medeor.	Ægypt.	Alban.	Athen.	Laced.	Chor.	Maced.	
7	19	1	7	1	7	35	14		(Hier.) Procas Silvius, filius Aventini, rex Albanorum duodecimus [*l.* tredecimus, E. P.], regnavit annis viginti tribus.
8	20	2	8	2	8	36	15		
9	21	3	9	3	9	37	16		
10	22	4	10	4	10	38	1		Alexander [142], rex Chorinthiorum decimus, regnavit annis viginti quinque.
11	23	5	11	5	11	39	2		
12	24	6	12	6	12	40	3		
13	25	7	13	7	13	1	4	1	Hoc in tempore regnum Macedonum sumpsit exordium, quorum rex primus Caranus fuit, qui annis viginti octo regnavit. — Thalcamenes, rex Lacedemoniorum nonus et ultimus, regnavit annis triginta.
26	38	20	1	20	26	14	17	14	Osorthon rex Ægyptiorum, quem ipsi Herculem cognominaverunt, regnavit annis novem.
27	39	21	2	21	27	15	18	15	
28	40	22	3	22	1	16	19	16	Agamestor, rex Atheniensium vicesimus octavus, regnavit annis viginti.
29	41	23	4	23	2	17	20	17	

Zacharias, filius Hieroboam, regnavit super Israel mensibus sex, quem interficiens Sellum regnavit pro eo mense uno; hunc quoque interfecit Manaem et regnavit pro eo, sicque annus ille consumitur per diversos.

Amulius Silvius, Procæ filius, rex Albanorum quartus decimus, regnavit annis quadraginta tribus. Hic habuit fratrem Numitorem, quem ipse regno privavit. (*H. m.*) Procas quippe, pater eorum, cum obisset, testamentum hereditatis duobus filiis suis Numitori et Amulio reliquit, ut unus pecuniam suam, alter regnum acciperet. Amulius [143] vero fratri sui Numitori electionem dedit, ut quod desideraret acciperet. Qui pecuniam tulit, regnum Amulius obtinuit. Qui cum consuleret oraculum, responsum est ei quod a stirpe fratris occidendus foret; statimque fratrem de regno expulit. Qui abiens, vixit in agro suo. Erant autem e duo filii, Sergestus et Rhea, quæ et Ilia est dicta. Metuens ergo Amulius responsum, Sergestum ad venationem secum duxit, eumque in venatione occidit, sororem vero ejus Rheam adimendi partus gratia Vestalem virginem fecit. (Jord.) Quæ stupro subdita et gravida inventa, dum scelus suum excusare nititur a

VARIÆ LECTIONES

[140] *dee* S. 9. *in margine* Nota *scripto*. [141] XXX. *e corr.* 1. decem S. 9e. [142] *Hæc desunt* S. 9e. [143] Amulius — accipe. et *des.* S. 9e.

Marte se compressam mentitur. (*H. m.*) Quæ cum duos geminos peperisset, septimo anno regni patrui, juxta legem viva defossa est in terra, pueros vero rex jussit exponi. Quos juxta ripam Tyberis vagiantes Faustulus, regii pastor armenti, inveniens, ad uxorem suam Accam Laurentiam detulit, quæ ob rapacitatem corporis questuosi propter pulchritudinem a vicinis appellabatur Lupa. Unde et adhuc meretricum cellæ lupanaria dicuntur. (Jord.) Acca vero pueros nutriens, inter alios pastores conversari docuit. Unde et a poetis finguntur a lupa in silva lactati et nutriti. Pueri vero Remus et Romulus cum adolevissent, collecta pastorum et latronum manu, Amulium apud Albam in ultionem matris interficiunt, et avum suum Numitorem in regnum constituunt.

Juda.	Israel.	Medor.	Ægypt.	Alban.	Athen.	Laced.	Chor.	Maced.
30	1	24	5	1	3	18	21	18

Multa (202) dissonantia est hystoriarum in dispositione regnorum Juda et Hierusalem [144], dicentibus aliis sic, aliis vero sic. In ipsis quoque Hebreorum libris, quorum auctoritate utimur, scilicet Josepho et Regum volumine ac Paralyponenon, quædam in hujusmodi serie inveniuntur, quæ sibi convenire non posse probantur, dum quidam regum tot et tot annis regnasse legantur, et tamen aliqui eorum necdum finitis precedentium annis alteri cum alteris maturius incœpisse regnare scribantur. Quod utrum vitio scriptorum pro varietate numeri errantium sit depravatum, vel qua ratione sic variatum, necdum invenimus certum. Quæ dissonantia hoc in loco et in serie sequentium quatuor regum Israel usque in ejusdem regni destructionem reperitur, ubi liber Regum et ceteri Hebreorum cronicorum scriptoribus multum discordare videntur. Nam ut multis hystoriographis consentientibus habetur in cronicis (Hier.), Hieroboam, filius Joas, regnavit in Israel ab 18° anno Amasiæ per 40 annos et unum usque in vicesimum nonum Oziæ sive Azariæ, filii Amasiæ, cujus tricesimo Zachariam, filium Hieroboam, cum sex menses regnaret, occidit Sellum, et regnavit pro eo mense uno; nam hunc occidens Manaem, regnavit pro eo annis decem usque in quadragesimum Azariæ; a cujus 41° Phacee, filius Manaem, regnavit annis decem usque in quinquagesimum Azariæ; a cujus quinquagesimo primo Phaceæ, filius Romeliæ, annis viginti usque in secundum Achaz regis Juda; a cujus tercio Osee annis novem usque in undecimum Achaz, qui est quintus decimus Madidi regis Medorum, quo anno multi scribunt captas esse decem tribus Israhel.

Hæc cum juxta multorum opinionem sic teneantur, et in cronicis eodem modo scribantur, Hebreorum volumina, in quibus et liber Regum apud nos nescio an viciatus an purus, multum ab his discordare videntur; ubi scribitur (II, c. XIV sq.) quod supradictus Hieroboam, filius Joas, regnaverit in Israel a quinto decimo anno Amasiæ regis Juda, Zacharias vero, filius Hieroboam, a tricesimo octavo Azariæ, filii Amasiæ, novem annis in medio transilitis. Quod qua ratione positum sit nescio. Cum enim Azarias rex Juda septimo decimo Hieroboam regis Israel quinquaginta duobus annis regnasse dicatur, Hieroboam vero quadraginta et uno regnum tenuisse dicatur, patet quod istius anni finiantur vicesimo octavo illius anno, qui regnare cœpit suo septimo decimo. Et cum Zacharias, filius Hieroboam, tricesimo octavo Azariæ regis Juda per sex tantum menses regnasse dicatur, invenire non valeo qua ratione a regno paterno, nemine interim regnante, tam diu suspenderetur, ut decimo a patris morte anno vix hereditate paterna potiretur, moxque post menses sex interficeretur. Nam Sellum quidam hunc occidit, ipseque secundum hanc computationem 39° Azariæ anno mense uno regnavit; sed Manaen hunc interficiens, eodem anno regnare cœpit, et usque ad quinquagesimum Azariæ annum per decem annos regnavit. Cujus filius Phacee quinquagesimo et quinquagesimo primo Azariæ anno regnavit per biennium, cum juxta superiorem supputationem in cronicis scribatur regnasse per decennium. Quem interficiens Phacee, filius Romeliæ, regnavit in loco ejus annis 20, a quinquagesimo secundo Azariæ anno usque in tercium Achaz, filii Jonatham, regis Juda, qui 18° anno ejusdem Phacee regnare cœpit et sedecim annis regnavit. Osee vero, filius Hela, ultimus regnavit in Samaria super Israel annis novem, juxta quosdam cronicorum scriptores a tercio anno Achaz regis Juda, qui est septimus Madidi regis Medorum, ut captivitas decem tribuum, quæ nono Osee anno facta est, in quintum decimum Madidi regis occurrat. At secundum Hebreorum libros quarto decimo Achaz regnare cœpit Osee in Israel, decem annis item a morte Phacee nescio qua ratione intermissis, cum idem tamen Osee legatur Phacee propter regnum interfecisse. Hoc igitur ordine sexto anno Ezechiæ regis Juda, qui est 26[us] Madidi, nonus Osee annus occurrit, in quo ipse cum toto Israel captivatus est. Hæc secundum Hebreos.

Has igitur diversitates in hystoriis inveniens, sed neutram partem veluti nullius auctoritatis homuncio reprehendere presumens, utriusque notavi opinionem, ut studiosiorem [145] lectorem reddam cautiorem.

Nunc regum tempora, ut in cronicis inveni, sicut et hucusque perducta sunt, transcurram, in ultimo tantum Israheliticorum, hoc est in Osee, Hebreorum voluminum sequar auctoritatem.

31	1	25	6	2	4	19	22	19	(Hier.) Manaem, filius Gaddi, regnavit in
32	2	26	7	3	5	20	23	20	Samaria super Israel annis decem.
33	3	27	8	4	6	21	24	21	
34	4	28	9	5	7	22	25	22	
35	5	1	1	6	8	23	1	23	Sosarmus, rex Medorum secundus, regnavit

annis triginta. Cujus anno secundo Remus et Romulus nati sunt. (Jord.) Tunc etenim post innumerabiles, ut ita dicam, Laurenti loci et Latii reges Silvios Albanosque, qui per annos trecentos in Italia regnaverunt quamvis pauperrime, Amulius regnavit, cujus anno septimo de fratris sui Numitoris filia hi duo fratres nati sunt, qui postea Romam condiderunt. (Hier.) — Spamus rex Ægypti regnavit annis decem. — Thelestes, rex Chorinthiorum undecimus et ultimus, regnavit annis duodecim.

41	1	7	7	12	14	29	7	1	Phacee, filius Manaen, regnavit in Israel

annis decem secundum quosdam (Hier.), juxta Hebreos vero annis duobus. — Chinus, rex Macedonum secundus, regnavit annis duodecim.

42	2	8	8	13	15	30	8	2

VARIÆ LECTIONES.

[144] Israel 5. [145] studiorem 1.

NOTÆ.

(202) Ekkehardus hoc loco in Judæorum regum temporibus disponendis longius immoratus est; quæ tamen aliis typis indicare noluimus, ne nimium spatium his rebus a nostro proposito alienis indulsisse videremur.

Juda.	Israel.	Medor.	Ægypt.	Alban.	Athen.	Maced.	Lydor.	
43	3	9	9	14	16	Finis re-	9	3
44	4	10	10	15	17	gni La-	10	4
45	5	11	1	16	18	cedem.	11	5

Bocchoris rex Ægypti regnavit annis quadraginta sex. Hic Ægyptiis jura constituit, sub quo et agnus locutus est.

46	6	12	2	17	19		12	6
47	7	13	3	18	20		*	7

* Ex hoc in Chorintho annui principes constituti sunt.

Æschilus, Agamestoris filius, rex Atheniensium vicesimus nonus, regnavit annis viginti tribus. Hujus anno secundo, qui ab excidio Troiæ quadringentesimus quintus computatur, olympias prima cœpit, quem Yphitus, filius Fraxonidis filii Heraonis, primus instituit, in qua Chorebus Eliensis victor extitit. Antea siquidem Elii quinquennale certamen agebant, quatuor annis in medio completis, in quibus annuos principes constituebant.

Ab hoc tempore hystoria Grecorum vera esse creditur ; nam antea ut cuique visum fuit diversas protulerunt sententias.

(Oros I, 20). Ea tempestate Phalaris Siculus arrepta tyrannide Agrigentinos populabatur. Qui crudelis mente, commentis crudelior, omnia nefaria in innocentes agens, invenit aliquando quem juste puniret injustus. Nam Perillus quidam æris opifex, tyranni affectans amiciciam, aptum munus crudelitati illius ratus, taurum æneum fecit, cui januam e latere apposuit, ut cum aliquis inclusus ibidem subiectis ignibus torreretur, sonum vocis pre dolore clamantis cavitas æris augeret, nefarioque spectaculo mugitus pecoris, non hominis gemitus videretur. Sed Phalaris factum amplexus, factorem vero execratus, et crudelitati materiam prebuit et ultioni. Nacta quippe occasione, ipsum opificem sua punivit inventione.

(*Ibid.*, c. 20). Tunc etiam Peloponensium Atheniensiumque maximum bellum totis viribus animisque commissum est, in quo mutuis cædibus ad hoc coacti sunt, ut velut victi se ab alterutro subtraherent bellumque desererent,

Quibus etiam temporibus Lacedemonii contra Messenios per annos viginti indefesso furore bellantes, q amvis sepius ancipiti victoria, demum superabant. Sciendum est autem ipsam esse Spartam quam et Lacedomoniam civitatem, atque inde Lacedemonios Spartanos dictos.

48	8	14	4	19	1	8	1	(Hier). Regnum Lydorum incipit, quorum rex primus Ardysus regnavit annis triginta sex.

Olympias prima incipit

49	9	15	5	20	2	9	2	
50	10	16	6	21	3	10	3	
51	1	17	7	22	4	11	4	Phacee, filius Romeliæ, interfecit Phacee, filium Manaen, regem Israel, et regnavit in loco ejus annis viginti, secundum quosdam (Hier.) a quinquagesimo primo Azariæ regis Juda, juxta Hebreos vero ab anno sequenti.
52	2	18	8	23	5	12	5	
1	3	19	8	24	6	1	6	Joatham, filius Oziæ sive Azariæ, regnavit super Judam in Hierusalem annis sedecim, prophetantibus in Judaea Osee, Ysaia, Michea, Amos, Johel, Jona.— Tyrimnas, rex Macedonum tercius, regnavit annis triginta octo.
13	15	1	21	36	18	13	18	Madidus, rex Medorum tercius, regnavit annis quadraginta. Cujus tempore in Sicilia Siracusa et Cathina conditæ sunt. Roma quoque ejus tempore condita est.
1	19	5	25	40	22	17	22	Achaz, filius Joatham, regnavit super Judam annis
2	20	6	26	41	23	18	23	sedecim. Sub quo prophetabant idem qui et supra.
3		7	27	42	1	19	24	Alcmeon, rex Atheniensium tricesimus, regnavit annis duobus. Dehinc principes qui usque ad mortem suam rei publicæ preerant desierant, et in decem annos magistratuum consuetudo versus est, ubi primus erat Carobs, filius Eschili.

Ab hoc etiam tempore secundum quosdam (Hier.) regnare cœpit Osee super Israel interfecto Phacee, sed juxta Hebreorum volumina post undecim annos, scilicet a quarto decimo Achaz.

4		8	28	43	2	20	25

Numitor a nepotibus suis Remo et Romulo restitutus in regnum, occiso ab eis Amulio fratre suo, regnavit apud Albam anno uno, qui est annus nonus Madidi regis Medorum (cf. *H. m.* et Jord). Quo anno ilem fratres urbem exiguam in Palatino monte constituunt, 10 Kal. Mai anno 429. post excidium Troiæ, exactis ab origine mundi annis 3,211. Cumque eam vallo circumdarent, sed Remus vallum non posse sufficere ad tutelam novæ urbis increparet, ejusque angustias transsiliret, a Fabio Romuli duce aratro pastorali occisus est Quidam vera dicunt (cf. Liv. II, 6, 7.), hanc fuisse causam interfectionis ejus, quod condita civitate contenderint, ex cujus nomine vocaretur. Cumque statuissent illud augurio perquirere, Romulus ascendens montem Palatinum vidit vultures septem advolare, Remus vero in Aventino monte vidit duodecim, et ob hoc a militibus Romuli occisus esse refertur. Tunc Romulus solus regno potitus, urbem ex suo nomine Romam vocavit, templumque in ea faciens, asylum, id est domum refugii, appellavit, pollicitus cunctis illuc confugientibus impunitatem (*H. m.*). Quam ob causam magna multitudo ad eum confluxerat. Latini denique Tuscique pastores, transmarini quoque Friges, qui sub Ænea, Archades etiam, qui sub Evandro convenerant, et cum his, ut Salustius ait (*Cat.* c. 6), Aborigenes, quasi in unum corpus convenientes, Romanum populum confecerunt. Tunc centum ex senioribus elegit, quorum consilio ageret omnia, quos senatores ob senectutem, et patres ob similitudinem curæ nominavit. Mille etiam pugnatores elegit, quos a numero milites appellavit (Jord. — *H. m.*). Cumque non haberent uxores, simulatis ludis equestribus vicinarum urbium populos ad spectaculum invitant ex Sabinia, eorumque virgines rapiunt anno ab Urbe condita quarto. Qui commotis bellis propter injuriam raptarum virginum urbem cingunt (Jord). Tunc per Tarpeaim virginem proditis portis intromissi Sabini, pugnam movent; sed quædam ex his quæ jam enixæ fuerant, procedentes cum filiis, patres et cognatos flexerunt, sicque pacem inter eos et maritos fecerunt. (cf. Liv. I. 13.) (*H. m.*) Tarpeia vero clypeis obruta est in monte qui ab ejus nomine Tarpeius appellatus est, in quo postea Capitolium constructum est. Pepigere autem Romani cum

Sabinis amicicias, in tantum ut Titus Tatius rex Sabinorum jam senex pariter cum Romulo regnaret. (Or. — *H. m.*) Qui cum post non multum tempus vita excederet, sive, ut quidam ' ferunt, ab ipso Romulo extingueretur, Romani et Sabini unus efficiuntur populus. Ad quam conjunctionem confirmandam Romani nomina Sabinorum suis preponebant nominibus, et Sabini Romanorum invicem suis, et ex illo consuetudo tenuit ut nemo Romanus sit absque prenomine. Propter hanc etiam societatem cum Sabinorum more Romulus hastam longam ferret, quæ illorum lingua cyris dicebatur, Quirinus dictus est, et Romani Quirites exinde appellati sunt. Sic igitur Romanum imperium, quo neque ab exordio ullum fere minus, neque incrementis ullum aliud orbe toto amplius, a Romulo sumpsit exordium (Aug. xviii, 22). Eo autem tempore quo Roma condita est, populus Israel habitabat in terra promissionis annos sexingentos octoginta quinque, quorum viginti septem pertinent ad Josue, deinde ad tempus judicum trecenti octo, ex quo autem reges ibi esse cœperunt erant anni trecenti quinquaginta; et rex tunc erat in Judea Achaz.

(Aug. *l. l.* c. 23). Hoc tempore Sybilla Erithrea, sive ut quidam volunt Cumana, fuisse traditur, quæ nonnulla de Christo manifeste scribit

Juda.	Israel.	Medor.	Ægypt.	Rom.	Athen.	Maced.	Lydor.	
5		9	29	1	1	21	26	(Hier). Numitor itaque regnavit Albanis anno uno. — Charobs principabatur Atheniensibus annis decem. — Romæ cœpit ædificari.
6		10	30	1	2	22	27	Romulus, a quo Romanum cœpit imperium, regnavit annis triginta octo, et apud paludem Capræ fulmine ictus 7. Kal. Aug. nusquam comparuit, et suadente Julio Proculo, qui illum in augustiore forma sibi apparuise et pro numine se adorari precepisse dicebat, ad deos transisse creditus est, et Quirinus consecratur (Jord.) Quidam tamen dicunt, ob asperius ingenium a senatu eum fuisse discerptum.
13		17	37	8	9	29	34	

Osee, filius Hela, interfecit Phacee, filium Romeliæ, regem Israel, et regnavit ipse in Samaria super Israel novem annis juxta Hebreos a quarto decimo Achaz regis Juda, undecim interjectis ab interfectione Phacee, secundum alios (Hier.) vero a tercio anno Achaz (Jos. xi, 20). Nono autem regni Osee ascendit Salmanasar, qui et Teglatphalassar, rex Chaldeorum, et cepit Samariam, et captivavit Israel, id est decem tribus, et transtulit eas in montem Medorum, cessavitque regnum Israel in Samaria, ubi regnatum est per annos 260 [146] et menses septem ac dies septem, ex quo a domo David et tribu Juda seperaverunt se ceteræ tribus, a tempore vero quo sub principe Jhesu provinciam obtinuerunt eandem erant anni nongenti quadraginta septem. Missit autem Salmanasar ad custodiendam regionem Israhelitarum accolas Assyrios, qui proprie vocati sunt Cuthei, quia [147] a quodam flumine Cutha migraverunt. Hi emulatores Judaicæ legis facti, Samaritæ sunt appellati.

14	1	18	38	9	10	30	35	
15	2	19	39	10	1	31	36	Æsimeles prefuit Athen. ann. 10
16	3	20	40	11	2	32	1	Aliattes, rex Lydorum secundus, regnavit ann. 14.

Ezechias, filius Achaz, regnavit in Judæa annis viginti novem, prophetantibus Ysaia et Osee. Cujus anno sexto captivatæ sunt decem tribus juxta Hebreos, et defecit regnum Israhel.

Anno vero 14. Ezechiæ ascendit Sennacerib, filius Salmanasar, in Judæam, et cepit civitates ejus, et obsedit Lachis et misit servos suos in Hierusalem ad blasphemandum nomen Domini. Angelus autem Domini noctu venit in castra regis, et percussit de exercitu ejus octoginta quinque milia, et reversus est rex cum ignominia in terram suam, ibique a propriis filiis interfectus est (*II. Reg.* xviii, 19.) Quo in tempore Tobias fuit in captivitate, captus a Salmanasar.

(Aug. *l. l.*, c. 24, 25.) Eo tempore Thales Milesius ex septem sapientibus unus claruit. Sunt autem hæc nomina septem illorum qui dicebantur sapientes : Thales Milesius, Pithacus Mitilineus, Solon Atheniensis, Chilon Lacedemonius, Pariandrus Chorinthius, Cleobulus Lydius, Bias Prieneus. Olympias decima.

1	4	21	41	12	3	33	2	
6	9*	26	46	17	8	38	7	* Defecit regnum Israel, captivatis decem tribubus.
7		27	1	18	9	1	8	(Hier.) Perdiccas, rex Macedonum quartus, regnavit annis 51.
8		28	2	19	10	2	9	
9		29	3	20	1	3	10	Elidicus Atheniensibus annis decem prefuit.
14		34	8	25	6	8	1	Meles tercius Lydorum regnavit annis 12.
19		39	1	30	1	13	6	Sebichus regnavit Ægypt. ann. 12. — Yppomenes
20		40	2	31	2	14	7	Atheniensibus prefuit annis decem.
21		1	3	32	3	15	8	Cardiaces, rex Medorum quartus, regnavit annis tredecim.

Eo tempore Sybilla Samia, quæ et Erofila dicta est, in Samo habebatur insignis. — Nicomedia est condita, quæ prius Astacus dicebatur.

26	6	8	37	8	20	1	Candales, rex Lydorum quartus, regnavit ann, 17.
27	7	9	38	9	21	2	

Post mortem Romuli senatores rem publicam rexerunt, singuli quinis diebus, et ita unus annus expletus est.

28	8	10	1	10	22	3

Numa Pompilius, rex Romanorum secundus, regnavit annis quadraginta. (*H. m.*) Hic bellum quidem nullum gessit, sed non minus quam Romulus Urbi profuit. Nam leges Romanis moresque constituit, qui usu præliorum quasi latrones et semi barbari videbantur. Annum quoque in decem menses divisit secundum quosdam (*H. m.*), qui prius sine aliqua subputatione confusus erat. Quidam vero dicunt (Hier., Isid.), quod prius sub Romulo decem menses habuerit annus, et iste duos, id est Januarium et Februarium, adjecerit. Hic capitolium a fundamentis ædificavit.

(*H. m.*) Hujus tempore Glaucus primus ferramenti glutinum excogitavit.

VARIÆ LECTIONES.

[146] 261 *corr.* 260 l. 261 S. 9c. [147] *decst* l.

Juda.	Medor.	Ægypt.	Rom.	Maced.	Lydor.		
29		9	11	1	1	23	4 (*H. m.*) Leucrates prefuit Athen. annis 10.
1		10	12	2	2	24	5 Manases, filius Ezechiæ, regnavit super Judam annis quinquaginta quinque. Hic inter multa mala, quibus Dominum irritavit, precipisse fertur Ysaiam prophetam serra lignea secare (cf. HIER, *in Isai.* fin. — JORDAN). Unde divina permissione captivatus a rege Babyloniæ et ferreis vinculis alligatus, pœnitentiam egisse fertur, cujus pœnitentiæ canticum etiam legitur. Postea vero in regnum reversus et bene conversatus, successorem regni reliquit Ammon filium suum.
2		11	1	3	3	25	6 (HIER.) Tracus Æthyops rex Ægypt. ann. 20.
3		12	2	4	4	26	7
4		13	3	5	5	27	8
5		1	4	6	6	28	9 Dejoces, rex Medorum quintus, regnavit annis quinquaginta quatuor. Cujus tempore Archilocus et Symonides et Aristoxenus musici habentur illustres.
10		6	9	11	1	33	14 Absander prefuit Athen. Ann. 10.
14		10	13	15	5	37	1 Gyges, rex Lydorum quartus, regnavit annis 36.
20		16	19	21	1	43	7 Erixias prefuit Athen. annis decem.
21		17	20	22	2	44	8
22		18	1	23	3	45	9 Æthyops, qui et Mermes, rex Ægypt. regnavit ann. 12.
29		25	8	30	10	1	16 Argeus, rex Macedonum quintus, regnavit ann. 38.
30		26	9	31		2	17 Post hæc novem ex nobilibus urbis [148] electi sunt, qui annuatim regerent rem publicam Atheniensium.
34		30	1	35		6	21 Stephinatis rex Ægypt. regnavit ann. septem.
39		35	6	40		11	26

(ISID.) Tullius Hostilius, Romanorum rex tercius, regnavit annis triginta duobus. Hic primus Romanorum purpura et fascibus usus est, et in re publica prior censum exegit. (JORD. — *H. m.*) Hic omnem militarem disciplinam et usum belli instituit, et exercitata juventute bellum Albanis intulit, ab urbe Roma distantibus duodecim miliariis, illisque sexta congressione devictis, Albam destruxit. Hic etiam Vegientes et Fidenates devicit, quorum alii sex miliariis, alli decem et octo ab urbe distabant. Hic, adjecto Celio monte, urbem valli ambitu ampliavit. Tricesimo autem et secundo anno regni sui cum omni domo sua fulmine arsit.

40	36		1		12	27
41	37	1	2		13	28 (HIER.) Necepses rex Ægyptiorum regnavit annis sex.
47	43	1	8		19	34 Nechao regnavit Ægypt. ann. octo.
48	44	2	9		20	35
49	45	3	10		21	36 ab inicio 3300.
50	46	4	11		22	1 Ardisus, rex Lydorum 6[us], regnavit ann. 37.
55	51	1	16		27	6 Spammetius rex Ægypt. regnavit annis 44. — Pausanius, rex Spartanorum, condidit Bizantium, quæ postea Constantinopolis dicta est.
1	52	2	17		28	7 Ammon, filius Manase, regnavit in Hierusalem super Judam annis duobus secundum Hebreos, juxta septuaginta vero annis duodecim, qui et in cronicis ponuntur (cf. HIER.)
4	1	5	20	31	10	Fraortes, rex Medorum sextus, regnavit annis viginti quatuor (HIER.) Hujus tempore Thales Milesius et Terpander musici claruerunt.
5	2	6	21	32	11	Annus centesimus ab exordio Romæ.
2	9	13	28	1	18	Philippus, rex Macedonum sextus, regnavit ann. 38.
1	10	14	29	2	19	Josias, filius Ammon, regnavit super Judam annis triginta duo [149]. Cujus anno tercio decimo Hieremias prophetare cœpit. Prophetabant etiam temporibus ejus Soffonias et Olda mulier. — (JORD.) Hic ergo lucos succidit, et idola gentium de regno suo abjecit, et integre Deum coluit.
2	11	15	30	3	20	
3	12	16	31	4	21	
4	13	17	32	5	22	

(HIER. — Jord.) Ancus Marcus, Romanorum rex quartus, nepos Numæ ex filia, regnavit annis viginti tribus. Hic mœnia muro amplexus est, et influentem urbi Tyberim ponte commisit, Ostiamque civitatem coloniam in ipso maris fluminisque confinio sexto decimo miliario ab urbe Roma constituit, jam tunc videlicet presagiens animo, futurum, ut totius mundi opes et commeatus illo velut maritimo urbis hospitio reciperentur. (*H. m.*) Hic finitimos Tusciæ populos duodecim potentes innumeris conflictibus concidit, et Aventinum montem et Janiculum adjiciens, urbem ampliavit.

5		14	18	1	6	23
16		1	29 [150]	12	17	34 Cyaxares, rex Medorum septimus, regnavit annis triginta duobus. Hujus anno quarto Epydaunus [151] condita est, quæ postea Dyrachium vocata est. Ejus etiam tempore Arion Methymneus clarus habebatur, qui a delphine vectus dicitur.
20		5	33	16	21	1 Sadiattes, rex Lydorum 7[us], regnavit ann. 15.
27		12	40	23	28	8

(JORD.) Tarquinius Priscus, Romanorum rex quintus regnavit annis tringinta septem. Hic quamvis transmarinæ originis regnum ultro peteret, ob industriam suam et elegantiam a Romanis regnum accepit, quippe qui Chorintho oriundus Grecam eloquentiam Italicis artibus miscuisset (*H. m.*) Hic numerum senatorum duplicavit, circum Romæ ædificavit, ludos instituit. Sabinos vicit, primusque Romam triumphans intravit, muros et cloacas fecit, capitolium inchoavit. (JORD.) Fasces, trabeæ, curules, anuli, phalera, paludamenta, pretextæ, togæ pictæ, omnia denique ornamenta et insignia sub hoc sumpta sunt a diversis populis subactis. (*H. m.*) Tricesimo igitur et septimo imperii sui anno per filios Anci, cui successerat, ipse occisus est. (HIER.) Cujus anno duodecimo Pitacus Mitileneus, ex septem sapientibus unus, cum Frenone Atheniensi Olimpico ludo congressus, vicit eum.

VARIÆ LECTIONES

[148] urbibus 1. 5. [149] *corr.* 1. [150] XXVIII. 1. [151] *ita* 1.

His temporibus Stersicorus poeta et Alceus et Sapho, quæ Saphicum metrum invenit, claruerunt

Juda.	Medor.	Ægypt.	Rom.	Maced.	Lydor.	
28	13	41	1	29	9	
32	17	1	5	33	13	Nechao [152] secundus, qui et Necepsus, rex Ægypt. regnavit annis 6.

Joachim, qui et Eliachim sive Jechonias, filius Josiæ, regnavit in Hierusalem annis undecim. Cujus pater Josias tricesimo secundo regni sui anno cum Nechaone rege Ægypti ipso invito congressus, occiditur. Pro quo filius ejus Joachaz regnavit mensibus tribus (*II Reg.* 23); sed veniens pharao Nechao rex Ægypt. in Hierusalem, amovit eum ne esset rex, et abduxit eum secum in Ægyptum, constituitque pro eo regem Eliachim, fratrem ejus, et vertit nomen ejus Joachim. Hic fuisse creditur, de quo per Matheum (cap. 1.) dicitur : *Josias genuit Jechoniam et fratres ejus in transmigrationem Babylonis.* Tres quippe filios genuit Josias, Joachaz, Eliachim, Mathaniam, qui postea dictus est Sedechias, sicut Eliachim vocatus est Joachim et Jechonias. Anno igitur tercio Joachim ascendit Nabuchodonosor rex Babylonis et cepit Judæam anno primo regni sui, et factus est ei tributarius Joachim annis tribus (*II Reg.*, 24.). (Hier.) Transtulit autem Nabuchodonosor in Babylonem partem vasorum domus Dei et multos ex Judeis, inter quos et Ezechielem et Danielem, Ananiam, Azariam Misahelem adhuc pueros (*II Par.* 36.) Postea vero cum rebellaret Joachim, venit contra eum Nabuchodonosor, captumque et catenis vinctum duxit in Babylonem, sicut in Paralyppomenon (*l. l.*) legitur, secundum Regum vero librum (*l. l.*) dormisse cum patribus suis et extra muros Hierusalem occisus dicitur. Quæ diversitas sic solvitur. Vinxit eum quidem et duxit de Hierusalem, sed occidit eum in itinere juxta Hierusalem, ideoque secundum hoc quod ibi occisus est dicitur dormisse cum patribus suis, utpote in patria sua occisus, juxta illorum vero opinionem qui viderunt eum ex urbe abduci, dicitur in Babyloniam ductus. Mos quidem est scripturarum, secundum vulgi opinionem aliquando texere orationis seriem.

1	18	2	6	34	14	
2	19	3	7	35	15	
3	20	4	8	36	1	(Hier.) Aliattes [153], rex Lydorum 8us, regnavit annis 49.
4	21	5	9	37	2	
5	22	6	10	38	3	
6	23	1	11	1	4	Psammutes, qui Spammeticus, rex Ægypti, regnavit annis duodecim. — Eropus, rex Macedonum septimus, regnavit annis viginti sex.
11	28	6	16	6	9	

Joachin, qui et ipse Jechonias dictus est, filius Joachim, qui et Eliachim et Jechonias, regnavit in Hierusalem tribus mensibus et decem diebus, sicut et Joachaz, patruus ejus. (*Jos.* x, 6.) Hunc constituit Nabuchodonosor pro patre suo, quem occidit, regem universæ provinciæ, quam sibi subjecerat victo Nechao rege Ægypti et omni Syria de potestate ejus ablata. Postea pœnituit Nabuchodonosor quod constituisset Joachin pro patre suo: formidavit enim ne, habens mali memoriam, pro nece paterna provinciam suam invaderet; misit qui obsiderent eum Hierosolimis, et venit ad civitatem, ut expugnaret eam. Joachin vero accipiens jusjurandum quod sibi nichil mali fieret nec civitati, egressus est ad regem cum matre et omnibus suis, et susceptit eum rex Babylonis octavo sive nono anno regni sui, sed non servavit fidem; precepit enim ipsum et matrem ejus et amicos et omnes fortes Israel ad se ligatos adduci, et ducens eos in Babylonem, habuit in custodia, patruum vero Joachin regis Mathaniam regem constituens, imposuit ei nomen Sedechiam, sicque annus iste finitur.

Iste Joachin non Joachim nomen habebat, mutata littera ultima de nomine patris sui, fuitque binomius; vocabatur enim Jechonias, sicut et pater ejus; et hic est Jechonias, qui post transmigrationem genuit Salathiel, Mortuo enim Nabuchodonosor, ut Hieremias testatur (c. 52 *ad fin.*) : *in 37° anno transmigrationis, Joachin regis Judæ 12° mense, 25 die mensis Evilmerodach, rex Babylonis ipso anno regni sui elevavit caput Joachin regis Judæ, et eduxit eum de domo carceris, et locutus est cum eo bona, et posuit thronum ejus super thronos regum, qui erant post se in Babylone, et mutavit vestimenta carceris ejus, et comedebat panem coram eo cunctis diebus vitæ suæ.*

1	29	7	17	7	10	(Hier.) Prophetabant his temporibus Hieremias, Baruch, Sophonias.

Sedechias, qui et Mathanias, filius Josiæ, frater Eliachim, qui et Joachim, regnavit in Hierusalem annis undecim (*II Reg.* xxv). Cujus anno nono venit Nabuchodonosor in Judeam, et obsessa est Hierusalem usque in annum undecimum Sedechiæ. Cumque videret Sedechias urbem capiendam esse, fuga elapsus est. Quem persequentes Babylonii comprehenderunt cum uxore ac filiis, et adduxerunt eum ad regem in Reblata, sive ut alii dicunt in Arabatha, ubi ipso Sedechia inspiciente filios ejus et amicos jussit interfici, oculos vero ejus erui, ipsumque vinctum in Babylonem duci, et usque ad finem vitæ Nabuchodonosor in custodia carceris includi (cf. *Jos.* x, 8). In hoc autem loco quibusdam videntur discordare Hieremias et Ezechiel, quia Hieremias (c. xxxviii) predixit Sedechiam ducendum esse in Babylonem, Ezechiel (c. xii). vero dixit illum non visurum esse Babylonem; sed vera concordia utriusque prophetia completa est. Ductus est enim vinctus in Babylonem secundum Hieremiam, sed quia cæcus ductus est, non vidit eam, juxta Ezechielis prophetiam (cf. Jos. *l. l.*).

1	30	8	18	8	11	
2	31	9	19	9	12	
3	32	10	20	10	13	
4	1	11	21	11	14	(Hier.) Astiages, rex Medorum octavus, regnavit annis triginta octo. — Solon leges dedit Atheniensibus.
5	2	12	22	12	15	
6	3	1	23	13	16	Vafres, rex Ægyptiorum, regnavit annis triginta.

Anno undecimo Sedechiæ capta est Hierusalem ab exercitu Nabuchodonosor, mense quarto, nona die mensis, anno tercio postquam obsessa est, regni vero Nabuchodonosor anno 19, sicut Hieremias testatur, qui dicit (c. xxiv), quartum annum Joachim, filii Josiæ, primum fuisse Nabuchodonosor, cum in libro Ba-

VARIÆ LECTIONES.

[152] *Hæc in* 1. *abrupta sunt.* [153] *Hæc partim abrupta sunt* 1.

nielis (c. 1) legatur idem rex Babylonis anno tercio Joachim Hierusalem cœpisse et spoliasse. Quæ sibi quomodo conveniant, in questione est, nisi forte uterque illius hujus primus esset, scilicet finis tercii et principium quarti. Misit autem Nabuchodonosor principem militiæ suæ Nabuzardan in Hierusalem, qui veniens spoliavit templum, et succendit illud mense quinto, decima die mensis, anno Sedechiæ regis undecimo, a prima ædificatione templi anno 443°; (Jos. x, 8) ab egressu autem filiorum Israel de Ægypto tunc erant anni 920 [154], menses 4, dies 10, a diluvio vero anni 1717, menses 4, dies 10, ex quo vero factus est Adam 5373, menses 4, dies 10 (cf. Jos). Mansit autem hic populus sub regibus a Saul et David per quingentos quinque annos, menses 4, dies 10, sub ducibus vero ann. 348 post mortem Moysi et ducis Jhesu. Hæc ita se habent juxta Hebraicam veritatem; Josephus autem et alii quidam aliter sentiunt.

Rex autem Joachim [155] cæcatus est, et cum pontifice Josedech omnique populo captivus ductus est in Babylonem, permansitque captivitas hæc per annos septuaginta usque in secundum annum Darii, licet Cyrus multos eorum absolverit. Numerantur autem hi anni secundum quosdam (Hier.) a tercio anno Joachim, qui et Eliachim, usque ad vicesimum annum Cyri, regis Persarum, porro secundum alios a 13° Josiæ, patris Joachim, anno, quo Hieremias prophetare cœpit, usque ad primum Cyri annum, secundum alios vero ab undecimo Sedechiæ anno usque ad secundum annum Darii, tercii regis Persarum. Desolationis vero templi sub Dario completi sunt anni septuaginta. Hujus rei testis est Zacharias propheta, secundo anno Darii dicens : *Domine omnipotens, quousque non misereberis Hierusalem, et civitatibus Juda quas despexisti?* Hic septuagesimus annus est.

Nabuzardan igitur princeps militiæ regis, succenso templo et transmigrato populo, quasdam reliquias ex pauperioribus populi reliquit in Judea ad excolendam terram et persolvenda tributa, prefeciens eis Godoliam. (Jos. x, 9) Quem cum Ismahel de regio semine occidisset, timentes ceteri Babylonios propter necem ejus, ad Vafrem regem Ægyptiorum fugientes, Hieremiam prophetam invitum et contradicentem cum discipulo suo Baruch secum pertrahunt. Quinto autem anno captivitatis Hebraicæ, cum subdidisset sibi Nabuchodonosor Ammonitas et Moabitas, perrexit in Ægyptum et subvertit eam, et reversus denuo Judæos duxit captivos in Babyloniam anno regni sui 24°, nullum jam ex eis in provincia relinquens, per quos excoleretur, nec aliam gentem imponens, sicut apud Samariam factum est in captivitate decem tribuum; ideo desolata est omnis Judæa, et templum per annos septuaginta desolatum permansit. Omne autem tempus a captivitate Israel, id est decem tribuum, usque ad duarum tribuum transmigrationem fuit annorum 145, mensium 6, dierum 10.

Nabuchodonosor autem post secundum annum vastationis Ægyptiacæ, qui est annus regni sui 27, vidit somnium de statua, quod interpretatus est Daniel; postea facta sunt illa omnia quæ leguntur de erectione statuæ et trium puerorum in ignem immissione, et de secunda ejus visione, quæ significabat ejus abjectionem de hominibus per septem annos, et de reversione ejus denuo in regnum, quæ omnia certis annorum spaciis non sunt distincta in libro Danielis; regnasse tantum illum annis 43 in commentario super Danielem dicit sanctus Hieronimus (cf. Jos. x, 11). Neminem vero moveat quod nos dicimus eum visionem vidisse anno regni sui 27, cum Daniel dicat in anno secundo regni sui eam sibi ostensam fuisse; sed sciat, juxta sanctum Hieronimum (ad c. II) ex traditione Hebreorum secundum annum regni ejus Danielem hic dicere non Chaldeorum et Judææ, quod diu jam tenuit, sed quod multis barbaris nationibus devictis postea acquisivit, et hunc esse apud Danielem eumdem secundum annum regni, quem Josephus dicit secundum vastationis Ægypti. Alioquin non stabit quod idem Daniel dicit, quod anno tercio Joachim, quem primum annum Nabuchodonosor dicunt, idem rex in Judæam venerit, translatisque multis in Babylonem, eundem Danielem et socios ejus adhuc pueros nutriendos erudiendosque tradiderit, ut enutriti tribus annis postea starent in conspectu ejus. Tradit autem Josephus (x, 12), quod hujus quoque pater Nabuchodonosor dictus sit, et 21 annis in Babylone regnaverit. Quo defuncto, iste Nabuchodonosor regnavit annis 43 aut plus. Hic tantæ fuit fortitudinis, ut etiam Majestenes in quarto Indicorum libro nitatur approbare hunc regem fortitudine et actuum magnitudine Herculem transcendisse. Post cujus mortem suscepit regnum ejus Evilmerodac, filius ejus, quem Josephus Almilmadapachum vocat (*l. l.*), qui Joachin de carcere sublevavit. Cui successit Baldasar, frater ejus, juxta Orosium (203) et alios quosdam, sed Berosus, gentilis hystoriæ scriptor, et Josephus aliter de successoribus ejus scribunt, quibus et beatus Hieronimus (*in Dan.* c. v) non dissentit, qui Baldasar filium Nabuchodonosor non fuisse dicit. Sic enim Josephus scribit (*l. l.*) : *Post mortem Nabuchodonosor Almilmadapachus successit in regnum, qui regem Joachin, qui et Jechonias, solvit a vinculis. Quo mortuo, Egesarius, qui et Neglisar, filius ejus, tenuit principatum. Eo mortuo, ad ejus filium Nabosardachum, qui et Laborsedech a quibusdam dicitur, pervenit imperium. Quod dum novem mensibus habuisset eo defuncto transiit ad Baldasar, qui et Naboar nuncupabatur* (Jos. x, 13). Contra hunc regem castra metati sunt Cyrus rex Persarum et Darius rex Medorum. Qui cum obsiderent eum, quadam nocte inter epularum convivia vidit manum scribentem in pariete, ut legitur in Daniele (c. v, ad fin.), et ipsa nocte capta est civitas, et ipse Baldasar occisus est (Jos. c. 14). Darius itaque, filius Astiagis, quem Daniel (c. IX) filium Asweri nuncupat, qui et ipse alio nomine vocabatur a Grecis, cum esset major natu quam Cyrus — erat enim annorum sexaginta duorum — cedente sibi Cyro jure propinquitatis, Chaldeorum regnum obtinuit, unde Danielem secum abduxit in Mediam, eumque omni honore coluit (cf. Hier. *in Dan.* c. v). Erat enim unus inter tres satrapas quos Darius super trecentos sexaginta constituerat satrapas. Hunc ergo finem regni Babylonici, quem diximus, fuisse cognovimus. Sed cum tam potentes atque famosi Babyloniorum existerent reges, queritur quænam causa sit cur non in numero et ordine illustrium habeantur regum. Scimus enim quoniam regnum Assyriorum, quod a Semiramide, Nini uxore, in Babylonia est fundatum, diuturno tempore in ea et usque ad Sardanapallum permansit. Quo interfecto, a Medorum prefecto Arbace regnum Assyriorum in Medos est translatum, Medorumque reges exinde in ordine et numero ab hystoriographis traduntur, donec ad Persas translatum est regnum. Ergo si regnum Assyriorum translatum est ad Medos, nunc regnum Babyloniorum quod sit si quis scire voluerit, recolat Asiam a Nino occupatam totumque orientem usque ad Indos, ab uxore vero ejus insuper Æthyopas aliasque nationes regno Assyriorum esse subjectas. Ex quo apparet, discedentem ad Medos Arbacem maximam regni partem dignitatemque invasisse ac penes se in Media retinuisse. Chaldei vero Babyloniam sibi adversus Medos vendica-

VARIÆ LECTIONES.

[154] *hi et qui sequuntur numeri tantum non omnes e corr.* 1; *Joseph enim numeros Ekk. mutavit.* [155] Joachim *corr.* sedechyas 5.

NOTÆ.

(203) Apud Orosium de his regibus nihil legitur.

verunt, et ita potestas Babyloniæ apud Medos, proprietas vero regni apud Chaldeos fuit. Chaldei autem propter antiquam regiæ urbis dignitatem, non suam dignitatem, sed illius vocare maluerunt. Unde factum est ut Nabuchodonosor ceterique post eum reges usque ad Darium et Cyrum, qui Chaldeorum regnum civitatemque Babyloniam destruxerunt, quamvis Chaldeorum viribus potentes, nomine tamen Babyloniæ clari legantur.

(Aug. *De civ.* xviii, c. 25.) His adhuc temporibus illi septem, quos antiquitas sapientes jactabat, fuerunt, qui nonnulla quidem honestiora morum precepta brevitate sententiarum complexi sunt, nichil autem monimentorum quod ad litteras attinet posteris reliquerunt, nisi quod Solon quasdam leges Atheniensibus dedit, Thales vero physicus fuit et suorum dogmatum libros reliquit.

(Aug. viii, 2.) Pythagoras Samius, a quo ferunt phylosophiæ nomen exortum, qui (204) et arithmeticæ artis et musicarum consonantiarum repertor fuisse dicitur, eisdem temporibus fuisse fertur. Nam cum antea sapientes dicerentur, qui aliis prestare videbantur, iste interrogatus quid profiteretur, phylosophum se esse respondit, id est studiosum vel amatorem sapientiæ, quoniam sapientem profiteri se arrogantissimum sibi videbatur.

(Hier.) Per idem tempus etiam alii plures claruerunt: Alcmannius et Stersicorus poetæ, Pherecides hystoriarum scriptor, Xenophanes physicus et tragedus, Sapho mulier in multis poematibus clara, Anaximander physicus, cujus magister erat Thales Milesius (cf. Aug. *l. l.*).

anni captiv.[156]	Medor.	Ægypt.	Rom.	Maced.	Lyd.	
1	9	7	29	19	22	
9	17	15	37	1	30	(Hier.) Alcetas, rex Macedonum octavus, regn. ann. 29.

Finitur ætas sæculi quarta in captivitate Hebreorum, continens annos 486, et fiunt simul anni quatuor ætatum ab inicio mundi usque ad captivitatem 3374 (cf. Isid.) (Beda.) Quinta ætas incipit a captivitate usque ad Christum.

(*H. m.*) Servius Tullus, Romanorum rex sextus, regnavit annis triginta quatuor. Hic genitus ex nobili femina, captiva tamen et ideo ancilla, cum dormiret adhuc puer in regia Tarquinii Prisci, uxor ejusdem regis Tanaquil vidit quasi ardere caput ejus, et propter hoc prodigium liberaliter eum inter suos pueros educavit, pro qua re ad regnum pervenit. Nam post mortem Tarquinii, annitente regina, subrogatus in locum regis quasi ad tempus, regnum dolo partum sic amministravit industrie, ut jure adeptus videretur. (Hier. et *H. m.*) Hic tres montes urbi adjunxit, Quirinalem, Viminalem, Esquilinum, fossas circa murum duxit, primus omnium censum ordinavit, qui adhuc per orbem terrarum incognitum [157], omnibusque sub eo Romæ in censum delatis, inventa sunt capita civium Romanorum cum his qui in agris erant 84000. Ad utimum occisus est scelere generi sui Tarquinii Superbi, qui fuit filius superioris regis cui ipse successerat, consentiente in necem ejus filia sua, quam Tarquinius uxorem habebat. Quo adhuc regnante, Baldasar imperavit Chaldeis, sub quo Daniel mysticam scripturam in pariete legit et interpretatus est.

Eodem tempore Claudia, quinta vestalis virgo, pro stupri crimine accusata est. At illa purgare se dedignata humaniter, in vadum Tyberis ivit, navim ascendit, proram zonula sua ligavit et ait . *Si virgo sum, sequere me.* Mox navis mota Romam ingressa est.

		1	2	31 [157*]		
10	18	16	2	3	32	
25	33	1	17	18	46	(Hier. Amasis rex Ægypt. regnavit ann. 42.
29	37	5	21	22	1	Crœsus, rex Lydorum ultimus, regn. ann. 25.
30	38	6	22	23	2	

(Jord. — Hier.) Cyrus Persa Medorum destruxit imperium, quod steterat per annos 259 sub regibus octo, transferensque illud ad Persas, regnavit ipse ibi primus annis triginta, a tricesimo primo anno desolationis templi usque ad sexagesimum ejusdem desolationis. Qualiter autem ad Persas venerit regnum Medorum, dissonantia quædam est historiarum. Quidam enim sic scribunt (Oros. I, 19.). Astiages, rex Medorum ultimus, virili prole vacuus, Cyrum nepotem apud Persas genitum habuit. Sed Cyrus mox ut adolevit, congregata Persarum manu, avunculo certamen indixit. Porro Astiages oblitus sceleris sui, quod in Arpalum dudum amiserat cum filium ejus unicum et parvulum interfecit epulandumque patri apposuit, ac ne quid infelicissimæ orbitati felix ignorantia subtraheret, infames epulas ostensis patri cum capite manibus improperavit, hujus inquam facti immemor, ipsi Arpalo summam belli commisit. Qui acceptum exercitum statim Cyro per proditionem tradidit. Quo comperto Astiages, raptis secum copiis, in Persas ipse proficiscitur certamenque acrius instaurat, proposito suis metu, si quis e prælio cedere moliretur, ferro exciperetur. Qua necessitate acriter pugnantibus Medis, cum Persæ paulatim cederent matres et uxores eorum eis obviam currunt, orantes ut in prælium reverterentur, cunctantibusque subalta veste obscena corporum ostendunt, quærentes num in uteros matrum vel uxorum refugere vellent. Quo facto erubescentes Persæ, in prælium redeunt, et impressione facta, quos fugiebant fugere compellunt. Ibi tunc Astiages capitur, cui Cyrus nichil aliud quam regnum abstulit, eumque maximæ Hyrcanorum genti preposuit, in Medos vero ipse redire noluit. Is finis imperii Medorum fuit. Sed civitates, quæ tributariæ Medorum fuerunt, a Cyro defecerunt; quæ res Cyro multorum bellorum causa fuit et origo. (Hier. *in Dan.* c. v.) Sic Pompeius Trogus et alii quidam testantur. Ast alii, quibus etiam beatus Hieronimus consentire videtur, dicunt, Astiagem maternum avum Cyri fuisse, et Darium Astiagis filium extitisse et avunculum Cyri, qui cum eo Babylonem et regnum Chaldeorum destruxit, ac per illum Medorum regnum estimant ad Cyrum velut hereditario jure pervenisse. Unde Jordanis episcopus sic scribit (*ap.* Mur. I, p. 224) : Post captam Hierosolimam a Nabuchodonosor rege Babyloniorum et post desolationem templi regnum Medorum, quod steterat per annos 259, destructum est et in Persas translatum, quia Cyrus rex Persarum et Darius rex Medorum, filius Astiagis, parentela conjuncti nepos et avunculus fuerunt, irruentesque super Baldasar, abnepotem Nabuchodonosor, regem Babyloniæ, regnum ejus pervadunt, mortuoque Dario Cyrus et suum, id est Persarum, regnum, et affinis sui Darii, hoc est Medorum regnum, cum tercio illo regno quod captivaverant obtinuit. Post is ammodum Per-

VARIÆ LECTIONES.

[156] Anni captivitatis Judaicæ *codd.* [157] *ita* 1. [157*] *ita* 1., *ubi annorum ordo turbatus est et in* 3 *ultimis columnis numerus uno minor legi debebat. quod cum animadverteret a.* 36. *bis scripsit.*

NOTÆ.

(204) *Qui — fertur* ex fonte mihi incognito.

sarum regnum et gentem elevavit. Quæ gens a predicto Cyro usque ad Darium, Arsami filium, regnavit per annos plus minus 230; sicque in Alexandriam regnum devenit. Hunc Darium dicit Daniel filium Asueri fuisse, nescio qua ratione, nisi forte Astiages, qui pater ejus ab aliis dicitur, binomius fuerit, ut et Asuerus dictus sit. Dicit enim sic Daniel (c. IX) : *In anno primo Darii, filii Asueri, de semine Medorum, qui regnabat super regnum Chaldeorum, vidi visionem.* Dicit et de Astiage (c. XIII, XIV) : *Rex Astiages appositus est ad patres suos, et suscepit Cyrus Perses regnum ejus, et erat Daniel conviva regis*, et reliqua.

Horum omnium convenientia qualiter se habeat, studiosioribus propositam relinquamus; hoc tantum in hystoriis notum habemus, quod Cyrus Persis primus regnavit, et in cronicis annotatum invenimus, quod tricesimo primo anno desolationis templi regnare cœpit, et vicesimo regni sui anno Babylonem cœpit, interfecto Baldasar rege Chaldeorum, vixitque postea decem annos, et Medorum Chaldeorumque regna suo, id est Persarum regno, subjugavit (cf. HIÉR.). Hujus igitur anno primo concurrebat septuagesimus captivitatis Judaicæ annus, ut Josephus refert (XI, 1); sed de illa captivitate, quando templum incensum est, hoc stare non potest, cum hic annus esset 31us, nec de illa qua Joachin, filius Joachim, abductus est, cujus 43us hic erat annus, nec de illa quoque quæ sub patre ejus Joachim, qui et Eliachim, facta est, quando Daniel et socii ejus inter ceteros translati sunt, cujus hic annus est quinquagesimus primus, nisi forte pro captivitate deputentur omnes anni a tercio decimo anno Josiæ, quo Hieremias primum cœpit de captivitate predicare.

- (Jos. XI, 1.) Cyrus itaque dum legeret prophetias Ysaiæ, et scriptum reperisset dixisse dominum quoniam : *Volo, Cyrum, quem multarum et magnarum gentium regem constitui, mittere populum meum ad propriam terram, et templum michi reconstruere*, miratus est nomen Domini, et impetus quidam accepit eum, ut munificam illam scripturam impleret, quam ante 160 annos destructionis templi Ysaias predixit. (HIER.) Hic namque fere quinquaginta milia Judæorum regredi fecit in Judæam, qui constructo altari fundamenta templi jecerunt. Cumque a vicinis gentibus impediretur opus, usque ad Darium, filium Hydaspis, remansit imperfectum, solo tantum altario consistente. Apud Hebreos autem, qui tunc ascenderant ad Judæam ex captivitate, pontifex maximus Jhesu, filius Josedech, et princeps Zorobabel clari habebantur. Quinto autem anno Cyri, qui est desolationis templi 35us, prophetabant Aggeus et Zacharias.

Ea quæ de Crœso memorantur, quomodo temptaverit oracula, his fuere temporibus. Hic decimo anno Cyri adversus eum iniit bellum. Vicesimo autem regni sui anno Cyrus cœpit Babylonem cum avunculo suo Dario, Astiagis filio (cf. JORD.). (OROS. II, 6, HIER.) Ibi tunc Crœsus Lydorum rex, famosus opibus, cum ad auxiliandum Babyloniis venisset, victus in regnum suum refugit, Capta vero Babylonia, Cyrus bellum transtulit in Lydiam, captumque Crœsum et vita et patrimonio donavit, regnum vero Lydorum destruxit, quod stetit per annos 230 (HIER.),

(OROS. II, 7.) Igitur Cyrus cum plurimas gentes suo subdidisset imperio, Scythis bellum intulit. Ubi cum filium Thamaris reginæ, quæ tunc genti preerat, cum tercia parte copiarum suarum astu occidisset, illa econtra diffidentiam simulans desperatione cladis illatæ, paulatim decedendo superbum hostem in insidias vocat, ibique compositis inter montes insidiis, ducenta milia Persarum cum ipso rege delevit, adjecta super omnia ammiratione, quod ne nuncius quidem tantæ cladis superfuit. Regina vero caput Cyri amputans, atque in utrem humano sanguine obpletum conjici jubens, non muliebriter increpitavit; *Sacia te*, inquiens, *sanguine quem sitisti, cujus per annos* 50 *insaciabilis perseverasti.*

(HIER.) Anaximenes physicus his temporibus agnoscitur; Symonides clarus habetur; Stersicorus poeta et Thales Milesius moriuntur.

Juda.	Pers.	Ægyp.	Rom.	Maced.	Lydor.	
31	1	7	22	23	3	Regnum Persarum cœpit exordium.
38	8	14	29	1	10	Amintas, rex Macedonum nonus, regn. annis 50. Annus ducentesimus a conditione urbis Romanæ.
43	13	19	34	6	15	

(JORD.) Lucius Tarquinius Superbus, quod cognomen ei ex moribus datum est, Romanorum rex septimus et ultimus, regnum avitum, quod a socero suo Servio tenebatur, rapere maluit quam exspectare, missisque in eum percussoribus, scelere partam potestatem non melius egit quam acquisivit. Nec abhorrebat moribus ejus uxor Tullia, quæ ut virum regem salutaret, supra cruentum patrem vecta carpento consternatos equos egit. (*H. m.*) Iste primus excogitavit vincula, taureas, fustes, lautomas, carceres, compedes catenas, exilia, metalla. (JORD.) Ipse in senatum cedibus, in plebem verberibus, in omnes bonos superbia, quæ crudelitate gravior est, grassatus est. Tam diu superbiam regis populus Romanus pertulit, donec libido affuit; hanc ex liberis ejus importunitatem tolerare non potuit. (*H. m.*) Nam cum Ardeam obpugnaret octavo decimo miliario ab urbe Romana positam, filius ejus Sextus Tarquinius nocte armatus de castris Romam venit, et nobilissimam Lucretiam, Lucretii Tricipini filiam, Tarquinii Collatini uxorem, per vim stupravit. Quæ mox maritum et patrem cum aliis amicis e castris asciscens, vim quam perpessa est pudibunda et flens conquesta est. Quibus eam consolantibus, nec hoc quod per vim passa est pro crimine ducentibus, ait : *Nulla impudica exin Lucretiæ defendet se exemplo.* Tum ferrum, quod sub veste celabat, subito visceribus immersit. Pro qua re commotus populus Romanus a Bruto ejus patre et viro Collatino, imperium Tarquinio adimendum decrevit. Mox quoque exercitus Ardeam, quam obpugnabat, cum ipso rege relinquens, Romam rediit, ipsumque Tarquinium venientem portis obseratis exclusit. Cumque imperasset annis 35, cum uxore et liberis fugit; sicque dominatus regii finis factus est.

(JORD.— *Hist. misc.*) Hæc est prima ætas et quasi infantia Romani populi, quam habuit sub regibus septem per annos 243, cum adhuc Roma ubi plurimum vix usque ad quintum decimum miliarium possideret.

(JORD.— *H. m.*) Post exactos reges per annum unum singuli senatores quinis diebus rem publicam obtinuerunt, dehinc pro uno rege creati sunt duo consules per annos singulos hac de causa, ut, si unus malus esse vellet, alter similem habens potestatem cum coerceret, et ut scientes se annis tantum singulis populo preesse non insolescerent, magisque consulere civibus quam imperare discerent, et ita illo anno erga alios agerent qualiter eos erga se acturos postea vellent.

(HIER.) Igitur primum erant consules, deinde dictatores, exin tribuni plebis, et rursum consules; qui ordo permansit per nongentos sedecimque viros annis 408 usque ad Julium Cæsarem, qui primus monarchiam arripuit. (JORD., HIER., *H. m.*) Primi autem consules, expulso Tarquinio, fuerunt Lucius Junius Brutus, avunculus Lucretiæ, qui maxime egerat ut Tarquinius pelleretur, et Tarquinius Collatinus, ejusdem Lucretiæ maritus; sed Collatino statim sublata est dignitas; placuit enim Romanis ne quisquam in

urbe remanēret, qui Tarquinius vocaretur. Qui cum omni patrimonio suo ex urbe migravit, et in loco ejus consul factus est Lucius Valerius Publicola.

Tarquinius vero pulsus de regno ad Porsennam regem Etruriæ ceterosque finitimos populos se contulit, et per triennium multa mala Romanis ingessit. (*H. m.*) Collectis enim multis gentibus, in eodem expulsionionis suæ anno bellum commovit, et ut in regnum restitui posset dimicavit; ubi in prima pugna Brutus consul et Arruns, Tarquinii filius, invicem se occiderunt, Romani tamen vicerunt. Valerius Publicola Lucretium Tricipitinum, patrem Lucretiæ, collegam sibi fecit; quo non multo post mortuo, iterum Horatium Pulvillum sibi collegam sumpsit; sicque primus annus quinque consules habuit.

Secundo anno iterum Tarquinius, auxiliante Porsenna Etruscorum rege, bellum Romanis intulit, continuisque impugnationibus trepidam urbem terruit, clausit, obsedit, et, nisi Mutius constanti patientia urbe submovisset hostem, aut urbem caperet, aut recepto rege jugi servicio populus subjaceret (cf. Oros. II, 5). (*H. m.*) Is enim Mutius ad feriendum Porsennam in castra ejus descenderat; sed videns subregulam ejus purpurato habitu stipendia dividentem, arbitratus regem esse, occidit eum. (Jord.) Videns autem se frustratum esse, ardentibus in ara focis manum mox intulit, terroremque dolo ingeminans ait : *O manus, ut scias quem effugeris virum; idem enim trecenti juravimus.* Hoc namque facto hic interritus perseverat, rex vero trepidabat, quasi ejus manus arderet. Siquidem una virginum Cloelia nomine ex obsidibus regi datis elapsa e custodia equum conscendit, et audacter Tyberi transmeato Romam rediit. (*H. m.*) Quadam etiam die cum Etrusci per pontem Tyberis irruerent in urbem, quidam Horatius Cocles in fronte pontis solus eis obstitit donec dissolutus pons per cives diruetur, et statim cum armis in Tyberim se dedit, ac pariter et hostium victor et fluminis, superjecta Etruscorum tela vitavit. (Jord.) Ergo tot tantisque virtutum monstris rex territus, abscessit, pacemque cum Romanis fecit.

(*H. m.*) Tercio anno Tarquinius cum se in regnum reverti non posse videret, nec ei Porsenna auxilium preberet, non longe ab urbe civitatem Tusculum condidit [158], atque ibi per 14 annos privatus consenuit.

(*H. m.*) Quarto anno Sabini bellum Romanis intulerunt, et victi sunt.

(Hier. *H. m.*) Quinto anno Lucius Valerius, ille Bruti collega, jam quater consul, mortuus est adeo pauper ut sumptu publico, collectis nummis a civibus, sepeliretur.

Nono anno post exactos reges cum gener Tarquinii ad injuriam soceri vindicandam ingentem collegisset exercitum, nova Romæ dignitas est creata, quæ appellabatur dictatura, major consulatu, similis imperiali potestati quam postea tranquillitas regni habebat, maxime cum Augustus quoque Octavianus et ante eum Julius Cæsar sub dictaturæ nomine atque honore regnaverint. (Hier. *H. m.*) Eodem etiam anno et magister equitum factus est, qui dictatori obsequeretur. Dictator autem primus fuit Marcus Valerius, magister vero equitum primus Spurius Cassius.

Sexto decimo anno Marco Valerio dictatore delectum militum faciente, seditionem populus Romæ fecit, tanquam a senatu premeretur, discessionemque a patribus faciens, sacrum montem insedit armatus, sibique tribunos plebis quasi proprios judices et defensores creavit.

Septimo decimo anno Volsci contra Romanos bellum preparaverunt, sed victi per Marcum Valerium, Coriolos civitatem optimam perdiderunt. Idem vero Marcus anno sequenti expulsus ab urbe, ad Volscos contendit iratus, ipsorumque auxilio Romanis bella inferens, sepe illos vicit, et usque ad quintum miliarium urbis accessit, obpugnaturus eam, nisi mater ejus Veturia et uxor Volumnia venissent ad eum ex urbe, quarum precibus superatus, remisit exercitum. Et hic secundus erat a Tarquinio, qui dux contra patriam suam esset.

anni captivit.	Persar.	Ægypt.	Rom.	Maced.	Lydor.	
44	14	20	1	7	16	
53	23	29	10	16	25	
54	24	30	11	17		

(Hier.) Crœsus rex Lydorum a Cyro captus est, et regnum Lydorum, quod per annos 241 steterat, destructum est.

60	30	36	17	23[159]	Thamaris regina Massagetarum interfecit Cyrum.

Cambises, filius Cyri, rex Persarum secundus, regnavit annis octo. Hic in libro Ezræ Assuerus et Artarxersis nuncupari creditur, ubi quosdam pro impetitione restaurationis Hierusalem ad eum scripsisse, ipsumque suggestioni eorum consensisse narratur (cf. Jos. XI, c. 2.) Idem (205) cum magos odio haberet, aures eorum jussit abscidi; sed post mortem ejus septem magi filium ejus clam occiderunt, ex quibus duo fratres magi, cum ei simillimi viderentur, regnaverunt secundum quosdam (Hier.) septem mensibus, juxta Josephum (XI, 3) vero anno uno; quorum temeritas, per hoc quod auribus detruncatis inventi sunt magi, cito deprehensa ferroque repressa est. Quidam autem scribunt (Hier. *in Dan.* c. XI) eum qui a magis occisus est Smerdem dictum fuisse et Pantapten, Cambisis filiam, uxorem duxisse, quam illo interfecto Darius cum regno acceperit et ex ea Xersen genuerit. Cambisen vero quidam aiunt (Hier.) etiam secundum Nabuchodonosor vocatum, sub quo hystoria Judith et acta sit et conscripta, quia et et in Romana dicitur hysteria (*ap.* Mur. p. 4): *Tarquinii sane Superbi temporibus Judith castissima Holofernem interfecit.* Et revera Tarquinius Cambisis fuit contemporaneus; nam primus Cambisis annus illius fuit 18us. Et Cambisen quidem Nabuchodonosor vocatum fuisse, Judithque hystoriam sub eo conscribi posse, non nego; quomodo autem sub eo acta sit, non video. Nam cum idem in hystoriis non ultra octo annos regnasse legatur, regnique illius tempus in cronicis sic annotatum inveniatur, quomodo ipse anno 12° regni sui Arfaxat regem Medorum potentissimum, qui apud nos nusquam in ordine regum qui Medis imperabant ex quo Assyriorum regnum ad Medos translatum est, vicerit, aut quomodo 13 anno pro injuriæ suæ vindicta Holofernem miserit, scientiæ meæ necdum occurrit, maxime cum regnum Medorum nuper a patre suo Cyro ad Persas translatum sit, sive subverso Astiage, ut quidam volunt, illud invaserit, sive, ut alii dicunt, defuncto Dario, ejusdem Astiagis filio, qui tamen in cronicis non ponitur in catalogo regum, hereditario jure velut avunculi sui regnum ad eum pervenerit. Eliachim quoque, qui sacerdos magnus in libro Judith legitur Judæos ammonuisse de confidendo in Domino, non hoc tempore fuisse legitur, nisi forte idem sit qui et Joachim, quem post Holofernis occisionem ab Hierosolymis Bethuliam pro videnda Judith venisse liber idem testatur ut filius Hiesu,

VARIÆ LECTIONES.

[158] *H. m.* : se contulit. [159] XXXIII. 1. *qui etiam* XXX—XXXII. *pro* XX—XXII. *habet.*

NOTÆ.

(205) Horum verborum fontem nescio.

qui et Josue credatur. Sed hic Joachim Josedech est cognominatus, et Hiesus pater ejus etiam sub Dario tenuit honorem pontificatus. Sed nos forsan stulte proponentes, nichil autem temere definire presumentes, hystoriarum scriptoribus, ut par est, cedamus, hæcque studiosioribus investiganda relinquamus.

(HIER. — *H. m.*) His diebus Hyppicus carminum scriptor et Xenophanes physicus ac tragœdiarum scriptor agnoscuntur. Symonides et Sophocles, Anacreon et Phociles, lyrici poetæ, clari habentur. Phytagoras quoque physicus et phylosophus celebrabatur. qui de Samo oriundus Crotone deguit, novissime Metapontum adiit, ibique sepultus est.

anni captiv.	Persar.	Aegypt.	Rom.	Maced.
61	1	37	18	24 [160]
66	6	42	23	29
67	7	Defecit	24	30
68	8	hic regnum.	25	31 [160]

(HIER.) Darius, filius Hydaspis, rex Persarum tercius, regnavit annis 36, ab anno 69. desolationis templi. Hic unus ex his qui magos regnare volentes ferro coercuerunt, cum esset privatus, oravit Dominum pro accipiendo regno, promittens ut si fieret rex omnia vasa Dei, quæ Babyloniæ reperirentur, in Hierusalem remitteret, et templum reædificaret. (OROS. II, 8. Jos. XI, 3. — Cf. *I Esd.* VI., *II Esd.* I.) Cum autem consensu omnium factus esset rex, Neemias, unus ex Hebreis, invenit gratiam coram eo. Qui cum admoneret eum ut votum quod voverat Deo adimpleret, secundo anno regni sui, qui erat septuagesimus destructionis Hierusalem et templi, omnem relaxavit captivitatem, sicut per prophetas prædictum fuerat. (HIER.) Ergo venia reædificandi templi sub Cyro exordium habuit, sed impedientibus inimicis mansit imperfectum usque ad Darium, cujus regni anno secundo a Zorobabel et Hiesu construitur, et quarto ædificationis anno, qui est Darii sextus, perficitur opus, juxta Josephum (XI, 6) vero anno septimo, qui est Darii nonus, consummatur, prophetantibus ultimis Aggeo et Zacharia et Malachia, qui Angelus dicitur apud Judæos. A prima autem ædificatione templi sub Salamone usque ad reædificationem sub Dario secundum quosdam (JORD.) sunt anni quingenti duodecim, juxta Josephi vero assertionem (*l. l.*) 450.

(OROS. II, 8.) Darius Antyro regi Gothorum Scythiæ degentium bellum cum septingentis milibus intulit, eo quia sibi filiam suam in conjugium negavit, ubi ipse 80000 amisit. Post hæc Asiam Macedoniamque perdomuit, et in campis Marathoniis cum Atheniensibus conflixit, ubi ducenta milia sui exercitus amittens, victus in Persas refugit. Cum autem instaurare bellum et ulcisci in victores moliretur, in ipso apparatu concidit.

(HIER.) His diebus claruerunt Ellanicus hystoriographus, Democritus phylosophus, Eraclius cognomento tenebrosus, Anaxarus et Diogenes et Xenophanes physici, Eschylus tragedus, Hyppicus carminum scriptor, Symonides et Anacreon et Pyndarus lyrici. Phytagoras vero his diebus moritur.

anni captiv.	Persar.	Rom.	Maced.	
69	1	26	32	
70	2	27	33	Hoc [161] anno reædificari cœpit templum, ex qua reædificatione usque ad 42.
	3	28	34	annum Augusti, quo natus est Christus, computantur anni 519, ad 15[mum]

vero Tyberii et predicationem Christi anni 547.

	10	33	41	
	11		42	Apud Romanos dominatus regii finis est factus, quibus a Romulo usque ad

Tarquinium Superbum septem reges dominabantur per annos 245.

Persar.	Maced.	
16	47	Phythagoras moritur.
17	48	
18	49	
19	50	Nova dignitas Romæ creata est, scilicet dictatura et magistratus equitum.
20	1	Alexander, rex Macedonum decimus, regn. ann. 43.
26	7	Discessio plebis a patribus; et tunc tribuni constituti sunt.
31	12	(*H. m.*) His temporibus gloriosissima numero et viribus familia Fabiorum, cum essent 306, speciale sibi adversus Vegentanos certamen expetiverunt in decennium, promittentes per se omne certamen impleri. Itaque profecti, omnes nobiles, et qui deberent singuli magnorum exercituum duces esse, insidiis circumventi, omnes trucidati sunt, uno tantum residuo, qui propter ætatem puerilem duci non potuit ad prælium.
1	18	(HIER.) Xerses, filius Darii, rex Persarum quartus, regnavit annis viginti. Hunc dicit Josephus (XI, 7) voluntatis paternæ erga Judæos et templum Dei heredem extitisse, unde et Ezram ejus gratiam adeptum cum multis aliis Hierosolimam directum fuisse, Neemiam quoque pincernam ejus extitisse, cum Ezras scribat se permissione Artarxersis regis a Babylone descendisse, ipseque Neemias testetur se pincernam Artarxersis regis extitisse. Per illud tempus princeps sacerdotum fuit Joachim, cognomento Josedech, filius Hiesu. Quo mortuo, successit ei filius ejus, Eliasib. Josephus (VIII, 11) vero Joachim vocat Judam. (XI, 7.) Defuncto autem Eliasib, Joiada, filius ejus, sacerdotium suscepit, cui Johannes, filius ejus, successit. Igitur Xerses septingenta milia armatorum de regno et trecenta de auxiliis, rostratas etiam naves mille ducentas, onerarias autem 3000 habuisse describitur, cum Greciam vastare disponeret, ut merito inopinato exercitui immensæque classi vix ad potum flumina, vix ad ingressum terras, vix ad cursum maria suffecisse, memoratum sit. Hinc est quod mari pontem navibus imposuisse legitur (Cf. HIER. et OROS. II, 9). (OROS. *l. l.*) Huic tam incredibili nostris temporibus agmini, cujus numerum nunc difficilius est astrui, quam tunc fuit vinci, Leonida rex Spartarum cum quatuor milibus hominum in angustiis Termipolarum obstitit, et pene eum vicit. Deinde Themistocles, Atheniensium dux, navali prælio exercitum ejus superavit. Ad ultimum Xerses, bello in Grecia infeliciter acto, contemptibilis factus est suis, domumque reversus, per Artabanum prefectum suum in regia circumventus occiditur. (HIER.) Qui regnavit pro eo mensibus septem, dein Artarxersis.
1	38	(JORD.) Artarxersis, qui Macrochir, id est longimanus, dicebatur, regnavit apud Persas annis 40.

VARIÆ LECTIONES.

[160] XXV—XXXIII. I. [161] *Hæc partim e corr.* 1.

a restauratione templi anno 56°. (Hier.) Quo regnante Ezras sacerdos clarus habebatur apud Hebreos, utpote magister omnium in legibus sacris; ipse quippe legem renovavit (*II Esd.*), Neemias vero muros civitatis perfecit, pontifex vero templi maximus fuit Joiada, filius Eliasib, quem Josephus Judam dixit.

Maced.	Persar.	
2	39	(Hier.) Socrates nascitur.
7	1	Perdicca, rex Macedonum 11us, regn. ann. 28.
8	2	
14	8	Annus tricentesimus a conditione urbis Romanæ.
26	20	

His igitur in locis de regum temporumque serie scriptores hystoriarum videntur dissentire. Ea quippe quæ de Ezra et Neemia scribuntur, Josephus (xi, 8) sub rege Xerse, filio Darii, refert facta fuisse, si tamen codex in quo sic habetur mendosus non est, ut magis ex scriptorum neglegentia, quam ex hystoriographi hoc evenerit sententia. Scriptum quippe ibi reperitur, Neemiam regis Xersis pincernam fuisse, illumque anno ejusdem regis 25° ad reædificandam Hierusalem ejus permissione venisse, et 38° ejus anno mense nono muros ejus perfecisse, cum nec ulla alia hystoria apud nos nec in cronicis inveniatur ultra 26 annos regnasse. Idem quoque dicit (*ib.* c. 9), Artarxersen [162], quem ipse Cyrum nominat, sub quo hystoria Hester acta est, hujus Xersis filium fuisse sibique in regnum successisse, cum in regni Persarum successione inter illos ponantur quinque, scilicet Artabanus, qui occiso eodem Xerse regnavit mensibus septem, Artarxersis iste, de quo nunc agitur, qui Macrochir dicebatur, quique regnavit annis 40, Xerses alius mensibus duobus, Sogodianus mensibus 7, Darius Nothus annis 19, qui simul computantur anni 60 menses quatuor. Ipse etiam Neemias, ut in libro Ezræ legitur (II, 11), Artarxersis pincernam se fuisse fatetur, et vicesimo regni ejus anno accepta licentia ab eo ad reædificandam Hierusalem descendisse, ac per annos 12, hoc est 32° ejusdem regis anno, opus suum perfecisse (*ib.* c. 13. Cf. Hier. *in Dan.* c. ix). Primum enim, ut sepe dictum est, ad imperium Cyri Zorobabel princeps Hebreorum et Hiesus pontifex summus et qui cum eis ire volebant, postea Ezras et cum eo multi de Babylone ad exstruendum templum et Hierusalem descenderant; sed contradicentibus in circuitu nationibus, constructo altari templum mansit imperfectum usque ad secundum Darii annum, qui est annus quadragesimus a primo Cyri anno; sed ipso Cyro permittente, templum cum peribolo suo perfectum est anno ejus sexto, muri vero Hierusalem remanserunt imperfecti usque ad Neemiam per annos 64 a perfectione templi, sicque 20° anno Artarxersis hujus Neemias eos ædificare cœpit et 30° anno regis ejusdem perfecit. A quo tempore, scilicet a vicesimo Artarxersis anno, si quis numeraverit septuaginta ebdomadas a Daniele scriptas, quæ faciunt annos 490, reperiet eas in regno Neronis expletas, sub quo Hierusalem obsideri cepta, secundo Vespasiani anno capitur. De quarum ebdomadarum subputatione multa inter doctores diversitas est (Cf. *ibid.*). Quidam enim computant eas a 20° anno Artarxersis usque ad obsidionem Hierusalem sub Nerone, ut dictum est, alii vero a perfectione templi sub Dario usque ad Hyrcanum, in quo defecit sacerdotium, quorum sententia hujusmodi est. (Hier.) Igitur septem et 62 ebdomadæ, quæ simul fiunt 69, faciunt annos 483, in quibus christi, id est sacerdotes, per unctionem consecrati regnaverunt, ab instauratione templi sub Dario usque ad Hyrcanum, in quo novissimo crisma et sacerdotium defecit Judæorum. (Hier. *in Dan.* c. ix.) Quod autem a perfectione templi, hoc est a sexto Darii anno, usque ad decimum Augusti annum septem et 62 ebdomadæ, id est anni 483, computentur, sic possumus approbare. Sexagesimæ sextæ olympiadis anno primo, hoc est anno Darii sexto, completa est templi ædificatio, et centesimæ octogesimæ sextæ olympiadis anno secundo, id est Augusti decimo, Herodes suscepit regnum Judæorum, in quibus fiunt anni 483, per singulas olympiades quadriennio subputato. Alii vero easdem ebdomadas a vicesimo Artarxersis anno computantes, in octavo decimo Tyberii anno, quo Christus passus est, eas finiri volunt, sic scribentes (Beda *De temp. rat.*, c. 7): « Septuaginta, inquit, ebdomadæ abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prevaricatio, et finem [163] accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justicia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. » Nulli dubium quin hæc verba Christi incarnationem designent, qui tulit peccata mundi, legem et prophetas implevit, et unctus est oleo leticiæ pre participibus suis, notumque est quod ebdomades 70, per septenos annos distinctæ, quadringentos et 90 annos insinuent. Sed notandum quod easdem ebdomadas non simpliciter annotatas sive computatas, sed abbreviatas asserit, occulte videlicet lectorem commonens ut breviores solito annos noverit indicatos. « Scito, inquit angelus, ab exitu sermonis, » id est licentiæ ut iterum ædificetur Hierusalem, « usque ad Christum ducem ebdomades septem et ebdomades 62 erunt, et rursus ædificabitur platea et muri in angustia temporum. » Ezra narrante didicimus quod Neemias, cum esset pincerna regis Artarxersis, vicesimo anno regni ejus mense Nisan impetraverit ab eo instaurari muros Hierusalem, templo multo ante permittendo Cyro constructo, ipsumque opus, ut dictum est, in angustia temporis perfecerit, adeo scilicet a [164] finitimis gentibus impugnatus, ut structores singuli gladio renes accincti, una manu pugnasse, altera murum recuperasse narrentur. Ab hoc ergo tempore, id est ex quo ei hæc licentia data est a rege, usque ad Christum ducem ebdomadas 70 computa, et invenies annos duodenorum mensium lunarium 490, qui sunt anni solares 475. Siquidem Persæ a prefato vicesimo anno Artarxersis usque ad mortem Darii regnaverunt annis 116, ex hinc Macedones usque ad interitum Cleopatræ annis trecentis, inde Romani usque ad 17mum Tyberii annum monarchiam tenuerunt annis 59; qui sunt simul, ut diximus, anni solares 475, et continentur circulis decennovenalibus 25. Decies novies enim viceni et quini fiunt 475. Et quia singulis circulis embolismi septem accrescunt, multiplica 25 per septem, et fiunt 175, qui sunt menses embolismales 475 annorum. Si ergo vis scire quot annos lunares facere possint hi menses, partire 175 per duodecim. Duodecies quaterdeni sunt 168. Quatuordecim ergo annos faciunt, et remanent menses septem. Hos igitur quatuordecim annos junge ad superiores 475, et fiunt simul 489. His adde et menses superfluos septem et partem octavi decimi anni Tyberii, quo Dominus passus est, et invenies a tempore prefinito, id est a vicesimo Artarxersis anno, usque ad passionem Domini ebdomadas [165] 70 abbreviatas, hoc est, lunares annos 490, solares vero 475, ad ejus vero baptismum, quando unctus est Sanctus sanctorum, descendente super eum Spiritu sancto in specie columbæ, non solum ebdomadas septem et sexaginta duos fuisse completas, sed et partem jam septuagesimæ ebdomadis videbis inchoatam. « Et post ebdoma-

VARIÆ LECTIONES.

[162] artaxensen l. [163] fiat l. [164] u l. [165] ebdomades l.

das 62, inquit, occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. » Non ergo statim post 62 ebdomadas, sed in fine septuagesimæ ebdomadis occisus est Christus, quam ideo, quantum conicere possumus, segregavit a ceteris, quia de hac erat plura locuturus; nam et Christus in illa crucifixus est, et a populo perfido non modo in passione verum continuo ex quo a Johanne baptizatus predicare cœpit negatus est. Quod autem sequitur : « Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio, » non ad 70 ebdomadas pertinet ; predictum enim fuerat, quod ipsæ ebdomades usque ad Christi ducatum pertingerent, sed scriptura, predicto adventu et passione ipsius, quid etiam post hanc populo qui eum recipere nollet eventurum esset, ostendit. Ducem enim venturum dicit Titum, qui quadragesimo anno dominicæ passionis ita cum populo Romano civitatem et sanctuarium dissipavit, ut non remaneret lapis super lapidem. Verum his per anticipationem prelibatis, mox ad exponendum ebdomadæ, quam omiserat, redit eventum. « Confirmabit autem pactum multis ebdomada una, » hoc est ipsa novissima, in qua vel Johannes Baptista vel Dominus et apostoli predicando ad fidem multos converterunt. « Et in dimidio ebdomadis deficiet hostia et sacrificium. » Dimidium ebdomadis hujus quintus decimus annus Tyberii cæsaris erat, quando inchoato Christi baptismate hostiarum purificatio fidelibus paulatim vilescere cœpit. Item quod sequitur : « et in templo erit abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio, » ad sequentia tempora respicit. Cujus prophetiæ veritatem et hystoria veterum et nostrorum hodieque temporum testatur eventus.

Has diversas expositorum sententias de ebdomadibus in Daniele scriptis ideo posui, ut sapiens attendat, et quid eligat videat.

(Hier.) Hucusque divina scriptura temporum seriem continet; quæ vero post hæc apud Judæos sunt gesta, de libris Machabeorum et Josephi atque Africani scriptis exhibentur, qui deinceps universam hystoriam usque ad Romana tempora prosecuti sunt. (Hier. *in Dan.* c. ix.) Equidem Africanus in quinto temporum volumine hujus temporis ita meminit scribens : Mansit itaque imperfectum opus usque ad Neemiam et vicesimum annum regis Artarxersis, quo tempore regni Persarum centum et tredecim anni sunt evoluti, captivitatis autem Hierusalem 175us annus erat, et ex illo tempore si numerare velis 70 annorum ebdomadas, usque ad Christum poteris pervenire.

(Oros. II, 12.) Anno ab Urbe condita 290°, qui est tercius regis Artarxersis, suspenso ad modicum bello quo Romani diu laboraverunt, gravis pestilentia per universam urbem violenter incanduit, quæ cum magna multitudine ambos consules Ebutium et Servilium extinxit.

Proximo dehinc anno cives exules servique fugitivi, duce Herbonio quodam Sabino, invaserunt et incenderunt Capitolium; quibus cum Valerius consul et dictator fortiter resisteret, occisus est.

(*H. m.*) Sequenti anno Æqui Vulscique Minucium consulem in prælio superarunt, fugientemque in Algido monte, qui 12 ferme miliario abest ab urbe, ferro fameque cinxerunt, actumque esset infeliciter, ni Lucius Quintius Cincinnatus, ille precipuus dictator, obsidionem solvisset. Hic in rure quatuor jugera possidens, manibus suis excolebat, inventusque in ipso opere arans, ab aratro accersitus, togam pretextatam accepit; mox sumpto honore instructoque exercitu, cæsis hostibus, victor rediit, jugumque boum equis imposuit, et victoriam quasi stivam tenens, subjugatos hostes pre se primus egit.

Nono dehinc anno, qui est ab Urbe condita 301us, imperium consulare cessavit, et pro duobus decem facti sunt rerum potentes, qui a numero decemviri nominati sunt, quæ res magnam perniciem rei publicæ dedit. (*H. R. — H. m.*) Nam cum primo anno bene egissent, anno secundo unus ex his Appius Claudius, cedentibus sibi ceteris, solus sibi continuavit imperium; deinde statim aliorum conjuratio subsecuta est, ut repente singuli regalibus cum fascibus procederent, omniaque superbo fastu secundum libitum facerent. Unde et Appius predictus Virginii cujusdam honesti hominis filiam stupravit, pro qua re pater adactus dolore libertatis et pudore dedecoris, protractam ad servitutem filiam in conspectu populi trucidavit. Qua rei atrocitate populus permotus, et periculo libertatis ammonitus, montem Aventinum occupavit armatus, nec tueri libertatem prius destitit, quam a decemviris potestas ablata est, ipsique dampnati sunt.

Post viginti deinde annos, id est 35° Artarxersis anno, Vegentani rebellaverunt Romanis, contra quos missus Furius Camillus dictator devicit eos, inventaque in civitate statua Junonis Monetæ, jussit eam transferri Romam. Tunc unus ex militibus per jocum interrogavit simulachrum, an vellet ire Romam, statimque respondit : *Volo.* Postea idem Manlius cepit et Faliscos, non minus nobilem civitatem; sed commota est ei invidia, quasi predam male divisisset, dampnatusque ob eam causam expulsus est a civitate.

Igitur Galli Senones, duce Brenno Italiam intrantes, omnia vastaverunt. Quos cum Fabius consul obvius exciperet, ab eis occisus est. Qui cum Romam ingressi fuissent, cede et incendio urbem repleverunt, occisisque senatoribus, reliquam multitudinem juvenum, quam constat vix mille hominum tunc fuisse, in arce Capitolini montis latentem obsidione concluserunt. Qua necessitate revocatus Manlius (206) supervenit, occisisque ex hostibus multis, Capitolium ascendit. Galli vero per noctem ascendentes Capitolium pene ceperunt, nisi quod Manlius voce anseris excitatus eis obstiterat. Sed cum eos diu obsiderent, acceptis mille libris auri pro discessu, abierunt. Manlius vero insecutus eos, ita cedebat, ut aurum totum reciperet, et omnia militaria signa, quæ ceperant, reduceret. Ita tercio triumphans urbem ingressus, appellatus est secundus Romulus, quasi et ipse urbis conditor.

Persar.	Maced.	
27	21	(Hier.) His temporibus agnoscuntur Aristarchus tragediagraphus, Cratinus et Plato comediarum scriptores, Zenon et Heraclytus, Ferecides secundus hystoriarum scriptor, Sophocles et Aristophanes tragedi, Empedocles atque Parmenides phylosophi clari habentur.
33	1	Archelaus, rex Macedonum 12us, regn. ann. 25.
1		Xerses rex Persarum regnavit mensibus duobus. Post quem Sogodianus mensibus 7; sicque annus ille transigitur.
1	8	Darius, cognomento Nothus, regnavit Persis annis 19, a reædificatione templi anno 97.
2	9	Herodotus, cum libros suos Athenis in concilio legisset, honoratus est.
3	10	Plato nascitur.
4	11	Hypocrates quoque medicus, et Socrates phylosophus, et Zeuxis pictor insigues habentur.
14	21	1 Rursum Ægyptiorum renascitur dinastia, in qua primus regnavit Amaritheus Saites annis sex.

NOTÆ.

(206) Ekkehardus Manlium et Furium Camillum inter se confudit et quædam Hist. misc. adjecit.

Persar.	Maced.	Ægypt:	
19	1	6	
1	2	1	Secundus Neferites rex Ægyptiorum regn. ann. sex. — Artarxersis, qui et Memnon cognominatus est, Darii et Persatidis filius, regnavit Persis annis quadraginta, a restauratione tempii anno [166] 116. Hic est quem Josephi liber (XI, 9) dicit filium Xersis, quinque regibus transilitis, et iste est quem Hebrei dicunt Asuerum, sub quo hystoria Hester acta est (HIER.)

(OROS. II, 18.) His diebus bellum civile vix parricidio terminatum est apud Persas. Mortuo enim Dario rege, cum Artarxersis et Cyrus, filii ejus, de regno certarent, tandem magnis provinciarum ac populorum ruinis utrimque conflictum est. In quo conflictu cum e diverso concurrentes sibi ambo fratres mutuo casus objectassent, prior Artarxerses vulneratus a fratre Cyro, equi velocitate morti exemptus evasit, Cyrus autem mox a cohorte regia obpressus finem certamini dedit. Ita ergo Artarxerses preda fraternæ expeditionis et exercitu potitus, potestatem regni parricidio firmavit. Unde Josephus (*l. l.*) et alii quidam Cyrum eum nominant.

2	1	2	(HIER.) Archelaus, rex Macedonum 14[us], regnavit ann. quatuor.
6	1	6	Amintas 15[us] regnavit anno uno.
7	1	1	Pausanitas 16[us] regn. anno uno. — Tercius Achoris rex Ægyptiorum regn. ann. 12.
8	1	2	Amintas, rex Macedonum 17[us], regnavit annis sex.
12	5	6	Socrates, venenum bibens, moritur.
14	1	8	Argeus 18[us] regnavit annis duobus.
16	1	10	Amintas 19[us] regnavit ann. 18.
19	4	1	Quartus Spammutes anno uno.
20	5	1	Nectanibus, quintus rex Ægyptiorum, regnavit annis decem et octo.
26	11	7	His temporibus Demostenes orator et Eudoxas astrologus ac Diogenes Cynicus agnoscuntur.

Aristotiles quoque 18[n.us] agens annum, auditor erat Platonis, qui et Xenophon cum aliis Socraticis tunc clarebant.

34	1	15	Alexander, rex Macedonum 20[us], regnavit anno uno.
35	1	16	Ptolomeus, qui et Alorites, rex Macedonum 21[us], regnavit ann. 4.
38	4	1	Sextus Theo rex Ægyptiorum regnavit annis 19; sicque regnum defecit.
39	1	2	Perdicca, rex Macedonum 22[us], regnavit ann. 6.
40	2	3	

(*Hist. misc.* lib. II.) Anno ab Urbe condita 365, qui est Artarxersis Memnonis [167] 18[us], dignitates in urbe mutatæ sunt, et pro consulibus vel dictatoribus tribuni militares esse cœperunt, et hinc jam Romana res crescere cœpit. Nam Camillus eo anno Volscorum civitatem, quæ per annos 70 bellum contra eos gessit, devicit, et Æquorum urbem et Sutrinorum, Titus etiam Quintius Cincinnatus Prenestinos, qui usque ad urbis portas cum bello venerunt, persecutus usque ad flumen Alliam, vicit, et octo urbes, quæ sub ipsis erant, Romanis adjunxit. Verum dignitas tribunorum militarium non diu perseveravit; nam post aliquantum tempus nullos fieri placuit, et quadriennium ita in urbe fluxit, ut potestates ibi majores non essent. Rursus consulibus factis Lucio Leautio et Quinto Servilio, mortuus est Camillus, honorque ei secundus post Romulum delatus est anno ab Urbe condita 384°, qui est Artarxersis 37[mus].

(*H. R. — H. m.*) His temporibus ingens universam Romam pestilentia per continuum biennium corripuit. Sequenti dehinc anno secutum est satis triste prodigium. Siquidem in medio urbis foro terra dissiluit, vastoque prerupto hiantia inferna patuerunt. Quod cum diu manens terrorem cunctis inferret, tandem aruspices dixerunt claudi posse illud baratrum, si juvenis, qui Romæ preciosissimus esset, sponte illuc mitteretur. Tunc Marcus Curtius eques Romanus, domo clarus, insignibus sumptis, cum equo se in illud baratrum precipitavit, sicque conclusum est. Post quem sacrificantes in eundem locum jecere fruges, moxque terra in naturam suam rediit.

Iterum terribilis Gallorum inundatio juxta Anienem [168] fluvium ad quartum lapidem ab urbe concedit. Ubi Lucius Manlius, juvenis nobilissimus ex senatoribus, provocantem ad singulare certamen Gallum progressus occidit, et sublata torque aurea colloque suo imposita, in perpetuum sibi et posteris suis Torquati cognomen accepit.

Alio quoque tempore sub hiselem diebus quidam ex Gallis, Furio nomine (207), aliquem ex Romanis, qui optimus esset, ad singulare certamen provocabat. Tunc Marcus Valerius tribunus militum se obtulit. Et cum processisset armatus, corvus ei super dextrum brachium sedit, moxque commissa adversus Gallum pugna, idem corvus alis et unguibus oculos Galli verberavit, ut in directum prospicere non valeret. Ita Valerius Gallum occidens, victoriam et nomen ut Corvinus diceretur obtinuit, ac propter hoc meritum 23 annis consul factus est. Occiso enim Gallo, ceteri fugientes trucidati sunt.

(OROS. III, 7.) Eo etiam tempore nox usque ad plurimam diei partem tendi visa est, et saxea de nubibus grando descendens, veris terram lapidibus verberavit. Quibus etiam diebus Alexander Magnus, vere gurges miseriarum ac atrocissimus turbo totius orientis, natus est. (HIER.) In Sicilia vero Dionisius tyrannidem exercuit, et 19° anno moritur, filiusque suus Dionisius junior regnum invasit.

(AUG. VIII, 3.) Socrates magister Platonis, Athenis tunc claruit, qui primus universam phylosophiam ad corrigendos mores flexisse memoratur, cum ante illum omnes magis physicis, id est naturalibus, rebus perscrutandis operam darent, finemque bonum non posse fieri nisi bene vivendo docuit. Qui cum plurima virtutum documenta dedisset, imperitorum invidia excitatis Atheniensibus adversus eum in calumniosam criminationem, sumpto veneno moritur, quem tamen postea omnis civitas publice luxit. (HIER. — AUG. *l. l.* et c. 4, 9, 4.) Cumque plurimos ille suæ phylosophiæ sectatores relinqueret, quorum studium certatim fuit in questionum moralium disceptatione versari, ubi agitur de summo bono sine quo beatus fieri homo non potest, inter omnes discipulos ejus Plato gloria et fama eminentior fuit, nec immerito, cum determinasset,

VARIÆ LECTIONES.

[166] *ita* l. anno — est *e corr.* l. [167] m. XVIII[us] *e corr.* l. [168] anionem l?

NOTÆ.

(207) Hæc nimio errore Ekkehardus ex verbis Historiæ miscellæ : *duce Lucio Furio, quidam ex Gallis* etc. sumpsit.

finem boni esse secundum virtutem vivere, et hoc ei soli evenire posse, qui noticiam unius Dei habeat in imitationem, nec aliam ob causam esse beatum. Hic itaque Plato cum apud suos honesto natus esset loco, et Athenis ingenio mirabili omnes suos condiscipulos anteiret, non contentus Socratica disciplina, longe lateque peregrinatus est, quaquaversum alicujus nobilis scientiæ percipiendæ fama illum rapiebat. Itaque et in Ægypto didicit quæcumque magna illic habebantur atque docebantur, et inde veniens in eas partes Italiæ ubi Phytagorea fama celebrabatur, quicquid Italicæ fuit phylosophiæ facillime comprehendit. Et quia magistrum Socratem singulariter diligebat, eum loquentem facit fere in omnibus sermonibus suis. Itaque cum studium sapientiæ in actione et contemplatione versetur, unde et una ejus pars activa, altera contemplativa dicitur, quarum activa ad agendam vitam, id est ad mores instruendos pertinet, comtemplativa vero ad conspiciendas naturæ causas sincerissimamque veritatem, Socrates in activa eminuisse, memoratur, Phytagoras vero magis contemplativæ quibus potuit intelligentiæ viribus institisse predicatur. Proinde Plato utrumque jungendo phylosophiam perfecisse laudatur, quam in tres partes distribuit, unam moralem, quæ maxime in actione versatur, alteram naturalem, quæ contemplationi dedita est, terciam rationalem, qua verum disterminatur a falso.

Pers. Mac. Ægypt.

1 3 4 Artarxerses, qui et Ochus, regnavit apud Persas annis 26, a restauratione templi anno 153°.

(Hier. — Jord.) Hic Sydonem subvertit, Ægyptum suo subegit imperio, Nectanebo rege in Æthiopiam pulso, in quo Ægyptiorum regnum destructum est, Syriamque cunctam devastavit.

(Jos. xi, 14.) Judæorum sacerdos his diebus fuit Johannes, filius Judæ, qui et Joiada. Hujus Johannis frater erat Jhesus, cui Vagosus, dux regis Artarxersis, promisit principatum sacerdotii. Qua confidentia altercatus in templo adversus fratrem, interfectus est ab eo. Propter quod dux ingressus templum violavit illud, et multa mala Judeis intulit.

5 1 8 (Hier.) Philippus, filius Amintæ, pater Alexandri Magni, rex Macedonum 23us, regnavit annis 26, in quibus omnes acerbitatum acervos cunctasque malorum moles struxit. (Oros. III, 12, 14, 15.) Hic primum ab Alexandro fratre suo Thebanis obses datus, per triennium apud Epaminondam, preceptorem strenuissimum et summum phylosophum, eruditus est. Ipso autem Alexandro scelere matris Euridicis interfecto, compulsus a populo, regnum parvo fratris occisi filio tuendum suscepit. Mox finitimis populis inferens bellum, victis Atheniensibus subjectisque Thessalis, Olimpiadem, Auruchæ regis Molossorum filiam, Alexandri Epyrotarum [169] regis sororem, duxit uxorem, de qua suscepit filium Alexandrum, qui appellatus est Magnus. Cumque per 26 annos incendia civitatum, excidia bellorum, subjectiones provinciarum, cedes hominum, rapinas opum, predas pecorum, venditiones mortuorum, captivitates vivorum per totam Greciam, Scythiam quoque et Traciam unius regis fraus et ferocia ac dominatus agitaret, tercio Arsis filii Ochi anno a (208) Pausania, filio Cerastæ, genus ab Oreste trahente, per insidias interimitur. Sufficerent ad exemplum miseriarum insinuata memoriæ gesta per Philippum, etiam si Alexander ei non successisset in regnum.

14 10 17 Annus 400 ab Urbe condita.
15 11 18
16 12 19
17 13

1 23 (Hier. — Jos. xi, 14.) Arses [170], filius Ochi, regnavit Persis annis 4, a reædificatione templi anno 182°. — Defuncto Johanne pontifice Judeorum, Jaddus, filius ejus, suscepit principatum, cujus frater Manasses templum in monte Garizim construxit.

(Hier.) Plato moritur his temporibus, post quem Speusippus achademiam tenuit, cui mortuo Xenocrates [171] successit. — Aristotiles omnium ore celebratur.

1 1 Darius, Arsami filius [172], rex Persarum ultimus, regnavit annis 6, a restauratione templi
2 2 anno [173] centesimo octogesimo sexto. Sexto quippe ejus anno Alexander, rex Macedonum,
3 3 pugnavit cum eo, victoque, regnum Persarum dextruxit, quod stetit per annos 240.
4 4
5 5 (Hier.) Alexander Magnus, Phylippi [174], ut putabatur, et Olimpiadis filius, rex Macedonum
6 6 vicesimus quartus, regnavit annis duodecim, sex adhuc stante regno Persarum, postea item
7 sex, qui et in ordine temporum numerantur. (Cf. Jord.) Hic (208) parvus statura, ferox
8 natura, vir magni fuit animi, quietis impatiens, semper ad altiora contendens, crudelis et san-
9 guinem siciens. (Oros. III, 18.) Unde non solum de extraneis, sed de suis quoque multos oc-
10 cidit, inter quos Amintam consobrinum [175], Clytum quoque annis gravem et amicicia sibi
11 conjunctum, Callistenen [176] etiam phylosophum sibique apud Aristotilem condiscipulum, cum
12 plurimis regni principibus. (*Ib.* c. 16.) Ilic regnum adeptus, primam experientiam animi et virtutis suæ compressis celeriter Grecorum motibus dedit, quibus ut ab imperio Macedonum deficerent Demostenes orator extitit auctor. Subditis igitur Atheniensibus, deletis Thebanis, ceteris urbibus Greciæ et Thessaliæ vectigalibus factis, Ylliricis et Tracis domitis, profectus est ad Persicum bellum contra Darium regem, quem potentissimum et ditissimum fuisse, tam Grecæ quam Latinæ et barbaræ narrant hystoriæ (Cf. Hier., *in Dan.* c. IX et Oros. *l. l.*). Habuit autem Alexander in exercitu suo viginti duo milia peditum, quatuor milia equitum et quingentos [177], naves centum octoginta, et cum tam parva manu universum orbem, utrum mirabilius quia vicerat, an quia aggredi ausus fuerit [178], incertum est. In primo ejus congressu cum Dario sexcenta milia Persarum in acie fuerunt, quæ non minus arte Alexandri superata, quam virtute Macedonum terga verterunt. Magna igitur cedes Persarum fuit, in exercitu vero Alexandri centum viginti equites et novem tantum pedites defuerunt. Deinde Gordien, civitatem Frigiæ, quæ nunc Sardis [179] vocatur obsedit et expugnavit. Interea Darius cum trecentis milibus peditum et

VARIÆ LECTIONES.

[169] *desunt duo folia in* 1. [170] erses *omissa uttera initian* 4. arxes 9c. [171] zenocrates 9c. [172] f. a. 4. [173] *deest* 9c. [174] ut p. phylippi 4. [175] consobri 4. 5. [176] callastenen 4. [177] quingentas n. 4. [178] furrat 4. [179] sardus 4.

NOTÆ.

(208) Hæc verba nescio ubi Ekkehardus invenerit.

centum milibus equitum advenit. Cumque congressi essent, ingentibus utrimque animis pugnatum est, in pugna ambo reges vulnerati sunt, ac tamdiu anceps certamen fuit, quoadusque fugeret Darius. Ibi tunc ex Persis 80 milia peditum et decem milia equitum cesa sunt, 40 milia capiuntur; ex Macedonibus vero cecidere pedites 130, equites 150. (Jos. XI, 10.) Post hæc Alexander ad Judeam tendens, Hierosolimam adiit; cui Jaddus sacerdos cum jachinctina et aurea stola, habens super caput cydarim et laminam auream, occurrit, ceteri vero sacerdotes cum bissinis stolis, omnisque multitudo cum vestibus albis processit. Alexander autem solus accessit, et nomen Dei, quod in aurea lamina scriptum erat, adoravit, principemque sacerdotum primum veneratus est, deinde [180] ascendens ad [181] templum, sacrificavit Deo juxta sacerdotis ostensionem, ipsi vero pontifici [182] ceterisque sacerdotibus multa donavit. De qua re suis omnibus stupentibus, Parmenius princeps exercitus interrogavit eum cur adorasset sacerdotem gentis Judeæ. *Non hunc*, inquit, *adoravi, sed Deum, cujus sacerdotii principatu functus est. Nam cum adhuc essem in Macedonia et cogitarem me non posse Asiam vincere, in hujusmodi habitu eum conspexi, incitantem me confidenter transire, seque ducturum dixit exercitum meum et Persarum potentiam michi traditurum* (208 *bis.*) [OROS. *l. l.*] Interea Darius tercio, cunctis Persarum viribus sociorumque auxiliis contractis, bellum instaurat. Alexander vero revertens a Judea, Tyrum urbem cœpit, Syriam et Ægyptum invadit, Alexandriamque in Ægypto condidit. Inde revertenti Darius apud Tharsum 404 [183] milia peditum et 100 milia equitum obponit. (OROS. III, c. 17) Nec pugnæ mora, omnes cæca rabie in ferrum ruunt, Macedones tociens a se victis hostibus animosi, Persæ nisi vincant preoptantes mori. Raro in ullo bello tantum sanguinis fusum est. Sed Darius cum vinci suos videret, mori in bello paratos, persuasu suorum [184] fugere compulsus est. Alexander 24 diebus continuis castrorum predam percensuit. Cum vero [185] audisset Darium a propinquis suis vinctum aureis compedibus teneri, statuit eum persequi; sed inveniens eum in itinere solum relictum, multis [186] vulneribus perfossum mortuum, hunc [187] inani misericordia in sepulchris majorum sepeliri fecit. Occiso itaque Dario regni sui anno sexto, Alexandri quoque itidem sexto, Asiæ viri [188] conciderunt, et totus oriens in potestatem Macedonici cessit imperii, Persarumque regnum Alexandriam translatum est, ubi regnatum est per annos ducentos nonaginta sex. (Cf. HIER et OROS. *l. l.*) Quod regnum alii (JORD.) Grecorum, alii (Cf. Jos. XII, 1, et BEDAM) Ægyptiorum nominant regnum.

Alexander Macedo post mortem Darii regnavit annis sex, a reædificatione templi anno 186°. Duodecim quippe annis trementem sub se orbem ferro pressit, sed sex postremi ejus anni, quibus destructo Persarum imperio monarchiam tenuit orbis, in ordine temporum numerantur, priores vero septem sub regno Persarum computantur. Omnibus itaque circumpositarum gentium regnis sibi subjectis, in Indiam tetendit, eamque cum omnibus orientalibus regnis sibi subjecit. Postquam vero multa miranda peragens dominus gentium diversarum nuncupatus est, anno ætatis suæ 32° apud Babyloniam, cum adhuc sanguinem sitiret, ministri sui insidiis venenum bibit et interiit. Quo mortuo, Macedonum duces diversas sortiti provincias, ipso tamen adhuc vivo disponente, mutuis se bellis consumpserunt, orbemque ab Alexandro [189] celeriter et fortiter acquisitum quatuordecim annis dilaniaverunt, et veluti optimam predam a magno leone prostratam avidi catuli discerpserunt. Sed quia idem Alexander multa mire peregisse legitur, quæ scire multi delectantur, libet de vita ejus aliqua summatim decerpere, quibus delectationi querentium utcumque valeam satisfacere (Cf. HIERON., OROS. c. 19, 20, 23, et JORDAN.).

EXCERPTUM DE VITA ALEXANDRI MAGNI [190].

(*Hist. Alex.*, cod. Bamb. f. 193'.) Ægyptiorum A gentem in mathematica magicaque arte fuisse valentem, litteræ tradunt. Quorum rex Nectanebus, qui regis Persarum Artaxersis, qui et Memnon [191] dictus est, fuit [192] contemporaneus, magicæ artis erat peritus, ita ut, cum super eum hostes venirent, non militiam nec arma moveret, sed palatium intrans apprehendit concham æream, implevitque eam aqua pluviali, tenensque in manu virgam æneam, per magicas artes demones vocavit, eventumque rerum investigavit. Cumque regnaret annis decem et octo, nunciatum est sibi, multas gentes adversus eum convenisse [193]. Qui, remotis a se omnibus, palatium intrans, et solito more consultationi magicæ instans, vidit in concha sua, quia dii Ægyptiorum gubernabant naves barbarorum, statimque rasit sibi caput et barbam, ut transfiguraret se; tollensque aurum quantum potuit [194], induit se lineis vestibus, quasi propheta Ægyptius et astrologus, fugiensque de Ægypto venit Macedoniam, sedensque palam divinabatur omnibus qui pergebant ad eum (f. 194) B Cumque ibi moraretur usque ad tempora regis Philippi, quodam tempore, illo exeunte ad prælium, Nectanebus venit ad palatium, salutansque reginam Olimpiadem, ab ea resalutatus est, jussitque [195] eum regina sedere secum, querens an vere Ægyptius esset. Qui cum se Ægyptium diceret, et Ægyptiorum sapientiam per multa laudaret, seque divinandi peritissimum commendaret, inter verba confabulationis exarsit in ejus amorem, sensuque concupiscibili respexit in eam. Dixitque ad eum regina : *O propheta, quid cogitasti sic respiciendo me:* Qui ait : *Recordatus sum pulcherrimam divinationem, quam ego diis proximus ab eis percepi. Unus ex potentissimis diis concumbet tecum, et ex ipso concipies.* At illa dixit : *Et quis est deus ille?* Nectanebus inquit : *Ille est Hammon, qui largitur divitias omnibus.* Dixitque illa : *Et quam formam habet?* Cui ille : *Neque juvenis est neque vetulus, sed in media ætate consistit, habens canos barbamque ornatam et in fronte cornua. Unde si tibi placet, esto preparata illi, quia in somnis videbis illum, et in ipso somno concumbet tecum*

VARIÆ LECTIONES.

[180] dein 4. [181] in 4. [182] sacerdoti 4. [183] quadringenta 4. [184] persuasorum 4. [185] autem 5. [186] *deest* 9c. [187] *deest* 9c. [188] *deest* 4. [189] ab a. *des.* 9c [190] *deest* 9c. [191] menon 4. [192] fuit temporibus et cont. 5. [193] advenisse 9c [194] voluit 4. [195] *pergit* 1. *fol.* 60.

NOTÆ.

(208 *.) *Vid.* Julius Zacher, qui diu multumque in historiam fabularum de Alexandro Magno narratarum inquisivit monet hæc, et quædam alia legi in Petri Comestoris Historia scholastica.

Dixit illa : *Et si hoc videro, non sicut prophetam aut divinum, sed sicut deum te adorabo.* His dictis, Nectanebus exiit continuo in desertum, evellensque herbas et exprimens sucum, fecit incantationem Olimpiadi, ut videretur illi quasi per somnium veraciter Hammonem deum concumbere secum. Nectanebus vero concubuit cum ea. Qui cum surrexisset ab ea, dixit illi : *Mulier, concepisti defensorem tuum.* Mane autem facto, cum illa surrexisset a lecto, fecit venire ad se Nectanebum, recitans illi somnium quod viderat. At ille dixit : *Omnia scio. Faciamus aliquod arbitrium, quia aliud est veritas, aliud somnium. Iste deus quando veniet ad te, figuram habebit draconis, postea humanam formam in mei similitudine.* At illa ait : *Bene dixisti, propheta, recipe cuticulum, et ego si videro hoc, habebo te quasi patrem pueri.* Quod cum factum esset, cum surrexisset ab ea, percussit manu illius uterum, dixitque illi : *Hæc conceptio sit victorialis, et nullo modo subjugabitur.* Cum autem cœpisset intumescere uterus ejus, vocato Nectanebo dixit : *Propheta, quid facturus erit Phylippus si redierit ?* Cui ille : *Noli expavescere, ego tibi ero in adjutorium.* Taliter persuasa Olimpiades, adulterata est ab homine quasi a deo. Inter hæc fecit Nectanebus [196] incantationes, et apparuit Phylippo, quasi videret Hammonem deum concumbere cum Olimpiade et dicere ei : *Mulier, concepisti in utero defensorem tuum a patre suo Phylippo*, et quasi videret celata pueri membra consuere atque signare anulo aureo, cui inerat lapis habens insculptum sibi caput claritatem solis et gladium (f. 195). Hæc videns Phylippus surrexit, et vocavit ad se ariolum, qui interpretaretur somnium. Cui ariolus : *Scias, Phylippe, pro certo, quia concepit Olimpiades non ab homine sed a deo, et ille qui nascetur pertinget usque ad orientem pugnando atque civitates per gladium capiendo.* Post hæc Philippus, accepta victoria [197], rediit Macedoniam, cui Olympiades processit obviam. Quam cum oscularetur, intuitus eam dixit : *Cui te tradidisti, Olympiades? Peccasti; in quem? sed non peccasti, quia vim a deo sustinuisti. Ego itaque totum hoc per somnium vidi, proinde inreprehensibilis esse videris.* Quadam vero die cum epularetur rex et valde lætus esset, Nectanebus per artem magicam transfiguravit se in formam draconis, et per medium triclinium transiit, ac terribiliter sibilavit, unde convivis omnibus pavorem incussit, et appropinquans ad Olimpiadem, posuit caput in gremium ejus. Quem videns Phylippus, dixit omnibus : *Vere hunc draconem vidi, quando contra inimicos meos in prælio fui.* Post paucos vero dies cum Philippus sederet solus, parva quædam avis ascendit in ejus gremium, peperitque ovum. Quod cadens de sinu ejus in terram, divisum est, et exiit inde parvissimus serpens, qui gyrans ovum voluit intrare in illud, sed antequam intromisisset caput, defunctus est. Turbatus autem rex vocavit ariolum, et recitavit ei factum. Qui ait : *Rex Phylippe, nascetur tibi filius, qui debet regnare et circuire totum mundum subjugando omnes, et antequam revertatur in terram suam, morietur.* Appropinquavit autem Olimpiadi tempus pariendi, et cum doleret uterus ejus, fecit venire ad se Nectanebum. Qui cum inciperet computare, dixit : *Paululum te subleva, Olimpiades, de sede tua, quia hac hora conturbat sol omnia elementa.* Et post paululum peperit Olimpiades, et ubi puer cecidit in terram, statim facta sunt fulgura atque tonitrua et terremotus. Quod cum vidisset Phylippus dixit : *O mulier, cogitavi in corde meo ut nullo modo enutriretur iste infantulus; quia non est ex me conceptus; sed quia intellego quod est conceptus a deo, et in partu ejus elementa mutari video, nutriatur in memoriam mei, quasi proprius sit filius meus, imponaturque ei nomen Alexander.* Hæc dicente Phylippo, cœperunt nutrire sub omni diligentia puerum. Cujus figura neque patri neque matri assimilabatur, coma capitis ejus quasi leonis, oculi ejus non similabantur ad invicem, sed unus erat niger, albus alter, dentes ejus erant acuti, impetus vero illius quasi leonis erat fervidus. Datus vero ad studium phylosophiæ, cum sedebat in scolis cum condiscipulis suis, sepe pugnavit cum eis, eosque devicit. Ubi autem factus est annorum duodecim, instruebatur cum aliis militibus quasi ab pugnam. Videns autem rex velocitatem ejus, dixit ad eum : *Fili, diligo velocitatem tuam atque ingenium, sed tristis existo, quia figura tua non assimilatur michi.* Quem videns Olimpiades tristem, vocavit Nectanebum, et dixit ei : *Perscrutare et intellege, quid cogitet Phylippus facere de me.*

Qui computans dixit : *Cogitatio filius munda est erga te; sol enim respicit in quandam stellam, separantem desiderium suum.* Alexander vero tunc ibi erat. Qui ubi hoc audivit, dixit : *Pater, hæ stellæ, quas tu computas, apparent in cœlo ?* Cui Nectanebus [198] ait : *Etiam, fili.* Alexander dixit : *Et possum eas videre hora serotina?* Nectanebus ait : *Sequere me nocturna hora in campum, et ostendam tibi.* Alexander dixit : *Et fatum tuum agnoscis?* Cui Nectanebus : *Etiam fortiter.* Alexander dixit : *Ars bona est et opto eam scire ; et qua morte debes mori ?* Qui dixit : *A filio meo moriar.* Hæc omnia loquendo, secutus est eum Alexander per noctem extra civitatem. (f. 196.) Cui dixit Nectanebus : *Fili, respice stellas, et vide stellam Herculis quomodo tristis est; stella vero Hermi læta est, et stella Jovis clara.* Sic sursum respiciente Nectanebo, accessit ei propius Alexander, et impetum faciens in eum precipitavit in foveam, dicens : *Cum nescias terrenas causas, quare voluisti te intromittere de cœlestibus elementis?* Cui Nectanebus ait : *Cognitum michi fuit hoc, quia sic debuit michi evenire; non potui tamen evadere, nisi michi hoc contingeret.* Alexander dixit : *Quia ego sum filius tuus.* Cui Nectanebus ait : *Tu es utique filius meus.* Ille autem ubi cognovit quia pa-

VARIÆ LECTIONES.

[196] nectabus 1. [197] *deest* 1. [198] nectanebus 1.

ter ejus esset, dubitavit eum dimittere in fovea, sed elevavit eum in humeros suos, et portavit in palatium. Quod ubi vidit mater ejus, dixit : *Fili Alexander, quid est hoc?* Cui ille : *Corpus Nectaneb est.* Et illa : *Nectanebus pater tuus fuit.* Ille autem dixit : *Quomodo stulticia tua fecit.*

(f. 195.) Quidam autem ex Capadocia adduxerunt Phylippo poledrum, id est pullum equinum magnum, ligatum ex omni parte diversis ligaturis; comedebat enim homines. Quem jussit rex includi cancellis ferreis, ut raptores et latrones aliique malefactores, qui feris deputarentur, ab hoc comederentur. (f. 196.) Alexander autem audax factus et fortis, transiit quadam die per eum locum ubi caballus ille inclusus erat, vidensque jacere ante eum sammitates manuum et pedum humanorum, quæ sibi superfuerant, miratus est, misitque manum suam per cancellos ad eum. Ille statim extendit collum suum, et cœpit lambere manum illius, complicatisque pedibus projecit se in terram, tornansque caput respexit Alexandrum quasi blandiendo. Qui intellegens voluntatem caballi, aperuit cancellum et cœpit mansuete tangere dorsum ejus manu dextera, statimque caballus cœpit mansuescere amplius, et sicut canis blandiri solet domino suo, sic ille blandiebatur Alexandro. Ille autem ascendens super eum, equitavit foras, vocavitque (209) eundem caballum bucefalum. Quod cum vidisset Phylippus, dixit : *Fili Alexander, omnem divinationem modo cognovi in te, et scio quia tu debes regnare post me.*

Inter hec factus Alexander annorum quindecim, dixit ad Phylippum : *Pater, si potest fieri, dirige me sedentem in curru.* Dixitque rex : *Gratum accipio, fili, daboque tibi caballos centum et 40 milia aureorum solidorum, et vade cum bono auxilio.* Exiens itaque Alexander venit in Peloponensem, ut faceret pugnam cum Nicolao, rege ipsius provinciæ. Quem videns Nicolaus, dixit : *Dic michi, quis es tu?* Cui ille : *Ego sum Alexander, filius Phylippi.* Cui Nicolaus : *Quem me speras?* Dixit Alexander : *Tu es Nicolaus, rex Aridcorum; sed non elevetur cor tuum in superbiam quia habes honorem regalem, solet enim inveniri in fato humano, quod major perveniat ad parvitatem et parvus ad magnitudinem.* Cui Nicolaus : *Bene dixisti. Tu nescis te ipsum, mea autem natura inreprehensibilis est. Dic tamen michi veritatem, quare in has partes venisti?* Cui Alexander ait : *Recede a me, homo, quia neque tu habes aliquid adversum me, nec ego adversum te* In hoc Nicolaus valde iratus dixit : *Ecce quali homini loquor. Per salvationem patris mei, si impetum spumæ in faciem ejus ejicio, morietur.* Et exspuit ad eum et dixit : *Tolle hoc quod te decet accipere, catule, quia non erubescis.* Ille autem continens se secundum doctrinam phylosophiæ, dixit : *Nicolae, per nativitatem meam paternam et ver uterum matris meæ a deo inpregnatum, et te per arma devincam, et patriam tuam michi subjugabo.* A Et recessit ab eo. Post paucum tempus venit dies constitutus, in quo juncti sunt ambo ad pugnam. Sonantibus ergo tubis, omnes Nicolai milites moti sunt unanimiter ad pugnam, quos omnes Alexander propria manu occidit.

Reversus autem cum victoria, invenit Phylippum sociasse sibi quandam nomine Cleopatram, matre sua ejecta; sicque illo sedente in nuptiali convivio, ingressus Alexander dixit : *Pater, accipe a me de prima mea pugna victorialem coronam; tamen quando celebraturus sum nuptias matris meæ, jungendo illi maritum, ad ipsas nuptias tu non invitaberis.* Unus autem ex discumbentibus Lysias dixit : *Phylippe, ex Cleopatra nascetur tibi filius similis tui.* B Hoc audiens Alexander, percussit eum cum baculo quem tenebat in manu, et mortuus est. Videns hoc Phylippus iratus est, et erigens se impetum fecit in eum, sed in ipso impetu cecidit. (f. 197.) Cui dixit Alexander : *Qui subjugasti Asiam et Europam, quare super pedes tuos non stas?* Sic ergo exturbatæ sunt ipsæ nuptiæ, et Phylippus egrotabat. Post paucos dies introivit Alexander visitare illum, et dixit : *Phylippe, quamvis non sit lex at te vocem ex nomine, non tibi loquor ut filius sed ut amicus; fac bene mulieri illi cui male fecisti, et non sit tibi curæ quia Lysiam occidi. Bene feci, tu autem male fecisti, volens me percutere gladio.* Et flevit Phylippus. Alexander autem ubi vidit patrem plorantem, dimisit eum, et abiens ad matrem, dixit ei : *Mater, noli tenere* C *malam voluntatem patris, quia quamvis absconditum sit peccatum tuum, reprehensio tamen tua stabit. Bonum est ut uxor semper subjecta sit marito.* Hec dicens, adduxit eam Phylippo.

Post paucos dies venerunt legati Darii regis ad Phylippum, exigentes ab eo tributum. Quibus Alexander ait : *Ite et dicite Dario : Quando Phylippus non habebat filium, gallina generabat ei aureum ovum, nunc autem Phylippo natus est filius, et gallina facta est sterilis.* Hec dicens, dedit eis absolutionem, et remisit eos vacuos ad Darium regem.

Post hec rebellavit Phylippo Armenia, et direxit illuc Alexandrum cum exercitu, ut expugnaret eam. In Macedonia vero erat quidam homo nomine Pausania subjectus Phylippo, qui concupiscens Olimpiadem, fecit contra regem consilium, et adunavit sibi D populum, armataque manu venit super Phylippum. Qui cum ei terga verteret, vibrata hasta Pausania percussit Phylippum in dorso, qui tamen non statim mortuus est, sed jacuit semivivus in campo. Pausania vero putans eum mortuum, elevatus est, intransque palatium cum audacia, abstraxit inde Olimpiadem. Inter hæc reversus Alexander de Armenia, invenit maximam perturbationem in Macedonia. Exiens autem Olimpiades, cœpit vociferare ad Alexandrum, dicens : *Ubi est, Alexander, victoria tua, ubi fatum quod a diis accepisti, ut esses victorialis et vindicares me patremque tuum?* Quo audito Pausania, exiit ut videret

NOTÆ.

(209) *vocavitque e. c. b.* ex alio quodam libro sumpsit.

Alexandrum. Ille autem vibrato gladio percussit Pausaniam, et statim mortuus est. Venitque illi nuncius quod et pater ejus jam moreretur, et abiit ad eum. Ut autem vidit eum Phylippus, dixit illi : *Fili Alexander, jam lætus moriar, quia fecisti vindictam, occidendo inimicum meum.* Hæc dicens mortuus est. Alexander vero plorans mortem patris, abiit et sepelivit eum. Altero die sedens in throno patris sui, convocatis omnibus dixit : *O juvenes Macedones, Tracienses, Thesalonicenses, Lacedemones, et alii, intuemini et videte Alexandrum, et procul sit a vobis timor barbarorum! In me sit hoc, quia et illos subjugabo et in servitium vobis dabo. Quisquis ex vobis voluerit, tollat arma ex palatio meo et preparet se ad prælium, et qui noluerit, armet se armis suis.* Dixerunt ei seniores : *Rex Alexander, multis annis militavimus patri tuo, et virtus non est nobis, ut angustias ferre valeamus; unde, si tibi placet, recusetur a nobis militia quam hactemus egimus* [199]. Respondit Alexander : *Magis volumus vos habere in militia nostra quam juvenes, quia juvenis confidens in juventute sua acquirit mortem, senior autem agit omnia cum consilio.* Hoc dicens, fecit eos acquiescere, ut essent in militia sua.

(f. 198.) Post hec congregata multitudine, cœpit ire Romam, deinde perrexit in Africam (210) sicque contendit in Ægyptum. Audientes Ægyptii adventum ejus, exierunt obviam ei, et honorabiliter susceperunt eum. Invenit autem ibi regalem statuam ex marmore nigro, interrogantique cujus esset, dictum est quod Nectanebi regis esset. Qui ait : *Nectanebus pater meus est.* Et amplexatus statuam, osculabatur eam. Inde perrexit in Syriam; sed Syrii viriliter restiterunt ei, pugnantesque cum eo, occiderunt aliquos ex militia ejus. Quidam autem ex eis abeuntes Persidam, nunciaverunt Dario regi presumptionem Alexandri. Qui cum scisciteretur de statura ejus, ostenderunt ei depictam imaginem Alexandri. Quem ille despiciens pro parvitate formæ illius, statim direxit ei speram et virgam curvatam et cantharam auream cum epistola tali :

Rex regum terrenorum, parens solis, qui lucet una cum Persidis diis, famulo meo dirigo gaudium. Audivi denique de te, quod pro mea venias inimicicia per vanam gloriam; quapropter precipio tibi turnare gressum. Redi ergo ad matrem tuam, et quiesce in sinu illius. Direxi autem tibi speram et curvam virgam cantharamque auream, ut exerceas et cogites jocandi causam. Cognosco itaque, quia pauper es et miserime indiges; sed cito resipisce a stulticia tua et dæmoniaca [200] *quam agis gloria. Tu enim coadunasti quosdam latrunculos, et vis confligere cum multitudine Persarum. Quin immo cogita si poteris numerare stellas cœli; et si potueris coadunare homines totius mundi, nec sic prevalebis resistere multitudini Persarum, quæ coæquatur arenæ maris. Tantum aurum est in Persida, ut vincat claritatem solis. Unde oportet te pœnitere in hoc quod operatus es, quia, si in ipsa stulticia perseverare volueris, dirigam ad te vindicatores qui te apprehendant, et non quomodo filium Phylippi, sed quomodo principem latronum cruci te affigi precipiam.*

Hanc epistolam cum precepisset Alexander legi coram militibus suis, audientes contristati sunt. Quibus ille ait : *Nolite contristari in verbis epistolæ hujus. An nescitis quia canes multum latrantes nullum effectum faciunt? Credamus itaque quod veritatem dicat hæc epistola : sed opus est nobis strenue et fortiter pugnare cum illis, et non in vacuum, quia illorum divitiæ compellunt nos pugnare.* Hoc ubi dixit, precepit suis hominibus comprehendere portitores epistolæ et crucifigere. At illi dixerunt : *Male facis; quam enim culpam nos habemus?* Quibus ait : *Si ego malefacio, senioris vestri dicta me hoc agere compellunt, qui direxit vos quasi ad latronem.* (f. 199.) At illi dixerunt : *Proinde scripsit hæc Darius, quia nescit magnitudinem tuam? sed quia nos videmus intelligibilem imperatorem, si redierimus, diffamabitur per nos nomen tuum.* Tunc precepit illos dimitti et ad convivium suum vocari. Sedentes itaque cum eo et convivantes, dixerunt ei : *Dominator, si placet potestati tuæ, precipe mille milites* [201] *nobiscum venire, et trademus tibi Darium.* At ille ait : *Lætetur animus vester in his in quibus sedetis, pro traditione autem vestri senioris non dabuntur vobis mille milites* [201].

Alio itaque die sedit Alexander, et jussit scribi epistolam Dario continentem ita :

Rex Alexander, Phylippi filius et Olimpiadis, terrenorum regi Dario, proximo solis, lucenti una cum Persidis diis. Dedecus est tam lucidissimo atque magnificentissimo imperatori talia verba dirigere parvo homini, et cottidie suspectum manere ledi posse a me te, qui es parens solis et resides in throno velut in æthere et fulges cum diis Persidis. Dii namque immortales irascuntur, si mortales homines eorum socii effici conantur. Mortalis ego sum, et sic venio ad te quasi cum mortali homine pugnaturus. Quia vero, laudando te, dixisti te habere plurimas divitias, acuisti mentes nostras et fecisti nos fortiores in virtute, ut acquiramus divitias vestras. Si autem tu, qui magnus es, pugnaturus mecum veneris, si viceris me, non habebis laudem, quia latrunculum vicisti, si autem ego te vicero, magnam habebo laudem, quia magnificentissimum vici imperatorem. Quia vero michi direxisti virgam curvam et speram et cantaram auream, per virgam curvam intellego quia curvantur ante me reges potentissimi, per speram rotundam, quia tenebo rotunditatem totius mundi, per cantaram auream me intellego victoriosum esse et censum ab

VARIÆ LECTIONES.

[199] habuimus et egimus S. [200] dæmonii || ca. I. [201] equites G.

NOTÆ.

(210) Hic plura omissa sunt ab Ekkehardo.

omnibus recipere, sicut a te, qui magnus es, ego, qui parvus sum, cantaram auream accepi.

Hæc scribens Alexander, vocavit apocrisiarios, et donavit illis cantaram auream et epistolam. Quibus abeuntibus preparavit se ipse ut iter faceret.

Recepta itaque Darius epistola et relecta, iratus est, scripsitque satrapis suis epistolam talem :

Rex Persarum Darius satrapis suis. Audivimus itaque quod filius Phylippi, Alexander Macedo, elevatus est in stulticia, et intravit in terram Asiæ, quæ mea est, ei depredatus est eam. Quapropter precipio vobis ut apprehendatis eum et ducatis ad me, sicut tam magnos et fortes et adjutores imperii mei decet; ut pueriliter flagellem illum, et indutum purpura dirigam illum Olimpiadi matri suæ in Macedoniam, quia non decet eum pugnare, sed in provincia sua stare et pueri more ludere.

Relegentes itaque satrapæ epistolam, rescripserunt ei sic :

Regi Persarum Dario ego Primus et Antilochus satrapes gaudium. Sciat magnitudino vestra, quia cum ipso Alexandro, quem puerum dicitis, congregata multitudine pugnavimus, et terga vertimus ei, et vix de manu illius evasimus. Quia vero nos dicitis imperii adjutores, necesse est ut vestram queramus salutem, ideoque volumus vobis notum esse, quia hic funditus dissipabit Syriam.

Cum autem legisset Darius hanc epistolam, venit et alter nuncius, quod Alexander applicasset super fluvium, qui dicitur Straga. Iterum scripsit ei epistolam :

Darius rex Persarum dirigo hoc Alexandro. In universo mundo laudatum est nomen Darii, quin immo etiam dii laudant nomen ejus; et quomodo tu ausus es transire flumina et mare ac montes et venire contra me? Hoc fuerat tibi magnum nomen, ut sine me tenuisses imperium Macedoniæ, sed confortatus es et congregasti socios tuos, et vadis pugnando et dissipando civitates meas. Melius tibi fuerit pœnitere de malis tuis, antequam acciperes a me injuriam, et absconse faceres refugium ad me, qui sum dominus, ut non congregares multa mala super te. Deberes enim pro hoc gloriari, quia epistolam de me recipere dignus fuisti. Ut autem cognoscas qualis et quanta est militia mea, significo tibi per hanc sementem papaveris quam direxi tibi. (f. 200.) *Si ergo hanc numerare potueris, pro certo numerabitur populus meus. Quod si facere non poteris, revertere ad terram tuam, et amplius non ascendat in cor tuum talia facere.*

Cum autem venissent apocrisiarii ad Alexandrum portantes epistolam et sementem papaveris, legit epistolam, tendensque manum tulit de semente papaveris et misit in os suum, mandensque dixit : *Video, quia populi illius multi sunt, sed sicut hoc semen papaveris molles sunt.* Snpervenerunt autem ei nuncii, significantes ei infirmitatem matris suæ. Quam cum audisset, scripsit Dario sic :

Rex Alexander Dario regi Persarum. Plurimæ epistolæ, quæ michi adveniunt, impellunt me volentem nolentem ad hæc quæ facio et quæ dico. Noli cogitare quod pre pavore vanæ tuæ gloriæ recedam de loco isto, pro certo scias quia vado videre matrem meam, quæ obpressa est valida infirmitate; sed tamen non post multum tempus renovando me redeam. Ad vicem vero sementis papaveris, quod michi misisti pro inmensurabili numero militiæ tuæ, dirigo tibi hoc piper, ut agnoscas, quia multitudinem sementis papaveris vincit fortitudo hujus parvissimi piperis.

Hanc epistolam dedit Alexander apocrisiariis Darii cum parvo pipere, illisque abeuntibus, cœpit ipse redire ad matrem suam.

Potentissimus autem vir quîdam princeps militiæ Darii regis sedebat illo tempore cum valida manu super Arabiam, qui movens se cum omni exercitu inde, stetit contra Alexandrum, et cœpit acriter pugnare cum eo. Valde mane inchoatum est prælium, et pugnatum est usque ad solis occasum, et neque hi neque illi molles inventi sunt, cum tamen utrimque multi cecidissent; sed fortiter pugnatum est per tres continuos dies. Post hæc defecit princeps militiæ Darii, et cum his qui superfuerant tanta velocitate fugit in Persidam, quod ante Darium invenit apocrisiarios, qui epystolam Alexandri et piper portaverunt, tenente Dario epistolam. Scrutabatur autem Darius a legatis, quid faceret Alexander de semente papaveris. At illi dixerunt : *Apprehendit et momordit, et despiciendo dixit : « Multi sunt sed molles. »* Accepto itaque Darius pipere, misit in os suum, mandensque dixit cum lacrimis : *Pauci sunt sed duriores.* Videns hoc princeps ille qui de prælio venit, dixit : *Etiam, dominator, paucos pugnatores habet Alexander, sed fortes sunt, multosque milites meos occiderunt.* Alexander autem, non elatus pro victoria, jussit sepeliri qui de suis ceciderant.

Post hæc applicuit in Achaiam, ubi subjugatæ sunt ei civitates multæ, junxitque militiæ suæ decem et septena milia. Inde ascendit in montem Taurum, et venit in civitatem Persepolim, in qua sunt novem musæ, deinde venit in Frigiam, in templum quod dicitur Solis, in quo [202] et oblationem fecit. Inde venit ad fluvium Scamandrum, qui est in latitudine cubitorum quinque. Dixit autem his qui erant ibi : *Beati estis qui habetis laudes doctoris Homeri.* Et stetit ante eum homo cui nomen Clytomidis, et dixit : *Alexander rex, majores laudes possum facere tibi de tuis actionibus quam fecisset Homerus, quia plus miras virtutes fecisti quam hi qui fuerunt Trojæ.* Alexander dixit : *Magis vellem esse discipulus Homeri quam habere laudem Achillis.* Post hæc veniens in Macedoniam, invenit matrem suam levatam de infirmitate sua, et lætatus est cum ea.

Post hæc exiens de Macedonia, venit in locum qui dicitur Abdira; homines autem ipsius civitatis clauserunt portas, ut non ingrederetur ibi. Iratus Alexander jussit ut incenderetur civitas. Videntes

VARIÆ LECTIONES.

[202] et sacrificavit et *b*

autem ignem qui erant in civitate, dixerunt : (f. 201.) *Alexander, non rebellando tibi clausimus portas, sed timendo Darium, ne audiret nos tecum fecisse pactum, et dissiparet nos.* Apertis ergo portis transiit, et venit in Olintum, inde Chaldeopolim, venitque ad fluvium qui dicitur Xenis, et oppressit eos fames valida, et murmuraverunt inter se milites, dicentes : *Defecerunt caballi nostri.* Quibus Alexander dixit : *Viri commilitones mei, et si defecerunt caballi vestri, desperastis vos de salute? Quod si nos vixerimus, caballos festinanter inveniemus ; si vero nos morimur, caballi non sunt nobis necessarii. Festinemus tamen ire in locum talem, ubi cibaria nobis sint et caballis nostris.* Et cœperunt ire ad locum qui dictus est Locrus, ubi invenerunt cybaria multa, et animalibus pascua. Inde venientes in locum qui dictus est Tragachantes, invenerunt ibi templum Apollonis, ubi voluit Alexander invenire divinationem a virgine Zachora sacerdote. Cui illa dixit : *Non est hora divinationis.* Secunda vero vice dixit Apollo : *Heracli.* Alexander dixit: *O Propheta, michi nomen est Heraclius ? ergo periit divinatio tua.* Inde movit exercitum et veniens Thebaidam dixit Thebeis : *Date michi 400 viros armatos qui veniant in adjutorium michi.* Illi autem clauserunt portas armatique ascendentes murum ad quatuor milia, dixerunt ei : *Alexander, si non recesseris, pugnabimus tecum.* Alexander subridens dixit : *Fortissimi milites sunt Thebei, clauserunt intra portas, et sic dicunt se pugnare mecum. Omnis homo fortis volens pugnare in campum exit, non clauditur intra urbem sicut virgo.* Et precepit militibus suis urbem obpugnare, captamque incendit, murumque a fundamentis evelli precipiens abiit. Thebei vero qui remanserant abierunt Delphum ad Apollinem, responsa querentes, si deberet civitas eorum reædificari. Quibus dictum est : *Ille qui hanc civitatem ædificaturus est, tres victorias habebit, post quas eam reædificabit.*

Alexander autem profectus est Chorintum, rogaveruntque eum Chorinthii ut luderet cum eis in curribus, et ad hoc spectaculum convenerunt multi. Secutus est autem Alexandrum vir Thebeus magnus et gloriosus, cui nomen Clytomagus. Astantibus vero ad hoc spectaculum dixit Alexander : *Quis ex vobis exiet luctans in ludo isto?* Cui Clytomachus dixit : *Si placet potestati vestræ, ego pugnabo et vincam.* Alexander dixit : *Si tres viceris, coronaberis.* (f. 202.) Pugnavit ergo, vicitque et alios duos ; et dixit illi preconator : *Dic nobis nomen tuum.* Qui ait : *Sine civitate.* Audiens hoc Alexander dixit : *O beatissime et pulcherrime certator, ut quid sine civitate?* Clytomachus dixit : *Magne imperator, antequam tu esses, habui civitatem, nunc autem per te civitatem non habeo.* Intellexit hoc responsum Alexander et dixit preconatori : *Vociferare ut sit Thebeus, et potestatem habeat reædificandi civitatem.*

Exiens inde Alexander venit Athenas, misitque ad Athenienses in hec verba : *Nichil a vobis opto, nisi ut militetis sub imperio meo et me habeatis seniorem. Quod si non vultis, estote fortiores meis, sin autem, subjugamini michi fortiori vobis.* Athenienses vero rogaverunt Demostenen phylosophum, ut daret eis consilium. Qui annuens manu imperavit silentium, et dixit : *Viri cives mei, commune consilium dabo vobis. Si scitis vos tales esse ut vincere possitis Alexandrum, pugnate cum eo, sin autem, flectamus nos sub potestate manuum ejus, quia de cœlo datur ei adjutorium.* Et cum multa hujusmodi perorasset, acquievit ei populus omnis, et statuerunt dirigere illi victorialem coronam, pensantem libras quinquaginta. (f. 203.) Quibus ille ait : *Quia dedit vobis Demostenes consilium de salvatione vestra et fecistis illud, amodo confortamini et estote salvi, nullam contrarietatem sustinentes a me.*

Inde accepta militia, perrexit Lacedemoniam. Lacedemonii vero clauserunt portas, et ascendentes naves exierunt ei obviam prælio navali. Alexander vero irruens super eos qui in muris erant vulnerabat, qui in navibus, igni desuper misso, incendebat. Multis igitur pereuntibus, qui superfuerunt venerunt ad pedes Alexandri, misericordiam postulantes. Quibus statim concessit libertatem. Deinde per Ciliciam ingressus est terram Persarum. Darius itaque congregans principes et sapientes suos, consilium habuit cum eis quid agere debuisset, et ait : *Ut video, iste qui sic pugnando vadit, adjungitur in virtute et victoria. Ego reputabam illum sicut latronem ire predando, ille autem sicut rex pugnat et humiliat, et quantum nos volumus exaltari super illum, tanto amplius exaltatur nomen ejus. Dubito, ne adjuvet illum divina providentia, volens illi concedere regni dyadema, ut sicut nos optavimus eicere illum de Ellada, ita nos eiciat ille de Persida. Unde si placet, cogitemus de salute nostra, nec despiciamus illum superbiendo pro hoc quia tenemus regnum Persarum, ne forte parvitas illius crescat et magnitudo nostra deficiat.* Hæc dicente Dario, Ocsiather, frater regis Darii, dixit : *Magnificasti Alexandrum dimittendo illi Ellaaam, et in hoc fiduciam ei concessisti, ut plus exardescat ingredi Persidam.* (f. 204.) *Unde, si tibi placet, fac sicut ille facit ; ille quippe, quando vult pugnare cum aliquo, non mittit principes, sed per semet ipsum vadit, et antecedens omnes satrapas, pugnat viriliter, et acquirit sibi nomen et victoriam.* Alius satrapa dixit : *Alexander in omnibus peritissimus est, et in nullo offendit, omniaque viriliter agens, formam et virtutem habet leonis. Quod si tibi placet, mitte in omnes fines tuos, et congrega satrapas omnium gentium ; sunt enim nobis gentes plurimæ plus quam centum quinquaginta, et queramus auxilium a diis.* Dum ergo Darius congregata multitudine consiliaretur, Alexander moram faciens in Cilicia, venit ad quandam aquam pulcherrimam, et accidit ei delectatio ut lavaretur in eo, sed per frigiditatem apprehendit eum dolor capitis, et egrotavit fortiter. Quod videntes Macedones, valde tristes effecti sunt, metuentes ne audiret Darius, et faceret, super eos impetum atque deleret illos. Quidam vero

juvenis nomine Phylippus, quem diligebat Alexander quia medicus erat, promisit ei se daturum potionem unde sanus fieret. Princeps autem militiæ quidam, qui tenebat Armeniam, odio habuit hunc medicum, quia diligebatur a rege, scribensque epistolam direxit Alexandro dicens : *Caveas te a medico Phylippo*[203], *et ne bibas potionem ejus, quia promisit ei Darius rex sororem suam in conjugium dare et consortem regni facere, si interficiat te.* Cum autem preparasset Phylippus potionem, portavit ante regem; sed antequam biberet, supervenit epistola illa. Qui accipiens et legens antequam biberet, non est turbatus, quia de fide Phylippi erat securus. Tenens itaque una manu epistolam, altera accipiens potionem, respiciebat in faciem Phylippi. Cui dixit Phylippus : *Noli expavescere potionem, magne imperator, sed bibe illam.* Statim ebibit eam. Et postquam bibit, porrexit epistolam Phylippo. Relecta Phylippus epistola dixit : *Non sum culpabilis, Alexander, sicut hæc epistola dicit.* Rex autem sanus effectus, vocavit Phylippum, amplexansque collum ejus, dixit : *Cognovisti, Phylippe, quantum te diligam, et quam fiduciam in te habeam, qui prius potionem bibi, et sic epistolam tibi porrexi?* Cui Phylippus dixit : *Fac venire ipsum hominem, qui hanc epistolam tibi direxit, quia me tibi talia pro salute tua facere ipse noluit.* Jubens ergo illum venire, inquisivit eum, inveniensque culpabilem, jussit decollari.

Dehinc movens exercitum, venit in Mediam et Armeniam magnam, et subjugavit eas, deinde ambulavit dies multos, et ingressus est locum aridum et cavernosum, in quo non inveniebatur aqua, et transiens per locum qui dictus est Andriacus, venit ad fluvium Eufraten. Ponens ergo castra, jussit afferri ligna, et preparavit pontem super ipsum fluvium cum tabulis et catenis ferreis, jussitque militibus suis ut transirent. Qui cum dubitarent, precepit custodibus animalium ut transirent cum omni apparatu et cibariis, et post hæc jussit milites transire. Quibus adhuc dubitantibus et validum fluvii[204] cursum metuentibus, ipse primus transivit, sicque omnes secuti sunt. (f. 205.) Fluvius autem Tygris et Eufrates vadunt per mediam Mesopotamiam et Babyloniam, et intrant Nilum. Ferunt autem quidam quod ista flumina evacuentur, quando Nilus inundat Ægyptum, et quando subtraxerit se, ista superabundent. Cum autem transisset omnis exercitus, rediit retro Alexander, et fecit incidi pontem. Videntes hoc milites, cœperunt murmurare et dicere : *Si acciderit nobis ut fugiamus de prælio, non erit transitus nobis.* Quibus dixit Alexander : *Bene me confortastis, quando talia cogitastis, et ego proinde feci dissolvi pontem istum, ut aut pugnetis viriliter et vincatis, aut si vultis fugere pereatis, quia victoria non erit his qui fugiunt, sed illis qui insecuntur. Unde quia nullo modo jam vi-*

A *debitis Macedoniam, nisi prius vicero cunctos barbaros, confortetur mens vestra, et fortitudo pugnæ estimetur vobis jocus.* Quibus ita confortatis, ecce multitudo militum Darii applicuisse nunciatur super fluvium Tigrin. Principes autem militiæ super eos erant quinque. Convenerunt igitur in campo Alexander cum suis et principes militiæ Darii, et acriter pugnaverunt. Vir autem quidam de Persis animo acer, induens se vestem et arma Macedonica, abiit occidere Alexandrum, mixtusque militibus ejus post tergum illius, evaginatoque gladio tam fortiter percussit caput ejus, ut et galeam transforaret et caput vulneraret. Statimque apprehenderunt eum milites Alexandri, et duxerunt ante eum. Cui dixit Alexander : *O strenue vir, quid est hoc?* Cui barbarus ait : B *Ne estimes me, dominator, Macedonem esse, Persa sum*[205]. *Promisi Dario auferre caput tuum, et ille spopondit michi filiam suam in conjugium et regales provincias.* Tunc Alexander ostendit eum omnibus milibus suis, et dixit : *Viri Macedones, convenit omnibus militibus talem habere fortitudinem*, et continuo dimisit illum abire, cœpitque pugnare fortiter, et ceciderunt ex barbaris multi. Qui videntes se multum minui, fugerunt, et persecutus est usque Bactram et applicuit. Alia die apprehendit civitatem, invenitque ibi matrem Darii et uxorem eandemque sororem et duas filias ejus, posuitque in ea civitate solium suum, et subjugavit sibi omnes circumpositas civitates. Post hæc unus ex principibus militiæ C Darii presumpsit venire ad Alexandrum, et dixit ei : *Dominator Alexander, princeps militiæ Darii sum, et plurimum illi servivi, et nichil dignum ab eo recepi; si tibi placet, da nobis decem milia armatorum, et ego dabo principes nostros et ipsum Darium.* Alexander dixit : *Perge auxiliaturus regem tuum, quia non credunt extranei, postquam tuos vis expugnare.* Principes autem Darii Fictir et Stapsi et Nostadi scripserunt Dario de factis Alexandri, quod et terram dissiparet et multos occideret, et multi ex suis potentissimis junxissent se Alexandro et regales provincias multosque honores acciperent ab eo, ideoque prospiciat sibi et illis, antequam ingrediatur ad eum.

Darius hæc audiens, scripsit ad Alexandrum sic : *Pervenit in manus nostras epistola de tua superbia,* D *quod cogites venire prope nos, ut loquaris nobiscum. Quod si potuerit fieri, omnes orientales dii perçant habitare in occidente. Non elevetur mens tua in hoc quod fecisti; sic preparavi me, quasi mater mea mortua sit, et quasi uxorem nunquam habuerim. Unde scias quia non quiescam inquirendo injuriam meam. Scriptum quidem michi est quia benignitatem erga meos ostenderis, tamen hoc scias, quia, quantumcumque illis beneficeris, me non habebis amicum, et econtra, si male illis feceris, non amplius me habebis inimicum. Hanc ultimam sententiam mandavi tibi.*

Alexander accipiens epistolam, legit ac risit,

VARIÆ LECTIONES.

[203] m. P. medico l. [204] fluvium l. [205] *fortasse* persarum, *ut in cod. Bamb. hist. Alexandri, legi debet in cod.* l. [206] se v. l.

rescripsitque epistolam talem : *Rex Alexander Dario regi. Superbiam et elationem supervacuæ gloriæ tuæ odio habent dii, prout video, quia non cessas blasphemare usque in finem.* (f. 106.) *Quod benefeci tuis, non pro tuo timore feci, sed habens spem intrandi ad te, ostendi eis benignitatem meam, ut et tu grato illud animo acciperes ; sed ut sentio, tu non es animi humani. Hæc epistola mea ultima sit tibi. Cave itaque te, et mentem habe in te.* Ubi ergo direxit epistolam, preparavit se, et scripsit satrapis suis qui erant in Syria et Cappadocia, Cilicia et Pamphilia et Arabia ceterisque provinciis, ut prepararet unusquisque mille vestimenta et pelles animalium, quotquot invenirent, et Antiochiam mitterent, ibique ordinarentur cameli, qui portarent ea usque Eufraten, quatinus milites sui haberent vestimenta et calciamenta.

Darius vero scripsit satrapis suis ut essent parati cum omnibus suis ad resistendum gentibus Macedoniæ, misitque ad Porum regem Indiæ, ut preberet ei adjutorium. Qui rescripsit ei, se de injuria ejus valde [205] dolere, et se quidem promptum esse venire, sed infirmitate prepediente non posse, milites tamen suos cum aliis gentibus venturos esse.

Mater autem Darii cum audisset quod ille se iterum prepararet ad prœliandum cum Alexandro, direxit illi epistolam hanc : *Dario regi mater sua gaudium. Audivimus quia congregas alias gentes et pugnare vis cum Alexandro. Quod si totum mundum adunare potueris, quid exinde eveniat nescis, quia victoriæ illi concessæ sunt. Dimitte sensum altitudinis tuæ, et reclina paululum, et ne presumas multum, quia perdes vitam. De nobis autem scias, quia in maximo honore sumus apud eum, sed inducis malum super nos, et facis nos amittere gratiam quam habemus. Fili mi, noli preparare matri tuæ angustiam, quia fiducia michi est, si volueris, te in bono ordine futurum cum Alexandro.* Perlecta Darius hac epistola turbatus est valde, et flevit.

Inter hæc Alexander movit exercitum suum, et cœpit ingredi terram Darii, et appropinquans ei, ita ut Macedones viderent sublimissimum locum ex civitate Darii, jussit milites suos evellere herbas et ramos arborum et ligare in pedibus equorum ad excitandum pulverem, ita ut viderent Persæ et mirarentur. Distabant enim a civitate itinere dierum quinque. Cum autem venissent propius, dixit Alexander suis sapientibus : *Inveniamus hominem, quem dirigamus Dario, ut preparet se et exeat ad nos in pugnam.* Dormiens autem ibi, vidit in somno Hammonem deum in forma Hermi, portantem dominicalem clamidem et Macedonicam vestem, sibique dicentem : *Fili Alexander, quando necesse est adjutorium, paratus sum nunciare tibi. Vide, quem missum dirigere volueris. Sed dico tibi ut induas formam meam, et tu vadas illuc. Periculosa quidem res est, ire regem per missaticum, sed quia deus est in adjutorium tibi, nullam sustinebis angustiam.* Evigilans autem repletus est gaudio, recitavitque somnium amicis suis, qui dederunt ei consilium ut ita faceret. Vocans autem fidelissimum suum satrapam, cui nomen Eumilo, tulit secum tres velocissimos equos ; unum insidebat ipse, alium princeps ille, tercius pergebat vacuus. Pergentes igitur ambo, venerunt ad fluvium qui dicitur Stragan. Hic fluvius pre nimio frigore congelatur noctu, prebetque iter tota nocte transeuntibus ; mane, cum incaluerit sol, dissolvitur et perfundissimus efficitur et ingredientes absorbet. Veniens itaque Alexander, invenit eum congelatum, induensque se figuram quam viderat in somno, dimisit ibi principem illum cum duobus caballis, et ipse cum suo transivit. Erat autem fluvius in latitudine stadii unius [206*]. Abiens itaque Alexander, cum venisset ad portam civitatis Darii, videntes eum Persæ, mirati sunt in figura vultus ejus, estimantes illum esse deum. Interrogatus autem ab eis quis esset, respondit, se apocrisiarium esse regis Alexandri. Et duxerunt eum ad Darium. Qui videns eum adoravit ut deum, cogitans illum esse Mithram deum, descendentem de cœlis. Interrogavit ergo eum : *Quis es tu ?* Cui ille : *Apocrisiarius sum regis Alexandri, missus nunciare tibi quia moram facit in campo exspectans te. Unde, si tibi placet, constitue diem prœliandi.* Cui Darius : *Forsitan tu es Alexander, qui cum tanta loqueris audacia ; non enim loqueris sicut nuncius, sed sicut ipse Alexander. Scias tamen pro certo, quia audacia tua nullo modo conturbat me. Sed manduca hodie mecum, quia et Alexander sedit ad cœnam cum missis meis.* Et extendens manum, apprehendit eum per dexteram, introduxitque in palatium suum. Alexander vero pro signo tenuit in corde suo hoc quod induxit eum per dexteram, quasi jam teneret palatium inimici sui, ingressusque triclinium, in quo erat convivium præparatum, sedit cum rege, sederunt et principes Darii facie ad faciem. Persæ itaque sedentes in convivio despexerunt vultum Alexandri, eo quod esset parvus, nescientes qualis virtus et qualis audacia erat in vasculo tali. Pincernæ vero ferebant sepius pocula. Mediante vero convivio cum allatum fuisset Alexandro poculum aureo [207] et bibisset, misit illud in sinum suum, fecitque hoc secundo et tercio. Quod cum vidissent pincernæ, nunciaverunt Dario. Erexit se Darius, et dixit : *O vir fortissime, quid est hoc quod agis?* Cui Alexander : *Dominus meus sedens in convivio donat militibus suis vascula illa in quibus bibunt. Quod si talis consuetudo non est inter vos, reddo vobis omnia.* In hoc omnes tacuerunt, cogitantes quod talis consuetudo esset apud illos [208]. Unus autem ex principibus militiæ, cui nomen Anepolis, quondam missus ad Phylippum exigere ab eo censum, vidit tunc Alexandrum, sedensque nunc in convivio cum eo facie ad faciem, intuitus est faciem ejus, cœpit cogitare in corde suo : *Nonne iste est Alexander?* Intellegens enim vocem et signa illius, accessit ad Darium, et dixit : *Domine,*

VARIÆ LECTIONES.

[206*] stadii u *e corr.* 1. [207] *ita* 1. [208] *deest* 1. eos &c.

iste missus quem vides ipse est Alexander. Cognoscens autem Alexander quia loquebantur de illo et de cognitione ejus, exiliit de sede sua, toilensque faculam de manu cujusdam Persæ tenentis eam, ante mensam regis percussit eum, et ascendens equum abiit. Persæ vero insequebantur eum armati cum omni velocitate, sed ipse ferens in manu faculam ardentem, tenuit iter rectum, insequentes autem cadebant in foveas; erat enim obscura nox. Darius autem sedens in solio suo, vidit signum infaustum, quia cecidit domus Xersis regis et statua ejus, et doluit. Alexander itaque veniens ad fluvium Stragan transiit, statimque dissolutus est fluvius, mortuusque est caballus ejus antequam exiret, et tulit eum fluvius; Alexander vero exiliit in ripam, junctusque principi quem reliquerat, reversus est ad suos; congregataque omni militia sua, ascendit in locum eminentiorem, et confortavit milites suos, dicens : *Multitudo nostra non æquatur multitudini Persarum, sed non conturbet nos multitudo illorum, etiam si centupliciter augerentur, quia non prevalet multitudo muscarum parvitati vesparum.* Qui audientes hæc, laudaverunt eum.

Darius itaque movit exercitum suum valde magnum, transiitque fluvium Stragan, ut pugnaret cum exercitu Alexandri. Habebat autem currus falcatos. Cum autem venisset uterque exercitus in campum, ascendit Alexander equum cui nomen Bucefalus, et stetit in medio ante omnes Persas. Videntes autem eum Persæ, timuerunt ire super eum, quia divinitas quædam cooperiebat eum. (F. 208.) Mixtis autem utrisque partibus, pugnabant acriter, multique cadebant, sed ex parte Darii plurimi. Videns itaque Darius quia multi cecidere de suis, fugam iniit; fugerunt et Persæ, multitudo vero curruum falcatorum fugientes occidebant suos, jacebantque sicut messis in campo. Veniens autem Darius ad fluvium, et inveniens eum adhuc congelatum, transiit; sed sequenti multitudine ingrediente, dissoluta est glacies, et plurimi mortui sunt; qui vero ingredi non poterant, eos insequentes Macedones occidebant. Fugit autem Darius, et ingressus palatium suum, prostravit se super faciem suam in terram, ex altoque pectore dura trahens suspiria, dixit : *Heu me, quanta tribulatio apprehendit Persidam, quia humiliatus est Darius, qui subjugavit atque in potentiam suam redegit multas gentes! In puncto articuli unius diei evenit, quod humiles exaltentur super nubes, et sublimes humilientur usque deorsum.* Deinde erigens se et in sensum suum rediens, scripsit ad Alexandrum epistolam hujusmodi :

Darius rex dominatori meo Alexandro gaudium. Recordetur tua clementia, quia et tu homo es; sufficit autem homini in quo sapientia est, cum habuerit victoriam, ut non elevetur amplius mens ejus. Recordare igitur quia superna divinitas concessit tibi hanc victoriam, et quia refugium facio ad te; impende michi misericordiam; scis enim nos nostramque nativitatem atque magnitudinem; concede nobis matrem et uxorem ac filias, et dabo tibi thesauros quos habeo in terra Miniada et Susis et Mactra; quos thesaurizaverunt ibi patres nostri subtus terra, et constituam te dominum Persarum et Medorum. Cunctis diebus vitæ tuæ esto salvus, et concedatur tibi victoria a Jove.

Relecta hac epistola ab Alexandro, unus ex principibus militiæ Parmenius dixit : *Alexander, tolle tibi cunctas has divitias, et redde sibi pro quibus rogat.* Cui Alexander : *Miror, si per datum vult Darius recipere matrem et uxorem ac filias. Si victus est Darius, michi datum non promittat, si iterum pugnare voluerit et nos vicerit, utinam salvare valeamus nosmet ipsos, quanto magis ut teneamus matrem ejus et uxorem ac filias.*

Dimisit autem legatos, precipiens eis ut talia dicerent Dario. Precipiens itaque militibus suis ut mortuos sepelirent et vulneratis medicinam impenderent, aliquantos dies hiemavit ibi, faciens oblationem diis suis; precepitque militibus suis ut pulcherrima palatia Xersis regis comburerent: sed paululum pœnitentia ductus jussit ut hoc non facerent. Erant autem in hisdem locis sepulchra mortuorum, quæ fodientes, invenerunt vasa aurea et argentea, invenerunt etiam sepulchrum olovitreum, de quo a foris apparebat corpus hominis et capilli ejus. Invenerunt quoque ibi turrim, in qua multi truncati homines, alii vero erant ibi in custodia, qui clamaverunt ad Alexandrum, misericordiam postulantes, ut liberaret eos. Ipsa vero custodia erat pessima. Qui jussit eos abstrahi de ipsa custodia, et videns eos, doluit et ploravit, precepitque singulis dare dragmas mille, restituens illis proprietates suas.

Inter hæc preparavit se Darius denuo ad pugnam, scripsitque epistolam ad Porum regem Indorum in hæc verba : *Darius rex regum regi Poro gaudium. Nuper scripsi ad te deprecando ut faceres nobis adjutorium contra illos qui conati sunt dissipare palatium nostrum, quia hæc bestia, quæ venit super nos, ferocem habet mentem, et æstuat animus ejus sicut tempestas maris.* (F. 209.) *Volui recolligere ab illo matrem et uxorem et filias et offerre illi munera et noluit acquiescere. Nunc vero quamvis sine voluntate mea pugnabo iterum cum eo, congregatisque gentibus multis certabo usque ad mortem, quia melius est michi mori in bello, quam videre desolationem regni et gentis meæ. Congregamini ergo et parate vos ad portas Caspias. Omnibus qui vobiscum venerint datum dabo, unicuique pediti per singulos menses solidos tres, equiti vero quinque, et cibaria illorum et quæcumque necessaria tribuam illis, de spoliis vero captivorum medietatem dabimus tibi, caballus quoque Bucefalus et imperiale paramentum Alexandri tuum sit, et ubicumque applicueris, dabo tibi centum et octoginta juvenculas cum ornamentis earum. Cum acceperis epistolam hanc, festina venire.*

Homines vero Darii fugientes ad Alexandrum, nunciaverunt ei omnia hæc. Qui audiens hæc preparavit se, et dixit omnibus ut nullo modo vocare-

tur imperator, si regnum Darii non optinuisset. Cumque audisset Darius adventum Alexandri, timuit valde. Duo autem ex Persis cum audissent eum appropinquare, statuerunt Darium occidere, estimantes se recepturos ab Alexandro magnam remunerationem, si ejus inimicum occiderent. Cumque invenissent Darium in palatio solum, evaginatis gladiis accesserunt ad eum. Quibus ait Darius : *O karissimi mei, quondam servi, nunc autem domini, quare me vultis occidere? Plus honorati sunt Macedones quam vos; recedite a me; sufficit michi tribulatio mea; nolite michi hoc malum facere. Si occideritis me, et veniens Alexander invenerit me occisum quasi a latronibus, faciet vindictam in vos; non enim est gaudium imperatori, invenire alium imperatorem mortuum fraude.* Illi autem ferientes eum gladiis, dimiserunt semivivum, et abeuntes absconderunt se, donec audirent sententiam Alexandri. Transeuntibus autem Macedonibus Stragan fluvium, abiit Alexander et intravit Darii palatium. Inveniens autem eum jacentem in terra semivivum, flevit, et exuens se clamidem imperialem cooperuit eum, et amplexatus vulnera ejus, flevit et dixit : *Surge, domine Dari, surge, et sicut aliquando fuisti dominus totius imperii Persarum, recipe diadema tuum. Juro tibi per votentissimos deos, quia veraciter abrenuncio imperio tuo.* Tunc Darius blanditer extendens manum suam, amplexatus est eum, et osculans manus ejus et pectus, dixit : *Fili Alexander, non elevetur mens tua in victoriali gloria quam habes; etiam si opera feceris deorum, et manum tuam extenderis usque ad cœlum, semper recordare novissimorum. Intuere me, qualis fui hesterna die et qualis sum hodie, quia dominator fui terrarum multarum, nunc vero in memet ipso non habeo potestatem, sed humiliatus sum miser usque ad pulverem. Sepeliant me manus tuæ, et veniant in exsequias meas Macedones et Persæ, et amodo gens Persarum et Macedonum efficiatur unum regnum. Commendo tibi Rodogoni matrem meam, ut sit tibi in memoriam matris; vigeat benignitas tua in uxore mea, Roxani filiam meam accipe tibi in conjugium; ex bonis parentibus filii jungantur in unum, tu de Philippo, illa de Dario.* Hæc dicens Darius, in manibus Alexandri emisit spiritum. Alexander vero more regio composuit corpus ejus, subponensque collum suum, portavit lectum illius una cum Persis; Macedones vero et Persæ armati antecedebant cum magno obsequio. Flebant autem Persæ non tam pro morte Darii quam pro pietate Alexandri. (F. 210.) Post sepulturam Darii tale proposuit Alexander edictum : *Gauderem quidem; si non defecisset hic populus, sed quia voluit deus Hammon me fieri victorem Persidæ, oportet me diis gratias referre. Volo autem ut per unamquamque civitatem sint principes et rectores sicut temporibus Darii regis, et obediatur eis, omnia vero arma recondantur in domibus regalibus; volo enim, ut pacifica et omni bono plena sit hæc terra, et hinc usque Elladam sit iter apertum, ut euntes et redeuntes cum negotiis nichil patiantur mali. Qui vero vindictam fecerunt de inimico meo Dario accedant, ut videam illos et dignum honorem exhibeam eis, quia bonum servitium fecerunt michi.* Tunc interfectores Darii venerunt ante eum, magnum sperantes premium; ille autem jussit eos decollari, dicens : *Qui proprium dominum occidunt, extraneo quid faciunt?* In hoc vociferatio magna Persarum facta est, laudantium eum quasi deum * Erat autem ibi avunculus Darii, nomine Duriti, quem per totius populi petitionem ordinavit Persidæ ducem. Secundum preceptum vero Darii regis fecit venire Roxani, filiam ejus, accipiensque eam in uxorem, fecit eam sedere secum in throno regali, ut adoraretur ab omnibus sicut regina. Tunc omnes Persæ levaverunt deos suos et duxerunt ante Alexandrum, laudando et celebrando nomen ejus, dicentes : *Quia nunc fecisti quod diis placet.* Quibus ait Alexander : *Nolo ut michi exhibeatis honorem sicut diis, quia corruptibilis ego sum et mortalis; ideoque dubito me sociare illis.* Scripsit autem matri suæ epistolam, ut et ipsa celebraret has nuptias in Macedonia.

* *Add.* 5. : De hac vero vindicta alii sic scribunt : Post hæc rebus ordinatis, cum ipsos scire Alexander cupivisset, qui Dario necem intulerant, ait : *Gaudeo me hostem maximum Darium servitio subjugasse; licet ego ipse id executus non sim, habeo tamen gratiam condignam rependere his qui benivolentiam suam erga me protestati sunt; quique hi sunt, hortor atque moneo, uti se prodant. Namque per patris matrisque [209] meæ majestatem juro sublimes illos me facturum ac notissimos, quia maximo premio digni sunt.* Mox quoque hoc audito, Besas et Ariobarzanes obvias se Alexandro ferunt, et professi facinus, sponsionem premii petunt. Tunc protinus viros comprehendi jubet atque altissimo in loco crucifigi; idque preter spem omnibus fuit. Nec tamen se reum de perjurio dicebat, quia sublimes eos ac notissimos omnibus fecerat.

Completis itaque diebus nuptiarum, congregavit iterum milites suos, et cum audisset quod Porus rex Indorum venisset contra eum in adjutorium Darii regis, cœpit ire obviam ei in Indiam, ambulans per spaciosam terram et desertam, et transiens flumina invadosa, et per colles cavernosos, fatigatusque est una cum militibus suis. Qui etiam omnes dicebant : *Sufficit nobis quia venimus pugnando usque Persidam Dariumque subjugavimus, qui tollebat antea censum a Macedonibus; quid deficiemus querendo Indiam in locis in quibus bestiæ habitant, et obliviscimur terram nostram? Hic Alexander nichil aliud optat facere, nisi ire præliando et subjugando sibi gentes. Dimittamus eum nos; eat ille quo vult.* Audiens hæc Alexander, stetit, dixitque omnibus : *Separamini ab invicem, Persæ sint in una parte [210], Macedones et Greci in alia.* Intuens autem Macedones et Grecos, dixit : *O commilitones mei Macedones et Greci, Persides isti contrarii sunt michi et vobis; si*

VARIÆ LECTIONES.

[209] matrique *cod.* [210] 5. *add.* : Macedones et Persæ.

autem et vos posuistis in cordibus vestris ut contraeatis michi, redite post tergum, et ite in patriam vestram; recordamini tamen quia et istos solus vici et quocumque iero pugnare cum barbaris, superabo illos. Scitis quia, quando consiliatus sum vobis, confortati suntanimi vestri; quando venimus pugnaturi in campo, nunquid non ego steti solus ante omnes et pro omnibus solus pugnavi? Nunquid non ego solus pro salvatione vestra et totius patriæ abii quasi missus ad Darium regem, et tradidi me multis periculis? Quid ergo? Si vultis pergere soli Macedoniam, pergite, quia ego vobiscum non venio; cognoscetis autem quia nichil facere valet militia sine consilio regis. Hæc eo dicente, erubescentes milites poscebant veniam, dicentes : *Amodo vita nostra in manibus tuis sit posita; quodcumque vis facere, fac.* Multa vero pericula in ipso itinere passi sunt, multaque miranda viderunt, quæ juxta ipsius Alexandri descriptionem, ut aiunt litteræ, post referemus.

(Fol. 211.) Post aliquantos dies in finibus Indiæ obviaverunt Alexandro legati Pori regis, deferentes ei epistolam continentem hunc modum : *Indorum rex Porus latroni Alexandro, qui civitates obtinet latrocinando. Cum sis mortalis homo, quid prevales facere deo? Quod anxiasti homines persequendo, qui digni fuerunt sustinere angustiam, cum hominibus mollibus et qui nullam habuerunt virtutem pugnasti, et quia vicisti eos, speras te victorem esse in omnibus hominibus. Victorialis et ego sum, et non solum homines obœdiunt michi, sed etiam dii. Venit aliquando Dionisius famosus pugnaturus in India, sed terga vertit ante Indos et fugit, quia Indorum virtutem sustinere non potuit. Quapropter antequam turpitudo tibi eveniat, do consilium tibi et precipio ut festinanter revertaris in terram tuam. Antequam Xerses esset, dabant nobis Macedones censum, sed quia non invenimus in illa terra quæ placeant regi, velut in terra inutili, dedignati sumus illam, quia omnis homo plus desiderat amplam causam quam parvam. Ecce contestor te ut revertaris, et ubi dominationem habere non poteris, ibi desiderium non habeas.*

Ut autem pervenit hæc epistola ad Alexandrum, legit eam coram omnibus, et dixit : *Viri commilitones, fortem animum vestrum non conturbent Pori regis epistolæ; recordamini verba epistolarum Darii regis, quam superbe et cum quanta locutus est audacia. Veritatem dico vobis, quia omnes barbari communem habent sensum et parum distant a bestiis.* Hæc dicens Alexander, scripsit epistolam regi Poro tali modo :

Rex Alexander regi Poro gaudium. Acuisti sensum nostrum, et prebuisti nobis audaciam ut pugnemus contra te. Dixisti enim in Macedonia nichil boni esse, Indiam vero omni dulcedine effluere; proinde toto conamine pugnabimus, ut acquiramus eam. Et quia dixisti omnem hominem plus diligere amplam causam quam parvam, ideo nos, qui parvi sumus, ad amplitudinem vestri culminis venire optamus. Quia vero dicebat epistola tua quod non solum hominibus, verum etiam diis existas imperator, ego ita pugnaturus venio, quasi cum homine barbaro et qui se multum extollit, non quasi cum deo, quia unius dei arma totus mundus sufferre non poterit. Quin immo scias quia stulta elatio tua me non conturbat.

Hac epistola lecta, Porus rex iratus est, congregataque multitudine suorum atque multis elephantis, cum quibus Indi pugnare solent, exiit obviam Macedonibus. Fuerunt autem in exercitu ejus sine pedititibus, quorum non erat numerus, 4000 octingentæ quadrigæ falcatæ, quadringenti elephanti portantes turres, in quibus stabant homines armati ad pugnam. Macedones vero atque Persæ videntes preparationem atque multitudinem Indorum, turbati sunt, expavescentes non tantum multitudinem hominum quantum ferarum. Ferebat autem secum Alexander statuas hominum æreas, et sapienter cogitans, misit eas in ignem, ut calefierent, faciensque recepta ferrea quibus sustinerentur, jussit eas portari ante exercitum contra elephantos. Videntes itaque statuas elephanti, putaverunt quod homines essent, et extendentes promoscidas suas, id est rostra sua, secundum consuetudinem ut caperent homines, pre nimio calore statuarum incensi sunt, redeuntesque retro moriebantur, reliqui vero exturbati nullo modo pergebant pugnaturi super homines. Videns autem [211] quod de feris factum est, turbatus est valde. Persæ vero impetum facientes super Indos cum sagittis et lanceis, fugaverunt eos, cum tamen ex his et illis maxima strages hominum facta fuisset. Alexander autem sedens super equum suum Bucefalum, ingressus est pugnam, et prœliatus est fortiter, quin etiam ipse caballus adjuvabat eum non modice, et per continues viginti dies pugnabant inter se. Videns itaque Alexander quia defecerat populus, stetit solus ante hostem, et locutus est Poro regi . *Non decet imperatorem sic in vanum perdere populum suum, sed per semet ipsum ostendere virtutem suam. Stet ergo populus tuus in parte una, et meus in altera, ego vero et tu soli pugnemus manu ad manum, et qui vicerit, illius computetur populus uterque.* (fol. 212.) Audiens hoc Porus, gavisus est, confidens in altitudine sua, quæ erat cubitorum quinque, cum Alexander esset tantum cubitorum trium. Recedente itaque utroque exercitu et stante in suo ordine, pugnatum est ab illis duobus. Vociferantibus autem militibus Pori, tornavit ille caput ad illos; Alexander vero impetum faciens in eum, complicatis pedibus exilivit super eum, percutiensque illum gladio, prostravit in mortem. Tunc acriter pugnatum est ab utroque exercitu. Stans autem Alexander dixit ad milites Pori : *Miseri, post mortem regis vestri ut quid pugnatis?* Qui dixerunt : *Quia nolumus subdi vobis terram nostram, ne devastetur.* At ille ait : *Cesset pugnatio vestra, et ite liberi ac securi in domos vestras, quia vos*

VARIÆ LECTIONES

[211] a. Porus 5.

non presumpsistis impugnare nos, sed rex vester. Hæc dicens, castra metatus est et fecit sepeliri Porum.

De hac pugna alii aliter sentiunt, sic scribentes (Oros. III. 19) : Cum Poro, fortissimo Indorum rege, cruentissimum bellum gessit, in quo Alexander cum ipso Poro singulariter congressus, occisoque dejectus equo, concursu satellitum presentiam mortis evasit ; Porus vero multis confossus vulneribus, captus est, sed ob testimonium virtutis Alexander ei regnum restituit. Hæc autem diversitas etiam in epistolis quæ ipsius Alexandri dicuntur ad magistrum suum Aristotilem reperitur, quæ si ipsius sunt, diversa sibi sentiunt. Ibi enim quodam loco scriptum est (*C. B.* f. 215), quod ad Candacem reginam cum veniret Alexander, Carator, filius ejusdem reginæ, suadente uxore sua, quæ filia fuit Pori, eum occidere voluerit, eo quod ipse Porum occiderit ; in alio autem loco sic scriptum invenitur, ut eadem verba ponantur quæ ipsius esse dicuntur (*ep. ad Arist.* c. B. f. 231) : *Venimus*, inquit, *in illum locum, ubi Porus prius cum exercitu consederat quam pugnaremus cum eo ; habebat autem desiderium videndi me, et interrogavit aliquos de militibus meis, ubi essem vel quid facerem. Qui cum se nescire hæc dicerent, venerunt et nunciaverunt michi hæc omnia. Ego autem exuens vestimenta regalia, indui mitutis unius indumenta, abiensque ad castellum, finxi me comparare velle carnes et vinum. Cumque me vidisset Porus, vocavit ad se et interrogavit, quid Alexander faceret et cujus ætatis esset. Cui inquam : « Quid faciat nescio, quia pastor sum animalium cujusdam militis Macedon, de annis vero ejus sapio quia senex est, et forsan nunc sedet ad focum, sicut est consuetudo senum. » Tunc ille repletus est gaudio, quod cum homine sene pugnare deberet, cum ipse juvenis esset ; et elatus in gloriam dixit : « Quare non intendit senectutem suam, quia vult pugnare cum juvene? » Statim dedit michi epistolam minis plenam, rogans et premium pollicens, ut eam Alexandro darem. Cui cum jurarem, quod certissime ipsæ litteræ in manus Alexandri venirent, abii, legensque epistolam, multum risum habui pro superbia et presumptione barbari. Post hæc pugnavi cum Indis, et vici eos sicut volebam, et tuli regna quæ habuit Porus, sed postea reddidi ea illi. Pro qua re factus est ille Macedonibus summus amicus et manifestavit michi thesauros suos occultos ; unde et ego et omnes comites mei divites facti sumus ; deinde duxit me ubi erant statuæ aureæ, quas ibi posuerant Liber pater et Hercules, et fuit diu socius itineris nostri.*

Hæc de dissonantia non solum hystoriographorum, sed ipsius quoque Alexandri, ut dicunt, litterarum idcirco posui, ne quis me de prima hujus pugnæ descriptione arguat mendacii ; ceterum prudens lector eligat, quid sibi de hiis maxime placeat.

(*Hist. Alex.* Cod. Bamb. fol. 212.) Igitur post pugnam cum Poro peractam, congregato magno apparatu, Alexander abiit ad Oxidraces. Oxidraces autem non sunt superbi homines, neque pugnant cum aliquo ; nudi enim ambulant, et dicuntur gymnosophystæ, in tuguriis habitant, non habentes civitatem, neque habitationes alias. Rex autem hujus gentis cum audisset adventum Alexandri, misit ad eum honoratos suos cum epistola tali : *Corruptibiles gymnosophystæ Alexandro homini scribimus. Audivimus quod venias super nos. Si pugnaturus veneris, nichil lucri acquires, quia, quod tollas aut auferas a nobis, non invenies, sca et ipsum quod habemus nullo modo audet quis tollere, nisi quantum divina providentia concesserit. Quod si pugnare vis pugna, nos simplicitatem nostram non dimittemus.* Relegens hoc Alexander, remandavit eis dicens : *Et nos pacifice veniemus ad vos.* Statimque ingressus est ad illos. Intuens autem illos omnes nudos ambulare et in abditis tuguriis et speluncis habitare — filii vero et uxores eorum separatæ erant ab illis cum animalibus —, interrogavit unum ex illis : *Non sunt sepulchra vobis?* Qui ostendens ei habitationem suam, dixit : *Ubi habito, sufficit michi.* Convocatis autem omnibus, Alexander dixit : *Quærite quod vultis, et dabitur vobis.* Qui dixerunt : *Da nobis immortalitatem.* Quibus ille ait : *Mortalis ipse cum sim, immortalitatem vobis dare non possum.* At illi dixerunt : *Et si mortalis es, quare vadis discurrendo huc et illuc et faciendo tanta et talia?* Quibus ille ait : *Istæ causæ non gubernantur nisi de superna providentia, cujus ministri sumus, facientes jussionem illius. Mare nullo modo turbatur, nisi cum ventus fiunt ingressus. Volo quiescere et a pugnis recedere ; sed dominus sensus mei non dimittit me hoc facere. Si omnes unius intellegentie fuissemus, totus mundus sicut ager unus esset.* Hæc dicens, cœpit ire, et fatigatus est multum in ipso itinere, quia erant ibi loca inambulatoria. Deinde Adrastas, Catthenos, Gangaridas, cesis eorum exercitibus, Macedones expugnavere. Cumque ad Cophides ventum esset, ibi contra ducenta milia equitum pugnam commiserunt, et cum jam fessi, ætate detriti, animo egri, viribus lassi, difficile vicissent, castra ob memoriam plus solito magnifica condiderunt.

(Oros. III, 19.) Exin Alexander ad amnem Agesinem pergit, per hunc in oceanum devehitur, ubi Gessonas Sybosque, quos Hercules condidit, obpressit. Hinc in Andros [213] et Subagras navigat. Quæ gentes cum cum armatis 80000 peditum et 60000 equitum excipiunt, commisseque prælio, diu anceps et cruenta pugna tandem tristem pene victoriam Macedonibus dedit. Nam fusis hostium copiis, Alexander exercitum ad urbem eorum duxit. Et cum murum primus ascendisset, vacuam ratus civitatem, solus introrsum desilivit. Quem cum undique infesti hostes circumdedissent, incredibile dictum est, ut cum non multitudo hostium, non vis magna telorum, non tantus lacessentium clamor terruerit, solus tot milia ceciderit ac fugaverit. At ubi se obrui a circumfusa mul-

VARIÆ LECTIONES.

[213] *ita aut* mandros I.

litudine persensit, muri obice posteriora tutatus, contrarios facilius eo usque sustinuit, donec perfossis muris omnis exercitus ingreditur. In eo prælio sagitta sub mamma trajectus, fixo genu catenus pugnavit, donec eum, a quo vulneratus est, occideret. Inde conscensis navibus cum oceani litora peragret, ad urbem quandam, cui Ambira rex præerat, pervenit, sed in expugnatione civitatis magnam partem exercitus sagittis hostium veneno illitis amisit; at post herba per somnium sibi ostensa et in potum sauciis data, cum reliquis subveniretur, urbem expugnavit.

DE MIRABILIBUS REBUS QUAS ALEXANDER VIDISSE DICITUR.

In his ergo itineribus quæ et quanta pertulerit et quam miranda conspexerit, ipse, ut fertur, ad matrem suam Olympiadem et magistrum suum Aristotilem scribit, de quibus aliqua ob delectationem noticiæ rerum mirabilium breviando perstringimus, ceterum veritatem ipsarum rerum judicio legentium relinquimus. (*Hist. Alex.* C. Bamb. f. 216.) Scribit itaque ad matrem suam, quia cum adhuc in Babylonia priusquam egrederetur de terra illa, erat ibi mulier quædam, quæ peperit filium, qui ab umbilico et sursum erat ut homo, deorsum autem erat ut bestia, similitudinem habens canis. Quem cum peperisset, cooperuit eum adduxitque Alexandro regi, mandans ei, ut liceret sibi cum eo secrete loqui. Quæ cum vocata veniret, ait : *Jube omnes exire, secretum habeo indicare tibi.* Omnibus ergo recedentibus, discooperiens infantulum monstravit ei. Quem videns rex, miratus est, vocatoque ariolo, interrogavit eum, quid hoc portenderet. Qui susspirans dixit : *O rex, appropinquabit tempus tuum, ut exeas de hoc seculo. Medietas corporis, quæ habet aspectum hominis, tu es, pars autem versa in bestiam homines sunt qui post te venient.* Audiens hæc Alexander, tristis effectus est, et dixit : *O Juppiter, oportuit quidem ut dies obitus mei in pace finiretur, ut hoc quod proposui perficeretur, sed quia tibi sic placet, suscipe me tecum immortalem.*

(F. 217.) Coadunato autem populo suo, exiit, et venit ad columnas Heraclii, unam auream, alteram argenteam, habentes in longitudine cubitos duodecim, in latitudine duos.

Inde moventes, ingressi sunt desertum, inveneruntque loca frigida atque sic obscura, ut vix se mutuo non agnoscerent.

Inde ambulantes per septem dies, venerunt ad fluvium calidum, videruntque ibi mulieres Amazonas speciosas nimis, equitantes in horridis vestimentis, argentea arma in manibus tenentes; æs autem et ferrum ibi non invenitur. Jungens autem se exercitus ad ipsum fluvium, transire non potuit, quia latitudo et altitudo illius magna erat nimis, plenusque erat reptilibus et bestiis.

Abinde venientes ad mare Rubrum, invenerunt montem nimis altum, in quem ascendentes, visi sunt sibi, quasi essent in cœlo. Cogitavit autem Alexander cum amicis suis, ut instrueret aliquid tale, quo posset ascendere cœlum, ut probaret, si esset hoc cœlum quod videmus. Fecit ergo sibi sedem excogitatam, et apprehendens griphes duos, colligavit eos catenis, et posuit vectes ante eos, et in summitate eorum cibaria illorum. Cœperunt igitur sursum ascendere, donec terra tota sibi videbatur sub se quasi area et mare sicut draco gyrans eam. Divina vero virtus obumbrans griphes, dejecit eos in terram in loco campestri longe ab exercitu itinere dierum decem; nullam tamen lesionem sustinuit Alexander in cancellis illis, cum forti vero angustia junctus est militibus suis. Quem videntes lætati sunt, collaudantes eum. Iterum venit in cor ejus, ut mensuraret profundum maris, vocavitque astrologes et geometricos, precipiens eis ut facerent sibi vasculum tale, in quo posset in profundum maris descendere et mirabilia quæ ibi sunt perspicere. Qui dixerunt : *Fiat dolium oloritreus et ligetur catenis, et regant eum milites fortissimi in submittendo et reducendo.* Hoc audito Alexander, precepit talia fieri, et tali modo perquirens profundum maris, vidit diversas figuras diversicolorum piscium et quasi terrestrium animalium profundum maris ambulantium, multaque quæ dici non possunt.

(*Ep. ad Arist.* Cod. Bamb. f. 228'.) Postquam autem venit in Persidam et interfecit Darium regem mense Maio, ut ipse magistro suo Aristoteli scribit, subjugavit sibi omnem terram illius, et posuit in provinciis orientis suos honoratos, et divites facti sunt omnes. Mense autem Julio deficiente, venit in Indiam Fasiacen, ubi cum magna celeritate vicit Porum regem multasque divitias invenit. Apprehendit enim civitatem ipsius Pori et domum ejus magnificam, in qua fuerunt quadringentæ columnæ aureæ cum capitellis aureis. et parietes domus erant vestiti laminis aureis, quæ erant grossæ in spissitudine sicut est digitus hominis, vinea quoque aurea et racemi cristallini, quibus interpositæ erant gemmæ ignitæ et smaragdineæ. Omnes etiam mansiones, quæ inerant ei, ornatæ erant de margaritis et unionibus et carbunculis, et januas habebant de ebore albo, et laquearia subfixa de ligno quod dicitur ebenum et est nigrum nasciturque in India et Ethyopia, et cameræ erant factæ de cypressis. Foris autem extra domum erant statuæ de auro positæ et platani aureæ, et inter illas erant multa genera aucellarum varii coloris, et habebant ungulas et rostra inaurata, et in auriculis pendebant margaritæ et uniones. Multa quoque vasa gemmea et cristallina et aurea invenit ibi, argentea vero pauca.

Cumque omnia in sua potestate haberet, desideravit interiorem Indiam videre et ad portas Caspias pervenire. Quo cum tenderet cum omni suo exercitu, pervenerunt ad quendam fluvium, in cujus medio erat civitas cooperta, et in circuitu civitatis erat aqua quasi stadiis quatuor; ipsa vero aqua erat amara nimis velut elleborum. (*Hist. Al.* f. 212'.) Ubi cum applicuissent hora diei tercia, quidam ex

juvenibus audacioribus numero 37 evaginatis gladiis nudi ingressi sunt fluvium, sed surgentes ex eo bestiæ quæ dicuntur yppotami devoraverunt eos. Gyrantes autem ceteri milites fluvium ex alia parte, perrexerunt superius, et invenerunt stagnum dulce, ibique applicantes, accenderunt focos. Hora vero noctis tercia exeuntes subito ex ipsius stagni arundineto feræ silvestres, venerunt ad ipsum stagnum bibere, leones miræ magnitudinis, pardi, tigrides, porci silvatici habentes dentes in longitudine cubiti unius, elephanti quoque et scorpiones habentes longitudinem unius cubiti. Venerunt et homines silvatici, habentes sex digitos in manibus et pedibus, qui incursum magnum fecerunt super milites, sed cum lanceis et sagittis ejecerunt eos a se. Posuerunt autem focum in ipsa silva (f. 213) arundinum, ut fugerent ipsæ feræ, et ecce, venit super eos bestia miræ fortitudinis, fortior elephante, quæ irruens occidit ex eis viginti sex, quidam autem armati occiderunt eam. Sequenti vero nocte exierunt ex arena vulpes et cocodrilli, et comedebant corpora mortuorum. Volabant ibi et vespertiliones tam magni sicut columbæ, quorum dentes ut hominis, qui mordebant homines, auferentes eis nares et aures et digitos.

Moventes inde, venerunt in campum qui dicitur Actia, in cujus circuitu erat silva condensa; et erant ibi arbores fructiferæ, ex quibus nutriebantur homines agrestes, habentes formam gygantum, induti vestimento pellicio, qui exeuntes cum longis contis occiderunt quosdam de exercitu. Quod videns Alexander, precepit suos vociferare. Qui cum clamarent magnis vocibus, timuerunt illi et fugerunt, quia non erant illis cognitæ voces humanæ. Insequentes autem eos milites, occiderunt ex eis sexcentos et triginta quatuor; ex ipsis vero ceciderunt centum viginti septem. Manserunt autem per tres dies, comedentes poma arborum ipsarum.

Deinde venerunt ad fluvium quendam, in quo erat civitas locuples valde. Hora vero nona incumbente, venit super eos quidam magnus homo agrestis, pilosus ut porcus. Alexander itaque precepit militibus suis, ut apprehenderent eum. Qui cum fecissent impetum in eum, ille neque timuit neque fugit, sed stetit immotus. Precepit autem Alexander adduci puellam et mitti ante illum nudam. Ille autem impetum faciens apprehendit eam, et stetit in parte. Concurrentibus vero militibus, ut raperent eam, ille ruguit sicut fera. Cum maxima igitur angustia apprehenderunt eum, et jussit eum Alexander ligari et in ignem precipitari.

Inde moventes, venerunt in alium campum, ubi ab hora diei prima exiebant arbores de terra et crescebant usque in horam sextam, ab hora sexta usque ad occasum solis descendebant in terram: ferebant autem fructus valde odoriferos. Precepit autem Alexander militibus quibusdam, ut tollerent de fructibus ipsis; sed mox ut accedebant propius, exiebant dæmones et flagellabant eos; audierunt quoque omnes vocem quasi de cœlo sibi precipientem, ut nullus aliquid incideret ex ipsis arboribus, quia qui faceret moriretur. Erant ibi et volatilia mitissima, sed quicumque volebant ea tangere, exiebat ignis et incendebat eos. Moventes etiam inde, venerunt in fines oceani maris, et audierunt in insula quadam homines loquentes Grecam linguam. Quidam vero ex militibus exuentes se, voluerunt ingredi ad ipsam insulam, sed surgentes bestiæ quædam de mari, apprehenderunt ex eis viginti et submerserunt in profundum.

Exinde venerunt in locum quendam, in quo erat arbor neque fructum habens neque folia, et sedebat super eam avis. habens super caput suum radios lucentes sicut sol.

B Deinde venerunt ad montem quendam, sub quo erat ripa, in qua pendebat catena aurea, et ipse mons habebat gradus bis mille et quingentos ex saphiro. Ascendit autem Alexander montem ipsum cum aliquantis militibus, et invenit ibi palatium, in quo erat templum totum aureum, et in eo tympana et cimbala ex auro, et lectus cum preciosissimis lectisterniis in quo jacebat homo magnificentissimus et clarissimus, indutus alba veste bombicea, ornata ex auro et lapidibus preciosis, et circa eum vinea aurea, ferens botros ex lapidibus preciosis. Adoravit itaque Alexander hominem ipsum, et descendit.

Ab hoc loco perrexit per continuos quindecim dies, et venit in terram quæ dicitur Prasiaca. Cognoscentes autem adventum ejus homines terræ C illius, adduxerunt ei xenia, pelles ex piscibus similes pellibus leopardorum et pelles murenarum longitudine cubitorum sex. Erat ibi civitas murata sine calce, precisis ex monte lapidibus. Primatum ipsius regni tenebat quædam femina vidua, nomine Candacis, habens tres filios. Cui direxit Alexander epistolam talem: *Rex Alexander reginæ Candaci gaudium. Dirigo tibi templum et statuam Hammonis, ut venias et eamus simul ad montes et offeramus ei.* Illa vero rescripsit ei: *Candacis regina Merois Alexandro regi gaudium. Revelatum tibi fuit ab Hammone deo tuo, ut ires et expugnares Ægyptum, quod tibi concessum ab ipsis diis. Nos itaque claras ac lucidas habemus animas, magis quam hi qui apud* D *te sunt.* (F. 214.) *Dirigo autem deo tuo Hammoni coronam ex lapidibus preciosis, videlicet ex smaragdo et margaritis, et insertas catenas decem ex preciosis lapidibus. Tibi etiam dirigo infantulos Æthyopes centum, et intelligibiles aves psythacos ducentos, spinaas ducentas, rinocerotes octoginta, pantheras tria milia. pelles pardoleonum quadringentas, cantharas aureas triginta, vectes ex ebeno mille quingentos, elephantos quadringentos quinquaginta. Tu vero remanda nobis, si totum mundum subjugasti.* Inter legatos autem suos misit pictorem peritissimum, qui diligenter consideraret et depingeret figuram et formam Alexandri et afferret eam sibi. Quod et factum est. Unus autem ex filiis Candacis reginæ, cui nomen Candaulis, cum paucis equitibus abiit

ad tabernaculum Alexandri; custodes vero, qui vigilabant super exercitum, apprehenderunt eum, et duxerunt ad Ptholomeum, qui secundus erat ab Alexandro. Cui Ptholomeus ait : *Quis es tu?* Et ille : *Filius*, inquit, *sum Candacis reginæ.* At ille ait : *Quare huc venisti?* Qui dixit : *Exivi cum uxore mea exercere me cum paucis equitibus, et rex Bebrixorum, sciens pulchritudinem uxoris meæ, venit super me cum valida manu et abstulit eam michi, et quia volui me defendere, occidit etiam milites meos.* Cui Ptholomeus : *Expecta*, inquit, *interim.* Et exiliens de tabernaculo suo, abiit ad tabernaculum regis, et excitans eum, narravit ei omnia quæ audivit a juvene. Quo audito, surrexit Alexander, tollensque diadema capitis sui, coronavit Ptholomeum, et dixit ei : *Revertere in tabernaculum tuum, et sede in solio regali, et dic, quia tu sis Alexander, et precipe alicui homini tuo, ut faciat venire ad te quasi Antigonum hominem tuum veniatque ad me et adducat me quasi Antigonum, et dum venero recita michi còram ipso juvene quæcumque tibi dixit, et interroga me sub persona Antigoni, ut dem tibi consilium de hac re.* Et ita factum est. Dixit autem Alexander sub persona Antigoni : *Domine, si precipis, ego pergam nocte super ipsam civitatem et succendam eam igni, faciamque per vim reddi uxorem ejus.* Statim adoravit eum Candaulis, et dixit : *O sapientissime Antigone, optimum fuisset, ut tu rex Alexander esses.* Abiit autem Alexander hora noctis in silentio, et succendit civitatem illam. Evigilantes autem homines ipsius civitatis, clamaverunt dicentes : *Quid est hoc?* Alexander dixit : *Candaulis est cum plurimo exercitu, volens ut sibi reddatur uxor ejus; alioquin moriemini omnes per ignem.* Irruentes autem homines illi fregerunt portas palatii, et abstrahentes inde uxorem Candaulis, reddiderunt eam illi. Qui volvens se Alexandro dixit : *Mi karissime Antigone, rogo te, veni mecum ad matrem meam, quatinus tibi reddat digna meritis tuis.* Gaudens Alexander dixit : *Eamus ad Alexandrum, et postula me ab eo, et veniam tecum.* Significavit autem hoc antea Ptholomeo. Abiit ergo Candaulis et petiit eum ab eo; acceptaque licentia, abiit cum eo. Cum autem issent per viam, videns Alexander altos montes pertingentes usque ad nubes, miratus est, viditque excelsas arbores poma grandia portantes, et vites magnos botros habentes, in tantum ut homo unus non posset portare unum ex illis; vidit et nuces quæ erant sicut pepones, et dracones erant in ipsis arboribus et simiæ multæ. Post paucos dies cum venissent in civitatem Candacis reginæ, exiit ipsa foras obviam illis, longa et pulchra nimis, portans coronam auream, et excipiens eos benigne duxit in palatium suum, quod erat optimum, et fulgebat tectum ejus quasi esset aureum, lectisternia ejus ornata ex auro purissimo, triclinia ejus constructa ex lapide onichino, columnæ vero ipsius palatii erant ex ebeno; mensæ erant elephantinæ, fialæ ceteraque vasa ex lapidibus preciosis. Subtus ipsum palatium currebat fluvius, habens claritatem aquæ quasi ex auro. Illo itaque die comedebat Alexander cum filiis reginæ, altera vero die apprehendens eum Candacis per manum, introduxit eum in cubiculum, quod erat constructum ex lapidibus aureum colorem habentibus, lucebatque intus (f. 215) quasi sol ibi refulsisset, eratque ibi triclinium ex ligais asiptis, quæ non incenduntur ab igne, aliud quoque cubiculum super ligna maxima cum rotis, quod trahebatur a viginti elephantis. Hæc videns Alexander, miratus est, et dixit reginæ : *Istæ causæ ammiratione dignæ essent, si apud Grecos fuissent.* Irata regina dixit : *Veritatem dicis, Alexander.* Qui ubi nomen suum audivit, vehementer expavit. Cui illa ait : *Quare mutata est facies tua, quia vocavi te Alexandrum?* At ille ait : *Domina, Antigonus dicor, non Alexander.* At illa dixit : *Ostendam tibi, quia Alexander es.* Introduxitque eum in cubiculum suum, et monstrans ei imaginem suam, dixit : *Agnoscis hanc imaginem!* Ille autem cœpit tremere et pallescere. Et illa : *Quare mutatus est color tuus et expavescis, destructor totius Persidæ, destructor et Indiæ? Superasti Indos atque Parthos, modo sine militibus et sine aliquo conflictu cecidisti in manus reginæ Candacis. Unde scias, Alexander, quia nullo modo debet elevari cor hominis in elationem, qualiacumque sequantur eum prospera, ne cogitet in corde suo, quod non inveniat hominem fortiorem se, qui eum superabundet.* Ille autem cœpit stridere dentibus et tornare se in aliam partem. At illa ait : *Cur irasceris, et quare turbatus es? Quid nunc facere potest imperialis gloria tua?* Et ille inquit : *Irascor, quia non habeo gladium.* Illa dixit : *Et si haberes, quid faceres?* Ait : *Quia traditus sum tibi per meam voluntatem, primum occiderem te, postea memet ipsum.* Cui illa : *Et hoc sicut sapiens imperator dixisti. Veruntamen ne contristeris, quia sicut tu liberasti uxorem filii mei de manibus inimicorum suorum, sic ego liberabo te de manibus barbarorum, quibus si notum fuerit de adventu tuo, occident te, quomodo tu occidisti Porum regem Indorum, quia et uxor junioris filii mei filia est Pori regis.* Hæc dicens, exiit tenens Alexandrum per manum, et dixit filiis suis : *O fili Candaulis et tu, o filia Marpissa, demus aliquod bonum huic misso Alexandri.* Respondens alius filius ejus Carator dixit : *O mater, verum est quidem, quia direxit istum Alexander et liberavit uxorem fratris mei de manibus inimicorum suorum reddiditque sibi eam, sed uxor mea compellit me occidere hunc Antigonum pro Alexandro, quia ipse occidit Porum patrem ejus, ut recipiat dolorem pro eo Alexander.* Candacis dixit : *Quod nomen acquirimus, si hunc occiderimus?* Ad hæc respondit Candaulis : *Me iste salvavit, et uxorem meam michi reddidit; in fide adduxi eum huc salvumque restituam in locum suum.* Carator ait : *Quid est hoc quod dicis? Modo in isto loco moriemur ambo.* Candaulis dixit : *Ego nolo hoc; quod si tu vis, paratus sum.* Videns itaque Candacis, quia filii sui volebant se

invicem occidere, angustiata est, tollensque Alexandrum, secreto dixit : *Alexander, non ostendis in hoc aliquam sapientiam, ut non occidantur pro te filii mei?* Cui Alexander ait : *Dimitte me ire et loqui cum eis.* Qua permittente, abiit ad eos, et dixit : *Carator, si occideris me, habet Alexander rex multos milites meliores me, sed si vultis ut tradam vobis ipsum inimicum vestrum, date michi quod postulo : tantum ut pacifici sitis inter vos, et juro vobis, quia huc in palatium vestrum adducam Alexandrum.* Crediderunt ei fratres, et pacificati sunt, et dona multa ei promiserunt. Vocavit autem eum iterum regina Candacis occulte, et dixit ei : *Beata essem, si te cottidie præ oculis habere possem; per te quippe vicissem omnes inimicos meos.* Dedit ergo ei dona regalia, inter quæ coronam ex lapide adamantinam et bruniam et clamidem stellatam. Inde abiens, ivit in criptam quam monstravit ei Candaulis, dicens quod ibi comedissent dii. Igitur antequam ingrederetur fecit oblationem, et sic ingressus est, et vidit ibi caliginem magnam, et inter ipsam caliginem vidit lucentem stellam et apparitiones ydolorum, vidit et quosdam recumbentes, lucidos oculos sicut lucernas habentes, quorum unus dixit ei : *Ave, Alexander.* Cui ait : *Quis es tu, domine?* Et ille : *Ego sum Sesonchosis, regnum mundi tenens, et mundum subjugans, et faciens omnes subjectos, sed tamen michi non est nomen tale quale tu habebis in tua quam fabricaberis Alexandria. Ingredere tamen amplius, et videbis.* Et vidit iterum aliam caliginem, et quendam sedentem quasi in sede regali, cui dixit : *Quis es, domine?* Qui ait : *Nativitas deorum ego sum. Vidi te in terra Lybiæ et modo hic esse videris.* Cui Alexander ait : *Dic michi, quot annos victurus sum.* Ille respondit : *Hanc causam quam interrogas oportet ut nemo mortalium sciat, quia si cognitus fuisset homini dies mortis suæ, tanta tribulatio ei accideret, quasi cottidie mori deberet.* (F. 216.) *Facturus es civitatem, quæ gloriosa exstabit in toto mundo; ibi fabricabitur sepulchrum tuum, ibique requiescet corpus tuum.*

Exiens inde, venit ad milites suos, movensque exercitum, applicuit [213] ad Amazones, dirigens eis epistolam talem : *Rex Alexander Amazonibus gaudium. Pugnam quam cum Dario fecimus vobis non incognitam credimus, et quomodo expugnavimus Indiam aliasque gentes, quæ resistere nobis nullo modo potuerunt. Quapropter scribimus vobis, ut persolvatis nobis datum, quia non veniemus super vos aliquod malum vobis inferre.* Ad hæc rescripta sunt ista : *Amazones potentissimæ atque fortiores omnibus militiis Alexandro gaudium. Scripsimus et significavimus tibi, antequam venias in fines nostros, ut scias quomodo venias, ne forte patiaris turpitudinem. Scias, quoniam habitatio nostra est ultra fluvium in quadam insula, quam cingit ipse fluvius in gyrum non habens inicium neque finem, et ex una parte habemus angustum introitum. Sunt inter nos quæ a viris sunt intactæ* 214000; *viri enim nullo modo habitant inter nos; sed ultra fluvium in alia parte. Per unumquemque annum celebramus festivitatem Jovis per triginta dies, et sic transimus videre viros nostros, et gaudent nobiscum triginta diebus. Si quis vult in lætitia manere cum uxore sua, tenet eam per unum annum. Quod si mulier impregnata peperit masculum, tenet eum pater secum, et si feminam peperit, nutrit eam pater per annos septem, postea reddet eam matri suæ. Cum autem pugnaturæ venerimus cum aliquo, sumus numero decies dena milia equitantes, aliæ autem custodiunt insulam nostram; et obviamus inimicis nostris usque ad ipsos montes; viri autem nostri insecuntur post nos, et cum reversæ fuerimus cum victoria, adorant nos viri nostri. Si qua ex nobis ceciderit, hereditabunt eam quæ supervixerint. Ecce significavimus tibi consuetudinem nostram quam facimus omni anno; tu autem considera et fac quod oportet, et scribe illud nobis. Quod si pugnare volueris, ad ipsos eximus obviam tibi; oportet enim ut stemus et pugnemus adversum vos. Si autem viceritis nos, nullam habebitis laudem, quia feminas vicistis, sed et quod tollatis a nobis non invenietis. Unde cave, imperator, ne quid tibi adversi contingat.*

Legens Alexander epistolam hanc, risit, et ita rescripsit : *Tres partes mundi apprehendimus, et victoriam fecimus; unde si vobis resistentibus non pugnaverimus vobiscum, turpe erit nobis. Attamen do vobis consilium. Si vultis perire et dimittere terram vestram ut non habitetur amplius, venite sicut dixistis obviam nobis ad montes. Si autem non vultis perire, ingredimini fluvium, et sic loquamur in unum. Juro autem vobis per deos, quia nullum malum patiemini a nobis. Equites autem feminas quantas vultis dirigite nobis, et donabimus singulas, et post tempus dimittemus eas redire in terram suam. Datum autem quod vultis date nobis. Considerate ergo et scribite nobis.* Illæ autem considerantes, direxerunt ei poledros decem et caballos blancos, et inde profectus est. (Oros. III, 13.) Legitur tamen quod Halestris sive Minothea procax Amazon cum 300 femnis ad eum venerit, gratia suscipiendæ ab eo sobolis excitata. (*Epist. ad Aristot.* Cod. Bamb. f. 229.) Cum autem perveniret Alexander ad portas Caspias, et miraretur terram illam quia erat bona, cognovit ibi aliqua quæ sibi videbantur odiosa. Erant enim in ipsis locis diversi serpentes et bestiæ, de quibus dixerunt homines loci illius ut caverent se. Tulit autem centum quinquaginta peritos locorum qui sibi ducatum preberent, et perrexit cum omni exercitu mense Augusto per ardentissimum solem et per arenosa loca, promittens premia ductoribus, si illum salvum ducerent. Pervenerunt autem in Bactriacen, ubi sunt gentes quæ dicuntur Seres, et sunt ibi arbores habentes folia velut lanam, unde homines

VARIÆ LECTIONES.

[213] venit et a. 5.

illius terræ faciunt sibi vestes. Sed et duces itineris collegerunt ex ea. Quadam vero die dum iter agerent, cœperunt sitim habere majorem. Quam cum Alexander sufferre non posset, quidam miles Zephilus nomine invenit aquam in petra cavata, de qua implevit cassidem suum et attulit regi, plus diligens ejus vitam quam suam. Ille autem convocans exercitum, coram omnibus fudit ipsam aquam in terram, ne, dum videret exercitus quod ille solus biberet, plus sitire inciperet. Laudavit autem bonitatem Zephili quam habuit in eum, et optima dona dedit ei. Confortatus vero de hoc exercitus cœpit ire. Apparuit autem non longe flumen in deserto, in cujus ripa erant cannæ altæ sexaginta pedibus et grossæ sicut pinus, ex quibus fiebant tabulæ ad faciendas casas. Ibi ergo posuerunt castra. Cumque ex eadem aqua bibere vellent, erat amara sicut fel. Angustiabatur itaque rex plus de animalibus quam de hominibus, quia illa sitim temperare minus noverant, (f. 230) milites autem alii lingebant ferrum, alii bibebant oleum, alii vero ad tantam pervenerant necessitatem, ut urinam suam biberent. Pergentes igitur juxta ripam ejusdem amari fluminis, circa octavam diei horam venerunt ad castellum unum, in insula ejusdem fluminis positum, quod ex predictis cannis erat ædificatum. Ibi viderunt paucos homines nudos, qui statim ut exercitum viderunt, absconderunt se. Alexander autem volens loqui cum eis ut aquam sibi ostenderent, cum nullus eorum appareret, jussit paucas jactari sagittas, ut vel propter timorem sagittarum exirent ; sed illi plus se absconderunt. Tunc misit in ipsum flumen ducentos ex Macedonibus cum levibus armis. Qui cum jam quartam partem fluminis pernatassent, ecce de profundo emerserunt yppotami [214] fortiores quam elephanti, et videntibus ceteris et plangentibus, devoraverunt eos. Yppotami autem medii sunt homines et medii caballi. Iratus autem Alexander in eos qui exercitum per talia loca [215] ducebant, jussit centum ex eis mitti in flumen, et cœperunt ypppotami ebullire sicut formicæ, et devoraverunt eos. Inde moti, ad undecimam diei horam viderunt in ipso flumine homines in naviculis rotundis de canna factis, et interrogaverunt eos, ubi aquam dulcem invenirent. Qui indicaverunt eis lacum dulcis aquæ in ante reperiendum. Ibant ergo tota nocte fatigati de siti, et erat eis angustia, quia omnes ibant armati. Occurrebant autem eis leones, ursi, tygrides, et per totam noctem pugnabant cum eis. Alia vero die, cum jam lassi essent, hora quasi octava pervenerunt ad ipsum lacum. Posuerunt itaque ibi castra in longitudine et latitudine ad tria miliaria ; lacus vero erat spaciosus ad miliarium unum. Tunc locaverunt elephantos in media parte castrorum, ut continere se posset exercitus, si quid eis nocte superveniret, et incidentes silvam quæ erat circa lacum, faciebant focos mille quingentos, horaque undecima cœnaverunt. Cumque luna lucere inciperet, subito venerunt scorpiones et serpentes aliæque feræ bibere de ipso lacu, et tota terra illa resonabat de sibilis serpentium. Ponebant ergo milites scuta in fronte castrorum per ordinem, et tenebant lanceas in manibus, et sic recipiebant serpentes contra se venientes, et aliquantos occiderunt ex eis. Recedentibus autem serpentibus circa terciam noctis horam, cum jam sperarent se requiem habituros, ecce de montibus veniebant alii serpentes columnis grossiores, erectis pectoribus, apertis buccis, de quorum [oculis [216]] scintillabat venenum, alitusque eorum erat mortifer ; cum quibus pugnabant plus quam unam horam noctis, et occisi sunt ab eis triginta servi et viginti milites. At postquam recesserunt serpentes, venerunt cancri, habentes dorsa dura sicut cocodrilli, quæ jactis lanceis perforata non sunt ; multos tamen ex illis occiderunt in igne, reliqui intraverunt lacum ipsum.

(F. 231.) Jam venerat quinta vigilia noctis, et requiescere volebat exercitus, et ecce venerunt leones albi majores tauris, et concutientes cervices suas, cum murmuratione magna fecerunt impetum in eos ; ipsi autem exceperunt eos venabulis suis, et mortui sunt. Post hæc venerunt porci miræ magnitudinis, habentes diversos colores, et cum illis similiter pugnaverunt. Interea apparuit bestia una similis caballo, major elephanto, tria habens cornua armata, vidensque castra, antequam biberet de lacu, dedit impetum in castra, resistentibusque militibus, occidit ex ipsis viginti quatuor, quinquaginta conculcavit ; tamen occiderunt eam. Deinde venerunt et vespertiliones, sicut et supra scriptum est, quasi columbæ, habentes dentes sicut homines, et feriebant milites in facies suas, et plagas eis inferebant. Venerunt et surices sicut vulpes, et quæcumque animalia mordebant, statim moriebantur, homines autem ex morsibus eorum non mortui sunt. Appropinquante autem luce venerunt aves similes vulturibus, habentes colorem rubicundum, pedes vero et rostra nigra, et impleverunt totam ripam laci, et extrahentes pisces de lacu comederunt, homines vero non nocuerunt. Iratus autem Alexander contra duces viæ, fecit eis abscidi manus et pedes, ut vivi a serpentibus comederentur, hortatusque est milites, ut fortes essent nec in adversis sicut feminæ deficerent.

(F. 232.) Motis inde castris, Alexander tetendit usque ad mare, probare volens, si posset orbem circuire per oceanum, et quoniam homines loci illius dicebant tenebrosa ibi loca, et quod Hercules et Liber non ausi essent ad illas partes accedere, ordinavit sinistram partem Indiæ circuire, ut non esset locus sibi incognitus. Invenerunt autem paludem siccam, quæ habebat cannas multas, per quam cum voluissent transire, exivit inde bestia similis

VARIÆ LECTIONES.

[214] yppotami 1. *sæpius quod an* yperpotami *legendum sit dubito.* [215] loco 1. [216] *ita cod. Bamb Hist. Alex.; deest* 1. *rell.*

yppotamo, habens pectus sicut cocodrillus, et in dorso gestabat quasi serram, dentes habens fortissimos, subitoque occidit de militibus duos, nec potuit transforari lanceis ; cum malleis tamen ferreis occiderunt eam.

Deinde venientes ad ultimas Indiæ silvas, posuerunt castra in longitudine miliariorum sex, in latitudine vero duorum et dimidii, prope fluvium qui dicitur Bucmar. Erat autem hora diei undecima. Et cum jam cœnare vellent, ecce subito veniebant pastores et qui ligna trahebant, nunciantes quod multitudo elephantorum de silva venirent super eos. Alexander vero precepit equitibus de Thessalia, ut tollerent secum porcos et occurrerent eis in equis, sciens quod grunnitum porcorum timerent elephanti, sicque fugati sunt. Milites autem sonantibus buccinis persecuti sunt eos, et subnervantes eos, occiderunt ex eis nongentos octoginta, et tulerunt ex eis dentes et cornua, et redierunt in castra, illamque noctem habentes quietam, alia die cœperunt ire in alias partes Indiæ. Invenientes autem campos patentes, viderunt ibi homines masculos et feminas nudos, quorum longitudo erat novem pedum, et habebant consuetudinem et in terra et in fluminibus morari. Nam dum quidam de exercitu vellent ire ad eos, subito immerserunt se in flumine.

Deinde venerunt in silvam de cinocephalis plenam, hoc est hominibus canina capita habentibus. Qui cum eos percutere vellent, cum sagittis eos fugaverunt. Post hæc dicentibus illis qui cum eis erant de terra illa, quod nichil jam novi reperturi essent, ceperunt redire in Fasiacen, unde venerunt, precepitque Alexander, ut tenderentur castra per 12 miliaria. Cumque omnia tentoria jam erecta essent et multi foci accensi, subito tanta vis euri flare cœpit, ut omnia tentoria dejiceret, animalia quoque multum vexarentur, quia scintillæ de focis dorsa eorum feriebant eisque valde nocebant. Colligentes ergo tentoria, invenerunt vallem quandam, ibique castra locabant : sed ceciderant nives magnæ sicut lana. Alexander vero timens ne multum crescerent nives in castris, præcepit militibus ut conculcarent eas, et tamen multi ex (f. 233) nivibus extincti sunt, quingenti scilicet milites, qui et ibi sepulti sunt.

Venerunt post hæc ad speluncam ubi Liber pater jacebat, dictumque est, si aliquis in eandem speluncam intraret, quod tercia die febre periret. Tunc quosdam dijudicatos ibi miserunt, et ut dictum est esse invenerunt.

Cumque jam apprehenderent viam eundi in Fasiacen, occurrerunt eis duo senes, quos interrogavit Alexander, si quid novi scirent sibi demonstrare. Qui dixerunt, mirabilem causam se scire, sed viam longam esse, scilicet decem dierum, iter quoque angustum et aquas multas et loca serpentibus plena. Cumque blando sermone sciscitaretur quid esset illud tam magnum, unus ex eis cum gaudio dixit : *Videbis, rex, duas arbores, unam solis, alteram lunæ, et arbor solis loquitur Indica lingua, arbor vero lunæ loquitur Greco sermone, et ab ipsis poteris scire quæ tibi debeant evenire.* Cumque rem tam incredibilem audiret, cogitans quod per jocum talia dicerent fecit eos male tractari, dicens : *Sic pervenit gloria mea ab occidente in orientem, ut isti senes de me risum faciant ?* Illi autem affirmabant jurando, quod nullam fallaciam dicerent, sed verum esse quod dicebant ostenderent. Rogabant igitur eum amici ejus et comites, ut nullo modo pretermitteret videre talem causam. Tulit ergo 30000 equitum secum, mittensque ceterum exercitum in Fasiacen cum omnibus divitiis quas collegerat, ipse cum delecta juventute secutus est senes illos per loca dura et districta. Venientes autem ubi arbores erant, viderunt locum largum et thure et opobalsamo plenum ; est enim ibi silva ubi hæc nascuntur, et homines loci illius his nutriuntur. Intrantes itaque locum sacratum, invenerunt sacerdotem loci ipsius, cujus statura erat plus decem pedibus, et habebat corpus nigrum, dentes caninos, et ex auribus ejus perforatis pendebant gemmæ. Quem cum salutasset Alexander, interrogavit eum, pro qua causa veniret. Ille vero ait : *Veni, ut videam sacras arbores solis et lunæ.* Barbarus respondit : *Si mundus es a fornicatione, licet ut intres divinum locum.* Secuti sunt autem regem ex amicis suis trecenti, quibus precepit sacerdos, ut deponerent anulos et calciamenta. Erat autem hora diei undecima, et exspectabat sacerdos donec occideret sol ; nam dicebat eum tunc solere loqui et responsum dare, itemque de arbore lunæ dicebat, quod oriente et irradiante luna ipsa daret responsum. Igitur cœperunt deambulare per ipsam silvam, quæ erat muro inclusa, et viderunt opobalsamum largissime currere de ramusculis arborum. In media vero silva erant arbores similes cypressis, altæ pedibus centum. Cumque miraretur Alexander de illarum altitudine [217], et diceret quod de nimia pluvia tantum crescerent, (f. 234.) dicebat sacerdos, nunquam in illum locum pluere, neque avem neque feram neque serpentem in ipsos terminos intrare, quia antiquitus a majoribus Indorum locus ille consecratus esset soli et lunæ. Voluit autem Alexander immolare victimas ; sed prohibuit eum sacerdos, dicens, non licere in ipso loco quodcumque animal occidere aut incensum de thure facere ; tantum osculantur ipsas arbores, et rogarent solem et lunam, ut vera sibi responsa darent. Post hæc viderunt radios solis resplendere sursum in cacuminibus arborum, et sacerdos ait : *Sursum respicite, et de qualicumque causa interrogare quis voluerit, cogitet in corde suo, palam non dicat.* Tunc cum magna cura cœperunt respicere, ne forte inter ramos arborum pica aut psithacus esset, quia solent humanam exprimere vocem. Cumque nil fraudis viderent, cœpit Alexander cogitare in animo suo, si

VARIÆ LECTIONES.

[217] altitudinem I.

triumphans reverti posset in patriam suam ad matrem et sorores karissimas. Cum subito arbor Indico sermone respondit : *Sicut interrogasti nomen meum, Alexander, eris dominus orbis terrarum, sed vivus in patriam non reverteris, quoniam fata sic diffinierunt de te.* Cumque ille interrogaret Indos quos secum adduxit, interpretati sunt ei sermonem. Tunc tres fidelissimi ejus amici Perdicca et Clyton et Phylotas ceperunt plangere super hac responsione. Vespere autem veniens rex ad interrogandum arborem lunæ, cum stetisset juxta arborem, interrogavit, ubi mori deberet. Et ubi splendor lunæ tetigit arborem, respondit arbor et dixit Greco sermone : *Plenum jam finem ætatis habes, Alexander, sed isto anno adveniente Maio in Babylone morieris, deceptus a quo minime speras.* Tunc plangere cœpit, similiter et amici ejus, et exiens inde tristi animo comedere noluit. Rogatus autem ab amicis ut non affligeret corpus jejunio, contra voluntatem suam manducavit modicum, et collocavit se in ipso sacro loco, ut paratus esset quando primum sol exiret. Alia die valde diluculo surrexit, et amicos suos excitavit ; sacerdos autem involutus pellibus jacebat, et ante illum posita erat in tabula de ebeno magna gleba de libano, quæ illi de cœna remanserat Excitato itaque sacerdote, tercia vice intravit ad interrogandum, et dixit : *Dic michi, sacratissime arbor, cujus manus me occidere debeant, et quali morte mater mea et sorores meæ morituræ sint.* Arbor Grece dixit : *Si dixero tibi quis te occisurus sit, occides eum, et ita mutabitur quod de te fata ordinaverunt, et irascentur michi tres sorores Cloto, Lachesis, Atropos, eo quod impedimentum ei fecerim*[218] *quod illi statuerunt. Igitur post annum unum et octo menses Babylonie morieris, non per ferrum sicut putas, sed per venenum ; mater tua turpissima morte morietur, et non sepelietur, sed aves et feræ comedent illam, sorores tuæ bene sese habebunt, tu autem in parvo tempore dominus eris terrarum. Nunc vero noli plus interrogare nos, sed exi de loco isto, et revertere in Fasiacen.* Sed et sacerdos monuit eum ut abiret, dicens, quod de planctu et ululatu amicorum ejus irascerentur. Alexander itaque rediens dixit militibus suis, ut nulli dicerent quod audierunt, sed in fide sua conservarent illud.

Deinde venerunt ad vallem quandam, in qua erant serpentes habentes in collo lapides qui smaragdi dicuntur, sed non permittunt aliquos transire vallem ipsam. (F. 225.) Vivunt autem ipsi de lasere et pipere albo, et singulis annis pugnant inter se, et multis morientibus solvuntur smaragdi, sicque colliguntur ; unde et milites Alexandri aliquos tulerant, qui magnam formam habuerunt. Inde per magna pericula venerunt in locum, ubi erant bestiæ habentes capita sicut porci, caudas sicut leones, ungulas duas in latitudine sex pedum, cum quibus milites feriebant multum. Mixti eis erant et griphes, qui fortiter feriebant rostris suis militum facies ; sed cum sagittis et contis defendebant se. Perierunt tamen in eo certamine milites ducenti et octo.

Inde venerunt ad flumen quoddam influens oceano, latum miliariis duobus et dimidio, in cujus ripa erant cannæ tam altæ et grossæ, ut vix triginta homines possent unam portare, ex quibus facientes naves, transierunt flumen, et invenerunt ibi homines vestitos pellibus ballenarum, qui dederunt eis spongias albas et purpureas et conchas marinas capientes duos aut tres congios, dederunt et tunicas ex vitulis marinis factas, et coeleas quæ capiebant sextarium ; posuerunt quoque ante eos vermes, quos traxerunt de ipso flumine grossos sicut coxa hominis, quorum sapor erat melior omni pisce ; dederunt et fungos rubicundos et murenas pensantes ducentas quinquaginta libras, dicentes, quod adhuc fortiores essent in oceano. Erant autem in eodem flumine feminæ capillatæ, quæ cum viderint extraneos homines in ipso flumine natantes, apprehendunt illos, et aut suffocant illos in eodem flumine, aut trahunt eos inter cannas riparum, et quia ipsæ sunt nimium formosæ, faciunt illos secum tam diu concumbere, quousque sine anima remaneant, aut nolentes pre nimia ira occidunt. Milites vero Alexandri apprehenderunt ex eis duas, quæ erant albæ sicut nix, habentes capillos longos per dorsa sparsos.

Abeuntes inde, venerunt in locum, ubi erant feræ, de quarum capitibus exstabant ossa serrata, sicut gladius acuta, cum quibus feriebant milites fortiter, et multos clypeos perforabant, et occiderunt ex eis usque ad octo milia quadringentos quinquaginta, sicque cum multo labore magnoque periculo pervenerunt in Fasiacen. Ibi precepit Alexander militi suo Alconi, quem preposuerat in Perside, ut in Babylonia et in Perside statueret duas statuas de auro fusiles, altitudine viginti quinque pedum, et in ipsis scriberet omnia facta sua, et in ultima India, ubi erant centum statuæ in honore Liberi et Herculis positæ, erigeret idem Alcon statuas aureas quinque altitudine pedum decem in honore suo. (Oros. III, 19.) Post peragratam itaque Indiam et perdomitam Alexander cum ad saxum miræ asperitatis et altitudinis, in quod multi populi confugerunt, pervenisset, et cognovisset Herculem ab expugnatione saxi ejusdem terræ motu prohibitum, æmulatione permotus ut Herculis facta superaret, cum summo labore ac periculo potitus saxo, omnes illius loci gentes in deditionem accepit, Nisam urbem adiit, Dedalios montes regnumque Cleophilis reginæ expugnavit ; quæ cum se dedisset, concubitu regnum redemit.

(Oros. III, c. 20.) Subacto igitur omni oriente, Babyloniam celeriter rediit, ubi eum exterritarum totius orbis provinciarum legati opperiebantur, scilicet Kartaginensium totiusque Africæ civitatum, Hyspanorum et Gallorum, Siciliæ Sardiniæque, plu-

VARIÆ LECTIONES.

[218] *deest* I.

rinæ quoque partis Italiæ. Tantus enim timor constituti in summo oriente ducis populos ultimi occidentis invaserat, ut inde peregrinam cerneres toto mundo legationem, quo vix crederes pervenisse rumorem. (*Hist. Alex.*) Erat autem ex principibus ejus quidam Antipater, habens duos filios Cassandrum et Yolum, quorum Yolus pincerna erat regis. Hic ergo Antipater absente Alexandro multa contra eum clam moliebatur, (Col. 217) de quibus mater ejus Olympias multis vicibus scripserat ei et angustiabatur. Cum autem moraretur Alexander Babyloniæ, misit Antipater ad maleficum quendam, egitque cum eo, ut daret sibi venenosam potionem. Qui fecit ei talem potionem, ut non esset vas quod sustineret illam. Fecit ergo cantharellam ferream et misit potionem in eam, dansque filio suo Cassandro, direxit eum in servicium Alexandri, precipiens ut loqueretur fratri suo Yolo, quatinus potionem illam daret Alexandro. Accidit autem illo in tempore, ut percuteret Alexander Yolum in caput, non habentem culpam. (F. 218.) Unde juvenis dolore commotus, accepit potionem animo grato. Cum autem sedisset Alexander in convivio cum principibus ac militibus suis, cœpit lætari et jocundus esse ultra modum. In medio autem convivio cum amplius ampliusque lætaretur multaque ad convivas loqueretur, subito petiit sibi dari potum. Yolus infector tanti mali porrexit ei venenum. Quod cum bibisset, subito exclamavit voce magna, quasi aliquis misisset lanceam in jecur ejus. Paululum autem continens se et sufferens dolorem, surrexit a convivio, rogans principes a: milites sedere et comedendo ac bibendo lætari. Illi vero turbati, surrexerunt a mensa, steteruntque forinsecus, ut viderent eventum rei. Alexander autem volens vomere, quesivit pennam, ut mitteret in guttur suum ad provocandum vomitum; Yolus vero inveniens pennam, linivit eam veneno, et porrexit illi. Quam cum ille in guttur mitteret, magis ac magis urgebat eum venenum, totamque noctem illam duxit insomnem. Altera vero die cum sensisset se positum in malo, convocavit omnes milites suos, et ammonuit eos, ut bene et pacifice inter se viverent. Facta vero nocte, precepit omnes exire de cubiculo, simul et Roxani uxorem suam. Cumque omnes exissent, precepit cuidam familiari suo ut aperiret regiam (211) quæ erat super descensum fluvii Eufratis, et cum nemo ibi esset, erexit se de stratu suo media nocte, et exstinxit lucernam, et quia non valebat erectus ire, manibus pedibusque reptavit per terram ad flumen, ut mergeretur in eo. Roxani autem uxor ejus vigilans, et videns eum tendentem ad flumen, secuta est eum cursu velocissimo, et cum jam prope flumen se advolveret, amplexata est eum, dicens : *Heu me miseram, ut quid vadis temeti sum occidere ?* Cui ille : *Oro te, Roxani, nemo sciat finem meum, cum tu non fueris digna gaudere mecum.* Quæ quamvis invitum reduxit eum ad lectum suum, dicens : *Si venit finis tuus, ordina primum de nobis.* (F. 117.) Statim fecit venire notarium, et ordinavit testamentum : *Si Roxani uxor mea genuerit ex me filium, ipse teneat regnum, et imponatur ei nomen quod principibus placuerit. Si autem filiam genuerit, eligant sibi Macedones regem quem voluerint. Custos corporis mei et gubernator Ægypti Ptholomeus erit.* Aliarum quoque provinciarum dispositionem fecit, easque pueris suis, prout voluerit dum adhuc viveret, divisit, quas divisiones quia diverse scriptas reperi, velut incertas pretermisi. (F. 218'.) Diffamatum est autem per cunctum populum, mortuum esse Alexandrum. Mox cuncti Macedones vociferati sunt, dicentes cubicullariis : *Scitote, quia omnes vos occidemus, nisi demonstraveritis nobis dominum nostrum.* (F. 219.) Ille autem audiens et cognoscens eorum perturbationem, precepit, ut tollerent eum cum ipso lecto in quo jacebat, et ponerent eum in eminentiori et spacioso loco, ut posset videri ab omnibus; et sedens in lecto, percussit pectus suum, flens amariter, et voce magna clamavit : *Heu me, Alexander moritur, et Macedonia minuetur ! O Macedones, nomen vestrum amodo super barbaros non dominabitur.* Tunc dixerunt Macedones omnes qui asstabant : *Melius fuerit nobis omnibus mori tecum, quia post mortem tuam non stabit Macedoniæ regnum.* Post hæc mortuus est Alexander, et posuerunt eum in currum suum, duxeruntque a Babylonia in Alexandriam. Ptholomeus autem, filius Lagi, pergebat ante currum ejus, plorans et dicens : *O fortissime Alexander, non occidisti tantos in vita tua, quantos in morte tua.* Fuerunt autem dies vitæ ejus 33, regni vero 12, sex ante destructionem regni Persarum, in septimo interfecto Dario illud destruxit, quinque postea regnavit *.

*Add. 5. Condidit autem urbes 12, quas omnes suo de nomine Alexandrias nuncupavit, Alexandria quæ condita est sub nomine Bucefali equi, Alexandria montuosa, Alexandria apud Porum, Alexandria in Scithia, Alexandria Babylonis, Alexandria apud Massagetas, Alexandria apud Ægyptum, Alexandria apud Origala, Alexandria apud Granicum, Alexandria apud Troadem, Alexandria apud Tigridem fluvium, Alexandria apud Xantum. Insignivit ergo earum muros primorum quinque elementorum uti legeretur in eis : *Alexander rex, genus Jovis, fecit, A. B. Γ. Δ. H.*, vel aliis litteris α. Ρ. C. Η. Θ. Et quem orbis universus ferro superare non potuit, vino et veneno superatus atque extinctus occubuit.

(Beda.) Igitur [219] post mortem Alexandri cum multi sibi succederent, obtinuit Ptholomeus Ægyptum, Philippus, qui et Arideus, frater Alexandri, Macedoniam [220], Seleucus, qui et Nicanor, Syriam et Babyloniam et regna orientis, Antigonus Asiam

VARIÆ LECTIONES.

[219] *Hic pergit* 10. [220] macedoniam — orientis *c corr.* 1.

NOTÆ.

(211) I. e. januam.

ceteri quique loca sibi distributa. (Oros. III. 23.) Sed diversas sortiti provincias, mutuis se bellis consumpserunt, et per totum Macedoniæ regnum, hoc est per universam Asiam et plurimam Europæ partem vel maximam Lybiæ, horrendi subito bellorum globi confluxerunt. Causa vero et origo bellorum epistola fuit Alexandri regis, qua precepit omnes exules patriæ libertatique restitui. Potentes autem civitatum Greciæ timentes ne exules, recepta libertate, ultionem meditarentur, a regno Macedonum defecerunt, primumque Athenienses, contracto triginta milium exercitu et ducentis navibus, bellum cum Antipatro, cui Grecia obvenerat sorte, gesserunt. Post hæc bellum inter Antigonum et Perdiccam oritur gravissimum, multisque provinciis et insulis ob auxilia vel negata vel prestita dilaceratis, diu deliberatum est, utrum in Macedoniam belhum transferretur an in Asia gereretur, novissime Perdicca Ægyptum cum exercitu ingenti petiit. Sic Macedonia, in duas partes discurrentibus ducibus, in sua viscera armatur. Ptholomeus Ægypti viribus et Cyrenensibus copiis instructus, occurrere Perdiccæ bello parat, Perdicca vero cum Ptholomeo acerbissime congressus, amissis copiis, ipse quoque interfectus est. Olimpias vero, Alexandri mater, post plurimas principum cædes per Cassandrum interfecta est; Hercules, Alexandri filius, cum matre Roxani in custodia positus, cum jam quatuordecim esset annorum, ab eodem Cassandro interfectus est. Antigonus autem cum filio Demetrio congressus contra Ptholomeum et Cassandrum atque Lysimachum, qui Seleuci societate fulti erant, prælio victus est. Ptholomeus iterum cum Demetrio navali prælio conflixit, et cum omnem pene classem atque exercitum perdidisset, victus in Ægyptum refugit. Hac victoria elatus Antigonus, regem se una cum Demetrio filio suo appellari jussit. Quod exemplum omnes secuti, regium sibi nomen dignitatemque sumpserunt. Igitur Ptholomeus et Cassander ceterique alterius factionis duces, cum decipi se ab Antigono singillatim viderent, per epistolas se invicem confirmantes, coeundi in unum tempus locumque condicunt, et bellum adversus Antigonum communibus viribus instruunt. Cassander finitimorum bellis implicitus, Lysimachum clarissimum inter omnes ducem cum ingenti manu pro se sociis in auxilium misit, Seleucus quoque ex Asia majore discedens, novus Antigono hostis [221] accessit. Hic itaque Seleucus pluriana per orientem inter socios regni Macedonici [222] bella gessit, principio Babyloniam expugnavit, Bactrianos novis motibus assurgentes perdomuit, transitum deinde in Indiam fecit, quæ post mortem Alexandri, velut detracto excussoque cervicibus jugo, prefectos ejus occiderat. Adunatis itaque Ptholomei sociorumque illius copiis, pugna committitur, cujus quanto potentior apparatus, tanto ruina gravior fuit. Nam in ea tunc totius pene Macedonici A regni vires conciderunt. In ipso bello Antigonus occisus est. Sed finis belli hujus inicium fuit alterius. Nam cum victoribus de preda non conveniret, iterum in duas factiones deducuntur, Seleucus Demetrio, Ptholomeus Lysimacho jungitur. Cassandro defuncto, filius ejus Philippus succedit, sicque quasi ex integro nova Macedoniæ bella nascuntur. Antigoni filius Demetrius, augmento Greciæ et totius Macedoniæ elatus, in Asiam transire disponit. Ptholomeus autem et Seleucus et Lysimachus experti priori certamine, quantæ vires essent concordiæ, iterum societate pacta adunatisque exercitibus, bellum in Europam transferunt adversus Demetrium. His se comitem et belli socium Pyrrhus rex Epyri jungit, sperans Demetrium Macedonia posse depelli. B Nec spes frustra fuit; quippe corrupto ejus exercitu ipsoque in fugam acto, regnum Macedoniæ Pyrrhus invasit. Lysimachus autem, qui Ellespontum regebat, post interfectionem generi sui et necem filii assiduis parricidiis cruentatus, a militibus propriis deseritur, qui ad Seleuchum transeuntes hortati sunt eum, ut Lysimacho bellum inferret. Res namque fedissimi spectaculi erat. Duos quippe reges, quorum Lysimachus annorum erat 74, Seleucus autem 77, de eripiendis alterutrum regnis concurrere, in acie stare, arma gerere. Ultimum hoc quidem bellum Alexandri commilitonum fuit, quod ad exemplum humanæ miseriæ fuerat reservatum, quippe cum orbem terrarum, exstinctis jam 34 Alexandri C ducibus, soli possiderent, et angustissimos senectutis ac vitæ suæ terminos non asspicientes, angustos esse imperio suo totius mundi terminos arbitrarentur. (Hier.) Seleucus quippe, capto jam antea Demetrio in Sicilia, regnum Asiæ destruxit, et ex duobus unum fecit. (Oros. *l. l.*) In hoc autem bello Lysimachus, amissis vel interfectis prius quindecim liberis ante hanc pugnam, postremus occisus est, sicque Lysimachus solutio pugnæ Macedonicæ fuit. Sed nec Seleucus quidem de tanta victoria impune lætatus est; nam neque ipse post septuaginta septem annos quietem naturalis mortis invenit, sed extortam sibi infeliciter vitam velut immatura morte finivit. Insistente quippe Ptholomeo, cujus sororem Lysimachus in matrimonio habuerat, insidiis circumventus occisus est. Hæc sunt inter parentes, filios, D fratres ac socios consanguinitatis societatisque commercia, quibus orbem Alexandre celeriter ac fortiter acquisitum annis quatuordecim dilaniaverunt, et veluti opimam predam a magno leone prostratam avidi catuli discerpserunt, seque ipsos invicem irritantes, in rixam prædæ emulatione consumpserunt.

(*H. m.*) Anno ab urbe Roma condita 422°, qui est Alexandri Magni quintus [223], Alexander rex Epyrotarum, hujus Magni Alexandri avunculus, trajectis in Italiam copiis, cum bellum Romanis inferre pararet, a Samnitibus, qui Lucanis suffragabantur, ma-

VARIÆ LECTIONES.

[221] hosti l. [222] r. m. *e corr.* l. [223] *e corr.* l.

ximo bello in Lucania victus et occisus est. Post hæc Romani jam potentes esse cœperunt, bellumque in centesimo et octogesimo fere miliario ab urbe cum Samnitibus Papirio dictatore gesserunt, ubi Fabius Maximus magister equitum absente Papirio felicissime dimicavit et 20000 Samnitum delevit. Postea Samnites circumspectiori cura instructo exercitu, apud Caudinas Furculas angustiis locorum armisque conclusos Romanos, Tito Biturio et Spurio Postumio consulibus, ingenti dedecore vicerunt, quorum dux Pontius pro magna securitate victoriæ Herennium patrem suum consuluit, utrum clausos occideret an parceret victis. Ut vivos tamen dedecori servaret, elegit. Universum quippe Romanum exercitum turpiter captum, armis vestimentisque nudatum, vilioribus vestimentis tantum ob verecundiam corporum tegendam concessis, longum ordinem victoriæ agere precepit, sexcentisque Romanis equitibus in obsidatum acceptis, consules ignominia oneratos remisit, sub tali conditione pacis, qualis Samnitibus placuit. Sed si fidem fœderis Romani servassent, aut hodie non essent, aut Samnitibus subjacuissent. Posteriori siquidem anno jubente senatu fidem solvunt, eosque Papirio consule in bellum cogunt, nec ante cedi vel cedere desierunt, quam victis Samnitibus capto que duce eorum cum septem milibus, jugum eis reposuerunt. Eo tempore Appius Claudius censor aquam Claudiam urbi induxit et viam Appiam stravit. Post hæc Samnites reparato bello Quintum Fabium Maximum vicerunt, C tribus milibus hominum occisis. Postea cum pater ejus Fabius Maximus legatus datus fuisset, et Samnites vicit, et plurima ipsorum oppida cepit. Deinde Publius Cornelius Rufinus et Marcus Curius Dentatus, ambo consules, contra Ramentas [224] missi, ingentibus præliis eos confecere, ita ruinas ipsas urbium diruentes, ut hodie Samnium in ipso Samnio requiratur nec facile inveniatur. Tunc bellum cum Samnitibus per 49 annos actum sublatum est, neque ullus hostis fuit intra Italiam, qui Romanam virtutem magis fatigaverit.

(Hier. *in Dan.* c. x.) Post Alexandrum Ptholomeus, Lagi filius, regnavit Alexandriæ primus annis 40, a restauratione templi anno 198. Iste fuit vir prudentissimus, ditissimus quoque ac fortissimus, D tantæque potentiæ, ut Pyrrhum regem Epyrotarum regno depulsum restitueret, Cyprumque ac Phenicem multasque urbes et insulas ac regiones obtineret, et victo Demetrio, filio Antigoni, Seleuco partem regni sui, quæ ab Antigono fuerat ablata, restitueret. (Hier.) Hic, Hierosolima et Judæis dolo subactis, multos ex eis iterum in Ægyptum transtulit, quos tamen postea benigne tractavit. Hujus tempore princeps sacerdotum Hierosolimis Onias, Jaddi filius, fuit; quo mortuo, filius ejus Symeon cognomento Justus principatum obtinuit [225].

Alex.	Maced.	Asiæ.	
1	1		Philippus, qui et Arideus, frater Alexandri, regnavit Macedoniæ annis 7, a restauratione templi anno centesimo nonagesimo octavo.
7	7	1	Hinc Asiæ regnum incipit, in quo primus post Alexandrum regnavit Antigonus annis 18.
8	1	2	Cassander regnavit Macedoniæ annis 19.

Syriæ regnum incipit.

13	6	7	1	Regnum Syriæ et Babyloniæ [226] et superiorum locorum nascitur, ubi B primus post Alexandrum regnavit Seleucus Nicanor annis triginta duobus. Hic, capto Demetrio, Antigoni filio, regnum Asiæ destruxit, et ex duobus, id est Asiæ et Syriæ, unum fecit imperium. Unde et filius ejus Antiochus, qui et Sother, post eum regnavit in Syria et Asia, post quem regnavit item Antiochus, qui dicebatur Theos. Has autem urbes condidit Seleucus : Antiochiam, Laodiciam, Seleuciam, Apamiam, Edissam, Beroeam, Pellam. Quarum Antiochiam 12° anno regni sui condidit et metropolim publicæ rei suæ constituit. — Ex hoc tempore, id est ab inicio regni Seleuci, subputatur [227] Grecorum regnum, juxta Hebream [228] historiam Machabeorum.
25	18	1	13	Demetrius, filius Antigoni, regnavit in Asia 17 annis.
27	1	3	15	Antigonus et Alexander, filii Cassandri [229], regnaverunt in Macedonia annis 4.
31	1	7	19	Demetrius regnavit in Macedonia annis sex [230].
37	1	13	25	Pyrrus rex Epyri, corrupto exercitu Demetrii ipsoque fugato, regnavit Macedonibus menses 7, post quem Lysimachus annis [231] sex.
40	4	16	28	

(*H. m.*) Anno ab Urbe condita 464°, qui est Ptholomei 35us, Tarentini, qui in ultima Italia sunt, Romanam classem forte pretereuntem hostiliter invaserunt, prefectos navium occiderunt omnesque utiles bello reliquos vendiderunt precio ; unde grande bellum inter eos ortum est. (Jord.) Tarentum vero a Lacedemoniis conditum, Calabriæ quondam et Apuliæ totiusque Lucaniæ caput erat, divitiis, magnitudine, muris, portu ipsoque situ mirabile. (*H. m.*) Romanus itaque exercitus cum Æmilio consule irruens in universos Tarentinorum fines, igne ferroque vastat [232] omnia, plurima expugnat [233] oppida, injuriam insolenter acceptam crudeliter vindicat [233]. Tarentini vero cum plurimis finitimorum presidiis

VARIÆ LECTIONES.

[224] *lege* Samnitas *ex H. m.* [225] *Hic jam* 12 (*vel* 13 ?) *quaterniones in* 1. *sunt.* [226] babylon 5. [227] supputabatur 4. [228] hebreorum 9c. [229] l. c. *desunt* 9c [230] *Hæc desunt* 9c. [231] *deest* 9c. [232] vastant *corr.* vastat 5. [233] expugnant — vindicant 5.

falcirentur, etiam Pyrrus rex Epyrotarum, qui ex genere Achillis originem duxit, quasi cognatam Greciæ civitatem vindicaturus, totas vires Epyri, Thessaliæ ac Macedoniæ, elephantos etiam, usque ad id tempus Romanis invisos, numero 20 in Italiam advexit. Qui dum Delphici Apollinis consuluisset oraculum, ambiguum dedit responsum (Cf. Cic. *De divin.* II, 56) :

Aio te Æacida Romanos vincere posse.

(*H. m.*) Tunc primum Romani cum transmarino hoste dimicaverunt. Missus est contra eum consul Publius Valerius Levinus. Qui cum exploratores Pyrri cepisset, eos jussit per castra duci omnemque exercitum ostendi sicque dimitti, ut renunciarent Pyrro quæ viderint. Commissa itaque pugna, consumpta est dies gravissimo certamine, omnibus utrimque mori paratis, fugere nesciis. Introductos autem inter currentia agmina elephantos, forma truces, odore graves, mole terribiles, ut viderunt Romani, novo pugnandi genere circumventi et territi, maximeque pavitantibus equis, diffugerunt. Minutius vero, centurio quartæ legionis, protentam in se beluæ unius promoscidam gladio desecuit. Qua vulneris dolore turbata et averti compulsa, ejus immoderato discursu permisceri cœperunt. Finis pugnæ etiam de noctis beneficio impositus est; Levinus tamen per noctem fugit; Romanos victos fuisse turpis fuga prodidit, ex quibus tunc cecidisse referuntur 14 milia peditum et octingenti octoginta, capti octingenti 20, equites autem cesi ducenti 46, capti septingenti [234] 12, signa 22 amissa. Pyrrus autem Romanos quos cepit summo honore tractavit, occisos sepelivit. Quos cum [235] adverso vulnere et truci vultu etiam mortuos jacere vidisset, tulit manus ad cælum, dicens, se totius orbis dominum esse potuisse, si tales milites sibi contigisset habere. Cujus victoriæ titulum Pyrrus affigens templo Tarentini Jovis, ita scripsit in eo :

Qui invicti ante fuere viri [236]*, pater optime Olympi,*
Hos egomet pugna vici, sum victus ab hisdem.

Quem cum sui increparent, cur se victum diceret qui vinceret, respondisse fertur : *Si iterum eodem* [237] *modo vicero, sine ullo milite revertar Epyrum.* Cumque legati mitterentur ad eum pro redimendis captivis, jussit Lycomun et Molossum eis obviam ire, ipse vero cum equitibus procedens ad portam civitatis, honorifice suscepit eos, captivos sine precio [238] remisit. Unum autem ex legatis Fabricium cum pauperem vidisset, promisit ei quartam partem regni sui, ut se transferret [239] ad eum; sed contemptus ab eo, ammiratus est illum. Pro hac ammiratione misit ad Romanos legatum, precipuum [240] virum Cineam nomine, qui pacem æquis conditionibus peteret, scilicet ut Pyrrus partem Italiæ quam armis occupavit teneret. Sed pax quam offerebat eis displicuit ; remandatumque est ei a senatu, illum cum Romanis pacem habere non posse, nisi ab Italia recessisset. Jusserant autem omnes captivos quos Pyrrus reddiderat infames haberi, eo quod capi potuissent armati, nec ante eos ad pristinum statum reverti, quam [241] sibi notorum hostium occisorum spolia retulissent. Ita legatus Pyrri reversus est. A quo cum quereret Pyrrus, qualem Romam comperisset, Cineas dixit, regum se patriam vidisse, scilicet tales illic fere omnes esse, qualis unus Pyrrus apud Epyrum et reliquam Greciam putaretur. Secunda pugna inter Romanos et Pyrrum facta est in Apuliæ finibus, Publio Sulpicio et Decio consulibus, in qua pugna Pyrrus brachio transfixo saucius, prior e bello secessit; elephanti capti, 20 milia hostium cæsa sunt, et ex Romanis quinque milia. Fabricius quoque legatus vulneratus est. Anno interjecto, idem Fabricius contra eum missus est. Cumque vicina haberent castra, medicus Pyrri nocte venit ad Fabricium, promittens se veneno Pyrrum occisurum, si sibi aliquid polliceretur. Quem ille vinctum remittens ad Pyrrum, jussit ei dici quæ ille spopondit. Tunc rex ammiratus eum, dixisse fertur : *Ille est Fabricius, qui difficilius ab honestate, quam sol a cursu suo averti potest.* Tunc rex ad Siciliam profectus est, Fabricius victis Lucanis et Samnitibus triumphavit. Deinde Curius Dentatus et Cornelius Lentulus contra eum missi consules, de exercitu ejus viginti tria milia cædebant, 300 capiebant; ipse Tarentum fugatus est, castra ejus capta sunt, Curius in consulatu triumphavit, primusque Romam quatuor elephantos duxit. Quinto demum anno postquam in Italiam venit, Pyrrus victus aufugit [242], et post multa bella, quæ fecit in Grecia, apud Argos Achaiæ urbem, Spartani regni aviditate seductus, ictu saxi occubuit. Cujus pollex e dextro pede, si credendum est, remedio fuisse dicitur, si cujus renes [243] tumentes eo tangerentur. Cumque ab Antigono victore idem Pyrrus jussus esset [244] exuri, sic arsit, ut idem pollex inveniretur intactus. Qui aureo loculo inclusus, in templo Jovis est conditus [245].

Ptholomeus Phyladelphus, filius Ptholomei superioris, regnavit Alexandriæ annis 38, a restauratione templi anno ducentesimo 38°. (Cf. Hier.) Hujus tempore pontifex Judæorum Eleazarus fuit, frater Symonis cognomento Justi, filius Oniæ filii Jaddi, qui sacerdotium pro tali suscepit causa. (Jos. XI, 2.) Defuncto principe sacerdotum Onia, filius ejus Symon Justus successor exstitit. Quo moriente filiumque infantulum nomine Oniam relinquente, frater ejus Eleazarus principatum sacerdotii accepit, quem Ptholemeus liberaliter muneribus tali occasione honoravit. (*Ib.*, XII, 2.) Demetrius Phalareus,

VARIÆ LECTIONES.

[234] octinginti 4. 10. 11. [235] *deest* 9c. Quos adverso v. e. t. v. e. m. cum jacere 5. [236] viros 5. 9c. 10. 11. [237] *deest* 9c. [238] premio 9c. [239] se transiret 5. [240] principium 9c. [241] quam — retulissent *des.* 9c. [242] affugit 9c. *sæpius.* [243] *deest* 9c. [244] est 9c. [245] Qui digitus a. l. est inclusus et in antiquissimo templo Dodonei Jovis conditus 11.

apud Grecos orator et phylosophus, super byblio-
tecam regis, cujus magnum habuit studium, con-
stitutus erat. Qui dum studeret omnia per univer-
sam terram inventa congregare volumina et acqui-
rere si quid dignum audiret industria vel voluntate
regis, interrogatus ab eo quot milia librorum habe-
ret, respondit, 20 milia, sed cito ad quinquaginta
milia posse venire, dicensque, nuntiatum sibi esse,
apud Judæos multa haberi bybliotheca regali digna,
persuasit regi, annitente Aristeo, quodam regis
amico necessario, ut ad Eleazarum pontificem Hie-
rosolimam [246] mitteret, rogans ut sibi viros legem
scientes destinaret, qui eam in Grecam linguam
transferrent. Qui ex omnibus septuaginta viros in
lege doctissimos elegit, eosque regi transmisit. Illi
vero Alexandriam ducti et a rege benigne suscepti,
Demetrio sunt commendati. Qui duxit eos in domum
secretam et huic negotio aptam, secus litus maris
positam, ubi per septuaginta duos dies omnem le-
gem disertissime transtulerunt, cottidie huic negо-
tio curam usque ad horam nonam impendentes.
Quibus diebus transactis, congregavit omnes Judæos
Demetrius ad locum in quo translatæ fuerant leges,
et presentibus interpretibus legit eas. Cumque mul-
titudo complexa legem vel seniores ejus interpretes
Demetrium, eo quod magnarum rerum esset inven-
tor, laudasset, rogavit ut etiam presidibus suis dare-
tur legenda. Gavisus ergo rex, voluntatem suam
esse perfectam, et relectis legibus, sensum et sa-
pientiam earum obstupescens, dixit ad Demetrium,
admirari se, quod nemo hystoriographus nec poeta
Grecus ejusdem legis meminisset, cum tam mira
existeret. Cui Demetrius respondit, neminem ausum
fuisse conscriptionem ejus tangere, eo quod divina
esset, addens quod Theopompus volens in hystoria
aliquid de his conscribere, mente sit turbatus plus
quam 30 diebus, donec inde sibi dementiam factam
esse suspicatus, et in somnis quoque ammonitus,
quod [247] hoc ei ideo accidisset, quia divinas leges
scrutatus esset et ad impuros homines eas ferre vo-
luisset, cum humilitate a Deo veniam supplicaret.
Cumque scribere quievisset, recepit sensum. Refe-
rebat etiam de Theotecto [248] tragediarum poeta,
quia cum nisus [249] fuisset in aliquo dramate eorum
meminisse quæ divino continentur volumine, obscu-
retis oculis, recognovit causam suæ cœcitatis, et ita
liberatus est a passione, Deo [250] veniam largiente.
Ptholomeus autem remisit eosdem seniores cum ho-
nore, donans unicuique stolas optimas et auri ta-
lenta duo et calicem unius talenti totumque convivii
thorum. Principi autem sacerdotum Eleazaro desti-
navit per eos lectos decem cum argenteis pedibus et
convenientem eis suppellectilem et calicem talento-
rum triginta et stolas decem et purpuram et coro-
nam decoram et lineas de bisso centum, preterea et
pateras et trullam [251] et libatoria et crateras aureas
duas Deo vovendas, omnesque Judæos, quos in
Ægypto captivos invenit, liberos esse permisit.
(Hier.) Abeuntes autem interpretes, et a regibus
Asiæ honorati sunt. (Jos. XII, 3.) Nam Seleucus Ni-
canor in civitatibus, quas per Asiam ædificaverat, et
in inferiore Syria et in ipsa metropoli Antiochia
re publica sua dignos eos fecit, et æquum eis honorem
cum habitatoribus Macedonibus et Grecis deputavit.

(*H. m.*) Anno ab Urbe condita quadringentesimo
70°, qui est Phyladelphi primus [252], Tarentini, morte
Pyrri cognita, iterum nova adversus Romanos solli-
citant arma, Kartaginensium auxilia per legatos po-
scunt et accipiunt; consertoque prælio, Romani vin-
cunt [253]. Ibi jam tunc Kartaginenses, quamvis
nondum hostes judicati, vinci tamen a Romanis
posse senserunt. Quæ (212) res occasionem bello-
rum tribuit inter Romanos et Africanos. Quæ bella
diu protracta ac nimium sevissima utrique experti
sunt populi, quamvis demum Romani cum nimio
sudore victores existerent. Ariminus in Gallia et
Beneventus in Samnio hoc tempore a Romanis con-
ditæ sunt. Anno prescripto prodigia visa sunt, san-
guis de terra in multis locis effossa profluxit, lac de
cælo in modum pluviæ descendit.

Anno autem quadringentesimo octogesimo sexto,
qui est Phyladelphi 17us, Romani Appium Claudium
consulem Mamertinis auxilia deposcentibus contra
Hieronem Syracusanorum regem et Pœnorum co-
pias, quas rex ipse conduxerat, in Siciliam mise-
runt. Qui tam celeriter eos vicit, ut ipse rex regum
magnitudine perterritus ante se victum quam con-
gressum fuisse prodiderit. Hannibal vero senior dux
Pœnorum in Agriginto civitate Siciliæ obsidione
cinctus a Romanis, ad summam egestatem perduc-
tus esset, nisi Hanno novus imperator Kartaginen-
sium cum equitibus mille quingentis et triginta
milibus peditum et triginta elephantis superveniens,
expugnationem civitatis paulisper distulisset; sed
continuo capta est, Pœnique victi et fugati sunt,
Hannibal cum paucis evasit, undecim elephanti
capti, Agrigentini sub corona omnes sunt venditi.
Post hæc, Gaio Aquilio Floro et Lucio Cornelio Sci-
pione consulibus, Kartaginenses Hannonem in lo-
cum Hannibalis subrogaverunt, qui a Scipione con-
sule victus, confertissimis hostibus se immiscuit,
ibique interfectus est. Hannibal iterum classi pre-
positus, infeliciter cum Romanis navali prælio con-
gressus et victus, ab exercitu suo seditione orta la-
pidibus coopertus interiit. Lucio Manlio Vulsone et

VARIÆ LECTIONES.

[246] iherosolimam 5. 9e. *semper, quod in* 1. *vix semel aut bis legitur.* [247] eo quod 9c. [248] theothecto 5. [249] visus 9c 11. [250] deo a p. 5. [251] trullas 9c. [252] primus, ortum est punicum bellum primum. Nam T. 11. [253] Carthaginenses victi sunt 11. *ubi quæ sequuntur ex ipsa Historia miscella sumpta sunt.*

NOTÆ.

(212) *Quæ — existerent* Ekkehardi verba sunt.

Marco Atilio Regulo consulibus, bellum in Africam translatum est, quibus Hamilcar dux Pœnorum et Hanno alter classi prefectus occurrerunt, consertoque navali prælio, Pœni in fugam versi sunt, 64 naves perdiderunt, consules victores in Africam transvecti sunt, Kartaginemque petentes, 300 aut eo amplius castella populati sunt. Manlius cum victrici classe Africa decedens, 27000 captivorum Romam evexit; Regulus in Africa remanens, contra tres duces dimicavit, Hastrubales et Hamilcarem ex Sicilia accitum. Cumque haut procul a flumine Bagrada castra posuisset, multos militum ad flumen descendentes serpens miræ magnitudinis devoravit. Regulus ad expugnandam bestiam cum exercitu descendens, squamis ejus tela non recipientibus, jussit balistas, quibus muri confringuntur, afferri, hisque ossibus ejus confractis, occisa est. Cujus corium Romam devectum 120 pedum spacio dicitur distentum. Kartaginenses itaque fracti bellis, inter multos quos precio conduxerunt in auxilium Xantippum regem Lacedemoniorum accitum bello pretecerunt. Qui cum Pœnorum copiis instructis ad pugnam procederet, 30 milia Romanorum militum prostrata sunt, Regulus dux ille nobilis cum quingentis viris captus est, et in catenas conjectus, decimo tandem belli Punici anno nobilem triumphum Kartaginensibus dedit. Xantippus tam audacis facti conscius, rerum instabilium mutationem timens, ilico ex Africa migravit in Greciam. Post hæc fessi tot malis Kartaginenses, petendam esse pacem a Romanis decreverunt, ad quam rem Atilium Regulum antea ducem Romanorum, quem jam per quinquennium tenebant captivum, inter ceteros legatos precipue putaverunt mittendum. Qui cum Romam veniret, ductus in senatum, nichil quasi Romanus egit, dixitque se ex illa die, qua in potestatem Afrorum venisset, Romanum esse [235] desisse. Itaque et uxorem a complexu removit, et senatui suasit, ne pax cum Afris fieret. Quod et obtinuit. Cumque vellent eum Romæ tenere, negavit se in ea urbe mansurum, in qua, postquam Afris servierit, dignitatem civis honesti habere non posset. Rediit ergo Kartaginem. Quem regressum machinæ illigaverunt et ad radium solis semper stare fecerunt, resectisque palpebris, in somno [235] necaverunt. Alter deinde Atilius Regulus et Manlius Vulsco, ambo bis consules, cum classe ducentarum navium et quatuor legionibus Lylibeum profecti, superveniente Hannibale, Hamilcaris filio, victi sunt, majoreque exercitus parte perdita, ipsi vix evaserunt. Post hos Claudius consul cum classe ducentarum viginti navium ad Drepani portum contra hostem profectus est, ubi mox exceptus classe Pœnorum, dum contra auspicia dimicasset, superatus est, et ipse quidem cum navibus 30 Lylibeum confugit, reliquæ omnes aut captæ aut submersæ sunt, novem milia militum cæsa sunt, 20 milia capta referuntur. Inter hæc Lutacius consul cum classe trecentarum navium in Siciliam transvectus est, cui Pœni cum quadringentis navibus magnisque copiis Hannone duce occurrunt, factaque pugna, victus Hanno dux fugæ primus fuit; 75 Punicæ naves captæ sunt, 120 submersæ, 32 milia capta, 14 milia cæsa sunt. Post hæc ad Lutacium, deinde Romam mittentes, pacem sub hac conditione fecerunt, ut Sicilia Sardiniaque cederent et per 20 continuos annos tria milia talentorum puri auri Romanis persolverent; sicque finitum est hoc Punicum bellum per 23 annos protractum.

His temporibus argenteus nummus primum Romæ figuratus est. (Hier.) Aratus astrologus claruit, et Quintus Ennius poeta parenti nascitur, qui post Romæ degnit, contentus unius ancillæ ministerio.

(Jos. xii, 5.) Quo etiam tempore defuncto Eleazaro, principatum sacerdotii suscepit patruus ejus Manases, frater Jaddi. Quo mortuo, successit ei Onias, filius Symeonis Justi, quem, ut supra diximus, parvulum reliquit.

Alex.	Maced.	Asiæ.	Syriæ.	
1	5	17	29	(Hier.) Ptolomeus Phyladelphus regnavit Alexandriæ annis triginta octo.
2	6		30	Demetrius semet ipsum Seleuco tradidit, qui destructo [236] regno Asiæ ex utroque unum fecit imperium.
3	1		31	Ceraunus, qui et Ptholomeus, regnavit Macedoniæ menses novem, Meleagrus menses duos, Antipater diebus 45.
4	1		32	Sostenes regnavit Macedoniæ annis duobus.
5	2		1	Antiochus, qui et Sother, filius Seleuci, regnavit in Syria et Asia annis 19.
6	1		2	Antigonus regnavit Macedoniæ annis triginta sex. Hic Lacedemoniam obtinuit Pyrrumque superavit.
11	6		7	Aratus agnoscitur.
12	7		8	Argenteus nummus Romæ primum figuratur.
20	15		16	Judeorum pontificatum post Eleazarum Manases, patruus ejus, accepit.
21	16		17	Anni ab inicio 3700.
24	19		1	(Hier. *in Dan.* c. xi.) Antiochus, qui vocabatur Theos, id est Deus, filius Antiochi Sotheris, regnavit in Syria et Asia annis 15. Iste adversus Ptholomeum Phyladelphum gessit bella quam plurima et totis Babylonis atque orientis viribus dimicavit. Volens autem Ptholomeus molestum finire certamen, cum ipse tamen magnas haberet copias, filiam suam Beronicen Antiocho dedit uxorem, qui de priore uxore Laodice duos habebat filios, Seleucum, qui cognominabatur Calinicus, et alterum Antiochum. Antiochus autem dicens, Bero-

VARIÆ LECTIONES.

[235] se esse 5. [235] somnio 4. 5. [236] destruxit asiæ regnum fecitque ex utroque unum imp. 5.

nicen se velle habere regni consortem et Laodicen in loco concubinæ, post multum temporis superatus amore Laodicen cum liberis suis reduxit in regnum. Quæ metuens ambiguum viri animum, ne Beronicen reduceret, virum per ministros veneno interfecit, Beronicen vero cum filio quem ex Antiocho genuit Icadioni et Genneo principibus regis occidendam tradidit, ipsaque cum majore filio Seleuco Calinico regnavit.

(Hier.) Parthis a Macedonum imperio recedentibus, primus regnavit Arsaces, unde et Arsacidæ dicti sunt.

Alex. Maced. Asiæ. Syriæ.

32 27 9 Annus quingentesimus ab Urbe condita.

38 33 15

Ptholomeus Evergetes, filius Ptholomei Phyladelphi, regnavit Alexandriæ annis 26, a restauratione templi anno 276. Sub hoc Jhesus, filius Sirach, librum suum conscripsit. (Hier. *in Dan.* c. xi.) Hic ergo Ptholomeus [257] post mortem patris sui Phyladelphi, pro ultione patris et occisæ sororis, cum magno exercitu intravit provinciam regis aquilonis, id est Seleuci Calinici, qui cum matre Laodice regnavit in Syria, et cepit Syriam et Ciliciam et superiores partes trans Eufraten et omnem pene Asiam. Cumque audisset in Ægypto seditionem moveri, diripiens regnum Seleuci, 40 milia talentorum argenti tulit vasaque preciosa et simulachra deorum duo milia quingenta, in quibus erant et illa quæ Cambises capta Ægypto in Persas portaverat. Gens vero Ægyptia idolatriæ multum dedita erat. Et quia post multos annos deos eorum Ptholomeus retulerat, Evergetem eum appellabant. Et Syriam quidem ipse obtinuit, Ciliciam vero amico suo Antiocho gubernandam tradidit, et Xantippo alteri duci provincias trans Eufraten.

(*H. m.*) Anno ab Urbe condita quingentesimo octavo, qui est primus Evergetis, repentina subversio ipsius Romæ pervenit triumphum Romanorum. Siquidem Quinto Lutacio Catulo et Aulo Manlio consulibus, diversæ ignium aquarumque clades pene absumpsere urbem. Nam Tyberis insolitis auctus imbribus et ultra opinionem redundans, omnia Romæ ædificia in plano constituta delevit; diversæ qualitates locorum ad unam convenere perniciem, quoniam quæ sevior inundatio tenuit, madefacta dissolvit, et quæ cursus torrentis invenit, impulsa dejecit. Aquarum vero gravissimam cladem gravior ignis vastatio secuta est. Qui ignis, incertum unde surrexerit, plurimas civitatis partes pervagatus, hominum domorumque stragem miserabilem fecit. Dehinc cum omnia in circuitu foris devastaret, ædem Vestæ corripuit, unde Metellus cum arsuros Deos eripuit, brachio semiustulato, vix aufugit. Tito Simpronio Gracco et Gaio Valerio Falcone consulibus, bellum Romani Faliscis [258] intulerunt, quæ civitas Italiæ opulenta quondam fuit. Quod bellum ambo consules intra sex dies transegerunt, quindecim milibus hostium cæsis.

Eodem anno etiam Galli Cisalpini novi extitere hostes, adversum quos varia sorte bellatum est. Nam in primo conflictu Valerio consule tria milia ex Romanis cecidere, in secundo 14 milia Gallorum cæsa sunt, duo milia capta. Sed ob priorem cladem triumphus consuli denegatus est. Anno ab Urbe condita quingentesimo 17°, qui est Evergetis decimus, dux Pœnorum Hamilchar ab Hispanis in bello interfectus est, cum jam aliud bellum adversum Romanos clam pararet.

(Hier.) Ptholomeus Phylopator, filius Evergetis, regnavit Alexandriæ annis 17, a restauratione templi anno 302°. (Hier. *in Dan. l. l.*) Post fugam et mortem Seleuci Calinici filii Antiochi, quem interfecit Evergetes pater hujus Phylopatoris, duo filii Seleuci ejusdem, videlicet Seleucus cognomento Ceraunus et Antiochus qui appellatus est Magnus, provocati spe victoriæ, et in ultionem patris exercitu magno congregato, adversus Ptholomeum Phylopatorem arma corripiunt. Cumque Seleucus major frater tercio imperii sui anno occisus esset in Frigia per dolum Nicanoris, exercitus qui erat in Syria fratrem ejus Antiochum cognomento Magnum de Babylone vocavit ad regnum Syriæ, quæ eo tempore tenebatur a Ptholomeo Phylopatore. Cumque pugnasset adversus duces ejus, immo proditione Theodoti cujusdam obtinuisset Syriam, in tantam venit audaciam, ut ultro Ægyptiis bellum inferret. Phylopator autem, amissa Syria proditione Theodoti, congregavit multitudinem plurimam adversus Antiochum, initoque certamine juxta opidum Raphiæ, quod est in finibus Ægypti, Antiochus omnem amisit exercitum, et per deserta fugiens, pene captus est. Cumque decessisset Syria, ad extremum fœdere et pactionibus conditionis cujusdam pugna finita est.

(Jos. xii, 3.) Sub hoc tempore Judæi multa mala tolerabant, dum terra eorum diversis calamitatibus subjacebat. Nam cum Antiochus pugnasset contra Ptholomeum Phylopatorem et filium ejus Epyphanem, Judæi in medio positi utrisque vincentibus laborabant, ut pares existerent navi turbatæ et tempestatibus fluctuanti.

Alex. Maced. Syriæ.

1 34 1 (Hier.) Seleucus Calinicus, Antiochi major filius, regnavit Syriæ et Asiæ cum matre Laodice annis 20.

2 35 2

3 36 3

4 1 4 Demetrius regnavit Macedoniæ annis 10

14 1 14 Antigonus regnavit Macedoniæ annis 13.

15 2 15 Judeorum pontifex Onias.

VARIÆ LECTIONES.

[257] *deest* 9^c^. [258] falacis 4. 5. 10. aliscis 9^c^.

Alex. Macedonis Syriæ.

21 8 1 Seleucus Ceraunus, Seleuci Calinici filius, regnavit Syriæ annos tres.

22 9 2

23 10 3

24 11 1 Antiochus, qui dictus est Magnus, frater Seleuci Cerauni, regnavit Syriæ annis 36.

25 12 2

26 13 3

(*H. m. Cf. H. R.*) Finito igitur primo Punico bello, quod per viginti tres annos tractum est, jam Romani clarissima gloria noti facti sunt, et per anni spacium sine bellicis conflictationibus quieverant; eodemque anno Jani portæ clausæ sunt, quod ab Urbis conditione sub Numa Pompilio, Romuli successore, tantum contigit, postea vero per annos quadringentos quinquaginta non evenit. Eo tempore potentissimus Siciliæ rex Hiero ad ludos Romam venit, et ducenta milia modiorum tritici populo dono dedit.

(*H. m.*) Anno ab Urbe condita 534, qui est primus Ptholomei Phylopatoris, bellum Punicum secundum Romanis illatum est per Hannibalem ducem Pœnorum, filium Hamilcaris, qui ab Hispanis occisus est. Hic itaque Hannibal, dum adhuc novem esset annorum, Amilcari patri ad aras juraverat, ut cum primum posset contra Romanos pugnaret. Cumque 20 esset annorum, Saguntum, florentissimam Hispaniæ urbem, Romanis amicam, oppugnare aggressus est. Ad quem Romani legatos miserunt, ut a bello abstineret, quos ille a se injuriose abjecit. Miserunt pro eadem re Fabium Kartaginem, sed ille etiam cum [259] ibi dura responsa percepisset: *Quæ*, inquit, *mora est? In hoc ego sinu pacem bellumque porto, utrum eligitis?* Illis subclamantibus: *Bellum*: *Igitur*, inquit, *accipite*. Et excusso in media curia togæ sinu, quasi plane sinu bellum ferret [260], effudit. Interea Saguntini fame victi sunt, et octavo demum mense capti, ultimis ab Hannibale pœnis afficiuntur. Tum Publius Cornelius Scipio consul cum exercitu mittitur in Hispaniam, Tyberius Simpronius in Siciliam. Hannibal vero, relicto in Hispania fratre suo Hasdrubale, Pyrineos transivit montes, et inter ferocissimas Gallorum gentes ferro viam aperuit, et nono demum die a Pyrineo ad Alpes pervenit. Ubi dum montanos Gallos ab ascensu eum repellere obnitentes bello superat, atque invias rupes igni et aceto ferroque rescindit [261], quatriduum commoratus, quinto die cum maximo labore ad plana pervenit. Traditur autem ad Italiam duxisse centum milia peditum, 20 [262] milia equitum, 37 elephantos. Interea multi Ligures et Galli junxerunt se Hannibali. Simpronius Tyberius Graccus, cognito Hannibalis adventu, exercitum ex Sicilia trajecit Ariminum. Publius Cornelius Scipio Hannibali apud Ticinum primus occurrit, commissoque prælio, fugatis suis et pene omnibus victis, ipse a filio Scipione admodum pre-

A textato et vix a puericia egresso, qui postea dictus est Africanus, ab ipsa morte liberatus, saucius tamen in castra rediit. Pugnatum deinde est ab eodem consule apud Trevium [263] fluvium, iterumque Romani superati sunt. Simpronius consul et ipse conflixit cum Hannibale, et amisso exercitu, pene solus evasit. In eo tamen bello etiam Hannibal sauciatus est. Qui postea cum in Etruriam primo vere transiret, in summo Apennino tempestate correptus, biduo continuo immobiliter stetit, nivibus cum exercitu conclusus; ubi magnus hominum numerus, jumenta quam plurima, elephanti pene omnes frigore perierunt. Deinde in Tusciam veniens, juxta Sarnum fluvium, nebulis prospectum impedientibus, magnam partem sociorum ac jumentorum perdidit, B ipse autem uni elephanto, qui solus superfuerat, supersidens, vix difficultatem itineris evasit, sed oculum, quo jam dudum ager erat, violentia frigoris et vigiliarum ac laboris amisit.

Anno ab Urbe condita quingentesimo 40°, qui est septimus Phylopatoris, Æmilius Paulus et Terrentius [264] Varro consules contra Hannibalem missi, per impatientiam Varronis, altero consule contradicente, apud Caudinas Apuliæ vicum omnes pene Romanæ spei vires perdiderunt. Nullo enim Punico bello gravius adicti sunt. Periit quippe in eo Æmilius Paulus consul, qui dum saucius in quodam saxo resedisset, Lentulo sibi equum offerente, quo fugiens cladi superesset, noluit, atque ibi persedit, C donec ab hostibus interemptus est. Perierunt illi consulares atque pretorii viri 20, senatores aut capti aut occisi 50, nobiliores viri 300, pedestrium militum 40 milia, equitum tria milia quingenti quinquaginta. Varro consul cum quinquaginta equitibus Venusium fugit. Nec dubium est, illum diem ultimum Romani status futurum fuisse, si Hannibal mox post victoriam ad Urbem contendisset. Hannibal in testimonium victoriæ suæ tres modios anulorum aureorum Kartaginem misit, quos ex manibus interfectorum Romanorum equitum senatorumque detraxit. De exercitu suo cæsa sunt tria milia multique sauciati. Interea Varro Romam rediit, eique gratiæ referuntur a senatu, quod publicam rem non desperasset. Ipse autem, non vitæ cupiditate, sed amore publicæ D rei se superesse, reliquo ætatis suæ tempore probavit. Nam barbam capillumque summisit, et postea numquam recubans cibum cepit. Honores quoque cum ei deferrentur a populo, recusavit, dicens, felicioribus magistratibus rei publicæ opus esse. Usque adeo autem ultima desperatio rei publicæ apud residuos Romanos fuit, ut de relinquenda Italia sedibusque querendis consilium ineundum putarent. Quod etiam auctore Cecilio Marcello confirmatum esset, nisi Cornelius Scipio, tunc tribunus militum, qui postea dictus est Africanus, eos districto gladio deterruisset singulos minitans, ac potius pro patriæ defensione in sua verba jurare coegisset.

VARIÆ LECTIONES.

[259] dum 9c. [260] gestaret 4. 5. [261] rescendit 5. [262] CXX. 4. 5. 10. [263] tereinum 9c. [264] terentius 9c. 10.

Sub hoc tempore quatuor locis pugnabatur a Romanis, in Italia contra Hannibalem, in Hispania contra fratrem ejus Hastrubalem, in Macedonia contra Philippum, in Sardinia contra Sardos et alterum Hastrubalem Kartaginensem, quem Titus Manlius, in Sardiniam missus, vivum cepit Romamque portavit. Philippus quoque in Macedonia a Levino vincitur, et in Hispania Hastrubal et Mago, tercius frater Hannibalis, a duobus fratribus Scipionibus superantur, qui tamen ambo Scipiones fratres in Hispania a fratre Hastrubalis postea occisi sunt. Unde omnibus pavore cunctantibus, Scipio, postea Africanus dictus, natus tunc annos 24, ultro se obtulit, et proconsulare imperium in Hispania sortitus, ultionem patris et patrui precipue intendens, Pyreneum transgressus, primo impetu Kartaginem novam Hispaniæ cepit, ubi copiæ auri argentique magnæ [265] Pœnorum et nobilissimi obsides, quos ab Hispanis acceperant, cum magnis presidiis erant. Ibi etiam Magonem, fratrem Hannibalis, captum cum aliis Romam misit. Romæ ingens lætitia oritur. Cumque universam Hispaniam a Pyreneo usque ad oceanum Scipio subegisset, revocatus a Romanis, cum ingenti gloria Romam venit, et 14° anno postquam Hannibal in Italiam venerat, qui est 15us Phylopatoris, cum Licinio Crasso consul creatus et in Africam missus est. Scipio Africam aggressus, hiberna Pœnorum et mapalia Numidarum, quæ haut longe aberant ab Utica, nocte fecit incendi. Pœni trepidi, cum casu accidisse ignem putarent, inermes ad extinguendum cucurrerunt; qua de re facile ab armatis obpressi sunt. In utrisque castris 40 milia hominum igni ferroque consumpta sunt, quinque milia capta, duces ipsi miserabiliter ambusti ægre diffugerunt; Hastrubal dux Kartaginem profugus venit. Mox Syphax et Hastrubal plurimum reparantes exercitum, iterum cum Scipione congressi sunt, victique fugerunt. Syphacem fugientem Lelius et Masinissa ceperunt, cetera multitudo Cirtam confugit, quam Masinissa obpugnatam in deditionem accepit; Syphacem ad Scipionem catenis vinctum adduxit, quem Scipio cum ingentibus spoliis plurimisque captivis perducendum Romam Lelio tradidit. Qui cum in custodia Tyburti defecisset, sumptu publico jussit senatus eum honorifice sepeliri. Qua re audita, omnis fere Italia Hannibalem dereliquit. Ipse autem Hannibal a Kartaginensibus redire jussus, ut subveniret patriæ, quam Scipio vastabat, flens dicitur Italiam reliquisse. Ita anno 17°, qui est primus Ptholomei Epyphanis, liberata est Italia ab Hannibale. Legati autem Kartaginensium pacem a Scipione petentes, ad senatum missi sunt, et ex arbitrio Scipionis pacem acceperunt; sed veniente Hannibale Kartaginem, pax turbata est, multaque hostilia ab Afris facta sunt. Post hæc Hannibal frequentibus præliis victus a Scipione, petiit et ipse pacem et colloquium Scipionis. Ubi cum se attoniti diu ammiratione mutua duo clarissimi duces conspexissent, infecto pacis negotio, discesserunt. Hannibal tres exploratores ad castra Scipionis misit, quos captos Scipio circumduci per castra jussit eisque ostendi totum exercitum, nichil de hostibus percunctatus, prandium quoque jussit eis dari, refectosque abire permisit Deinde prælium ab utroque duce commissum est, quod diu magnis ducum artibus dispositum, magnis copiarum molibus gestum est, quale vix ulla memoria fuit, quippe cum peritissimi viri copias suas ad bellum educerent. Scipio tamen victor extitit, pene capto Hannibale. Octoginta elephanti ibi aut capti aut occisi sunt. Kartaginensium militum viginti milia quingenti interfecti sunt. Hannibal omnia et ante prælium et in prælio expertus, primum cum multis equitibus, deinde cum viginti, postremo vix cum quatuor inter tumultum elapsus, Adrumetum confugit, postea Kartaginem, post 36 annos ex quo inde parvus cum patre exierat, venit, consultantique senatui Pœnorum, nullam spem esse nisi in petenda pace persuasit [266]. Gaio Cornelio Lentulo, Publio [267] consulibus, pax per Scipionem voluntate senatus populique Kartaginensibus concessa est, naves tamen plus quam quingentæ in altum productæ, in conspectu civitatis submersæ sunt. Scipio jam tunc cognomento Africanus, cum omni gloria triumphans, Urbem ingressus est. Quem Terrentius, qui postea erat comicus, ex nobilibus Kartaginensium captivus, triumphantem post currum secutus est pilleatus, quod indultæ sibi libertatis fuit insigne.

Anno igitur ab Urbe condita quingentesimo quinquagesimo secundo, qui est secundus Ptholemei Epyphanis, bellum Punicum secundum finitum est, post annum 19 quam cœpit. Jactet se licet Roma victoriis Hannibalem devicisse, tamen in Campaniæ luxuriis commorantem provincia deliciosa superavit; dum aquis innatat, dum piscibus atque ostreis passim infercitur, dum olet, potat, dormit, aquarum resolutio mollivit Punicam feritatem, et, quem alia duraverant, eum Seplasia opidum Campaniæ ungentis odoratis labefactavit et vicit.

Alex.	Maced.	Syriæ	
1		4	(Hier.) Ptholemeus Phylopator regnavit Alexandriæ annis [268] 17.
2		5	
3	1	6	Philippus regnavit Macedoniæ annis 42. Hic cum rebellare pararet, primum per Levinum consulem, deinde per Titum Quintium superatus est.
17	15	20	Ptholemeus Epyphanes, filius Ptholomei Phylo-

VARIÆ LECTIONES.

[265] copiæ magnæ a. a. 5. [266] versuasit pace 5. [267] P. Ælio Peto 11. [268] *deest* 9c.

patoris, regnavit Alexandriæ annis 24 [269], a restauratione templi anno trecentesimo 19. (HIER. *in Dan.* l. l.) Hujus patre Phylopatore defuncto, Antiochus Magnus, rupto fœdere et pacto quod cum patre fecerat, exercitum de superioribus Babyloniæ partibus congregavit, factaque pace cum Philippo Macedonum rege, contra hunc Epyphanem, qui tunc quatuor erat annorum, exercitum movit [270]. Pugnantibus autem inter se Antiocho et ducibus Ptholomei pueri, Judæa in medio posita multaque mala perpessa, in contraria studia scindebatur, sicut et sub Ptholomeo Phylopatore, patre ejus, aliis Antiocho, aliis Ptolomeo faventibus. Cumque Antiochus teneret Judæam, missus Scopas, dux partium Epyphanis Ptholomei, adversus Antiochum fortiter dimicavit, cepitque Judæam (Jos. XII, 3); sed post modicum tempus Antiochus Scopam vicit, confligens cum eo juxta fontem Jordanis, multosque de exercitu ejus prosternens. Postea vero Antiocho capiente Samariam et civitates Syriæ quas Scopas tenuerat, gens Judæorum sponte ad eum veniens, omnem ejus exercitum in civitatem suscepit, et prono animo auxilium prebuit. Unde et ipse multa eis beneficia contulit, quæ Josephus describit.

Volens autem Antiochus non solum Syriam et Ciliciam et Liciam et alias provincias quæ erant partium Ptholomei possidere, sed in Ægyptum quoque regnum suum extendere, facta pace cum Ptholomeo per Evolem Rhodium, Cleopatram filiam suam septimo anno adolescentis despondit ei, et 13° anno tradidit, data ei dotis nomine omni Celesyria et Judæa. Nec tamen optinere potuit Ægyptum, quia Ptholomeus Epyphanes et duces ejus sentientes dolum, cautius se egerunt, et Cleopatra magis viri quam parentis fovit partes. Hic Antiochus Magnus duos habuit filios, fratres Cleopatræ quam dedit Ptholomeo, Seleucum, qui cognominatus est Sother quique regnavit post eum, et Antiochum, qui dictus est [271] Epyphanes et a patre Romanis datus est obses mortuoque fratre regnavit in loco ejus; et hic est Antiochus qui dicitur illustris et nobilis in libro Machabeorum (Cf. I, 1), qui 137° regni Grecorum anno regnare cœpit multaque mala Judæis intulit.

(Jos. *l. l.*) Eo tempore pontifex Judæorum fuit Onias, filius Symonis Justi, fratris Eleazari. Is autem Onias parvulus mente et avarus pecuniæ, vectigal quod patres ejus pro populo dabant, scilicet 20 talenta, non reddidit, unde regem Ptholomeum ad iram provocavit. Qui mittens legatum nomine Athenionem in Hierusalem, culpabat Oniam, et minatus est quod terram metiretur ad jugera, et mitteret qui habitarent in ea. Audientes Judæi mandata regis, turbabantur, Oniam vero nichil horum flectebat propter avariciam suam. Quod audiens Josephus adolescens, sororis ejus filius de patre Tobia [272], vir sagacissimus et inter suos nobilis, increpavit avunculum Oniam. Quo non attendente nec ad regem ire volente, ultro se legatum ad regem obtulit pro necessitate populi, si per eum liceret sibi. Illo autem concedente et populo gratias agente, suscepit legatum regis in domum suam, et per multos dies magnifice tractans, muneribus honoratum remisit ad regem, dicens se continuo secuturum. Athenio autem rediens ad regem, cum ei omnia indicaret, advenientem postea Josephum rex et regina Cleopatra benigne susceperunt, inventque tantam gratiam coram rege, ut non solum populum liberaret, sed etiam dux Judææ atque humilis Syriæ et finitimarum regionum ab eo constitueretur. Is igitur 22 annis tributa Syriæ et Fenicis atque Samariæ dispensavit, populumque Judæorum a paupertate et debilitate ad clarissimas rerum causas perduxit. Habuit autem septem filios de uxore sua, et de filia fratris sui Solini unum nomine Hyrcanum. Qui cum tredecim esset annorum, naturalem fortitudinem et prudentiam in se domonstravit, ut etiam acerbam æmulationem fratribus excitaret. Josephus vero cupiens scire quis de filiis suis virtute melior existeret, unumquemque ad doctorum studia destinavit, sed desidia disciplinarum indocti redierunt. Post illos autem adolescentulam Hyrcanum transmisit, viam duorum dierum ad solitudinem seminare, dans ei 500 juga boum, sed abscondens lora quibus ligarentur. Cumque ad locum veniret et lora non haberet, suadentibus aratoribus, ut pro his afferendis domum transmitteret, ille nolens tempus deperdere, occidit decem jugorum boves, et carnes quidem operariis dedit, pelles vero incidens, retinacula fecit; sicque seminata terra, ad patrem rediit. Pro qua mentis argutia pater eum benigne suscipiens, nimium dilexit, quod ei apud fratres invidiam suscitavit.

Post hæc nunciatum est Josepho, filium Ptholomeo regi genitum esse, omnesque principes provinciarum ad celebrandum natalem pueri diem cum apparatu maximo Alexandriam ire. Cumque ipse ire senio prohiberetur, interrogavit filios suos quis eorum vellet ire ad regem. Majoribus recusantibus et Hyrcanum hoc facere posse dicentibus, consuluit ipsum. Qui cum se promisisset iturum, si tantum misisset epistolam Arioni dispensatori pecuniarum quas regi debebat, ut daret ei pecuniam necessariam, data epistola dimisit eum. Fratres autem ejus scribebant omnibus amicis regis, ut eum interficerent. Qui cum venisset [273] Alexandriam, porrexit Arioni epistolam, acceptisque ab eo mille talentis, latenter accessit ad negotiatores, et comparavit ab eis centum pueros scientes litteras, unumquemque talento uno, et centum virgines, singulas eodem

VARIÆ LECTIONES.

[269] XIIII 9c. [270] misit 9c. [271] *deest* 5. [272] thobia 5. [273] venissent 5.

precio. Susceptus autem benigne a rege et ad convivium ejus invitatus, discumbens cum prioribus provinciarum, ultimus omnium sedit, tamquam puer ab omnibus despectui habitus. Cumque omnes ossa ciborum ante illum in mensa projicerent, ipso tacente, Triphon quidam, qui ad convivarum risus aptus erat, rogantibus convivis, juxta mensam regis assistens, ait regi : *Vides, domine, anteposita ossa Hyrcano? Ex hoc conjice quod et pater ejus sic omnem Syriam denudavit, sicut hæc ossa iste a carnibus exspoliavit.* Ridente autem rege ad verba Triphonis et interrogante Hyrcanum cur tanta ossa ante eum jacerent : *Apte*, inquit, *domine, nam canes semper ossa cum carnibus devorant, sicut isti fecerunt, ante quos ossa minime jacent; homines vero comedunt carnes, ossa autem jactant, quod et ego tamquam homo nunc feci.* Rex autem miratus ejus responsum tam sapienter dictum, jussit omnes plaudere, verbum ejus laudantes. Postera vero die Hyrcanus ad unumquemque regis amicum pergens et ad potentes aulæ, salutavit eos. Instante vero die natali filii regis, principes regi offerebant [274] munera, qui multum, non plus quam viginti talenta. Hyrcanus itaque assumens pueros et virgines quos comparaverat, dedit unicuique talentum portare, et pueros quidem optulit regi, puellas autem Cleopatræ reginæ. Omnibus igitur munificentiam ejus ammirantibus, rex honorans eum liberaliter et donationes copiosas prestans, patri et fratribus et omnibus magistratibus scripta pro eo transmisit. Audientes autem fratres ejus, talia eum a rege meruisse et cum magno reverti honore [275], in occursum ejus egredi se simulantes, interficere illum omnimodo decreverunt, etiam patre sciente, qui propter pecunias quas regi optalerat irascebatur, sed regem timens, iram celabat. Committentibus autem adversus eum fratribus pugnam, multos eorum qui sequebantur occidit cum duobus fratribus suis; ceteri autem ad patrem Hierosolimam confugerunt. Qui postquam ad civitatem venit, nullo se suscipiente, discessit trans Jordanem fluvium, ibique remoratus, vectigalia exigebat a barbaris. Per idem autem tempus regnabat in Asia Seleucus, qui dicebatur Sother, filius Antiochi Magni.

Defunctus est autem Onias pontifex, filius Symonis Justi fratris Eleazari, avunculus Josephi patris Hyrcani, principatum sacerdotii derelinquens filio suo Symoni. Mortuus est autem et Josephus, ejusque morte contigit seditionem pati populum propter filios ejus. Nam majoribus bellum gerentibus contra Hyrcanum, dissensit ab invicem multitudo, et plures quidem majoribus fratribus auxilium ferebant cum principe sacerdotum Symone, qui cognatus eorum et affinis erat. Hyrcanus autem discedens ab Hierosolima trans Jordanem, turrim ibi ædificavit firmissimam ex lapide albo, et totam usque ad terram sculpens diversis animalibus, reliquis etiam ædificiis locum munivit, quem Tyrum nuncupavit. Prefuit autem illis partibus per annos 12, omni tempore quo Seleucus, filius Antiochi Magni, Syriæ regnavit. Quo mortuo, frater ejus Antiochus Epiphanes regnum obtinuit. Quem metuens Hyrcanus, ne ab eo tormentis afficeretur pro his quæ contra Arabas egerat, vitam propria manu finivit. Cujus substantiam Antiochus sibi applicuit. Mortuus est autem et Symon pontifex, filius Oniæ, relinquens tres filios, Oniam, Jhesum, Oniam sive Ananiam; sed patri Onias in sacerdotii honore successit; et hic est ad quem Arius rex Spartarum, id est Lacedemoniorum, epistolas misit, dicens Judæos et Lacedemones ex uno genere Abrahæ descendisse.

(*H. m.*) Anno ab Urbe condita quingentesimo quinquagesimo primo, qui Ptholomei Epyphanis computatur etiam primus, Titus Quintus Flaminius contra Philippum Macedoniæ regem missus est, et post prælia multa, quibus Macedones vicit, pacem Philippo dedit, sub conditione etiam Demetrium filium suum obsidem dedit. (*H. R.*) Lacedemoniis quoque bellum Titus idem intulit, ducemque illorum Navidem vicit et quibus voluit conditionibus in fidem accepit, ingenti gloria triumphavit, ducens ante currum suum nobilissimos obsides, Demetrium Philippi filium et Armenem Navidis. Transacto bello Macedonico, secutum est Syriacum. (Hier. *in Dan.* — *H. m.*) Antiochus itaque Magnus rex Syriæ, cum regnum generi [276] sui Ptholomei Epiphanis obtinere non posset, vertit se ad Asiam, et navali certamine obtinuit Rhodum et Samum et alias insulas multas, deinde contra Romanos struens bellum, ex Asia transit in Europam. Tunc etiam Hannibal exhiberi Romam jussus a senatu, clam ex Africa profectus, ne Romanis traderetur, ad Antiochum migravit eique se conjunxit. Quem cum apud Ephesum invenisset cunctantem, mox ad bellum impulit. (Hier. *l. l.* — *H. m.*) Sed occurrit eis Scipio Nasica cum fratre suo Scipione Africano, isdemque Africanus familiare colloquium cum Hannibale habuit, sed infecto negotio, ab Antiocho discessit. Sequenti anno idem Scipio Africanus Hannibalem, qui tunc Antiochi classi preerat, navali prælio vicit et fugavit; frater quoque ejus Lucius [277] Cornelius Scipio Nasica consul, habens in auxilio Eumenen, Attali regis fratrem, ingenti prælio Antiochum vicit (Cf. Hier.). Qui pacem rogans, eo jure obtinuit ut annis singulis mille talenta persolveret, atque ex Asia et Europa recedens, intra Taurum montem se contineret et Hannibalem concitatorem belli dederet. (*H. m.*) Qui fugiens ad Prusiam regem Bythiniæ, cum a Romanis reposceretur, jam tradendus venenum bibit. Antiochus vero filium Africani, quem utrum explorantem an bello [278] cepisset incertum est, ultro remisit, filium quoque

VARIÆ LECTIONES.

[274] o. regi 4. 5. regis o. 10. 11. [275] h. r. 5. [276] generis 4. [277] lucilius 5. 9c. 10. [278] an in bello 9c.

sum Antiochum obsidem dedit. Scipio Nasica Romam rediens, ingenti gloria triumphavit, nomen et ipse ad imitationem fratris Asianus, quia Asiam vicit, accepit. Philippo autem Macedonum regi, quia contra Antiochum Romanis auxilio fuit, filius Demetrius [279] redditus est. (HIER.) Plautus ex Umbria Arpinas Romæ moritur hoc tempore, qui propter annonæ difficultatem ad molas manuarias pistorem se locaverat, ubi quotiens ab opere vacasset, fabulas scribere ac vendere solitus erat. Titus Livius tragediarum scriptor clarus habebatur eo tempore, qui ob ingenii meritum a Livio a Salinatore, cujus liberos erudiebat, libertati donatus est.

Alex.	Maced.	Syr.	
1	16	21	(HIER.) Ptholomeus Epyphanes regnavit Alexandriæ annis 24.

(*H. m.*) Hoc tempore Scipio Africanus ab ingrata sibi urbe Romana diu exulans, apud Amiternum opidum morbo periit, et sepulchro suo inscribi jussit : *Ingrata patria, ne ossa quidem mea habes.*

17	32	1	Seleucus, qui et Sother, filius Antiochi Magni, regnavit Alexandriæ [280] annis undecim. Hic instinctu cujusdam Symonis, qui erat prepositus templi Hierosolimitani, misit Heliodorum ad auferendas pecunias, qui correptus est a Deo, ut in Machabeorum legitur libro.
1 [281]	40	9	(HIER.) Ptholomeus Phylometor, secundus filius Epypha-
2	41	10	
3	42	11	nis regnavit Alexandriæ annis 35, a restauratione templi anno tricesimo 43°.
4	1	1	(Jos. XII, 5, sqq.) Perseus, filius Philippi, regnavit Ma-
13	10	10	cedoniæ annis 10. — Antiochus Epyphanes, id est illustris, frater Seleuci, filius scilicet Antiochi Magni, post mortem fratris sui Seleuci regnavit in Syria annis 12. Hujus sororem Cleopatram habuit uxorem Ptholomeus, qui et ipse dicebatur Epyphanes, de qua duos filios accepit, quos moriens adhuc parvulos reliquit. Quorum major, qui et pro eo regnavit, Phylometor, alter Physcon dicebatur. Antiochus autem, suo regno non contentus, exercitum ducere deliberavit in Ægyptum, tractus desiderio ejus, et contempnens filios sororis suæ quasi debiles ac tanta negotia regere non prevalentes. Perveniens igitur ad Pelusium cum magna virtute, doloque circumveniens Phylometorem consanguineum suum, occupavit Ægyptum. Et cum adisset loca Memphiticæ civitatis, cepit eam, dein [282] contra Alexandriam, ut obsideret Ptholomeum, cujus erat avunculus, tetendit, sed per duces Ptholomei pulsus est non solum ab Alexandria, verum etiam tota Ægypto (Cf. HIER. *in Dan.*). (Jos. *l. l.*) Inde reversus, ad Hierosolimam

A civitatem duxit exercitum. Quo perveniens, cepit eam sine conflictione alicujus, aperientibus ei portas his qui voluntatis ejus erant conscii, ingressusque civitatem, multos interfecit sibi contraria sentientes; sed et eos ipsos qui ei civitatem aperuerunt propter divitias templi occidit, faciensque omnia mala illa quæ in Machabeorum hystoria scripta sunt, multis de templo ablatis, reversus est Antiochiam. (HIER. *in Dan.*) Post biennium vero rursus contra Ptholomeum congregavit exercitum, et venit Alexandriam. Cumque duo fratres, Ptholomei et Cleopatræ filii, quorum avunculus erat Antiochus, obsiderentur Alexandriæ, Romam miserunt legatos.

B Cum autem Romanorum legati venissent Alexandriam, quorum unus erat Marcus Pompilius Lenas, et invenissent eum stantem in litore, senatusconsultum dederunt ei, quo jubebatur ab amicis populi Romani discedere et suo imperio contentus esse. Qui cum responsionem ad amicorum consilium distulisset, orbem fecisse fertur in arena cum baculo quem tenebat manu, et conscripsisse regem atque dixisse : *Senatus et populus Romanus precipiunt ut in isto loco respondeas quid consilii geras.* Quibus dictis ipse perterritus, ait : *Si hoc placet senatui et populo Romano, recedendum est.* Et statim recessit.

Per idem tempus, ut Josephus (XII, 6) scribit, defunctus est Onias, filius Symonis, princeps sacerdotum, relinquens filium parvulum Oniam. Unde Antiochus fratri ejus Jhesu principatum sacerdotii

C contulit, quem postea iratus abstulit et juniori eorum fratri Oniæ sive Ananiæ dedit. Habuit enim Symon, ut prediximus, tres filios, ad quos sacerdotii principatus ordine dicto pervenit. Jhesus autem Jasonem se nominavit, Onias vero sive Ananias Menelaus est nuncupatus, ut Josephus dicit. Deinde subjungit idem Josephus, Jhesum, id est Jasonem, prius sacerdotem contra Menelaum seditionem concitasse, eundemque Menelaum cum suis fautoribus, relicta religione paterna, se ad Antiochum contulisse, illumque contra Judæos incitasse, et post ab Antiocho juniore persuasu Lysiæ occidisse [283]. In quibus verbis videtur Josephus ab hystoria libri Machabeorum discrepare, in qua refertur (II, 3, sqq.) quod Menelaus frater fuerit cujusdam Symonis de

D tribu Benjamin, qui fuit prepositus templi, quique, adhuc vivente Seleuco, fratre Antiochi, propter odium Oniæ sacerdotis sibi resistentis, ne aliquid mali machinaretur in civitate, effecit ut Heliodorus a Seleuco mitteretur Hierosolimam ad auferendas pecunias de templo. Qui cum territus rediret, Symon non cessavit male loqui de Onia, et instigavit Apollonium ducem contra eum. Quibus ille cedens, contulit se ad regem, ut ejus defensione tutus viveret.

VARIÆ LECTIONES.

[279] demetrii 5. 9c. [280] *ita* 4. 5. 9c. 10. Syriæ 11. [281] *in* 5. *numeri* 1—11 *bis scripti sunt*, *in* 9c. *vero antea, columna quarta addita, legitur :* Alexander 1—11, *in* 4. *numeri* 2—13, 41—10, 10—10 *desunt; in* 10. *item* 1—13,—40—10, 10—10. [282] deinde 9c. [283] *ita quos vidi codices fere omnes;* occisum esse occidisse *altero vocabulo deleto* 10, occisum esse 11.

Post mortem vero Seleuci cum regnaret frater ejus Antiochus, hoc quod de Onia Menelao Josephus testatur, in hac hystoria (c. 4) de Jasone, fratre Oniæ, narratur. Hic enim Jason, qui et Jhesus, collectis impiis, Antiochum adiit, ejectoque per pecuniam fratre Onia, sacerdotium accepit, et accepta licentia ut gymnasium Hierosolimis ædificaret, ad ritus gentium relicta religione se transtulit. Post triennium misit Jason Menelaum, fratrem Symonis supradicti, portantem pecuniam regi [284] pro sacerdotio promissam, scilicet quingenta nonaginta talenta, sed ipse Menelaus, promittens adhuc trecentas libras regi, Jasonem subplantavit. Sic Jason, qui fratrem Oniam expulit, ipse post expulsus de patria, secundum quod dignus erat, exul periit. Menelaus autem cum non persolveret promissas pecunias, rex abstulit ei sacerdotium, et dedit illud fratri suo Lysimacho. Metuens vero Menelaus ne Onias reciperet sacerdotium, egit cum Andronico regis amico, quem rex abiens prefecit negotiis, ut Oniam interficeret; quod et fecit. Lysimacho quoque a Judæis propter sacrilegia sua occiso, Menelaus sacerdotium recepit. (Jos. XII, 14, sqq.) Quo ab Antiocho Eupatore, filio Antiochi, suadente Lysia, occiso, Alchimus quidam alienigena impius successit sacerdotio. Et hoc divinitus percusso, deficientibus hereditariis successoribus, omnium voluntate Judas Machabeus suscepit sacerdotium. Onias quippe, filius Oniæ, quem moriente patre parvulum relictum supra diximus, videns mala quæ fiebant, fugit ad Ptholomeum regem Ægypti, et benigne ab eo acceptus, impetravit ab eo regionem quæ Helyopoleos vocatur, ubi concedente rege construxit templum ad formam templi Hierosolimitani, quod per annos permansit usque ad tempus Vespasiani. Ipsa autem urbs quæ vocabatur Oniæ, dimicantibus postea Judæis adversum Romanos, ad solum usque diruta [285] est, et neque urbis neque templi ullum restat vestigium. Sub occasione igitur Oniæ infinita Judæorum examina Ægyptum confugerunt. Asserebat enim Onias, in se impletum esse vaticinium Ysaiæ scribentis : *Erit altare Domini in Ægypto et titulus Domini in terminis ejus*, et quod Ezras [286] ante sexcentos annos predixerat, quod oporteret in Ægypto templum ædificari Deo per virum Judæum. Antiocho autem Judæos affligente et ad gentilitatem per se ipsum et per missos suos cogente, Mathathias cum quinque filiis suis adversus eos arma corripuit, et patrias leges viriliter defendit. Quo post annum moriente, scilicet anno centesimo quadragesimo sexto regni Grecorum, qui est 13us Phylometoris, decimus vero Antiochi, filius ejus Judas Machabeus successit patri, et congregato exercitu, vindictam in male agentes exercuit. Is templum ab Antiocho destructum nobiliter renovavit et a sordibus ydolorum, quibus per triennium pollutum fuerat, emundavit, anno centesimo quinquagesimo secundo. Audiens etiam Romanorum virtutem, amicicias fœderavit cum eis et societatem. Post multa demum prælia feliciter gesta pugnans contra Bachidem, Demetrii principem, multos interfecit, et ipse occiditur anno quinquagesimo, cum regeret populum annos [287] quinque. Cui succedens frater ejus Jonathas, regebat populum per annos 17. Quo a Triphone occiso, Symon, frater eorum, tenuit principatum annis octo, quem accepit anno septuagesimo [288] regni Grecorum.

(*H. m.* et *H. R.*) Philippo rege Macedonum mortuo, qui et adversus Romanos bellum [289] gesserat et postea Romanis contra Antiochum auxilium tulerat, filius ejus Perseus regnum ejus tenens, rebellavit, adjutores ejus habens Cotim regem Traciæ et regem [290] Illirici Gentium nomine. Romanis autem auxilio erant Eumenes rex Asiæ, frater Attali, Ariaratus rex Capadociæ, Antiochus Syriæ, Ptholomeus Ægypti, Masinissa, Numidiæ. Brusias autem rex Bythiniæ, licet Persei sororem [291] haberet, utrisque se æquum prebuit. Contra Perseum missus consul Publius Licinius, ab eo victus est, nec tamen Romani regi pacem petenti prestare voluerunt, nisi se et suos senatui subdidisset. Mox contra eum missus Lucius Æmilius Paulus consul, vicit eum, et cum ingenti pompa Romam rediit in navi ejusdem Persei, quæ inusitatæ magnitudinis ferebatur fuisse, adeo ut sedecim ordines remorum dicatur habuisse. Triumphavit autem Paulus in curru aureo, duobus filiis suis utroque latere astantibus. Ducti autem sunt ante currum ejus duo filii regis et ipse Perseus annis quadraginta quinque natus, qui post apud Albam in custodia defecit; filius vero ejus junior fabricam æràriam ob tolerandam inopiam Romæ didicit, ibique defunctus est.

Anno autem ab Urbe condita sexcentesimo, qui 26us Phylometoris inscribitur, cum omnes Romanos ingens Celtiberorum metus invasisset, nec esset ex omnibus qui vel miles vel legatus ire in Hispaniam auderet, Publius Scipio, Africani nepos, qui et ipse post Africanus est dictus, ultro se militaturum in Hispania obtulit, cum tamen in Macedoniam contra Philippum deputatus esset. Profectus itaque in Hispaniam, stragem magnam dedit, sepius etiam militis quam ducis officio usus; nam et barbarum provocantem singulariter congressus occidit.

Eodem tempore Messala censor primus theatrum lapideum in Urbe construi jussit, quod ne tunc fieret, Scipio Nasica gravissima dehortatione obstitit, dicens inimicissimum fore populo bellatori hoc ad nutriendam desidiam lasciviæque commentum, adeoque movit senatum, ut non solum omnia theatro comparata [292] vendi jusserit, sed etiam subsellia in ludis poni prohibuerit [293], et ut neque urbani, neque

VARIÆ LECTIONES.

[284] r. p. 5. [285] dirutum 5. 9e. [286] ezdras 5. [287] annos quinque — regebat *desunt* 4. [288] centesimo sept. 11, *et ita deinceps* 100 *his numeris addit.* [289] bella 5. [290] et g. n. i. regem 5. [291] h. s. 5. [292] comparato 5. 9e. 10. [293] prohibuerunt 5.

qui a foris mille passibus adessent, sedentes ludos spectarent, ne fortitudo illorum mollesceret. Illo quoque tempore Tuccia virgo Vestalis arguebatur incesti. At illa purgare se argumentis dedignata mortalibus, ad [294] Tyberim detulit cribrum, idque submergens [295], prece addita, inquit : *O Vesta, si pia sum, si virgo sum, hanc e Tyberi aquam ad templum tuum deferam.* Et pertulit.

Anno sexingentesimo secundo tercium Punicum bellum exortum est. Igitur cum senatus aboiendam Kartaginem decrevissent, profecti consules Lucius Manlius Censorinus et Marcus Manlius, et Scipio tunc tribunus militum, prope Uticam castra majoris Africani tenuerunt. Ibi Kartaginensibus evocatis jussisque ut arma et naves traderent nec moratis, tanta vis armorum repente tradita est, ut facile tota ex his Africa potuisset armari. Sed postquam arma tradiderunt et derelicta urbe recedere procul a mari decem milibus passuum jussi sunt, dolorem ad desperationem contulerunt, aut defensuri civitatem, aut cum ipsa per ipsam sepeliendi, moxque sibi [296] duos Hastrubales duces creant, armaque facere aggressi, postquam æs ferrumque defecit, aurea argenteaque fecerunt. Consules Romani urbem aggressi, cum aliquantam muri partem [297] machinis diruissent, a Kartaginensibus victi sunt atque repulsi. Quos fugientes Scipio defendit, hoste intra muros repulso. Is apud omnes ingenti metu et reverentia erat, nam et paratissimus ad dimicandum et promptissimus erat ad consulendum, nec quicquam magis duces Pœnorum vitabant, quam contra eam partem Romanorum committere ubi Scipio dimicabat. Per idem tempus Masinissa rex Numidarum, per annos fere sexaginta amicus populi Romani, mortuus est anno vitæ suæ nonagesimo septimo, valentissimo semper corpore perseverans. Hic est vir qui numquam in ymbre vel maximo caput suum texit aut frigore, et tam diu in uno stetit vestigio, ut prius juvenes lassitudine cederent, quam ille de loco in quo steterat moveretur. Si stetisset, ne membrum quidem tota die movebat, si iter ingressus est eques, non descendebat, si pedes, non ascendebat, solebatque equitans in exercitu nocti diem sepissime conjungere, et sui custodiam tutelamque sevissimis canibus committebat. Post octogesimum sextum annum genuit filium, cui nomen fuit Methuma, nichilque quod juvenis fecit ævo ultimo pretermisit. Moriens igitur 44 filios reliquit, inter quos divisorem esse Scipionem jussit. Qui postquam inter eos Numidiæ regnum divisit, Kartaginem reversus est.

Anno a Roma condita sexingentesimo sexto, qui est Phylometoris 32[us], cum clarum esset nomen Scipionis, juvenis adhuc consul factus est, et delere Kartaginem suprema sorte molitus, Cothonem ingressus est. Ubi cum sex diebus continuis noctibusque pugnarentur, ultima desperatio Kartaginenses ad deditionem traxit, petentes, ut quos belli clades reliquos fecit, saltem servire liceret; ac primum agmen mulierum satis miserabile, post virorum magis deforme descendit. Nam fuisse mulierum 25 milia, virorum 30 milia, memoriæ traditur. Rex Hastrubal se ultro dedit, suique tantum salutem obtinuit; transfugæ voluntario precipicio dati, consumpti sunt igni, quosquos autem transfugas Romanos Scipio obtinere potuit, crucibus affixit, Latinos securi percussit. Uxor Hastrubalis ubi ardentem Kartaginem aspexit, viro suo cum duobus filiis suis occurrit, eique dixit : *Vive tu, qui superstes esse Kartagini potes, nam pro nobis frustra rogasses.* Et volentibus filiis, virili dolore, femineo furore, in medium se conjecit incendium, eodem modo exitum mortis faciens extrema regina, quem quondam fecerat prima. Ipsa vero civitas decem et septem diebus continuis arsit, miserumque spectaculum de varietate conditionis humanæ victoribus suis prebuit, dirutaque est, omni murali lapide in pulverem converso. Cujus situs hujusmodi fuisse dicitur. Per viginti duo milia passuum muro amplexa, toto pene mari cingebatur, absque faucibus, quæ tribus milibus passuum aperiebantur. Is locus murum triginta pedibus latum habuit saxo quadrato, in altitudine cubitorum 40. Arx, cui Birsæ nomen fuit, paulo amplius quam duo milia passuum tenebat. Ex una parte murus communis urbi et Birsæ erat, imminens mari, quod mare Stagnum dicitur. Igitur Kartago septingentesimo anno postquam condita est deleta est, multitudo omnis captivorum, exceptis paucis principibus, vendita est. Ita quarto postquam cœptum est anno tercium Punicum bellum est terminatum. Scipio nomen quod avus ejus acceperat, meruit, scilicet ut propter virtutem etiam ipse Africanus junior vocaretur.

Eodem anno Chorinthus, nobilissima Greciæ civitas, subversa est incendio a Mummio [298] consule. Ubi cum, propter multitudinem et varietatem statuarum simulachrorumque, in illo tantæ civitatis incendio permixta in unum auri, argenti atque æris metalla fluissent, novum genus metalli factum est. Unde usque hodie, sive ex ipso sive ex imitatione ejus, æs Corinthium dicitur et vasa Corinthia. Hoc tempore tres celeberrimi triumphi simul Romæ fuerunt : Africani ex Africa, ante cujus currum ductus est Hastrubal ; Metelli ex Macedonia, cujus currum precessit Andariscus, qui et Pseudophilippus, rex Macedonum ; Mummii [299] ex Corintho, ante quem signa ænea et pictæ tabulæ et alia urbis clarissimæ ornamenta prelata sunt. Interfecto autem Pseudophilippo, qui sibi Macedoniam usurpavit, itemque Pseudoperseo, qui se Persei filium jactavit, Macedones gentium dominos [300] Romani principes tributarios fecerunt, regnumque Macedonum defecit. (Hier.)

VARIÆ LECTIONES.

[294] *deest* 9c. [295] *in* 10. *alia manu additur* in aqua ; in aquam 11. [296] m. d. H. sibi duces 5. [297] p. m 5. [298] nummio E. muminio 4. [299] muminii 4. nummii 9c. [300] domini R. tributarios se fecerunt 9c.

Statius Cecilius comediarum scriptor clarus habetur his diebus, qui natione Gallus, sive ut alii dicunt Mediolanus, primum Ennii contubernalis, sequenti anno post mortem ejus mortuus est. Ennius vero poeta 70° ætatis suæ anno articulari morbo periit, sepultusque est in monumento Scipionis, via Appia, intra primum ab Urbe miliarium. Tunc etiam Lucius [301] poeta nascitur.

Alex.	Jud.	Syr.	
14	1	11	Deficiente regno Macedonum,
15	2	12	cœpit regnum Judæorum, ubi primus eo tempore principatum tenebat Judas Machabæus annis 5, ab anno 47 regni Grecorum, qui est 14ᵘˢ Phylometoris, 11ᵘˢ vero Antiochi Illustris (Cf. HIER.).
16	3	1	(Jos.) Antiochus Eupator,
17	4	2	filius Antiochi Illustris, regnavit in Syria annis duobus.

Anni ab inicio 3800.

13	5	1	Demetrius Seleuci filius fratris Antiochi Illustris, occiso Antiocho Eupatore, filio [302] patrui [303] sui, regnavit in Syria annis 11. Hic [304] habuit filios duos, Demetrium sibi æquivocum et Antiochum, qui dictus Sedites vel Sother.
19	1	2	Jonathas, frater Judæ Machabei, post mortem ejus suscepit principatum, et per annos 18 strenue rexit populum. (HIER.) His temporibus Aristobolus equidem phylosophus commentarios scripsit in libros Moysi, et optulit Ptholomeo regi.
27	9	10	Annus sexcentesimus
28	10	11	ab Urbe condita.
29	11	1	Alexander, item filius Antio-
30	12	2	chi Illustris, frater Eupatoris,
31	13	3	occiso Demetrio, patrui sui Se-
32	14	4	leuci filio, regnavit annis 4. Hic ducens Cleopatram, Ptholomei regis filiam, genuit ex ea Antiochum.
33	15	1	(Jos.) Demetrius, filius De-
34	16	2	metrii, quem Alexander occi-
35	17	3	dit, regnum eo vivente invasit, cui Ptholomeus Phylometor Cleopatram filiam suam Alexandro ablatam conjunxit, occisoque Alexandro, regnavit Demetrius annis quinque, sed quinto captus est ab Arsace Parthorum rege. Regnante autem adhuc Demetrio, Triphon quidam partium Alexandri tulit Antiochum, filium ejusdem Alexandri, et licet adhuc parvulo diadema imposuit ut regnaret, sed quarto imperii ejus anno dolo occidit eum, ipseque regnavit. Sed et hoc tercio sui regni anno interfecto, Antiochus frater Demetrii regnavit, cui Cleopatra fratris uxor nupsit, de qua filium suscepit nomine Antiochum, qui dictus est Cizicenus a civitate Cizico, in qua nutritus est. Demetrius quoque, frater Antiochi, ex eadem Cleopatra filium habuit ejusdem nominis Antiochum, qui dictus est Griphus. Hi duo fratres Antiochi dicti postea de regno contenderunt. Antiochus, Alexandri filius, imposito sibi diademate a Triphone, regnavit contra Demetrium annis 4, sed quarto anno ab eodem Triphone per dolum occisus est.

Alex.	Jud.	Syr.	
1	18	4	(HIER.) Ptholomeus Evergetes secundus regnavit Alexandriæ annis 29, a restauratione templi anno 388°. (*H. M.*) His temporibus Romæ puer ex ancilla natus est quadrupes, quadrimanus, oculis quatuor, auribus totidem, naturam virilem duplicem habens. In Boniniensi [305] agro fruges in arboribus natæ sunt.
2	1	5	(Jos.) Symon, frater Judæ et Jonathæ, post mortem eorum, rexit populum Judæorum annis octo.
3	2	1	Triphon, occiso Antiocho,
4	3	2	regnavit annis tribus, sed anno
5	4	3	tercio etiam ipse [306] occisus est.
6	5	1	Antiochus, qui et Sedites est appellatus, frater Demetrii, postquam captus est frater ejus a rege Parthorum, ipse regnavit annis 15, fratrem a captivitate liberavit, qui post ipsum regnavit.
10	1	5	(Jos. XIII, 13.) Johannes, qui et Hyrcanus, filius Symonis, interfecto patre cum duobus filiis in convivio per insidias generi sui Ptholomei, qui erat dux circa Hiericho, tenuit principatum Judæorum annis triginta et uno. Hic contra Hircanos bellum gerens, Hircanus appellatus est. (HIER.—Jos. *de bell. Jud.*, I, 3.). Hic vir plane beatissimus, tria maxime præcipua solus habebat, quia dux et pontifex et propheta erat, cum quo Deus [307] ita colloquebatur, ut futurorum nichil penitus ignoraret. (HIER.) Hic prælia multa peregit, primum contra Ptholomeum sororis suæ virum, deinde Samariam obsidione captam solo coæquavit, quam postea Herodes instaurans, Sebasten in honorem Augusti appellavit. Antiochus quoque, quem quidam Seditem, quidam vero Spondium vocant, frater Demetrii, pridem Symoni infensus, secundo Hyrcani anno, adducto exercitu, Hierosolimis obsedit Hyrcanum. (Jos. *ib.* I, 2) At ille patefacto sepulcro David, plus quam tria milia talentorum inde abstulit, datisque trecentis Antiocho, ut a civitate recederet persuasit. Et ut facti leniret invidiam, fertur ex hac pecunia instituisse xenodochia, quibus susciperet pauperes et peregrinos. Cumque fortunatissime viveret per annos 30 et unum, optime rebus amministratis, moritur, quinque filiis relictis. Quorum maximus natu Aristobolus, translato in regnum principatu, primus apud Judæos diadema sibi imposuit, 398 annis ac tribus mensibus exactis post

VARIÆ LECTIONES.

[301] lucilius 11. [302] *deest* 4. 9c [303] patruo suo 4. [304] Hic — Sother *desunt* 10. 11. [305] boniensi 5. [306] c. i. a. t. 5, anno tercio ipse eciam 9c. [307] cum deo 9c.

quam populus de Babylonica rediit captivitate. Fratrem Antigonum a se secundum natu, quem diligere videbatur, in honore pari producebat, alios vero vinctos custodiæ tradidit, matremque, ausam aliquid de potestate contendere [308], itidem colligavit fameque necavit, sed et Antigonum fratrem postea peremit. Post necem vero matris et Antigoni fratris ipse dignissimo atque crudelissimo viscerum dolore tortus detestabiliter moritur, cum non plus uno anno regnaret. Uxor autem ejus [309], fratrum vinculis dissolutis, regem constituit Alexandrum, fratrem ejus, qui ætate major erat, et modestia præstare videbatur.

Alex.	Jud.	Syr.	
21	12	1	Demetrius, frater Antiochi, per fratrem a captivitate liberatus, regnavit post mortem fratris annis 12.
29	20	9	

(*H. m.*) Anno ab Urbe condita sexingentesimo vicesimo, qui est 11us Ptholomei Evergetis secundi, Scipio Africanus junior consensu omnium secundo consul est creatus atque ad obpugnandam Numantiam Hispaniæ civitatem cum exercitu missus. Hæc per annos 14 cum solis 4 militibus suorum 40 milia Romanorum non solum sustinuit, sed etiam vicit pudendisque fœderibus affecit. Scipio itaque ingressus Hispaniam, non statim aggressus est Numantinos quasi incautos, quos noverat semper esse paratos, sed aliquamdiu militem suum, viciosum et ignavum pro culpa ducum priorum, exercendo magis quam puniendo, sine aliqua acerbitate in castris velut in scolis exercuit, deinde omnia quæ voluptatis causa haberentur in castris severo summoveri jussit edicto. Denique scortorum duo milia cum lixis e procinctus ejus loco ejecta sunt, tantumque subito sub districto judice profecit exercitus, ut Numantiam, diu perniciosissimam Romanis, brevi exæquaret solo. Igitur cum partem æstatis totamque hiemem, ne attemptata quidem pugna, transegisset, parum propemodum hac profecit industria. Nam ubi copia pugnandi facta est, exercitus Romanus impetu Numantinorum obpressus, sicut solebat, terga vertit, sed increpatione et minis objectantis se consulis manuque retinentis [310] tandem indignatus, in hostem rediit, et quem fugiebat fugere compulit. Difficilis tunc in relatu fides; Numantinos effugavere et fugientes videre Romani. Unde quamvis Scipio, quia preter spem acciderat, lætus esset, tamen bello ultra adversum eos audendum non esse professus est. Itaque urbem obsidione conclusit, fossa circumdedit, cujus latitudo pedibus decem, altitudo viginti fuit, ipsumque deinde aggerem sudibus prestructum crebris turribus communivit. Ad hoc bellum Micipsa rex Numidarum in auxilium Scipioni Jugurtam misit, qui fortiter agens, gloriam acquisivit et gratiam coram Scipione invenit. Igitur Numantini diu conclusi et fame trucidati, cum facultatem pugnæ sepe deposcerent, ut eis [311] mori tamquam viris liceret, nec impetrassent, novissime duabus subito portis eruperunt, larga prius potione usi, non vini, cujus ferax is locus non est, sed suco tritici per artem confecto, quem sucum a calefaciendo celiam vocant. Hac igitur [312] potione post longam famem recalescentes, bello se obtulerunt, subitoque super Romanos irruerunt. Atrox diu certamen et usque ad periculum Romanorum fuit; iterumque se Romani adversum [313] Numantinos pugnare fugiendo probavissent, nisi sub Scipione pugnassent. Numantini, interfectis suorum fortissimis, bello cedunt, compositis tamen ordinibus nec sicut fugientes in urbem revertuntur; corpora interfectorum ad sepulturam oblata accipere noluerunt, novissima spe desperationis omnes in mortem destinati, clausam urbem ipsi introrsum succenderunt, cunctique pariter ferro, veneno atque igne consumpti sunt; Romani nichil ex his victis penitus habuere nisi securitatem suam; neque enim, eversa Numantia, vicisse se magis quam evasisse dixerunt. Unum Numantinum victoris catena non tetigit, unde triumphum dederit; quicquid supellectilis fuit, ignis absumpsit. Tunc Scipio Tyresium quendam Celticum principem interrogavit qua de causa Numantia prius invicta durasset et post eversa fuisset. Respondit Tyresius: *Concordia victoriam, discordia excidium prebuit.* Quod Romani tamquam sibi ac de se dictum exempli loco acceperunt, quippe quibus jam de seditionibus discordantis totius Urbis nunciabatur.

Ea namque tempestate, qua hæc gerebantur apud Numantiam, Gracchorum [314] seditiones agitabantur apud Romam. Kartagine quippe Numantiaque deletis, oritur apud Romanos utilis de provisione collatio, sed infamis de ambitione contentio. Gracchus [315] itaque tribunus plebis iratus nobilitati, cur eum inter auctores Numantini fœderis, quod per Mancinum consulem turpiter factum est, notarent, agrum a se privatim catenus obsessum populo dividi statuit, Octaviano tribuno obsistenti ademit imperium eique successorem dedit Minutium. His causis seratum ira, populum superbia invasit. Inter hæc quoque Attalus rex Asiæ, frater Eumenis, moritur, populum Romanum scripto heredem reliquit, et ita Romano imperio regnum Asiæ per testamentum accessit. Gracchus [315] populi gratiam precio appetens, legem tulit ut pecunia quæ Attali fuisset populo distribueretur. Obsistente Scipione Nasica etiam Pompeius spopondit se Gracchum, cum primum magistratu abiret, accusaturum. Gracchus autem annitebatur ut ipse tribunus plebis sequenti anno permaneret. Et cum comitiorum die seditiones populi accenderent, auctore Nasica nobilitas inflammata, fragmentis subselliorum plebem fugavit. Gracchus

VARIÆ LECTIONES.

[308] *deest* 9c. [309] e. que etate *cæteris omissis* 9c. [310] renitentis 5. [311] eis ut 5. [312] ergo 5. [313] adversis 5. [314] Graccorum, Graccus *Codd. his locis.*

per gradus qui sunt super Calpurnii fornicem, detracto adminiculo fugiens, ictus fragmento subsellii corruit, rursusque assurgens, alio ictu clavi cerebro impacto exanimatus est. Ducenti preterea in ea seditione interfecti, eorumque corpora in Tyberim projecta sunt, ipsius quoque Gracchi cadaver inhumatum contabuit.

Anno debinc secundo Publium Scipionem pridie in concione [315] de periculo salutis suæ contestatum, quod sibi pro patria laboranti ab improbis et ingratis denunciari cognovisset, alio mane exanimem repererunt, idque inter maxima Romanorum mala censuerunt [316], præsertim cum tantum in urbe illa Africani vigor et modestia valeret, ut facille illo vivo neque sociale neque civile bellum existere posse crederetur. Hunc quidem necatum ferunt dolo uxoris suæ Semproniæ, quæ soror erat Gracchorum, ne scelerata, ut credo, familia ad perniciem patriæ suæ inter impias seditiones virorum non etiam sceleribus mulierum esset immanior. Causa vero interitus ejus hæc fuit. Gaius Carbo tribunus plebis cupiens necem vindicare Gracchianam et excitare seditionem sopitam, Publium Scipionem Africanum, eruta Numantia revertentem interrogavit quid de Gracchi morte sentiret. Cui Africanus ait, jure occisum sibi videri.

Post hæc Gaius Grachus, Gracchi illius qui jam in seditione occisus fuerat frater, tribunus plebis per tumultum creatus, magna rei publicæ pernicies fuit. Nam cum sepe populum Romanum largitionibus promissisque nimiis in acerbissimas seditiones excitasset, tandem a tribunatu, Minutio successore, decessit. Qui Minutius cum decessoris sui Gracchi statuta convulsisset legesque abrogasset, Gaius Gracchus cum Fulvio Flacco, ingenti stipatus agmine, Capitolium, ubi contio agitabatur, ascendit, ibique cum eo duobusque filiis suis armatis maximum tumultum excitavit; sed econtra Decius Brutus vir consularis ac Lucius Publicius (213) cum ingenti certamine insistunt. Ibi Flaccus diutissime pugnavit, Gracchus vero in templum Minervæ secedens, gladio incumbere voluit, sed interventu Letorii [317] retentus est. Cumque diu anceps bellum ageretur, tandem sagittarii ab Opimio missi, consertam multitudinem disturbaverant. Duo Flacci pater et filius, cum per ædem Lunæ in privatam domum desiluissent foresque objecissent, areticio graticio [318] parieti [319] affixi sunt. Gracchus, diu pro se pugnantibus amicis ac pereuntibus, ægre ad pontem Subsilicium pervenit, ibique, ne vivus caperetur, cervicem servo suo prebuit. Cujus caput abscisum consuli allatum est, corpus ad Corneliam matrem Misenum opidum devectum est. Hæc autem Cornelia majoris Africani filia fuit, quæ post p ioris filii Gracchi mortem Misenum secessit. Bona Gracchi publicata sunt; Flaccus adolescens in robore necatus est, ex factione Gracchi ducenti in Aventino monte cæsi fuisse referuntur. Opimius autem consul, sicut in bello fortis, ita in questione fuit crudelis; nam amplius quam tria milia hominum suppliciis necati sunt, ex quibus plurimi, ne dicta quidem causa, innocentes occisi sunt. Hæc Gracchorum seditio, hic finis fuit.

Anno ab urbe condita sexingentesimo 37, qui est 28[us] Ptholomei Evergetis secundi, Publio Scipione Nasica et Lucio Calpurnio Bestia consulibus, Jugurtæ, Numidarum regnum invadenti [320], consensu Romani populi bellum senatus indixit, de quo Sallustius Crispus plenissime scribi

His temporibus Ptholomei Evergetis secundi misera vita miserabiliorem vitæ exitum dedit. Is enim sororem suam, stupro cognitam ac deinde in matrimonio receptam, novissime turpius quam duxit abjecit; privignam suam, hoc est filiam sororis et conjugis, conjugem asscivit; filium quem ex sorore susceperat, necnon et filium fratris occidit. Quamobrem, tantis incestis parricidiisque execrabilis, anno regni sui 29° ab Alexandrinis regno pulsus est.

(Hier.) His temporibus Cicero Arpini nascitur, matre Helwia nomine, ex regio Vulscorum genere, patre vero equestris ordinis. Marcus quoque Furius poeta, cognomento Bibaculus, Cremonæ nascitur.

Alex. Jud. Syriæ.

1 21 10 Ptholomeus, qui et Phiscon vel Sother, regnavit Alexandriæ annis 17, a restauratione templi anno 407°. Hic postea per matrem Cleopatram de regno pulsus, Cyprum secessit, iterumque post annos aliquot in regnum rediit.

1 24 1 Antiochus, qui et Gryphus, filius Demetrii, regnavit Syriæ; sed frater ejus Antiochus Cizicenus, filius Antiochi, fratris Demetrii ex eadem muliere Cleopatra, ejecto fratre, regnavit ipse; rursusque frater, hoc depulso, regnum recepit; sicque contendebant inter se per annos 19, et ex hoc regnum illud per se non habuit, sed in Romanorum ditionem cessit.

12 1 9 Aristobolus, filius Johannis Hyrcani, principatum Judæorum post patrem suscepit, primusque, imposita sibi corona, anno uno regnavit.

13 1 10 (Jos. *De bell. Jud.*, I. 3.) Alexander, qui et Janneus, frater Aristoboli, post mortem fratris pontificatum Judæorum pariter cum regno suscepit, et per viginti septem annos [321] in

VARIÆ LECTIONES.

[315] contentione 4, 5. [316] recensuerunt 9c [317] lictoris 11. [318] *ita* (*i. e.* a Reticio Graticio?) *omnes quos vidi codices, quum in Hist. miscella et* 11. *legatur :* rescisso craticio pariete confossi sunt. [319] pariete 5. [320] invadendi 4. 5. 9c. 10. [321] et XXVIII annis 9c.

NOTÆ.

(213) Hæc Ekkehardus ex verbis H. m. : *a clivo Publicio* deformavit.

cives suos crudelissime regnavit. Non enim minus A [quam [322]] quinquaginta milia de propria gente debellando per sex annos interfecit, proprios quoque fratres [323] alterum occidit, alterum rebus omnibus nudatum contemptibili vita secum habuit. Qui 27° anno moriens, conjugi suæ Alexandræ, quæ et Salina vocabatur, regni gubernacula cum duobus filiis parvulis reliquit. Cujus actus qui latius scire voluerit, tercium decimum Josephi librum antiquitatis hystoriæ legere curet.

Alex.	Jud.	Syr.	
1	6	15	(Hier.) Ptholomeus, qui et Alexander, pulso de regno Ptholomeo Phiscone per matrem Cleopatram, regnavit Alexandriæ annis novem, a restauratione templi anno 424°.
2	7	16	
3	8	17	
4	9	18	
5	10	19	
6	11		
7	12	defecit	
8	13	regnum	
9	14	Syriæ.	

(*II. m.* et *H. R.*) Anno sexingentesimo quinquagesimo nono, qui est quartus Ptholomei Alexandri, cum prope omnia bella extranea cessassent, superato in Numidia per Metellum primum, deinde per Marium et Syllam Jugurta, post hæc Cimbris et Teutonibus per Marium et Quintum Catulum, gravissimum in Italia bellum Picenses [324] et Marsi Pelignique moverunt, qui annis numerosis jam Romanis subjacuerunt. Contra quos a Romanis bene pugnatum est a Gaio Mario, qui jam sexies consul fuerat, et a Gneo Pompeio, maxime tamen a Lucio Cornelio Sylla, qui inter alia egregia Cluentium ducem hostium ita cum magnis copiis fudit, ut ex suis unum [325] amitteret. Hoc bellum quadriennio cum gravi calamitate tractum, quinto demum anno finem accepit per Lucium Cornelium Syllam, tum consulem, cum antea in eodem bello multa strenue prætor egisset. Ipso in tempore dira prodigia visa sunt. Nam sub ortu solis globus ignis a septentrione cum maximo cœli fragore micuit; apud Aretinos in convivio e panibus cruor quasi e vulneribus corporum fluxit; per septem continuos dies grando lapidum, immixtis etiam testarum fragmentis, terram latissime verberavit; in Samniæ partibus e vastissimo terræ hiatu flamma prorupit et usque ad cælum extendi visa est. Tunc etiam omnium generum animalia, quæ inter homines vivere solent, relictis stabulis pascuisque, cum balatu, hinnitu gemituque miserabili ad silvas montesque fugerunt; canes, quorum natura est extra homines esse non posse, lacrimosis ululatibus vagi luporum ritu oberravere-runt. Nec mora, post hæc tam gravia prodigia civilia bella secuta sunt.

Anno quippe Urbis conditæ sexcentesimo 92° sociali bello, multis repugnantibus per totam Italiam suscitato, intestinum bellum adjunctum est, multiplicesque calamitates perturbaverunt populum Romanum, quamvis jam Romani multarum domini vocarentur gentium. Causam vero civilis belli Marius, jam sexies consul, dedit. Nam cum Sylla consul, gesturus bellum contra Metridatem, qui Asiam et Achaiam invaserat, mitteretur, sed exercitum adhuc paulisper in Campania teneret, ut belli socialis, quod, ut supra diximus, in Italia gestum est, reliquiæ tollerentur, Marius affectavit ut, septimo consulatu sibi commisso, ipse ad bellum Metridaticum mitteretur. Qua re Sylla commotus, cum exercitu ad Urbem venit, et ante Urbem legatum Marii quasi B primam victimam belli civilis occidit, mox Urbem irrupit, et contra Marium ac Sulpicium dimicans, Sulpicium occidit, Marium fugavit, atque ita ordinatis in futurum annum consulibus Gneo Octavio et Cornelio Cinna, ad Asiam profectus est. Marius vero cum permovere nobilitatem, inflammare plebem, perarmare ordinem equestrem adversus Syllam frustra temptasset [326], tandem in Capitolium cessit; sed a partibus Syllanis graviter contritus, ab eo diffugit, et persequentium instantia circumseptus, in Minturnensium paludibus sese abdidit, e quibus infeliciter luto oblitus ignominioseque protractus, turpi quoque spectaculo Minturnas deductus, contrususque in carcerem, percussorem ad se mis- C sum [327] solo visu conterruit. Deinde lapsus e vinculis, in Africam transfugit, sollicitatoque ex Utica filio suo Mario, ubi is custodia observabatur, continuo Romam regressus est, Cinnæque consuli societate scelerum conjunctus est; sicque collecto exercitu, Romam ingressi, nobilissimos e senatu et consulares viros interfecerunt, multos proscripserunt; ipsius Syllæ domo eversa, uxorem ejus et filios ad fugam compulerunt; universus reliquus senatus ex Urbe fugiens, ad Syllam in Greciam venit; orans ut patriæ subveniret. Qui statim in Italiam trajecit. Marius autem cum septimum consulatum invasisset, Cinna jam tercio consule, in exordio consulatus septimi sera tandem morte prereptus est; Cinna vero ab exercitu suo interfectus est. ReverD tens autem Sylla, cum jam Romæ consules mutati essent, et Marius, Marii filius, ac Papirius Carbo consulatum accepissent contra Marium juniorem dimicans, 15 milia occidit, de suis 400 amisit. Mox etiam Urbem ingressus, tria milia hominum contra datam fidem inermes peremit. Cumque magna crudelitate contra sontes insontesque seviret, Quintus Catulus palam Syllæ dixit: *Cum quibus tandem victuri sumus, si in bello armatos, in pace inermes occidimus?* Sylla itaque Marium, Marii filium, Præneste persecutus, obsedit et ad mortem compulit, post hæc de Metridate ingenti gloria triumphavit.

VARIÆ LECTIONES.

[322] *ita* 9e. *deest* 4. 5. 10. 11. [323] *deest* 5. [324] picensis 5. [325] unum non 4. non unum 11. [326] *deest* 8e [327] misso 5.

(*H. m.*) Gneus autem Pompeius, quod nulli Romanorum tributum erat, vicesimum quartum annum ætatis agens, de Africa trimphavit. Sylla itaque post multa flagicia dictator creatus est, ut dominationis et crudelitatis libido honesti nominis reverentia velaretur. Novissime tamen potestate privatus moritur, tandemque conclusa sunt duo bella funestissima, sociale Italicum et civile Syllanum, quæ per annos decem protracta, plus quam centum quinquaginta milia Romanorum consumpserunt. (Hier.) His temporibus Terrentius Varro tricesimum quintum annum ætatis agens, litteras summo studio didicit. Cicero, defenso contra Chrisogonum Rustico [328], Athenas cedit, deinde post triennium Romam regressus, 26° ætatis suæ anno etiam Quintium defendit. Quo in tempore Plotius Gallus Romæ Latinam rethoricam primus docuit, cujus etiam Cicero meminit. Lucius Pomponius Bononiensis catillarum [329] scriptor tunc claruit. Lucretius etiam poeta nascitur, qui amatorio poculo hausto in amentiam versus, aliquos libros per intervalla vesaniæ scripsit, quos Cicero postea emendavit. Crispus quoque Salustius hystoriographus nascitur. Virgilius Maro in pago qui Andes dicitur haut procul a Mantua nascitur. Portius Cato Stoicus phylosophus cognoscitur. His temporibus Apollodorus Pergamenus Grecus orator, preceptor Callidii et Augusti, clarus habetur. Horatius Flaccus libertino patre Venusii nascitur, satyricus postea et lyricus poeta. Virgilius Cremonæ studiis eruditur; dehinc sumpta toga, Mediolanum transgreditur, et post breve tempus Romam pergit.

Alexand. Jud.

1 15 (Hier.) Ptholomeus Phiscon, qui ejectus fuerat a matre, regressus de fuga, regnum recepit, quoniam Alexandrum, qui eo pulso regnavit, ob interfectionem matris ejus cives expulerunt. Regnavit autem hic postea annis 8, a restauratione templi anno quadringentesimo tricesimo tercio.

1 23 Ptholomeus Dionisius, frater Cleopatræ, regnavit Alexandriæ annis 30, a restauratione templi anno 441°.

6 1 Mortuo Alexandro Judæorum principe, uxor ejus Alexandra, quæ et Salina dicta est, regnum Judæorum per annos novem obtinuit. (Jos. *De b. J.*, I, 4.) Quæ cum duos filios ab Alexandro generatos haberet, Hyrcanum natu majorem propter ætatem declaravit pontificem et propter modestiam regem post se constituit, minorem autem Aristobolam privatum vivere voluit, quia ferventioris erat ingenii. Alexandra vero dum regnum novem annis administraret, morbo laboravit. Tunc minor filius ejus Aristobolus cum servis suis, quos multos habebat omnesque pre ætatis fervore fidissimos, universa castella obtinuit, et conductis auxiliis pecunia quam ibi reperit, regem se declaravit. Ob hæc miserata querelas Hyrcani mater, conjugem Aristoboli cum filiis includit in castello quodam; ante tamen moritur, quam injurias Hyrcani ad plenum ulciscereturr.

Alex. Jud.

15 1 Hyrcanus, Alexandri Jannei et Alexandræ Salinæ filius, post obitum matris suscepit regnum Judæorum, a matre sibi commissum; sed frater ejus Aristobolus zelo ductus, impugnavit et expulit illum. Qua dissensione actum est ut Romani ductores Judæam intrarent; sicque annuente Pompeio Hyrcanus principatum recepit. Quem cum per 33 annos administraret, consilio Antigoni, filii fratris sui, a Parthis captus est, et ita regnum et sacerdotium Judæorum defecit. Nam idem Antigonus a Parthis principatum accipiens, a Romanis interfectus est, et principatus ad aiienigenas translatus est [330].

18 4 Anni ab inicio 3900.

30 16

(*H. m.* et *H. R.*) Anno ab Urbe condita sexingentesimo 81°, qui est nonus Ptholomei Dionisii, duo tantum gravia bella in imperio [331] erant Romano, Metridaticum et Macedonicum. Hæc duo Luculli agebant, Lucius Lucullus Metridaticum, et consobrinus ejus Marcus Lucullus Macedonicum. At Lucius Lucullus transgressus Eufraten et Tygrin, cum Metridate congressus est, et cum parva suorum manu 30000 hostium occidit; Metridates, vix centum quinquaginta comitantibus, aufugit, diademate et thyara [332], ne agnosceretur, abjectis; castra ejus direpta sunt; Armenia quoque minor, quam tenuit, ei ablata est. Qui fugiens, susceptus est a Tygrane rege Armeniæ, qui tum cum ingenti gloria imperabat, Lucullus vero repetens hostem fugatum, etiam Tygranis ingressus est regnum, ipsumque rebellantem ita devicit, ut magnam partem Armeniæ deleverit. Alter autem Lucullus, qui Macedoniam administrabat, Bessis primus Romanorum intulit bellum, hisque cum pluribus aliis gentibus superatis, Macedoniam totam devicit, et victor rediit. Eodem tempore Cretam insulam Metellus per biennium debellans, in potestatem Romanorum redegit, legesque Minoas Romanis legibus permutavit; unde et Creticus dictus est a Creta.

Quo tempore Lybia quoque per testamentum Appionis, qui tunc rex ejus erat, Romano imperio accedebat, in qua inclitæ urbes erant Beronice, Ptholomais, Cyrene. Dum hæc aguntur, pyratæ [333] per omnia sparsi maria, non solum navium commeatus intercipiebant, sed etiam insulas provinciasque vastabant. Quos Gneus Pompeius, commisso sibi bello, intra paucos menses ingenti felicitate miraque celeritate compressit. Postea successor Luculli factus, Metridatem impugnatione frequenti vehementer affixit. Eo tempore Castor, Metridatis prefectus, qui Panagorio preerat, interfectis amicis regis, arcem cœpit, et quatuor filios Metridatis ad presidia Ro-

VARIÆ LECTIONES.

[328] *ita pro* Roscio *codd.* [329] *ita pro* atellanarum *codd.* [330] transiit 5. [331] erant in i. 5. [332] cythara 9°. [333] pyrati 5.

mana transmisit. Metridates accensus ira, exarsit in scelera ; nam plures amicos suos interficiens, Exipodram filium suum interfecit, cum jam ante alium filium [334] Mocharen trucidasset. Pharnaces autem, filius ejus, exemplo fratrum territus, exercitum ad se persequendum a patre missum sibi conciliavit, statimque adversus patrem duxit justo judicio, quia et ille adversus patrem suum de regno [335] concertavit. Interea Metridates diu ex altissimo muro filium frustra deprecatus, ubi eum inexorabilem vidit, moriturus exclamasse fertur : *Quoniam Pharnaces*, inquit, *mori jubet, vos, si estis dii patrii, precor, ut quandocumque et ipse hanc vocem a liberis suis audiat.* Statimque descendens ad uxores et pelices ac filias suas, venenum omnibus dedit. Quod cum ipse novissimus omnium hausisset, nec tamen, propter remedia quibus vitalia sua adversus noxios sucos sepe obstruxerat, veneno confici posset, frustraque spaciaretur, si quo tandem modo infusa pestis per venas vegetatione corporis acta discurreret, Gallum quendam militem, jam fracto muro discurrentem, invitavit [336], eique jugulum prebuit. Hunc exitum vitæ Metridates habuit, homo, ut ferunt, omnium supersticiosissimus, qui viginti duarum gentium linguis, quas sub regno suo habuit, ita locutus est, ut numquam legationes sub interpretibus audiret. Periit autem apud Bosphorum, vir ingentis consilii et industriæ. Regnavit annis 40, vixit 72, semper habens secum phylosophos omniumque artium peritissimos. Contra Romanos habuit bellum annis 40, sive, ut alii dicunt, 30.

Pompeius vero, Metridatis occisi nuncio accepto, Tygrani bellum intulit; sed ille ei se [337] dedidit, ac diadema suum, cum procubuisset ad genua Pompeii [338], in manu ejus collocavit, quod ei Pompeius reposuit, honorificeque eum habuit, regni tamen parte sublata, grandi eum pecunia multavit, quia bellum sine causa Romanis intulit. (Jos. *De b. J.*, I, 5.) Inter hæc autem Scaurum legatum in Syriam misit eique omnia negocia ibi agenda commisit. Qui cum Damascum veniret, audiens quæ in Judæa inter Hyrcanum et Aristobolum fratres gerebantur [339], illuc tetendit. Ad quem cum utriusque fratris legati venirent, acceptisque ab Aristobolo trecentis talentis, parti ejus favit, justicia pecuniæ posthabita [340]. Interea Pompeius, Armenia superata et omnibus partibus illis, cunctisque pro voto ordinatis, in Syriam divertit, deinde Damascum venit, Antipater autem quidam genere Idumeus, divitiis et aliarum rerum copia gentis suæ princeps, jam dudum invisus Aristobolo, hortabatur Hyrcanum ut se conferret ad Pompeium. Ad quem veniens, magnis ei datis muneribus, sibi eum conciliavit. (*H. m.*) Qui tendens Hierosolimam, cum sibi a partibus Aristoboli resisteretur, obpugnationem intendit, vixque tercio mense illam expugnans, 14000 Judæorum occidit, cetera multitudo in fidem venit, muros civitatis everti soloque æquari precepit ; cujus circuitus 4 milia passuum fuisse dicitur. (Jos. *De b. J.*, *l. l.*) Pompeius cum suis comitibus templum ingressus — pro quo tamen Judæi maxime doluerunt —, omnia quæ intrinsecus erant perspexit, vasa sacra et candelabra et congestam molem pigmentorum et pecuniæ sacræ, prope ad duo milia talentorum ; nec tamen vel hæc vel aliud quicquam de sacris attigerat, sed postera die post excidium jussit ædituos templum curare, ne quid sordium haberet, et ut sollempnia sacra celebrarent. Ipse autem eos qui maxime belli causa fuerant securi percussit, eos vero qui secum fortiter egerant preclaris premiis donavit, et Hyrcanum pontificem declarans, ceteris Judæis tributum indixit. Post hæc Scauro committens omnia negotia a flumine Eufrate usque ad fines Ægypti, Romam ipse contendit, ducens secum Aristobolum captivum cum duabus filiabus totidemque filiis, quorum unus Alexander ex itinere fugit, minor autem Antigonus cum sororibus et patre Romam perductus est. (*Ib.* c. 6.) Alexander itaque, congregata manu ad decem milia peditum et mille quingentos equites, Hyrcano gravius imminebat, Judeamque populabatur. Interea Gabinius in Syriam missus successor Scauro, adversus Alexandrum cum valida manu dimicavit quo prælio Alexander sex milibus amissis, in Alexandrium castellum confugit. Ubi obsidione cinctus, veniam rogare coactus est et castellum tradere. Gabinius vero, castellis omnibus dirutis, consilio matris Alexandri Hyrcanum Hierosolimam perducit, eique templi curam permisit, ceteris rei publicæ partibus optimates prefecit, omnemque Judæorum gentem in quinque conventus divisit : unum Hierosolimis, alium Doris, tercium apud Amathunta, quartum Hierico, quintum Seffori Galileæ civitate deposuit. Singulari autem unius dominatione Judæi liberati, libenter ab optimatibus regebantur.

(*H. R.*) Anno ab Urbe condita sexingentesimo 89°, qui est Ptholomei Dionisii 17us, Marco Tullio Cicerone oratore et Gaio Antonio consulibus, ea quæ de Catilina et sociis ejus Salustius Crispus scribit acta sunt.

(*H. m.*) Anno sequenti, qui est Urbis conditæ 690us, Decimo [341] Junio Syllano et Lucio Murena consulibus, Metellus triumphavit de Creta, Pompeius de bello pyratico et Metridatico. Nulla umquam pompa triumphi similis fuit. Ducti sunt ante currum Pompeii filii Metridatis et filius Tygranis et Aristobolus ex Judæa, prelata est ingens pecunia auri atque argenti infinita. Hoc tempore nullum grave bellum erat.

Anno ab Urbe condita 693° Gaius Julius Cæsar, qui postea imperavit, cum Lucio Bibulo consul fa-

VARIÆ LECTIONES.

[334] *deest* 9c. suum 4. [335] de r. *des.* 9c. [336] invasit 9c. [337] se ei 5. [338] pompei 9c. [339] agebantur. [340] postposita 5. [341] decio 4. 10. 11.

ctus est. Decreta est ei Gallia Transalpina et Cisalpina et Illyricum cum legionibus denis in quinquennium datis; Galliam comatam postea senatus adjecit. Cæsar itaque in Galliam profectus, multa prælia cum Gallis Germanisque commisit, sepeque victus, sepiusque vincens, Galliam totam et Suevos, gentem ferocissimam, quorum centum pagos esse multi prodiderunt, omnemque Germaniam Romano subdidit imperio. Domuit autem novem annis omnem fere Galliam, quæ inter Alpes et flumen Rhodanum Rhenumque [342] et oceanum est et circuitu patet ab his tricies centena milia passuum. Inde ad Marinos [343] venit, unde in Brithaniam [344] proximus et brevissimus transitus est, Britannisque bellum intulit, quibus ante ne nomen quidem Romanum cognitum fuit. Ibi acerba primum pugna fatigatus, non sine magno suorum discrimine tandem eos vicit, anno ante Dominicam incarnationem, ut Beda scribit, quinquagesimo (*h. e.* A. 1. 2.). Hanc historiam Suetonius Tranquillus explicuit planissime.

Anno ab Urbe condita 697, qui est Ptholomei Dionisii 25us, Marcus Licinius Crassus, collega Gnei Pompeii Magni in consulatu secundo, provinciam sortitus in Parthos, homo inexplebilis cupiditatis, audita templi [345] Hierosolimitani opulentia, quam Pompeius intactam reliquerat, in Palestinam divertit, Hierosolimam adit, templum pervadit, opes diripit. Inde per Mesopotamiam tendens in Parthiam, quacumque iter habuit, sociis civitatibus auxilia indixit, precia exegit; moxque ut Eufraten transiit, Bajasen legatum ab Horode [346] rege Parthorum ad se missum obviam habuit, a quo vehementer increpatus est cur contra fœdus Luculli et Pompeii, avaricia inductus, Eufraten transierit, quamobrem futurum sine mora ut pro auro Parthico ferro onerareturSerico [347]. Itaque cum prope Charras ventum esset, Parthi subito irruentes cum Surena et Satacea prefectis, obpressere Romanos sagittis. Ceciderunt ibi plurimi senatores, aliquot etiam consulares et pretorii viri. Crassus quoque, filius Crassi, electissimus juvenis, in acie occisus est; preterea quatuor cohortes cum Warguntcio legato mediis deprehensæ campis, interfectæ sunt. Surenas, rapto equitatu, Crassum persequi intendit, eumque circumventum, ac frustra colloquium ejus petentem, interfecit, quamvis vivum auferre maluisset; pauci beneficio noctis liberati, Charras confugerunt (Cf. Oros. VI, 13. — Cf. Jord. *Der. s.*). Avaricia enim unius ad tantum nefas exolevit, ut 12 legiones Romanorum aut captæ, paucis elapsis, aut cæsæ cum ducibus fuissent. Caput vero Crassi cum dextera ad regem delatum, spectantibus fuit ludibrium. Rex itaque aurum in oris ejus rictum jussit infundere, dicens : *Urat te Parthicum, quod te vivum urebat, aurum.* Eo successu Parthi elatiores effecti, transsire in Syriam censuerunt. (Jos. *De b. J.* 1, 6.) Quos strenue insidiis excepit Cassius et commissæ sibi provinciæ repulit finibus; deinde in Judæam irruit, et Tharicheis deletis, 30000 Judæorum in servitutem vendidit.

Antipater autem, de quo supra dixi quod Hyrcano faveret, accepit uxorem cui nomen Cypris, splendidissimo inter Arabiæ [348] femineas loco natam, ex qua suscepit filios quatuor, Faselum, Herodem, Josephum, Feroram, et filiam nomine Salome. Qui cum Gabinii favorem muneribus atque obsequiis promeruisset, etiam Cassii familiaritatem adeptus est. Causa quippe tantorum filiorum vir egregius est factus ad promerendam muneribus societatem potentium. Sic Josephus de eo testatur; Africanus vero historiographus precipuus (Eus., *Hist. eccl.* 1, 4) : « Aiunt, inquit, qui de eo diligenter exploraverunt, Antipatrum quendam patrem fuisse Herodis Ascalonitæ, qui et ipse fuerit Herodis cujusdam filius, templi Apollinis editui. Hic Antipater ab Idumeis latronibus captus admodum puer, permansit cum predonibus, pro eo quod pater ejus rei familiaris inopia filium redimere non posset. Verum puer latronum vita et moribus institutus, Hyrcano cuidam Judæorum pontifici familiaris efficitur. Ex quo natus est Herodes, hic [349] qui Salvatoris temporibus fuit. » Hæc Africanus.

(*H. m.* et *H. R.*) Anno ab Urbe condita septingentesimo, qui est Ptholomei Dionisii 28us, incertum unde concretus plurimam Urbis partem ignis invasit; nec umquam antea tanto incendio correptam et vastatam civitatem ferunt. Nam quatuordecim vicos ejus consumptos dicunt. Hinc jam bellum civile successit execrandum ac lamentabile, quod magis jam dudum dissensionibus ac molitionibus parabatur, quo preter calamitates quæ in bellis acciderunt, etiam fortuna populi Romani mutata est. Nam rediens Cæsar victor ex Gallia, decerni sibi absenti iterum consulatum poposcit; sed contradictum est ei a Marcello consule, annitente Pompeio et Catone [350], jussusque est Cæsar dimissis [351] exercitibus Romam venire; et ex Marcelli consulis auctoritate ad legiones quæ apud Luceriam erant Gneus Pompeius cum imperio missus est. Propter quam injuriam Cæsar se contulit Ravennam. Marcus Antonius et Publius Cassius, tribuni plebis, pro Cæsare intercedentes, a Lentulo consule curia foroque prohibiti, ad Cæsarem profecti sunt, Curione simul Cælioque comitantibus. Cæsar cum militibus quos habebat contra patriam venit, et Rubicone flumine transmeato, mox ut Ariminum [352] venit, quinque cohortes quas tunc solas habebat, cum quibus, ut Livius ait, orbem terrarum adortus est

VARIÆ LECTIONES.

[342] renumque 4. 9c. 10. *semper fere* [343] morinos 4. marinas 10. 11. [344] *ita codd.* [345] *deest* 9c. [346] herode 4. 9c. 10. [347] syrico 9• *corr.* sirico *vel* serico 5. [348] arabias 9c. [349] is 9c. [350] cattone 5. [351] nonnisi d. 9c. [352] arriminum 5.

quid facto opus esset, edocuit, deplorans injurias suas, causam belli civilis pro restituendis in patriam tribunis esse testatus est. Inde per Antonium septem cohortes quæ apud Sulmonem [353] morabantur, a Lucretio accepit, tres legiones, quæ cum Domicio apud Cornificium morabantur, ad suas partes transmisit. Consules vero cum Gneo Pompeio, senatus omnis atque universa nobilitas ex Urbe fugiens et in Greciam transiens, apud Dyrrachium bellum contra Cæsarem parabant, quo multi orientis reges [354] cum auxiliis conveniebant. Cæsar vacuam Urbem ingressus, dictatorem se fecit, negatamque sibi ex ærario pecuniam fractis foribus invasit, protulit ex eo auri pondo 4135, argenti pondo prope nongenta milia. Inde venit Massiliam, ad quam obpugnandam Trebonium cum tribus legionibus relinquens, ad Hispanias contendit, quas Lucius Afranius et Marcus Petreius et Marcus Varro, Pompeiani duces, obtinebant, ibique multis prœliis Petreium et Afranium superatos, composita pactione, dimisit, in ulteriore vero Hispania duas legiones a Marco Varrone suscepit. Similiter et duces ejus Curio Catonem Sicilia expulit, Valerius Cottam Sardinia, Varrus Tuberonem Africa ejecit. Cæsar, compositis rebus suis, Dyrrachium venit, et Pompeium frustra obsidione cinxit, cum illi maria paterent. Pompeius castellum quoddam mari propinquum, ubi presidia Cæsaris erant, evertit, et milites occidit. Cæsar autem, omissa obsidione, ad Pompeium convertit; Torquatus vero prorumpens aversum [355] e vestigio insecutus est. Ita Cæsaris milites ancipiti periculo territi, ipso Cæsare frustra obsistente, fugerunt; evasit tamen Cæsar, quia nocte interveniente Pompeius sequi noluit. Dixit autem Cæsar, nec Pompeium scire vincere, et illa tantum die se vinci potuisse. Cæsa sunt in eo prœlio 4000 militum Cæsaris, centuriones 22, equites Romani complures; cæsus est ibi Sceva, Cæsaris miles fortissimus, cujus scutum centum viginti ictibus petitum fuisse dicitur. Inde citato agmine Cæsar per Epyrum in Thessaliam perrexit, Pompeius vero cum maximis copiis secutus est, bellumque commissum est. Videre ibi et gemere erat, contractas Romanorum vires in campis Pharsalicis ad occisionem mutuam constitisse, quas, si concordia rexisset, nulli populi, nulli reges ferre [356] potuissent. Fuerunt enim ex parte Pompeii octoginta octo cohortes, peditum plus quam 40000 [357], equites in sinistro cornu 600, in dextro 500, reges et senatores et Romani equites plurimi, ex parte autem Cæsaris minus quam 40 milia peditum, equites mille. Cumque diu utrimque sub dubia sorte cæderentur, atque ex alia parte Pompeius diceret: *Parce civibus*, nec tamen faceret, ex alia vero Cæsar hoc faceret quod urgeret, dicens: *Miles, faciem feri*, tandem universus Pompeii fugit exercitus, castraque direpta sunt. Cæsa sunt in eo prœlio Pompeianorum 15000, centuriones 33. Pompeius fugiens, in ostio Penei amnis onerariam navim nactus, in Asiam transiit, inde per Cyprum Alexandriam petiit, ut a rege Ægypti, cui tutor ipse a senatu datus fuerat propter juvenilem ejus ætatem, acciperet auxilia. Qui fortunam magis quam amicitiam secutus, occidit Pompeium, caputque ejus et anulum Cæsari misit. Quibus conspectis, Cæsar etiam lacrimas fudisse dicitur, tanti viri intuens caput, generi quondam sui, et inundatum odoribus imperavit cremari. Pompeii uxor filiique fugerunt, cetera Pompeiana classis direpta est, omnibus qui in ea erant crudelissime trucidatis. Ibi et Pompeius Bythinius occisus est, Lentulus vero vir consularis apud Pelusium interfectus est. Cæsar, compositis apud Thessaliam rebus, Alexandriam venit, ubi Achillas dux regius [358], semel imbutus Pompeii sanguine, Cæsaris quoque necem meditabatur. Nam jussus exercitum cui preerat dimittere prope 20000 armatorum, non modo sprevit, verum etiam aciem direxit. In ipso prœlio regia classis ad terram subducta jubetur incendi. Ea flamma cum partem quoque urbis invasisset, 400,000 librorum proximis forte ædibus condita exussit, singulare profecto monimentum studii curæque majorum, qui tot tantaque illustrium ingeniorum opera congesserant. Postea Cæsar insulam ubi Pharus est cepit; eo Achillas cum Gabinianis militibus venit; ingens pugna commissa est, magna ibi Cæsarianorum militum multitudo cecidit, omnes etiam interfectores Pompeii interfecti sunt. Cæsar quoque vi insistentium hostium pressus, scapham ascendit. Qua mox pondere subsequentium gravata ac mersa, per ducentos passus ad navim, una manu elevata, qua cartas tenebat, natando pervenit. Mox navali certamine pulsatus, magna felicitate classem regiam aut depressit aut cepit. Alexandrinis petentibus regem reddidit, monitum ut magis amiciciam Romanam quam arma experiri studeret [359]. Qui tamen, ilico ut liber fuit, bellum intulit, sed continuo cum toto exercitu suo et ipse deletus est. Nam et 20000 hominum in eo bello referuntur cæsa, 12000 cum 70 longis navibus dedita. Quingenti ex victoribus cecidisse dicuntur. Rex ipse adolescens scapha exceptus, ut fugeret, multis insilientibus, mersus necatusque est; corpus ejus ad litus devolutum, indicio loricæ aureæ cognitum fuit. Qua Cæsar Alexandriam premissa, omnes Alexandrinos ad deditionem desperatione compulit, regnumque Ægypti Cleopatræ, Ptholomei sorori, dedit, cum qua stupri consuetudinem habuit; quæ postea regio comitatu Urbem ingressa est.

Cleopatra itaque, soror Ptholomei regnavit Alexandriæ annis 22, ut Jordanis episcopus dicit (*De*

VARIÆ LECTIONES.

[353] Salmonem 9e. [354] r. o. 5. [355] aversus 5. adversum 9e [356] *ita* 9c. flaire 4. 5. 10. 11. [357] XL. 9c. [358] regis 5. [359] studerent 5.

r. s.); sed Tertullianus scribit (*adv. Judæos* ed. Semler II, p. 296) quod regnaret annis tantum 20, dicens eam conregnasse Augusto annis 13, ipsumque postea regnasse aliis 43, qui sunt 56 Augusti[360]. Regni autem Cleopatræ licet tot anni fuisse dicantur, in ordine tamen regum non plus quam duo computantur, quia tercio ejus anno Gaius Julius Cæsar Romanum arripuit imperium. (Jord. *l. l.*) Hanc siquidem Cleopatram postea Romanus ductor Antonius suscipiens sucque lateri, spreta sorore Octaviani, consocians, contra cives proprios dimicavit. Quem Octavianus Augustus certamine superans in Actiaco litore, utrosque jugales coegit ut se ipsos perimerent; sicque regnum eorum in Romanorum [361] imperium devenit, ubi et usque hactenus et usque in finem mundi secundum prophetiam Danielis regni debetur successio.

Alex.	Rom.	
1		
2		
3	1	Romanum cœpit imperium per Gaium Julium Cæsarem.
8	1	(Hier.) Octavianus [362], qui postea appellatus est Augustus, filius Actiæ sororis Julii Cæsaris, regnavit post Julium annis 56, a quo Romani principes appellati sunt augusti.
17	10	Ex [363] hoc tempore, videlicet ex decimo anno Augusti, regnum et sacerdotium Judæorum et christus, id est unctus, usque in presens tempus defecit, Hyrcano pontifice consilio Antigoni fratris sui, Aristoboli filii, a Parthis capto, et eodem Antigono a Romanis occiso, et Herode alienigena rege constituto.
12	15	Antonius et Cleopatra semet ipsos
Defecit	16	interficiunt, et Ægyptus in pro-
regn.	17	vinciam redacta Cornelium Gal-
Alex.	18	lum primum habuit judicem Ro-
[364]	56	manum.

(Hier.) Gaius Julius Cæsar, a quo Romani principes cæsares appellantur, primus apud Romanos singulare arripuit imperium, regnavitque annis quinque, ab Urbe condita 705° [364]. (*H. m.*) Hic itaque reversus ab Alexandria per Syriam, Pharnacem, Metridatis Magni filium, vicit, Romamque regressus, tercio se dictatorem et consulem fecit cum Marco Æmilio Lepido, qui magister militum ei causa dictaturæ ante annum fuerat. Deinde in Africam profectus est, ubi infinita Romanorum nobilitas cum Juba rege Mauritaniæ apud Thapsum sibi bellum reparaverat. Duces autem Romani erant Publius Cornelius Scipio, ex antiquissimo genere Scipionis Africani, qui etiam socer Marci Pompeii fuerat, Marcus Petreius Varrus [365], Marcus Portius Cato, Lucius Cornelius Faustus, Syllæ dictatoris filius. Contra hos commisso prælio, post multas hominum cædes victor exstitit Cæsar; castra eorum direpta sunt, sexaginta elephanti capti. Cato sese apud Uticam veneno occidit; Juba percussori jugulum dato precio prebuit; Petreius gladio se [366] perfodit; Scipio in navi, qua ad Hispanias fugiens, vento coactus, in Africam rediit, semet ipsum jugulavit. In eadem navi etiam Torquatus occisus est. Cæsar Pompeii Magni nepotes filiamque [367] Pompeiam, simulque cum his Faustum, Syllæ filium, et Petreium ac Afranium jussit occidi. Post annum Romam cum quatuor triumphis ingressus, quarto dictator et consul creatus est, totiusque regni monarchiam solus assumpsit, ex quo continua Romanis nascuntur imperia. Disposito itaque ac recuperato rei publicæ statu, continuo in Hispaniam contra Gneum Pompeium et Sextum Pompeium, filios Pompeii Magni, profectus, multa bella sorte varia gessit. Ultimum bellum apud Mundam flumen gestum est, ubi tantis viribus dimicatum est tantaque cædes acta, ut Cæsar quoque, veteranis etiam suis cedere non erubescentibus, se voluerit occidere, ne post tantam rei militaris gloriam in potestatem adolescentum natus annos 66 veniret. Denique reparatis suis, tum subito in fugam versus est exercitus Pompeiorum; Titus Labienus et Actius Varus in acie cæsi sunt; Gneus Pompeius cum centum equitibus aufugit; Sextus Pompeius, frater ejus, contracta celeriter non parva Lusitanorum manu, congressus cum Cesonio, victus fugiensque interfectus est. Hoc bellum eo die actum est quo pater eorum Pompeius ab Urbe, bellum gesturus, antea aufugerat, quatuorque annis hoc bellum civile toto orbe intonuit. Cæsar itaque, bellis civilibus toto orbe compositis, Romam rediens, agere insolentius [368] cœpit contra consuetudinem Romanæ libertatis. Cum ergo honores ex sua voluntate prestaret, qui antea ferebantur a populo, nec senatui ad se venienti assurgeret, aliaque regia et pene tyrannica faceret, conjuratum est in eum a ducentis et 60 vel amplius senatoribus equitibusque Romanis. Precipui inter conjuratores fuerunt duo Bruti, ex genere illius Bruti qui primus consul fuerat Romæ regesque expulerat, et Gneius Cassius et Servilius Casca. Quadam igitur die senatu in curia congregato, cum Cæsar advenisset, viginti tribus cultris senatoriis confossus est, moxque auctores cædis strictis pugionibus in Capitolium secesserunt. Turbato populo, diu deliberatum est utrum Capitolium cum auctoribus cædis oporteret incendi, corpus ejus raptum populus, dolore stimulatus, in foro fragmentis tribunalium ac subselliorum cremavit. Eadem vero nocte quæ cædem ejus precessit, Calpurnia, uxor ejus, vidit in somnis eum confossum vulneribus in sinu suo jacere; oravitque eum ne mane abiret in senatum; sed nec auspiciorum verba sæpe negligens, contempsit somnium,

VARIÆ LECTIONES.

[360] *deest* 5. anni augusti 4. 10. 11. [361] romanum 5. [362] *Hæc desunt* 4. 11. [363] D. r. a. *deg.* 5. [364] *add.* anno 5. [365] varus 4. [366] se g. 5. [367] M. filium p. nepotesque 5. [368] i. a. 5.

rei autem probavit eventus. Ante paucos quoque dies bove ex more mactata, cor in extis non est repertum. Quod cum Spurinna aruspex pronunciasset ei ad vitæ periculum pertinere, Cæsar memor constantiæ ait : *Miraris, si bos non cor habet.* Sed mox vitæ ejus finis fuit. Idem Spurinna ante paucos fere annos eidem Cæsari dixerat, cavendas ei esse Idus Martias. Quo die viso, ait Spurinnæ Cæsar : *Idus Martii venerunt.* Ille respondit : *Sed nondum transierunt.* Eodem die Cæsar confossus est, vir quo nullus unquam magis bellis enituit. Ejus siquidem ductu undecies centum nonaginta duo milia hominum cæsa sunt. Nam quantum bellis civilibus fuderit, annotare noluit. Signis collatis quinquagies dimicavit, Marcum Marcellum solus supergressus, qui 39 vicibus fuerat præliatus. Ad hoc nullius celerius scripsit, nemo velocius legit, quaternas etiam epistolas simul dictavit. Tantæ fuit bonitatis, ut quos armis subegerat, clementia magis vicerit [369]. Eodem tempore Romæ tres simul exorti soles paulatim in eundem orbem cojerunt. Inter cetera quoque portenta quæ toto [370] orbe facta sunt, bos in suburbano Romæ ad arantem locutus est, frustra se urgeri, non enim frumenta, sed homines brevi defuturos.

Octavianus Cæsar, qui postea Augustus est appellatus, a quo et deinceps imperatores Romanorum [371] augusti dicti sunt, regnavit annis 56, 12 cum Antonio et Lepido, solus vero 44 (Cf. Hier.). (*H. m.*) Hic Octavio patre senatore genitus, maternum genus ab Æneca per Juliam familiam sortitus est, filius Actiæ, sororis Julii Cæsaris, quem ille adoptavit in filium, cum non haberet proprium, et testamento heredem reliquit nomenque suum ferre jussit. Interfecto igitur Cæsare [372] avunculo suo, cum primum rediens ab Apollonia Urbem ingrederetur, hora circiter tercia, repente liquido ac puro sereno ad speciem cælestis arcus orbem solis ambiit circulus, quasi eum potissimum in mundo solumque clarissimum in orbe monstraret, cujus tempore nasciturus esset, qui ipsum solem solus mundumque totum et fecisset et regeret.

Anno itaque ab Urbe condita 709 interfecto Julio Cæsare, bella civilia reparata sunt. Percussoribus enim Cæsaris favebat senatus; Antonius autem consul, qui erat partium Cæsaris, civilibus bellis eos obprimere conabatur. Ergo turbata re publica, inter multa scelera quæ Antonius commisit, Decium Brutum apud Mutinam obsidione conclusit. Pro qua re a senatu hostis judicatus est, missique sunt ad expugnandum eum duo consules, Pansa et Hircius, et cum his Octavianus adolescens, natus annos [373] 17. Ex quibus Pansa primo veniens, pilo graviter vulneratur, et interpositis diebus moritur; Hircius vero collegæ auxilium ferens, magnas Antonii copias vasta cæde delevit; Octavianus Cæsar eatenus castra custodivit. Secunda adversus Antonium pugna magnæ utrimque strages factæ sunt, Hircius consul occiditur, Cæsar victoria potitur; consulum occisorum uterque exercitus Octaviano Cæsari subditur. Antonius fugatus, amisso exercitu, confugit ad Lepidum, qui tunc magister equitum Cæsaris fuerat, et tum militum copias grandes habebat. A quo susceptus est, ipsoque interveniente, Cæsar recepit eum in gratiam, atque ob fidem reconciliatæ gratiæ filiam ejus in matrimonium [374] sortitus est; et ut vindicaturus patrem Cæsarem, a quo per testamentum heres adoptatus fuerat, Romam cum exercitu tendebat, et cum Antonio ac Lepido rem publicam armis tenebat et [375] senatum proscripserat. Cumque rumor de futura proscriptione in Urbe ortus esset, Gaius Toranus [376] vir pretorius nichil tale suspicans, incursantibus militibus, in domo sua interfectus est, aliique complures [377] nobiles trucidati sunt. Sed ne incircumscripta cædes effrenatius ageretur, 132 senatorum nomina in tabula proposita sunt, primum Lepidi precepto et nomine, deinde Antonii, tercio Cæsaris. Ibi Antonius Tullium Ciceronem inimicum suum proscripserat, Lucium quoque Cæsarem avunculum suum, et quod exaggerando sceleri accessit, viduam matrem proscripsit; ibi Lepidus Lucium Paulum fratrem in eundem proscriptorum gregem conjecit; adjectique sunt postea triginta equites Romani (Cf. Oros. VI, 18. — *H. m.*). Multæ et variæ clades diu actæ sunt, domus proscriptorum, direptis omnibus, dirutæ sunt. Interea Brutus et Cassius, interfectores Gaii Cæsaris, ingens bellum moverunt; erant enim per Macedoniam et orientem multi exercitus quos occupaverant. (*H. R.* et *H. m.*) Profecti sunt igitur contra eos Octavianus Cæsar et Marcus Antonius, Lepido ad defendendam Italiam remanente, et apud Philippos Macedoniæ civitatem contra eos pugnantes, primo prælio victi sunt; periit tamen dux nobilitatis Cassius; secundo Brutum et infinitam nobilitatem victam interfecerunt; ac sic inter eos divisa est res publica, ut Cæsar Hyspaniam et Gallias et Italiam teneret, Antonius Asiam, Pontum et orientem. Sed in Italia bellum civile moverat Lucius Antonius consul, frater ejus qui cum Cæsare contra Brutum et Cassium dimicavit. Is apud Perusiam Tusciæ civitatem victus et captus est, sed non occisus. At Romæ Fulvia, uxor Antonii, socrus Cæsaris, dominatum ut mulier exercebat, insolens etiam in eos per quos ut insolesceret agebatur; Cæsarem quoque contumeliis et insidiis petiit; a quo propulsata, ad Antonium in Greciam concessit. Antonius vero etiam Octaviam, sororem Cæsaris, duxit uxorem. Interim a Sexto Pompeio, Gnei Pompeii filio, ingens bellum in Sicilia commotum est, adversus quem Octavianus Cæsar et Marcus Anto-

VARIÆ LECTIONES.

[369] vinceret vel vicerit 5. [370] ex eo 9e. [371] r. imp. 5. [372] Julio Cæsare 5. [373] annos n. 5. [374] matrimonio 5. [375] *deest* 4. 9e. [376] Thorans 9e. [377] quam plures 5.

nius pugnaverunt ; sed pax [378] inter eos postremo convenit. Quam cum postea Pompeius rumperet, Agrippa jussu Cæsaris cum eo conflixit, et vicit ; centum sexaginta tres naves ejus aut mersit aut cepit ; Pompeius cum 17 vix lapsus evasit. Lepidus quoque magna viginti legionum insolentia tumens, cum Messanam militibus permissam [379] diripuisset, ipsum Cæsarem ad se venientem semel atque iterum sprevit, ac potius telis appeti jussit ; quæ ille collecta in lævum brachium lacerna repellendo vitavit. Mox immisso equo ad suos reversus, instructoque exercitu, adversus Lepidum veniens, plurimas legiones ejus, paucis interfectis, in suam partem transire coegit. Lepidus tandem intelligens, quo sua vanitas tenderet, deposito paludamento, assumptaque veste pulla, supplex Cæsari factus, vitam et bona impetravit, perpetuo quidem emendatus exilio. (Cf. Oros. *l. l. H. m.*) His temporibus Agrippa in Aquitania rem prospere egit, et Lucius Ventidius [380] Bassus irrumpentes in Syriam Persas tribus prœliis vicit, Parthorum regis Orodis filium interfecit, eo ipso die quo olim Orodes per ducem Surenam Crassum occidit. Taurus quoque Cæsaris prefectus totam pene Siciliam ferro pertemptatam in fidem recepit. Quadraginta quatuor legiones sub unius tunc [381] imperio Cæsaris erant. Unde milites multitudine fereces quosdam pro accipiendis agris tumultus excitaverant. Sed Cæsar, animo ingens, 20 milia militum exauctoravit, 30 milia servorum domis restituit, 6 milia, quorum domini non exstabant, in crucem egit, jam (214) tum [382] presignans, suo tempore nasciturum esse, per quem superbientes reprimendi et omnes servi suo vero [383] domino restituendi essent, qui tamen dominum suum recognoscerent ; qui vero sine domino invenirentur, mortis supplicio punirentur. Post hæc Cæsar ovans Urbem ingressus, ut in perpetuum tribunitiæ potestatis esset, a senatus decreto accepit.

His diebus trans Tyberim e taberna meritoria fons olei de terra exundavit, ac per totum diem largissimo rivo fluxit, significans sub perpetuo principatu nascituri ejus tempore Christi, toto die, id est omni tempore, Romani imperii de hospita largaque æcclesia oleo sacri crismatis unctos indesinenter processuros (Cf. Oros. VI, 20).

(*H. m.*) Antonius autem, qui Asiam et Orientem tenebat, Artabanem Armeniæ regem proditione et dolo cœpit, vinctumque argentea catena ad confessionem thesaurorum regiorum coegit ; expugnatoque opido, in quo erant thesauri, magnam abstulit copiam argenti et auri [384]. Qui elatus pecunia, bellum Cæsari indixit, atque Octaviæ, sorori Cæsaris, repudium denunciavit, et Cleopatram ex Alexandria sibi occurrere imperans uxorem duxit. Mox ingens bellum civile commovit, cogente Cleopatra, dum cupiditate muliebri cupit etiam in Urbe regnare. Profectus est igitur Cæsar a Brundusio Calabriæ in Epyrum adversus Antonium, qui jam omne Actium litus classibus obsidebat. Naves Cæsaris erant ducentæ triginta rostratæ et 30 sine rostris triremes, et octo legiones classi superpositæ absque cohortibus pretoriis quinque. Classis autem Antonii 170 navium fuit, quantum numero cedens, tantum magnitudine precellens ; nam decem pedum altitudine a mari excellebant. Famosum hoc bellum fuit, ab hora quinta usque septimam incerta vincendi spe, reliquum diei cum sequenti nocte in victoriam Cæsaris declinavit. Prior Cleopatra regina cum 60 velocissimis navibus fugit ; Antonius quoque, detracto insigni pretoriæ navis, fugientem [385] secutus est uxorem. Illucescente jam die, victoriam Cæsar consummavit. Antonius igitur gladio se transverberavit, ac semianimis ad Cleopatram in mausoleum regium, in quo se illa moritura condiderat, perlatus est. Cleopatra vero exornata diversis ornamentis ad Cæsarem venit, sperans eum ut ceteros sua specie ad libidinem illicere. Sed ille se intra pudiciciam coartans, eam sprevit et custodiri precepit. (Jord. *De r. s.*) Quæ ubi se ad triumphum servari intellexit, e custodia elapsa, in mausoleum suum se recepit, ibique maximos, ut solebat, induta cultus, in referto odoribus solio juxta suum se collocavit Antonium ; admotisque ad venas serpentibus, sic morte quasi somno soluta est, frustra Cæsare etiam psillos admovente, qui venena serpentium e vulneribus hominum exsugere solent. Sic Cæsar Octavianus Alexandria urbe opulentissima cum tota Ægypto potitus est ; preposuitque Ægypto Cornelium Gallum, de quo Virgilius scribit. (Hier. — *H. R.*) Hunc primum judicem Romanum Ægyptus habuit

(*H. R.* et *H. m.*) Anno ab Urbe condita 725. Cæsar ab oriente victor rediens, 8 Idus Januarii Urbem triplici triumpho ingressus est, ductis ante currum ejus Cleopatræ liberis, Sole et Luna, ac tum primum, sopitis omnibus civilibus bellis, Jani portas clausit. Hoc die Cæsar consalutatus est Augustus primum, eo quod publicam rem auxerit, atque ex eadem die summa rerum ac potestatum penes unum esse cœpit et mansit ; quod Greci monarchiam dicunt.

Anno sequenti Cæsar Augustus parum in Hyspania per ducentos annos actum intellegens, si Cantabros et Astures, duas ferocissimas gentes Hyspaniæ, suis uti legibus permisisset, iterum Jani portas aperuit, atque in Hyspanias ipse cum exercitu profectus est. Ibi cum apud Tarraconem [386], citerioris Hyspaniæ urbem, legati Indorum et Scytarum [387], toto orbe

VARIÆ LECTIONES.

[378] *deest* 5. 9c. 10. [379] *deest* 5. [380] vendilius 9c. [381] *deest* 9c. i. t. 5. [382] tunc 5. [383] *deest* 5. [384] auri et argenti 5. [385] *deest* 9c. [386] tarraconam 5. [387] scitharum 5.

NOTÆ.

(214) *Jam — punirentur* Ekkehardi verba sunt.

transmisso, tandem invenerunt, refuderuntque in Cæsarem Alexandri Magni gloriam; quoniam, sicut illum Hyspanorum Gallorumque legatio in medio oriente apud Babyloniam contemplatione pacis adiit, ita hunc apud Hyspaniam in occidentis ultimo supplex Indus et Scyta Boreus pro pace oravit. Cantabrico itaque bello per quinque annos confecto, totaque Hyspania in æternam pacem composita, Cæsar Romam rediit[388], et Cantabricæ victoriæ hunc honorem contulit, ut tunc quoque portas claustris cohiberet. Ita tunc secundo per Cæsarem, quarto post Urbem conditam clausus est Janus. Non ullo[389] autem tempore ante eum Romana res magis floruit, quippe cui ipse et per se et per duces ac legatos suos plurimum bellis addidit. Ipse namque per se Romano adjecit imperio Ægyptum, Cantabriam, Asturiam, Dalmatiam, Pannoniam, Aquitaniam; Drusus vero privignus ejus, Galliam Rhetiamque sortitus, maximas fortissimasque gentes armis subegit, Susipeces, Thecteros et Chattos[390] perdomuit, et trans Albim fluvium, qui in barbarico longe ultra Rhenum est, submovit, Marcomannos pene ad interniciem delevit, postea fortissimas nationes, quibus et natura vires et consuetudo experientiam virium [dabat[391]], pariter uno bello, sed suis aspero, superavit, id est Cheruscos, Suevos et Sicambros, quorum virtus ac feritas ex eo considerari potest, quod mulieres quoque eorum, si quando preventu Romanorum inter plaustra sua collidebantur, deficientibus telis vel qualibet re qua velut telo uti furor possit, parvulos filios, collisos humi, in hostium ora jaciebant. Tyberius autem, frater Drusi, Pannonios, novo motu intumescentes, cruentissima cæde delevit, idemque continuo Germanos bello arripuit, e quibus 40 milia captivorum victor abduxit; quod revera bellum maximum et formidolosissimum quindecim legionibus per triennium gestum est, nec fere ullum majus bellum, sicut Suetonius testatur, post Punicum fuit. Sub eodem vero tempore Quintilianus Varus propretor cum tribus legionibus trans Rhenum fluvium mira superbia atque avaricia in subjectos agens, a Germanis rebellantibus cum tribunis et legionibus deletus est. Quam rei publicæ cladem Cæsar Augustus adeo graviter tulit, ut veste capilloque ac reliquis lugentium indiciis deformis, et sepe per vim doloris caput parieti collidens, clamaret: *Quintili*[392_393_394_395] *Vare, redde legiones.* In Africa quoque Cossus dux Cæsaris Musolanos et Getulos latius vagantes artatis finibus coercuit, atque a Romanis militibus[396] sustinere metu compulit. Piso etiam adversus Vindelicos missus est, quibus subactis, victor ad Cæsarem Lugdunum venit. Bosphoranos vero Marcus Agrippa superavit, et signis Romanis, quæ illi quondam sub Metridate sustulerant, bello repa-

A ratis, victos ad deditionem coegit, Armeniam a Parthis recepit. Parthi quasi, toto terrarum orbe vel domito vel pacato, omnium oculis notarentur, atque in se solos omnis vigor Romani imperii vertendus esset, quippe quos pristina ulciscendæ Crassianæ cædis conscientia mordebat, ultro signa quæ Crasso interfecto abstulerant ad Cæsarem remiserunt, eique obsidibus datis, firmum fœdus fideli supplicatione meruerunt[397]. Galatia quoque sub hoc provincia facta est, cum antea regnum fuisset, primusque eam Marcus Lollius pro pretore administravit. Tanto autem amore etiam apud barbaros Cæsar Augustus habebatur, ut reges Romanorum amici in honorem ejus civitates conderent et ex ejus nomine Cæsareas vocarent. Multi quoque reges ex

B regnis suis venerunt, ut ei obsequerentur, et habitu Romano, scilicet togati, ad vehiculum[398] vel equum ejus cucurrerunt. Ipse autem adeo exsecratus est turbas, bella, simultates, ut nisi justis de causis numquam genti alicui bellum indixerit, jactantisque esse ingenii et levissimi dicebat, ardore triumphandi et ob lauream coronam, id est folia infructuosa, securitatem civium in discrimen per incertos eventus certaminum precipitare, neque imperatori bono quicquam minus quam temeritatem congruere, satis celeriter fieri quicquid commune[399] gereretur, armaque nisi majoris emolumenti spe nequaquam movenda esse, ne compendio tenui, jactura gravi petita victoria similis sit hamo aureo piscantibus,

C cujus abrupti amissique detrimentum nullo capturæ lucro pensari potest. Hic itaque in imperio positus, tribuniciam per se potestatem exercuit. Denique erga cives clementissimus, in amicos extitit fidissimus, quorum precipui erant Mecenas ob taciturnitatem, Agrippa ob modestiam laborisque patientiam. Diligebat preterea Virgilium Flaccumque poetas, liberalibus studiis in tantum incumbens, ut nullus ne in procinctu quidem laberetur dies, quin legeret, scriberet, dictaret. Leges alias novas, alias protulit suo nomine correctas. Auxit ornavitque Romam multis ædificiis, isto glorians dicto: *Urbem latericiam reperi, marmoream relinquo.* Fuit mitis et gratus et civilis animi, toto corpore pulcher, sed maxime oculis, quorum acies clarissimorum syderum modo

D vibrabat. A cujus facie dum quidam miles oculos averteret, et interrogaretur ab eo cur ita faceret, respondit: *Quia fulmen oculorum tuorum ferre non possum.* Nec tamen hic tantus vir vitiis caruit. Fuit enim paululum impatiens, leniter iracundus, occulte invidus, palam factiosus, dominandi vero supra quam estimari possit cupidus, aleæ lusor studiosus. Cumque esset cibi ac vini multum abstinens, aliquatenus vero somni, usque ad vulgaris tamen famæ probrum serviebat libidini; nam inter duode-

VARIÆ LECTIONES.

[388] adiit 9c. [389] Nonnullo 5. 9c. *corr.* non ullo 10. [390] chatos 9c. catthos 5. cattos 10. 11. *t* [391] *deest in omnibus quos vidi codd.* [392_393_394_395] quintiliane 9c. [396] *ita codd.* limitibus abstinere 11. [397] inierunt 9c. [398] vegiculum 5. [399] *ita codd. pro* commode *quod legitur in Hist. misc.*

cim catamitos totidemque puellas accubare solitus erat; abjecta quoque uxore sua Scribonia, amore conjugis alienæ possessus, Libiam, quasi marito concedente, sibi conjunxit; cujus Libiæ jam erant filii Drusus et Tyberius. Cumque esset luxuriæ serviens, erat tamen ejusdem vitii severissimus ultor, more hominum quorundam qui in ulciscendis vitiis quibus ipsi vehementer indulgent acres sunt. Nam poetam Ovidium, qui et Naso, pro eo quod tres libros artis amatoriæ scripserat, irrevocabili damnavit exilio. Oblectabatur etiam omni genere spectaculorum, precipue ferarum incognita specie.

Hujus temporibus Romæ sapientes insignes erant Virgilius, Horatius Flaccus, Livius, Salustius, Ovidius, Hortensius, Athenodorus Tharseus, Sitio Alexandrinus.

Anni Augusti.

1. Anno igitur septingentesimo decimo a conditione Urbis Octavianus Cæsar regnare cœpit, regnavitque cum Antonio et Lepido annis 12, postea solus 44, qui sunt quinquaginta sex. Primo autem anno jussu senatus bellum adversum Antonium movit, eumque devicit. (Hier). Eodem anno cum multi in ultionem Cæsaris occiderentur, Cicero in Phormiano suo ab Herennio et Publio occisus est, anno ætatis suæ 64. Eodem quoque anno Ovidius Naso nascitur in Peligno.

2. Curtius Salassus in insula Arato cum quatuor cohortibus exustus est vivus, eo quod tributa gravius exigeret.

3. Octavianus, interveniente senatu, in amiciciam regreditur cum Antonio.

4. Cornificius poeta desertus a militibus interiit, quos sepe fugientes galeatos lepores appellavit. Hujus soror erat Cornificia, cujus insignia extant epigrammata.

5. Secunda secessio Cæsaris et Antonii.

6. Cornelius Nepos scriptor hystoricus clarus habetur.

7. Formius cum filio Formio claruit, sed filius consularis ante patrem obiit [400].

8. Brutus et Cassius, magnis exercitibus comparatis, apud Athenas convenerunt, totamque Greciam depopulati sunt. Quos Cæsar et Antonius, denuo reconciliati, in Macedoniam persecuti sunt et ad mortem compulerunt; nam in desperationem adacti, immaturam sibi mortem ante belli terminum intulerunt. Invitatis quippe [401] percussoribus Cassius caput, latus [402] Brutus prebuit.

9. Varus poeta, quem Virgilius in Bucolicis notat, in Capadocia moritur.

10. Herodes alienigena, filius Antipatri Ydumei et Cypridis Arabitæ, suadente Antonio, a senatu Romano rex Judæorum constituitur, regnavitque annis 47 [403]. Qui ut se Judæis [404] magis commendaret, uxorem suam, quæ Dosis vocabatur, de qua filium nomine Antipatrum habuit, abjecit, et regio semini se conjunxit, accipiens Mariamnem, filiam Alexandri, filii Aristoboli, fratris Hyrcani summi pontificis et regis, quam procreaverat idem Alexander ex filia Hyrcani patrui sui (Cf. Hier. — Jos. *De b. J.* I, 11).

(Hier.) Ab hoc igitur anno, qui est decimus Octaviani Cæsaris et 718us a conditione Urbis, ab origine vero mundi ter millesimus nongentesimus 22us, regnum et sacerdotium Judæorum usque in presens tempus defecit, et christus, id est unctus, quem Scriptura Danielis significat, finem accepit. (Eus. *H. e.* I, 5. — Hier. *in Dan.* c. IX.) Nam usque ad Hyrcanum, Alexandri Jamnei filium, judices, sacerdotes, reges per successiones populo Judæorum prefuerunt; sed [405] Hyrcanum frater suus [406] Aristobolus de regno expulit, quem Pompeius Romanorum princeps, favente Antipatro Herodis patre, restituit, Aristobolum vero Romam captivum duxit. Hyrcano autem per consilium Antigoni, filii fratris sui Aristoboli, a Parthis capto, eodemque [407] Antigono in loco patrui ab eisdem Parthis subrogato, sed mox eodem a Romanis seu ab Herode capto et interfecto, (Hier.) Herodes regum accepit, et exinde nequaquam per successionem generis sacerdotalis pontifices constituti sunt, sed ignobiles quique, et alii alio tempore, nonnulli vero per unius anni spacium vel modicum amplius sacerdotium emeruerunt. Itaque Herodes Analeum quendam, de Babylone accitum, pontificem constituit; post exiguum vero temporis Aristobolum, fratrem uxoris suæ Mariamnis, nepotem Hyrcani ex filia, successorem ei dedit. Quo post annum consilio ipsius Herodis in aqua suffocato, rursus sacerdotium reddidit Analeo; sicque per diversas successiones extraneorum in sacerdotalis successione generis sacerdotium defecit Judæorum. Quæ omnia ita ventura angelus Danieli predixit in hæc verba : « Et scies et intelleges ab inicio sermonis respondendi et ædificandi Hierusalem usque ad Christum ducem ebdomadæ septem et 62, et post ebdomadas septem et 62 interibit crisma, et judicium non erit, et templum et sanctum corrumpet populus, duce veniente. » Et reliqua. Igitur septem et 62 ebdomadæ, quæ simul fiunt 69, faciunt annos 483, in quibus christi, id est sacerdotes per unctionem consecrati, regnaverunt ab instauratione templi sub Dario usque ad Hyrcanum, in quo novissimo crisma et sacerdocium defecit Judæorum. (Hier. *in Dan.* c. IX.) Quod (215) autem a perfectione templi, hoc est [408] a sexto Darii anno, usque ad [409] decimun Augusti annum septem et 62 ebdomadæ, id est anni 483,

VARIÆ LECTIONES.

[400] *deest* 9c. [401] *deest* 9c. [402] *deest* 5. [403] XXXVII. 5. XXXXVIII 1b. [404] i. se 5. [405] *deest* 9c [406] ejus 9c. [407] eodem 9c. 11. [408] hoc est *des.* 9c. [409] *deest* 5.

NOTÆ.

(215) Cf. eadem verba supra col. 554.

computentur, sic possumus approbare. Sexagesimæ sextæ olympiadis anno primo, hoc est Darii sexto, completa est templi ædificatio, et 186 olympiadis anno secundo, id est Augusti decimo, Herodes regnum suscepit Judæorum, in quibus fiunt anni 483, per singulas olympiades quadriennio subputato.

Anni Herodis regis.

11. 1. (Hier.) Salustius obiit quadriennio ante bellum Actiacum. Lunæ cursus secundum Romanos hoc anno inventus est.

12. 2. Antonius Cleopatræ junctus, illi Arabiam dedit.

13. 3. Octaviani et Antonii terciæ dissensionis exordium, eo quod Antonius, repudiata sorore Cæsaris, duxisset Cleopatram.

14. 4. Nicetes et Theodorus rethoricæ artis preceptores habentur.

15. 5. Antonius et Cleopatra semet interficiunt, et Ægyptus fit Romana provincia, in qua usque ad [410] Cleopatram regnaverunt qui vocabantur Lagidæ annis 273 [411], ipsa vero regnavit annis 22, qui fiunt anni ducenti nonaginta quinque.

16. 6. Nicopolis juxta Actium promunctorium condita est.

17. 7. [412] Octavianus Cæsar cum ingenti triumpho Romam ingressus est, ductis ante currum ejus filiis Cleopatræ, Sole et Luna, eodemque die sui triumphi nomen accepit Augusti. Eodem anno Marcus Terrentius Varo phylosophus prope nonagenarius moritur.

18. 8. Cornelius Gallus Forojuliensis poeta, cujus Virgilius meminit in egloga ultima, qui et Ægyptum in provinciam redactam primus rexit, 44° ætatis suæ anno propria manu se interfecit.

19. 9. Augustus Calabriam et Gallos vectigales fecit.

20. 10. Marcus Gnatius Plaucius, Ciceronis discipulus, orator insignis habetur, qui cum Galliam comatam regeret, Lugdunum condidit.

21. 11. Quintilius Cremonensis, Virgilii et Horatii [413] amicus, moritur.

22. 12. Pylades Cilex pantomimus primus Romæ chorum et fistulam sibi precinere fecit.

23. 13. Tyberius ab Augusto missus occupavit Armeniam.

24. 14. Herodes apud Hierosolimam mutas et magnas ædes construxit.

25. 15. Virgilius Brundusii moritur, et Neapolim transfertur, cujus tumulus [414] hujusmodi notatur, quem ipse, ut aiunt, moriens dictavit :

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope; cecini pascua, rura, duces.

26. 16. Herodes in Paneade id quod Panum vocatur exstruxit.

27. 17. Augustus Samiis libertatem dedit.

28. 18. Herodes Samariam, olim jam in cineribus A sedentem, a fundamentis suscitans, in honorem Augusti Sebastiam, id est Augustam, appellavit.

29. 19. In Cypro plurimarum civitatum partes terremotu ceciderunt.

30. 20. Varus et Tucca, Virgilii et Horatii contubernales, poetæ habentur illustres, qui libros Æneidon postea emendandos susceperunt ab Augusto, ea lege ut nichil de suo adderent.

31. 21. Agrippa Bosphorum cepit.

32. 22. Augustus a senatu maximus pontifex nominatur.

33. 23. Herodes Cæsaream nomine Cæsaris condidit, quæ prius turris Stratonis vocabatur.

34. 24. Horatius 57° ætatis suæ anno moritur Romæ.

B 35. 25. Julius Hyginus, cognomento polyhystor, grammaticus habetur illustris.

36. 26. Herodes Hyrcanum, qui olim sacerdos et rex Judæorum fuerat, causa illius amiciciæ pristinæ ipso rogante [415] de captivitate regressum Parthica, occidit, metuens ne reciperet regnum.

37. 27. Herodes Aristobolum, fratrem uxoris suæ Mariamnis, suffocari jussit (Cf. Jos. xv, 3).

38. 28. (Hier.) Tyberius, Augusti privignus, sed jam in filium adoptatus, deletis Vindelicis, Armeniis et Pannoniis, triumphavit.

39. 29. Augustus Juliam filiam suam in adulterio deprehensam damnavit exilio. Marcus Tullius Tyro, Ciceronis libertus, qui primus notas commentatus

C est, in Puteolano predio usque ad centum annos consenescens, moritur.

40. 30. Portius Latro Latinus declamator tædio duplicis quartanæ se interfecit.

41. 31. (*H. m.*) Cirinus ex consilio senatus ad Judæam missus, census hominum possessionumque descripsit. Augustus vero, habitatoribus Romanæ urbis per facies dinumeratis, invenit virorum 131,000 triginta septem.

42. 32. Augustus Cæsar 42° imperii sui anno, qui est ab Urbe condita 750[us], ab oriente in occidentem, a septentrione in meridiem, ac per totum

D oceani circulum, quo Romanum pervenit imperium, cunctis gentibus una pace compositis, Jani portas tercio ipse clausit, quas extunc per 12 fere annos quietissimo semper obseratas ocio ipsa etiam rubigo signavit; nec umquam postea, nisi sub extrema senectute Augusti, pulsante Atheniensium seditione et Dacorum commotione patuerunt. (*H. m.*) Clausis igitur Jani [416] portis, rem publicam, quam bello quesierat, pace nutrire atque amplificare studens, leges primus statuit, per quas genus humanum libera reverentia morem gereret; ipse vero domini appellationem ut homo declinavit. Nam eodem ludos spectante, cum quidam mimus pronunciaret : *O dominum æquum et bonum!* universique quasi de ipso dictum exsultanter approbavissent, ille statim qui-

VARIÆ LECTIONES.

[410] ante 9c. [411] CCLXXXIII 9c. [412] VI. 4. *et ita deinceps annum minorem numerat.* [413] oratii *codd.* [414] cujus tytulus h. 9c. *vocabulum deesse videtur.* [415] reguante 9c. regnante *corr.* rogante 1b. [416] jam 4. 9-

dem manu vultuque indecoras adulationes repressit, et insequenti die gravissimo edicto omnes corripuit, dominumque se post hæc appellari ne a liberis quidem aut nepotibus suis serio vel joco passus est [417].

(*Chr. W.* [216] — *H. m.*) Eo igitur tempore, hoc est anno 42° Octaviani Cæsaris Augusti, ex quo autem Ægyptus in provinciam redacta est et Cleopatra cum Antonio victa anno 28°, quando firmissimam pacem ordinatione Dei Cæsar Augustus composuit, nascitur in Bethlehem Juda Dominus noster Jhesus Christus, verus Deus [418] et homo, cui pax ista famulabatur, anno ab inicio creationis mundanæ secundum Hebraicam veritatem 3962°, secundum 72 interpretes eorumque sectatores 5201°, a diluvio 2506°, ab Abrahæ nativitate 2014°, a Moyse et egressu filiorum Israel de Ægypto 1509°, a Salomone et prima templi ædificatione 1031°, a reædificatione quæ sub Dario facta est 519°, ab urbis Romanæ [419] conditione 751°, olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ anno [420] tercio (Cf. BEDAM).

Anni Anni
Herodis. Augusti Cæsaris.

33. 43. (HIER.) Anno Dominicæ incarnationis secundo, qui est Augusti 43us, Augustus amicitiam facit cum Parthis.

34. 44. Anno Domini tercio Herodes occidit infantes.

35. 45. (*Chr. W.*) Anno Domini 4 Judas Galileus ad rebellandum cohortatur Judæos.

36. 46. (HIER.) A. D. 5. Asinius Pollio orator et consularis, qui de Dalmatis triumphavit, in villa Tusculana moritur anno vitæ octogesimo.

37. 47. (*Chr. W.*) A. D. 6. Herodes magno cruciatu moritur, pro quo filius ejus Archelaus regnavit annis 9. Multos (217) autem filios habuit Herodes ex diversis uxoribus, quas plures duxerat, Antipatrum ex Doside [421], quam habuit antequam rex fieret, Aristobolum et Alexandrum filiasque duas ex Mariamne, Hyrcani nepte ex filia, quam sibi ex regio semine conjunxerat postquam ipse factus est rex, abjecta Doside cum filio Antipatro; sed postea, ipsis et aliis accusantibus, occidit Mariamnem, filios quoque ipsius Alexandrum et Aristobolum quasi de nece matris indignantes occidit (Cf. Jos. *De b.* J. I, 18). Alexandro autem fuerunt duo filii Tygranes et Alexander ex Glaphira, regis Capadociæ Archelai filia; Aristoboli vero filii fuerunt Agrippa, qui sub Gaio rex factus est, et Herodes ac Aristobolus, filiaque Herodias ex Beronice consobrina sua, scilicet filia Salome, sororis Herodis patris sui. Habuit Herodes et alios filios, Antipam et Archelaum et filiam Olympiadem ex Marthace Samaritide, Herodem ex filia Symonis pontificis, item Herodem et Philippum ex Cleopatra Hierosolimitide, Phasahelum ex Pallade. Postquam autem Alexandrum et Aristobolum filios suos, qui de semine regio erant, occiderat, Antipatrum, pro [422] accusatione fratrum sibi placentem, proposuit heredem regni relinquere per testamentum; sed cum et [423] ipse de nece illius tractare diceretur, missum in carcerem [424] sub ipso fere mortis articulo interfici jussit et ipsum, mutatoque testamento, successorem regni [425] scripsit Archelaum. Regnavit autem Herodes postquam Antigonus interemptus est annis 34, ex quo autem regnum a Romanis acceperat annis 37; sicque post multa facinora male moritur.

Anni [426]
Archelai.

1. 48. (*H. m.*) A. D. 7, qui est Augusti 48us, fames facta [427] est Romæ adeo dira, ut omnes peregrinos et servorum maximas copias, exceptis medicis et preceptoribus, ex Urbe trudi preceperit [428] Augustus. Quæ ideo creditur divinitus immissa, quia, cum Gaium nepotem suum mitteret Augustus ad ordinandas Ægypti Syriæque provincias, ille pretereiens ab Ægypto fines Palestinæ, apud Hierosolimam in templo Dei tunc sancto et celebri adorare contempsit. Quod Augustus ubi per eum comperit, pravo usus judicio, prudenter eum fecisse laudavit. Unde divina vindicta populum cum principe peccante corripuit, et quantitatem offensionis qualitas ultionis ostendit.

2. 49. (HIER.) A. D. 8. Tyberius jam cæsar factus, Dalmatas et Sarmatas in Romanam potestatem redegit.

3. 50. (*H. m.*) A. D. 9, qui est Augusti quinquagesimus, ab Urbe vero condita 758us, quatuordecim vicos Urbis, incertum unde consurgens, flamma consumpsit.

4. 51. (HIER.) A. D. 10. Athenienses moliuntur novas res contra Romanos.

5. 52. A. D. 11. Messala Corvinus orator biennio antequam moreretur ita memoriam ac sensum amisit, ut vix pauca verba conjungeret.

6. 53. (*Chr. W.*) A. D. 12. Jani portæ per 12 annos jam clausæ, ab Augusto aperiuntur.

7. 54. (HIER.) A. D. 13. Satio [429] phylosophus

VARIÆ LECTIONES.

[417] 5. *add. rubram:* Hic inchoantur anni Dominicæ incarnationis. [418] *deest* 9^c. [419] romæ 9^c. [420] *deest* 9^c. [421] dosia 9^c. [422] *Hic incipit codex Berol.* (E1.) [423] *deest* 9^c. [424] carcere 5. 10. 11. [425] *deest* E1. [426] *regum anni super desunt* D. E. [427] r. f. est E1. [428] preciperet 9^c. [429] sitio 9^c satio *corr.* sitio 4.

NOTÆ.

(216) I. c. Chronicon Wirziburgense supra editum.

(217) Hæc Ekkehardus non ita apud Josephum invenit, sed ipse ex variis locis composuisse videtur. (cf. etiam supra a. 10.)

Alexandrinus, preceptor Senecæ, claruit.

8. 55. A. D. 14. Augustus cum Tyberio censum Romæ agitans, invenit noragies ter centena et 70 milia hominum.

9. 56. A. D. 15, qui est imperii Augusti 56us, Archelaus accusatus ob insolentiam, nono regni sui anno, in Viennam ab Augusto relegatus est [430], et Judæa tetrarchis committitur, Herodi, Antipatro, Lysaniæ, Philippo. Eodem anno Augustus Nolam ingressus, morbo capitur, et in Athellæ opido Campaniæ moritur, anno ætatis suæ 75°. Quem mortuum senatus multis modis censuit honorandum, dicens : *Utinam aut non nasceretur, aut natus non moreretur* (Cf. Bedam, *Chr. W.* Hier. *H. m.*).

10. 11. *add.* : Romæ in campo Martio est sepultus.

Anno [431] Dominicæ incarnationis 16, qui est a condita Urbe 766, Tyberius, Libiæ filius, Augusti privignus, mox gener, postremo adoptione filius, imperium Romanum adeptus est, ab Augusto secundus, et regnavit annis 23. Iste quia Claudius Tyberius Nero dicebatur, eleganter a joculatoribus Caldius [432] Biberius Mero ob vinolentiam nominabatur. Satis prudens in armis satisque fortunatus ante sumptum imperium sub [433] Augusto fuit, ut non immerito rei publicæ dominatus ei committeretur, habens scientiam litterarum, multo preclarus eloquio, sed ingenio pessimo, truci, avaro, insidioso, simulans ea se velle quæ nollet et ea nolle quæ vellet, his quasi infensus quibus consultum cupiebat, his vero quos oderat quasi benivolus apparens, repentinis responsionibus melior quam premeditatis. Denique delatum a patribus principatum, quem quidem astu perceperat, finxit se abnuere, quid singuli dicerent [434] aut sentirent, atrociter explorans. Quæ res bonos quosque pessumdedit. Estimantes [435] enim eum ex animo declinare magnitudinem imperialis molestiæ, cum sententias suas ad ejus voluntatem, ut sibi videbatur, promunt, postrema exitia inciderunt. Per se nulla bella gessit, sed ne per legatos quidem aliqua gravia, nisi quod tantum aliquantis in locis precogniti gentium tumores cito comprimebantur (Cf. Oros. VII, 4). Getulorum latrocinia repressit, Maroboduum Suevorum regem callide circumvenit. Cum magna et gravi modestia rei publicæ præfuit plurimo imperii sui tempore, adeo ut quibusdam presidibus ad augenda provinciis tributa suadentibus scripserit boni pastoris esse tondere pecus, non deglobere ; sed paulatim mutatur in pejus. (*H. m.*) Nam et filios suos adoptivos [436] Drusum et Germanicum, germani sui Drusi filios, veneno interfecit, prefectum suum Sejanum nova molientem occidit, et ex viginti patriciis [437], quos sibi causa consilii elegit, vix duos incolomes reliquit, A ceteros diversis causis necavit, Habuit ipse filium nomine Drusum, sed eo mortuo, filium ejus Tyberium, cognomento Gemellum, et Gaium, filium Germanici, filii fratris [438] sui Drusi, adoptavit in filios, ex quibus Gaius sibi successit in regnum. (Cf. Jos. XVIII, 13.) Hujus itaque Tyberii temporibus Agrippa, filius Aristoboli, qui filius fuit Herodis, quem ipse cum fratre suo Alexandro interfecit, demorans Romæ, Druso, Tyberii filio, familiaris fuit ; sed mortuo eodem Druso, pater ejus Tyberius pre impatientia doloris prohibuit omnes amicos filii [439] ante faciem suam accedere, ne illis visis dolor ejus renovaretur (*Ib.* c. 12, sqq.). Unde Agrippa in Judæam descendens, et post aliquantum tempus Romam rediens, favente Antonia [440], uxore Drusi fratris Tyberii, quæ Beronicem [441] Agrippæ matrem admodum B diligebat, in amicitiam receptus est a Tyberio, a quo jussus est nepoti suo Tyberio semper adherere illumque summa ope excolere ; sed ille Gaium, Antoniæ nepotem, magis dilexit, unde et offensam Tyberii incurrit. Nam cum quadam die Gaio optaret, ut illum [442], mortuo Tyberio [443], dominum cunctorum videre mereretur, nunciatum est hoc Tyberio, statimque conjecit eum in vincula, in quibus permansit usque ad Gaii tempora.

10. *add. in margine, quæ* 11 *recepit :* Quendam brum fertur jugulasse, qui adinvenit vitrum fabricare, et secundum libitum suum inflectere, dicens ei : « Si vixeris et hoc alios docueris, aurum et argentum annulabitur. »

Anni Tyberii.

2. (Hier.) Anno Dominicæ incarnationis 17, qui est Tyberii secundus, Asinii Pollionis filius Asinius Gallus diris a Tyberio suppliciis enecatur.

3. A. D. 18. Livius [444] hystoriographus Patavii [445] moritur. Ovidius quoque poeta in exilio moritur [446].

4. (*H. m.*) A. D. 19. Germanicus, Drusi filius, Caligulæ pater, de Germanis, ad quos ab Augusto jam sene missus fuerat, triumphat.

5. (Hier.) A. D. 20. Germanicus cæsar a Tyberio patruo suo veneno interficitur.

6. A. D. 21. Fenestella hystoriographus et poeta 70° vitæ suæ anno moritur, et Cumis sepelitur.

7. A. D. 22. Tyberius multos reges per blandicias ad se vocavit nunquamque remisit, inter quos et Archelaum Capadocem, cujus etiam regnum in provinciæ formam redegit, et nobilissimam ejus civitatem Mazacam ex suo nomine Cæsaream appellavit.

8. A. D. 23. Pompeii theatrum incensum est.

Olympias 200.

9. A. D. 24. Tyberius Drusum, fratris sui filium, regni consortem fecit, quem eodem anno veneno interemit.

VARIÆ LECTIONES.

[430] *deest* 9c. [431] *In 4. hoc loco legitur rubra :* Anni Tyberii, Herodis tetrarche. [432] claudius 1b. 10. *e corr.* 11. [433] tantus sub 1b. [434] *deest* E1. [435] existimantes 9c. [436] adoptivum 9c [437] patribus E1. [438] fr. s. d. filii 5. [439] f. sui 5. [440] antonio 4. antonii 5. [441] beronicen E1. 11. [442] illo 9c. [443] *deest* 9c. [444] Lucius E1. *qui hæc post* Ovidius— moritur *habet* [445] patavi 5. [446] *deest* 9c.

10. A. D. 25. Servius Plautus, corrupti filii reus, semet in judicio interemit.

11. A. D. 26. Philippus tetrarcha Paneadem, in qua plurimas ædes construxit, Cæsaream Philippi vocavit.

12. (*Ch. W.*) A. D. 27. Pylatus a Tyberio preses Judææ mittitur.

13. A. D. 28 [447].

14. (Jos. *l. l.*, c. 4.) A. D. 29. Herodes tetrarcha, frater Philippi, ad magnam amiciciam Tyberii pervenit, ædificans civitatem, quam ex ejus nomine Tyberiadem vocavit.

15. (*Evang.*) A. D. 30. Johannes baptizare cœpit populum; cujus baptismate Dominus noster Jhesus Christus in Jordane baptizatus, tricesimo ætatis suæ secundum carnem anno [448] cœpit signa facere et predicare, virtutibus vera comprobans esse quæ diceret (Cf. *Chr. W.*).

16. A. D. 31. Dominus noster Jhesus Christus discipulos eligens, evangelicis eos imbuit sacramentis. Johannes baptista decollatur ab Herode tetrarcha filio Herodis illius sub quo natus est Dominus, machinante Herodiade uxore sua, quam abstulit fratri suo, ut Marcus dicit, Philippo, eandemque Herodiadem Beda (*Comm. in Marcum* Opp. ad. 1688. V, p. 123. Cf. *Chr. W.*) scribit filiam fuisse Arethæ regis, quam idem Aretha primum Philippo conjunxerit, sed postea ablatam Herodi, fratri ejus, dederit, eo quod ipse ditior et potentior fuerit. Josephus vero scriptor antiquitatum, neutri consentiens, in 18° libro (c. 9) scribit in hunc modum : *His quoque temporibus* [449] *inter Aretham Petreum et Herodem regem simultatio magna contigit propter hujusmodi causam. Herodes tetrarches uxorem habuit Arethæ filiam, cum qua non parvum tempus advixerat. Sed cum Romam evocaretur, transiens in domo Herodis exceptus est. Frater ejus erat etiam* [450] *ipse, sed non ex una matre progenitus; Herodes enim ex filia Symonis sacerdotis fuerat procreatus. Cumque ibi esset, Herodiadis amore captus est, uxoris alterius Herodis; filia enim erat ista Aristoboli soror Agrippæ majoris. Audet igitur cum muliere de nuptiis ineundis miscere sermonem. Illa vero suscipiente, pacta firmantur, ut, cum Roma reversus fuisset, illa connubii jura susciperet. Erat enim in pactis ut filiam Arethæ regis excluderet. Et Herodes quidem Romam, talibus pactis firmatis, advehitur; sed cum reversus fuisset, peragens Romæ propter quæ fuerat evocatus, uxor ejus fideliter cuncta cognoscens quæ inter eum fuerant Herodiademque* [451] *composita, antequam eam ille cuncta* [452] *cognovisse sentiret, rogat virum, ut in* [452] *Macherunta, ubi limes erat Arethæ Herodisque regionis, ab eo mitteretur, nichil ei suæ voluntatis aperiens. Hoc Herodes libenter accipiens, mittit uxorem, nichil eam sensisse penitus arbitratus. Illa vero — premiserat enim ante multum tempus ad patrem, ut ei apud Macherunta omnia* [453] *pararentur quæ itineris usus exposceret — a ductoribus Arethæ suscipitur, confestimque Arabiam intrat, atque ibi* [453] *ab illis ductoribus ad alios, ab illisque rursus ad alteros transmissa, cum summa celeritate patri perducitur, cui cunctam Herodis voluntatem aperit. Ille vero exhinc inimiciciarum sumpsit inicium, atque ab utroque congregato exercitu, in regione Gamalica bello confligitur, non quidem ipsis* [454] *presentibus, sed ductoribus ab utraque parte transmissis. Pugna itaque facta, et exercitu Herodis afflicto proditione perfugarum, qui ex Philippi tetrarchia ad Herodem quasi auxiliandi causa convenerant, hæc Herodes scribit ad Tyberium. Ille autem indignatus, quod Arethas* [455] *talia perpetravit, scribit Vitellio, Syriæ tunc rectori, ut ei bellum incunctanter inferret et aut vivum eum vinctum adduceret aut certe mortui caput auferret. Tyberius quidem, ut hæc ageret, rectori Syriæ demandabat. A quibusdam autem Judæorum videbatur* [455] *ideo perisse Herodis exercitum, quod in eum satis juste indignatio divina commota sit pro vindicta Johannis, qui vocabatur* [456] *baptista. Hunc enim Herodes occidit, virum valde bonum, qui precipiebat Judæis virtuti operam dare, justiciam colere, pietatem in Deum servare, et per baptismum in unum coire,* Hucusque verba Josephi, quæ docent, Herodiadem nec filiam Arethæ fuisse nec uxorem Philippi, cum et superius in libro 17 [457] antiquitatum (c. 2) idem scribat, Herodem majorem pœnitudine ductum super interfectione [458] filiorum suorum Alexandri et Aristoboli, erga filios eorum clementem extitisse, et Alexandri filio majori filiam Feroræ fratris sui junxisse, filio vero Aristoboli filiam Antipatri, filio autem Antipatri filiam Aristoboli Mariamnem, alteram vero, id est Herodiadem, filio suo Herodi; *et is*, inquit, *natus est ei ex filia pontificis;* cum post subinferat, Herodem et Philippum ex Cleopatra Hierosolimite natos, pontificis vero filiam Mariamnem dictam fuisse. Ex his prudens lector eligat quid [459] magis sit tenendum, cum et difficile sit evangelistæ verbis non credere, et omnes astipulentur Josephum veracem antiquitatum relatorem existere, nisi forte dicatur evangelista pro affinitate personarum mutationem fecisse nominum [460], nec multum curaverit inter [461] tot Herodis filios exquirere, quod duos filios sibi æquivocos scribatur habuisse. Bedæ vero indulgendum putamus, quod Herodiadem Arethæ filiam dixerit, quia multis scribendis intentus, multiplicitatem hystoriarum forte per omnia tenere non potuit, maxime cum et beatum Hieronimum in commentario Marci (218) eadem [462] sensisse forsitan legerit.

VARIÆ LECTIONES.

[447] *annos vacuos postea omisi.* [448] a. s. c. 5. [449] t. q. 5. [450] et 9c. [451] et h. 9c. [452] *deest* 9c. [453] cuncta 5. [454] ab ipsis 9c. [455] aretha E1. [456] appellabatur 5. [457] XVIII, 9c [458] interfectionem E1. [459] quod E1. [460] n. f. 5. [461] *deest* 9c. [462] c. s. *desunt* E1.

NOTÆ.

(218) Ejusmodi liber jam non exstat; cf. comm. in Matthæum Opp. ed. Vallars VII, p. 100.

17. Anno Dominicæ incarnationis 32, discipuli Christi, evangelicis instructi documentis, verbum fidei per civitates Judææ, ipso mittente, predicaverunt.

18. (Cf. *Chr. W.*—Hier.) Anno incarnationis suæ 33, Dominus noster Jhesus Christus passus est in carne et resurrexit, in cujus passione multa contigisse miracula etiam gentilium scriptores testantur. Josephus quoque, inter cetera quæ tempore illo stupenda contigerunt, scribit sacerdotes tempii primum commotiones locorum et sonitus quosdam audisse, dein ex adito templi vocem erupisse: *Transeamus ex sedibus his.* De ipso etiam Christo scribit ita (XVIII, 6): *Fuit autem his temporibus Jhesus, sapiens vir, si* [463] *tamen virum eum nominare fas est; erat enim mirabilium operum effector et doctor hominum eorum qui libenter audiunt quæ vera sunt, et multos quidem Judæorum, multos etiam ex gentibus sibi adjunxit; Christus hic erat. Hunc accusatione primorum nostræ gentis virorum cum Pilatus in crucem* [464] *agendum decrevisset, non deseruerunt hi* [465] *qui ab inicio eum dilexerunt. Apparuit enim eis tercio die iterum vivus, secundum quod divinitus inspirati prophetæ vel hæc vel alia de eo innumera miracula* [466] *futura esse predixerant. Sed et in hodiernum diem Christianorum, qui ab ipso nuncupati sunt, et nomen perseverat et genus.*

19. (*Chr. W.*) A. D. 34. Jacobus, frater Domini, Hierosolimis episcopus ordinatur ab apostolis, sedit-que annos 30.

20. A. D. 35. Pylatus imaginem cæsaris in templo statuere volens, seditiones in Judæis excitavit.

21. (Hier.) A. D. 36. Sejanus prefectus cohortatur Tyberium ut Judæos deleat. Persius Voliternis nascitur.

22. (*H. m.*) A. D. 37. Pylatus ad Tyberium scripsit de passione et resurrectione Domini et de virtutibus ejus, per quas, crescente plurimorum fide, Deus crederetur. Tyberius autem cum magni favoris suffragio retulit ad senatum, ut Christus Deus haberetur. Senatus vero indignatione commotus, cur non sibi prius secundum morem delatum esset ut de susoipiendo cultu prius [467] ipse decerneret, consecrationem Christi recusavit edictoque constituit exterminandos [468] esse Urbe Christianos, precipue cum et [469] Sejanus, prefectus Tyberii, suscipiendæ religioni obstinatissime contradiceret. Tyberius tamen accusatoribus Christi edicto mortem commi-natus est, plurimosque senatorum proscripsit et in mortem coegit. (Jos. XVIII, 7.) Pylatus autem cum in Judæa decimum compleret annum, accusatus a Judæis apud Vitellium, qui tunc Syriæ principabatur, jussus est [470] ab eo Romam ire, ut in judicio cæsaris se ab objectis purgaret; sed antequam Romam veniret, Tyberius rebus humanis excessit.—(*V. supra.*) Eodem anno Aristoboli filius Agrippa, A cognomento Herodes, Romam veniens, a Tyberio clementer tractatur, favente Antonia, matre Germanici et Claudii, quæ fuit uxor Drusi fratris Tyberii; sed cum accusaretur, quod optaret Tyberium citius mori regnumque Gaio dari, in vincula ab eo conjicitur, nec eo vivente solvitur.

23. (*H. m.*) A. D. 38. Tyberius Romanos graviter affligens, ingenti omnium gaudio in Campania veneno periit insidiis Caligulæ, anno imperii sui 23°, ætatis vero 78°.

Anni Gaii Caligulæ [471].

Anni ab inicio mundi quatuor milia.

1. (*H. m.*—Hier.) Anno Dominicæ incarnationis 59, ab Urbe vero condita 789, Gaius Caligula, tercius ab Augusto, suscepit imperium, et regnavit annos tres, menses 10, dies 8. Hic fuit filius Germanici, nepos Drusi, qui fuit privignus Augusti, frater vero Tyberii; hic quia in exercitu natus fuit, ex calciamento militari Caligula cognominatus est; magnoque favore aviæ suæ Antoniæ nutritus, in magnis habebatur honoribus (Jos. XVIII, 13), adoptatusque a Tyberio in filium cum Tyberio, filii sui Drusi filio [472], in aula nutriebatur, liberalibusque disciplinis adprime eruditus, propter Germanici patris sui virtutem a populis amabatur. Tyberius igitur cum jam ad senectutem pervenisset, diis patriis supplicabat, ut ei signum manifestum ostenderent, quinam post eum in imperium successisset [473], festinans quidem ut nepoti suo principatum relinqueret. Cui cum dictum esset illum regnaturum, qui sequenti die primus ex omnibus ad eum venisset, misit ad nepotis sui pædagogum, jubens ut primo mane puerum ad se perduceret, putans ulla re numinis superare sententiam. Cumque dies illuxisset, jussit Evodum, ut quisquis foris esset infantulorum, ad se primitus evocaret. Ille autem egressus Gaium ante tabernaculum reperit; nam Tyberius necdum aderat, ciborum acceptione tardatus. Ille vero ignorans totum quod agebatur *Veni*, inquit, *vocat te pater;* et introduxit eum. Videns autem Tyberius majestatis supernæ potentiam, semet ipsum culpabat, quod illud augurium postulasset, sed non valens divinæ ordinationi resistere, Gaium benigne alloquens commisit ei imperium, monens illum erga nepotem Tyberium existere benivolum. Accepto autem regno post Tyberium, omnium ante se sceleratissimus fuit, et qui Tyberii dedecora purgaverit. (*H. m.*) Ante principatum quippe omnibus acceptus fuit, in principatu vero talis extitit, ut merito vulgaretur atrociorem illo dominum non fuisse. Nam ut breviter crudelitatem ejus depromam, exclamasse fertur: *Utinam populus Romanus unam cervicem haberet!* Sepe etiam de conditionibus temporum suorum questus est, quod nullis calamitatibus publicis insignirentur. Plurima fecit, de quibus

VARIÆ LECTIONES.

[463] t. si E1. [464] cruce 9c. [465] eum 9c. [466] mira 9c. [467] i. p. E1. [468] chr. u. esse ext. E1. [469] *deest* E1. *In sequentibus hujus et codicis* 9c. *nonnisi præcipuas lectiones afferam.* [470] *deest* 9c. [471] caligule S. [472] *deest* 9c. [473] succederet 4. 9c.

nescio an deceat memoriæ tradi, nisi [474] forte quia juvat de principibus nosse omnia, ut improbi saltem famæ metu talia declinent. (Jord. *De r. s.*) In palatio matronas nobiles publice libidini subjecit, tribus sororibus suis stupra intulit, ex una earum etiam natam filiam vitiavit, Memmium Regulum coegit ut conjugem suam sibi uxorem in loco filiæ daret seque patrem ejus diceret et instrumenta matrimonii ut pater conscriberet; sorores suas, quas stupravit, insularum exilio damnavit. (Hier. — *H. m.*) Hic primus, diademate imposito, dominum se appellari jussit, et in deorum numerum se referri precepit. Hic statim ut post mortem Tyberii regnum accepit, Agrippam cognomento Herodem a vinculis absolvit, in quæ illum Tyberius conjecit, eique tetrarchiam Philippi patrui sui, qui jam decesserat, tradidit, regemque appellavit, cui et postea tetrarchiam Herodis patrui sui adjecit (Cf. Jos. *l. l.* — Eus. *H. e.* II, 4). Iste est qui in actibus apostolorum (cap. XII) Herodes appellatur, qui et Jacobum occidit et Petrum in carcerem misit, et postea ab angelo percussus, vermibus scaturiens exspiravit; cujus filii fuerunt Agrippa rex, æquivocus ejus, et Beronice, soror ejus. Regnavit autem annis 7, moriturque anno tercio Claudii (Cf. Eus. II, 10). Philippus vero, patruus ejus, mortuus est anno 22 Tyberii, regens Traconitidis et [475] Gaulanitidis regionem annis 32.

2. A. D. 40, qui est Gaii secundus, Judæi, qui jam tunc ob passionem Christi meritis ubique cladibus exagitabantur, apud Alexandriam exorta seditione, profligati sunt cæde, atque pulsi ex urbe; pro quibus Phylo, vir sane apprime eruditus, secunda vice Romam veniens; et apud Gaium interpellans, nichil profecit, sed ibi commorans dicitur cum Petro apostolo locutus fuisse ejusque amiciciam habuisse (Cf. Eus. II, 5).

3. (*Chr. W.*) A. D. 41. Pylatus multis calamitatibus a Gaio obpressus, se ipsum interfecit.

4. A. D. 42. Matheus evangelium scripsit Hebraice. Herodes tetrarcha, qui in Johannis baptistæ nece auctor extitit et passioni Domini interfuit, filius Herodis Magni, sub quo natus est Christus (*V. supra*), Romam venit, cogente Herodiade uxore sua, quam abstulit fratri suo (Jos. *De b. J.* II, 8). Quæ cum videret Agrippam fratrem suum a Gaio regem factum, exprobrare cœpit Herodi socordiam, quia per id quod noluerit ad cæsarem navigare careret majori honore. Nam cum Agrippam ex privato regem fecisse non esset dubium quin eum ex tetrarcha pari honore proveheret. His adductus Herodes Romam venit, subsequente [476] eum et accusante Agrippa, filio fratris sui Aristoboli. Gaius cum de avaricia vehementer increpavit, eique tetrarchiam auferens, Agrippæ commisit, ipsum vero perpetuo exilio Lugdunum relegavit. Cognoscens autem quod Herodias soror esset Agrippæ, voluit ei opes et quæque propria concedere; sed illa mariti causa contempnens omnia, secuta est eum in exilium, ibique pariter perierunt (Cf. *A. I.* XVIII, 14).

(*H. m.*) Eodem anno Gaius cum adversus omnes ingenti crudelitate sæviret, a militibus in palatio occisus est, anno ætatis [477] 38, regni quarto. Qui postquam occisus est, duo libelli in secretis ejus reperti sunt, quorum alteri pugio, alteri gladius pro signo nominis ascriptum erat; ambo lectissimorum virorum utriusque ordinis, senatorii videlicet et equestris, nomina et notas continebant, qui morti destinati erant. Inventa est et arca ingens variorum venenorum, quibus mox Claudio cæsare jubente dimersis, maria infecta traduntur, non sine magno piscium exicio, quos enecatos per proxima litora passim æstus ejecit.

Anni Claudii.

(*H. m.* — Hier.) Anno Dominicæ incarnationis 43, ab Urbe autem condita 793. Claudius, ab Augusto quartus, imperium adeptus est, regnavitque ann. 13, menses 8, dies 28. (*H. m.*) Hic fuit patruus Gaii Caligulæ, filius Drusi privigni Augusti, qui apud Mogontiam habet monumentum, cujus nepos erat Caligula. Iste, cum senatus censuisset genus Cæsarum exterminari, deformi latebra latere repertus, quia vecors erat, mitissimus videbatur imprudentibus, sicque raptus a militibus, imperator effectus est, annitente (219) Agrippa, qui tunc forte Romam venerat et a senatu in consilium vocatus fuerat, unde et filium ejus Agrippam postea regem fecit. (*H. m.*) Hic ventri, vino, libidini fœdæ obediens, vecors et prope hebes ac pavidus, libertorum et conjugis subjacebat imperiis (Oros. VII, 6, s. Beda I, 5); cupiens tamen utilem se publicæ rei ostendere principem, exercitum movit in Britanniam, transvectusque in insulam, quam nemo ante Julium Cæsarem nec post eum ausus fuit adire, intra paucos dies sine prælio et sanguine plurimam ejus partem in deditionem accepit; Orchadas etiam insulas ultra Britanniam Romano imperio adjecit, ac sexto mense ex quo profectus est Romam rediit. (Hier.) Sic ergo de Britannis triumphavit, filiumque suum Britannicum vocavit. (*H. m.*) Uxor vero Claudii Messalina [478] primo passim adulteris utebatur; ex quo facto plures metu abstinebant et extincti sunt, dehinc atrocius accensa, nobiliores quasque nuptas et virgines scortorum modo secum proposuerat, coactique sunt mares ut adessent. Quod si quis talia horruerat, confecto crimine in eum [479] omnemque familiam [480] ejus seviebatur. Ita [481] liberti ejus potestatem

VARIÆ LECTIONES.

[474] *deest* 9c. [475] *deest* 9c. [476] sed s. — gaius E1. [477] a. suæ 9c. [478] messalia 5. 9c. [479] conf. in eum c. 5. [480] in f. 9c. [481] Itaque E1.

NOTÆ.

(219) Hæc nescio unde hauserit Ekkehardus.

summam adepti, stupris, exilio, cæde, proscriptione omnia fœdabant. Ex quibus Felicem legionibus Judææ prefecit, Possidonio eunucho post triumphum Britannicum inter militarium fortissimos arma insignia tamquam participi victoriæ dedit, Polibium inter consulares medium incedere fecit. Hos omnes anteibat Narcissus. Post hæc Claudius Agrippinam, Germanici fratris sui filiam, sororem Caligulæ, matrem vero Neronis, accepit uxorem, quæ filio suo procurans imperium, privignum suum Britannicum primo in palatio multiformibus insidiis circumvenit, dehinc ipsum conjugem veneno interemit.

1. Primo igitur imperii sui anno, cum confirmatur (219) in regno Agrippæ consilio, dedit eidem Agrippæ pro remuneratione omnia quæ dedit Augustus Herodi [482], aliud quoque regnum, quod Lysaniæ dicebatur fuisse.

2. A. D. 44. Duodecim apostoli, cum eatenus in Judæa tantum predicarent, juxta preceptum Domini, ut Beda scribit, anno a passione Domini 12, in totum orbem divisi sunt. Unde Petrus, fundata primum Antiochena ecclesia [483], Romam tetendit, ut quidam volunt (Bedæ *Mart.*) hoc anno, secundum alios (Hier.) vero quarto Claudii anno.

3. (*Chr. W.*) A. D. 45. Primus episcopus Antiochiæ ordinatur Evodius. Herodes Agrippa, filius Aristoboli, anno 7° regni sui percutitur ab angelo, relinquens filium nomine Agrippam et tres filias, Beronicem [484], Mariamnem atque Drusillam. Tunc Claudius, ut Josephus testatur (*A. J.* XIX, 8; cf. *De b. J.* II, 10), regnum ejus in provinciam redegit, in cujus procurationem missus est Cuspius Fadus.

4. (Hier.) A. D. 46. Claudius de Britannis triumphavit. Eodem anno facta est fames gravissima per Syriam, quam etiam Agabus propheta predixit, ut in apostolorum legitur Actibus (cap. XII, 28); sed Christianorum necessitatibus apud Hierosolimam, convecto ex Ægypto frumento, Helena Adiabenorum regina largissime ministravit.

Hoc etiam anno [485], scilicet Claudii quarto, illud factum esse Beda (*Comm. in Acta.* Opp. V, p. 652.) opinatur, quod in Actibus apostolorum legitur: *Statuerunt, ut ascenderent Paulus et Barnabas et quidam alii ex illis ad apostolos et presbiteros in Hierusalem*, et hanc ascensionem suam esse illam, de qua ipse Paulus ita scribit ad Galathas: *Deinde post annos 14 ascendi Hierosolimam cum Barnaba, assumpto et Tito.* De hac ascensione positis [486] quibusdam, Beda subinfert: *Sequitur ergo beatum* [487] *Petrum eodem 14 post passionem Domini anno, quo eum Hierosolimis alloquitur Paulus, Romam venisse credamus, id est quarto Claudii cæsaris anno; simulque, nisi fallor, hac expositione, Paulum apostolum eodem quo Dominus passus est et resurrexit anno ad fidem venisse, probamus.* Petrum vero quarto Claudii anno Romam venisse, fere omnes sanctorum temporum scriptores testantur; quidam autem pontificatum [488] in urbe Romana hoc anno illum suscepisse opinantur; et hoc exinde verum conjicitur, quia Petrus sedem Romanam 25 annis tenuisse dicitur (Hier.), et ultimus Neronis annus quo Petrus passus esse narratur, 25us [489] a quarto Claudii numeratur. Unde satis apparet quod eodem anno quo Romam venit etiam sedem pontificatus accepit.

De [490] successione vero pontificum Romanorum et ordine atque temporibus eorum jam inde a principio et deinceps in plurimis diversa sentiuntur a diversis. Quorum opiniones hic summatim scribere idcirco arbitror non esse ab re, ut et segniores et neglegentiores mei similes ad veritatem rei adtendendam excitentur, et prudentiores ad hanc subtilius investigandam provocentur. Quidam scribunt, quibus et æcclesiastica consentire videtur hystoria (Eus. *Hist. eccl.* III, 12 sqq.), Linum post passionem Petri apostoli, Romanæ sedis 25 annis presidentis, hanc regendam suscepisse, et post duodecim sui regiminis annos, secundo Titi anno, pontificatum Anacleto reliquisse, et hunc item post 12 annos Clementi sedem tradidisse, quod videtur anno Domitiani 12° contigisse, ipsumque Clementem post novem sui pontificatus annos sub Trajano passum; Evaristum quarto ejusdem Trajani anno successisse, huic Alexandrum, illi vero Sixtum, et sic ceteros. Alii vero scribunt Linum et Cletum sub Petro fuisse, ipsumque Petrum, mox ut pontificatum accepit, Linum pro se in agendis æcclesiasticis, quo ipse liberius predicationi vacaret, ordinasse, illoque post annos 12 decedente, Cletum huic subrogasse; quo etiam item post anno 12 defuncto, eo anno et tempore quo ipse Petrus passus est, scilicet 14° Neronis anno, Clementi sedem commisisse, et ei suisque successoribus ligandi solvendique potestatem, sicut ipse a Christo suscepit, demum tradidisse; et huic passo [491] sub Domiciano Anacletum successisse, cui Evaristum, et huic Alexandrum, et sic [492] ceteros. Quæ descriptiones cum sibi multum dissonæ probentur, querendum cui magis credi judicetur. Consideremus ergo earum inæqualitates. Igitur si Linus Anacletum isque Clementem successorem reliquisse accipitur, ut prior descriptio tenetur, Cletus omnino de pontificum catalogo excluditur, cujus veneratio per omnes æcclesias sic celebris est, ut non solum in martyrologiis attituletur, verum etiam in canone missarum et in supplicationibus letaniarum publicitus inter Linum et Clementem recitetur. Si vero post Linum Cletus, dein Clemens, et post hunc Evaristus et Alexander numerentur, locus non habetur ubi Anacletus reci-

VARIÆ LECTIONES.

[482] pro remuneratione *add.* E1. [483] c. anthiocena 5. [484] beronicen E1. [485] *deest* E1. [486] interpositis E1. [487] ut beatum 9c. [488] pontificatus 5. 9c. 10. [489] XXV *in margine suppletur;* a — numeratur *des.* 9c. [490] *Hæc de pontificum ordine desunt* (D?) E. [491] *desst* 9c s. d. p. 5. [492] sicque 9c. 10. 11.

piatur, cum Beda in martyrologio suo dicat (Opp. III, p. 300), hunc quartum post Petrum sedisse et sub Domiciano passum fuisse, ut primus sit Linus, secundus Cletus, tercius Clemens, quartus Anacletus. Sed si post Clementem Anacletus ponatur et secundum Bedam sub Domiciano passus recipiatur, necessario illud refellitur, quod antecessor ejus Clemens sub Trajano passus dicitur, cum evidenter sub Domiciano passus esse probetur, si successor ejus Anacletus ab eodem occisus non negetur. Adhuc autem argumentatur et illud : quia si Linus et Anacletus juxta quosdam, sive Linus et Cletus secundum alios, uterque post passionem Petri, quæ 14° Neronis anno facta est, per annos 12 tenebat pontificatum, quod spacium per 24 annos in Domiciani duodecimum protenditur annum, Clemens ab apostolo Petro sedem et ligandi solvendique licentiam nullatenus accepisse probatur, quod a nonnullis affirmatur. Additur et hoc, quod sanctus Dionisius Ariopagita, beati Pauli apostoli discipulus et Athenarum episcopus, cum, sicut in libro passionis ejus legitur (*Acta SS.* Oct. IV, p. 792), beatos apostolos Petrum et Paulum audiret Romæ teneri, subrogato Athenis episcopo, properavit Romam velocius attingere, summopere desiderans, si Deus ita vellet, cum eisdem sanctis apostolis occumbere; sed cum divina dispositio vota ipsius preveniret, sanctique apostoli prius passionis gloria coronarentur quam ille Romam adiret, tandem perveniens, Clementem, condiscipulum suum, Romanæ sedi jam presidentem invenit, qui et illum in Gallias predicatorem direxit. Quæ igitur fuit festinantia tanti desiderii, si per 24 annorum spacium vel amplius inter Athenas et Romam nullo potuit obsistente cohiberi? Nec enim illud refragatur quod, ostio fidei sibi aperto, causa seminandi verbum Dei aliquamdiu retardatus fuisse narratur; quia, etsi per contiguas parrochias divina semina predicandi avidus disperserat, passionis tamen desiderio fervens, ab Athenis infra 24 annos maturius Romam contendere poterat. Adhuc vero cum idem Dionisius nonagesimo sexto Dominicæ incarnationis anno, qui est 14 Domiciani, passus describatur, Clemens vero, qui eum direxit in Gallias, 12° ejusdem principis anno juxta superioris opinionem descriptionis sedem accepisse dicatur, mirum potest videri, qualiter anno nondum aut vix expleto possent omnia hæc expleri, scilicet ut Dionisius de Roma in Gallias veniret, et tam cervicosum populum ignotus adhuc et advena fidei jugo substerneret, basilicam construeret, aliaque plura quæ de eo leguntur, sacerdotum super his commotorum relatio Romam recurreret, divulgataque persecutione, prefectus inde missus in Galliam, Dionisium diversis pœnis occideret. Liber quoque passionis Alexandri papæ testatur (*Acta SS.* Mai I, p. 371), quod in ordine pontificum Romanorum Clemens post Petrum primus, hoc est secundus ab illo habeatur. Sic enim ibi scriptum est : *Quinto loco a beato Petro apostolo Romanæ ecclesiæ kathedram Alexander suscepit*, et reliqua. Quod si Linus a Petro secundus dicatur, necesse est ut et Cletus ante Clementem et Anacletus post eum a numero excludantur, quatenus Alexander quintus inveniatur, scilicet ut, Petro existente primo, Lino secundo, Clemente tercio, Evaristo quarto, Alexander quinto loco subsequatur. Aliter enim Alexander quintus a Petro non habetur, quia, si Linus a Petro secundus et Cletus sive Anacletus ante Clementem fuerit positus, Alexander erit sextus; si vero Cletus ante Clementem et Anacletus post illum ponatur, Alexander septimus habetur, nisi Clemens a Petro secundus numeretur. Ilis et talibus allegatis pro imperitia mea propter rerum et temporum convenientiam, hos magis interim sequendos estimo, qui Linum et Cletum dicunt fuisse sub Petro [493], et illos quidem hoc officium, quod chorepiscopi [494] sub episcopo tenent, administrasse; Clementem vero, Petro ipso [495] tradente, legitimo jure successise, et idcirco eum a quibusdam primum papam vocatum, quia velut hereditario jure ligandi solvendique a Petro accepisse dicitur pontificatum, pro [496] hoc vero ab aliis dictum tercium esse a Petro, quod sub ipso apostolo precesserint eum Linus et Cletus in sacerdotali officio. Hucusque de his. In sequentibus vero eadem causa pro successionis ordine et temporum serie generat erroris cumulum, qui pro similitudine nominum personis inditorum inolevisse creditur ob incuriam et vitium scriptorum. Fabianus quippe papa legitur [497] sub Decio passus, post quem Cornelius, itemque post eum in catalogo pontificum et in quibusdam etiam chronicis inveniuntur positi Lucius, Stephanus, Sixtus, Dionisius. Cum igitur Fabianus sub Decio passus legatur, Sixtus quoque, sub quo Laurentius archidiaconatum tenebat, per omnes æcclesias et legendo et cantando sub eodem passus predicetur, Decius vero non amplius quam 30 mensibus, hoc est annis duobus et dimidio, regnasse dicatur, a quibusdam etiam minus, id est anno uno et mensibus tribus, si inter Cornelium Fabiani successorem et hunc Sixtum Lucius et Stephanus ponantur, ut quibusdam [498] placet : consequentia rerum stare non potest, cum hic sub Decio, illi sub Valeriano et Galieno passi fuisse legantur, et Cornelius tribus annis, Lucius vero mensibus octo, Stephanus autem duobus annis [499] Romanæ sedi prefuisse in æcclesiastica hystoria dicantur. Unde satis intellegi potest, vitio scriptorum pro similitudine nominum ordinem esse confusum, et Cornelio successisse Sixtum, et huic Dionisium, illi autem Lucium, huic vero Stepha-

VARIÆ LECTIONES.

[493] s. p. fuisse 5. [494] corepiscopi 5. *corr.* coepiscopi 10. *et ita* 11. [495] i. t. petro 5. [496] per 9e. [497] sub d. legitur 5. [498] quibusdam — illi *desunt* 10. 11. [499] a. d. 5.

num, cui item Sixtum, dein iterum Dionisium, sicque per ordinem reliquos. Hæc autem omnia non dico, quasi pro mea garrulitate prejudicium cupiens inferre aliorum me [500] satis [501] satisque precellentium sententiæ, sed quasi pro indagandæ veritatis cupiditate, stulticiæ notandus elogio, sensum meæ denudans imprudentiæ. Ceterum sapiens quisque pro captu suo deliberet quid pro vero tenendum dijudicet, ego vero tot et tantas varietates in hystoriographis cernens et pro tenuitate ingenioli mei mecum ruminando et ammirando perpendens, hystorias, passionum libros, chronicorum exemplaria, quæ habere potui, diligenter pro meo captu percurri, multaque inveniens scriptorum neglegentia vel imperitia depravata, propter numerorum varietates litteris designatorum, in quibus facile a diligentibus delinquitur, quanto magis a non adtendentibus, dum aut littera pro littera ponitur vel aliqua forte subducitur, in quantum meæ licuit rusticitati nulliusque auctoritatis exilitati, quædam correxi, temporaque pontificum Romanorum temporibus imperatorum, quam diligentius poteram, annexi, et ab hoc anno Dominicæ incarnationis 46°, qui est primus beati Petri apostoli in pontificatu Romano, etsi non annos præsulum singulorum [502], quos reperire non potui, ordinem tamen cunctorum, sicut ad nos perlatus est, usque in millesimum nonagesimum nonum ejusdem incarnationis annum seriatim perduxi; ubi si sapientum judicio mea simplex placuerit diligentia nullique veritatis invidentia, gratias Deo; sin autem, melius ostendenti veluti certi et veri cupidus desiderantissime cedo (Cf. Jos. *A. J.* xx, 5). — Fado successit Alexander.

Anni Alexandri.

1. 5. (Hier.) A. D. 47. Domitius orator clarus habetur, qui postea sub Nerone ex cibi redundantia in cœna moritur.

2. 6. (*H. m.*) A. D. 48. Inter Therasiam et Theram in mari Ægeo nova insula emersit, 30 stadiorum spacio extenta. Cumanus quidam successit Tyberio Alexandro in procuratione Judææ (Cf. Jos. *l. l.*).

3. 7. (*H. m.*) A. D. 49. Sub procuratore Judææ Cumano tanta seditio Hierosolimis in diebus azimorum exorta est per culpam militis unius, ut coartato in exitu portarum populo, 30 milia Judæorum cæde prostrata et compressa dicantur.

4. 8. (Jos. *l. l.*) A. D. 50. Herodes rex Calcidis, frater Agrippæ majoris, moritur, tres filios relinquens, Aristobolum de priori natum uxore, Bereniciánum et Hyrcanum ex Beronice, filia fratris sui Agrippæ. Cujus regnum Claudius Agrippæ juveni dedit, filio Agrippæ, quia regnum patris ejus jam in provinciam redegit, eo quod ipse tunc puer erat quando pater obiit. — (*H. m.*) Hoc anno tanta fames A Romæ fuisse dicitur, ut imperator in medio foro correptus a populo convitiisque et fragminibus panum turpissime infestatus, vix furorem plebis evaserit. Eo tempore Paulus apud Athenas aram ignoto deo superscriptam reperit.

5. 9. (*Chr. W.*) A. D. 51. Claudius Judæos expulit urbe Roma.

6. 10. (*H. m.*) A. D. 52. Fenix apud Ægyptum visus est, quem volucrem, ferunt anno 654° ex Arabia memorato loco advolare.

7. 11. (*Chr. W.*) A. D. 53 [503]. Claudius Felicem Judææ procuratorem fecit.

8. 12. A. D. 54. Symon magus auctor Symoniacæ heresis extitit. (*H. m.*) Apollonius ex Italia ortus, Phytagoricus phylosophus, Romæ pollebat, ita ut, B ipsum quoque Phytagoram fuisse, Phylostratus et alii acrioris ingenii describant.

9. 13. (*Chr. W.*) A. D. 55. Ægyptius quidam pseudopropheta Judæos complures seducens a Felice obprimitur.

10. 14. (*H. m.*) A. D. 56. Claudius ab Agrippina uxore sua veneno, ut dicitur, interemptus est anno vitæ suæ 64°, cujus funus, ut quondam Tarquinii Prisci, diu occultatum est, et dum arte muliebri corrupti custodes ægrum simulant, privignus ejus Nero, Agrippinæ filius, imperii jura suscepit [504].

Anni Domitii Neronis.

(*H. m.* — Hier.) Anno Dominicæ incarnationis 57, ab Urbe vero condita 807 [505], Domitius Nero, filius C Domitii Enobarbi et Agrippinæ sororis Caligulæ, quintus ab Augusto, sumpsit imperium, et regnavit annis 14 non plenis, scilicet annis 13, mensibus 7, diebus 28. (Jos. xx, 10.) Cujus mater Agrippina filia fuit Germanici fratris Claudii, vir autem Domitius Enobarbus ex nobilissimis Romanorum. Quo mortuo, Claudius amavit eam, et propter amorem ejus interemit uxorem suam Messalinam, ex qua habuit filium Britannicum et filiam Octaviam. Habuit etiam ex prima uxore sua nomine Petina filiam Antoniam. Ducta vero Agrippina, filium ejus Domitium in filium adoptavit eumque Neronem vocavit, et filiam suam Octaviam ei desponsavit. Agrippina vero metuens ne Britannicus regnum a patre perciperet, de morte Claudii cogitavit. Quo mortuo, repente principem D militiæ Burrum cum tribunis prepotentibus misit, qui Neronem de castris adductum more principis adorarent. Qui, hoc modo accepto imperio, Britannicum quidem veneno latenter occidit, matrem vero propriam interfecit, hoc ei retributionis impendens. (*H. m.*) Per quinquennium autem primum bonus apparuit, in tantum ut quidam scripserint Trajanum solere de eo dicere cunctos principes longe distare a Neronis quinquennio. (Oros. vii, 7, Aur. Victor.) Reliquum vero quod a quinque annis su-

VARIÆ LECTIONES.

[500] meæ 9[c]. [501] *deest* 4. 10. 11. [502] s. p. 5. [503] LIII. *corr.* LIIII. *in margine vero suppl.* : Anno dni. LIII. Simon — extitit 10. *et ita hæc* 11. *recepit.* [504] 9[c] *add.* : Iheronimi chronica aliter ordinant annos usque ad Constantinum magnum et Silvestrum. [505] DCCCLXX° 9°.

pervixit ita Caligulæ avunculi sui vestigia secutus est, immo supergressus est, ut turpe sit dicere ad quantam malignitatem pervenerit. (*H. m.* et *H. R.*) Plurimam senatorum partem interfecit, equestrem ordinem pene destituit, bonis omnibus hostis fuit. Libidinibus porro tantis agitatus est, ut ne a matre quidem vel sorore ullave consanguinitatis reverentia referatur abstinuisse, virum in uxorem duxerit, ipse amictus nubentium virginum specie, convocato senatu ad placitandum de ratione dotis, ipsisque nuptias celebrantibus, pelle coopertus, fere a viro ut uxor ductus sit. Parricidia multa commisit, matre, fratre, sorore, uxore ceterisque consanguineis interfectis. Urbem Romam per sex dies et noctes incendit, ut quale esset incendium Trojæ videret; ipseque stans in altissima turri lætusque prospectans flammas, tragico indutus habitu, Illiadem tragediam canebat. In re militari nichil omnino ausus, Britanniam pene amisit. Auxit molem facinorum ejus temeritas impietatis in Deum. Primus enim persecutionem in Christianos movit per omne regnum suum, ipsumque nomen exstirpare cupiens, principes apostolorum Petrum et Paulum occidit. Ipse Vespasianum cum filio suo Tito ad destruendam Hierosolimam misit. Inter hæc Galba Hyspaniæ pretor et Gaius Julius imperium corripuere. Nero autem, omnibus execrabilis, hostis a senatu judicatus est; decretum [506] est, ut, furca collo ejus inserta, nudus per publicum duceretur, et virgis usque ad mortem cæsus, de saxo precipitaretur. Quod ille audiens simulque adventum Galbæ comperiens, fugit e palatio, noctisque medio Urbe egressus est. Secuti sunt autem eum Phaon et Epafroditus et Nefitus et spado Nesporo, quem quondam exsectum in mulierem formare temptaverat. Cumque venisset in suburbanum liberti sui, quod est inter Salariam et Numentanam viam ad quartum Urbis miliarium, ictu gladii se percutere voluit, sed trepidante manu hoc perficere non potuit. Et cum nullum inveniret a quo feriretur, exclamavit dicens : *Itane nec amicum nec inimicum habere possum.* (Aur. Victor.) Videns hoc Nesporo adjuvit manum trementem; et ita periit anno vitæ suæ 31°, imperii 14°, sicque omnis Augusti familia in eo consumpta est. (*H. m.*) Hujus temporibus Romæ pollebant Seneca tragicus et phylosophus, Musonius et Plutarchus phylosophi, Juvenalis et Persius satyrici, Lucanus quoque, filius fratris Senecæ, et Statius.

Anni
Neronis.

1. 11. (*Chr. W.*) Primo autem Neronis anno Festus successit Felici presidi.

2. 12. (Hier.) A. D. 58. Paulus apostolus apud Festum, presente Agrippa rege, religionis suæ rationem exponens, ab eodem Festo vinctus Romam mittitur, ubi et Petrus occurrens, Paulum convenit (*v. supra*); et quia Linus jam excessit, Cletum in locum ejus subrogavit, qui et ipse annis 12 æclesiam rexit; Petrus [507] vero predicationi deservivit. (*Chr. W.*) Hucusque librum actuum apostolorum Lucas perduxit evangelista.

3. 13. (Hier.) A. D. 59. Probus Beritius eruditissimus gramaticus claruit.

4. 14. A. D. 60. Statius Sursulus poeta Colosensis celebris fuit.

5. 15. A. D. 61. Terremotus Romæ et eclypsis solis facta est.

6. 16. (*Chr. W.*) A. D. 62. Festo succedit Albinus in presidatu Judææ.

7. 17. (Hier.) A. D. 63. Jacobus, frater Domini, lapidatur a Judæis, et Symeon [508], frater ejus, in locum ejus constituitur.

8. 18. (*Chr. W.*) A. D. 64. Marcus evangelista passus est Alexandriæ.

9. 19. A. D. 65. (Hier.) Persius moritur anno ætatis [509] 29°. Ante mensam Neronis fulmen cecidit.

10. 20. A. D. 66. Anneus Lucanus Cordubensis poeta in Pisoniana conjuratione deprehensus, brachium ad secandas venas prebuit.

11. 21. A. D. 67. Nero incendit Romam ad similitudinem Trojæ.

12. 22. A. D. 68. Anneus Seneca Cordubensis, præceptor Neronis et patruus Lucani, jussus a Nerone genus mortis eligere, incisione venarum et haustu veneni interiit. Cujus frater Junius Gallio, egregius declamator, propria se manu [510] interfecit; frater vero illorum Lucius Anneus Melas bona filii sui Lucani a Nerone promeruit.

13. 23. (*Chr. W.* — Cf. *Jos. De b. J.* III.) A. D. 69. Vespasianus dux exercitus adversum Judæos, qui Gessii Flori, successoris Albini, avariciam non ferentes, rebellabant, a Nerone missus, inter ceteras urbes [511] Jotapatam munitam civitatem cepit, in qua et Josippum, qui et Josephus, ducem belli comprehendit. Qui cum interficiendus esset a Romanis, predixit Vespasiano quod ipse imperator futurus esset, sicque vitam promeruit. Hic est scriptor Antiquitatum.

14. 24. A. D. 70. Petrus apostolus, peracto predicationis suæ tempore, iterum veniens Romam [512], defuncto Cleto discipulo suo, Clementi kathedram Romanam commisit, dans ei suisque successoribus potestatem ligandi et solvendi, sicut ipse accepit a Domino, eodemque [513] anno ipse Petrus jubente Nerone crucifixus est, Paulus vero decollatus. Sedit autem Clemens ann. 19, menses 5, passusque est sub Domiciano 9 kal. Decembr., licet quidam (Beda *Mart.*, p. 351) contendant eum passum sub Trajano. Secundum æclesiasticam hystoriam (Eus. *H. e.* III, 12) primus post Petrum Linus hoc anno Romanam suscepit æclesiam et per 12 rexerat annos. Nero autem post interfectionem apostolorum se ip-

VARIÆ LECTIONES.

[506] decretumque E 1. [507] petrus — deservivit *in* 10 *deleta esse videntur, desunt* 11. [508] symon 4 9e. 10. 11. [509] a. suæ 9e. [510] m. se 5. [511] *deest folium* E 1. [512] romam v. 5. [513] Eodem 9e.

sum interfecit ordine supra scripto[514], ut in Romana legitur hystoria, cum quidam scribant illum in silva errantem a lupis esse devoratum. (Aur. Victor.) Hunc Persæ in tantum dilexerunt, ut legatos mitterent Romam, multum rogantes, ut concederetur illis licentia fabricandi ei sepulchrum. Ceterum omnes aliæ provinciæ et tota Roma de interitu ejus nimis exultaverunt, in tantum ut omnes vestiti pilleis manumissionum, quod tunc erat signum liberationis, quasi ab impio domino liberati, victoriam celebrarent. — (Hier.) Ignatius Antiochiæ secundus ordinatur episcopus, cum eum precesserit Evodius.

Galba.

25. (*H. m.*) Anno Dominicæ incarnationis 71, ab Urbe vero condita 821, Galba, antiquissimæ nobilitatis senator, de Sulpiciorum genere progenitus, cum septuagesimum tercium gereret ætatis annum, ab Hyspanis et Gallis electus, mox ab universo exercitu libenter imperator acceptus, statim ut Neronis mortem audivit, Romam venit, sextusque ab Augusto mensibus 7 regnavit. Hujus privata vita insignis fuit militaribus et civilibus rebus; sepe fuit consul; sepe proconsul, sepe dux in gravissimis bellis, militem suum ita severissime tractans, ut, ingresso eo in castra, diceretur statim ab altero ad alterum : *Disce militare, Galba venit, non Getulicus.* Imperium vero adeptus, cum avariciæ vitio segnitiaque omnes offenderet, Pisonem quendam nobilem adolescentem in filium regnumque adoptavit; ipse autem mense septimo in medio Romanæ urbis foro decollatus est, insidiis cujusdam Otthonis, qui post eum arripuit regnum (cf. Oros. VII, 8. *H. m.*).

Ottho

Lucius Ottho, occisis Galba et Pisone, invasit imperium Romanorum, ortus ex opido Ferentino, materno genere nobilior quam paterno, neutro tamen obscuro; in privata vita mollis, maximeque in adolescentia turpis et Neronis[515] familiaris, in imperio vero documentum sui non potuit ostendere. Nam cum hisdem temporibus quibus Ottho Galbam[516] occiderat, etiam Vitellius a Germanicis exercitibus imperator factus esset, bellum contra Vitellium suscepto, tribus levibus prœliis Ottho[517] victor extitit, uno apud Alpes, alio circa Placentiam, tercio circa locum quem Castores vocant; quarto cum apud Betriacum in Italia victus esset levi prœlio, ingentes tamen copias habens ad bellum, sponte semet occidit, 38° ætatis anno transacto, 95° imperii die, scilicet mense 4°. Hic propriis militibus tam amabilis fuit, ut plerique, viso ejus corpore mortuo, suis manibus interirent.

Vitellius.

Vitellius, Romam victor ingressus, vi Romano potitus est imperio, familia honorata magis quam nobili ortus (cf. Oros. *l l.*). Nam pater ejus Lucius Vitellius non admodum clare natus est, tres tamen ordinarios gesserat consulatus. (*H. R.* et *H. m.*) Hic cum multo dedecore imperavit, multa sevitia ceterisque vitiis notabilis, maxime ingluvie et voracitate, quippe qui de die quarto vel quinto sepe[518] fertur epulatus. Notissima certe cœna memoriæ mandata est, quam ei Vitellius, frater ejus, exhibuit, in qua super ceteros sumptus duo milia piscium et septem milia avicellorum[519] apposita sunt. Interim Vespasianus Hierosolimam obsidens, audita Neronis morte, a militibus imperator creatus est. Quod audiens Vitellius, Sabinum, fratrem Vespasiani, cum multis aliis in Capitolio incenso interfecit. Unde a militibus Vespasiani sub muris Urbis habito prœlio superatus, cum in quandam cellulam palatio proximam se contrusisset, turpiter inde protractus, vinctis post tergum manibus, resupinato capite, gladio ad mentum subposito, per forum ad spectaculum vulgi ducitur; multisque fimum et cœnum in faciem ejus mittentibus, minutis ictibus excarnificatus, unco inde trahitur et in Tyberim projicitur, anno ætatis 57°, imperii autem mense 8°. (Hier.) Hi tres post Neronem rapuerunt imperium, Galba in Hyspania, quo missus erat cum exercitu, Ottho Romæ, Vitellius in Germania, regnaveruntque anno uno et mensibus sex. — Antiochiæ secundus ordinatur episcopus Ignatius.

Anni Vespasiani.

Anno Dominicæ incarnationis 72, ab Urbe condita 822. Vespasianus in Judæam a Nerone cum exercitu missus, comperta morte Neronis, ab exercitu imperator efficitur; dimissoque Tito filio suo in Judæa ad obsidendam Hierosolimam, ipse per Alexandriam profectus est Romam, ubi, accepto imperio, septimus (220) ab Augusto, regnavit annis 9; obscure quidem natus (*H. m.* et *H. R.*), sed vir militari virtute precipuus et optimis comparandus, utpote qui a Claudio missus in Germaniam, deinde in Britanniam[520], tricies et bis cum hoste conflixit multumque Romano imperio adjecit. Hic in imperio moderate se gessit. Inter cetera namque bona hanc gratiam habuit, ut inimicicias in corde non retineret, in tantum ut filiam predicti Vitellii inimici sui, multis dotatam divitiis, nobilissimo traderet marito. Hic cum ab amicis moneretur[521] ut caveret se a Tametio Pomposiano, de quo sermo vulgabatur quod regnaturus esset, consulem illum fecit, alludens tali cavillo : *Quando regnum acceperit, talis beneficii memor erit.* Talibus sepe verbis jocularibus amicorum iras placavit. Cumque Romam incendiis ruinisque veteribus destitutam repararet, ac multa re-

VARIÆ LECTIONES.

[514] s. dicto 4. 9c. [515] Neronis *corr.* neroni 9c. neroni 1b. [516] galbam ottho 5. [517] otho *codd. h. l.* [518] *deest* 9c. [519] avium 1b. 11. [520] britthaniam 5. [521] *pergit* E1.

NOTÆ.

(220) In his numeris Ekkehardus deinceps Hieronymum sequitur, ex quo etiam regni annos et menses enotavit.

gno Romano adjiciens, cum Tito filio de superatis Judæis triumpharet, cunctisque amabilis existeret : profluvio ventris fessus, in villa propria circa Sabinos interiit, anno ætatis[522] 79.

26. 1. (*Chr. W. — H. m.*) Cujus anno primo Titus, filius ejus, Judæos inenarrabili fame cruciavit obsessos, premens eos diversis bellicis instrumentis.

2. Anno Dominicæ incarnationis 73. Hierusalem a Tito capitur, non sine multo suorum sanguine, subversaque civitate, 600 milia[523] Judæorum interfecit, ut Cornelius et Suetonius referunt. Josephus vero, qui et Josippus, unus ex Judæis, qui ei tunc bello prefuit, scribit undecies centena milia fame perisse et gladio, et centum milia captivorum publice venundata. (Hier.) Ut autem tanta multitudo Hierosolimis reperiretur, causam azimorum fuisse refert, ob quæ ex omni gente Judæorum ad templum confluentes, urbe quasi carcere sunt inclusi. Oportuit enim ut hisdem diebus paschæ interficerentur, in[524] quibus Salvatorem interfecerunt. Colligitur autem omne tempus in secundum annum Vespasiani et subversionem Hierosolimorum novissimam a 15 anno Tyberii cæsaris et ab exordio evangelicæ predicationis anni 42, a captivitate autem quam ab Antiocho passi sunt Judæi anni ducenti, a secundo anno Darii, quo reædificabatur templum, 590; a prima vero[525] ædificatione sub Salomone anni 1102.

3. A. D. 74. Vespasianus Capitolium cœpit reædificare.

4. A. D. 75. Seditio in Alexandria orta est.

5. A. D. 76. Colossus erectus est, habens altitudinem pedum centum et septem.

6. (*Chr. W.*) A. D. 77. Josephus hystoriographus claruit.

7. (Hier.) A. D. 78. Tres civitates Cipri terremotu corruerunt.

8. A. D. 79. Pestilentia Romæ tanta facta est, ut intra non multos dies decem ferme milia hominum morerentur.

9. A. D. 80. Vespasianus profluvio ventris mortuus est.

Anni Titi.

(*H. R.* et *H. m.*) Anno Dominicæ incarnationis 81, ab Urbe condita 831, Titus, Vespasiani et Domitillæ filius, octavus ab Augusto, imperium suscepit, et duobus annis duobusque mensibus regnavit. Hic etiam Vespasianus ex nomine patris dictus est, vir in utraque lingua, scilicet Greca et Latina, disertissimus, bellicosissimus, moderatissimus, omniumque genere virtutum mirabilis, adeo ut Amor et Delitiæ generis humani diceretur. Tantæ vero[526] largitatis erat, ut nulli a se petenti negaret. Cumque reprehenderetur ab amicis cur hoc faceret, respondit nullum debere ab imperatore tristem exire. Quadam itaque die dum[527] recordaretur in cœna quod ea die nulli quicquam prestitisset, dixit assidentibus : *Amici, hodie diem perdidi.* Anno autem ætatis suæ 42° obiit in eadem villa qua et pater ejus. Tantus vero planctus fuit in urbe Roma pro morte ejus, quasi orphani relinquerentur a patre.

1. (Hier.) Primo igitur imperii sui anno amphitheatrum Romæ ædificavit, in cujus dedicatione 5 milia ferarum[528] occidit.

(*H. m.*) A. D. 82. Repentinum incendium Romæ per triduum fuit. Secundum[529] æcclesiasticam hystoriam (Eus. *H. e.* III, 12, 14), defuncto Lino, Anacletus ordinatur papa, seditque annos 12; sed alii hoc negant[530].

Anno Dominicæ incarnationis 83, ab Urbe condita 833, Domicianus, Vespasiani et Domitillæ filius, frater Titi junior, nonus ab Augusto, regnare cœpit, et annis 15 ac mensibus sex regnavit. (*H. m.*) Iste primum finxit se misericordem et modestum esse, mox Tyberio aut Caligulæ vel Neroni similior quam patri aut fratri, ad omnia vitiorum genera progressus est, in tantum ut pro sceleribus omnibus secundo Christianos persequeretur, primus post Neronem; (*H. m.*) in qua persecutione Johannem apostolum et evangelistam ob predicationem verbi divini in Pathmos insulam relegavit, et Flaviam Domitillam, filiam sororis Flavii Clementis, in Pontianam[531] insulam cum multis aliis exiliavit, multosque nobiles ex Romanis necavit. Hic dominum ac deum se appellari scribique jussit, nullamque nisi auream vel argenteam statuam sibi in palatio statui permisit. In tantam vero mentis segnitiem devenit, ut, remotis omnibus, solus in palatio muscarum persequeretur agmina. Quem cum quidam percunctaretur an aliquis esset in palatio, respondit : *Ne musca quidem.* Cumque odiosus esset omnibus, conjuratione suorum interfectus est in palatio, asscita in consilium uxore sua Domicia ob amorem Paridis hystrionis, anno vitæ suæ 35°. Funus ejus per vispilliones cum ingenti dedecore exportatum et ignobiliter est sepultum, senatusque nomen ejus abradendum[532] decrevit, ne quis eum imperatorem nominaret. Hic in arte sagittandi tam doctus fuit, ut inter expansos digitos hominis a longe stantis sagittam transmitteret.

1. (Hier.) Hic primo anno suo eunuchos fieri prohibuit.

2. (*Chr. W.*) A. D. 84. Titus decreto senatus inter deos reputatur.

3. (Hier.) A. D. 85. Domicianus plurimos senatorum in exilium mittit[533].

4. (*Chr. W.*) A D. 86. Anianus primus post Marcum Alexandriæ, episcopus obiit, post 22 episcopatus sui annum. Cui Abilius secundus successit.

5. (Hier.) A. D. 87. Quintianus[534] ex Hyspania

VARIÆ LECTIONES.

[522] a. sue 9c. LXVIIII. E1. [523] *deest* 9c. [524] *deest* 5. [525] autem 5. [526] *deest* 9c. [527] dum—die *in margine* 9c. [528] f. milia 5. [529] Secundum —negant *desunt* E. [530] 9c. *add.* : Chronica Iheronimi dicunt Cletus, qui et Anacletus. [531] pontiam 5 [532] adradendum 5. [533] misit 5. [534] *ita pro* quintilianus *codices.*

Calagurritanus primus Romæ publicam scolam [535] habuit et salarium e fisco accepit.

6. A. D. 88. Domicianus mathematicos et phylosophos Urbe pepulit.

7. A. D. 89. Anacletus, tertius a Petro, Clementi successit, sedensque ann. 12, menses 10, passus est sub Trajano, 6 Kal. Mai.

8. (Hier.) A. D. 90. Domicianus forum et multa ædificia fecit.

9. (*Chr. W.*) A. D. 91. Heresis Menandri et aliorum multorum exoritur.

10. A. D. 92. Domicianus de Dacis et Germanicis triumphavit.

11. A. D. 93. Domicianus prohibuit vites in urbibus seri [536].

12. (Hier.) A. D. 94. Domicianus persecutionem secundam in Christianos, primus post Neronem, movit. Juxta [537] æcclesiasticam hystoriam (Eus. H. *c.* III, 14,34.) in urbe Roma Anacletus, 12 annis in episcopatu exactis, sacerdotii sedem Clementi tradidit, quam ille 9 annis tenuit.

13. (Hier.) A. D. 95. Domicianus multos nobilium perdidit.

14. (*Vita S. Dion.*) A. D. 96. Dionisius Ariopagita, primus Atheniensium episcopus a Paulo apostolo constitutus, sed postea in Gallias predicator directus, apud Parisium decollatus est cum Rustico et Eleutherio, sub Sisinnio prefecto, anno a passione Domini 64.

15. (Hier.) A. D. 97. Flavia Domitilla in insulam Pontianam exiliata est.

16. (*Chr. W.*) A D. 98. Domicianus a suis interfectus est.

Nerva.

1. (*H. m.*) Anno Dominicæ incarnationis 99, Urbis vero [538] conditæ 849, Nerva Cocceius, opido Narniensi genitus, mediæ nobilitatis, admodum senex, decimus ab Augusto, suscepit imperium, regnavitque anno uno, menses quatuor, dies octo. Hic in privata vita moderatus et strenuus, in imperio civilissimum se et æquissimum prebuit. (Hier.) Hic ex decreto senatus constituit irritum fieri quicquid Domicianus fieri jussit, et edicto suo exules omnes revocavit. (*H. m.*) Unde et sanctus Johannes apostolus ab exilio Ephesum rediens, et æcclesiam heresibus turbatam inveniens, hortatu fratrum evangelium scripsit, quo fidem rectam confirmavit (Cf. Beda Chr.). Nerva vero, adoptato in regnum Trajano, morbo confectus obiit, mense quinto anni secundi imperii sui, ætatis [539] anno 72 (Cf. Hier.).

Anni Trajani [540].

(*H. m.*) Anno Dominicæ incarnationis centesimo, Urbis vero [541] conditæ 850. Ulpius Trajanus Crinitus, ex urbe Tudertina genitus, genere Hyspanus, ex familia antiqua magis quam clara, cum tamen pater ejus consul esset, apud Agrippinam, nobilem Galliæ civitatem, imperator factus est, regnavitque, undecimus ab Augusto, annis 19, menses 6, dies 15. Hic rem publicam ita administravit ut omnibus principibus merito preponeretur. Nam cum duo sint quæ ab egregiis principibus expetantur [542], sanctitas domi, in armis fortitudo, utrobique prudentia, tantus in eo maximarum rerum fuerat modus, ut quasi temperamento quodam virtutes miscuisse videretur, nisi quod cibo vinoque paululum deditus erat. Laboris patiens fuit, justiciæ jurisque humani et divini tam repertor novi quam veterum custos. (Aur. V.) Multa Romano imperio adjiciebat, multa beneficia per totum orbem quibusque prestabat; fuit enim bellicosus et in omnibus bonis studiosus. (*H. m.*) Hunc cum amici culparent, quod nimium communis esset erga omnes, respondit : *Imperator talis esse debet erga subjectos, quales erga se imperatores esse optaret ipse privatus.* Hujus ergo imperium credebatur divinitus datum in remedium perditi et prostrati senatus Romani, pro eo quod pleraque magnifica illud denunciaverint [543], in quibus illud precipuum, quod cornix e fastigio Capitolii Attico sermone clamavit : *kalos.* Hic postea deceptus errore, cum persecutionem terciam moveret in Christianos, et Plinius Secundus, qui inter ceteros judices, ut Tertullianus refert, persecutor datus erat, ei suggereret, eos homines nichil morte dignum gerere, nisi quod diis non immolarent, et Christum veluti Deum, ante lucem surgentes, laudarent, a malis vero omnibus abstinerent : rescripsit ei Trajanus Christianos pro fide nullatenus inquirendos; sicque persecutio sedata est. Igitur Trajanus post ingentem gloriam bello domique quesitam e Perside rediens, apud Seleuciam Ysauriæ profluvio ventris exstinctus est, anno vitæ suæ 63°, mense primo, die 4°, mense [544] vero 7° anni vicesimi regni sui. Cujus exusti corporis cineres in urna aurea relati Romam, humati sunt in foro Trajani sub ejus columna, cujus altitudo 140 pedes habet, et imago subposita est, triumphantium more invecta, senatu et exercitu preeunte, solusque omnium intra Urbem sepultus est. Hujus memoriæ tantum delatum est, ut usque ad nostram ætatem non aliter in senatu principibus acclamaretur nisi : *Felicior Augusto, melior Trajano* (cf. *H.R.*).

1. (*Chr. W.*) Hujus anno primo Johannes apostolus et evangelista apud Ephesum obdormivit, anno a passione Domini 68°, vitæ suæ 99°. — (Hier.) Alexandriæ tercius ordinatur episcopus Cerdo, qui sedit ibi annis 11.

2. A. D. 101. Nerva jussu senatus inter Deos refertur [545].

VARIÆ LECTIONES.

[535] *deest* 9ᵇ. [536] fieri 9ᶜ. in u. v. s. 5. [537] Juxta — tenuit *desunt* E1. [538] *deest* E1. [539] a. sue 9ᶜ. [540] *Hæc des. codd.* [541] *deest* 5. [542] expectantur E1. [543] pronunciaverunt 5. [544] mense — sui *desunt* 9ᶜ. [545] 9ᶜ. *add.* : Passionales consentiunt Ieronimo, 3 anno Trajani Clementum passum

4. (*Chr. W.*) A. D. 105. Evaristus papa quartus ordinatur, sedensque annis 8, patitur sub Trajano, 6. Kal. Novembris.

5. A. D 104. Trajanus multos Romano subjecit imperio.

7. A. D. 106. Trajanus de Dacis et Scytis triumphavit.

8. (HIER.) A. D. 107. Terremotu quatuor urbes Asiæ subversæ sunt.

10. A. D. 109. Trajanus persecutionem quartam [546] movit in christianos, in qua Symeon, filius Cleophæ, qui in Hierosolimis episcopatum tenuit post Jacobum, crucifigitur, cum esset annorum 120; pro quo Justus ordinatur. (*Chr. W.*) Ignatius quoque secundus Antiochiæ episcopus Romam adductus, bestiis traditur; pro quo tercius Heros constituitur (HIER.).

11. A D. 110. Plinius Secundus clarus habetur, et pro christianis agit.

12. A. D. 111. Alexander quintus Romanæ æcclesiæ papa ordinatur, sedensque annis 10, cum Eventio et Theodolo patitur 5 Nonas Mai sub Adriano, duce Aureliano (cf. *Chr. W.*). Quartus Alexandriæ ordinatur episcopus nomine Primus, seditque annis 12 (HIER.).

14. A. D. 113. Tres civitates Galatiæ terremotu corruerunt.

15. A. D. 114. Hierosolimæ quartus episcopus ordinatur Zacheus, post quem Tobias quintus, Benjamin sextus, Johannes septimus, Mathias octavus, Philippus nonus, Seneca decimus, Justus undecimus [547], Levi duodecimus, Effrem tredecimus, Joses vel Joseph decimus quartus, Judas decimus quintus. Hi quindecim ab apostolis usque ad eversionem et restaurationem Hierusalem, quæ sub Adriano facta est, ex circumcisione prefuerunt Hierosolimis a passione Domini per annos fere centum et sex.

16. A. D. 115. Trajanus Armeniam et Syriam ac Mesopotamiam fecit provincias.

18. A. D. 117. Salaminam Cypri urbem subverterunt Judæi.

19. A. D. 118. Trajanus profluvio ventris moritur. His temporibus apud Asiam supererat adhuc et florebat ex apostolorum discipulis Policarpus Smirnæorum æcclesiæ episcopus, et Papias similiter apud Hierapolim sacerdotium gerens.

Anni Adriani.

(*H. m.*) Anno dominicæ incarnationis 119. Urbis conditæ 870. Helius Adrianus, genere Italicus, filius Adriani qui fuit consobrinus Trajani, de Adria civitate agri Piceni, unde et mare Adriaticum dicitur, duodecimus ab Augusto, imperator efficitur, regnavitque annis 21. Hic licet esset filius consobrini Trajani, noluit tamen eum [548] adoptare. Sed sine voluntate ejus factus est imperator, operam tamen dante Plotina, uxore Trajani. Unde et gloriæ Trajani invidens, tres provincias reliquit, quas Trajanus adjecit, Armeniam, Assyriam et Mesopotamiam. Hic eruditissimus et facundissimus fuit Greco Latinoque sermone, acutus nimis ad interrogandum et respondendum, ordinata respondens ordinatis, jocosa jocosis, maledica maledicis, cantilenam cantilenis, ficta fictis, ita ut premeditatum crederes eum contra omnia. In omnibus enim omnia studia Athe niensium secutus est, in loquendo, in canendo, in psallendo, in medicinæ artem discendo, in musica, in geometria. (AUR. V.) Item pictorum et figulorum scientiam habuit, et omnia hæc perfecte didicit aliaque multa, ita ut rara esset res illi non experta, et super quam credi possit [549] hæc in memoria retinebat, loca, res, causas, milites, et eos quos numquam videbat propriis nominibus appellabat. Fuit homo varius et [550] multiplex ac multiformis, dissimulator in bono et malo [551]; et ut bonum se ostenderet, vitia quæ habebat callide abscondebat. (*H. m.*) Hic per Quadratum, apostolorum discipulum, et per Aristidem Atheniensem, virum fide sapientiaque plenum, et per Serenum Granium legatum libris de christiana religione compositis instructus, mitior christianis efficitur. (JORD. DE *r. s.* — *H. m.*) Multos labores sustinuit orbem circuiendo et multa repa rando, Alexandriam et Hierosolimam dudum subversas restauravit, Judæos denuo rebelles ultima cæde perdomuit, ablata eis licentia Hierosolimam introeundi, quam ipse in meliorem statum in co loco, ubi Dominus [552] extra portam crucifixus est, restauravit et Heliam de suo nomine vocavit. (BEDÆ CHR.) Obiit [553] in Campania apud Baias morbo subcutaneo, anno ætatis suæ 62°, imperii 21°, mense decimo.

1. (*Chr. W.*) Primo anno suo Alexandriam publicis [554] restauravit impensis.

2. (HIER.) A. D. 120. Senatus inter deos refert Trajanum.

3. (*Chr. W.*) A. D. 121. Alexander papa passus est. Cui succedens Sixtus papa sextus, sedit annis 9, patiturque sub Adriano, 8 Idus Aprilis.

4. (HIER.) A. D. 122. Justus Alexandriæ quintus ordinatur

8. A. D. 126. Saturnides et alii duo heresim condiderunt.

10. (*Chr. W.* — HIER.) A. D. 128. Quadratus, apostolorum discipulus, et Aristides Atheniensis noster phylosophus libros de fide composuerunt.

12. (*Chr. W.*) A. D. 130. Thelesphorus papa 7us ordinatur, sedensque annis 10, patitur sub Adriano, Nonas Januar. (BEDÆ MART.) Hic constituit missas in sancta dominicæ [555] nativitatis nocte celebrari, et tempore sacrificii Gloria in excelsis cantari.

VARIÆ LECTIONES.

[546] terciam 9c [547] I. u. *desunt* 9c. [548] *deest* 9c [549] posset 4. potest 5. [550] ac 5. [551] in m. E5. [552] ubi c. est d. e. p. 5. [553] o. autem 9c. [554] publice 9c [555] s. nocte de n. 5.

(HIER.) Antiochiæ 4ᵘˢ episcopus Cornelius ordinatur.

13. (*Chr. W.*) A. D. 131. Nicopolis et Cæsarea terremotu corruerunt.

14. (HIER.) A. D. 132. Eumenes Alexandriæ sextus ordinatus [556], sedit annis 13.

19. (*Chr. W.*) A. D. 137. Hierosolima ab Helio Adriano restaurata et ab ejus nomine Helia vocata est.

20. (HIER.) A. D. 138. Marcus Hierosolimæ ordinatur episcopus primus ex gentibus, cum antea fuerint quindecim ex circumcisione.

21. (JORD. *De r. s.*) A. D. 139. Adrianus morbo subcutaneo moritur. Hoc regnante, Aquila Ponticus Scripturas sacras de Hebreo transtulit in Grecum.

Anni Antonini. Anni ab initio 4100.

(*H. m.*) Anno dominicæ incarnationis 140. Urbis conditæ 891. Antoninus Fulvius Boionius, qui propter clementiam postea cognominatus est Pius, genere [557] claro, sed non admodum vetere, tercius decimus ab Augusto, sortitus est imperium regnavitque annis 22, menses tres. (AUR. V.—*H. m.*) Iste ab Adriano adoptatus est in filium, cujus et gener fuit, vir insignis, et qui merito Numæ Pompilio conferatur, sicut et Trajanus Romulo æquatur. Vixit ingenti honestate privatus, major in imperio, nulli acerbus, cunctis benignus, in re militari gloriæ moderator, defendere magis provincias quam ampliare studens, viros æquos ad [558] amministrandam rem publicam querens. Et cum orbem terræ nullo bello per annos 22 auctoritate sola rexerit, adeo tremebant eum et amabant cuncti reges et nationes ac populi, ut parentem sive patronum magis quam dominum vel imperatorem eum reputarent, omnesque in morem cælestium propicium optantes, de controversiis inter se judicem poscerent. Obiit autem anno vitæ suæ 77.

1. (*Chr. W.*) Primo hujus anno Yginus papa octavus ordinatus, sedit annis 4, decessitque 4 Idus Januar. (BEDÆ MART.) Hic clerum constituit et gradus distribuit.

2. (*Chr. W.*) A. D. 141. Valentinus et Cerdo ecclesiam impugnant heresi.

3. (HIER.) A. D. 142. Idem heresiarchæ Romam venerunt.

4. (BEDA.) A. D. 143. Justinus phylosophus librum pro christiana religione compositum Antonino obtulit eumque benivolum erga christianos fecit.

5. (*Chr. W.*) A. D. 144. Pius papa nonus sedit annis 15; migravit [559] 5 Idus Julii.

6. (HIER.) A. D. 145. Antiochiæ quintus constituitur episcopus Heros.

7. A. D. 146. Alexandriæ septimus ordinatur Marcus per [560] annos 10.

11. A. D. 150. Apollonius Stoicus Calcedonicus claruit.

14. A. D. 153. Crescens quidam Cynicus phylosophus in Justinum, nostri dogmatis phylosophum, persecutionem movit, quia illum gulosum et phylosophiæ prevaricatorem esse coarguit, in qua persecutione Justinus gloriose pro Christo sanguinem fudit.

15. A. D. 154. (EUS. *H. e.* IV, 13.) Antoninus commotus heresi Crescentis, universis Asiæ plebibus scripsit epistolam pro christianis.

16. A. D. 155. (HIER.) Alexandriæ Celadion [561] ordinatur octavus, qui sedit annis 14.

20. A. D. 159. (*Chr. W.* — HIER. — BEDÆ MART.) Anicetus papa decimus ordinatur, qui sedit annis 10. Sub quo Policarpus Romam veniens, multos correxit, quos Valentini et Cerdonis error subvertit. Hic ergo Aniccetus constituit, ut clerus comam non nutriat, passusque est sub Marco et Severo 16 Kalend. Maii.

21. A. D. 160. (HIER.) Hierosolimæ post Marcum ordinatur Cassianus 17ᵘˢ, deinde Publius 18ᵘˢ, Maximus 19ᵘˢ, Julianus [562] 20ᵘˢ, Gaianus 21ᵘˢ, Simmachus 22ᵘˢ, Gaius 23ᵘˢ, Julianus 24ᵘˢ, Capito 25ᵘˢ.

22. A. D. 161. Antoninus obiit apud Dorium villam suam.

Anni Antonini Veri

(*H. m.*) Anno dominicæ incarnationis 162, ab Urbe condita 913. Marcus Aurelius Antoninus Verus, 14ᵘˢ ab Augusto [563], imperium adeptus est, in quo regnavit annis 19. Iste haut dubie nobilissimus fuit, quippe cujus origo paterna a Numa Pompilio, materna vero a Solentino rege pendebat. (AUREL. VICT.) Hic omnes virtutes et cæleste habebat ingenium, et in calamitatibus publicis factus est quasi defensor, et si in illis temporibus ipse non fuisset, sine dubio gloria Romana perisset. (*H. m. H. R.*) Iste propinquum suum Lucium Annium Antoninum Severum, qui erat gener Antonini Pii, nova benivolentia consortem imperii fecit, tumque primum Romana res publica duobus æquo jure imperium amministrantibus paruit, cum usque ad illos semper singulos habuisset augustos. Hi bellum contra Parthos gesserunt, ad quod tamen Lucius Annius Severus perrexit, multaque et ingentia per se ducesque suos peregit, rediensque cum victoria, in Venetia obiit, anno imperii 11°, sicque Marcus Antoninus iterum solus imperium obtinuit.

1. (HIER. et *H. m.*) Primo hujus anno Vologesus rex Parthorum post victoriam Trajani tunc primum rebellans, vicinas sibi Romanas provincias depopulatus est, contra quem Lucius Annius profectus est.

2. (HIER.) A. D. 163. Lucio cæsari Athenis sacri-

VARIÆ LECTIONES.

[556] ordinatur sextus. sedit. 5. sextus ordinatur seditque 10. ord. sed. E1. [557] g. c. s. n. a. v. *desunt* E 1. [558] *ita* E 1. *deest rell.* [559] migravitque E 1. [560] sedit per E 1. [561] peladion 1ᵇ. [562] julius 5. 9ᶜ. julius XXIᵘˢ. simmachus 10. [563] ab a. *desunt* 9ᶜ.

ficanti ignis in cœlo ab occidente in orientem ferri visus est.

3. A. D. 164. Fronto orator insignis habetur, qui Marcum Antoninum Verum Latinis litteris erudivit.

4. A. D. 165. Seleucia urbs Assyriæ cum trecentis milibus hominum a Romanis capta est.

6. A. D. 167. Orta persecutione quarta a Nerone, sub hīs regibus Policarpus et Penius et alii multi passi sunt.

8. (*Chr. W.*) A. D. 169 [564]. Sother papa 11[us] ordinatur, sedensque annis 9, decessit 11. Kal. Mai. (Hier.) Agrippinus Alexandriæ nonus ordinatur episcopus.

9. A. D. 170. Theophylus, vir sapiens, ordinatur Antiochiæ 6[us]

10. A. D. 171. (Eus. *H. e.* iv, 21, 22.) Dionisius Chorinthiorum episcopus clarus habetur, sed et Pinitus Cretensis episcopus, Melito Sardensis, Philippus [565] et Apollinaris, Musanus et Modestus, et precipue Hyrenæus Lugdunensis episcopus. Egesippus quoque his temporibus claruit, qui sub Aniceto papa Romam veniens, usque ad Eleutherium papam permansit, multaque ingenii sui monimenta reliquit.

11. A. D. 172. (*V. supra.*) Lucius Annius Antoninus [566] Severus obiit, et Aurelius Marcus Antoninus Verus regnum solus obtinuit, sed Lucium Commodum filium suum regni consortem fecit (Hier.).

12. A. D. 173. Melito Sardensis episcopus apologeticum Antonino imperatori pro christianis dedit.

16. A. D. 177. Antiochiæ 7[us] ordinatur Maximinus.

17. A. D, 178. Eleutherius papa 12[us] ordinatus, sedensque annis 13, decessit 8 Kal. Junii. Ad hunc Lucius rex Britanniæ litteras misit, rogans ut baptizaretur, quod et impetravit (cf. *Chr. W.* et Bedam).

19. A. D. 180. (*Chr. W.*) Antoninus in Pannonia moritur.

Anni Commodi.

(*H. m.*) Anno dominicæ incarnationis 181, Urbis vero conditæ 932. Lucius Aurelius Commodus Antoninus, filius Marci Antonini Veri, 15[us] ab Augusto imperium accepit, et annis 12 ac menses 8 regnavit, nichil paternum habens, nisi quod contra Germanos et ipse feliciter pugnavit. Hic Septembrem mensem ad nomen suum transferre conatus est, ut Commodus diceretur. In luxuriis et omni sorde vixit; senatores multos [567] interfecit, maxime quos vidit nobilitate et sapientia precellere, inter quos et Salvium Julianum legislatorem occidit. Huic Martia libertini generis uxor fuit, forma et meretriciis artibus pollens. Quæ cum animum ejus penitus devinxisset, egresso e balneo veneni poculum obtulit, immissoque ei fortissimo palestrita, in domo Vestilia cum strangulari fecit, anno ætatis suæ 32. Qui in tanta execratione fuit omnibus, ut hostis humani generis etiam mortuus judicaretur.

1. (Hier.) Hic primo imperii sui anno de Germanis feliciter triumphavit. Julianus Alexandriæ decimus ordinatus, sedit annis decem.

3. (*Chr. W.*) A. D. 183. Panthenus [568] et Clemens Alexandriæ claruerunt.

4. (Hier.) A. D. 184. Hierosolymis ordinatur Maximus episcopus 26[us], post quem Antonius 27[us], Valens 28[us], Dulichianus 29[us], Narcissus 30[us], Dius 31[us], Germanio 32[us], Gordius 33[us], item Narcissus, qui supra. Horum episcopatus anni et tempora non sunt cognita [569].

8. (*Chr. W.*) A. D. 188. Origenes Alexandriæ nascitur.

10. (Hier.) A. D. 190. Serapion [570] Antiochiæ ordinatur episcopus 8[us].

11. (*Chr. W.*) A. D. 191. Victor papa 13[us] ordinatur, sedensque annis 10, patitur sub Severo Septimo [571] 12 Kalend. Mai. (Hier.) Demetrius ordinatur Alexandriæ 11[us], seditque annis 43 [572].

12. A. D. 192. Serapion [573] Antiochiæ ordinatur episcopus 8[us].

13. (*Chr. W.*) A. D. 193. Aurelius Commodus, omnibus incommodus, strangulatur.

Helvius Pertinax.

Anno dominicæ incarnationis 194. Urbis conditæ 945. Helvius [574] Pertinax, 16[us] ab Augusto, suscepit imperium, regnavitque menses sex. (*H. m.*) Hic ex libertino patre in Liguria natus, cum prefecturam Urbis ageret, jam septuagenarius ex senatus consulto suscepit imperium coactus et repugnans; unde et Pertinax dictus est; per multos labores ad summos provectus honores; qui in tantum certavit, ut fortunæ pila vocaretur. (Jord. *De r. s.*) Hic, obsecrante senatu, ut uxorem suam vocaret augustam filiumque suum cæsarem : *Sufficere*, inquit, *debet, quod ego ipse invitus regnavi, cum non mererer.* Hunc septimo mense sive, ut alii volunt (*H. m.*), octogesimo primo die occidit in palatio Didius Salvius Julianus, jurisperitus Mediolanensis, vir nobilis, nepos Salvii Juliani illius qui sub divo Adriano leges composuit, factiosus, preceps, regni avidus. Occiso autem Helvio Pertinace, idem Julianus rem publicam invasit, sed non [575] ultra septem menses regnavit. Hoc enim tempore Niger Piscenius apud Antiochiam et Severus Septimus [576] in Sabaria Pannoniæ elevantur imperatores. Ab hoc Severo Julianus bello civili victus est apud pontem Molbium, et fugiens in palatium, captus est, et extenta cervice more damnatorum decollatus est.

VARIÆ LECTIONES.

[564] A. d. 169. *desunt* 9[c]. [565] phylosophus 9[c] [566] *in marg. supp.* 5. *deest* 9[c] antonius 4. [567] multosque 9[c]. [568] pantherus 4. pantheus 5. 9[c]. *omnia desunt* 10. 11. [569] nota 5. [570] serapion — VIII[us] *desunt* 10. 11. [571] septimio 5. [572] XLII. 9[c]. [573] *Hæc des.* 1[b]. 4. *cf. a.* 190. [574] helius 5, *et ita infra.* [575] frustra 9[c]. [576] VII[us] 4. septimius 5. 9[c]. 10. septimus *corr.* septimius E 1.

'Anni Severi.

(*H. m.* et *H. R.*) Anno dominicæ incarnationis 195, ab Urbe condita 946. Severus Septimus [577] adeptus est imperium, 17[us] ab Augusto, regnavitque annis 17, menses 3. Iste oriundus ex Africa, solus memoria omnium ex Africa imperator fuit. Primum fisci advocatus fuit, mox militaris tribunus, per multa deinde et varia officia usque ad amministrationem totius publicæ rei pervenit; et quia Helvium Pertinacem ultus est in Juliano, Pertinacem se dici voluit. Bella multa feliciter egit, ex quibus maximum in Britannia, ubi, ut receptas provincias in securitate teneret [578], vallum firmissimum, crebris turribus superpositis, per 132 milia passuum a mari ad mare perduxit, ibique apud Eburacum moritur, anno vitæ suæ 65°, imperii 18°. Duos filios reliquit, Bassianum et Getam, sed Geta hostis publicus judicatus est, Bassianum vero successorem reliquit, cui nomen Antonini imponi voluit. Hujus tempore persecutione quinta in christianos facta, multi pro fide Christi coronati sunt, inter quos et Leonides, pater Origenis, martirizatus est. (*Chr. W.* — Jord. *De r. s.*) Hoc regnante Samarites quidam Symmachus, Judæorum factus proselitus, item divinas Scripturas ex Hebreo in Grecum transfudit, suamque editionem condidit. Sed hic, ut in æcclesiastica hystoria (vi, 14) legitur, Hebioneus fuit, quæ est heresis asserens Christum, de Joseph et Maria natum, purum hominem fuisse, et legem ritu Judæorum servandam esse. Commentarios etiam quosdam idem conscripsit, in quibus conatur de Evangelio secundum Matheum auctoritatem suæ hereseos confirmare. (Jord.) Post hunc anno pene tercio Theodotio Ponticus item suam in eodem opere editionem [579] fecit.

1. (Hier.) Primo anno suo Severus Julianum interfecit, seque Pertinacem appellari precepit.

2. A. D. 196. Clemens Alexandrinæ æcclesiæ presbiter et Panthenus Stoicus phylosophus, in disputatione dogmatis nostri disertissimi, adhuc floruerunt.

3. A. D. 197. Narcissus Hierosolimitanus episcopus et Theophylus Cæsariensis, Policarpus quoque et Bachilus, Asianæ provinciæ episcopi, insignes habentur.

4. A. D. 198. (Beda *Chr.*) Questione orta in Asia inter episcopos, an secundum legem Moysi 14 die mensis primi pascha celebrandum esset, Victor papa, datis late libellis, constituit, die dominica pascha celebrari, sicut et predecessor ejus Eleutherius, a 14. luna primi mensis usque in vicesimam primam. Cujus decretis favens Theophylus, Cæsariæ Palestinæ episcopus, cum ceteris episcopis, qui in eodem concilio erant, scripsit synodicam epistolam valde utilem adversus [580] eos qui cum Judæis pascha celebrabant [581].

6. (*Chr. W.*) A. D. ducentesimo Severus Parthos et Arabas superat.

9. A. D. 203. Zepherinus [582] papa 14[us] ordinatur, sedensque annis 18, migravit 7 Kalend. Septembris.

10. A. D. 204. Persecutio quinta facta est in christianos, in qua [583] inter multos alios Leonides, pater Origenis, passus est pro Christo; (Eus. *H. e.*, vi. 3.) ipse vero Origenes octavum decimum agens ætatis annum, in multisque proficiens, grammaticam etiam gentiles docebat, multosque ad fidem convertebat, inter quos Plutarchum et fratrem ejus Heraclam, quorum Plutarchus etiam martirii palmam consecutus est, Heraclas vero post Demetrium Alexandriæ prelatus est.

11. (Hier.) A. D. 205. Alexander ob confessionem Christi clarus habetur.

13. (*Chr. W.*) A. D. 207. Perpetua et Felicitas bestiis deputantur Kartagini.

15. (Hier.) A. D. 209. Severus bellum in Britannos [584] transfert.

16. A. D. 210. Tertullianus omnium ore celebratur.

17. A. D. 211. Origenes Alexandriæ studet.

18. A. D. 212. Severus [585] Eburaci moritur in Britannia.

Anni Antonini Caracallæ.

(*H. m.*) Anno dominicæ incarnationis 213, ab Urbe condita 965. Marcus Antoninus Bassianus Caracalla, filius Severi, 18[us] ab Augusto, successit patri in imperium, regnavitque annis sex mensesque [586] duos. Hic Bassianus a nomine avi materni dictus, rogatu patris a senatu appellatus est Antoninus. (Aur. V.) Et quia plurimas vestes e Gallia deferens, talares caracallas ex his [587] fecit, populumque his vestibus indutum ad salutandum se ingredi precepit, Caracalla nuncupatus est. (*H. m.*) Hic morum fere paternorum paulo fuit asperior et minax, impatiens fuit libidinis, in tantum ut novercam suam Juliam duxisset uxorem. Hic, conspecto Magni Alexandri corpore, Magnum se atque Alexandrum jussit appellari, adulantium fallaciis eo perductus, ut truci fronte et ad lævum humerum conversa cervice, quod in ore Alexandri notaverat, incedens, fidem vultus simillimi persuaderet sibi. Is adversum Parthos moliens expeditionem, apud Edessam secedens ad officia naturalia, a milite, qui quasi ad custodiam sequebatur, interfectus est, anno ætatis suæ [588] 44.

1. (Hier.) Primo hujus anno Asclepiades episcopus nonus Antiochiæ ordinatur.

2. (Eus. *H. e.*, vi, 7.) A. D. 214. Alexander episcopus Capadociæ cum locorum sanctorum desiderio

VARIÆ LECTIONES.

[577] septimius 4. 5. septimus *corr.* septimius E 1. septimus *corr.* septunius 1[b]. [578] possideret 5. [579] in editionem 9[c]. [580] ad 9[c]. [581] celebrant *corr.* celebrabant 9[c] celebrant 10. 11. [582] zephyrinus 5. [583] qua Leonide patre or. ut dictum est passo p. chr. ipse orig. E 1. [584] britannos 4. 5. britannios 9[c]. [585] s. septimius 5. [586] mensibusque duobus E 1. [587] ex h. *des* 9[c]. [588] *deest* E 1.

Hierosolimam tenderet, vivente adhuc Narcisso episcopo ejusdem urbis 30mo, persenilis ætatis viro, et ipse ibi ordinatus est episcopus, Domino ut id fieret per revelationem precipiente. Hic itaque Narcissus miræ sanctitatis vir fuit, qui inter plurima virtutum insignia in vigiliis paschæ, cum oleum luminaribus deesset, aquam infundi jussit, quam benedicens oleum fecit. Postea a quibusdam male sibi consciis, cum judicium ejus formidassent, noxio quodam crimine infamatus est; quorum unus ita ut non igni consumeretur, vera se dicere testabatur, alius ne morbo regio corrumperetur, tercius ne luminibus privaretur. Et quamvis nullus, qui vitam ejus noverat, illis licet jurantibus crederet, ille tamen molestias non ferens et [589] quietam vitam diligens, subterfugit, et in secretioribus locis per annos delituit. Primus autem ille testis, ex parva scintilla nocte domo sua succensa, cum omni familia igni consumptus est, alius regio morbo a pede usque ad verticem corruptus est, tercius priorum cernens exitum, tandem confessus est reatum suum, et eo usque perstitit in fletibus [quousque [590] luminibus privaretur]. Narcissus vero cum non inveniretur, necessarium visum est episcopis, ut ordinarent pro eo alium, cui nomen Dius; cui post parvum tempus successit Germanio, et huic Gordius. (Eus. *H. e.* VI, 8.) Cum ecce subito quasi redivivus apparuit Narcissus, rursusque rogatu fratrum loco suo est restitutus; cui jam centum et sedecim annorum Alexander divino monitu vivo successit, et cum eo æcclesiam strenue rexit.

7. (Jord. De *r. s.*) A. D. 219. Editio quam nominamus quintam Hierosolimis est inventa.

(*H. m.*) Anno dominicæ incarnationis 220, ab Urbe condita 971. Opilius Macrinus, qui prefectus erat pretorii 19us ab Augusto, imperator efficitur ab exercitu cum Diadumeno filio suo, regnansque annum unum et menses duos, ab eodem exercitu apud Archelaidem tumulante occiditur cum filio. (Hier.) Antiochiæ ordinatur Philetus episcopus decimus.

Anni Aurelii.

(*H. m.* et *H. R.*) Anno dominicæ incarnationis 221, Urbis vero conditæ 972. Marcus Aurelius Antoninus Varus, qui putabatur filius Antonini Caracallæ ex consobrina sua occulte stuprata, vicesimus ab Augusto, imperator factus, regnavit annis quatuor. (Jord. De *r. s.* — *H. m.*) Hujus matris avus Basianus sacerdos fuit solis, quem Phenices Heliogabalum [591] nominant, unde et iste Heliogabalus dictus est, sacerdos et ipse in templo Heliogabali. Is cum Romam ingenti militum et [592] senatus expectatione venisset, probris omnibus se contaminavit, impudicissimeque vivens, nullum obscœnitatis genus omisit. Unde et cupiditatem stupri, quam naturæ defectu A assequi nondum poterat, in se transferens, muliebri nomine Basianam se pro Basiano [593] jussit appellari, Vestalem virginem quandam quasi in matrimonio jungens sibi, abscisisque genitalibus, Matri Magnæ se consecravit. Hic Marcellum consobrinum suum, qui postea Alexander dictus est, cæsarem fecit. Post triennium vero et menses 8 ex quo regnare cœpit, Romæ tumultu militari cum matre sua interfectus est, anno ætatis [594] 16, corpusque ejus per Urbis vias more canini cadaveris tractum est a militibus, cavillo militari appellantibus eum indomitæ rabidæque libidinis catulam. (Beda.) Hyppolitus episcopus, multorum conditor opusculorum, canonem temporum quem scripsit hucusque perduxit, qui etiam sedecennalem paschæ circulum reperiens, B Eusebio, qui decennovennalem composuit, occasionem dedit.

1. Primo Aurelii anno Calistus papa 15us ordinatus, sedit annis quinque, passusque est sub Alexandro imperatore 2 Idus Octobris (cf. *Chr. W.*)

3. (Hier.) A. D. 223. Nicopolis, quæ prius Emmaus vocabatur, condita est, legationis industriam pro ea suscipiente Africano temporum scriptore.

4. (*Chr. W.*) A. D. 224. Aurelius militari tumultu occiditur.

Anni Alexandri.

Anno dominicæ incarnationis 223, a conditione Urbis 976. (Cf. Jord. De *r. s.*) Aurelius Severus Alexander, ignobilis fortunæ, 21us ab Augusto imperator factus est, juvenis admodum, ab exercitu C cæsar nominatus, a senatu augustus, regnavitque annis 13. Hic Mammeam matrem suam [595] pie et unice dilexit, pro quo omnibus placuit. (*H. m.*) Illa vero ei multum dominata, eo usque illum coegit, ut illa ipsa permodica, si qua mensæ superessent, quamvis semesa, alteri convivio reservarentur. (Beda.) Quæ tamen postea Origenem presbiterum audire curavit, eumque Antiochiam vocatum honorifice tractavit, et eo audito, christiana facta est. (*H. m.*) Alexander itaque, suscepto bello adversus [596] Persas, Xersen regem eorum gloriosissime vicit, militarem disciplinam severissime rexit, Romæ quoque favorabilis et amabilis fuit. Cujus tempore Taurinus in oriente sumpsit imperium, Julianus Maximus in Gallia. Alexander vero apud Mogontiacum D positus, cum videret se a militibus deseri, optavit ut aliquis eum occideret. Cumque ei unus cum gladio occurrisset, ille obvoluto capite cervicem prebuit, statimque periit, anno vitæ [597] 26°, imperii 13°. (Jord. De *r. s.*) Sub cujus item imperio in Nicopoli Actiaca, id est in Epyro, editio quam sextam dicimus inventa est.

1. (*Chr. W.*) Hic primo regni sui anno Xersen regem Persarum vicit.

2. A. D. 226. Urbanus papa 16us efficitur, se-

VARIÆ LECTIONES.

[589] *deest* 9c. [590] *hæc solus* El. [591] eliogaballum 6. eliogabalum 4. 9c. [592] ac 3. [593] bassiano 5. 9c. 10. [594] a. suæ 9c. [595] *deest* El. [596] adversum El. [597] v. suæ 9c.

densque annis 8, multos convertit ad fidem et ad martyrium exhortatus [598] est, ipseque passus est sub Alexandro, 8 Kal. Junii.

4. (Hier.) A. D. 228. Ulpianus iuris consultus, assessor Alexandri, claruit.

7. A. D. 231. Antiochiæ constituitur Zebennus episcopus 11us.

10. (Cf. *Chr. W.*) A. D. 234. Pontianus papa 17us ordinatus, sedit annis sex, passusque est sub Maximino, 12 Kalend. Decembris. (Hier.) Heraclas Alexandriæ ordinatur 12us.

11. A. D. 235. Origenes de Alexandria in Palestinæ Cæsaream transit.

13. A. D. 237. Alexander Mogontiæ occiditur.
Anni Maximini.

(*H. m.*) Anno dominicæ incarnationis 238. Urbis conditæ 989. Julius Maximinus, genere Trax, ordine miles, 22us ab Augusto, imperator factus est, sola militum voluntate, sine senatus auctoritate, regnavitque annis tribus. Hic persecutionem sextam a Nerone in christianos exercuit. Hujus tempore duo Gordiani, pater et filius, imperium [599] arripuerunt, sed unus post unum interierunt. Maximinus autem, bello adversus Germanos suscepto et feliciter acto, apud Aquileiam a Puppiano quodam interfectus est cum filio adhuc puerulo [600], cunctis militari loco clamantibus, ex pessimo genere nec catulum habendum fore.

2. A. D. 239. Maximinus persecutionem sextam movit in christianos, in qua cum Pontianus papa occubuisset, Antheros ei successit 18us papa, sed post mensem unum diesque tredecim et ipse passus est, 3 Nonas Januarii (cf. *Chr. W.*)
Anni ab inicio 4200.

3. A. D. 240. Fabianus papa 19us ordinatur, sedens [601] annis 13 et menses 11, passus est sub Decio, 13 Kalend. Febr. Maximinus imperator Aquileiæ occiditur. (Hier.) Antiochiæ Babillas ordinatur 12us.
Anni Gordiani.

(*H. m.* et *H. R.*) Anno dominicæ incarnationis 241, ab Urbe condita 992. Gordianus, nepos Gordiani ex filia, ortus Romæ ex clarissimo patre, 23us ab Augusto, imperator creatus, regnavit annis 6. Hic cum Romam venisset, Puppianus et Balbinus fratres, qui occiso Maximino imperium invaserunt, de rustico genere, in palatio interfecti sunt. Gordianus autem admodum puer, cum Tranquillinam [602] duxisset uxorem Romæ, ad orientem profectus, bellum Parthis intulit; quo feliciter gesto, Persas ingentibus prœliis afflixit, et cum rediret, a Philippo, qui post eum regnavit, occisus est, anno vitæ [603] vicesimo.

1. (Beda.) Hujus anno primo Julius Africanus cronographus inter æcclesiasticos scriptores nobilis habetur; qui in cronicis quæ scripsit refert se Alexandriam properasse, Aradæ opinione celeberrima provocatum, quem et in divinis et in humanis et phylosophicis studiis atque in omni Greca doctrina instructissimum fama loquebatur.

2. (Eus. *H. e.* VI, 22.) A. D. 242. Origenes in Cæsarea Palestinæ Theodorum, cognomento Gregorium, et Anthenodorum, fratrem ejus, postea Ponti episcopos insignes, divina imbuit sapientia.

3. (*H. m.*) A. D. 243. Porphirius, Plotini Platonici phylosophi auditor, Romæ clarus habetur.

4. (*H. m.*) A. D. 244. Theopompus Cheronice [604] et Nicanor sophista Athenis claruerunt.

5. A. D. 245. Gordianus bellum Parthis intulit (cf. *Chr. W.*).

6. A. D. 246. Gordianus a Philippo interficitur.
Anni Philippi.

(*H. m.*) Anno dominicæ incarnationis 247. Urbis conditæ 998. Marcus Julius Philippus, 24us ab Augusto, invasit imperium occiso Gordiano, et una cum filio suo Gaio Julio Saturnino Philippo regnavit annis 7. Isti omnium imperatorum primi Romæ [605] christiani effecti sunt, et in ipsis paschæ vigiliis cum jungi vellent sacrificiis et communicare, a Fabiano pontifice Romano non permissi sunt, nisi prius confiterentur peccata sua et inter pœnitentes starent. Quod illi suscipientes libentissime, divinum sibi metum et plenissimam christianitatis fidem rebus et operibus comprobant [606] inesse. (Hier.) His anno jam [607] tercio imperantibus, millesimus annus conditæ urbis Romæ impletus est; quo sollempniter ab omnibus celebrato, innumerabiles bestiæ in circo magno interfectæ sunt, ludique theatrales in campo Martio celebrati, tribus diebus ac noctibus populo pervigilante. (*H. m.*) Ambo deinde, scilicet pater et filius, ab exercitu interfecti sunt, pater Veronæ, medio capite supra ordines dentium precisо, filius vero Romæ, cum esset annorum 12. Hic adeo severi fuit animi, ut jam a quinquennii ætate nullo cujusquam commento ad ridendum solvi potuerit patremque ludis secularibus petulantius cachinnantem, licet adhuc puer, vultu aversato notaverit.

1. (*Chr. W.*) Philippus primo regni sui anno Philippum filium suum [608] consortem regni fecit [609].

3. (Hier.) A. D. 249. Alexandriæ Dionisius ordinatur episcopus 13us. (*Chr. W.*) Annus ab Urbe condita millesimus festive celebratus est Romæ.

6. (Hier.) A. D. 252. Philippus urbem nominis sui construxit in Tracia.

7. A. D. 253. Philippus senior Veronæ, junior occiditur Romæ.
Anni Decii.

(*H. m.*) Anno dominicæ incarnationis 254, ab Urbe condita millesimo quinto. Decius in Pannonia inferiori Bubaliæ natus, 25us ab Augusto, invasit impe-

VARIÆ LECTIONES.

[598] coartatus 9c. [599] regnum 5. [600] parvulo E1. [601] sedensque E1. [602] tranquillam E1. [603] v. suæ 9c. [604] cheroniæ E1. [605] *deest* E1. [606] comprobabant E1. [607] *deest* 9c. [608] s. f. 5. [609] facit 5. 10. 11.

rium, interfectis ejus fraude Philippis, hoc est patre et filio, et 30 mensibus regnavit [610], id est duobus annis et dimidio. (HIER.) Quidam autem scribunt, cum uno tantum anno regnasse; sed hoc multum discordat [611] passionibus sanctorum qui leguntur sub eo passi fuisse. (JORD. De *r. s.*) Nam cum legatur Fabianus papa 14to sui episcopatus anno martirium sub illo accepisse, et huic Cornelium triennio in sede successisse itemque sub eodem passum fuisse, Sixtum quoque et Laurentium et Ypolitum aliosque quamplures, stare non potest, ut tot sibi in Romana sede succedentes uno anno trucidaverit, maxime cum Cornelius, ut æcclesiastica docet hystoria (EUS. *H. e.* VII, 3,) triennio sedem tenuerit. Unde et de ipsorum quoque pontificum successione questio animum pulsat quomodo, Decio regnum vel uno vel duobus et dimidio anno tenente, Cornelius episcopatum Romanum tribus juxta æcclesiasticam hystoriam annis tenuerit, eique Lucius per octo menses, Stephanus vero per biennium, dehinc Sixtus per undecim annos, exin Dionisius per novem annos successerit, cum per omnem æcclesiam Cornelius et Sixtus, cujus diaconus erat Laurentius, sub Decio passi predicentur, Lucius vero et Stephanus sub Valeriano et Gallieno martirizati legantur. Qua de re conjici potest, successionum vices vitio scriptorum pre similitudine nominum mutatas fuisse; auctoritatem vero catholicæ æcclesiæ ad nos usque perlatam, probabile est, sequendam esse. Sed ut ad superiora redeamus, (*H. m.*) Decius filium suum Decium cæsarem fecit, et persecutionem septimam post Neronem in christianos movit, occasionem sumens odium Philipporum quos interfecit, in qua persecutione multi sanctorum passi sunt. (HIER. — *H. m.*) Hujus temporibus cum plurimi Gothi Histrum fluvium transmeantes, Romanorum civitates devastarent, Decius cum filio suo illos bello aggressus, 30 milia ex eis occidit, de suis quoque multos amisit. Filius etiam ejus interfectus est, ipseque in confusas turbas gurgiti cujusdam paludis submersus est, ita ut nec cadaver ejus inveniri potuerit, anno imperii sui tercio, vitæ quinquagesimo. Hæc juxta hystoriam, in passionum vero libro scriptum reperitur, quod, interfecto Syxto papa et ejus archiadiacono Laurentio aliisque, ac deinde Ypolito sociisque ejus, 27 die post passionem sanctorum Decius et Valerianus prefectus sedentes in carruca, cum tractarent adhuc de nece sanctorum, demoniis arrepti sunt, et in presentia Decii Valerianus exspiraverit, Decius vero rediens in palatium, triduo vexatus sit, et in conspectu Triphoniæ uxoris suæ exalaverit. Qualiter autem super his veritas se habeat, in scriptorum ratione consistat.

1. (*Chr. W.*) Primo Decii anno facta in christianos persecutione, Fabianus papa 19[us] passus est, 13. Kal. Febr. Cui Cornelius vicesimus succedens, sedit annum [612] et menses septem et dies aliquot, licet in æcclesiastica hystoria (VII, 3. Cf. VI, 29) legatur — si tamen vitio scriptorum liber depravatus non est — tribus annis sedem tenuisse, quod rationi temporum Decii non videtur convenire (cf. HIER., — EUS. *H. e.* VI, 9). Alexander Hierosolimitanus episcopus, Narcissi successor, cursum bonum consummavit, cui Azabbanes successit. Antiochenus quoque presul æqualiter Alexandro decertans, in vinculis moritur, post quem Fabianus 13[us] constituitur.

2. A. D. 255. Cornelius papa 20[us] passus est 18 Kal. Octobris; cui succedens Syxtus papa 21[us], sedit menses 10.

3. A. D. 256. Syxtus papa passus est 8 Idus Aug. cum aliis. Passi sunt hoc anno Polochronius episcopus cum multis, Abdo [613] et Sennes, Olimpiades et Maximus, Laurentius post Syxtum, Ypolitus cum sociis suis, aliique quamplures (cf. *Mart.*). Dionisius papa 22[us] post Syxtum ordinatus, sedit annis [614] duobus, menses 5.

Anni Galli et Volusiani.

(*H. m.*) Anno dominicæ incarnationis 257, ab Urbe condita millesimo 8. Virius Gallus Hostilius, 26[us] ab Augusto, imperator ab exercitu creatur [615], et cum Volusiano filio suo regnavit annis duobus, menses 4. (BEDA.) Hujus imperii Dionisius Alexandrinus episcopus meminit ita : « At ne Gallus quidem malum Decii aut videre potuit aut cavere, sed in eundem lapidem offensionis impingens, sanctos viros persecutus est. » (AUR. VICT.) His temporibus Æmilianus quidam in Mœsia imperator elevatus est, contra quem ambo, pater scilicet [616] ac filius, pergentes, ab exercitu suo interfecti sunt, pater habens annos vitæ 47, Æmilianus autem [617], Maurus genere, post menses quatuor occisus est.

1. (BEDA.) Primo [618] anno regni Galli et Volusiani Origenes presbiter, anno ætatis suæ 70 nondum impleto, moritur et in Tyro sepelitur, qui in tantum sedulus fuit scribendi, ut Hieronimus quodam loco dicat, quinque milia librorum ejus se legisse. (HIER.) Antiochiæ constituitur Demetrianus episcopus 14[us].

2. A. D. 258. Gallus et Volusianus occiduntur. Dionisius papa 22[us] migravit [619] 6 Kal. Jan. Hic presbiteris æcclesias distribuit et parrochias divisit. (BEDÆ *Mart.*)

Anni Valeriani et Gallieni.

(*H. m.*) Anno dominicæ incarnationis 259, Urbis vero conditæ millesimo 10. Lucinius Valerianus, cognomento Colobius, in Retia et Norico agens, ab exercitu imperator creatus, mox augustus est appellatus, 27[us] ab Augusto; Romæ vero Galienus [620], filius ejus [621], a senatu cæsar appellatus est, regna-

VARIÆ LECTIONES.

[610] *deest* 10. 11. [611] *deest* E1. [613] a. unum 5. [613] abdon 9e. 11. [614] annos II[os] E1. *qui ita sæpius a reliquis recedit.* [615] creatus cum 5. [616] s. p. 5. [617] *deest* E1. [618] P. autem a. E1. [619] m. ad dominum 5. [620] galienus 5. *semper.* [621] *deest* E1.

veruntque simul annis sex, Gallienus vero solus postea [622] novem, qui faciunt annos 15. Valerianus itaque nobilis quidem erat genere [623], stolidus tamen et [624] iners multum, nec ad aliquem usum publici officii consilio seu gestis accommodatus. Gallienus autem primum feliciter regnavit, postea vero [625] luxuriose vivens, imperium fere adnichilavit. Valerianus igitur filium suum Gallienum fecit augustum, et Cornelium Valerianum, Gallieni filium, cæsarem constituit. Mox autem ut regnare cœpit Licinius Valerianus, persecutionem a Nerone octavam in christianos exercuit; postea in Mesopotamia bellum gerens, a Sapore Persarum rege [626] captus luminibusque privatus, miserabili servitute ibi consenuit. (*Chr. W.*) Nam quamdiu vivebat, semper acclinis humi, regem in equum ascensurum dorso attollebat. (Beda.) Unde [627] Gallienus tam claro Dei judicio territus, pacem nostris dedit; ob meritum tamen vel propriæ libidinis vel paternæ theomachiæ innumera, barbaris assurgentibus, Romani regni detrimenta sustinuit. (*H. m.*) Ad ultimum profectus adversus Aureolum ducem suum, qui Mediolano regnare [628] temptavit, comprehendit illum apud pontem qui ex nomine ejus Aureolus appellatur, et Mediolanum obsedit; sed cum ibi luxuriose viveret, artificio ejusdem Aureoli a suis interfectus est, anno ætatis [629] 50 (cf. Oros. VII, 22). Hac autem persecutione, quæ sub patre suo facta est, aliqui (*Chr. W.*) passos esse confirmant Cornelium, Lucium, Stephanum [630] et Sixtum Romanos pontifices, cum tamen Cornelius et Sixtus, ut supra dictum est, in passionum libris sub Decio passi legantur.

1. (*Chr. W.*) Primo regni sui anno Licinius Valerianus persecutionem in christianos movit. Lucius papa 23[us] ordinatur, sedensque menses octo, patitur 4 Non. Mart. Cui succedens Stephanus 24[us], sedit annis duobus, patiturque 4 Nonas Augusti.

4. A. D. 262. Sixtus papa 25[us] ordinatus, sedit annis 11, patiturque 8 Idus Augusti [631]. (Beda.) Cyprianus Kartaginensis episcopus, doctor precipuus, cujus doctissima exstant opuscula, martirio coronatur, 18 Kalend. Octobris.

5. A. D. 263. Theodorus cognomento Gregorius, cujus supra (a. 242) mentionem fecimus, Neocæsariæ [632] Ponti episcopus, magna virtutum gloria claruit, qui et stagnum quoddam precibus exsiccavit, et montem, ut æcclesiæ locus sufficeret, movit

6. (Hier.) A. D. 264. Antiochiæ ordinatur episcopus 15[us] Paulus Samosathenus.

7. (*Chr. W.*) A. D. 265. Valerianus a Sapore Persarum rege capitur.

8. A. D. 266. Gallienus casu patris perterritus, pacem christianis dat.

12. (Hier.) A. D. 270. Hierosolimorum episcopus Ysmenens ordinatur. Alexandriæ constituitur episcopus 14[us] Maximus.

13. A. D. 271. Antiochiæ ordinatur Domnus episcopus [633] 16[us].

15. (*Chr. W.*) A. D. 273. Dionisius papa 26[us] ordinatus, sedit annis 9. Gallienus Mediolani interficitur.

Anni Claudii.

(*H. misc.*) Anno dominicæ incarnationis 274. Urbis conditæ millesimo 25. (Aur. Vict. — *H. m.*) Claudius, quem multi dicunt a Gordiano creatum, 28[us] ab Augusto, a militibus electus, a senatu augustus appellatus, regnavit annum unum, menses 9, vir parcus et modestus et justi tenax ac rei publicæ idoneus. Hic Gallieni morientis sententia imperator designatus est, ad quem Ticini positum vestimenta regalia ille direxit. Hic, interfecto a suis Aureolo, recipiens legiones, Gothos jam per 15 annos Illiricum Macedoniamque vastantes ingenti prælio vicit, deinde adversus 30 milia Alemannorum haut procul a lacu Benaco dimicans, tantam eorum multitunem fudit, ut vix dimidia pars remaneret. Qui cum intra biennium morbo interiret, tanto eum senatus decoravit honore, ut divus appellaretur, et in curia clipeus aureus, in Capitolio vero aurea statua ei poneretur. Cujus frater Quintilianus, vir unicæ moderationis et civilitatis solusque fratri preferendus, a militibus electus, et consensu senatus augustus appellatus [634], 17 imperii die Aquileiæ occisus est.

2. (Beda.) A. D. 275. Paulus Samosathenus Antiochiæ episcopus a multis episcopis hereticus esse convincitur, dogmatizans Christum communis naturæ hominem tantum fuisse; adversus quem Malchion, disertissimus Antiochenæ presbiter æcclesiæ, utpote in eadem æcclesia rethoricam docuerat, accipientibus notariis disputabat, qui dialogus usque hodie exstat. (Hier.) Dejecto autem Paulo, 16[us] Antiochiæ [635] subrogatur Domnus episcopus.

Anni Aureliani.

(*H. m.*) Anno dominicæ incarnationis 276, a condita Urbe millesimo 27. Aurelianus, patre mediocri et, ut dicunt, Aurelii senatoris colono progenitus, 29[us] ab Augusto, imperator electus, regnavit annis 5, menses 6, vir in bello potens, sed animi immodici et ad crudelitatem propensioris, ita ut non solum nobiles plures damnaret, sed etiam sororis suæ filium necaret. Disciplinæ tamen militaris et morum dissolutorum magna erat ex [636] parte corrector, quique Gothos strenuissime vicit, haut dissimilis Magno Alexandro seu Cæsari dictatori. Nam Romanum imperium triennio ab invasoribus receptavit, cum Alexander annis [637] 12 per ingentes victorias ad Indiam pervenerit, et Caius Cæsar decennio Gallias

VARIÆ LECTIONES.

[622] p. solus 5. [623] g. erat 5. [624] *deest* 9c. [625] u. et g. 5. [626] *deest* 9c. [627] a. suæ 9c. [628] l. et st. atque 5. [629] 8. id. a. *desunt* E1. *quod in marg. notatur.* [630] gneocesariæ 5. [631] c. XVI[us] D. 5. [632] a. est 9c. [633] antiocene ecclesiæ 5. [634] *deest* E1. [635] per annos 5. 9c

superaverit, adversus cives quadriennio pugnaverit. Hic primus apud Romanos diadema capiti suo imposuit et vestes auro gemmisque contextas in usu habuit, quod antea Romanis majoribus incognitum fuit, porcinæ quoque carnis usum populo instituit. Hic cum persecutionem nonam post Neronem in Christianos movisset [636], fulmen ante illum magno circumstantium pavore ruit, ac non multo post inter Constantinopolim et Heracliam a militibus occisus est.

2. (Hier.) A. D. 277. Antiochiæ Tymeus ordinatur episcopus 17[us].

4. A. D. 279. Eusebius Laodicenus [637] episcopus insignis habetur.

5. A. D. 280. Aurelianus occiditur.

Annus Taciti.

Anno dominicæ incarnationis 281, ab Urbe condita millesimo 32. Tacitus, ab Augusto 30[us], suscepit imperium, vir egregie moratus [638] et ad regendam rem publicam idoneus; sed nichil potuit ostendere, quia post sex menses apud Pontum occisus est. Huic Florianus successit, sed nec hic aliquid dignum memoria egit, quia duobus tantum [639] mensibus et viginti diebus in imperio vixit. Nam dum magna pars exercitus eligeret Equitium Probum, militiæ peritum, Florus [640] quasi per ludum tenuit imperium diebus 60 [641], deinde sibimet venas incidens, sanguine interiit effuso (cf. *H. m.*, Hier., Jord. *De r. s.* et *H. R.*).

Anni Probi.

(*H. m.*) Anno dominicæ incarnationis 282. Urbis conditæ millesimo 33. Probus, ab Augusto 31[us], imperium adeptus, regnavit annis 6, menses 4. (Aur. Vict.) Iste patre genitus rustico, hortorum cultore studiosissimo, nomine Dalmatio, gloria militari ad administrationem publicam accessit; (*H. m.*) Gallias a barbaris occupatas ingenti prœliorum felicitate restituit, vir acer, strenuus et justus, multa gerens bella, et qui Aurelianum gloria militari coæquaret et morum civilitate superaret. Interfectus est autem apud Sirmium militari tumultu. (Hier.) Hiis temporibus Anatholius, natione Alexandrinus, Laodiciæ Syriæ episcopus, phylosophorum disciplinis eruditus, plurimo sermone celebratur; (Beda) cujus ingenii magnitudo de libro quem super pascha composuit et decem [642] libris arithmeticæ institutionis apertissime [643] potest cognosci.

1. Primo Probi [644] anno Felix papa 27[us] ordinatus, sedit annis 5, decessitque 3 Kalend. Junii. Hic constituit missas celebrari super memorias martirum (cf. *Chr. W.* Bedæ *Mart.*).

2. (Eus. *h. e.* VII, 27.) A. D. 283. Manes quidam extitit genere [645] Perses, vita et moribus barbarus, tam acer ingenio, ut insanire vel demone videretur impleri, ex quo insana Manicheorum heresis orta est.

4. (Hier.) A. D. 285. Cyrillus 18[us] Antiochiæ ordinatur episcopus.

6. A. D. 287. Euthicianus papa 28[us] ordinatur, sedensque menses decem, decessit 6 Idus Decembris. Cui succedens Gaius 29[us], sedit annis 15, patiturque sub Diocletiano 10 Kalend. Mai (cf. *Chr. W.*). Alexandriæ ordinatur Theonas episcopus 15[us]. (Hier. — Beda.) Archelaus Mesopotamiæ episcopus librum disputationis suæ, quam habuit adversus Manen heresiarcham, Syro sermone composuit, qui translatus a Grecis habetur a multis.

Anni Cari.

1. (*H. m.*) Anno dominicæ incarnationis 288. Urbis conditæ millesimo 39. Carus Narbone in Gallia natus, 32[us] ab Augusto [646], moxque filios suos Carinum et Numerianum cæsares faciens, duos cum his annos regnavit. Is, nunciato sibi Persarum tumultu, profectus in orientem, cum apud Antiochiam maneret, Numerianus, filius ejus, æcclesiam voluit intrare et christianorum ministeria explorare. Quem cum sanctus Cyrillus episcopus prohiberet, dicens, illi non licere divina misteria videre, qui pollutus esset sacrificiis ydolorum, indignatus ille, occidit eum. Carus autem cum [647] Persas fortiter in bello sterneret et notissimas urbes eorum caperet, super Tygridem fluvium castra ponens, ictu fulminis interiit. Numerianus vero, filius ejus, cum dolore oculorum captus in lectica veheretur, insidiis Apri soceri sui occisus est. Cumque mors ejus occultaretur, donec Aper regnum posset invadere, fœtore corporis scelus proditum est. Interea Carinus in Italia relictus, Sabinum Julianum invadentem Italiam in campis Veronensibus occidit, se ipsum vero sceleribus inquinavit, multos falsis criminibus occidens, nobilium matronas vi corrumpens, omnibusque invisus, non multo post trucidatur cujusdam tribuni manibus, cujus uxorem dicitur polluisse.

2. A. D. 289. Carus fulmine periit, filii ejus occisi sunt (cf. *Chr. W.*).

Anni Diocletiani et Maximiani.

(*H. m.*) Anno dominicæ incarnationis 290, ab Urbe condita millesimo 41. Diocletianus, 33[us] ab Augusto, imperator ab exercitu creatus est, regnavitque annis 20, vir obscurissime natus de Dalmatia. Quidam enim dicunt, eum fuisse filium cujusdam Dalmatæ scribæ, alii vero libertinum Anulii senatoris. (Aur. V.) Fuit autem natus de civitate et matre Diocles, unde et ipse, quousque imperium sumeret, Diocles appellatus est (*H. m.*); at ubi sumpsit imperium, nomen Graium convertit in Latinum, ut a Diocle diceretur Diocletianus. Erat autem callidus et sagax et admodum subtilis ingenii. Cujus tem-

VARIÆ LECTIONES.

[636] moveret 5. [637] laodicensis 5. [638] morigeratus 1[b]. morigeratus vel moratus E1. [639] m. t. 5. [640] florianus 9[b]. [641] quadraginta 4. 5. [642] et de d. E1. [643] plenissime 5. [644] *deest* 9[e]. [645] gener 5. [646] *add.* imperator factus 1[b]. *id quod deesse apparet.* [647] cum 5.

pore cum quidam rusticani, qui Bagaudæ dicebantur, tumultum in Gallia facerent, ac Amandum et Æmilianum duces haberent, Diocletianus Maximianum [648], cognomento Herculium, cæsarem fecit, eumque in Galliam contra tumultuantes misit, quos ille facile devicit. Erat autem idem Maximianus de Pannonia natus, genere rusticano, incivilis ingenii, ferus, crudelis, asperitatem suam vultus etiam horrore significans, luxuriosus, in consiliis stultus. Genuit vero de Eutropia, Syra muliere, Maxentium et Faustam, conjugem Constantini; cujus patri Constantio dedit privignam suam Theodoram, ex qua ille accepit sex liberos, fratres Constantini, quem ex concubina Helena generavit in Gallia. (Hier. — *H. m.*) Inter hæc per omnes Romanos terminos turbatio facta est : Carausius quidam, sumpta purpura, occupavit Britanniam, Julianus Italiam, Achilleus Ægyptum, Quinquegentiani Africam, Narseus rex Persarum orientem. Ob hæc Diocletianus Maximianum Herculium fecit imperatorem, Constantium vero et Galerium [649] Maximianum cæsares constituit. Quorum Constantius Claudii nepos fuit ex filia; Galerius vero in Dacia Ripensi natus est ex parentibus agricultoribus [650], fuitque pastor armenti, unde et Armentarius appellatus est; sed satis laudabilis fuit, pulcher corpore, magnus et fortis bellator. Hic accepit filiam [651] Decii Valeriam uxorem. Carausius post septennium a socio suo Allecto fraude occisus est in Britannia; Maximianus Herculius Quinquegentianos vicit in Africa; Constantius in Gallia juxta Lingonas una die et adversam et prosperam habuit fortunam. Nam cum, repente barbaris irruentibus, intra civitatem claudi cogeretur, vix quinque horis mediis, adventante exercitu, fere 60 milia Alamannorum [652] interfecit. Diocletianus autem obsessum Alexandriæ Achilleum octavo fere mense superavit et occidit. Erat autem cum ipso et Constantinus, filius Constantii. Qui cum adhuc juvenis esset, fortiter agebat in prœliis, et condescendebat semper christianis. Quem videns Diocletianus intellectu animi ac robore corporis proficere, et deprehendens hunc futurum tyrannidis suæ destructorem, invidia motus, dolo eum perimere cogitavit. Deus autem hunc inopinate salvavit et patri restituit. Galerius autem Maximianus contra Narseum regem Persarum dimicans, primum victus est, fugiensque venit ad Diocletianum in Mesopotamiam; a quo male tractatus, ita ut faceret eum aliquamdiu ante currum suum currere, collectis iterum militibus rediit, magnamque victoriam acquisivit.

(*H. m.* et Beda.) Nonodecimo igitur regni sui anno Diocletianus in Oriente, Maximianus Herculius in Occidente persecutionem decimam post Neronem exercuerunt in christianos, quæ ceteris sevior per 10 annos æcclesiam afflixit incessanter, quamvis et antea semper christianos persequerentur. Sed tunc tam crudelis et tam seva tamque crebra persecutio flagrabat, ut intra unum mensem 17 milia martirum pro Christo inveniantur [653]. Nam et oceani limbum transgressa, Albinum et Aaron ac Julium cum aliis pluribus viris ac feminis Britanniæ felici cruore damnavit. Passus est et Pamphilus presbiter, Eusebii Cæsariensis episcopi necessarius, cujus ipse vitam tribus libris comprehendit (cf. Oros. VII, 25. — *H. R.*). Secundo autem persecutionis anno Diocletianus videns se propter senectutem minus idoneum ad regendum imperium, dixit ad Maximianum Herculium, videri sibi bonum, ut junioribus et fortioribus publicam causam regendam committerent ipsique in ocio quiete viverent. Quod licet ille non ex tota voluntate faceret, tamen consensit, et in uno die purpuram regnique potentiam deposuerunt, Diocletianus apud Nicomediam, Maximianus apud Mediolanum; et concessit Diocletianus Saloxam, Maximianus in Lucaniam; persecutio tamen permansit usque in septimum annum Constantini, Helenæ filii.

1. Primo anno Diocletiani Bagaudæ in Gallia tumultum fecerunt (cf. *supra*).

2. (Hier.) A. D. 291. Diocletianus Herculium Maximianum cæsarem fecit.

3. A. D. 292. Carausius, sumpta purpura, Britanniam occupat.

4. A. D. 293. Quinquegentiani Africam infestaverunt.

5. A. D. 294. Achilleus occupavit Ægyptum.

6. A. D. 295. Diocletianus Maximianum Herculium fecit augustum et consortem regni, Constantium vero, patrem Constantini, et Galerium Maximianum cæsares constituit.

9. A. D. 298. Primus Diocletianus adorari se ut deum [654] jubet.

12. A. D. 301. Zabda Hierosolimis ordinatur episcopus.

13. A. D. 302. Victurius, magister militiæ, christianos persequitur, paulatim ex illo tempore persecutione in nostros crescente.

14. A. D. 303. Marcellinus papa 30[us] [655] ordinatus, sedit annis 4, patiturque 6. Kalend. Mai.

16. A. D. 305. Hierosilimis preficitur Thermon episcopus. Antiochiæ Tyrannus ordinatur 19[us].

17. A. D. 306. Petrus Alexandriæ ordinatur episcopus 16[us].

18. A. D. 307. Marcellus papa 31[us] ordinatus, sedit anno [656] et menses 8, passusque est [657] 17 Kalend. Febr.

19. (*Chr. W.*) A. D. 308 Publicata undique persecutione, Diocletianus in Oriente, Maximianus in Occidente æcclesias subvertunt, libros divinos suc-

VARIÆ LECTIONES.

[648] aurelium m. E1. [649] gallerium 9c. [650] *deest* 10. 11. [651] a. uxorem d. f. v. 5. [652] alemannorum 5. E1. [653] passi i. 4. occisa i. 9c. [654] se jussit ut deum 5. [655] *deest* 9c. [656] a uno 9c. 11. [657] *deest* E1. est sub diocletiano 5.

cendunt, et christianos decima post Neronem persecutione affligunt.

20. (Hier.) A. D. 309. Diocletianus et Maximianus purpuram deponunt. Marcello papa martirizato, successit Eusebius papa 32us; cui post menses 8 passo succedens Melciades 33us, sedit annis 4, decessitque 4 Idus Decembris (cf. *Chr. W.*).

Annus Constantii et Galerii.

(*H. m.*) Anno dominicæ incarnationis 310, ab Urbe condita millesimo 61. Cum Diocletianus et Maximianus jam a regno decessissent, ad amministrationem rei publicæ Constantius et Galerius augusti creati sunt, divisusque est inter eos ita Romanus orbis, ut Constantius Italiam, Galliam et Africam, Galerius Illiricum, Asiam et Orientem obtineret. Sed Constantius augusti dignitate contentus, amministrationem Italiæ et Africæ recusavit, Galliam tantum obtinuit, vir egregius et mansuetus et prestantissimæ civilitatis, non modo amabilis sed et venerabilis Gallis, precipue quod Diocletiani suspectam prudentiam et Maximiani sanguinariam temeritatem imperio ejus evaserunt. Galerius autem, vir probe moratus [658] et egregius in re militari, videns Italiam quoque suæ amministrationi accessisse, sinente socio suo Constantio, cæsares duos creavit, Maximinum, quem Orienti prefecit, qui et ipse persecutor christianorum fuit, et Severum, cui Italiam dedit, ipse vero in Illirico moratus est. Constantius vero filium suum [659] Constantinum cæsarem fecit, eique Galliam commisit; ipse autem tercio anno persecutionis, qui est imperii sui 16us, Eburaci in Britannia obiit. Quo mortuo, Galerius Licinium cæsarem fecit, natum de Datia, notum sibi antiqua consuetudine ex bello quod adversus Narseum regem gesserat (cf. Bedam). (*H. m.*) Erat enim strenuus laboribus et officiis acceptus. — Interea Romæ pretoriani, excitato tumultu, Maxentium, Herculii Maximiani filium, nuncupaverunt augustum. Quo audito, pater ejus Maximianus Herculius, arrectus in spem resumendi principatus, quem suasu Diocletiani invitus amiserat, Romam advolavit e Lucania, Diocletianum quoque per litteras adhortatus est, ut depositam resumeret potestatem, quas ille irritas habuit et sprevit. Galerius autem Severum cum exercitu contra Maxentium misit; qui veniens Romam, obsedit eam; sed militum suorum scelere desertus, Ravennam fugit, et in itinere ab Herculio est occisus (cf. *H. R.*). Post hæc Herculius Maximianus in contentione exercituum filium suum Maxentium imperio nudare conatus, sed a militibus conviciis injuriatus, ad Gallias tetendit, dolo composito, quod a filio [660] expulsus esset, ut genero [661] Constantino jungeretur, moliens et ipsum, si posset, reperta occasione interficere, regnumque ejus invadere, qui in Galliis et militum et provincialium ingenti jam favore regnabat. (*H. m.*) Detectis autem insidiis ejus per filiam Faustam, quæ dolum ejus viro nunciavit, indo profugit; sed a Constantino insequente Massiliæ captus, fractis laqueo cervicibus, perfidiæ suæ pœnas dedit, anno vitæ suæ sexagesimo.

Anni Constantini [662].

Anno dominicæ incarnationis 311. Urbis conditæ millesimo 62. Constantinus, ex obscuriori matrimonio, scilicet ex Helena concubina, Constantii filius, mortuo patre, annitentibus cunctis qui aderant precipueque Croco [663] Alamannorum rege, auxilii gratia cum eo comitante, 34us ab Augusto, in Britannia creatus est imperator 6. Kal. Augusti, et in locum patris exoptatissimus moderator accessit, regnavitque annis 30, menses [664] 10. Hic sororem suam Constantiam Licinio Mediolanum accito conjunxit, filiumque suum, nomine Crispum, ex Minervia concubina eisdem diebus Arelatensi opido natum, et Licinianum, Licinii filium, mensium fere 20, cæsares fecit. Interea Galerius Maximianus cum persecutionem a Diocletiano et Maximiano immissam ipse atrocioribus edictis cumularet, divina tactus vindicta, putrefacto intrinsecus pectore, et vitalibus dissolutis, cum ultra humanæ horrorem miseriæ vermes etiam eructaret, et medici jam fœtorem non ferentes, crebro jussu ejus occiderentur, a quodam medico, ex desperatione constantiam sumente, increpatus est, dicente, pœnam ejus a Deo esse et ideo sanari non posse; moxque late missis edictis, christianos de exilio revocavit, ipse tamen cruciatus non sustinens, vitæ finem fecit.

Inter hæc res publica a novis quatuor imperatoribus tenebatur, Constantino et Maxentio, filiis augustorum, Licinio et Maximino, hominibus novis. Quinto tamen imperii sui anno Constantinus bellum civile Maxentio intulit, ejusque copias multis prœliis fudit; propter magicas tamen [665] artes, quas ille multum dilexerat, metuebat eum. Cumque congredi cum eo multum hesitaret et de cœlo, licet adhuc paganus, auxilium quereret, vidit per soporem ad orientis partem in cœlo signum crucis igneo fulgore rutilare et tanto visu exterrito sibi astare angelos dicentes: *Constantine, in hoc vinces*. Fertur autem et ipse Christus sibi apparuisse et signum crucis ei monstrasse et ut simile faceret precepisse. Quod et fecit, habens eam in vexillis depictam. Igitur Constantinus Romam veniens contra Maxentiam castra posuit juxta pontem Molbium; et ecce Maxentius portis erumpens, sequentibus ceteris, precucurrit armatus; Constantinus vero crucem quam formaverat ante se jussit portari; factaque congressione, superati sunt qui circa Maxentium fuerunt; ipse autem fugiens, paulo superius a ponte Molbio, ubi prius ad decipulam fecit quasi pontem

VARIÆ LECTIONES

[658] morigeratus Ib. [659] c. f. s. Const. S. [660] f. suo El. [661] g. suo El. [662] *Hæc desunt codd.* [663] ereco *corr.* eric Sc. [664] et m. El. [665] *deest* Sc.

ex navigiis [666] fieri, tabulis desuper stratis, cum vellet eundem pontem ex latere intrare, lapsu equi in profundum demersus est, vixque corpus ejus inventum est. Erat tunc annus Constantini septimus. Interea cives Romani civitatem coronant, et cum gaudio victorem Constantinum vivificamque crucem suscipiunt. — (Eus. *H. e.* IX, 10.) Inter hæc Maximinus, christianorum et ipse persecutor sevissimus, in Oriente adversus Licinium res novas molitus, cum adversus eum duceret exercitum, repente divino judicio doloribus viscerum internorum correptus, vehementer exagitari cœpit; deinde homo antea vorax semperque vino repletus, nunc ne summis quidem labris cibum degustare aut vinum potuit odorari; sicque carnibus suis inedia et aridate consumptis, ad hoc solum profecit infelix, ut justam esse Dei vindictam in se profiteretur. Ad ultimum tamen, morbo prius amissis carnibus [667], vivendi finem accepit. (*H. m.*) Valens quoque in Oriente ab exercitu imperator appellatus, a Licinio occisus est. Alexander etiam quidam apud Kartaginem imperator effectus, ab exercitu Constantini jugulatur. Sic itaque omnis potestas imperii ad Constantinum et Licinium pervenit. Qui Licinius cum primo se probum et quasi erga christianos ostenderet devotum, postea videns profectum imperatoris Constantini, ductus invidia, occultis insidiis maxime per familiares ac ministros principem decipere molitus est; sed cum id parum procederet, apertum illi bellum indicit, christianos vero privato et speciali odio persequi parat, hoc in querelam devocans, quod non ita pro se sicut pro Constantino excubarent orationibus. Cujus flagitiis Constantinus obviam ire parat, devictoque Licinio, solus cum filiis suis imperii monarchiam obtinuit, anno regni sui 14. (*H. m.*) Unde per insolentiam et ipse, ut aiunt, mutatus et crudelior effectus, primum sororis suæ filium, egregiæ indolis juvenem, interfecit, mox Crispum, filium suum ex Minervia, suggerente, ut dicunt, Fausta conjuge sua, necari jussit; deinde ipsam Faustam [668] in balneas ardentes conjectam interemit, cum eum dolore nimio [669] mater Helena pro nece nepotis increparet, postea innumeros interfecit amicos. Et (221) cum in multis flagitiis grassaretur, cum tamen in eo multæ virtutes animi haberentur, divinitus lepra percussus, per sanctum Silvestrum papam, una cum matre aliisque multis ad fidem conversus est et baptizatus; moxque omne studium ad æcclesiæ transtulit profectum, legesque [670] statuens christianas, fecit basilicas multas. Fecit et urbem nominis sui Constantinopolim, quæ prius Bizantium dicebatur, quam A sedem Romani imperii et caput totius Orientis esse voluit. Fecit et pontem in Danubio; omnesque bonas artes suos discere faciebat, maxime studia litterarum; ipse in legendo, scribendo, meditando multum se exercebat. (Eus. *H. e.* IX, 7.) Cujus mater Helena religiosa, divinis admonita visionibus, Hierosolimam petiit, et locum ubi Christus crucifixus est [671], ab incolis requisivit, qui idcirco ad inveniendum difficilis erat, quia ab antiquis persecutoribus simulacrum Veneris in eo fuerat fixum, ut si quis Christum [672] adorare vellet, in loco illo Venerem videretur adorare [673]; et ob hoc locus non frequentabatur peneque in oblivione fuerat. Sed veniens Helena, cœlitus sibi designatum invenit locum, purgatisque in altum ruderibus, crucem B sanctam reperit, sub episcopo ejusdem urbis Machario.

(Oros. VII, 28.) Ejusdem principis tempore Arrius, Alexandriæ presbiter æcclesiæ, a veritate fidei catholicæ devians, exitiabile plurimis dogma constituit. sed mox ab Alexandro, ejusdem urbis episcopo, ex urbe pulsus est. Cumque homines, quos in errorem induxerat, etiam in seditionem excitaret, apud Niceam urbem Bithiniæ conventus 318 episcoporum factus est sub Silvestro papa, per quos Arrianum dogma exitiabile proditum palam est damnatum. (Eus. *H. e.* IX, 11.) Postquam vero mater imperatoris Helena ex hac luce discessit, Constantia, Licinii tunc derelicta, fratris augusti solatiis C utebatur. Huic in noticiam venit presbiter quidam, latenter partibus Arrii favens; qui primo nichil horum apud eam egit, sed ubi multa familiaritas copiam dedit, paulatim cœpit Arrium ei commendare, donec animum Constantiæ suum fecit. Quæ cum moritura visitaretur a fratre, extremam poposcit ab eo gratiam, ut eundem presbiterum in familiaritatem reciperet et quæ sibi pro salute sua ab eo suggerentur [674] audiret; se enim dicebat pro salute illius esse sollicitam. Cujus verbis frater credulus, aurem presbitero accommodat, ejusque suasu Arrium de exilio jubet revocari, ut quid de fide sentiret exponeret. Qui cum de fide scriberet, miratus imperator, rursus eum ad concilii examen remisit, rogans ut, si fides ejus probaretur, cle- D menti erga eum judicio uterentur, si tamen episcopi ejus Alexandri assensus accommodaretur. Cumque Alexandriam veniret, omne illius inceptum frustratum est.

Interea dum hæc Alexandriæ agitarentur [675], Constantinus, re publica bene ordinata, cum tres filios suos, Constantinum et Constantem ac [676] Constantium, et filium fratris sui Dalmatium cæsares fecis-

VARIÆ LECTIONES.

[666] virgis E1. [667] *ita* E1. luminibus 1b. *deest rell.* [668] *deest* 9c. [669] cum m. h. n. dolore 5. [670] leges 9c. [671] ch. passus est et crucifixus est 5. [672] ch. si quis 5. [673] *ita* E1. veneraretur 4. videret *rell.* [674] suggerentur *corr.* suggererentur E1. *Sed illud, quod reliqui codd. tuentur, Ekk. scripsisse videtur.* [675] agerentur E1. [676] *deest* E1.

NOTÆ.

(221) Nescio quis hæc Ekkehardo præluerit.

set, egritudine captus est; et cum filius ejus Constantius, cui Orientis regnum decreverat [677], abesset [678], fecit ei testamentum, quod vocato ad se clam presbitero a sorore commendato dedit, precipiens ei, ut nulli hoc nisi Constantio daret (cf. *H. m.* — Eus. *l. l.*). Quod cum ille post mortem imperatoris faceret, etiam apud Constantium maximam familiaritatem obtinuit. Scribunt autem quidam, Constantinum imperatorem in Arrianam heresim incidisse et ab Eusebio Nicomediensi episcopo rebaptizatum fuisse, quod æcclesiastica historia non docet, quæ sub magna religione illum decessisse perhibet. (Eus. *H. e. l. l.*) Obiit autem in suburbana villa Nicomediæ, 11. Kal. Junii, anno vitæ 66°, imperii 31°, sepultusque est in Bizantio in basilica Apostolorum.

1. (*Chr. W.*) Hujus anno primo Maxentius, Herculii filius, augustus appellatur.

2. A. D. 312. Maximianus apud Massiliam turpiter occiditur.

3. (Hier.) A. D. 313. Quirinus Suscianus episcopus gloriose passus est.

4. A. D. 314. Silvester papa 34[us] ordinatur, sedensque annis 22, menses 10, migravit 2 Kal. Januar.

5. (*Chr. W.*) A. D. 315. Constantinus Maxentio bellum infert.

6. A. D. 316. Petrus Alexandrinus episcopus martirizatur.

7. (Hier.) A. D. 317. Achillas Alexandriæ ordinatur episcopus 17[us]. Hierosolimis ordinatur Macharius 39[us]. Maxentius interiit.

9. (*Chr. W.*) Diocletianus moritur

10. (Hier.) A. D. 320. Licinius persecutionem movet in christianos.

13. A. D. 323. Licinius occiditur. Alexander ordinatur Alexandriæ episcopus 18[us].

17. (Cf. *Chr. W.*) A. D. 327. Concilium 300 episcoporum in Nicea congregatur.

19. A. D. 329. Crux Domini ab Helena invenitur [679].

20. (Hier.) A. D. 330. Hucusque hystorias scribit Eusebius, exin Hieronimus.

21. A. D. 331. Antiochiæ ordinatur Vitalis episcopus [680] 20[us], post quem Phylogonus 21[us], dehinc Paulinus 22[us], post hunc Eustasius [681]; quo ob fidem exiliato, successerunt heretici episcopi numero 11.

23. A. D. 333. Juvencus presbiter Hyspanus evangelia versibus composuit.

24. (*Chr. W.*) A. D. 334. Constantinus Bizantium urbem reparavit et ex nomine suo Constantinopolim vocavit. Athanasius Alexandriæ ordinatur episcopus 19[us].

28. A. D. 338. Marcus papa 35[us] sedit menses 8, requievitque Nonas Octobr.

29. A. D. 339. Julius papa 36[us] sedit annis 16 obiit 2 Idus April. Anni ab inicio 4300.

30. A. D. 340. Constantia, soror Constantini, uxor Licinii, moriens, Arrianum quendam presbiterum fratri commendat. (Hier.) Constantinus imperator dum bellum molitur adversum Persas, qui Mesopotamiam infestabant, egrediens a Constantinopoli, juxta Nicomediam moritur.

Anni Constantii.

Anno dominicæ incarnationis 341. Urbis conditæ millesimo 92. Constantius, filius Constantini, 35[us] ab Augusto, imperium adeptus, 23 annis cum fratribus suis Constantino et Constante regnavit. Fuit etiam inter successores Constantini Dalmatius, filius fratris sui Dalmatii, quem ipse Constantinus in consortium regni adoptavit. Hi singuli singulas partes [682] regendas ab ipso Constantino acceperunt, Constantinus cuncta trans Alpes, Constans Italiam et Ylliricum et Africam, Constantius Asiam et Orientem, Dalmatius Traciam, Macedoniam et Achaiam. Verum Dalmatius, prosperrima indole et patruo haut dissimilis, non multo post a militibus occisus est, Constantio patrueli suo sinente potius quam jubente. Post hæc inter Constantinum et Constantem discordia exorta [683] est propter Italiam et Africam. Constantinus itaque dum nititur partes fratris junioris invadere, bellum movit contra eum, sed dum inconsultius apud Aquileiam prælium aggressus est, a Constantis militibus interfectus est, et in fluvium cui nomen est Alsa non longe ab Aquileia est projectus; sicque Romani imperii principatus, occidentalium quidem partium ad Constantem, orientalium vero pervenit ad Constantium. Igitur Constantis imperium aliquandiu strenuum fuit et justum, deinde cum pravioribus uteretur amicis, intolerabilis provincialibus et militibus factus est injocundus. Unde dum circa Gallias venandi cupiditate per silvas et saltus erraret, auctore Magnentio quodam regni avido, a militibus occisus est, anno ætatis [684] 30°, imperii 17°; tribus autem cæsar fuit. (Aur. Victor c. 42.) Cujus regnum Magnentius invasit, et Decentium consanguineum suum, sive, ut quidam (*H. m.*) volunt, fratrem suum cæsarem fecit. Constantius vero Gallum, patruelem suum, cæsarem fecit, nomenque suum ei imponens, eum in Antiochiam Syriæ misit, ut ibi habitans, partes illas custodiret. Quem tamen postea jussit occidi. Post hæc Constantius Magnentio bellum intulit, factaque congressione, Magnentius solus fugit Lugdunum, ibique coartatus, gladium occulte a parte parietis accepit, sicque perfossus interiit, anno ætatis prope quinquagesimo, imperii quar-

VARIÆ LECTIONES.

[677] commiserat 5. [678] *ita* El. adesset 4. id optineret 10. 11. *deest rell.* [679] jherosolimis inv. 5. [680] *deest* 10. 11. [681] c. XXIII[us]. Quo El. [682] p. regni. r. 5. [683] orta El. [684] a. sue 9[e].

to [635]. Cujus morte audita, Decentius laqueo fascia composito vitam finivit. Acta sunt hæc anno imperii Constantii sexto. Eo tempore Romano imperio Constantius solus princeps et augustus prefuit, vir egregiæ tranquillitatis, nimium familiaribus credens et amicis; uxorum amori deditus erat, quibus contentus, nulla transversa libidine aut injusta se polluebat. Ex omnibus tamen uxoribus, quas plures habebat, Eusebiam precipue dilegebat; cujus etiam suasu Julianum, fratrem Galli, cæsarem faciens, in consortium regni assumebat. (Cf. Ruf. *Hist. eccl.* x, 15.) Post hæc, antiquo hoste paci æcclesiæ semper invidente, Arrius suique sequaces familiaritatis locum apud Constantium acceperunt, qui eum in erroris sui consortium declinaverunt. (Beda.) Unde impietas Arriana, Constantii fulta presidio, exiliis, carceribus et variis afflictionum modis primo Athanasium, deinde omnes non suæ partis episcopos persecuta est. (*H. m.*) Constantius vero inter hæc bellum Parthis preparans, cum audisset Julianum ad imperium inhiare, Parthica expeditione relicta, rediit, et inter Ciliciam et Capadociam febri acerrima, quam indignatio augebat, obiit, anno ætatis 45°, imperii 25°.

1. (Hier.) Primo Constantii anno Jacobus Nisibinus episcopus agnoscitur, cujus precibus sepe urbs discrimine liberata est.

3. (*Chr. W.*) A. D. 343. Constantinus fratri bellum inferens, occiditur juxta Aquileiam.

5. A. D. 345. Maximinus Treverorum episcopus clarus habetur; a quo Athanasius Alexandriæ episcopus, a Constante profugus, honorifice susceptus est.

9. A. D. 349. Athanasius episcopus ad Constantis litteras regressus est Alexandriam.

13. A. D. 353. Constans haut longe ab Hyspania interficitur, anno ætatis 30°.

14. (Hier.) A. D. 354. Gallus, Constantii patruelis, cæsar factus est.

15. A. D. 355. Liberius papa 37[us] ordinatur. Quo ab hereticis ob fidem in exilium truso, diaconus ejus Felix 38[us] in sacerdotium substituitur. Qui (222) cum Constantium devinceret esse hereticum, ab eo post annum dejectus est, et ut quidam (Bedæ *Mart.*) dicunt, capite truncatus est, 4 Kal. Aug. Liberius vero exilii tedio victus, heresi subscripsit, Romamque quasi victor intravit (cf. *Chr. W.* — Ruf. x, 23.).

6. (*Chr. W.*) A. D. 356. Victorinus rethor et Donatus grammaticus Romæ insignes habentur.

17. A. D. 357. Julianus a Constantio cæsar effi-citur.

18. (Hier.) A. D. 358. Eusebius Vercellensis episcopus et Dionisius Mediolanensis et Lucifer Caralitanus exiliantur

19. A. D. 359. Antonius abbas migravit anno ætatis 105°.

20. (*Chr. W.*) A. D. 360. Ossa Andreæ apostoli et Lucæ evangelistæ et Thimothei Constantinopolim allata sunt.

21. (Hier.) A. D. 361. Paulinus Treverorum episcopus in exilio obiit. Hylarius Pictaviensis episcopus Arrianorum instinctu a Constantio in Frigiam exiliatus cum Dionisio Mediolanensi et Eusebio Vercellensi, quarto exilii anno, cum librum de fide Constantio porrexisset, redire permissus est.

23. A. D. 363. Constantius moritur, anno ætatis suæ 45°.

Anni Juliani apostatæ.

(*H. m.*) Anno dominicæ incarnationis 364. Urbis conditæ millesimo 115. Claudius Julianus jam cæsar, 36[us] ab Augusto, imperium accepit, et annos duos et octo menses regnavit. De cujus genere ac disciplina et quomodo apostataverit vel qualiter ad regnum pervenerit, pauca dicenda sunt. Constantinus Magnus, qui Constantinopolim fecit, duos ex eodem patre sed non ex eadem matre habuit germanos, Constantium [686] et Dalmatium; quorum senior Constantius duos habuit natos, Gallum et Julianum; Dalmatius vero Dalmatium, quem Constantinus, ut predictum est, heredem regni cum filiis suis reliquit. Quem cum post mortem Constantini milites peremissent, Gallus quoque et [687] Julianus pene cum Dalmatio periculum mortis sustinuerant, nisi Gallum quidem ægritudo, quæ inevitabilis putabatur, liberasset, Julianum vero ætas infantilis; erat enim annorum octo. Cumque ab eis furor imperatorum quievisset, Gallus circa Ephesum apud doctores erat, ubi etiam a progenitoribus possessiones habebat. Porro Julianus crescens in auditoriis Constantinopolitanæ urbis, exercebatur in basilica, ubi doctores erant, habitu privato procedens, habebatque pædagogum eunuchum, nomine Mardonium, preceptorem grammaticum Nicomedem Laconensem, rethoricam vero legebat apud Eubolum sophistam, magistrum Basilii postea episcopi. Erat autem Julianus ab inicio christianus. Cumque in lectione proficeret, et fama per populum volitaret, quod etiam publicam rem gubernare posset, æstuationes induxit imperatori Constantio. Quamobrem amovit eum urbe regia misitque Nicomediam, precipiens ei, ne conveniret Libanium sophistam Syrum, quasi pro eo quod paganus esset; ille tamen librorum ejus lectionibus utebatur. Cumque proficeret in rethorica, supervenit Nicomediam Maximus phylosophus, non ille Bizantius, pater Euclidis, sed Ephesius, quem postea quasi artes magicas

VARIÆ LECTIONES.

[685] Ill°. E1. [686] Constantium — natos *desunt* E1. [687] *deest* E1.

NOTÆ.

(222) Hæc nescio unde.

exercentem Valentinianus imperator jussit occidi. Non ob aliam vero causam venit Nicomediam nisi Juliani fama protractus. Apud quem dum Julianus verba philosophica pregustasset, cœpit etiam imperii cupidinem menti ejus immittere. Cumque hæc non laterent aures imperatoris, Julianus inter spem metumque constitutus, suspicionem celare volens, tonsus monachicam simulabat vitam [688], et latenter quidem exercebatur in phylosophia, in manifesto autem sacros christianorum legebat libros. Denique in æcclesia Nicomediæ lector est constitutus, et divinos codices, populo audiente, legebat, ut sub hoc habitu furorem declinaret imperatoris, nequaquam tamen a spe recedens quam mente conceperat. dicebatque [689] plurimis amicorum suorum, felicia fore tempora, quibus ipse rebus potiretur. Post paululum vero perempto Gallo, repente Julianus fit suspectus imperatori, qui etiam eum custodiri precepit. Et dum fuga lapsus fuisset, diversa loca circuiendo salvatus est, vixque sero uxor imperatoris Eusebia celatum inveniens, supplicavit imperatori, quatinus nil mali pateretur, sed potius phylosophandum ad [690] Athenas mitteretur. Ille autem desiderio regni discurrens universam Helladam, vates querebat responsa reddentes, consulens si ad suum desiderium perveniret, invenitque virum, qui ei desiderata se dicere fateretur. Is eum perducens ad quendam locum ydolorum et intromittens eum in aditum, seductores dæmones evocavit; quibus apparentibus, terrore compulsus Julianus, in fronte sua crucis formavit signaculum. Ad cujus aspectum dæmones repente disparuerunt. Pro qua re magus cœpit culpare Julianum. At ille terrore se invasum significans, crucis se dixit obstupuisse virtutem, quia videntes eam dæmones evanuerunt. Porro magus: *Non suspiceris*, inquit, *hoc, o bone vir, quod timuerint, sed abhominati potius hoc abscesserunt* [691]. Et ita capiens miserum, odio christiani signaculi replevit Julianum. Post hæc igitur evocavit Constantius Julianum, et constituit eum cæsarem, dans ei conjugem Helenam sororem suam, misitque eum contra barbaros ad Gallias. Ubi dum civitatem quandam fuisset ingressus, corona laurea, quibus solent civitates ornari, inter columnas [692] pendens, rupto fune, super caput ejus decidit eumque aptissime coronavit. Quo viso, cuncti clamaverunt, hoc fore signum imperii. Ille autem viriliter contra barbaros agens, nobilem eorum regem Nodomarium cepit et Constantio misit; itemque cum Alamannis apud Rhenum fluvium residentibus dimicans, potentissimum regem eorum Badomarium cepit; claraque victoria decoratus, dum mediocritate vitæ atque mansuetudine militibus gratus esset, ab eis appellatus est augustus. Cumque corona d esset imperialis, unus signa portantium torquem quam habebat [693] in collo sumens, Juliani capiti circumposuit. Hoc ergo modo Julianus imperator est factus [694]. Quo facto, nil jam de Constantio cogitans, judices ab illo factos honoribus mulcebat et illius nomini invidiam suscitabat. Igitur repente religione mutata, cum a suis christianus esse putaretur, semet ipsum pontificem nominavit, et veniens ad templa paganorum, sacrificabat, subjectisque talia colere suadebat, et christianum baptisma sacrificiis et invocationibus et sanguinis immolatione ablui studebat. Cumque Constantius propter bellum Persicum Antiochiæ moraretur, sperans Julianus, quod sine bello posset Yllericum detinere, venit illuc, dicens se velle Constantio satisfacere, quasi non sponte sed coactus a militibus infulas imperii susceppisset. Cujus adventum audiens Constantius, relicto bello, Constantinopolim venit; sed in ipso itinere, ut predictum est, interiit. Quo defuncto Julianus jam Tracas habebat, et non multo post Constantinopolim veniens, appellatus est augustus. Mox cœpit cogitare, qualiter sibi populum complacaret ejusque favorem acquireret; quod hac arte fecit. Bene sciebat Constantium ab omnibus orthodoxis odio haberi, ob quam rem ab æcclesiis videbantur expulsi et episcopi confiscati exilioque directi; simul etiam noverat, paganos fuisse contristatos pro sacrificiorum prohibitione et desiderare tempus quo eorum aperirentur templa [695]. Artificioso itaque velamine apud utrosque se commendans, primum quidem crudelitati Constantii circa subjectos derogabat, eamque coram omni populo redarguens, jussit episcopos exilio deportatos revocari et confiscatas eorum substantias reddi; templa quoque paganorum, veluti sibi necessariorum, precepit aperiri; et multa talia agens, utrisque se conciliabat, precipue tamen paganis occulte favebat. Igitur dudum studens, paganitatem in omni ditione sua dilatari et christianitatem exterminari, primum quidem Galileorum filios — sic enim Salvatoris nostri cultores appellabat — precepit haut poetarum et rethorum atque phylosophorum legere disciplinas. *Propriis*, inquiens, *pennis secundum proverbium vulneramur; ex nostris enim armati conscriptionibus, contra nos bella suscipiunt.* Et templa quidem erant aperta, et sacrificia paganorum per civitates secundum voluntatem illius procedebant.

Inter hæc igitur Persæ audientes mortem Constantii, rebellare cœperunt et fines Romanorum invaserunt [696]. Contra quos Julianus profectionem instituens, in ipso bello divinitus interemptus est. De cujus interfectione diversi diversa sentiunt. Quidam namque [697] dicunt (*H. m.*), eum a quodam transfuga per solitudinem tribus diebus ductum, insidias incidisse, et a Persis undique circumventum, a quodam ex his conto percussum esse,

VARIÆ LECTIONES.

[688] *deest* 9c. [689] dicebat quam E1. [690] *deest* 9c. [691] abscesserunt 5. [692] colunnans 5. [693] *deest* E1. [694] f. est 5. [695] t. a. 5. [696] vastaverunt 5. [697] enim E1.

relatumque in tabernaculum, paulatim sanguine vacuatum defecisse. Quidam vero dicunt, jaculum repente delatum discurrens per brachium in latus ejus demersum fuisse; alii, unum pastorem Ismahelitarum; alii, milites fame et itinere fatigatos eum interemisse; alii, quendam invisibilium hoc fecisse. Sed sive homo sive angelus fuerit, manifestum est, quia divinis jussionibus ministravit. Calistus [698] autem, qui inter familiares ejus militabat et heroico versu ejus conscripsit [699] hystoriam, ait eum a dæmone fuisse vulneratum. Lybanius vero, sophista Syrus, inter cetera quæ de ejus vita scribit, in fine libri sic ait : « O dæmonum alumne dæmonumque discipule et dæmonum observator, Juliane. » Nos autem in libro vitæ sancti Basilii Cæsariensis episcopi (*Acta SS.* Jun. II, p. 944) certum legimus, orante et jejunante eodem Basilio cum populo suo, quibus ad Persicum bellum pergens mala minatus est, jussu sanctæ Dei genitricis Mariæ per Mercurium martirem, in eadem civitate quiescentem, ipsum esse peremptum. Fertur [700] autem manum suam sanguine implevisse et in aerem sparsisse et ita dixisse : *Vicisti, Galilee, vicisti.* Interiit autem anno imperii sui tercio, septimo vero ex quo cæsar a Constantio factus est, vitæ autem 31°. Post cujus mortem ejus magicæ [701] Karris inventæ sunt. Per hanc enim iter agens, in templum paganorum ingressus est, clausisque januis, sacrilegia quædam celebravit. Quo defuncto, ingredientes in templum, invenerunt mulierem a capillis suspensam, extensas manus habentem, cujus uterum aperuerat, ut exitum belli in jecore ejus inspiceret. In qua urbe dum ejus nunciatus fuisset [702] interitus, publicam cuncti habuere festivitatem, communiter omnes clamantes : *Maxime fatue, ubi sunt vaticinia tua? Vicit te Deus et Christus ejus.* Fuit autem hic liberalibus disciplinis apprime eruditus, facundia ingenti, memoria tenacissima atque amplissima, corpore validus sed brevis, barba prolixa, oculis discurrentibus et [703] huc illucque directis, audax plus quam imperatorem decet, cultor ydolorum superstitiosus, religionis Christianæ insectator studiosus.

Julianus itaque imperator factus, ad ydolorum culturam se transtulit, blandaque persecutione Christianos primum seducere temptavit, illiciens potius quam impellens ad sacrificandum; unde multi decepti sunt (cf. Hier.).

2. (Ruffin. *Hist. eccl.* xi, 28.) A. D. 365. Pagani apud Sebastiam Palestinæ urbem sepulchrum sancti Johannis baptistæ invadunt, ossa per agros spargunt, eademque rursus collecta et cremata latius dispergunt; sed quidam monachi ex Hierosolimis intermixti colligentibus, quæ potuerunt colligere ad patrem suum Philippum pertulere. Ille supra se hæc ducens, ad Athanasium per diaconum Julianum misit Alexandriam. Quæ ille paucis arbitris sub cavato sacrarii pariete inclusa, prophetico spiritu posteræ generationi conservavit profutura. Cujus presagium sub Theodosio per Theophilum episcopum completum est, qui, destructo Serapis sepulchro, sancti Johannis ibidem consecravit æclesiam. (Rufin. *H. e.* x, 34.) Athanasius Alexandriam rediit. Impius Julianus ad bellum profectus Persicum, divino percutitur judicio, mense octavo anni tercii imperii sui, sed mox altera die absque omni dilatione Jovianus [704] coronatur a militibus (*H. m.*).

Annus Joviani.

Anno dominicæ incarnationis 366, ab Urbe condita millesimo 117. Jovianus [705] ab Augusto 41us [706] (223) imperium suscepit, et menses 8 regnavit, genitus patre Barroniano, incola provinciæ Pannoniæ. Cujus pater cum liberos crebro amitteret, per somnium ei dictum est, ut eum, qui instante partu edendus foret, Jovianum [707] diceret. Fuit autem insignis corpore, lætus ingenio, studiosus in litteris, fortis viribus, miles illo tempore quo Julianus legem militibus proposuerat ut aut sacrificarent aut militia cederent. Qui cingulum magis elegit amittere quam imperatoris preceptis obedire; sed Julianus tunc propter belli necessitatem inter milites eum habebat. Qui cum violenter a militibus ad imperium trahe retur, clamabat se nolle paganis hominibus imperare, cum ipse christianus esset. Cumque omnium vox communiter proclamaret, se quoque christianos esse, suscepit imperium. Dein cum Constantinopolim festinaret, venit ad predium Dadastam, ubi tempore hiemis languore constrictus, cum in novo cubiculo recubaret, calore prunarum et nitore parietum nuper calce illitorum suffocatus, obiit octavo mense imperii, anno vitæ [708] 33°, 13. Kal. Septembris (Oros. vii, 1).

Anni Valentiniani.

(*H. m.*) Anno dominicæ incarnationis 367. Urbis conditæ millesimo 118. Valentinianus, 42us [709] ab Augusto, imperator appellatus est, vir optimus et apice principali dignissimus, et regnavit annis 11. Iste fuit Pannonius genere de Cybala civitate, cujus pater Gratianus, mediocri stirpe ortus, Funarius est appellatus, eo quod quadam die venalem funem portanti quinque milites nequiverint extorquere. Quo merito asscitus in militiam, usque ad prefectoriæ pretorianæ dignitatem ascendit. Ob cujus commendatio-

VARIÆ LECTIONES.

[698] callistus 5. [699] scripsit 5. [700] Ferunt E1. [701] magiæ E1. [702] esset E1. [703] *deest.* E1. [704] jovinnanus 1b. 5. 9c. [705] jovinianus 1b. 9c. [706] XXXVIIus. E1. [707] jovinianum 9c. *semper.* [708] v. suæ 9c. [709] XXXVIII. E1.

NOTÆ.

(223) Imperatorum numeros Ekkehardus jam non ex Hieronymo, sed ex Hist. misc. recipit.

nem apud milites Valentiniano resistenti [710] oblatum est imperium. Qui cum sub Juliano apostata scutariorum tribunus esset et integram fidem haberet, et Julianus quadam die templum Fortunæ ingrederetur, ministri templi, ex utraque parte januarum stantes, aspersione aquæ, sicut ipsi dicebant, ingredientes purgabant. Tunc Valentinianus precedens imperatorem, ut aspersionis guttam sua vidit in clamide, indignatus, pugno percussit templi ministrum, dicens se maculari potius quam purgari. Quod respiciens imperator, jussit eum trudi in custodiam, dicens : *Aut sacrificet, aut militia excedat.* Qui mox sponte discessit. Nec mora, Juliano interfecto, Jovianoque mortuo, in loco persecutoris sui suscepit imperium. Cumque Constantinopolim pervenisset, post 30 dies imperii sui fratrem Valentem in communionem regni assumpsit, largiens ei partes orientales, sibi retentans occidentales. Cumque jam annum tercium cum fratre ageret, Gratianum, filium suum necdum plene puberem, hortatu socrus et uxoris suæ Serenæ [711] augustum creavit. Habuit autem et alium filium parvulum Valentinianum de alia uxore Justina, quam, vivente Severa [711] nec tamen abjecta, hoc modo duxisse probatur. Justus, Justinæ pater, cum esset Piceni judex temporibus Constantii, vidit in somnis quod ex dextro femore imperialem purpuram genuisset. Quæ visio cum ad Constantii aures pervenisset, metuens ne imperator ex eo nasceretur, mittens occidit Justum. Cujus filia Justina virgo permanens, cum perveniret ad Severæ noticiam, amabatur ab ea, ita ut etiam balneis cum ea uteretur, ejusque pulchritudine obligata et amore capta, diceret imperatori, quod Justina sic speciosa esset, ut etiam ipsam deceret uxorem imperatoris esse. Quo sermone concepto, Valentinianus Justinam ducere tractans uxorem, non tamen Severa abjecta, legem proposuit publice per civitates, ut omnes qui voluissent impune bina matrimonia susciperent ; nam ideo populosas fore gentes dicebat, quia hoc apud eas sollempne esset. Qua lege proposita, ipse Justinam duxit ; ex qua natus est ei Valentinianus et tres filiæ, Justa, Grata, et Galla. Quarum duæ in virginitate permanserunt, Gallam vero Theodosius major duxit uxorem, ex qua Placidia, filia ejus, noscitur esse progenita (Jord. *De r. s. II. m.*). Nam Archadium et Honorium ex Placilla priori conjuge habuit. Auxentio itaque Arriano Mediolanensi episcopo defuncto, Ambrosius presidatum urbis agens, necdum baptizatus, communi civium consensu episcopus eligitur, jubenteque Valentiniano baptizatur, et tanquam dignus in episcopatum ordinatur. Multa itaque prælia Valentinianus cum diversis gentibus commisit, inter quas et Alani rebellaverunt Romanis (*G. Franc.* c. 2). Contra quos cum Valentinianus Romanum direxisset exercitum, plurimi ex eis occisi sunt, reliqui vero Meotidas paludes intraverunt. Tunc Valentinianus dixit exercitibus suis, quod, si qui ex eis Meotidas paludes intrarent et Alanos inde propulsarent, per decem annos absque tributo eos permitteret. Tunc quidam de Sicambria ingressi pugnaverunt contra Alanos, factaque victoria, ejecerunt eos. Quo facto, Valentinianus appellavit eos Attica lingua Francos, hoc est, feroces et duros ac fortes. Cujus [712] gentis quia se obtulit mentio regumque ejus in libris sanctorum sepe fit commemoratio, licet facere videar digressionem, pro rerum tamen noticia, repetita ejusdem generis origine, quam brevius potero, regum ejus describam successionem.

DE ORIGINE FRANCORUM.

(*G. Franc.* cod. Bamb.) Francorum gentis exordia de antiqua Trojanorum prodiere prosapia. Nam eo tempore quo post excidium Trojæ Æneas Italiam venit, quidam ex eisdem Trojanis simili modo profugi circa Meotidas paludes applicuerunt, ibique considentes, terminos suos usque in Pannoniam dilataverunt. Construxerunt autem civitatem Sicambriam, ibique per multos habitantes annos, in populum multum creverunt, et Sicambri primum dicti sunt. Hi pro eo quod Alanos, ut dictum est, de Meotida palude expulerunt, Franci a Valentiniano vocati sunt, et pro hac victoria per decennium remissione tributorum donati sunt. Decennio vero peracto, misit Valentinianus [713] ad eos quendam ducem pro exigendis tributis ; sed illi, ut erant feroces, tributis ulterius subjacere dedignati sunt, missosque ad se interfecerunt. Fuerunt autem tunc principes inter eos antiquorum vocabulorum preferentes insignia, Priamus et Antenor. Audiens itaque imperator eorum factionem, nimis iratus, jussit omnem Romanum exercitum cum pluribus [714] exteris gentibus pugnare contra eos. Pugna commissa, cum ex utraque parte multi caderent, tandem Franci multitudinem tantam sustinere non valentes, fugierunt, ibique mortuus est Priamus rex eorum. Egressi autem de Sicambria, venerunt in terram Germaniæ, ad gentem scilicet Romanis infestissimam, habitaveruntque aliquanto tempore in Thuringia cum Marcomede, filio Priami, et Sunnone, filio Antenoris. Omnes autem populi ex illa parte Rheni habitantes Germani dicti sunt, quia corpora magna habebant et fortissimi semper et indomiti erant. Inter hæc defuncto Sunnone, Franci habuerunt consilium inter se, ut unum regem haberent, sicut et gentes ceteræ, acceptoque consilio a Marcomede, Faramundum, ipsius filium, regem constituere, et ex eo tempore leges habere cœperunt, quas gentiles eorum consiliarii Wisogastaldus et Salegast

VARIÆ LECTIONES.

[710] *deest* E1. [711] *ita codd.* [712] *Sequens historia Francorum deest* E., *et in* 2. *quoque omittitur.* [713] valentiNianus 5. [714] plurimis ceteris g. 5.

fecerint, a quo Salegast etiam lex Salica inventa dicitur et nominata. Erant autem Franci pagani.

Denique mortuo Faramundo, Clodius, filius ejus, Crinitus successit, a quo Francorum reges Criniti appellati sunt. Ultra Rhenum vero usque ad Ligerim fluvium habitabant Romani, ultra Ligerim autem dominabantur Gothi, Burgundiones vero habitabant juxta Rhodanum, ubi postea facta est civitas Leudunum. Franci itaque de Thuringia Rhenum transgressi, Romanos, qui tunc temporis per suos magistratus Galliæ imperabant, bello adorsi sunt, et usque in Carbonariam silvam fugant, fundunt, occidunt, sicque illatam sibi a Romanis injuriam acriter vindicant. Ingressi autem Tornacum et Camaracum civitates Galliæ, primo universa maritima, quæ inter Scaldum et Sumnam fluvios jacent, violenter obtinent, sicque paulatim progredientes et regredientes, Remos, Suessonam, Aureliam et Agrippinam ac Treverim, postremo omnem Galliam sive Germaniam ab Aquitania usque Bawariam sibi subjugant. Et hi quidem qui Teutonicis [715] commixti sunt, proprio vocabulo Franci; qui autem per conubia a Gallis sunt progeniti, Francigenæ sunt appellati. Clodius itaque [716] cum regnaret annis 20, mortuus est; cui successit Meroveus, a quo reges Francorum Merovingi nominati [717] sunt. Quo mortuo, filius ejus Hildericus suscepit regnum. Quem luxuriose viventem et cum filiabus populi fornicantem interficere nolentes, abjecerunt, et Ægidium quendam Romanum super se posuerunt; sed post annos octo pœnitentes super hac re, Hildericum revocaverunt, factusque est rex virtute magnus super omnes priores Francorum reges. Agrippinam quippe civitatem temporibus ejus, occisis a parte Ægidii multis Romanis, Franci ceperunt, eamque Coloniam appellaverunt; Treverim quoque apprehenderunt et incenderunt, totamque illam terram vastaverunt.

Mortuo autem Ægidio, Siagrius, filius ejus, successit in locum ejus, seditque in Suessonum civitate, ubi sedes regni erat; sed Hildericus cum exercitu superveniens, omnem terram illam predatus est, et Aurelianensem et Andegavensem civitatem regno suo adjecit. Qui cum regnaret annis 24, mortuus est, et Clodoveus, filius ejus, regnum accepit. Hic cum Siagrio bellum commisit, fugientemque ad Alaricum regem Gothorum, missa legatione, reposcit [718], et redditum interfecit, totumque regnum ejus sibi subjiciens, Romanos in tantum delevit, ut nulla eorum vestigia hodie reperiantur in Gallia. Accepit autem uxorem, neptem Gundebaudi regis Burgundionum, nomine Gothehildam [719] vel Rothildam. Gundebaudus itaque rex Burgundionum quatuor filios habuit, Gundebaudum scilicet patrem Sigismundi et Gothemari; Hilpericum, patrem Gothehildæ, Gothegiselum et Gothemarum. Mortuo autem Gundebaudo seniore, Gundebaudus junior occidit fratrem suum Hilpericum, et uxorem illius, ligato ad collum ejus saxo, in aquam mergi precepit, alios vero duos fratres in exilium misit. Gundebaudus autem, dum neptem suam Gothehildam Hilperici [720] filiam, secum haberet, et legati Clodovei regis illuc forte directi eam videntes pulchritudinem ejus apud dominum suum laudarent, misso Aureliano quodam honorato suo, accepit eam Clodoveus uxorem, puellam Christianam. Quæ cum ei Christum sepe predicaret illeque credere abnueret, 15° anno regni sui suscipiens bellum contra Alamannos, cum pene vinceretur, hortatu Aureliani se creditu-rum spopondit, si Dei adjutorio Alamannos vinceret; moxque et illos superavit et omnem terram eorum [721] sibi subjugavit, ac deinde per sanctum Remigium Remorum episcopum instructus, cum omni gente sua est baptizatus. Post hæc abiit in Pictaviensem civitatem, ubi rex Alaricus habitabat, pugnansque cum eo, interfecit eum, 12° anno ejusdem Alarici. Amalaricus vero, filius Alarici, fugiens in Hyspaniam, regnum patris sui postea sagaciter recepit. Anno quinto post hanc victoriam mortuus est Clodoveus in pace, anno regni sui 30°, a transitu vero sancti Martini anno 112°. Habebat autem filios quatuor idem rex Clodoveus, Clodomirem, Theodericum, Hildibertum et Clotharium. Hi regnum ejus inter se diviserunt æqualiter, et elevati sunt in magna potentia. Theodericus vero tunc habebat filium nomine Theodebertum, strenuum et utilem. Amalaricus quoque, filius Alarici regis Gothorum, sororem illorum nomine Ruothildam petiit in conjugium, quam illi non negantes cum magna gloria ei [722] dederunt. Sed cum ille velut Arrianus eam postea indigne tractaret, mittens illa nuncium de Hyspania ad fratrem suum Hildibertum in Arverna civitate sedentem, injurias suas ei conquesta est. Unde ille iratus, cum magno exercitu Hyspaniam tetendit, occisoque Amalarico, sororem suam cum magnis thesauris abstuiit; quæ tamen languore prevenia, in ipso est itinere mortua. In illis diebus Gothehild regina veniens Parisium, divit ad filios suos: *Non me pœnitet, filii mei, vos dulciter contristasse, tantum injuriam meam indignamini, et mortem patris ac matris meæ vindicate.* Qui mox ira commoti, cum exercitu magno Burgundiam pergunt contra Sigismundum et Gothemarum, filios Gundebaudi, qui patrem ac matrem Gothehildæ interfecit. Sigismundus rex Burgundionum illo in tempore ædificavit monasterium sancti Mauricii sociorumque ejus in loco Agauno, ubi et passi sunt. Collecto autem exercitu, Burgundiones exierunt obviam filiis Gothehildæ et Clodovei; sed, commissa pugna, cæsi Burgundiones fugerunt. Sigismundus itaque, dum fugeret ad sanctos Agaunenses, consecutus est eum

VARIÆ LECTIONES.

[715] theutonicis S. theotonicis Sc. *semper.* [716] *deest* Sc. [717] vocati S. [718] repoposcit Sc. [719] rothildam vel gothehildam Sc. v. r. *deest* 4. 10. 11. [720] helperici Sc. *sæpius.* [721] *deest* Sc. [722] *deest* Sc.

Clodomir, captumque cum uxore et filiis, duxit in pagum Aurelianensem et in carcerem misit. et postea interfectos in puteum projecit, in loco qui dicitur Columnabicus. Post hæc iterum collecto exercitu, Clodomir in Burgundiam perrexit contra Gothemarum, iterumque repugnantem sed fugientem dum persequeretur et precurreret equo velocissimo, ex adversa parte percussus corruit, et mortuus est. Quod audiens Clotharius, Gundeucam, uxorem fratris sui accepit in conjugium.

Theodericus autem rex, postquam regnavit annis 23, mortuus est, et Theodebertus, filius ejus, ei successit. Qui cum annis 14 regnaret, obiit, et Theodebaldus, filius ejus, illi successit. Quo post annos 7 defuncto, Clotharius, patruus ejus, regnum ipsius cum thesauris multis accepit. Gothehildis autem regina in elemosinas profluens, in summa abstinentia et sobrietate vitam duxit, et apud Turonicam urbem plena dierum ad Dominum migravit, et in basilica sancti Petri apostoli ad latus viri sui Clodovei sepulta est a filiis suis Hildiberto [723] et Clothario, ubi et beatissima Genovefa quiescit.

Clotharius autem rex de diversis uxoribus septem habuit filios, de Ingunde regina Guntharium, Hildericum, Sigibertum [723], Guntrammum, Heribertum, et filiam Glodesindam ; de Regingunda vero, sorore Ingundis, habuit Hilpericum. Per amorem enim Ingundis, eo quod esset pulchra et decora, et ipse nimium esset luxuriosus. sororem ejus Regingundam accepit in conjugium. De Gusina quoque accepit Gratianum. Qui cum esset decorus nimis et acerbus ac callidus, patri rebellavit, sed captus et ad patrem adductus [724], in casa quadam incendi jussus est. Hildibertus vero, frater Clotharii, apud Parisium diu ægrotans, mortuus est ; cujus regnum et thesauros Clotharius rex assecutus est. His etiam temporibus beatus Medardus episcopus plenus virtutibus migravit ad Dominum, quem rex Clotharius in Suessione civitate cum magna gloria sepeliri fecit.

Post hæc Clotharius rex febre correptus obiit, anno regni sui 51°, regnumque ejus quatuor filii ejus inter se diviserunt, scilicet Heribertus, Guntrammus, Hilpericus, Sigibertus, accepitque Heribertus regnum Hildiberti patrui sui, sedemque constituit Parisius ; Guntrammus autem, regnum Clodomiris accipiens, Aurelianis sedem constituit; Hilpericus vero, regnum patris sui Clotharii possidens, Suessionis sedem posuit; Sigibertus autem regnum Theoderici, scilicet Austrasiam, sortitus, apud Metensem civitatem regni sedem [725] locavit. (Paul. Diac. III, 33.) Ex quibus Guntrammus rex pacificus et omni bonitate laudabilis erat, vitamque in conversatione sancta ducebat; cujus unum factum mirabile huic operi placet inserere. Quodam tempore dum venatum iret, omnes ejus socii per silvam discurrentes, illum solum cum uno tantum sibi fidelissimo dimiserunt juxta rivulum quendam. Quem cum gravis somnus urgeret, caput suum in illius fidelis sui sinum posuit et dormivit. Cum subito vidit ille in cujus sinu dormiebat, quasi parvum animal de ore regis exire et ad rivum tendere multoque nisu temptare si quo modo posset transire. Cumque transitus copiam non inveniret, ille qui hoc vidit gladium suum de vagina eduxit, rivoque superponens, illud transire fecit. Transiens autem rivum, non longe inde in foramen unum montis juxta positi intravit, reversumque per eandem viam, post horam unam in os regis rursus introivit. Qui mox evigilans, magnam visionem se vidisse narravit, dixitque sibi apparuisse in somnis, quod iter agens ad quendam fluvium magnum veniret, quem per ferreum pontem transiret, veniensque sub montem quendam, multum ibi aurum videret. Quod cum illi fideli suo narraret illeque vicissim sibi omnia quæ gesta sunt intimaret, ad locum illum accesserunt, fodientesque multa pondera auri [726] antiquitus ibi reconditi invenerunt; de quo auro rex idem postea ciborium magnum fieri diversisque gemmis exornari precipiens, voluit illud [727] Hierosolimam ad sepulchrum Domini mittere, sed cum hoc perficere non potuisset, jussit illud poni supra corpus beati Marcelli martiris in Cabillona civitate sepulti, diciturque aliud huic simile non inveniri.

(*G. Fr.*) Hilpericus autem accepit uxorem Audeveram, quæ peperit ei tres filios, Theodebertum, Meroveum et Clodoveum. Heribertus vero duxit Ingobergam. Quæ cum haberet duas puellas nimis pulchras, cujusdam pauperis filias, rex in amorem earum vehementer exarsit. Quas cum regina odio haberet, rex iratus eam abjecit, et unam ex illis in conjugium sumpsit, deinde alteram quoque sibi copulavit. Pro qua re cum sanctus Germanus Parisiorum episcopus utrosque excommunicaret, et rex hoc parvipendens eam non dimitteret, percussa Dei judicio, mortua est, nec multo post rex ipse defunctus est. Porro Sigibertus rex videns nequitiam fratris sui, dedignatus talia conjugia, legationem in Hyspaniam misit, regisque filiam Brunihildem petiit et accepit, puellam pulchram et ingeniosam; et quia Arrianæ legi subjecta erat, in nomine sanctæ Trinitatis eam baptizari jubebat; ex qua filium Hildibertum suscipiebat. His temporibus sanctus Columbanus de Hibernia in Galliam venit, quem Sigibertus rex benigne suscepit. Hilpericus autem, frater Sigiberti, videns eum regali conjugio sublimatum, cum jam plures uxores haberet, sororem Brunihildis natu majorem, nomine Geltsuindam, in conjugium petiit, promittens per legatos, omnes alias uxores se dimis-

VARIÆ LECTIONES.

[723] *coaa.modo* hildib. *modo* hildeb. ; *modo* sigib. *modo* sigeb. *Priorem scripturam ex plurimis locis recepi.* [724] ductus 5. [725] *s. r.* 5. [726] *deest* 5. [727] v. ad iher. illud ad 9c.

stirpium. Qua desponsata et cum multis thesauris accepta, Fridegundis, quædam ex uxoribus ejus plurimis, genere infima sed speciosa et callida, hanc in strata suo per noctem strangulavit, et priorem Audevoram [728] consilio pessimo ab eo separavit, ipsaque in locum earum quasi legitima successit.

Eo tempore Justinianus imperator apud Constantinopolim obiit, Justinus vero imperium ambivit.

Post hæc Hilpericus Theodebertum [729] filium suum ultra Ligerem in regnum fratris sui Sigiberti cum exercitu direxit; qui mox Turonum et Pictavim ceterasque urbes invasit, æcclesias incendit, monasteria destruxit, clericos interfecit. Contra quem Sigibertus movens exercitum, interfecit eum; Hilpericus vero cum uxore [730] Fridegunda fugit in Turnacum. Sigibertus autem civitates quæ ultra Parisium sunt accipiens, cum Franci, qui [731] quondam Hildiberto seniori subditi erant, hunc vellent super se regem constituere et Hilpericum relinquere, fraudibus et consilio Fridegundis, quæ nimium callida erat, interfectus est, anno regni sui 14°, ætatis autem [732] 40°. Tunc Brunihildis cum filiis suis apud Parisium sedebat; Gundoaldus autem dux, qui erat major domus, filium Sigiberti parvulum Hildibertum furtim per noctem abstulit, et cum eo fugit, collectisque gentibus, super quas pater ejus regnaverat, regem illum constituit. Tempore illo beatus Germanus Parisiorum episcopus, plenus virtutibus magnis [733], migravit ad Dominum. Mortui autem sunt [734] et filii Hilperici omnes quos habebat de Fridegunde; sed ad ultimum genuit Clotharium, qui postea factus est rex magnus, et hic genuit Dagobertum. Inter hæc maximæ discordiæ ortæ sunt inter Hilpericum et nepotem suum Hildibertum, filium Sigiberti, irritabantque eos ex utrisque partibus Fridegundis et Brunihildis. Eo quoque tempore mortuus est bonæ memoriæ Guntrammus rex inclitus, frater Hilperici, cum regnaret annis 31; cujus regnum, scilicet Burgundiam, Hildibertus, fratruelis ejus, accepit. Post hæc eum Fridegundis adulterium cum Landerico quodam committeret et hoc regi Hilperico innotesceret, illa eum metuens, egit consilium cum duobus juvenibus, qui regem sero de venatione venientem, statim ut de equo descendit, interfecerunt, clamantes, ipsi insidias esse de parte Hildiberti; sicque ipsa cum filio suo parvulo Clothario regnum tenuit. Hildibertus igitur, filius Sigiberti, cum regnaret annis 20, mortuus est, habens duos filios, seniorem nomine Theodebertum ex concubina, juniorem Theodericum ex regina; sed senior Theodebertus regnum accepit, scilicet Austrasiam; juniorem vero Theodericum avia sua Brunihildis direxit in regnum Guntrammi regis, videlicet Burgundiam.

Eo tempore Fridegundis mortua est. Brunihildis autem pravum consilium subministravit nepoti suo Theoderico, dicens: *Cur non requiris thesaurum et regnum patris tui de manu Theodeberti, cum non sit frater tuus, sed de meretrice quadam, patris tui concubina, sit editus?* Ille vero hæc audiens, ut erat acerbis moribus, exercitum plurimum contra fratrem direxit. Cumque convenirent in prælium, Theodebertus victus, fugit Coloniam. Theodericus autem illum persecutus, cum cuncta vastasset, et populus ut subjectis parceret ad eum clamasset, ait: *Si vultis ut parcam vobis, Theodebertum michi vivum adducite, aut caput ejus afferte* [735]! Qui civitatem ingressi, cum suaderent Theodeberto, ut thesaurum redderet, quatinus frater ejus recederet, ille verbis eorum credulus, ingreditur thesaurarium suum, et cum preciosissima quæque requireret, unus ex eis retro cervicem ejus gladio percussit et caput ejus amputavit. Theodericus vero apprehendens ipsam civitatem, multos thesauros accepit, rediensque ad urbem Metensem, filiam Theodeberti pulchram nimis cum duobus filiis parvulis abduxit, filiosque occidens, filiam in conjugium accipere voluit. Cui cum diceret Brunihildis: *Non debes ducere filiam fratris tui*, ille iratus ait: *Nonne tu dixisti michi quod non esset frater meus? Cur induxisti super me peccatum hoc, auctrix mortis?* Et evaginato cultro, voluit eam transfigere; sed illa a circumstantibus erepta est. Post hæc odio nimio infecta, potionem venenatam per ministros suos ei direxit; quam ille bibens, mortuus est. Taliter refert hystoria Francorum. Sed in libro actuum sancti Columbani (c. 57. sq.) legitur quod apud Tulbiacum pugnaverint, victumque Theodebertum et fugientem Theodericus insecutus apprehenderit et ad aviam suam Brunihildem adduxerit, quem illa clericum fieri rogaverit, sed non post multos dies impie peremerit, Theodericus vero apud Metensem civitatem commorans, divino igni crematus sit. De hac controversia scriptores videant. Mortuo autem Theoderico, filius ejus Sigibertus in regnum successit, ille scilicet de quo in libro actuum sancti Galli legitur, quod Gunzonis ducis filiam desponsaverit, quam idem beatus Gallus a dæmonio liberavit. (*Vit. Col.* l. l.) Clotharius itaque, filius Hilperici, collecto exercitu, fines regni, qui suæ ditioni debebantur, cum conabatur recipere, Sigibertus ei cum exercitu occurrit; quem ille captum occidit, et quinque fratres ejus, filios Theoderici similiter interemit. (*G. Fr.* l. l.) Post hæc Burgundiones et Austrasii, facta pace cum Francis, Clotharium in monarchia totius regni regem sublimaverunt. Tunc conclamantibus omnibus Brunihildem morte turpissima esse condignam, primo camelo impositam totum exercitum gyrare fecit, deinde indomitorum pedibus equorum alligatam interimi precepit, sepulchrumque ejus ignis fuit. Erat autem Clothario filius nomine Dagobertus, puer efficax et strenuus et ad omnia sollertissimus, quem rex adultum cum Pippino duce in Austrasiam regnaturum direxit. Clotharius autem cum regnaret an-

VARIÆ LECTIONES.

[728] audoveram 9e [729] theodericum 9e [730] u. sua 9e [731] a. qui Franci quondam 9e [732] a. sue 9e [733] *deest* 9e [734] s. a. 5. [735] auferte 5.

nis 44, plenus dierum mortuus est, et Dagobertus, filius ejus, monarchiam in tribus regnis solus obtinuit, fuitque fortissimus et Francorum nutricius, in judiciis ecclesiasticis severissimus, largitor elemosinarum precipuus, pacem in toto regno suo statuens, et timorem gentibus in circuitu incutiens, ipseque velut Salomon pacificus regnum obtinuit quietus.

Eo tempore defuncto Gundoaldo majore domus, Erchinoaldum virum illustrem in locum ejus statuit Dagobertus. Habebat autem idem rex ex regina Mahthilda (224) de genere Saxonum [736] filios duos, Sigibertum et Clodoveum, quorum majorem Sigibertum duci Pippino et sancto Chuniberto Coloniensi episcopo in Austrasia regnaturum direxit, juniorem Clodoveum secum retinuit. Sigibertus hic sancto Romacho [737] episcopium Trajectense dedit. Pippinus autem dux pater erat sanctæ Gerdrudis virginis et Beggæ, quam duxit uxorem Ansgisus, filius sancti Arnolfi, viri magni Deoque dilecti, qui pro amore Dei renuncians seculo, divino se mancipavit servitio, factusque est postea episcopus Metensium; deinde heremiticam diligens vitam, plenus virtutibus migravit ad Dominum. Hujus sancti Arnolfi pater fuit Arnolfus, vir illustris, filius Ansberti et Blithildæ, Lotharii regis filiæ (*cf. Vit. S. Rem., S. Arnolf., S. Gertr.*).

(*G. Fr.*) Dagobertus autem rex cum regnaret annis 34, mortuus est, et Clodoveus, filius ejus, regnavit pro eo super Francos, accepitque uxorem de genere Saxonum [738], nomine Mahthildem [739], pulchram et ingeniosam, quæ genuit ei [740] tres filios, Lotharium, Hildericum et Theodericum. Sigibertus vero, frater Clodovei, rex Austrasiorum, defuncto duce Pippino, filium ejus Grimoaldum majorem domus constituit. Habuit autem et ipse Sigibertus filium parvulum, nomine Dagobertum. Decedente igitur tempore, Sigibertus defunctus est, et Grimoaldus major domus filium ejus Dagobertum totondit, Didonemque, Pictaviensis urbis episcopum, in Scottiam exilians, Dagobertum episcopatui preposuit. Quod indignantes Franci, Grimoaldo insidias statuunt, captumque Clodoveo deferunt. Quem ille vinculatum carceri mancipavit, ubi, ut dignus erat, vitam finivit.

Eo tempore Clodoveus, instigante diabolo, brachium sancti Dionisii martiris abscidit, ex quo regnum Francorum casibus pestiferis concidit. Clodoveo itaque post 15 annos regni sui defuncto, Franci statuerunt Lotharium, fratrem ejus, cum matre Mahthilda regnare pro eo. Hic sanctum Leodegarium Augustuduni fecit episcopum. Eo quoque tempore Erchinoaldo majore domus defuncto, in locum ejus successit Ebroinus. Post non multum vero tempus mortuo Lothario, Ebroinus major domus Theodericum fratrem ejus constituere voluit regem; sed quia idem Ebroinus jam odiosus fuit Francis, spreto ejus consilio, alterum ejus fratrem [741] Hildericum [742], qui Austrasiis jam imperabat, super se regem constituunt. Quod videns Ebroinus, in Luxoviense cœnobium tonso capite, quasi perpetuo monachus, se contulit. Post aliquod tempus Hilderico, cum levis esset ac omnia inconsulte ageret, a quibusdam cum regina [743] pregnante interfecto, rursumque Theoderico in regnum revocato, Ebroinus de claustro prorumpens, ad regem pervenit, receptoque principatu suo, tyrannidem magnam in Francos, quibus odiosus erat, exercuit, inter quos et sanctum Leodegarium occidit. Mortuo autem Theoderico, filii ejus Clodoveus et Hildibertus regnaverunt; post quos Dagobertus junior; cui Hilpericus cum Reginfrido succedentes, a Karolo, Pippini filio, dejecti sunt, et Lotharius substitutus; post quem iterum Hilpericus regnavit; post hunc Theodericus. Quo vicesimo Leonis imperatoris anno mortuo, et primo Constantini, ejusdem Leonis filii, anno Karolo defuncto, quinque annis post Theodericum sine rege interlapsis, sexto demum anno Pippinus et Karlomannus, filii Karoli, Hildericum statuunt regem, qui et ultimus erat de antiquo genere regum (cf. *gen. Kar.*).

Tempore autem regum precedentium, post mortem Ebroini Ansgisus [744], sancti Arnolfi filius, nomen, ut aiunt (cf. P. D. VI, 23), ducens ab illo Trojano Anchisa, [745] patre Æneæ, major domus effectus est in regno Francorum; post quem Pippinus, filius ejus et Beggæ sororis sanctæ Gerdrudis; post hunc filius ejus Karolus, cognomento Fortis, qui per multas pugnas principatum tulit de manu Reginfridi; quem Karolum genuit Pippino Albhaidis, soror Diodonis domestici sui, quam ille superduxit legitimæ uxori suæ Plectrudi, de qua susceperat Druogonem et Grimoaldum (*ib.* VI, 42). Quam rem dum detestaretur sanctus Lampertus [746] episcopus, ab eodem Diodone est interfectus, Pippino, ut aiunt (225), consentiente (cf. SIGEB. *Vit. S. Lamb.*), Hildiberto, Theoderici filio, regnante. Mortuo autem hoc Karolo, filii ejus Pippinus et Karlomannus principatum tenuerunt simul annis 4, postea Pippinus solus annis 7, adhuc quidem regibus in Francia ex antiqua stirpe solo nomine regnantibus sed nil regiæ dignitatis habentibus, donec per auctoritatem Zachariæ papæ, Hilderico, qui tunc falsum regis nomen habebat, detonso et in monasterium detruso, isdem Pippinus ex prefecto palatii in regnum est sublima-

VARIÆ LECTIONES.

[736] sagonum 5. [737] romocho 10. remaclo 9c. *et ita* 5. *recentiori manu.* [738] sagonum 5. [739] halthildem 4. *et ita infra.* [740] *deest* 9c. [741] fr. e. 5. [742] *deest* 9c. [743] *deest* 9c. [744] ansgisus *corr.* angisus 10. *et ita* 11. [745] anchiso 5. [746] Lautpertus C.

NOTÆ.

(224) Nacthilda.

(225) Hæc tamen in Vita S. Lamberti haud leguntur neque alibi invenire potui; cf. quæ hac de re docte disseruit Hirsch de Vita Sigeberti p. 295 sqq.

tus, ac deinde per successorem ejus Stephanum papam una cum uxore sua Bertherada filiisque Karolo et Karlomanno regali est unctione consecratus et in regno confirmatus, anno ab incarnatione Domini 754 (cf. Einh. c. 1).

*) C. *add.* : Ipse autem Diodo paulo post pessimo languore cruciatus, a vermibus consumptus et ob intolerantiam fœtoris [747] in Mosam fluvium demergitur, omnesque hujus fugæ complices infra annum divinitus puniuntur. *Ex. Sigeb. G. a.* 699.

His de gente regibusque Francorum noticiæ causa sive per repetitionem precedentium seu per anticipationem sequentium dictis quasi per quendam excessum, jam redeamus ad inceptum.

Anni Valentiniani.

(*Chr. W.*) Valentinianus primo regni sui anno, qui est Dominicæ incarnationis 367, fratri suo Valenti regnum Orientis dedit, ipse occidentale tenuit.

A. D. 368. Damasus papa 39us ordinatus, sedit annis 26 [748], sub seditione tamen, quia Ursinus, quidam diaconus Romanæ æcclesiæ, sibi sacerdotium usurpavit. (Bedæ *Mart.*) Damasus vero constituit ut psalmi die noctuque canantur in æcclesia.

(*Chr. W.*) A. D. 369. Lana vera [749] pluviæ permixta de nubibus fluxit.

A. D. 370. Hylarius Pictaviensis episcopus obiit.

A. D. 371. Athalaricus rex Gothorum Christianos in sua gente persequitur.

(Hier.) A. D. 372. Eusebius Vercellensis et Lucifer Caralitanus obierunt.

(*Chr. W.*) A. D. 373. Valentinianus Saxones cæde perdomuit in Francia.

(Hier.) A. D. 374. Didimus Alexandrinus multa de nostro dogmate commentatur.

A. D. 375. Sanctus Martinus Turonis ordinatur episcopus.

(*Chr. W.*) A. D. 376. Magnentia, quæ et Tecla, Romanorum nobilissima, Hierosolimam veniens, magnis virtutibus et humilitate claruit.

A. D. 377. Valentinianus, rupta vena nuper incisa, moritur [750].

(*H. m.*) Valens [751] igitur, frater Valentiniani, dum per concessionem fratris regnaret cum eo in regno Orientis, id est in Constantinopoli, annis 11, post mortem fratris regnavit ibi annis 4, Gratiano et Valentiniano, fratris sui filiis, regnum Occidentis, id est Romanum tenentibus imperium. Hic itaque Valens, mox ut frater ejus ab eo discessit, Dominica uxore sua, ut aiunt; suadente, ab Eudoxio Arriano episcopo rebaptizatus est, statimque in Christianos persecutionem moveret, si fratrem non timeret (cf. Oros. VII, 32). In Antiochia tamen plurimo tempore commorans, omnibus licentiam dedit sua sacra celebrare, gentilibus scilicet atque Judæis et omnibus hereticis; illis tantummodo inimicus erat qui apostolicam doctrinam predicabant. Post mortem vero fratris impietatem, quam mente conceperat, operibus explebat. (Hier. — Beda. — Jord. *De r. s.* — *H. m.*) Nam sacerdotes Domini exiliabat, monachos in militiam cogebat, nolentes militare interfici jubebat. Inter hæc, diabolico instinctu perscrutari cupiens quis post eum regnaturus esset, nicromantiam fecit; sed diabolus, ejus audacia et crudelitate abusus, non aperta sed obliqua ei responsa dedit, per quæ multos artificiose interemit. Demonstravit enim ei quatuor litteras, θ, ε, o, δ, dicens, hoc nomen post Valentem imperii culmen accepturum. Unde ille zelo ductus, multos interemit, quos tyrannidem assumere estimavit. Occidebantur itaque Theodati, Theodori, Theoloti, Theoduculi, et quicumque has litteras in capite sui nominis habebant. Hoc ergo timore plurimi [752] sua nomina mutaverunt, negantes cum juramento quæ prius habuerunt, ut pericula effugerent. Inter ceteros autem occisus est et Theodosius vir fortis, ex Hyspania genus ducens, pater Theodosii postea imperatoris. Hic Theodosius a Valentiniano, fratre Valentis, in Africam missus, Firmium quendam sese in regnum extollentem ad mortem coegit, totamque Africam et Mauritaniam Romano imperio subjecit. Sed cum a Valente per invidiam juberetur occidi, prius in remissionem peccatorum rogabat baptizari, sicque jugulum ultro prebuit percussori.

Ea tempestate Hunorum gens, diu inaccessis seclusa montibus, repentina rabie percita, exarsit in Gothos, eosque conturbatos ab antiquis expulit sedibus. Qui transito Danubio ad Valentem venerunt, et sine omni pactione suscepti, Tracias ad habitandum ab eo acceperunt. Deinde cum idem imperator non daret eis quod sufficeret, non sustinentes famem, apprehenderunt arma, euntesque per Traciam, omnia licenter vastabant et incendebant (cf. Jord.). Hoc audiens Valens, egressus ab Antiochia, congregavit exercitum, ut pugnaret cum Gothis; (*H. m.*) primumque moratus apud [753] Constantinopolim, misit Trajanum magistrum militiæ contra eos; qui victus ignominiose reversus est. Qui cum Valens molliciem exprobraret, ait : *Non ego victus sum, o imperator, sed tu, qui contra Deum pugnans, barbaris nutum ejus concilias. An nescis, quos ab æcclesiis expulisti et quibus eas tradidisti?* Ille sera pœnitentia stimulatus, episcopos ceterosque sanctos revocari de exiliis precepit. Inter hæc barbari per Traciam [754] discurrebant, jamque suburbana Constantinopolitana, nullo prohibente, incendebant. Egressus itaque de Constantinopoli, duxit exercitum ad urbem Adrianopolim; commissaque pugna cum Gothis, primo impetu Gothorum Romani equites

VARIÆ LECTIONES.

[747] foctoris C. [748] XVIII. 5. 10. 11. [749] vero 5. 10. *deest* 9. 11. [750] 9c. *add.* : Abhinc error annorum usque ad Karolum Magnum. [751] 5. *ad rubram* : De Valente. [752] multi Et. [753] *deest* 5. [754] trachiam 5.

nudatos deseruere pedites, quos Gothi mox circumdederunt, ac sagittarum nubibus hinc et illinc fugientes obruerunt. Ipse quoque imperator Valens sagitta sauciatus et in fugam versus, cum ob nimium dolorem de equo laberetur, in vilissimam casam deportatur, ubi, Gothis supervenientibus ipsumque[758] ibi nescientibus, igne imposito concrematur, anno vitæ[756] 50°, regni autem 15°, quorum 11 regnavit cum fratre, 4 post illum. Justo itaque Dei judicio ab illis igni crematus est, quos ipse perfidiæ succenderat igne. Antea quippe petentibus Gothis ut eis mitteret predicatores et doctores, qui eos catholicam fidem instruerent, misit Arrianos doctores, sicque omnis illa gens Arriana facta est. Mortuo autem Valente, Gothi jam securi pergunt ad urbem Constantinopolim, ubi tunc Dominica, uxor Valentis, sedebat; quæ ex ærario publico premia bene certantibus prebens, urbem viriliter defendebat. (Hier.) Sub his temporibus Apollinaris Laodicenus episcopus multa nostræ religionis scripta composuit; qui postea devians a fide, heresim sui nominis instituit. Quia[757] vero Gothorum mentio non solum in hoc loco sed et in precedentibus sepe est habita, et in sequentibus sepius habenda[758], non superfluum videtur, si de origine eorum altius ab initio repetatur, et qui aut unde essent, quam brevissime verissimeque potest, hic aliquid inseratur, quia et Huni, qui eos de sedibus suis expulisse referuntur, originem ex his traxisse dicuntur, Gepidi quoque et Amazones ex eis processisse leguntur.

HYSTORIA GOTHORUM [759]

(Jord.) Claudius Ptholomeus, orbis terræ descriptor egregius, refert in secundo sui operis libro, esse in oceani arctoi salo insulam quandam magnam, nomine Scanziam, in modum folii cetri lateribus pandis per longum ductam, quam et Pomponius Mela in maris sinu Codano positam refert, cujus ripas influit oceanus. Hæc a fronte posita est Vistulæ fluminis, qui Sarmaticis montibus ortus, in conspectu Scanziæ septentrionali oceano trisulcus illabitur, Germaniam Scythiamque determinans. Ubi etiam aliæ plures[760] insulæ dicuntur esse dispositæ; ad quas si congelato mari ob nimium frigus lupi transierint, luminibus feruntur privari. Ita non solum hominibus inhospitales verum etiam bestiis terræ sunt crudeles. In Scanzia vero insula multæ et diversæ manent nationes, quarum septem commemorat Ptholomeus; ex quibus una dicta Adogit in arctoa parte ejusdem insulæ consistit, quæ in media æstate 40 diebus et noctibus lucem continuam fertur habere, itemque medio brumali tempore eodem dierum noctiumque numero, alternato mœrore cum gaudio, claram lucem nescire. Et hoc inde venit, quia prolixioribus diebus per axis marginem solem vident redeuntem ad orientem, brevioribus vero non sic apud illos conspicitur, ut australes conspicere censuerunt. Nobis enim videtur sol ab imo surgere, illis vero marginem circuire. Nec hoc alicui incredibile videatur, quia Plinius (II, c. 75), secularium eruditissimus litterarum, eodem fieri modo in insula Thile testatur circa solsticium æstivale et brumale aliquibus tantum diebus. Quod et venerabilis Beda comprobat, dicens (226) sibi dictum fuisse a quibusdam clericis, qui in eadem insula fuerunt a Kal. Febr. usque ad Kal. Augusti, quod in diebus circa æstivale solstitium in vespertina hora abscondat se sol, occidens quasi post parvulum tumulum, ita ut in minimo illo spatio nichil fiat tenebrarum, sed quicquid homo operari voluerit, tanquam in presentia solis possit; et si in altitudine montium ejusdem terræ fuissent, forsitan sol nunquam eis latuisset [761]. In medio autem spatio illius minimi temporis media nox fit in medio terrarum orbis. Sed et beatus Augustinus in sententia, quæ in æcclesiastice fit de sole, de ambitu solis dicit (*De Genesi* lib. I. Opera ed. Froben. III, p. 506) : *Australis ergo pars cum habet solem, nobis dies est; cum autem ad partem aquilonis circuiens pervehitur, nobis nox est; non tamen in alia parte non est dies, ubi presentia solis est, nisi forte poeticis figmentis cor inclinandum est, ut credamus solem mari se immergere atque inde lotum ex alia parte mane surgere; quamquam, si ita esset, abyssus ipsa solis presentia illustraretur atque ibi dies esset; posset enim et aquas illuminare, quando ab eis*[762] *non posset extingui; sed hoc monstruosum est suspicari.*

(Jord.) Alia quoque gens ibi est, quæ Suehans dicitur, cujus gentis homines equis utuntur eximiis, et hi sunt qui in usus Romanos Sapherinas pelles, commercio interveniente, per alias innumeras gentes transmittunt, famosi decora pellium nigredine. Ili [763] cum inopes vivant, ditissime vestiuntur. Sunt ibi et Suetidi, cogniti in hac gente, reliquis corpore eminentiores, quamvis Dani, ex ipsorum stirpe progressi, Herulos propriis sedibus expulerint, qui inter omnes Scanziæ nationes nomen sibi precipuum ob nimiam proceritatem affectant [764].

Ex hac igitur Scanzia insula, quam alii Scanda-

VARIÆ LECTIONES.

[758] ipsum 9c. [756] v. sue 5. 9c. [757] *Historia Gothorum deest E; in* D1. *vero in quaternionibus XII. XIII. jam deficientibus separatim scripta erat. In* 2. *qui plurima omisit omnia jam inde a verbis :* Mortuo autem Valente *omissa sunt.* [758] est h. 5. [759] Gotthorum 5. [760] quam plures 9c. [761] l. eis 5. [762] q. non p. ab eis 5. [763] hii 5. *sæpius.* [764] affectent 4. 10. afflectent 9c.

NOTÆ.

(226) Hæc in Bedæ operibus frustra quæri, sed in Dicuili libro De mensura orbis VII, 2, 6, legi, jam Lappenberg. Archiv. VI, p. 890 adnotavit.

naviam dicunt (Paul. Diac. 1, 2. Cf. c. 1), quasi officina gentium, aut certe velut e vagina nationum, diversæ nationes egressæ sunt, Dani, Daci, Heruli, Rugi, Turcilingi, Wandali, Winili qui et Longobardi, et hi qui postea Burgundiones dicti sunt, et aliæ multæ barbaræ nationes. (Jord.) Ex eadem quoque cum rege suo nomine Berich Gothi, qui et Gethæ, quondam memorantur egressi cum tribus tantum navibus. Sed qui in una erant navi, aliquantulum[765] ut fieri solet, tardiores, cum alios sequi non possent, in quandam Vistulæ fluminis insulam venientes, quousque meliores invenirent sedes, ibi resederunt, nomenque genti ex tarditate sua dederunt (*Ibid.*, c. 17) Nam lingua eorum pigritia Gepanta dicitur, ipsaque gens postea paulatim corrupto nomine ex vitio tarditatis Gepidorum vocabulum sortitur. Quod ipsum nec credo falsissimum; sunt enim ingenio tardiores et velocitate corporum graviores. (C. 4 sqq.) Alii vero qui in duabus erant mox ut citeriorem oceani ripam attigerunt, nomen loco dederunt, qui hodieque, ut fertur, Gothiscanzia vocatur. Inde mox promoventes, ad Ulmerugorum sedes, qui tunc oceani ripas insederunt, castra metati sunt, eosque, commisso prælio, propriis sedibus expulerunt, vicinosque eorum Wandalos tunc subjugantes, suis victoriis applicaverunt. Ubi vero[766], magna populi numerositate crescente, quintus jam pene rex post Berich regnabat, Filimer, Gadarici Magni filius, consilium dedit, ut cum familiis suis Gothorum ind[767] promoveret exercitus. Qui aptissimas sedes locaque dum quereret congrua, pervenit ad Scythiæ terras, quæ lingua eorum Ovim[768] vocabantur. Ubi delectatus magna ubertate regionum, per pontem transposuit exercitum ultra quendam fluvium. Medietate autem exercitus transposita, pons, ubi amnem trajecerat, dicitur irreparabiliter corruisse, nec ulterius licuit jam alicui ire aut redire. Nam is locus, ut fertur, tremulis paludibus voragine circumjecta concluditur, quem utraque confusione natura reddit impervium. Verumtamen hodie illic et voces armentorum audiri et indicia hominum deprehendi, commeantium attestatio, quamvis longe audientium, solet perhibere. Hi ergo, qui apud Filimer dicuntur in terras Ovim emenso amne transpositi, optato potiti solo, ilico ad gentem Spalorum adveniunt, consertoque prælio, victoriam adipiscuntur. Exinde jam velut victores ad extremam Scythiæ partem quæ Ponto mari vicina est, properant, quemadmodum et in priscis eorum carminibus pene hystorico ritu in commune celebratur, et Ablavius, descriptor Gothorum gentis egregius, verissima testatur hystoria; in quam sententiam nonnulli consensere majorum, eosque Scythas appellare consuerunt. Scythia siquidem[769] Germaniæ confinis est, cotenus ubi Ister[770] fluvius oritur vel stagnum Marsianum dilatatur, usque ad Danubium montemque Taurum, non illum Asiæ sed proprium Scythiæ, per omnem Meotidis ambitum, cujus paludis circuitus[771] est passuum mille centum 45, nusquam octo cubitis altius subsidentis. In qua Scythia prima ab occidente gens est Gepidorum, quæ magnis opinatisque ambitur fluminibus, introrsus[772] Dacia est, ad coronæ speciem arduis Alpibus emunita; dein per immensa spatia Venetiarum natio populosa considet, quorum nomina licet nunc per varias familias et loca mutentur, principaliter tamen Sclaveni nominantur. Prima vero mansio Gothorum in Scythiæ solo fuit juxta paludem Meotidem, secunda in Misia Traciaque et Dacia, tercia supra mare Ponticum. Et dum in prima sede juxta Meotidem habitarent, Filimerem regem habuerunt, in secunda, id est in Misiæ Traciæque et Daciæ solo, Zalmoxen, quem miræ phylosophiæ et eruditionis fuisse testantur. Plerique autem scriptores annalium tradunt eos prius habuisse eruditorem Zeutem, postea Dicineum, qui venit ad eos eo tempore quo Sylla Romano principatu potitus est, post Dicineum habuisse sapientem Comosicum, qui propter suam periciam et rex illis haberetur et pontifex, quartum vero habuisse Zalmoxen. Nec defuerunt qui eos sapientia erudirent; unde et pene[773] omnibus barbaris Gothi sapientiores exstiterunt Grecisque pene similes, ut refert Dio, qui hystorias annalesque eorum Greco stilo composuit; qui etiam dicit eos primum Tarabosteos, deinde Pilleatos vocitasse hos qui inter eos generosi exstabant[774], ex quibus reges et sacerdotes sibi ordinabant. Adeo ergo laudati fuere Gethæ, ut Martem, quem poetarum fallacia deum belli pronunciat, apud se dicerent fuisse progenitum. Unde dicit Virgilius:

Gradivumque patrem Geticis qui presidet arvis.

Quem Martem Gothi semper asperrima placavere cultura, scilicet morte captivorum, opinantes bellorum presulem apte[775] humano sanguine placandum. Hac itaque sede morantibus Gothis, qui et Scythæ dicti sunt, Vesoces rex Ægypti, qui regnavit eo tempore quo Sosarmus imperavit Assyriis et Inachus Sycioniis, bellum primus intulit Gothis, quibus tunc erat rex Tanausis, qui eidem occurrens eumque graviter debellans, usque in Ægyptum fugavit (Oros. I, 14), destitutum exercitum invadit[776], omnemque belli apparatum capessit, ac totam Ægyptum devastasset, si paludes Nili non obstitissent. Inde reversi Gothi, omnem pene Asiam, infinitis cædibus perdomitam, vectigalem fecerunt, ubi per 15 annos sine pactione immorati, tandem uxorum flagitatione revocantur, denunciantium, ni redeant, se a finitimis sobolem quesituras. (Jord. c. 7.) Hoc autem spatio, quo viri commorati sunt in Asia, feminæ illorum a vicina quadam gente temptantur in preda; sed illæ a viris suis edoctæ, sumptis armis, fortiter restiterunt

VARIÆ LECTIONES.

[765] aliquantam 5. [766] ergo 9[c]. [767] *deest* 5. [768] oium 5. *et ita infra.* [769] quidem 5. [770] hister 5. avster 4. [771] exercitus 9[c]. [772] introrsus 5. [773] *deest* 5. [774] existebant 4. existabant 9[c]. [775] apto 9[c]. *deest* 4. [776] invasit 4. 9[c].

hostesque supervenientes cum magna verecundia abegerunt. Unde quidam (Jord.) opinantur has fuisse quæ Amazones dicuntur; sed hoc repugnare videtur, quod harum viri post 15 annos ab eisdem A revocati leguntur, illarum vero mariti partim bello, partim ab ipsis occisi scribuntur. Amazonum autem origo hujusmodi fuisse legitur.

DE AMAZONIBUS.

Oros. 1, 15.) Medio tempore habitationis Gothorum in hac sede, duo regii juvenes, Plinus et Scolopetius, apud eos per factionem optimatum domo pulsi, ingentem juventutem secum traxere, et in Capadociæ Ponticæ ora juxta fluvium Thermodoontem considentes, campos Themiscyrios sibi subjecere. Ubi proxima quæque dum populantur, conspiratione finitimorum per insidias cum suis [777] comitibus pene omnibus trucidantur. Horum uxores exilio ac viduitate permotæ, arma corripiunt, et ut omnibus par ex simili conditione animus fieret, viros qui superfuerant interficiunt, atque accensæ in hostem, sanguine suo ultionem cæsorum virorum excidio finitimorum exsecuntur. (Jord. c. 8.) Tunc pace armis quesita, veritæ ne prole rarescente deficerent, externos concubitus vicinarum gentium ineunt, factis nundinis semel in anno, ita ut eadem die futuri temporis revertentes in id ipsum, quicquid masculini sexus edidissent, patribus redderent, quicquid feminei, matres ad arma bellica erudirent. Neque enim virgines earum fusum ad aliquid operandum tenebant, sed equis et armis et venationibus se exercebant. Quidam autem dicunt, quod, editis maribus, novercali odio infantis miserandi fata rumperent, et ita apud illas detestabile esset puerperium, quod ubique constat esse votivum. Quæ crudelitas illarum maximum terrorem vicinis gentibus cumulabat vulgatæ opinionis. Nam quæ, rogo, spes esset capto, ubi nefas habebatur ignosci vel filio? (Oros. *l. l.*) Puellis autem dexteras inurebant mamillas, ne sagittarum vel jaculorum impedirentur jactus, unde et Amazones dicuntur, hoc est sine mamma. (Jord. c. 7.) Harum duæ reginæ fuere Lampedo et Marpesia, quas audentiores ceteris eligentes, earum se principatui subdiderunt. Quæ, agmine diviso in duas partes, vicissim curam belli et domus custodiam sortiebantur. Sed dum Lampedo proprios fines domi tueretur, Marpesia, feminarum agmine sumpto, novum genus exercitus duxit in Asiam, diversasque gentes bello superans, alias pace concilians, ad Caucasum montem venit, ibique certum tempus demorans, loco nomen dedit saxum Marpesiæ. Unde Virgilius ait :

Ac si dura silex super est Marpesia cautes.

Inde egressæ, Etalem fluvium transierunt, et Armeniam et Syriam, Ciliciam, Galatiam, Pisidiam multaque Asiæ loca obtinuerunt, ibique diutius dominantes, Ephesum et alias civitates castraque condiderunt suoque nomini dicaverunt; templum quoque Dianæ ob sagittandi ac venandi studium, quibus artibus se tradiderant, mira pulchritudine apud Ephesum construxerunt. (Oros. *l. l.*) Tali ergo casu Scythiæ gentis feminæ Asiæ regnum per centum annos tenuerunt; sicque magna pars exercitus opulentissima preda onusta in cautes Marpesias ad socias proprias repedavit, reliquæ vero ad tuendum Asiæ imperium relictæ, incursu hostium cum Marpesia regina trucidatæ sunt. Cujus locum filia ejus Sinope capessit, quæ singularem virtutis gloriam perpetua virginitate cumulavit. Hac fama gentes excitas tanta formido et ammiratio invasit, ut Hercules quoque, cum jussus fuisset a domino suo exhibere sibi arma reginæ Amazonum, quasi ad inevitabile periculum destinaretur, ex universa Grecia lectam ac nobilem juventutem contraxerit, novem longas naves præparaverit, nec tamen sic contentus examine virium, ex improviso B cas aggredi et insperatas circumvenire maluerit. Duæ sorores tunc regno preerant, Anthiope et Orithia. Hercules autem advectus, incautas inermesque et pacis incuria desides obpressit Amazones, et inter cæsas et captas plurimas duæ sorores Anthiopæ retentæ sunt, Melanippe ab Hercule, Yppolite a Theseo. Sed Theseus Yppoliten matrimonio ascivit, Hercules vero Melanippen sorori reddidit, et arma reginæ in precium redemptionis accepit. Post Orithiam Pentiselea regno est potita, cujus clarissima virtutis documenta inter vires Trojano accepimus bello, in quo ipsa occisa dicitur ab Achille. Fuerunt autem cum ea 70 milia Amazonum, quarum paucæ reversæ sunt. Post Pentiseleam regnum tenuit Thalisaridis, quæ habuit pacem cum Alexandro Magno. Dicuntur C autem Amazones regnasse per annos multos usque ad Julium Cæsarem. Hæc autem de Amazonibus huic hystoriæ subintulimus, ut has quoque de stirpe Gothorum descendisse monstraremus, nunc vero ad cœptam eorundem hystoriam redeamus.

(Jord. c. 9 sqq.) Dio hystoricus et antiquitatum diligentissimus inquisitor, qui operi suo Geticum titulum dedit, regem illis post multa tempora fuisse commemorat nomine Thelephum, Herli [778] filium, procerum quidem corpore, sed plus vigore terribilem, qui paternam fortitudinem propriis virtutibus æquans, Herculeis genibus et formæ similitudinem referebat. Hujus regnum Mœsiam appellavere majores. Is conjugio sororis Priami copulatus, bellum habuit cum D Danais, in qua pugna Tessandrum ducem Greciæ peremit; et dum Ajacem infestus invadit Ulixemque persequitur ictibus, equo cadente, ipse corruit, Achillisque jaculo femore sauciato, diu mederi nequivit; Grecos tamen quamvis saucius a suis finibus proturbavit. Thelepho vero defuncto, Euriphilus, filius ejus, successit in regnum, ex Priami regis sorore progenitus, qui cum ob Cassandræ amorem bello

VARIÆ LECTIONES.

[777] *deest* 9c. [778] beli 4. herili 9c. herculis 11.

interesset Trojano, ut parentibus soceroque ferret auxilium, mox exstinctus est.

Post longum intervallum Thameris regina cum filio suo Gothis presidebat, quæ Cyrum regem Persarum, bellum Scythis inferentem, interficiebat. Post hæc Antinus Gothis regnavit, cujus filiam Darius, Hydaspis filius, rex Persarum, postulans, sed repudiatus, cum septingentis milibus armatorum bellum Scythis intulit, sed, octoginta milibus perditis, refugit. Post quem Xerses, filius ejus, paternas injurias ulturum se estimans, cum 700 milibus armatorum de regno et 300 milibus de auxiliis, mille quoque navibus rostratis et tribus milibus onerariis ad eos proficiscitur, sed nec temptare in conflictu animositatem eorum presumens, cum rubore revertitur. Philippus quoque, pater Alexandri Magni, cum ipso filio suo ad Scythiam predandi transiit intentione, commissoque prælio, cum Scythæ et numero et virtute prestarent, fraude Philippi nimium callidi vincuntur. In qua pugna 20 milia [779] puerorum et feminarum Scythicæ gentis capta sunt, magna pecorum copia abducta, auri argentique nichil repertum. Postea cum eis amiciciam fœderans, Medumpam, Gudilæ regis Gothorum filiam, accepit uxorem, ut tali affinitate roboratus Macedonum regnum [780] firmaret.

Dehinc regnante in Gothis Borbista, Dicineus venit in Gothiam, eo tempore quo Sylla Romanum tenuit principatum; quem Dicineum suscipiens Borbista, dedit ei regiam potestatem, cujus consilio Gothi Germanorum [781] terras, quas nunc Franci tenent, popalati sunt; quibus hoc erat salubre, hoc commodum, hoc votivum, ut quicquid Dicineus eorum consiliarius precepisset, hoc modis omnibus expetissent. (Jord. c. 11 sqq.) Qui cernens eorum animos sibi in omnibus obedire et naturale ingenium eos habere, omni pene phylosophia eos instruxit, elegitque ex eis nobilissimos et prudentiores viros, quos theologiam docens, numina quædam et sacella venerari suasit, eosque sacerdotes fecit, nomen illis pilleatorum tradens, quia opertis capitibus thyaris, hoc est pilleis, litabant, reliquam vero gentem capillatam dici jussit. Quod nomen Gothi pro magno suscipientes, adhuc in suis cantionibus reminiscuntur. Decedente [782] vero Dicineo, pari pene veneratione habuerunt Cumosicum, qui nec imparis erat sollertiæ. Hic etenim rex illis et pontifex ob suam peritiam in summa justitia populum regebat. Et hoc rebus humanis excedente, Zalmoxes rex Gothorum in regnum conscendit, et per 40 annos in Datia suis gentibus imperavit. Datiam autem [783] dico antiquam, quam nunc Gepidæ possidere noscuntur. Quæ patria in conspectu Mœsiæ sita trans Danubium, corona cingitur montium, duos tantum habens accessus, primum Datia, postea Gothia, nunc dicta Gepidia.

(C. 5.) Terciam sedem super mare Ponticum Gothi jam humaniores et prudentiores habebant, divisisque per familias [784] populis, Wisigothæ, id est occidentales Gothi, familiæ serviebant Ewalderum, Ostrogothæ vero, id est orientales Gothi, preclaris subjacebant Amalis. Quorum studium fuit primum inter vicinas gentes arcum intendere nervis, Lucano testante, qui ait :

Armeniosque arcus Geticis intendite nervis.

Antiquorum etiam facta majorum cantuum modulationibus cytharisque canebant, Erpantalæ [785], Hannalæ, Fridigerni [786], Widigojæ et aliorum, quorum in hac gente magna opinio est, quales vix heroas fuisse miranda jactat antiquitas. (C. 11.) Diu itaque Gothi regnaverunt, adeo ut Cæsar, qui primus omnium Romanum sibi vendicavit imperium omnemque pene suæ ditioni subegerat mundum, Gothos sepe pertemptans, subjicere non posset. Gaius Tyberius jam tercius Romanis regnavit, Gothi tamen in suo regno incolomes perseverant. (C. 13 sqq.) Domiciano vero undecimo jam ab Augusto regnante, ripam Danubii, jam diu a Romanis obsessam, Gothi, deletis militibus Romanis eorumque ducibus, vastaverunt. Cui provinciæ tunc post Agrippam preerat Oppius Sabinus, Gothis autem principabatur Dorpaneus. Inter quos bello commisso, Gothi Romanos vicerunt, caput Oppii Sabini absciderunt, multas civitates et castella de parte imperatoris publice predati sunt. Qua necessitate compulsus, Domicianus cum omni virtute Ylliricum properavit, prelatoque militibus Fusco ductore, cum electissimis viris amnem Danubii, consertis navibus instar pontis, eum transmeare precepit super exercitum Dorpanei. Gothi haut segnes arma capessunt, primoque conflictu Romanos devincunt, et exstincto Fusco duce, militum castra predantur; magnaque potiti victoria, jam proceres suos, non quasi puros homines sed quasi semideos, Anses vocaverunt. Quorum genealogiam ut paucis percurram, primus horum heroum fuit Capul, qui genuit Ulmal, Ulmal vero genuit Anguisath, Anguisath [787] genuit eum qui dictus est Amala, a quo et genus Amalorum decurrit; Amala vero genuit Hisarnam, Hisarnis autem genuit Ostrogotham, Ostrogotha genuit Hunul, Hunul genuit Athal, Athal genuit Achiulf et Odiulf, Achiulf autem genuit Ansilam et Ediulf et Witulf [788] et Hermenricum, Witulf [788] vero genuit Walaradantem, Walaradans Hiarium [789] et Venetharium, Venetharius Wandalaricum, Wandalaricus genuit Dietmarum [790] et Walamirem et Witimarum [791], Dietmar genuit Theodoricum, Theodoricus genuit Amalasuindam, Amalasuinda genuit Athalaricum et Matesuindam de Eutharico [792] viro suo, qui affinitate generis sic ad eam conjunctus est.

VARIÆ LECTIONES.

[779] XX 9c [780] r. mac. 5. [781] t. romanorum 9c. [782] decidente 4. 5. 10. [783] vero 5. [784] familiam 5. [785] arpantale 4. erpantanæ 5. expantanæ 10. herpantalæ 9c. [786] frigdigerni 9c. [787] *deest* 9c. *in margine suppl.* 10. [788] withulf 9c. [789] hiarrum 9c. 10. [790] diethmarum 4. 9c. [791] withmarum 9c. [792] *codicum fidem in his nominibus scribendis secutus sum.*

Ermenricus [793] supradictus, filius Achiulf, genuit Hunimundum, Hunimundus Thurismundum, Thurismundus Herimundum, Herimundus autem genuit Eetericum, Betericus Eutaricum, qui conjunctus [793] Amalsuindæ genuit Athalaricum et Mathesuindam. Mortuus est autem Athalaricus in annis puerilibus, et Mathesuindæ Witigis est copulatus, de quo illa non suscepit filium. Cum autem Witigis rebus humanis excederet, Germanus patricius, fratruelis domni Justini imperatoris, sumens eam in conubium, patriciam fecit ordinariam, genuitque filium ex ea nomine Germanum. Defuncto autem Germano viro suo, ipsa vidua perseverare disposuit. Conjunctio consanguinitatis Ermenrici et Theoderici talis fuit. Ermenricus et Witulfus filii fuerunt Achiulfi.

Hermenricus	Wjtulfus
Hunimundus	Walaradans [794]
Thurismundus	Winitharius
Herimundus [795]	Wandalaricus
Betericus	Dietmarus
Eutharicus	Theodericus.

Cujus filiam Amalasuindam Eutharicus accipiens, genuit Athalaricum et Mathesuindam, stirpemque Amalorum jam pene divisam conjunxit. His ita insertis non ab re, ut credimus, ad ordinem hystoriæ redeamus.

(C.14 sqq.) Dorpaneo igitur rege Gothorum defuncto, successit Ostrogotha, et pars Gothorum, quæ orientalem plagam tenebat, Ostrogotharum nomen accepit, sive a rege, sive a regione; reliqui vero, qui in occidua erant parte, Wisigothæ dicti sunt, ambæ tamen partes regi Ostrogothæ subjacuerunt; mirumque in modum illis proficientibus, sub eorum dextera Wandalus jacuit, Marcomannus sub precio stetit, princeps Quadorum in servitutem redactus est. Philippo itaque Romanis imperante, qui solus ante Constantinum cum filio suo item Philippo Christianus factus est, Ostrogotha cum suis transiens Danubium, provincias Romanorum vastavit; ad quem debellandum Decius senator a Philippo dirigitur. Qui veniens, Romanos milites quos invenit a militia deposuit et in privata vita degere fecit, quasi eorum neglectu Gothi Danubium transierint, factaque, ut putavit, in suos vindicta, revertitur ad Philippum. Milites autem videntes, se post tot labores a militia pulsos, ad Ostrogothæ regis auxilia confugerunt. Qui excipiens eos, eorumque verbis accensus, mox trecenta milia suorum armata producit ad bellum, transitoque Danubio, Mœsiam populati sunt, et Marcianopolim, ejusdem patriæ urbem metropolim, quam Trajanus olim ex nomine sororis suæ Marciæ condidit, obsederunt; acceptoque precio post longam obsidionem ditati, ad propria redierunt, suaque in patria feliciter versabantur, quousque princeps eorum exstitit Ostrogotha. Post cujus excessum Oniba successit, qui ducto exercitu cum Romanorum partes devastaret, Decius jam imperator cum filio suo ei occurrit, consertoque prælio, Decii filius, et ipse dictus Decius, sagitta occiditur, pater quoque, cum filium ulcisci [796] moliretur, interimitur. Post Decium Gallus et Volusianus regno potiti, pacem cum Gothis pepigerunt, nec longo intervallo utrisque occumbentibus, Gallienus [797] arripuit principatum. Quo lascivia resoluto, Respa et Veducus Thurbarusque duces Gothorum fretum Ellesponticum transfretantes, multas Asiæ urbes depredati sunt, illudque opinatissimum Dianæ templum, ab Amazonibus Ephesi conditum, succenderunt, et cum multa preda regressi, Trojam, quæ vix ab illo Agamemnico bello quantulumcumque reparata erat, rursum deleverunt, sicque Asia vastata, Traciam devenerunt, et juxta radicem Hemi montis aquarum calidarum lavacro delectati, multis diebus commorantes, ad propria redierunt. (Jord. c. 20 seqq.) Post hæc ab Herculio Maximiano in auxilium Romanorum contra Parthos rogati, fideliter decertaverunt, et Narseum regem Persarum, Saporis magni nepotem, fugaverunt. A Constantino quoque imperatore rogati, multo affuerunt auxilio, et ut famosissimam Romæ æmulam in suo nomine conderet civitatem, Gothorum interfuit operatio. Qui fœdere inito cum imperatore, 40 milia suorum illi in solatium contra varias gentes obtulere, quorum et numerus et militia usque ad presens in re publica nominatur, id est fœderati. Tunc etenim sub Ariarici et Ariorici regum suorum florebant imperio. Post quorum discessum successor regni extitit Geberich, virtute et nobilitate eximius. Nam patre Hilderico natus, avo Hovida, proavo Nida, gloriam generis sui factis exæquavit. In principio quippe regni sui mox Wandalorum genti, qui eo tempore manebant ubi postea Gepidi sedebant, bellum indixit, regemque eorum Wisamarum cum magna parte gentis suæ prostravit, depredatisque Wandalis, victor remeavit. Perpauci vero Wandali, qui remanserant infortunatam sibi patriam relinquentes, Pannoniam, a Constantino imperatore sibi [798] concessam, petierunt, ibique locatis sedibus, per sexaginta annos imperatorum decretis velut incolæ deservierunt. Inde jam post longum tempus a Stilicone, magistro militum et exconsule ac patricio, invitati, Gallias occupaverunt, ubi finitimos depredantes, non adeo fixas sedes habuerunt. Geberico namque rege Gothorum rebus humanis excedente, post aliquantum temporis Ermenricus, Amalorum nobilissimus, successit in regnum, qui multas arctoi gentes bellicosas perdomuit suisque legibus parere fecit, quem merito nonnulli majores Alexandro magno compa-

VARIÆ LECTIONES.

[793] c. est 9c. [794] Vualaradus 9c. [795] herismundus 5. [796] u. f. 5. [797] galienus 9c. [798] *deest* 9c.

rovere. Habebat quippe sub ditione sua Golthes [799], Citathiudos [800], Inanxos [801], Suasos, Narboneas [802], Merentes, Mordentes, Ymniscaros [803], Roscathaizantes [804], Athaalos, Mavegones, Rubegenas, Holdas. Et cum tantorum servitio clarus haberetur, non quievit nisi et Herulorum gentes, quibus preerat Alaricus, sibi subjiceret. Quæ gens juxta Meotidem paludem habitans, ex locis stagnantibus, quas Greci helle vocant, Heruli quasi Helluli nominati sunt, gens quantum velox tantum superba. Nulla siquidem gens tunc erat, quæ non levem [805] armaturam in acie sua ex ipsis eligeret. Sed quamvis eorum velocitas ab aliis crebro bellantibus eos tutaretur, Gothorum tamen stabilitati et tarditati subjacuerunt, fecitque causa fortium, ut ipsi inter reliquas gentes Getharum regi Ermenrico servirent. Post Herulorum eadem item Ermenricus in Venethos arma commovit, qui numerositate pollentes, primo resistere conabantur; sed nichil valet multitudo in bello, ubi et Deus permittit et multitudo fortium armata advenerit. Venethorum vero natio, ut supra diximus, populosa est, qui ab una stirpe exorti, tria sibi nomina indiderunt, Venethi, Anthes, Sclaveni, quod nomen eis principale est. Qui quamvis postea, facientibus peccatis quorumdam, ubique sevirent, tunc tamen omnes Ermenrico servierunt. Hestorum quoque nationem, qui longissimam oceani ripam Germanici insederant, idem prudentia et virtute subegit, omnibusque Scythiæ et Germaniæ nationibus acsi propriis laribus imperavit. Post hæc vero Hunorum gens omni ferocitate atrocior exarsit in Gothos, eosque, qui prius timori erant ceteris gentibus, ab antiquis conterritos expulit sedibus. Hos, ut refert antiquitas, ita extitisse comperimus.

DE ORIGINE HUNORUM.

Filimer rex Gothorum, Gadarici Magni filius, qui post egressum eorum de Scanzia insula jam quinto loco tenuit regnum Getharum, quique terras Scythicas, ut superius dictum est, cum gente sua intravit, quasdam mulieres magas, quas illi Gotico nomine alirunas vocant, in exercitu reperit, easque suspectas habens, de medio sui jam pregnantes, ut quidam (Jord. c. 24) dicunt, proturbavit, longeque ab exercitu fugatas in solitudine manere coegit. Quidam (idem?) vero dicunt quod silvestres homines, quos Faunos ficarios vocant, dum eas per desertum errare viderent, earumque complexibus se in coitu miscuerint, et genus hoc ferocissimum ediderint. Quod fuit primum inter paludes Meotidas minutum, tetrum atque exile, quasi hominum genus, nec alia voce notum, nisi quod humani sermonis imaginem assignabat. Tali igitur stirpe Huni creati, Gothorum finibus adveneruat. Natio autem illorum, ut dictum est, referente Prisco hystorico, Meotidem paludem in ulteriori ripa insidens, venationi tantum studuit, nullum alium experta laborem, nisi quod, postquam crevisset in populos, fraudibus et rapinis vicinarum gentium conturbavit quietem. Hujus ergo gentis venatores, ut assolent, dum in ulteriori Meotidis ripa venationes inquirerent, animadvertunt, quomodo cerva ex improviso se illis obtulit, quæ ingressa paludem, nunc que progrediens, nunc que subsistens, indicium viæ tribuit. Quam secuti venatores, paludem meotidem, quam imperviam putabant, pedibus transierunt, moxque Scythicam terram inscii intraverunt. Hi vero preter Meotidem alium mundum esse ignorabant, ammiratione terræ Scythicæ ducti, ut erant sollertes, iter illud antea nulli ætati notum divinitus sibi ostensum rati, ad suos redeunt, rei actum edocent, Scythiam laudant, omnes simul per viam quam cerva docuit ad Scythiam properant, et quantoscumque Scytharum obvios habuerunt occiderunt, reliquos perditos subegerunt. Nam mox ut ingentem illam paludem transierunt, ilico Alpizuros et Alcizuros ac Itimaros, deinde Arsos et Boiscos, qui ripæ Scythiæ insidebant, quasi quidam turbo gentium rapiebant; Alanos quoque, pugna sibi pares sed humanitate victus formaque dissimiles, frequenti certamine fatigantes subjugabant. Nam et quos bello forsitan minime superabant, vultus sui terrore nimium pavorem ingerentes, fugabant, eo quod erat eis species pavendæ nigredinis, et si dici fas est, quædam informis offa, non facies, habensque magis quasi quædam puncta quam lumina, quorum animi fiduciam turbidus prodit aspectus. Qui etiam in filios suos primo die natos deseviunt. Nam ferro secant genas eorum, mox ut nati sunt, ut antequam lactis nutrimenta percipiant, vulneris cogantur subire tolerantiam. Hinc imberbes senescunt et sine venustate ephebi sunt, quia facies ferro sulcata tempestivam pilorum gratiam cicatrice absumit. Forma quidem exigui, sed argutis motibus sunt expediti et ad equitandum promptissimi, scapulis latis et ad arcus sagittasque paratis [806], firmis cervicibus et superbia semper erectis [807]. Hi vero sub figura hominum vivunt beluina sevicia. Quod genus expeditissimum multarum nationum Gothi ut viderunt, expavescunt, suoque cum rege deliberant quid agant. Ermenricus vero rex Gothorum licet, ut superius retulimus, multarum gentium extitisset triumphator, de Hunorum tamen adventu sollicitus dum cogitaret, Rasomonorum gens infida, quæ tunc inter alias illi famulatum exhibebat, tali eum occasione decipiebat. Quandam feminam ex memorata gente, Suanihildam nomine, pro mariti sui fraudulento discessu rex furore commotus, equis ferocibus [808] precepit alligari et incitatis cursibus per di-

VARIÆ LECTIONES.

[799] golthos 4. 9c. 11. gothos 10. [800] cithatindos 9c. [801] manxos 9c. [802] narboneas 4. narbunxas 9c. [803] inniscatos 4. [804] roscathazantes 9c. ios. cathaizantes 4. [805] legem 5. 9c. 10. [806] parati 9. [807] erecti 9c. [808] ferocioribus 5.

versa divelli. Cujus fratres Sarus et Ammius germanæ obitum vindicantes, Ermenrici latus ferro petierunt, quo vulnere saucius, ægram vitam imbecillitate contraxit. Quam adversam ejus valitudinem audiens Valamber rex Hunorum, in Ostrogothorum partem movit exercitum, a quorum societate jam Wisigothæ quadam inter se contentione disjuncti erant. Inter hæc Ermenricus tam vulneris dolorem quam Hunorum incursionem non ferens, jam grandevus et plenus dierum, centesimo decimo anno vitæ suæ defunctus est. Cujus mortis occasio dedit Hunis prevalere in Gothos illos quos dixeramus in orientali plaga sedere et Ostrogothas nuncupari. Qui Hunis resistere non valentes, cum regis sui Ermenrici morte Wisigothæ ab eis essent divisi, in antiquam patriam Scythiæ remeabant, Hunorum subjacentes ditioni. Winithario tamen Hamalo, Ermenrici fratruelis filio, principatus insignia retinente. (Jord. c. 48.) Qui Witulfi, avi sui, qui erat frater Ermenrici, virtutem imitatus, quamvis Ermenrici felicitate inferior, ægre tamen ferens Hunorum subjacere imperio, paululum se subtrahit ab illis, suamque dum nititur ostendere virtutem, in Anctorum fines movit procinctum, eosque agrediens [809], prima congressione vincitur, sed deinde fortiter agens, regem eorum Booz [810] nomine cum filiis suis et septingentis primatibus in exemplum terroris affixit, ut dediticiis metum cadavera pendentium geminarent. Sed dum tali libertate vix anni spatium imperasset, non passus est Valamber rex Hunorum, sed super Winitharium duxit exercitum; diuque cum certarent, primo et secundo certamine Winitharius vincit, nec valet aliquis commemorare quantam stragem Hunorum fecerit. Tercio vero prælio Winitharius interemptus est, sicque rex Hunorum omnem populum Gothorum in pace subactum possedit, ita tamen ut gens Gothorum semper proprios regulos, quamvis Hunorum consilio, haberet. Defuncto autem Winithario, Hunimundus, Ermenrici quondam potentissimi regis filius, successit in regnum, eoque defuncto, regnavit filius ejus Thurismundus, flore juventutis ornatus, qui secundo regni sui anno contra Gepidos exercitum movit, magnaque de illis potitus victoria, casu dicitur interemptus. Quem sic luxerunt Ostrogothæ, ut per 40 annos in locum ejus alius non succederet, quatinus illius memoria diu apud eos maneret. Cujus filius Herimundus spernens regnum Ostrogotharum propter Hunorum dominium, cum filio suo Beterico ad Hesperias gentes se contulit, et sub Theoderico Wisigotharum rege, de quibus mox dicetur, tacita generis sui propinquitate, cum magna gloria militavit. Unde post longum tempus Walamir [811], filius Wandalarici, qui erat filius Winitharii, regnum accepit cum fratre suo Dietmaro necnon et Witimaro, eratque in his tribus grata contemplatio, quando mirabilis Dietmar pro fratre [812] Walamiro militabat imperio, Walamir vero pro altero jubebat ornando, Witimar utrisque adhærebat et quasi utrisque serviebat, sic illis mutua affectione se tuentibus, ut nulli regnum deesset, quod utrique in pace tenebant, ita tamen, ut Hunorum regis, qui jam erat Attila, deservirent imperio. (C. 35.) Postquam enim [813] mortuus est Valamber [814] rex Hunorum, regnabat Mauzuchus, pater Attilæ, post quem germani ejus Hoctar et Roas, post quos [815] Attila cum Bleda germano suo, qui magnæ parti Hunorum præerat; sed Attilà, interfecto fratre Bleda, universum populum sibi subjugabat, vir in concussionem gentium et terrarum omnium metum natus in mundo, qui, nescio qua sorte, cuncta terrebat, formidabili de se opinione vulgata. Erat autem superbus incessu, huc et illuc circumferens oculos, ut elati potentia ipso quoque motu corporis appareret, bellorum quidem amator, sed ipse manu temperans, consilio validissimus, exorabilis supplicantibus, semel in fide receptis propicius, forma brevis, lato pectore, capite grandi, minutis oculis, barba raris canis aspersa, tetro colore originis suæ referens signa. Qui quamvis hujus esset naturæ ut semper magna [816] confideret, addebat ei tamen confidentiam gladius Martis, apud Scytharum reges inventus et semper habitus, quem hystoricus Priscus tali refert occasione detectum. Cum pastor quidam gregis unam buculam claudicantem conspiceret, nec causam doloris inveniret, nisi quod eam vulneratam videret, sollicitus vestigia cruoris insequens, tandem ad gladium veniebat, quem latentem in herbis vacca depascens incauta calcaverat, effossumque protinus ad Attilam detulerat. Quo ille munere multum gratulatur, et ut magnanimus totius mundi principem se constitutum ac per Martis gladium potestatem bellorum sibi concessam fuisse arbitratur. Hinc multis nationibus bella inferens, suæ ditioni subjiciebat: (*H. m.*) Gepidarum quoque regem famosissimum Hardericum sibi subdebat. Ostrogothas, ut dictum est, ab inicio Huni possidebant (Jord. c. 48), nec contra consanguineos Wisigothas licuit recusare certamen, nec aliter ab Hunorum dominio divelli potuit gens illa Scythica, nisi mors Attilæ provenisset, quæ cunctis in commune nationibus et Romanis fuit optata. Quæ qualiter provenerit, in sequentibus dicemus; nunc ad Wisigotharum hystoriam redeamus.

(C. 25.) Wisigothæ [817] itaque cum per mortem Ermenrici ab Ostrogothis discederent et eosdem ab Hunis oppressi et expelli cernerent, nimium territi, quid de se propter gentem Hunorum [818] deliberarent ambiebant; diuque cogitantes, tandem communi placito legatos ad Valentem, fratrem Valentiniani senioris, tunc Constantinopoli regnantem, ut

VARIÆ LECTIONES.

[809] pro agg. 9e [810] boz 9e. [811] walmir 5. 9e. [812] f. et w. 9e. [813] *deest* 9e. [814] valaber 5. [815] *deest* 9e. [816] m. s. 5. [817] . *rubram add.* De Wisigothis. [818] h. g. 5.

superius scriptum [819] est, miserunt, ut partem Traciæ sive Mœsiæ illis traderet ad colendum, ejus se legibus ejusque imperiis se victuros promittentes. Et ut fides uberior illis haberetur, promittunt se Christianos fieri, si linguæ suæ scios eis mitteret doctores fidei. Quo Valens comperto, mox gratulabundus annuit, quod ipse [820] ultro petere voluisset, susceptosque in partibus Mœsiæ Gethas quasi murum regni sui contra ceteras statuit gentes; et quia tunc Valens imperator Arriana perfidia saucius omnes nostrarum partium sacerdotes odio habebat, suæ partis fautores illuc direxit predicatores. Qui venientes, rudibus et ignaris ilico perfidiæ suæ virus infundunt. Sic itaque Wisigothæ per Valentem imperatorem Arriani potius quam Christiani effecti, de cetero tam Ostrogothis quam Gepidis parentibus suis affectionis gratia evangelizantes, per Ulphiam episcopum suum Arrianum (*H. m.*), qui litteras Gothicas primus invenit et scripturas in eorum linguam divinas convertit, omnem hujus linguæ nationem ubique ad culturam sectæ hujus invitabant. (Jord. *l. l.*) Ipsi autem, ut dictum est, Danubium transmeantes, Datiam et Ripensem, Mœsiam Traciamque permissu principis insederunt. (C. 26.) Quibus evenit, ut assolet genti necdum bene loco fundatæ, ut penuria famis stringerentur [821], cœperuntque duces eorum, qui regum vice illis preerant, Fridigernus et Alatheus et Saphrach, exercitus inopiæ condolere negotiationemque a Lupicino [822], et Maximo, Romanorum ducibus, expetere. Qui, avaricia compellente, cœperunt non solum ovium boumque carnes, verum etiam canum et immundorum animalium morticina eis contradere, adeo ut quodlibet mancipium in uno pane aut decem librarum carne mercarentur. Mancipiis et omni subpellectile deficiente, filios eorum avarus mercator exposcit. Sed parentes salutem pignorum suorum providentes, deliberant, facilius ingenuitatem perire quam vitam, dum misericorditer alendus quis [823] venditus potius quam moriturus servatur, filios tradunt. Contigit autem illo tempore, ut Lupicinus ductor Romanorum Fridigernum Gothorum regulum ad convivium invitaret dolumque, ut post exitus docuit, moliretur. Sed Fridigernus dolum nesciens, cum paucis ad convivium venit; et dum in pretorio epulatur, clamorem miserorum morientium audivit. Nam in alia parte socios ejus reclusos milites ducis Lupicini jussu ejus trucidare conati sunt. Quod sentiens Fridigernus, evaginato gladio, non sine magna temeritate velociter ex convivio egreditur, sociosque a morte ereptos ad necem Romanorum instigat. Qui nacti occasionem votivam, elegerunt potius in bello mori quam fame deficere, et ilico in mortem ducum Lupicini et Maximi armantur. Illa dies Romanorum securitatem et Gothorum ademerat famem; cœperuntque Gothi jam non ut peregrini, sed ut cives et domini possessoribus imperare totasque partes septentrionales [824] usque ad Danubium sub suo jure tenere. Quod comperiens in Antiochia Valens, bellum adversus eos movit; in quo ipse vulneratus, in quandam casam confugit, ignorantibusque Gothis, quod imperator in tam vili casa lateret, apposito igni, crematus est, justo scilicet judicio Dei, ut ab ipsis igni combureretur, quos ipse veram fidem petentes in perfidiam declinavit, ignemque caritatis ad gehennæ ignem detorsit. (Jord. c. 27 seqq.) Post tanti gloriam trophei Wisigothæ Traciam Datiamque Ripensem potiti, tamquam solum genitale cœperunt incolere, donec Theodosius, Hyspani Theodosii filius, a Gratiano imperatore electus et in orientali principatu loco Valentis patrui sui subrogatus est. Qui acer ingenio et virtute atque concilio clarus, dum disciplinam militarem exerceret, ignavia et desidia priorum principum exclusa : Gothus, ut sensit, pertimuit, militesque Romani sub meliori principe fiduciam accipientes, Gothos impetere temptant, eosque a finibus Traciæ expellunt. Post hæc. Theodosio pene usque ad desperationem ægrotante, datur iterum Gothis audacia, divisoque exercitu, Fridigernus ad predandam Thessaliam et Achaiam digressus est, Alatheus vero et Saphrach Panoniam petierunt. Quod cum Gratianus audisset, qui tunc a Roma in Gallias [825] secessit, mox collecto exercitu ad eos venit, nec tamen armis fretus, sed gratia et muneribus eos victurus; nam fœdus cum eis iniit, et victualia illis concessit. Theodosius vero convalescens, cum reperisset Romanos et Gothos fœdus pepigisse, grato animo accepit, et ipse cum Athalarico, qui Fridigerno successit in regno, fœdus percussit, eumque Constantinopolim invitavit. Qui omnino libenter acquiescens, dum regiam urbem ingrederetur et a Theodosio cum omni jocunditate et affectione susciperetur, videns ædificiorum magnificentiam et exornati quasi ad diem festum populi frequentiam, urbis situm naviumque commeatum, ac deinceps imperatoris regiam ingrediens, et obsequia diversaque officia conspiciens, valde ammiratus : *En*, inquit, *cerno, quod sepe incredulus audiebam; sine dubio deus terrenus est imperator, et si quis adversus eum manum moverit, ipse sanguinis sui reus erit.* In tali ergo ammiratione majori honore a principe suffultus, paucis mensibus interjectis, rebus excessit humanis. Quem princeps affectionis gratia pene plus mortuum quam vivum honorans, ipse in exequiis feretrum ejus precessit, dignæque illum sepulturæ tradidit. Quod videns cunctus ejus exercitus, in servitio Theodosii pro tanta ejus benignitate perduravit, Romanoque se subdens imperio, velut unum corpus cum militibus Romanis efficitur, militiaque illa dudum sub Constantino fœderatorum revocata, et ipsi fœderati dicti sunt. E quibus imperator contra Eugenium tyrannum, qui occiso Gratiano Gallias

VARIÆ LECTIONES.

[819] dictum 9c. [820] *deest* 9c. [821] strigerentur 5. [822] lupicinio 4. 5. [823] qui 9c. [824] septentrionalis 5. [825] galliam 5.

occupavit, plus quam milia armatorum [826] fideles sibi et amicos intellegens adduxit, victoriamque potitus, ultionem exegit. Postquam vero Theodosius rebus excessit humanis, cœperunt filii ejus utramque rem publicam luxuriose vivendo ad nichilum deducere auxiliariisque [827] suis Gothis consueta dona subtrahere; mox Gothis fastidium eorum crevit, verentesque ne longa pace eorum se solveret fortitudo, ordinaverunt super se regem Alaricum, cui erat post Amalos [828] secunda nobilitas Balthorumque ex genere origo mirifica, quorum primus dudum ab audacia virtutis Baltha, id est audax, inter suos nomen acceperat. Mox igitur Alaricus cum suis deliberans, suasit eis, suo potius [829] labore regnum querere quam alieno exercitui per odia subjacere; sicque per Pannoniam intravit Italiam, nulloque penitus obsistente, applicuit ad pontem Candidiani, qui tercio miliario erat ab urbe regia Ravenna, cujus dudum possessores, ut tradunt majores, Enethi, id est laudabiles, dicebantur. In cujus vicinitatem cum Wisigotharum applicuisset exercitus, Alaricus legationem misit ad Honorium, filium Theodosii, qui tunc ibi erat, ut daret ei locum [830], in quo cum exercitu suo habitare posset. Qui concessit ei Galliam et Hyspaniam, quas Geisericus rex Wandalorum jam pene vastavit. Quo cum tenderent Gothi, in quodam loco aliquandiu morati sunt. Tunc Stilicho comes et patricius, socer Honorii imperatoris, subito irruit super eos in ipsa sacratissima die paschæ, nichil mali suspicantes, et multos ex illis occidit. Primum quippe perturbati sunt Gothi, sed mox, recollectis viribus, arma corripiunt, multosque de exercitu Stiliconis occidentes, ceteros in fugam convertunt, et in magnam iram excitati, jam in Gallias pergere nolunt; sed furibundo animo cœptum iter deserentes, in Liguriam, quam jam transierant, revertuntur, eamque spoliantes, Æmiliam pariter et Flaminiam devastant, et per Tusciam usque ad Romam discurrentes, quicquid ex utroque latere fuit, in predam diripiunt, Romamque venientes, apprehenderunt eam et devastabant et incendebant. Jussit tamen Alaricus, ut si quis in loca sancta confugeret, nichil mali pateretur, et quamvis civitas predaretur, nemo tamen occideretur. Capta est autem Roma ab Alarico rege Gothorum post annos 1144 ex quo facta est. Exeuntes autem Gothi ab Urbe, per Campaniam et Lucaniam Brutiamque perrexerunt; et cum vellent transire in Siciliam, multi ex eis in mari perierunt. Alaricus vero dum deliberaret quid ageret, subitanea morte apud Consentiam defunctus est. Quem sui nimia dilectione lugentes, Vasentem fluvium de alveo suo derivaverunt, regemque suum Alaricum in medio fluminis cum divitiis multis sepelientes, ipsum flumen in alveum suum reduxerunt, et ne locum ipsum [831] aliquis postea sciret, captivos qui illum averterant omnes occiderunt; Athaulfum vero, Alarici consanguinem, super se regem constituerunt. Qui redieus Romam, quicquid remansit, more locustarum erasit, nulloque resistente, tulit sororem Honorii Placidiam, filiam Theodosii imperatoris, eamque sibi in conjugio copulavit. Quæ cum blandimentis animum viri flecteret ut pacem cum Romanis haberet, Gallias tetendit, vicinisque gentibus perterritis, et Wandalis inde in Hispaniam fugatis, tercio anno postquam Gallias et Hyspanias perdomuit, fraude suorum interfectus est. Post quem Segericus regnum accepit; sed et ipse a suis occisus [832], vitam cum regno reliquit. Dehinc jam quartus ab Alarico rex constitutus est Vallia, nimium prudens; contra quem Honorius imperator Constantium, virum industria militari pollentem, direxit, promittens ei, si sororem suam Placidiam sive pace sive quocumque modo reduceret quod eam sibi conjugem daret. Quo placito, Constantius ovans cum armatorum copia Hyspanias petiit, cui Vallia non minori procinctu occurrit; sed ab utraque parte legatione directa, ita convenit, ut sororem principi redderet suumque adjutorium Romanæ rei publicæ non denegaret. Duodecimo anno [833] regni Valliæ, quando et Huni post quinquaginta annos a Romanis et Gothis ab invasa Pannonia expulsi sunt, videns idem Vallia, Wandalos in suis finibus esse cum temeritate, contra eos movit exercitum, expulsosque in Africam, vellet eos etiam ibi persequi, nisi casus, qui dudum Alarico illuc tendenti contigerat, eum revocasset. Defuncto Vallia, Theodericus regnum accepit, ad quem, ut supra dictum est, Herimundus, filius Thurismundi, nepotis Ermenrici, spreto regno Ostrogotharum propter Hunorum dominium, se contulit.

(*H. R.* et *H. m.*) Inter hæc regnantibus Marciano in Oriente et Valentiniano in Occidente, Attila, rex Hunorum omnium et solus regnator pene cunctarum Scythicarum gentium confisus in multitudine fortissimarum gentium, quas sibi subjugaverat Macedoniam et Mœsiam, Achaiam et utramque Datiam, Traciam et omne pene Illiricum devastaverat, posuitque in animo suo, venire ad dissipandum occidentale imperium, hoc est Romanum. Erat namque sub ejus potestate nominatissimus Gepidarum rex [834] Hardericus, eminentior ipso cui serviebat, et Ostrogotharum rex Walamir cum fratribus suis Dietmaro et Witimaro [835], necnon fortissimæ gentes, Marcomanni, Suevi, Quadi, Heruli, Turcilingi, Rugi et aliæ barbaræ gentes, quæ habitabant in partibus aquilonis. Hi omnes erant in adjutorio ejus, eratque numerus exercitus ejus milia quingenta. Horum omnium Attila superbus imperio, primas mundi gentes, Romanos scilicet et Wisigothas, subdere sibi preoptabat, et quamvis speraret se facere posse quod vellet per virtutem tantarum gentium, tamen et per astutiam vincere querebat. Timens enim, ne Gothi, qui intra Gallias habitabant, jungerentur Ro-

VARIÆ LECTIONES.

[826] armatos s. f. 5. [827] auxiliariisque 5. [828] Hamalos 9d. [829] p. s. 5. [830] *deest* 9c. [831] i. l. 5. [832] o. est 9c. [833] *deest* 5. 9c. [834] r. g. 5. [835] withmaro 9c.

manis in adjutorium, cum esset nimis astutus et subtilis, misit nuncios ad Valentinianum, nullatenus se adversum [836] Romanos hostiliter venire nec publicæ rei amicicias in aliquo se velle violare, sed contra Theodericum Wisigotharum regem sibi certaminis causas existere (cf. Jord.). Similiter misit et ad Theodericum, non sibi pugnam esse adversum Gothos, sed contra Romanos, seque satis studere pacem cum Gothis habere. Hoc autem per astutiam [837] fecit in dolo, ut, si Romanos Gothosque ab invicem divideret, hos et illos postea facile vinceret. Aecius autem patricius, qui tunc militiæ preerat, intelligens astutiam et dolos Attilæ, misit ex persona Valentiniani [838] imperatoris legatos ad Theodericum regem Gothorum, qui illo in [839] tempore apud Tolosam regnabat, ut pacem firmaret cum illo. Consensit in hoc Theodericus, pacemque cum Aecio firmavit, seque cum eo contra Attilam pugnare promisit. Fuerunt autem in auxilio Aecii patricii Burgundiones, Franci, Alani, Saxones, Ripatioli, Briones, Sarmatæ, Armoriciani, Luticiani [840]. Producitur quoque a rege Theoderico Wisigotharum multitudo innumerabilis. Quatuor namque filiis suis domi dimissis, Friderico scilicet, Eurico [841], Retemire et Innerico, duos tantum majores secum assumit, Thurismundum et Theodericum. Conveniunt itaque in campos Catalaunicos, qui et Mauriaci nominantur, centum leuvas [842], ut Galli mensurare solent, in longum tenentes et septuaginta in latum, quæ fiunt in longitudine miliaria centum quinquaginta et in latitudine miliaria centum quinque. Una enim leuva [843] Gallica mille quingentorum passuum quantitate mensuratur. (Jord. — *H. R.* — *H. m.*) Cumque ad locum venissent ubi jam pugnare debuerant, interrogavit Attila divinatores suos quid sibi de ipsa pugna protenderent. (Jord.) Qui more solito nunc fibras pecorum, nunc quasdam venas in abrasis ossibus intuentes, Hunis infausta pronunciant, scilicet Attilam non habiturum victoriam. Hoc tamen quantulumcumque predixere solatii, quod summus de parte hostili ductor in certamine occumberet. (*H. R.* — *H. m.*) Attila vero cum hoc de interitu Aecii, cujus mortem [844] sitiebat, denunciare putaret, non dubitavit, vel cum suorum perditione bellum committere, dummodo Aecium, suis moribus fortiter obsistentem, posset extinguere. Committit itaque pugnam circa horam diei nonam, jam in vesperum die vergente, ut, si superaretur, ab hostibus imminentis noctis se tenebris occuleret. Conveniunt itaque hinc et inde nationes fortissimæ, conseruntur acies, fit bellum acre nimis et pertinax, quale vix ulla [845] narratur hystoria; nec ante præliandi ardore quieverunt, quam nox superveniens pugnandi facultatem eis adimeret. Eo siquidem prælio 170 milia hominum cæsa [846] referuntur, tantumque sanguinis effusum esse, ut parvulus rivulus qui ibi labebatur, sanguine occisorum subito auctus, cadavera peremptorum secum traheret. Attilam sane de morte Aecii sua fefellit suspicio; nam Theodericus rex Wisigotharum occubuit. Aecius sanus evasit. In quo prælio quamvis neuter cessisset exercitus, constat tamen Attilam fuisse superatum. (Jord. c. 40.) Tunc Wisigothæ [847] dividentes se ab Alanis, invadunt Hunorum catervam, et pene Attilam trucidarent, nisi providus ante fugisset et se suosque ilico intra septa castrorum, quæ plaustris vallaverant, reclusisset. Sic ergo quamvis fragili munimine, eo tamen quesierunt [848] subsidium vitæ, quibus paulo ante nullus poterat muralis agger obsistere. Altera vero die intra plaustrorum munimenta se continens, Attila cum egredi non auderet, nec tamen tubis et clamore perstrepere, quasi incursionem minitans, non cessaret, ut victores suos inclusus turbaret, Thurismundus Theoderici regis filius, de paterna dolens [849] occisione, statuit, Attilam coartare obsidione eumque cum suis ad internicionem delere. (*H. R.* — *H. m.*) Tunc Attila de vita desperans, ex equitatoriis sellis ingentem pyram exstruxit, ut, si forte Gothi imminerent, subposito igne, ipse ascenderet seseque cremaret, ne aut quisquam de ejus vulnere gauderet, aut rex tantarum gentium in potestatem hostium deveniret. Aecius vero, metuens, Attila peremptо, Romanos postea impune a Gothis deprimi, nec deinceps adversum Gothos, si necessitas incumberet, auxilium inveniri, Thurismundo, quasi rebus ejus consulens [850], persuasit, ut domum quantocius reverteretur regnoque paterno potiretur, ne, si ab ejus germanis invaderetur, ipse omnino privaretur, essetque sibi acerbius postea cum suis decertare quam cum alienis dimicare. Hoc ille consilium quasi pro sua salute prolatum libenter amplectens, domum rediit, regnumque paternum accepit. Ceterum Aecius talia machinatus est, ut Attilam ab ejus impressione subduceret, ea intentione qua predictum est, heu nescius, quantum hac provisione detrimentum patriæ, dum avertere cupit, ingessit. Nam Attila cernens hostes, se relicto, ad propria remeasse, erectis animis, Pannoniam repedavit, multum potiorem coacervans exercitum, Italiam demum furibundus intravit, ac primum Aquileiam, in ipso Italiæ positam principio [851], expugnare aggressus est. Quam continuo triennio obsidens, cum adversus eam, civibus strenue repugnantibus, nil prevaleret, jamque murmur sui exercitus, penuriam famis tolerare non valentis et discedere cupientis, audiret, die quadam circuiens civitatem, ut ex qua parte posset eam facilius expugnare inquireret, cernit repente aves in ædificiorum fastigiis nidificare solen-

VARIÆ LECTIONES.

[836] adversus 5. [837] p. a. *des.* 9c. [838] Valentini 5. *corr.* Valentiniani 10. [839] *deest* 9c. [840] luciani 9c. [841] et e. 9c. [842] leugas 4. 9c. [843] leuga 9c. [844] *deest* 9c. [845] in ulla 9c. [846] *deest* 9c. [847] et w 9c. [848] *deest* 9c [849] *leest* 9c. [850] consulturus 5. [851] a pr. 9c.

tes, quæ eiconiæ vocantur, uno impetu ex urbe migrare fetusque suos sublatos rostris forinsecus deportare, et ut erat sagacissimus, ait ad suos : *Aspicite aves futurorum prescias perituram civitatem relinquere casurasque arces periculo imminente deserere.* Statimque adhibitis machinis, hortatur suos, acriter urbem impugnat. ac sine mora capit; diripiuntur opes, captivantur vel trucidantur cives; residuum direptioni, subposito igne, flamma consumit. Plura dehinc ejusdem regionis castella immanis hostis, extinctis vel captivatis civibus, succendit ac diruit, Concordiam, Altinum sive Patavium, vicinas Aquileiæ civitates ; exinde per diversas Venetiarum urbes Huni bachantur, hoc est Veronam, Vincentiam, Brixiam, Pergamum seu reliquas, Mediolanum quoque Ticinumque pari sorte diripiunt, ab igne tamen abstinentes et ferro. Deinde Æmiliæ civitatibus similiter exspoliatis, novissime eo loco, quo Mincius fluvius Padum influit castra metati sunt. Ubi Attila consistens, dum animo fluctuaret, utrum Romam adiret, an desisteret, non Urbi, cui infensus erat, consulens, sed Alarici exemplum, qui captæ Urbi non diu supervixit, pavens, repente sanctissimus vir Leo papa per se ad eum accessit. Qui cum ad regem barbarum introgressus esset, cuncta ut optaverat obtinens, non solum Romæ, sed et totius Italiæ salutem reportavit. Territus namque fuerat Attila nutu Dei, nec aliud Christi sacerdoti loqui valuit, nisi quod ipse preoptavit. Ferunt itaque, post discessum pontificis interrogatum fuisse Attilam a suis, cur ultra solitum morem tantam reverentiam Romano pontifici exhibuerit, illumque respondisse, non se illius personam qui advenerat reveritum fuisse, sed alium virum juxta eum in sacerdotali habitu adstantem vidisse, qui forma augustior canicieque venerabilior, evaginato gladio mortem sibi minaverit, si non omnia quæ ille expetebat impleverit. Igitur Attila tali modo a sua sevicia repressus, relicta Italia, Pannonias repetivit. Ad quem Honoria, Valentiniani principis germana, dum a fratre ob decus pudicitiæ districte servaretur, suum direxit eunuchum, quatinus eam sibi a fratre deposceret in matrimonium. Qui accepto nuncio, cum jam Italiæ fines excessisset, nec statim fatigato exercitu regredi potuisset, mandat Valentiniano imperatori, pejora proxime se illaturum Italiæ, si mox sibi germanam suam cum regalium opum portione non transmisisset. Reversus autem ad proprias sedes, super plures quas habebat uxores puellam quandam valde speciosam sibi conjunxit. Ob cujus nuptias profusa exercens convivia, dum tantum vini quantum antea nunquam [852] in semel bibisset, dormiensque supinus jaceret, nimia sanguinis eruptione, qui ei de naribus effluere solebat, suffocatus est. Eadem nocte apud Constantinopolim Marciano imperatori arcus Attilæ fractus in somnis ostenditur, quo scilicet armorum genere gens illa maxime utebatur. (Jord. c. 49.) Sequenti vero luce, cum magna diei pars exacta fuisset, ministri regis post clamores maximos fores effringunt, inveniuntque Attilam sine ullo vulnere, sanguinis effusione mortuum, puellamque demisso vultu sub velamine lacrimantem. Tunc, ut illi genti mos est, crinium parte truncata, informem faciem turpavere vulneribus, ut præliator eximius non femineis lamentationibus sed agmine lugeretur virili. Cujus exequiæ multis plausibus a sua gente honoratæ sunt. In mediis siquidem campis intra tentorium sericum collocato, de tota gente Hunorum electi equites cursibus illud ambientes, cantum funereum celebrant, deinde strabam, quam sic vocant, super tumulum ejus ingenti commessatione celebrantes, et contraria invicem sibi copulantes, luctum funereum mixto gaudio explicabant, nocteque secreta cadaver terræ commendabant. Cujus ferculam primum auro, secundo argento, tercio ferri rigore communiunt, tali argumento significantes, potentissimo regi omnia convenisse, ferrum, quia gentes edomuit, aurum et argentum, quod utriusque rei publicæ ornamenta accepit. Addunt etiam arma hostium cædibus acquisita, faleramenta vario gemmarum fulgore preciosa diversique generis insignia, quibus colitur aulæ decus. Et ut tantis divitiis humana curiositas arceretur, huic operi deputatos detestabili mercede trucidarunt.

Post hæc inter successores Attilæ de regno exorta est contentio, et dum inconsulte imperare cupiunt, omnes simul imperium perdiderunt. Nam filii ejus, quorum per licentiam libidinis pene populus fuit, gentes sibi dividi sorte poscebant, ut instar familiæ bellicosi reges cum populis mitterentur in sortem. Ut autem Gepidarum rex Hardericus hoc comperit, indignatus contra filios Attilæ primus insurgit, illatumque serviendi pudorem secuta felicitate detersit, nec solum suam gentem sed et ceteras gentes, quæ pariter premebantur, sua discessione absolvit, quia facile omnes appetunt, quod pro cunctorum utilitate temptatur immutatum. Igitur armantur, bellumque committunt in Pannonia, juxta flumen cui nomen est Neoda; illic [853] concursus factus est gentium variarum, quas Attila in sua tenebat ditione. Post multos ergo conflictus favit Gepidis[854] inopinata victoria; nam triginta fere milia tam Hunorum quam aliarum gentium, quæ Hunis ferebant auxilium, Hardericus peremit, filiumque Attilæ majorem natu, nomine Hellam, occidit, quem pater super ceteros in tantum fertur amasse, ut eum cunctis aliis suis liberis in regno vellet preferre. Quo interempto, reliqui ejus germani cum Hunis fugantur juxta litus maris Pontici, ubi prius fuisse leguntur Gothi. Hæc causa Harderici felix fuit in diversis nationibus, quæ Hunorum regimini famulabantur invitæ, earumque animos diu mœstissimos ad hylaritatem libertatis vo-

VARIÆ LECTIONES.

[852] n. a, b. [853] illuc 9c. [854] *deest* 9c.

tivæ arrexit. Venientes ergo multi ex eis ad Marcianum principem, gratissime sunt ab eo suscepti, distributasque sedes, quas incolerent, acceperunt. Gepidi namque Hunorum sibi sedes viriliter vindicantes, totius Datiæ finibus velut victores potiti sunt, nichil aliud a Romano imperio nisi pacem postulantes; Sarmatæ vero et Cemandri et quidam ex Hunorum parte ad Maternam urbem Illirici sedes posuerunt, Scyri et Adagarii [855] Scythiam minorem et inferiorem Mœsiam acceperunt, Rugi aliæque [856] nationes nonnullæ Bizim et Archadiopolim petiere; Hernach quoque, junior Attilæ filius, cum suis extremas minoris Scythiæ sedem elegit Hemmezur et Bulzindur [857] consanguinei in Datia Ripensi Hedisco Halmoque potiti sunt, diversique diversa petierunt. Gothi vero videntes Gepidos Hunorum sedes sibi vendicare et Hunorum populum suas sedes antiquas occupare, maluerunt a Romano regno terras petere quam cum discrimine alienas invadere; Pannoniamque accepere, ibique sub rege Walamiro ejusque germano Dietmaro [858] morabantur, quamvis locis divisis, consilio tamen unitis. Nam Walamir inter Scarniungam [859] et Aquam Nigram, Dietmarus juxta locum [860] Pellois habitabat, Witimar cum utroque manebat. Contigit autem, ut Attilæ filii contra Gothos, quasi desertores dominationis eorum, venirent, ignarisque aliis fratribus, super Walamirum solum irruerent. Quos tamen quamvis cum paucis ille excepit, diuque fatigatos ita prostravit, ut vix aliqua eorum pars remaneret. Eo tempore cum pro gesta re ad fratres suos Dietmarum et Witimarum direxisset nuncium, veniens nuncius in domo Dietmari, majus invenit gaudium; ipso siquidem die Theodericus, filius ejus, quamvis de concubina, bonæ tamen spei puerulus, natus erat. Post tempus ergo non multum [861] rex Walamirus et ejus fratres Dietmarus et Witimarus dum consueta dona tardarent a principe Marciano accipere, et fœdera tamen pacis custodirent, missi ab eis legati [862] ad imperatorem, videbant Theodericum, Triarii filium, genere quidem Gothico, sed de alia stirpe quam Amalorum procreatum, omnino cum suis florentem et Romanorum amiciciis utentem, se vero omnino despici; domi hæc renunciant, moxque Gothi, furore commoti, arma corripiunt, et Illiricum pene totum predando devastant. Sed Marciano imperatore defuncto, cum regnum acciperet Leo, mox (227) ad pristinam cum Gothis amiciciam recurrit, et tam preterita quam presentia munera tribuit, et pacis obsidem Theodericum infantulum, Dietmari filium, accepit, qui jam annum octavum intravit. Quem dum pater dare tardaret, patruus Walamir promittit, ut exinde pax stabilior inter Romanos et Gothos maneret. Igitur Theodericus obses ducitur ad urbem [863] Constantinopolitanam, et quia parvulus elegans fuit, imperialem gratiam promeruit. Postquam [864] ergo firma pax inter Romanos et Gothos facta est, videntes [865] Gothi sibi non sufficere quæ ab imperatore acceperant, simulque solitam cupientes ostentare virtutem, cœperunt vicinas depredari [866] gentes, primumque contra Satagos, qui interiorem Pannoniam possederant, arma moverunt. Quod ubi rex Hunorum Dinzich, filius Attilæ [867], cognovit, collectis quos adhuc habebat, quamvis paucos, Pannoniam depredari cœpit. Quo comperto, Gothi ubi erant expeditionem solventes, quam contra Satagos habebant, in Hunos convertunt, sicque eos finibus suis inglorios expellebant, ut ex illo tempore qui remanserant Huni Gothorum arma pertimescant. Quiescente jam tandem Hunorum gente a Gothis, Chunimundus rex Suavorum [868] cum suis invadens fines Dietmari, fratris Walamiri regis Gothorum, eos depredatur, omniaque abducens armenta, in terram suam revertitur. Dietmar vero non tantum jacturam armentorum dolens quantum metuens ne Suavi, si hoc impune lucrarentur, ad majorem licentiam prosilirent, sic vigilavit in eorum transitu, ut intempestæ noctis silentio dormientes invaderet ad lacum Pellois, consertoque inopinato prælio, ita eos obpressit, ut etiam ipsum regem Chunimundum captum cum superato exercitu Gothorum servituti subdiderit. Sed dum esset multum misericors, facta ultione, veniam eis condonavit, reconciliatusque cum Suavis, eundem quem ceperat adoptans sibi in filium, remisit in Suaviam cum suis. Ille autem, paternæ immemor gratiæ [869], post aliquot tempus dolo concepto, Scyros, qui tunc super Danubium considebant, incitavit, ut in unum collecti gentem Gothorum invaderent. Tunc Gothis nichil mali susspicantibus ab amicis vicinis bellum insurgit, et, improvisa coacti necessitate, ad arma confugiunt, arreptoque certamine, se suamque ulciscuntur injuriam. In eo siquidem prælio rex Gothorum Walamir, dum ad hortandos suos equum ascenderet et ante aciem procurreret, proturbatus equus corruit sessoremque suum dejecit. Qui mox inimicorum lanceis vulneratus, interemptus est. Gothi vero tam regis sui mortem quam suorum vindicantes injuriam, sic omnes extinxerunt, ut pene de gente Scyrorum nullus remaneret, nisi qui istud nomen cum dedecore ferrent. Iterum Chunimundus cum Suavis, fretus auxilio Sarmatarum et reliquiis Scyrorum, simulque ex Gepidis Rugisque non parvis solatiis collectis, bellum intulit Gothis. Gothi

VARIÆ LECTIONES.

[855] adagatarii 9c. [856] atque aliæ 5. [857] birzindur 9c. [858] edicthmaro fratre m. 9c. [859] scaniungam 9c. [860] *ita codd. pro* lacum. [861] longum 9c. [862] m. l. ab eis 5. [863] ad u. *desunt* 9c. [864] post 9c. [865] v. autem 9c. [866] depredare 9c. [867] attalæ 5. [868] suevorum 4. 9c. 10. 11. *semper*. [869] g. i. 5.

NOTÆ.

(227) Ita Jord. de Marciano.

vero, defuncto Walamiro, ad fratrem ejus Dietmarum confugiunt, eumque regem constituunt. (Jord. c. 54 sqq.) Qui quamvis dudum cum fratre regnasset, auctioris [870] tamen potestatis insignia sumit, bellique parte coactus, cum fratre Witimaro ad arma prosiliit, consertoque prælio, superior facta est pars Gothorum, adeo ut campus corruentium inimicorum cruore madefactus ut rubrum pelagus appareret, armaque et cadavera plus quam decem millium, in modum collium cumulata, campum replerent. Inde victor ad proprias sedes revertens Dietmarus cum Gothis, Theodericum filium suum, quem obsidem dederat, a Leone imperatore remissum cum magnis muneribus, gratanter suscepit. Qui cum jam decem et octo annorum esset, ex satellitibus et ex populo patris elegit sibi pene sex milia virorum, cum quibus patre inscio, permenso Danubio, Sarmatarum regem incurrit, eumque interemit, familiamque ac censum depredans, ad genitorem suum cum victoria rediit. Singidunum dehinc civitatem, quam idem Sarmatæ possidebant, invadens, non Romanis sed suæ subdidit ditioni.

Deficientibus dehinc vicinarum gentium spoliis, cœpit et Gothis victus vestitusque deficere, et hominibus, qui dudum bello vivebant, pax cœpit esse contraria, omnesque cum magno clamore ad Dietmarum accedentes, orant, ut in quamcumque partem [871] vellet exercitum duceret, quia diutius ibi manere non posset [872]. Qui accito germano sortem misit, et Witimaro Italia, Dietmarum Illiricum populandum obvenit. Relicta igitur Pannonia, alter Italiam, alter Illiricum suscepit: sed Witimar mox ut Italiam intravit, rebus humanis excessit, regnumque filio suo sibi æquivoco reliquit. Quem Licerius, qui tunc forte imperavit, muneribus datis ad Galliam transtulit, ut per Wisigothas, parentes suos, regnaret. Witimar, acceptis muneribus a Licerio, Galliam tendit, seseque parentibus Wisigothis jungens, unum corpus cum eis efficitur, et sic Galliam Hispaniamque tenens, suo jure defendit, ut nullus sibi alius prevaleret. (C. 43-47.) Wisigothis vero post Theodericum, qui in bello, quod Romani et Wisigothæ cum Attila Hunorum rege fecerunt, occubuit, filius ejus Thurismundus prefuit. Quo defuncto; Theodericus, frater ejus, in regnum successit, ipsoque 13° regni sui anno decedente, item frater eorum Euricus regnum assumens, 19° anno vita regnoque privatus est, relinquens filium regni successorem, nomine Alaricum, qui nonus ab illo magno Alarico regnum adeptus est Wisigotharum.

(C. 58.) Dietmar vero transiens Saum amnem, Sarmatis bellum intentavit, si quis sibi obstaret, illisque quiescentibus nec ad tantam multitudinem prevalentibus, transit in Illiricum, et ubique prospere agens multasque civitates sibi subjiciens, Thesalonicam petiit, in qua Helarianus patricius a principe directus cum exercitu morabatur. Qui dum videret, Thesalonicam vallo muniri, nec se posse conatibus eorum resistere, missa legatione ad Dietmarum regem cum muneribus, rogavit, ut ab excidio urbis detorqueret, initoque fœdere Romanus ductor cum Gothis, loca quæ incoluerant jam sponte tradidit eis, ibique Gothi cum rege suo, depositis armis, in pace quieverunt. Nec diu postea rex Dietmarus ægritudine occupatus, vocatis ad se Gothis, Theodericum filium suum regni heredem fecit, et ipse mox [873] rebus humanis excessit.

(*H. R.* et *H. m.* Cf. Jord.) Eo tempore regnum orientale Zeno imperator habebat. Qui audiens Theodericum gentis suæ regem esse, grate [874] suscepit, eumque ad se Constantinopolim venire precepit, digneque susceptum inter proceres palatii collocavit, et post aliquod tempus in filium sibi adoptans, consularibus fascibus, quæ dignitas post imperiale fastigium prima est, cum sublimavit, nec solum hoc, sed etiam equestrem statuam ad famam tanti viri ante palatium suum ei constituit. At vero, dum hujuscemodi delitiis Theodericus apud Constantinopolim fluitaret, gens illius, id est Ostrogothæ, dum eis propter fidei sanctionem predas agere more solito non liceret, nec tamen ab imperatore oblata stipendia sibi sufficerent, non minima coacti penuria, compositum fœdus execrantur, inutilem factionem vituperant, mittuntque continuo ad Theodericum, qui dicerent, quas inopiæ miserias ipsi sustinerent, dum ille Grecorum epulis superflueret, hortanturque, ut, si suis sibique consulere velit, citius redeat, quatinus, ne [875] cuncta gens pereat et ubi novas ad habitandum terras exquirant, provideat. Ante non plures autem annos Odoacar [876] quidam exiens ab extremis finibus Pannoniæ cum fortissima Herulorum multitudine, fretus insuper Turcilingorum sive Scyrorum auxiliis, Italiam venit, nulloque resistente, totam Italiam Romamque occupavit, et per 14 annos ibi regnavit. Theodericus vero, cognitis suorum querimoniis, ad augustum Zenonem accedit, penuriam questusque suorum exponit, absolutionem efflagitat, Italiam sibi dari expostulat, adjiciens, quia si [877] superare posset Odoacarem Italiamque obtinere, ad ejus gloriam redundaret a quo directus fuisset, sin bello superatus foret, nichilominus lucris ejus accresceret, quandoquidem cotidianorum stipendiorum exactoribus careret. Talia Zeno audiens, licet ægre ferret ejus discessum, deliberato tamen consilio, rei publicæ utilitati prospiciens, ejus petitionibus annuit, Italiamque illi tribuens, senatumque ac populum Romanum ei committens, magnis ditatum muneribus abire permisit. Egressus igitur a Constantinopoli Theodericus, ad Ostrogothas revertitur, hortaturque eos continuo, ut quam primum parati sint et quasi possessuri Italiam proficiscantur. Qui cum omnes

VARIÆ LECTIONES.

[870] amplioris 9c. [871] quacumque parte 9c. [872] possent 5. [873] *deest* 9c. [874] gratulans 9c. [875] nec 9c. [876] odoaccar 4. 5. 9c. 10. *semper; sed* 1. *postea* odoacar *scribit*. [877] quasi *codd.?*

læti obœdirent, profectus cum omni multitudine Ostrogotharum et cum omni subpellectili, prusquam ad Italiam perveniret, Trapestilam Gepidarum regem, insidias sibi molientem, bello superans, extinxit, Busan quoque Bulgarorum regem cum suis agminibus prosternit. Deinde veniens Italiam, primumque juxta Sonuum fluvium, qui non longe ab Aquileia labitur, castra componens, cum ad reficienda corpora hominum et jumentorum, pro longitudine itineris fessa, resideret, cum magno exercitu totisque Italiæ viribus Odoacar ei occurrit. Quem Theodericus alacriter excipiens, magno superatum prælio in fugam convertit. Exinde movens exercitum, cum Veronam venisset, iterum adversus eum Odoacar non minori sese belli apparatu obponit. Contra quem Theodericus haut procul a Verona confligens, summa ejus exercitum clade contrivit. Qui dum fugæ metu in Atesim fluvium se precipites mergunt, ex magna parte rapidissimis gurgitibus ejus implicati suffocantur. Theodericus vero dum ipso impetu subsequitur fugientes, Veronam ilico, civibus pavore consternatis [878], invadit. Odoacar autem cum his qui evaserant fugiens, Romam contendit, sed obseratis continuo portis, exclusus est. Qui cernens, introitum sibi denegari, omnia quæ attingere potuit gladio flammaque consumpsit, Ravennamque ingressus, munitionem sibi preparavit. Theodericus autem a Verona digrediens, Mediolanum pervenit, et dum ibi consisteret, magna ad eum multitudo militum pluresque Italiæ populi convenerunt, sed paucis interjectis diebus rursus dediticius exercitus, Tustra quodam nomine instigante, Odoacaris partibus se reddidit. Quæ res Theodericum in tantum perterruit, ut se suumque exercitum apud Ticinensem urbem, quæ nunc Papia dicitur, communiret. Talium rerum varietates Gundebaudus Burgundionum rex aspiciens, Liguriam cum ingenti exercitu intravit, cunctaque quæ reperire poterat, pro diripientium voluntate depredans, infinitam captivorum multitudinem secum ad Gallias duxit. Theodericus itaque aliquandiu intra munitiones exercitum retinens [879], demum relictis ibi [880] sororibus et matre universaque vulgi multitudine, nichil plane dubius de fide Epyphanii viri sanctissimi, ejusdem civitatis episcopi, cum expeditis armatorum cuneis ad obsidendum Odoacarem Ravennam perrexit. Cumque in eo loco qui Pinetum dicitur non procul ab urbe castra posuisset, per continuum pene triennium Odoacarem obsedit. Qui, cum frequenter nocturno tempore cum suis ex urbe egrediens, exercitum Theoderici inquietaret, novissime noctu irruens in castra, exercitum Theoderici magna strage prostravit (*H. R.*), sed Gothis fortiter resistentibus, ad extremum victus, in urbem confugit; nec multo post missa legatione, veniam supplicans, a Theoderico quasi in fide susceptus est, sed post ab eo truculente peremptus est. Egressis deinde a Ticino post triennium Gothis, eandem mox urbem invasere Rugi, cuncta per circuitum loca simulque civitatem per continuum biennium devastantes, cum adhuc beatissimus Epyphanius superesset, cujus sanctitate in tantis pericuiis cives sustentabantur afflicti. Hic a Theoderico Gallias ad Gundebaudum pro captivis redimendis directus, excepta innumera multitudine illorum pro quibus precium dedit, sex milia captivorum, ob solam sanctitatis suæ reverentiam sibi concessa, secum reduxit.

Igitur Theodericus, extincto apud Ravennam Odoacare, totius Italiæ potitus est ditione, nec multo post Romam profectus, a Romanis cum gaudio magno est susceptus. Quibus ille singulis ad subsidium victus centum viginti sex milia modiorum tritici concessit. (Jord.) Post hæc Theodericus ut sui regni vires constabiliret, missa legatione ad Clodoveum Francorum regem, filiam ejus Audofledam in matrimonium petiit, quam ille libenter concessit. (*H. R.* et Jord.) Amalfredam autem germanam suam Wandalorum regi Hunerico, Geiserici filio, conjunxit, ejusdemque Amalfredæ filiam Amalbergam Thuringorum regi Ermenfrido tradidit, filias vero suas, quas in Mœsia genuerat, Thiudegotam et Ostrogotham vicinis regibus copulavit, unam Sigismundo regi Burgundionum, alteram Alarico regi Wisigotharum. De quo Alarico natus est Amalricus. Quem avus suus Theodericus in annis puerilibus utroque parente orbatum dum nutriret, comperiens Beterici filium Eutharicum, Herimundi nepotem et Thurismundi abnepotem, de Amalorum stirpe descendentem, in juvenili ætate, prudentia in virtute corporisque integritate pollentem in Hyspania, ad se illum venire precepit, eique filiam suam Amalsuindam in matrimonium dedit, quæ Athalaricum ex eo genuit. Nec fuit aliqua vicina [881] gens Italiæ, quæ Theoderico aut conjunctionis affinitate aut pactionis fœdere non fuisset sociata, Zenone itaque augusto post decem et septem annos regni sui defuncto, Anastasius successit imperio, regnans per annos 27, Theodericus vero per idem tempus pacifice regnans in Italia, Romæ miranda fecit ædificia, et per singula quæque loca celebriora regia sibi construxit habitacula. Mortuo autem Anastasio et ipso heretico, Justinus imperium adeptus est. Qui dum esset orthodoxus, cernens in partibus Orientis illo adhuc tempore Arrianam heresim per singula loca vigere, pro ardore catholicæ fidei decertabat hereticos dissipare, sextoque imperii sui anno precepit, ut ubique hereticorum æcclesias catholici consecrarent episcopi. Hoc audiens Theodericus, Arriana lue pollutus, Johannem papam simulque cum eo Theodorum atque Agapitum, consulares viros, aliumque Agapitum patricium Constantinopolim ad Justinum imperatorem direxit, mandans illi minando, quia, nisi hereticis

VARIÆ LECTIONES.

[878] c. p. 5. [879] tenens 9c • ibi. r. 5. [881] g. vicina 5.

æcclesias suas quantocius redderet eosque in pace degere sineret, universos Italiæ populos ipse gladio extingueret. Qui pervenientes ad augustum, cum ab eo digne, ut competebat, suscepti essent, magnis cum fletibus postulabant, ut suæ legationis seriem, quamvis esset injusta, libenter exciperet et Italiæ perituræ consuleret. Quorum fletibus Justinus permotus, eis quod petebant concessit, Arrianosque suæ potestati dimisit. Cumque hi in itinere demorarentur, Theodericus rabie iniquitatis suæ stimulatus, Simmachum patricium et Boetium senatorem et exconsulem gladio trucidavit.

His quoque diebus extincto a Francis Alarico Wisigotharum rege, Theodericus per Hibbam comitem suum plus quam 30 milia Francorum cædens, post mortem Alarici generi [882] sui, Thiodem, armigerum ejus, tutorem Amalrici nepotis sui constituit. Johannes vero papa rediens a Constantinopoli, cum sociis itineris sui venit ad Theodericum Ravennam. Ille vero per maliciam impietatis et crudelitatis suæ, pro eo quod a Justino, catholicæ fidei defensore, honorifice suscepti essent, carceri eos mancipavit et famis afflictione interfecit. Sed hanc immanissimam ejus crudelitatem divina mox animadversio secuta est; nam nonagesimo nono post hoc facinus die subita morte defunctus est. Cujus animam, ut sanctus Gregorius in dialogo scribit, solitarius quidam vir magnæ virtutis apud Lipparam insulam vidit inter Johannem papam et Simmachum patricium discinctum et discalciatum deduci et in ollam Vulcani demergi. (Jord.) Ante tamen, cum adhuc valeret, sed jam senior, convocans Gothos et gentis suæ primates, Athalaricum, Amalsuindæ filium vix decem annorum, regem constituit, exhortans suos, ut regem colerent, senatum populumque Romanum amarent, principem Orientis placatum semper et propicium habere curarent. (*H. R.* et Jord.) Quo defuncto, Gothi, ut precepit Theodericus, Athalaricum cum matre sua preficiunt regno, hoc quod preceptum erat custodientes, quam diu Athalaricus et mater ejus vivebant, qui pene per octo annos regnabant. Justino autem augusto post octo imperii sui annos defuncto, Justinianus, sororis ejus filius, successit imperio. Cui Athalaricus tam suam adolescentiam quam matris viduitatem commendavit, sed brevi post tempore humanis rebus excessit. Tum maternæ sexus fragilitatem Gothi dum spernerent, secum deliberans, ipsa Theodatum consobrinum suum germanitatis gratia accersitum a Tuscia, ubi privatus in propriis laribus vivebat, in regno locavit. Qui post aliquantum tempus, immemor consanguinitatis et beneficii, a palatio eam abstractam in insulam laci Vulsini relegavit, ubi paucissimos dies in tristicia degens, ab ejus satellibus in balneo strangulata est. Quod audiens imperator, magna ira contra Theodatum accensus est. (*H. R.*) Sentiens autem hoc Theodatus, beatum Agapitum papam direxit ad Constantinopolim, ut per eum gratiam imperatoris acquireret. Veniens autem pontifex ad imperatorem, cœpit habere colloquium [883] cum eo [884] de fide, et invenit eum doctrinam Euticetis habere. Quem cum pontifex pro errore increparet, ille minis eum aggressus est; sed in fide catholica papa immobilis stabat, et ad imperatorem dicebat: *Ego desideravi venire ad Justinianum imperatorem christianissimum, sed ut video, inveni Diocletianum.* Videns autem imperator constantiam ejus, ex voluntate Dei acquievit monitis illius; sed non multo post idem pontifex ibi defunctus est. Justinianus vero Bilisarium patricium, jam de Wandalis in Africa triumphantem, contra Theodatum [885] misit, ut et Italiam a servitio Gothorum liberaret. (Jord.) Veniente autem Bilisario in Siciliam, omnes qui ibi erant Gothi cum duce suo Sinderith ultro se Bilisario tradiderunt. Theodatus vero generum suum Evermundum cum exercitu misit ad custodiendum fretum, ubi est exitus de Sicilia; sed ille audiens eventum rerum in Sicilia, ultro se ad pedes advenientis [886] Bilisarii misit, Romanis optans servire principibus. Quod Gothorum sentiens exercitus, susspectum Theodatum a regno pellendum clamitat, et Witigem, qui ejus armiger erat, ad rebellandum in regnum elevat. Qui levatus in regnum, Romam ingreditur, premissisque Ravennam fidelissimis sibi viris, Theodatum occidi precepit, ipseque post paucos dies Ravennam veniens, Mathesuindam, Amalsuindæ filiam, vi sibi in matrimonium copulavit.

(*H. R.*) Bilisarius vero conceptas contra Theodatum belli vires in Witigem convertit, egressusque de Sicilia, Romam venit. Gothi autem qui ibi habitabant nocte egredientes Romam, portasque relinquentes apertas, fugerunt Ravennam. Witigis autem ut talia cognovit, cum magno exercitu Romam venit; sed Bilisarius, cernens non aptum sibi tempus ad pugnandum, quia fames magna eo anno obpresserat mundum, inclusit se infra Romam, positis custodibus, qui ex omni parte custodirent eam. Gothi vero omnia foris devastantes, cum per annum integrum obsiderent Romam, immisso super se terrore, fugerunt Ravennam. Iterum Witigis collecto exercitu venit contra Bilisarium in pugnam, commissaque pugna, multi ex parte Witigis mortui sunt, ipsumque fugientem Johannes militiæ magister insecutus, vivum apprehendit Romamque ad Bilisasarium duxit, quem ille secum Constantinopolim vexit. Quem videns Justinianus, gavisus est, et non post multum tempus fecit eum patricium, illeque ibi plus quam biennium moratus, defunctus est. (Jord.) Cujus uxorem Mathesuindam imperator dedit fratri suo Germano patricio, de quibus natus est filius nomine Germanus, in quo, conjuncta stirpe Aniciorum et Amalorum, spes utriusque generis et gentis posita est. (*H. R.*) Postquam autem Witigis captus est, Gothi Transpadani Heldebadum sibi regem constituunt, qui eodem anno interemptus est. Cui suc-

VARIÆ LECTIONES.

[882] generis 5. [883] c. h. 5. [884] eis 9c. [885] deodatum 5. [886] venientis 9c.

cessit Erarius, et ipse necdum expleto anno jugulatur. Dehinc Baduillam, qui et [887] Totila dicebatur, sibi preficiunt, moxque collecto undique exercitu, totam Italiam invaserunt. (*H. m.*) Exinde cum percurrerent Campaniam, idem Totila veniens ad cœnobium beati patris Benedicti, qui tunc in monte Cassino magnis virtutibus claruit, ab eo talia audivit : *Multa mala facis, multa fecisti, jam iniquitate compescere. Equidem mare es transiturus, Romam ingressurus, novem annis regnabis, decimo morieris.* Inde digrediens per Lucaniam, invadit Siciliam, indeque revertens, Romam petit, eamque obsidione concludit. Romanis itaque fame laborantibus nec mœnia diutius tueri valentibus, a porta Ostiensi Totila ingressus est. Volens autem parcere Romanis, per totam noctem clangere buccina jussit, quo se a Gothorum gladiis aut in æcclesiis tuerentur aut quibuscumque modis occulerent. Habitavit vero cum Romanis aliquantum temporis quasi pater cum filiis, sed hanc animi benignitatem ei, qui antea nimiæ crudelitatis erat, beati Benedicti ammonitio, ut conjici datur, conferebat. Elapsi sane ex Urbe quidam e numero senatorum Constantinopolim afflicti properant, quibus calamitatibus Roma subiceretur, principi narrant (Cf. P. D. II, 4.). Qui statim Narsetem eunuchum, cubicularium suum, Italiæ fecit exarchum, Romamque cum manu valida dirigit, ut afflictæ Romæ quantocius subveniret. Is ad Italiam veniens, legatos ad Alboin regem Longobardorum misit, qui tunc in Pannonia habitabant et Romanis amici erant, mandans ei, quatinus sibi pugnaturo cum Gothis auxilium ministraret. Tunc Alboin electam e suis magnam manum direxit. Qui per maris Adriatici sinum transvecti Romanisque sociati, magnum cum Gothis certamen inierunt. Quibus ad interitum pene consumptis, regem eorum Totilam, qui jam per [887] decem annos super eos regnaverat, Narses interfecit, et vestimenta ejus cruentata [888] cum corona, lapidibus preciosis ornata, regiam urbem misit, quæ jactata sunt ad pedes imperatoris coram senatu. Deinde urbes eorum duas munitas, id est Veronam et Brixiam, suscipiens, universam Italiam cum Romana civitate ad rei publicæ jura reduxit, et Longobardos honoratos cum magnis muneribus ad propria remisit. Qui omni tempore quo Pannoniam possederunt Romanis adversus æmulos adjutores fuerunt. Sic igitur famosum regnum fortissimamque gentem Gothorum diu regnantem, tandem post mille 40 [889] annos victor diversarum gentium Justinianus imperator et prius per Bilisarium et post per [890] Narsetem vicit, omnemque Italiam ab eorum servitute liberatam, pristinæ libertati restituit.

Hæc Jordanis quidam grammaticus, ex eorumdem stirpe Gothorum progenitus, de Getarum origine et Amalorum [891] nobilitate, non omnia quæ de eis scribuntur et referuntur, ut ipse dicit [892], complexus, exaravit, sed brevius pro rerum notitia huic opusculo inseruimus. His perlectis diligenterque perspectis, perpendat qui discernere noverit, quomodo illud ratum teneatur, quod non solum vulgari fabulatione et cantilenarum modulatione usitatur, verum etiam in quibusdam cronicis annotatur (v. *Chr. W.* supra col. 475), scilicet quod Ermenricus tempore Marciani principis super omnes Gothos regnaverit, et Theodericum, Dietmari [893] filium, patruelem suum, ut dicunt, instimulante Odoacare, item, ut aiunt, patruele suo, de Verona pulsum, apud Attilam Hunorum regem exulare coegerit, cum hystoriographus narret, Ermenricum regem Gothorum multis regibus dominantem tempore Valentiniani et Valentis fratrum regnasse, et a duobus fratribus Saro et Ammio, quos conjicimus eos fuisse qui vulgariter Sarelo et Hamidiech [894] dicuntur, vulneratum, in primordio egressionis Hunorum per Meotidem paludem, quibus rex fuit Valamber, tam vulneris quam Hunorum irruptionis dolore defunctum fuisse, Attilam vero postea ultra 70 annos sub Marciano et Valentiniano cum Romanis et Wisigothis Accioque duce Romanorum pugnasse et sub eisdem principibus regno vitaque decessisse; ac dehinc imperante Gothis Walamiro, Theodericum, fratris sui Dietmari filium, Leoni augusto jam septennem a patruo fidei causa obsidem datum, et ab eodem Leone postea patri jam imperanti Gothis fuisse redditum, patrique defuncto in regnum successisse, sed mox a Zenone augusto Constantinopolim accitum familiariterque tractatum, Italiæ regnum accepisse, quod tunc Odoacar cum Thurcilingis et Rugis aliisque nationibus, invito Zenone, possedit, quem Theodericus post multa certamina dediticium interemit. Hinc rerum diligens inspector perpendat, quomodo Ermenricus [895] Theodericum, Dietmari filium, apud Attilam exulare coegerit, cum juxta hunc hystoriographum contemporalis ejus non fuerit. Igitur aut hic falsa conscripsit, aut vulgaris opinio fallitur et fallit, aut alius Ermenricus et alius Theodericus dandi sunt Attilæ contemporanei, in quibus hujusmodi rerum convenientia rata possit haberi. Hic enim Ermenricus longe ante Attilam legitur defunctus, Theodericus vero post mortem Attilæ sive in ipso mortis ejus confinio scribitur natus, quinta generatione posteritatis Witulfi, fratris Ermenrici, progenitus. Dietmarus autem, pater ejus, alios fratres habuisse non legitur quam Walamirum et Witimarum, quorum

VARIÆ LECTIONES.

[887] *deest* 5. [888] cruenta 9c [889] XL annos—et prius *his scripsit* 4. [890] per Narsetem *usque ad* Gallias secessit, *historiæ Gothicæ finem, in* 5. *desunt, pagina integra fere vacua relicta.* 6 — 9 *eadem fere omittunt his verbis finem dantes :* post per Narsetem vicit (N. suo subegit imperio. 6. — N. eunuchum cubicularium suum destruxit. 7.) [891] amulorum nobilitatem 4. 10. [892] dixit 4. [893] diethmari 4. *sæpius.* [894] hamidieed. 4 10. [895] e. et alius t. 4.

prior sub Attila regnans, post mortem ejus se Hunorum ditioni subduxit, et sine filiis mortuus Dietmaro fratri regnum reliquit, alter vero filium omonimum sibi Witimarum habuit, qui post obitum patris, relicta Italia, Gallias secessit.

1. (*Chr. W.*) A. D. 378. Regnante Valente post mortem fratris sui Valentiniani cum Gratiano et Valentiniano, filiis ejusdem fratris sui, Basilius Cæsareæ Capadociæ, vir sapientissimus et continentissimus, claruit, sed [896] superbiæ, ut aiunt, vitio laboravit.

2. A. D. 379. Athanasius [897] Alexandrinus episcopus 66° sacerdoti sui anno migrans, Petrum successorem reliquit (cf. Rufin.).

3. (*Chr. W.*) A. D. 380. Gothi ab Hunis expulsi, diffunduntur per Traciam.

4. A. D. 381. Gothi fame compulsi, rebellant Valenti, quos ille bello petens, sed exercitu occiso, fugiens, in casa quadam vivus crematur, anno 15° regni sui, quorum, 11 cum fratre, 4 post illum regnavit (cf. *H. m.*).

Anni Gratiani.

Anno dominicæ incarnationis 382, Urbis vero conditæ millesimo 133. Gratianus, filius Valentiniani, 39us [898] ab Augusto, post mortem patrui sui Valentis electus est ad imperium, et regnavit cum fratre suo Valentiniano annos 6, cum prius regnaret annis 4 cum patruo. Eo tempore apud Mediolanum beatus Ambrosius [899] hic [900] hymnos canendos in æcclesia primus composuit — apud Turonos beatus Martinus magnis lampabant [901] virtutibus, totoque orbe doctrinis et scientia clari [Gregorius [902] Nisenus, Gregorius Nazanzenus et apud Bethleem Hieronimus radiabant (cf. Prosp., *Ch. imp.* et *H. m.*). Theophylus Alexandrinus [903] episcopus cyclum de observatione paschæ per centum annos digessit, quem latereulum vocavit, totoque orbe doctrinis et scientia clari] apud Bethleem beatus Hieronimus presbyter, apud Ypponem Africæ civitatem sanctus Augustinus episcopus radiabant.

(*H. R.* et *H. m.*) Igitur Gratianus admodum juvenis, cum inæstimabilem multitudinem hostium Romanis infusam finibus cerneret, fretus Christi potentia, longe impari militum numero sese in hostem dedit, et apud Argentariam Galliæ opidum plus quam 30 milia Alamannorum interfecit. Deinde audiens Traciam Daciamque et Pannoniam tanquam genitales terras a Gothis atque omni pernicie atrocioribus Hunis et Alanis possideri, Pannoniam venit. Ea tempestate Theodosius, Theodosii filius, tam propter parentum nobilitatem, quam propriam fortitudinem habebatur nominatissimus, sed invidia dissimilium fatigatus, in Hyspania morabatur, ubi et ortus fuerat et nutritus. Cumque imperator fratrem suum adhuc puerum cerneret, et quid faceret hesitaret, quippe cum barbari, victoriis elati, inexpugnabiles viderentur, eadem provisione, qua Nerva quondam elegerat Hyspanum virum Trajanum, per quem res publica reparata est, accitum et ipse nichilominus ab Hyspania Theodosium magistrum militiæ fecit, eumque contra barbaros cum expeditione misit. Qui vadens, fortiter cum illis maximis Scythiæ gentibus pugnavit, et feliciter triumphavit. Mox dux optimus, exercitu disperso per urbes, ipse velociter ad principem remeavit, ipseque triumphorum suorum nuncius extitit. Quod dum imperator pre admiratione non crederet, invidi dicebant, eum fugisse et exercitum perdidisse. At ille derogantes sibi rogat dirigi, qui viderent multitudinem peremptorum. His verbis imperator flexus, direxit qui res actas sibi nunciarent. Porro dux optimus inter hæc vidit in visione, quod sanctus Miletius, Antiochenæ civitatis episcopus, eum indueret imperiali clamide et corona caput ejus ornaret. Hæc cum ille retulerit [904] mane cuidam amicorum, ille clarum esse dixit somnium, et nichil ænigmaticum, nichil habere dubium. Post paucos autem dies qui missi fuerant redierunt, peremptaque multa hostium milia narraverunt. Quamobrem lætatus princeps Gratianus, faventibus cunctis, Theodosium, tricesimum tercium ætatis annum gerentem, apud Sirmium purpura induit, Orientisque et Traciæ simul imperio prefecit [905]. Igitur Theodosius Constantinopolim triumphans intravit, et ne assidue pugnando Romanum populum fatigaret, cum Athalarico Wisigathorum rege pacem fecit, eundemque Constantinop: lim [906] venientem benigne suscepit, ibique defunctum honorifice sepeliri fecit, et hac benignitate omnes Gothos [907] Romano imperio subjugavit. Veniens autem Thesalonicam, ægritudinem incurrit, cupiensque baptizari, Anatholium, ejusdem civitatis episcopum, requisivit, cujus esset fidei. Quo respondente, quod Arriana pestis in Yllericum non valuisset accedere, sed fidem Niceni concilii inviolatam servarent, libenter ejus verba suscipiens, baptizatus [908] atque ab ægritudine liberatus est [909]. Inter hæc Archadium filium suum consortem sibi fecit in imperio, in Italia vero puero satis existente Valentiniano, rerum curam Probus exconsul et prefectu shabebat. Justina vero, mater Valentiniani, cum esset Arriana, vivente quidem viro, lædere christianos orthodoxos non prevaluit, sed eo mortuo, cum filius esset valde juvenculus, Mediolanum veniens Ambrosio episcopo erat infesta, ita ut juberet eum exilio destinari. Cumque [910] juberet eum exire de æcclesia, Ambrosius ait: *Ego sponte hoc non ago, ne lupis ovium septa aut blasphemantibus Deum videar*

VARIÆ LECTIONES.

[896] sed — laboravit *desunt* 5. *erasa ut videtur.* [897] *deest* 5. anastasius 1b. [898] XLIIIus 1b. [899] a. claruit 5. [900] *deest* 10. 11. qui E. [901] *delevit* 10. *et ita deest* 11. [902] *quæ uncis inclusi, ex Sigeberto ut videtur hausta Ekk. post adjecisse videtur. In* D? E *vero ultima verba* totoque — radiabant *omisit.* [903] alexandriæ E1. [904] cum retulisset E1. [905] fecit 9c. [906] Constantinopolim — honorifice *desunt* 9c. [907] *deest* 9c. [908] b. est 9c. [909] *deest* 9c. [910] Cum 9c.

contradere; hic, si placet, occide, hoc loco mortem prona suscipiam voluntate

Ea tempestate Maximus, vir quidem strenuus atque imperio dignus, si contra sacramenti fidem per tyrannidem non emersisset, invitus ab exercitu in Britannia imperator factus, in Galliam transiit, exceptusque a legionibus Gratiano infensis, eundem, subita incursione perterritum atque in Italiam transire meditantem, dolo circumvenit et occidit Lugduno, fratremque ejus Valentinianum cum matre Justina expulit ab Italia. (Beda). Qui tamen justissimam cum matre sua luit pœnam, quæ et ipsum Arriana heresi polluit et eminentissimum catholicæ fidei doctorem Ambrosium episcopum perfida obsidione vexavit. (*H. m.*) Valentinianus autem Constantinopolim veniens, a Theodosio paterna pietate est susceptus, et imperio est restitutus; sed ab Eugenio quodam, prius grammatico, tunc autem militanti in palatio, et ab Arbogasto quodam facinoroso corruptis cubiculariis, ab eisdem dormiens strangulatus est, atque ut voluntariam sibi mortem conscivisse putaretur, laqueo suspensus est.

2. (*Chr. W.*) Anno dominicæ incarnationis 383°, qui est Gratiani secundus, Theophilus * pascales circulos inchoavit:

Sanctus Basilius Cæsariensis episcopus obiit. D? E. 4 — 10. *ex Sigeb.*

3. A. D. 384. Synodus 150 episcoporum Constantinopoli adversus Macedonium congregatur sub Damaso papa, * qui 26 [911] annis regebat æcclesiam.

* D? E. *qui hæc a.* 386 *habent,* *pergunt:* Hic decretum est, ut Constantinopolitanus post R. p. h. p. In Gallia Priscillianus episcopus ex Manichæorum et Gnosticorum dogmate errorem sui nominis condens, conciliis episcoporum auditus — cum aliis sequacibus suis. Itachius — nolens Itachianis communicare. *ex Sigeb.*

4. A. D. 385 *.

* 4. — 11. *addunt:* Priamus quidam et Antenor principabantur Francis hoc tempore. *ex Sigeb.*

5. (Beda.) A. D. 386. Archadium [912] Theodosius pater consortem regni facit.

6. (*Chr. W.*) A. D. 387. Maximus ex Britannia in Gallias veniens regnumque sibi usurpans, Gratianum apud Lugdunum occidit, fratrem vero ejus Valentinianum Italia expulit.

Anni Theodosii.

1. (*H. R.* et *H. m.*) Anno dominicæ incarnationis 388, Urbis vero conditæ millesimo 139. Theodosius, genitus patre Theodosio, matre Thermantia [913], 45us [914] ab Augusto, interfecto per Maximum Gratiano, imperium Romanum solus [915] obtinuit, mansitque [916] in eo annis 11 [917], cum jam in Orientis partibus sex annis Gratiano vivente regnasset, Valentinianum tamen, fratrem Gratiani, quamdiu vixit, regnare permisit; ipse vero bellum adversus Maximum, qui tunc Aquileiæ [918] insidebat, suscepit, illumque a militibus propriis, cum vim imperatoris sustinere non possent, captum ac traditum peremit; Victorem quoque [919], filium ejus, quem pater Gallis adhuc in ætate infantili prefecerat, extinxit. Peracta victoria, Theodosius cum Valentiniano venit Romam, eratque cum eis pariter et Honorius valde puer, quem pater post actam victoriam a Contantinopoli evocaverat. Theodosius igitur Romæ positus, multum profuit Urbi, alia prebendo, alia auferendo. Post hæc relicto Valentiniano Romæ, ipse cum Honorio Constantinopolim remeavit. Valentinianus vero cum transiret in Galliam causa ordinandæ rei publicæ, fraude Arbogasti comitis sui et Eugenii grammatici, dormiens ab eunuchis cubiculariis pecunia corruptis suffocatus est, moxque Eugenio in principatum electo ab Arbogasto, collecta multitudine Francorum atque Gallorum preparaverunt se in pugnam contra Theodosium. Quod ille audiens, congregavit multitudinem militarem, filiumque suum Honorium constituit imperatorem. Misit autem Eutropium Eunuchum sibi fidelissimum [920] in Thebaidam ad Johannem monachum præscientia clarum, de quo legitur in Vita patrum, ut aut eum venire volentem deduceret, aut nolentem de belli eventu requireret. Qui venire nolens, mandavit ei, quod, interfecto tyranno, victoria sit potiturus, sed ipse in Italia moriturus. Relictis igitur ambobus filiis in urbe Constantinopolitana, Theodosius contra Eugenium pergit, moxque illi [921] exercitus Wisigotharum plus quam viginti millium occurrit; Eugenius itaque et Arbogastus cum transitus Alpium tenerent, Theodosius in summis Alpibus constitutus, jejuniis et orationibus intentus erat. Circa gallorum vero [922] cantum sopore constrictus, vidit in somnis, quasi jaceret in campo et astarent ei duo quidam viri in vestibus albis, equis candidissimis residentes, jubentes eum habere fiduciam primoque diluculo preparare milites ad victoriam, seque dicebant ad solatium sibi destinatos. Quorum alter dicebat, se esse Johannem evangelistam, alter Philippum apostolum. Quæ visio etiam alicui militi [923] revelata est. Qua visione comperta, uberiores in oratione lacrimas fudit, et in crastinum facta congressione, turbo ventorum maximus a parte Theodosii in ora hostium surrexit, qui tela, quæ ipsi mittebant, in ipsos retorquebat, ea vero, quæ ab ejus parte missa sunt, ultra mensuram humani jactus per magnum inane portata valenter hostibus infigebat. Eugenius itaque corruens ad pedes imperatoris, veniam rogabat, sed a militibus circa pedes ejus capite truncatus est; Ar-

VARIÆ LECTIONES.

[911] XX tribus 1b XVIII. 5. 10. 11. [912] *Hæc a* 385. D? E. [913] theremantia 9c. terremantia 1b. [914] XL. D? E. *et ita deinceps* [915] s. R. 5. [916] vixitque 9c. [917] XL. 9c. [918] aquilegiæ 5. [919] victoremque 5. [920] fidissimum E1. [921] *deest* E 1. [922] cantum v. g. 5. [923] *deest* 9c.

hogastus vero propria se [925] manu interfecit, consulatus Archadii anno tercio et Honorii secundo. Ad laudem vero Theodosii ob insignem victoriam poeta quidam nomine Claudianus, sed paganus, inter cetera hujusmodi versibus Deo et homini testimonium cecinit :

O nimium dilecte Deo, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti.

Igitur Theodosius Mediolanum veniens, post laborem publicum corpore fatigatus, ægritudinem incurrit, et sperans se moriturum, potius de re publica cogitavit, considerans quæ solent hominibus evenire, imperatore moriente. Filium itaque Honorium de Constantinopoli velociter evocavit, et imperatorem Romæ ordinavit. Cumque Honorius Mediolanum venisset, pater ex ægritudine relevatus, circum de victoria celebrabat, et ante prandium quidem spectaculum quasi sanus exhibuit, post prandium vero repente pregravatus, ad spectaculum venire non potuit, filium tamen ludis adesse precepit ; superveniente vero nocte, defunctus est, 16 Kal. Febr. anno imperii 17°, vitæ autem 40°. Fuit autem propagator rei publicæ et defensor eximius, clemens et misericors, communis cunctis, solo habitu differens a ceteris, in omnes honorificus, in bonos vero [921] profusius. Quantæ autem mansuetudinis apud homines fuit, tantæ humilitatis coram Domino extitit. Quod * in illo obedientiæ exemplo satis probatur, quam sancto Ambrosio episcopo, immo per illum Deo exhibuisse narratur. Quod quia est relatu ac memoria dignum licet non suo loco, statui tamen memorandum, et pro utilitate legentium et pro opinione virtutum.

* Quod in illo comprobatur obedientiæ exemplo, quod passim legitur et nos hic brevitatis causa subtrahimus, quo beato subjectus est Ambrosio, prohibenti scilicet illum æcclesiæ ingredi limina propter inconsiderata quorundam innocentum homicidia. Habebat etiam imperator et aliam, *etc.* D? E.

Thesalonica est civitas grandis et populosa, in qua dum esset Theodosius, ibi seditio est orta, et quidam ex judicibus tracti et lapidati sunt, unusque, ut aiunt (Rufin. xi, 18, — *H. m.*), ex militibus, quem ille diligebat, occisus est. Hinc indignatus Theodosius, sicut se habent humanæ passiones, non refrenavit iracundiæ infirmitatem, sed justo furori immensam permiscuit crudelitatem. Ad ludos igitur circenses jussit invitari cives, et repente super omnes injustos gladios precepit evaginari et una cum innocentibus nocentes perimi. Septem quippe milia hominum feruntur ibi occisa, non precedente judicio, sed furibundo dictante animo. Hujusmodi cladem gemitus plenam audiens Ambrosius, cum princeps Mediolanum venisset et æcclesiam sollemniter intrare voluisset, foris ad januas ei [923] occurrit, hisque illum sermonibus a sacri liminis ingressu prohibuit : *Nescis, imperator, perpetratæ a te necis quanta sit magnitudo, neque post ausum tanti furoris mens tua molem tantæ præsumptionis agnoscit. Sed forte recognitionem peccati prohibet potestas imperii ; decet tamen, ut ratio vincat potestatem. Scienda est quippe natura ejusque mortalitas atque resolutio et pulvis progenitorum, ex quo facti, ad quem redigendi sumus, et non flore purpureo fidentem, infirmitatem operti corporis ignorare. Coæqualium es imperator et conservorum ; unus est enim Dominus omnium, rex et creator cunctorum. Quibus igitur oculis aspicies communis Domini templum? quibus calcabis pedibus* [926] *sanctum illius pavimentum? Quomodo extendes manus, de quibus adhuc stillat sanguis innoxius? Quomodo hujusmodi manibus suscipies sanctum Domini corpus! Qua presumptione poculum preciosi sanguinis percipies ore tuo, dum furore sermonum tuorum tantus injuste sit sanguis effusus? Recede igitur, recede, nec secundo peccato priorem nequiciam contendas augere! Suscipe vinculum, quo te omnium Dominus nunc ligavit ; est enim medicina maxima sanitatis.* His sermonibus imperator obœdiens — erat enim divinis eruditionibus nutritus, et aperte sciens quæ essent propria sacerdotum, quæ regum — gemens et deflens ac regalia remeavit. Cumque octo mensium continua transissent tempora, propinquavit nativitatis Salvatoris nostri festivitas. Imperator autem lamentationibus assiduis in palatio residens, continuas lacrimas incessabiliter expendebat. Ingressus autem tunc magister militiæ Rufinus, et singularem apud principem fiduciam habens, et videns eum in lamentatione prostratum, accessit et lacrimarum causas inquirit. At ille amarissime ingemiscens et vehementius lacrimas fundens : *Tu*, inquit, *Rufine, ludis, et mea mala non sentis ; ego autem lamentor et gemo calamitatem meam, quia servis quidem et mendicantibus aperta sunt templa Dei, et proprium dominum ingredientes* [927] *licenter exorant ; michi vero ingressus ad eum non est, insuper etiam cæli clausi sunt.* Hæc dicens, verba singula singultibus irrumpebat. Rufinus [928] : *Curro*, inquit, *si tibi placet, pontificique precibus persuadeo, ut solvat vinculum quod ligavit.* Ait imperator ; *Non suadebis Ambrosio ; novi ego decretum illius esse justum ; neque reverebitur imperialem potentiam, ut legem possit prevaricare divinam.* Cumque Rufinus verbis plurimis uteretur et promitteret Ambrosium esse flectendum, imperator eum pergere cum festinatione precepit ; ipse vero spe data post paululum est secutus, credens Rufini promissionibus. Porro vir mirandus Ambrosius mox ut Rufinum vidit, ait : *Impudentiam canum imitatus es, o Rufine* [929], *tantæ videlicet necis auctor existens, et pudorem ex fronte detergens, nec erubescis, nec metuis, contra imaginem latrare divinam.* Cumque Rufinus supplicaret et imperatorem venturum esse diceret, superno zelo accensus Ambrosius, ait : *Ego tibi, Rufine, predico,*

VARIÆ LECTIONES.

[925] se p. 5. [925] f. ei ad i. 5. [926] p. c. 5. [927] ingress *litera crasa* 9c. [928] r. vero 5 [929] es ordine i 9c.

quoniam ingredi sacra limina eum prohibebo [930], *si vero imperium in tyrannidem mutaverit, necem libenter suscipio* [931] Hæc et alia plurima Rufinus audiens, nunciavit imperatori, monens ne de palatio procederet. At imperator hæc in media jam platea cognoscens : *Pergo*, inquit, *et justus in facie suscipio contumelias.* Cumque ad sacra limina pervenisset, in sanctam quidem basilicam non presumpsit intrare, sed inveniens antistitem in salutatorio residentem, supplicabat, ut ejus vincula resolveret. At ille tyrannicam dicebat ejus esse presentiam, eumque contra Deum vesanire et leges ejus calcare. Verum imperator : *Non*, inquit, *insurgo adversus ecclesiasticas sanctiones, nec inique ingredi limina sacra contendo, sed te solvere vincula mea deposco et communis Domini pro me exorare clementiam, nec michi januam claudi, quam cunctis pœnitentiam agentibus Dominus noster aperuit.* Tunc antistes : *Quam*, inquit, *pœnitentiam ostendisti post tantas iniquitates, quibus medicaminibus incurabilia vulnera plagasque curasti ? — Tuum est*, inquit imperator, *edocere et medicamenta temperare, meum vero oblata suscipere.* Tunc sanctus Ambrosius ait: *Quoniam furori judicium tuum commisisti et non ratio protulit sententiam sed iracundia, scribe legem, quæ decreta furoris evacuet; et 30 diebus sententia necis atque proscriptionis tantummodo* [932] *maneat in litteris et judicium expectet rationis, quibus diebus transactis, ira jam cessante, ratio causam judicans apud semetipsam, quæ cognoverit sub veritate disponat. In his enim diebus cognosces, an justa sit sententia quam protuleris, an injusta; et si ratio probaverit injusta quæ sunt prolata, disrumpet, si vero justa, firmabit, dierum vero numerus ad hæc examinanda sufficiet.* Hanc ammonitionem imperator animo libenti suscipiens et optimam esse confidens, legem conscribi repente precepit et propriæ manus litteris confirmavit. Quo facto, vinculum ejus Ambrosius absolvit. Quæ lex hactenus observatur Constantinopoli. Est autem hujusmodi :

« Imperatores Gratianus, Valentinianus, Theodosius augusti Flaviano prefecto pretorii [933] Yllirici.

Si vindicari in aliquos severius contra nostram consuetudinem pro causæ intuitu jusserimus, nolumus statim eos aut subire pœnam aut excipere sententiam; sed per dies 30 super statuta eorum sors et fortuna suspensa sit. Reos sane accipiant vincula, atque custodia et excubiis sollertibus vigilanter observentur. »

Sic igitur sacratissimus imperator ingredi limina sacra presumens, non stans Domino supplicavit, neque genua flexit, sed pronus in pavimento jacens, Daviticam proclamavit vocem : *Adhesit pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum*, manibus barbam capillosque evellens frontemque percutiens et pavimentum lacrimarum guttis aspergens, veniam poscebat. Cumque tempus accederet, quo munus ad altare solebat offerre, surgens cum lacrimis, ingressus est. Cum vero obtulisset sicut solitus erat, intra cancellos stetit. Rursus autem Ambrosius non acquievit, sed differentiam locorum edocuit, et primo quidem requisivit quid ibi expectaret. Imperatore dicente, sustinere se sacrorum perceptionem mysteriorum, remandavit ei per suum archidiaconum : *O imperator, interiora loca tantum sacerdotibus sunt collata, quæ ceteri nec ingredi nec contingere permittuntur. Egredere igitur, et hanc exspectationem cum ceteris habe communem. Purpura namque imperatores* [934], *non sacerdotes facit.* Tunc fidelissimus imperator etiam hanc traditionem animo gratanti suscipiens, remandavit : *Non audaciæ causa intra cancellos mansi, sed in Constantinopolitana urbe hanc consuetudinem esse cognovi; unde gratias ago pro hujusmodi medicina.* Tali ergo tantaque et presul et imperator virtute clarebant. Ego autem utriusque opus ammiror, illius fiduciam, hujus obœdientiam, illius zeli fervorem, hujus fidei puritatem. Porro regulas pietatis quas a magno sacerdote recepit, reversus etiam in Constantinopolitana urbe servavit. Nam dum festivitatis tempore ad ecclesiam processisset, oblatis in altari [935] muneribus, mox egressus est. Cumque Nectarius, tunc presul ecclesiæ, illi mandasset, cur intus stare noluisset, remandavit ei princeps : *Vix potui discere, quæ differentia sit imperatoris et sacerdotis; vix enim inveni veritatis magistrum* [936]; *Ambrosium namque solum novi digne vocari pontificem.*

Habebat igitur imperator et aliam utilitatis occasionem, per quam de bonis operibus triumpharet. Conjunx enim ejus divinas leges cum sæpius ammonebat, se ipsam tamen prius perfecte erudiens. Non enim regni fastigiis elevata est, sed potius amore divino succensa. Beneficii namque magnitudo majus ei desiderium benefactoris exhibebat. Repente namque ut venit ad purpuram, claudorum atque debilium maximam habuit curam, non servis, non aliis ministris [937] utens; sed per semet ipsam agens, et ad eorum habitacula veniens, unicuique quod opus haberet prebebat. Sic etiam per æcclesiarum xenodochia discurrens, suis manibus ministrabat infirmis, ollas eorum tergens, jus gustans, cochlearia offerens, panem frangens, cibosque ministrans, calices abluens, et alia cuncta faciens quæ servis et ministris mos est celebrare. His autem, qui eam de rebus talibus nitebantur prohibere, dicebat : *Aurum distribuere opus imperii est; ego autem pro ipso imperio hoc opus offero bona michi omnia conferenti.*

VARIÆ LECTIONES.

[930] prohibeo 5. [931] suscipiam 5. [932] in t. 9c. [933] pretorio 9c. [934] imperatorem non sacerdotem 5. [935] altare 9c. ad altare 4. [936] m. v. 5. [937] ancillis 9c.

Viro autem suo sepe dicebat : *Oportet te, marite,* A *semper cogitare, qui dudum fuisti, qui modo sis. Hæc si semper cogitaveris, ingratus benefactori non eris, sed imperium, quod suscepisti, legaliter gubernabis, et harum rerum auctorem placabis.* His sermonibus velut optimam quandam utilitatem virtutisque abundantiam conjugi offerebat.

Defuncto autem Theodosio 16 Kal. Febr., corpus ejus Constantinopolim delatum est 6 Idus Novemb. et ab Archadio filio suo [938] sepulturæ traditum. Dimisit autem regnum duobus filiis suis, Archadio in Oriente, Honorio in Occidente, curam vero amministrationis viris potentissimis mandavit habere, Rufino aulæ orientalis, Stilichoni occidentalis. Post paucos autem dies quando translatum est corpus Theodosii, id est 15 Kalend. Decemb., etiam exer- B citus, qui cum eo fuerat contra Eugenium, reversus est, et dum imperator Archadius ad portas occurrisset exercitui, milites Rufinum prefectum[939] peremerunt. Erat enim suspectus, quasi tyrannidem meditaretur assumere et Hunos vel Gothos in [940] Romanorum provincias contra imperatorem evocare.

Ejusdem vero Theodosii temporibus apud Palestinam provinciam in castello Emmaus natus est puer integer et perfectus, sed ab umbilico sursum divisus, ita ut haberet duo pectora et duo capita et quoscumque sensus; et cum unus edebat et bibebat, alter non edebat; unus [941] dormiebat, alter vigilat; nonnunquam insimul dormiebant, insimul ludebant ad alterutrum et [942] flebant, et utrique percu- C fiebant se invicem. Vixerunt autem annis ferme duobus, et unus quidem mortuus est, alter autem supervixit diebus 4.

2. Anno dominicæ incarnationis 389°, qui est secundus Theodosii post mortem Gratiani, idem Theodosius, vir virtutibus plenus, Valentinianum, Italia expulsum a Maximo, in regnum restituit (cf. Bedam). (*Chr, W.*—Beda.) Reliquiæ sanctorum Gervasii et Prothasii ab Ambrosio repertæ sunt.

4. (Prosp. *Chr. imp.*) A. D. 391. Augustinus* ad fidem conversus, ab Ambrosio baptizatur.

* Augustinus a Manicheorum heresi per Ambrosium ad catholicam fidem convertitur. D? E. *Ex Sigeb.*

6. A. D. 393. Johannes heremita claruit.

7. A. D. 394. Syricius papa 40[us], sedit annis 8, decessitque 6 Kalend. Decemb*.

* D? E. *add.* : Paula et Eustochia [943] filia ejus Christo ancillantur Bethlehem.

8. (*Chr. W.*) A. D. 395. Hieronimus librum, quem de illustribus viris scripsit, hucusque perduxit,

9. A. D. 396.*

* D?E. 4—11. *add.* : Didimus Alexandriæ obiit. [944]. Corpora Abacuc et Micheæ prophetarum revelantur. *ex Sigeb.* D? E. *pergunt* : Constantinopolis — eversa. *ex eodem.*

10. A. D. 397. Valentinianus dolo Arbogasti [945] occiditur, ejusque locum Eugenius invadit.

11. A. D. 398. Theodosius Eugenium tyrannum superavit. Arbogastus [946] sua manu se [947] interfecit, Theodosius vero Mediolano in pace quievit. Augustinus, doctor facundissimus, Hypponi ordinatur episcopus.

Hucusque æcclesiasticam hystoriam Eusebius [948] Rufinus perduxit.

Anni Archadii et Honorii.

Anno dominicæ incarnationis 309, Urbis conditæ millesimo 150. Archadius et Honorius, filii Theodosii, 46° loco ab Augusto commune imperium, divisis tantum [949] sedibus, tenuerunt, Archadius in Oriente, Honorius in Occidente*, (Jord. *De r. s.*) Tunc Rufinus patricius Archadio principi tendens insidias, Alaricum regem Gothorum, ut Grecias vastaret, missis clam pecuniis, invitavit; sed detectus Rufinus ante portas urbis Constantinopolitanæ, ut supra dictum est, a militibus decollatus est, caputque ejus cum dextera manu ad ludibrium per urbem circumductum est; uxoreque [950] exulata, opes ejus cunctas Eutropius spado promeruit** (*H. m.*) Gildo autem Africæ comes a Theodosio dudum ordinatus, cognita morte ejus, arbitratus parum spei in pueris, cœpit Africam sibi vendicare. Cujus frater Mascezel cum esset fidelis, germani perfidiam detexit; ille autem duos filios fratris, cum pater abiret, interfecit. Contra quem jam ut hostem idem Mascezel cum exercitu missus cum eum valde coartaret, in fugam versus, post paucos dies strangulatus est.

* D? E. *add.* : Imperatores — destrui. *ex Sigeb.*

** D? E. *add.* : Romæ — removit. *ex Sigeb.*

(Jord.) Hesperiam vero plagam in regno Honorii imperatoris primum Radagaisus [951] Scytha crudelissimus cum ducentis milibus Gothorum inundavit, qui omnem Romani populi sanguinem propinare devovit. (*H. m.*) Contra quem duo pagani duces Hunorum Huldinus et Sarus a Romanis conducti sunt; sed nolente Deo causam potentiæ suæ per virtutem hominum superare, divinitus territus est Radagai- D sus, fugiensque in Peculanum montem, ingenti undique timore [952] concluditur; et dum fame sitique laborat, volens fugere, solus conprehenditur a Romanis [953], missusque in carcerem, ibi mortuus est. Tanta vero multitudo de Gothis comprehensa est, ut sicut vilia pecora venderentur; nam singuli Gothi singulis aureis vendebantur (Jord.) Post Radagaisum Alaricus rex Gothorum Italiam intravit, et ut superius in gestis Gothorum [954] scriptum est, multa mala Romanis ceterisque inferens, apud

VARIÆ LECTIONES.

[938] ejus 9c. [939] *deest* 9c. [940] *deest* 9c. [941] alter 5. [942] *deest* 9c. [943] eustochium El. [944] *deest* 9c. [945] arbogastis 9c. 10. 11. [946] *ita* El. arbogastes *rell.* [947] *deest* 9c. sua se m. El. [948] eusebii 9c. Hucusque — perduxit *desunt* El. [949] tamen 1b. [950] uxorque ejus El. [951] radagisus 4. 9c. *semper.* [952] t. u. 5. [953] a. r. c. 5. [954] *deest* 9c.

Consentiam mortuus est. (*H. m.*) Cui succedens Athaulfus, consanguineus ejus, quicquid ille reliquit, abrasit, et Placidam, Honorii sororem, auferens, in matrimonium accepit.

(*H. m.* et Jord.) Stilicho quoque comes, qui erat de perfida et dolosa gente Wandalorum natus, et erat socer Honorii, cujus filiæ duæ Maria et Hermantia altera post alteram principi Honorio desponsatæ sunt, sed utræque virgines defunctæ sunt, oblitus beneficiorum, oblitus consanguinitatis, regno ejus inhiavit, et Alamannorum Suevorumque gentes datis pecuniis super eum congregavit, quia Eucherium filium suum, christianis semper a puero insidias molientem, cæsarem facere cogitavit; sed Honorius congregato exercitu cum eis pugnans, utrosque occidit. Quo anno et Archadius, orientalis imperator regnans post obitum patris annos 13, defunctus est anno ætatis 31°, relinquens filium nomine Theodosium annorum 8, quem ante mortem suam appellavit imperatorem; qui succedens patri, regnavit annis 41, cum patruo Honorio 15, postea 26, qui fiunt 41. Hujus tempore Claudianus et Prudentius poetæ insignes habentur (cf. Prosp. *Chron. imp.*)

Anni Archadii.

1. (*Chr. W.*) Primo autem anno Archadii et Honorii, qui est annus dominicæ incarnationis 399, Johannes heremita obiit.

2. A. D. 400. Sanctus Martinus ad superna migravit.

3. A. D. 401. Sanctus Ambrosius carne solutus est.

4. A. D. 402. Anastasius papa 41us ordinatus est, sedensque annis tribus, migravit [955] 5 Kalend. Mai.

5. A. D. 403*. Gothi Radagaiso et Alarico regibus Italiam predati sunt.

* D? E. *add.*: In Britannia P. d. e. e. m. n. docens inter cetera hominem s. g. d. p. s. s. m. et hominem sine p. o. nasci. *ex Sigeb.*

6. A. D. 404. (Prosp.) Synodus Alexandriæ fit propter doctrinam Origenis.

7. A. D. 405. Innocentius papa 42us ordinatus, sedit annis 15, decessitque 4 Idus Martii.*

* D? E. 4—11. *add.*: Hic constituit ad missas pacis osculum dari. *ex Sigeb.*

9. (Prosp.) A. D. 407. Severus vitam sancti Martini describit.

10. A. D. 408.*

* D? E. *add.*: Johannes Crisostomus, urgente Eudoxia augusta, episcopatu abdicatus, ab Archadio — intentat. *ex Sigeb.* 4—11. *add.*: Johannes Crisostomus in exilio obiit. Et mors Eudoxiæ augustæ subsecuta est. *ex Sigeb.*

13. (*Chr. W.*) A. D. 411. Archadius imperator Constantinopoli moritur.*

* D? E. *add.*: Nestorius Constantinopolites episcopus ad heresim quæ in Christo Deum ab homine separat vertitur.

Anni Honorii.

(*H. m.* et Jord.) Anno dominicæ incarnationis 412, Urbis conditæ millesimo 165. Honorius post mortem fratris cum Theodosio, filio fratris, adhuc regnans annis 15, cum videret rem publicam cottidie decrescere, elegit virum fortem et pugnatorem, Constantium comitem, et transmisit eum ad Gallias. Constantinus enim quidam, Galliis occupatis, invasit imperium; cujus hostes duo juvenes locupletes, Didimus et Viridianus, assumptis propriis servis et vernaculis, sese patriamque defensare moliti sunt, capientesque filium ejus Constantem, monachum fecerunt. Quem pater ex monacho cæsarem fecit et contra illos misit. Sed Constantius ab Honorio missus, mox ut Galliam ingressus est, Constantinum apud Arelatem inclusit et occidit, filium vero ejus Constantem in Vienna Gerontius, comes Constantii, peremit. Quorum exicii immemores, Jovianus et Sebastianus item in Galliis tyrannidem moliuntur, sed et ipsi mox interficiuntur. Heraclianus quoque comes Africæ cum tribus militibus armatis et septingentis navibus ad depredandam Romam venit; contra quem Marinus comes egressus, sic eum perterruit, ut cum una tantum navi Kartaginem [956] fugeret, ubi et mox occisus est. In his ergo diebus, precipiente Honorio et adjuvante Constantio, firma pax omnibus catholicis æcclesiis per universam Africam reddita est, quamdiu preclarissimus magister æcclesiæ apud Ypponem [957] Regium florebat Augustinus. Inter hæc Vallia, rex Gothorum, pacem fecit [958] cum Honorio, et reddidit ei Placidiam sororem suam, quam ipse Constantio patricio, qui eam revocaverat, in matrimonium dedit. Honorius vero postquam cum Theodosio, fratris sui filio, regnavit annis 15, et rem publicam pacificatam dimisit, Romæ mortuus est.

4. (*Chr. W.*) A. D. 415. Alaricus, rex Gothorum, Romam invasit.

7. A. D. 418. Corpora sanctorum Stephani, Nichodemi et aliorum revelata sunt [959].

9. A. D. 420. Zosimus papa 43us [960] ordinatus, sedit annum unum, decessitque 7. Kal. Januar. Hic constituit, ut diaconus lævam tegat.

10. A. D. 421. Bonifacius papa 44us sedit annis tribus, menses 8.

12. (*Chr. W.*) A. D. 423. Sanctus Hieronimus migravit anno vitæ 91°.

13. A. D. 424. Honorius apud Ravennam Constantium consortem regni fecit.

14. A. D. 425. Celestinus papa 43us sedit annis

VARIÆ LECTIONES.

[955] obiit E1. [956] carthaginem 5. [957] hypponem 5 E1. [958] *deest* 9c. [959] revelantur E1. [960] XLIIus 5. XLIII. *corr.* XLII. 4

fere [961] 9, decessitque 8 Kalend. Aprilis (cf. BEDÆ *Mart.*). Hic [962] constituit Sanctus, Sanctus, Sanctus cantari. *

* D? E. : c. Sanctus cantari et ut psalmi — recitabatur. Hic quoque ad Scottos — ad Christum. *ex Sigeb.* 5— 11. *add.* : constituit etiam ut psalmi David [963] cantentur ; *cf. Sigeb.*

15. A. D. 426. Honorius Romæ moritur, anno imperii sui 30 [964], quorum duos regnavit sub patre, 13 cum fratre, 15 cum filio fratris Theodosio (cf. *H. m.*). Faramundus, filius Marcomedis, regnavit in Francia (cf. PROSP. *Chr. imp.*).

Paulus [965] Orosius presbyter librum suum historicum a conditione mundi hucusque perduxit.

Anni Theodosii junioris.

(*H. m.*) Anno dominicæ incarnationis 427, Urbis conditæ millesimo 178. Theodosius junior, Archadii filius, nepos Theodosii magni, 47° loco ab Augusto, solus tenuit imperium, cum antea regnaret cum patruo Honorio annos 15; imperavit autem postea annis 26, qui sunt anni 41. (JORD. — *H. m.*) Honorio autem defuncto, Johannes quidam regnum occidentale invasit, misitque legationem ad Theodosium imperatorem, suscipi deprecans. Qui, legatis in carcerem trusis, Ardubarium pretorem contra eum misit, quem ille apud Ravennam aggressus, inclusit. Quo Theodosius audito, Valentinianum, amitæ suæ Placidiæ ex Constantio filium, cæsarem fecit, et cum matre sua ad recipiendum occidentale regnum direxit, et Asparem, Ardubarii [966] filium, ante eum contra Johannem misit. Angelus autem Domini in habitu pastoris apparens, deduxit Asparem et qui cum eo erant per paludem, quæ Ravennæ adjacuit prius invia [967], quam tunc Deus fecit perviam, venientesque Ravennam, portas invenerunt apertas, et ingredientes, tyrannum Johannem occiderunt, Ardurbarium a vinculis absolverunt. Valentinianus igitur veniens Italiam, consensu omnium factus est imperator, ideoque ex decreto Theodosii augustus appellatur.

Eodem tempore erant Gothi et aliæ gentes multæ ac magnæ trans Danubium, Hyperboreis locis inhabitantes, ex quibus rationabiliores erant quatuor, Gothi, Hypogothi, qui et Wisigothæ, Gepidæ et Wandali, nomen tantum et nichil aliud mutantes unaque lingua utentes; omnes autem erant fidei Arrianæ. Isti sub Archadio et Honorio Danubium transeuntes, locati sunt in provinciis Romanorum, et Gepidæ quidem, ex quibus postmodum divisi sunt Longobardi et Avares, villas quæ sunt circa Sygedonem et Syrmium habitaverunt; Wisigothæ vero post Alaricum depopulantes Romam, in Gallias abierunt et quæ ibi sunt obtinuerunt, Gothi autem, qui et Ostrogothæ, Pannoniam primum habitaverunt, deinde nono decimo anno imperii Theodosii junioris Traciæ villas habitaverunt, ibique per quinquaginta et octo annos morantes, Occidentis quoque obtinuerunt imperium. Porro Wandali, sociatis sibi Alanis et Germanis, qui tunc Franci vocabantur, transeuntes Ninum fluvium Modigisclo duce, habitaverunt in Hyspania.

Eo tempore fuerunt duo pretores, Aecius et Bonifacius, quos Theodosius, postulante Valentiano, Romam direxit. Cumque Bonifacius principatum Africæ percepisset ibique gloriose ageret, invidia ductus Aecius accusavit eum apud Placidiam, matrem Valentiniani, quod rebellationem meditaretur, ceterum Bonifacio scripsit : *Si accersitus fueris, accedere noli; incusatus enim es, et dolose vocant te imperatores.* Cui credens Bonifacius, accedere distulit accersitus. Tunc imperatores Aecium quasi devotum acceperunt, et adversus Bonifacium duo duces, Mavortius et Galbio, missi sunt, sed ab eo interempti sunt. Rursus contra eum Sigiswaldus comes dirigitur. Bonifacius vero cernens, se Africam tenere non posse, transfretavit in Hyspaniam ad Wandalos et Alanos, et cum Modigisclus jam mortuus esset, filios ejus Gunthariun et Geisericum suasit in Africam venire eamque possidere. Qui venientes, totam pene [968] Africam ferro et flamma rapinisque dissipaverunt. Sub hoc turbine beatissimus Augustinus Hypponensis episcopus, ne civitatis suæ ruinam cerneret, tercio mense obsidionis ejus migravit ad Dominum, septuaginta et sex vitæ annis expletis, ex quibus 40 in clericatu vel episcopatu transegerat. Interea quidam senatorum, amici Bonifacii, falsam accusationem Aecii intimaverunt Placidiæ, ostendentes ei epistolam ab eodem ad Bonifacium scriptam. At illa stupefacta, Aecium quidem non læsit, Bonifacio vero verbum exhortatorium, ut securus veniret, cum juramentis misit. Qui veniens, suspicionem dissolvit, et magister militum effectus, non multo post morbo extinctus est. Deinde Romani dederunt Wandalis partem Africæ ad habitandum, facta pace cum eis. Mortuo autem [969] Gunthario, Geisericus Alanorum et Wandalorum [970] imperator factus est. Qui quoniam Arrianus erat, infra limites habitationis suæ in Africa persecutionem contra christianos fecit, catholicam fidem cupiens subvertere, multosque episcopos catholicos in tantum persecutus est, ut privatos æcclesiarum suarum jure de civitatibus expelleret. Deinde Kartaginem simulata pace invadens, omnes divitias et ornamenta æccle-siastica abstulit.

Valentinianus autem augustus, Constantii et Gallæ filius, ad Theodosium consobrinum suum Constantinopolim profectus, filius ejus Eudoxiam, quam sibi Eudoxia genuit, in matrimonium accepit, Romamque rediit.

Tricesimo autem anno imperii Theodosii terremotus magni facti sunt Constantinopoli per quatuor menses, ita ut timentes Bizantii, extra civitatem in-

VARIÆ LECTIONES.

[61] *deest* 1b. 9c. [963] Hic — cantentur *aes.* 4. [963] *deest* 9c. [964] XXIo E1. 5. 9c. XXXI. 4. 10. 11. [965] *Hæc desunt* E1. [966] ardobarii 4. 5. [967] inviam E1. [68] fere 9c [969] *deest* 9c. [970] daloruin *ita pergit* 8 *fol.* 87.

loco qui dicitur Campus una cum episcopo Proculo perseverarent in lætaniis ad Deum vociferantes. Quadam ergo die terra fluctuante et omni populo attentius kyrie eleison clamante, circa horam terciam omnibus videntibus quidam adolescentulus in aerem sublevatur, audivitque vocem dicentem sibi, ut nunciaret episcopo ac populo lætanias facere et sic dicere : *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis*, nichil aliud apponentes. Quod cum fieret, terremotus cessavit. Porro beata Pulcheria, soror Theodosii, una cum fratre super hoc miraculo valde mirata, sanxit per universum orbem hunc ymnum taliter decantari. Sub his fere diebus Roma tanto terremotu concussa est, ut plurima ædificia corruerent.

Per hæc tempora rex Hunorum Attila dum Tracias et Ylliricum devastaret, coactus Theodosius, legatione ad eum missa, sex milia librarum ei pro recessu prebuit et mille librarum tributum annuum promisit.

Post hæc Theodosius morbo consumptus, apud Constantinopolim obiit, anno imperii 41°. Fuit autem sapiens multum, patientia et clementia universos precellens. Sic enim fuit clemens, ut si quando aliquis dignum morte quippiam committeret, non usque ad portas civitatis moriturus perveniebat, sed ejus clementia mox subsequens eum revocabat. Quem cum quidam familiarium interrogaret, cur nullum se lædentium morti subjugaret : *Utinam*, inquit, *michi esset possibile, etiam mortuos ad vitam revocare.* Nec tamen vir iste vitiis caruit ; erat enim mobilis, omni vento circumdatus, unde et in cartis non perlectis se subscribebat. Hoc autem mortuo, beata Pulcheria, soror ejus, nondum morte ejus divulgata, Marcianum, in religione et pudicicia conversantem senem, et idoneum virum, ad se accersivit, eique dixit : *Quoniam imperator mortuus est et ego te elegi tanquam beneplacentem ex omni senatu, da michi verbum, quod virginitatem meam custodias, quam Deo devovi, et pronunciabo te imperatorem.* Quod illo cum sacramento pollicente, accersito patriarcha Anatholio cum omni senatu, pronunciavit eum Romanorum imperatorem. Hujus tempore sanctus Servatius floruit.

Anni Theodosii.

2. A. D. 428 [971].

5. (*Chr. W.*) A. 431. Aecius, multis Francis occisis, partem Galliæ quam possederant recepit. (Prosp.) Clodius, Faramundi filius, regnavit in Francia annis 20. *1.)

*1) 10. 11. *add.* : Iste cum juxta mare in æstu diei cum uxore sedisset, bestia marina, equitauro [972] similis, ut fertur, uxorem ad lavandum pergentem appetiit, statimque sive a bestia sive a viro concipiens, filium peperit, qui a mari et a maculosa facie Meroveus, id est Merefech, dictus est; a quo etiam postea reges Francorum Merofingi, id est Merevingilingi, sunt appellati [973]. Hujus filius Hildericus genuit Ludewicum, qui etiam Cloloveus dictus est. *cf. Fredeg. hist. epit. c.* 9.

6. A. D. 432. Cassianus collationes patrum scribit.

8. A. D. 434. Syxtus papa 46[us] sedit annis 8, obiit 5 Kal. Aprilis.

10. A. D. 436. Sanctus Germanus Autisiodori episcopus claruit.

11. (*Chr. W.*) A. D. 437. * Synodus tercia universalis 200 episcoporum sub Syxto papa congregatur in Epheso contra Nestorium.

* D ? E. *add.* : Cyrillus — notavit. *ex Sigeb.*

12. A. D. 438. *

* D ? E. *add.* : Eudoxia — in Kal. Augusti. *ex Sigeb.*

13. A. D. 439. Aecius Gundicharium Burgundionum regem vicit, petentique gratiam tribuit, quem Huni postea peremerunt (cf. Prosp.)

14. (*Chr. W.*) A. D. 440. Valentinianus filiam Theodosii accepit.

15. (*H. m.*) A. D. 441. Julianus Pelagianista hereticus a Syxto papa dampnatur. Terremotus magni facti sunt Constantinopoli.

16. A. D. 442. Leo papa 47[us] ordinatur, sedensque annis 16, migravit 4 kal. Julii.

18. (*Chr. W.*) A. D. 444. Theodosius bellum contra Wandalos [974] inutiliter movit.

19. (Prosp. *imp.*) A. D. 445. Alani terram Galliæ ulterioris vi possident.

20. (*Chr. W.*) A. D. 446. Sanctus Brictius Turonorum [975] episcopus migravit.

21. A. D. 447. * Eustochius Brictio successit.

* D ? E. *add.* : Ephesi 7 dormientes post annos dormitionis 192 a somno surgunt, et asserta fide resurrectionis, iterum in Christo dormiunt. *cf. Sigeb.*

23. (Prosp. *imp.*) A. D. 449. Bleda Hunorum rex Attilæ fratris fraude percutitur.

25. A. D. 451. Merovecus [976], Clodii filius, regnavit in Francia annis 10.

26. (*H. m.*) A. D. 452. Theodosius junior, Orientis imperator, obiit anno imperii sui 41°, quorum 15 regnavit cum patruo Honorio, 26 cum Valentiniano consobrino suo.

Anno dominicæ incarnationis 453°, ab Urbe condita 1204°. Marcianus, 48° loco ab Augusto, orientali aulæ preficitur imperator, et regnavit cum Valentiniano annis 7. Ceterum Valentiniani tempora hujus vel superioris imperatoris asscribentur curriculis. Igitur Valentinianus, occidentalis rector imperii [977], pacem firmavit cum Geiserico, divisa inter utrosque [978] Africa. Geisericus vero dum de rerum successu etiam apud suos superbiret, valida suorum

VARIÆ LECTIONES.

[971] *annorum numeri in* 1. *omnes fere correcti leguntur.* [972] qui *in* 10. *deletum esse videri potest, unde* 11 et auri. [973] s. a. sunt 10. [974] *folium in* 1. *deest.* [975] tunorum, *ut videtur, corr.* turonum 5. tunorum *corr.* turonorum 10. [976] merovecus *corr.* meroveus 5. meroveus 4. [977] i. r. 5. [978] utros 9[c].

conspiratio facta est adversus eum. Qua detecta, A multos ex eis per diversa occidit supplicia. (Jord. *De r. s. s.*) Marcianus autem admodum religiosus, et egentibus multa beneficia prestans, regnum, quod delicati decessores et predecessores ejus, per annos fere 60 vicissim imperantes, minuerant, divina provisione sic reparavit, ut exultatio ingens cunctis accresceret [979]. Nam cum Parthis et Wandalis, omnino regnum infestantibus, pacem instituit, Attilæ minas compescuit, Novades [980] Blemnesque, ex Æthiopia prolapsos, per Florum, Alexandrinæ urbis procuratorem, a finibus Romanorum expulit. (*H. m.*) Inter hæc beata [981] Pulcheria dormivit in Christo, quæ multa bona fecit et omnia sua pauperibus dereliquit; quæ imperator Marcianus, cum multa essent, alacriter dispertivit. Per hæc tempora Hunorum rex Attila Gallias devastans et Italiam irrumpere cogitans, ab Aecio et Gothorum rege Theoderico, ut in hystoria Gothorum scriptum est, devincitur. Sed quia semper virtus invidiam parit, Valentinianus imperator timens prosperos Aecii successus, occidit eum, simulque Boccium senatorem nobilissimum. Cum quibus pariter Occidentis imperium salusque rei publicæ [982] corruit, nec ultra relevari potuit. Sed Valentiniano mors Aecii non impune cessit; nam sequenti anno a Transtila [983], Aecii milite, per consilium Maximi patricii et ipse confossus interiit, anno imperii sui 30°, ex quibus cum Theodosio socero suo regnavit 25, cum Marciano 5. Quo mortuo, Maximus invasit imperium, C et Eudoxiæ, Valentiniani uxori, vi sociatur. Quæ nullum fore auxilium a Constantinopoli existimans, Theodosio patre et Pulcheria amita defunctis, missa legatione Geisericum ex Africa invitavit, qui subito per mare cum magna multitudine Italiam intravit, cum adhuc beatus Leo Romanum regeret pontificatum. Perculsis [984] itaque Romanis pro adventu Geiserici, plurimi ex Urbe fugerunt, inter quos [985] et Maximus fugiens, membratim a Romanis discerptus est, mense tercio tyrannidis suæ. Geisericus autem inveniens Urbem vacuam, invasit eam. Cui beatus Leo papa extra portam occurrit, et divino nutu precibus eum in tantum delinivit, ut cum omnia potestati ejus essent tradita, ab incendio et occisione atque suppliciis abstineret. Per 14 vero dies Romam D omnibus divitiis suis [986] evacuabant, multosque captivos exinde auferentes, Eudoxiam quoque quæ Geisericum ad hoc malum invitaverat, cum duabus filiabus [987] suis Africam deportabant [988]. Hoc modo capta est Roma secundo postquam eam Alaricus invasit, expletis ab eo tempore annis 43, a conditione sua [989] 1207. Relicta itaque Urbe, Wandali per Campaniam diffusi sunt, omniaque ferro et igne consumunt. Capuam civitatem nobilissimam destruxerunt, Nolam quoque urbem ditissimam et alias multas subverterunt, Neapolim vero, quia erat firmissima, capere non valebant, omnia tamen a foris dissipabant. Inter has angustias vir sanctissimus Paulinus, Nolanæ urbis episcopus, expensis pro redemptione captivorum omnibus quæ habuit, se ipsum pro redimendo filio viduæ tradidit, sicut beatus Gregorius in [990] libro dialogorum (III, c. 1) plenius scribit. At Geisericus postquam ditatus Italiæ opibus ad Africam rediit, filiam [991] Valentiniani principis Trasamundo filio suo uxorem dedit, ex qua Hildericus natus est, qui quartus post Geisericum super Wandalos regnavit. Tres quippe filios Geisericus habuit, quibus B ante obitum suum ita regnum ordinavit, ut alius post alium juxta ætatis ordinem regnaret. Regnavit igitur primus post eum Hunericus, secundus Gunthemandus, tercius Trasamundus, post quem filius ejus Hildericus quartus regnavit, qui matris monita sequens, catholicus fuit (cf. Jord. *De r. G.* c. 33).

(*H. m.*) Marcianus vero imperator, cum apud Constantinopolim septem annis regnaret, facta suorum conspiratione peremptus est.

(*H. m.*— Beda.) Hujus tempore Joannes baptista caput suum, juxta Herodis quondam regis habitaculum reconditum, revelavit duobus monachis orientalibus, qui Hierosolimam causa orationis venerunt, quod deinceps Edissam Fenicis urbem perlatum, digno cultu est honoratum.

Anni Marciani.

1. (*Chr. W.*) Primo anno Marciani, qui est a dominica incarnatione 452[us] [992], Aecius Attilam superavit. *

* D? E. *add.* : Terremotus — consequentia. *ex Sigeb.*

3. A. D. 453. Synodus quarta 630 [993] episcoporum in Calcedone congregata [994] sub Leone papa contra Euticen. *

* D? D. *add.* : Hic decretum est — genuisse. *ex Sigeb.*

4. A. D. 456. Valentinianus Aecium patricium occidit.

5. A. D. 457. Valentianus ab amicis Aecii occiditur.

6. (Beda.) A. D. 458. Hylarius papa 48[us] ordinatur, sedit annis 7, decessitque 4 Idus Sept. Per hunc scripsit Victurius paschalem cyclum 532 annorum.

7. (*Chr. W.*) A. D. 459. Marcianus Orientis imperator occiditur.

(Jord.) Anno dominicæ incarnationis 460°, Urbis conditæ millesimo 211°. (*H. m.*) Leo, Bessica ortus

VARIÆ LECTIONES.

[979] cresceret 9c. [980] nomades 9c. [981] *deest* A. 5. [982] p. rei 9c. 10. 11. [983] strantila 10. *e corr.* 11. [984] percussis 9c. [985] quos et magni et m. 10. 11. [986] *deest* 5. [987] filiis 5. [988] deportaverunt 5. [989] *deest* El. 5. [990] *pergit* 1. [991] Eudoxiam, V. p. f., quam Urbe captivitatis sorte abduxerat. 1b. [992] 451 9c. 452. *corr.* 453. 5. 453. 1b. [993] 530. 5. 9c. 10. 11. [994] congregato *legi videtur in* 1, *et ita* 5. *e corr.* congregata est 1b. congregatur El. 10. 11. *et Chr. W.*

progenie, ex tribuno militum imperator electus, et ab Anatholio patriarcha coronatus, 49° loco ab Augusto, regnum orientale accepit, et 16 annis tenuit. Qui deinde sequenti tempore filium suum Leonem socium sibi fecit in regno Occidentale vero imperium Maurorianus (vel Majorianus [995]) quidam accepit apud Ravennam, sed quarto anno haut procul a Dertona civitate occisus est, statimque Severus sine jussu Leonis apud Ravennam imperator efficitur et augustus appellatur, sed et ipse post quatuor annos Romæ defunctus est. (Jord.) Post cujus mortem consensu totius militiæ Leo imperator Anthemium, divi Marciani generum, ex patricio cæsarem faciens, Romam misit in imperium. (*H. m.*) Sequenti anno Servandus, qui prefectus erat in Gallia, volens invadere imperium, ab Anthemio in [996] exilium missus est. Rursus post annum Romanus patricius temptans fraudulenter accipere imperium, jussu Anthemii [997] occisus est.

His temporibus Leo imperator Zenonem, generum suum, totius Orientis magistrum fecit, et Basyliscum, fratrem Verenæ uxoris suæ, magistrum Africæ constituit. Leo itaque imperator pacem faciens cum Ostrogothis, quibus tunc Walamir preerat, fratris ejus Dietmari filium Theodericum, jam octavum ætatis annum gerentem, obsidem accepit, quem tamen postea patri cum honore remisit (cf. Jord. *De r. G.*, c. 55).

(*H. m.*) Per hæc tempora inter Anthemium principem ejusque generum Ricimerem patricium, qui tunc Mediolani positus preerat Liguriæ, magnus discordiarum fomes exortus est, quibus se vir sanctitate conspicuus Epyphanius Ticinensis episcopus interponens, eos ad concordiam revocavit; sed quia Ricimer de perfida erat gente Gothorum, pacem disrupit, et cum manu valida ad Urbem tendens, Anthemium jam quarto anno regnantem occidit, sed non diu de perfidia sua lætatus est; nam post mensem tercium excruciatus, languore interiit. Inter hæc Olibrius a Leone augusto missus ad Urbem venit, vivoque adhuc Anthemio, regiam adeptus dignitatem, Placidiam, Valentiniani principis natam, duxit uxorem. Qui cum septem menses imperium tenuisset, morte propria Romæ defunctus est. Post cujus mortem Licerius apud Ravennam imperator factus est; sed anno sequenti veniens cum exercitu Nepos patricius, Nepotiani filius, Licerium expulit, ipseque sumens imperium, illum in Salona civitate Dalmaciæ ordinavit episcopum (cf. Jord.). (*H. m.*) Eo tempore Euricus apud Tholosam super Wisigothos regnavit, filius Teoderici, qui cum Aecio contra Attilam pugnans occubuit.

Leo igitur imperator, postquam orientale imperium sedecim rexerat annis, Leonem, nepotem suum ex Ariagne filia, Zenonis filium, ordinans imperatorem, diem clausit extremum. (Jord.) Leo itaque junior cum paucis mensibus rexisset imperium manu sua coronans genitorem suum Zenonem constituensque imperatorem, rebus excessit humanis. (*H. m.*) Mox Basyliscus magister Africæ imperator acclamatus, Marcum filium suum cæsarem fecit, et Zenobiam uxorem suam in augustam coronavit. Interea Zeno, totius Orientis magister, cum Ariagne uxore sua ad regiam perveniens urbem, susceptus est a populo et senatu; Basyliscus vero fugiens ad æclesiam, imperiali dignitate, hoc est corona, in mensa divina posita, ipse cum uxore sua Zenobia fugit ad baptisterium. Zeno autem continuo imperialem nactus dignitatem, obtinuit imperium.

Anni Leonis.

1. Primo igitur anno Leonis, qui est dominicæ incarnationis 459 [998], corpus sanctæ Anastasiæ delatum est a Syrmio et repositum est in templo ejus in porticibus Domnini.

2. A. D. 461. Hilderieus (228), Meroveci filius, regnavit in Francia annis 24 (cf *G. Fr.*) *

* D? E. *add.* : Symeon in columna stans Antiochiæ claret. *ex Sigeb. a.* 458.

3. A. D. 462. *

* D? E. 4 — 11. *add.* : Hilderieum, insolenter et luxuriose se agentem, Franci regno deturbant. *ex Sigeb.*

6. A. D. 465. Simplicius papa 49[us] sedit annis 12, migravitque 6 Non. Mart. *

* D ? E. *add.* : Hic dampnavit Petrum Alexandrinum episcopum, Euticianæ heresis convictum. *ex Sigeb.*

8. (*H. m.*) A. D. 467. Pictor quidam cum Salvatorem pingere presumpsisset secundum similitudinem Jovis, arefacta est manus ejus; quem peccatum suum confessum sanavit Gennadius episcopus Constantinopolitanus.

9. A. D. 468. Translatus est apud Alexandriam Heliseus propheta in monasterium Pauli leprosi, qui leprosum sanavit, et leprosum fecit, et in ea quæ leprosi erant translatus est.

10. A. D. 469. *

* D?E. *add.* : Mamertus V. c. c. q. l. a. a. d. ob imminentem cladem instituit. *ex Sigeb.* 4 — 11. *add.* : Mamertus Viennensis [999] claruit, *ex Sigeb.*

11. A. D. 470. *1

*1) 10. 11. *add.* : Basina regina Turingorum repudiato, Hilderico, quia [1000] potentior et dicior fuit, in conjugio se junxit. Verum in prima nocte dixit ei : *Mi domine, ne concumbas mecum, donec in somnis aliquid tibi*

VARIÆ LECTIONES.

[995] v. M. *in* 1. *et* E1. *eadem manu superscripta sunt;* M. v. *des.* 4. 5. 9c. 10. 11. [996] themio in *e corr.* 1. [997] *e corr.* 1. [998] 460.1b. 5. E1. [999] V. episcopus qui letanias ante ascensionem Domini instituit 10. 11. [1000] Leo — regnavit *in loco raso* 1.

NOTÆ.

(228) In Francorum regum nominibus adnotandis Ekk., qui hæc secundis curis adjecit, non ubique cum Gestis Francorum convenit, sed alium quendam regum catalogum habuisse videtur.

videas profuturum. Ille consentiens, vidit in somnis leonem in palacio deambulare, quod interpretata est, fortem se filium generare. Quod et factum est. Nam Clodoveum virum potentissimum genuit. *cf. Fredeg. hist. epitomata c.* 12.

13. (*Chr. W.*) A. D. 475. Leo [1001] senior obiit; pro quo Leo junior paucis mensibus regnavit.

Anni Zenonis.

1. Anno dominicæ incarnationis 476°, ab Urbe vero condita millesimo 227°, Zeno, genere Isaurus, gener Leonis imperatoris, quinquagesimo loco ab Augusto adeptus imperium orientale, regnavit annis 16. Occidentale vero imperium Romæ tenuit Nepos. (*H. m.*) Quem Orestes patricius de regno proturbans, Augustulum filium suum imperatorem fecit, sequentique anno cum rege Wandalorum Geiserico fœdus statuit.

Dum hæc Romæ geruntur, Odoacar, genere Rugus, Thurcilingorum et Scyrorum Herulorumque turbis fretus, ab extremis Pannoniæ finibus Italiam contendit. Qui dum adhuc per Noricorum rura duceret exercitum, cognita fama servi Dei Severini, qui illis tunc degebat in locis, ad eum benedictionem petiturus accessit. Qui, benedictione percepta, egrediens a cellula, dum caput inclinaret, ne impingeret, eo quod proceræ staturæ esset, a Dei viro futurorum prescio audivit: *Vade nunc ad Italiam, Odoacar, vade vilissimis interim animantium pellibus indutus, multis cito plura largiturus.* Hæc verba exitus vera probavit; nam postmodum per omnem Italiam regnavit. Ingresso igitur Italiam Odoacari statim apud Liguriæ terminos Orestes patricius occurrit; sed videns multitudini tantæ se non posse resistere, intra Ticinum, quæ nunc Papia dicitur, se trepidus inclusit. Veniens autem Odoacar, expugnatam urbem intravit, omnia rapinis vastavit, comprehensumque Orestem gladio trucidavit; indeque dispersi barbari omnem Italiam sine tarditate suo subdiderant juri. Odoacar itaque prosperos sibi cernens successus accrescere, statim regiam arripuit dignitatem; Augustulus vero cernens universam Italiam Odoacaris viribus subdi, inopinabili metu perterritus, cum vix undecim mensibus rem publicam obtinuisset, sponte purpuram miserabilis abjecit et imperialem majestatem deposuit. Ita Romanum imperium toto orbe venerandum et augustalis illa sublimitas, quæ ab Augusto quondam Octaviano 709° a condita Urbe anno cœpit, in hoc Augustulo periit anno ab Urbe condita millesimo 227°, a Cesare vero, qui primus singularem in ea principatum arripuit, anno 524°, ab incarnatione Domini anno 477°. * Igitur dejecto Augustulo, Odoacar Urbem ingressus, totius Italiæ regnum est adeptus, quod per 14 annos nullo inquietante obtinuit, donec Theodoricus rex Ostrogotharum, permittente Zenone augusto, Italiam possessurus intravit. Quod qualiter sit actum, superius legi potest in hystoria Gothorum. Zeno itaque augustus dum præfuisset orientali regno annis 17, vitæ terminum accepit. Cujus frater Longinus imperium temptans invadere, ab Ariagne repulsus est, et Anastasius silentiarius per ejus suasum ab omni senatu et populo eligitur, indutusque purpura, eamdem Ariagnem in conjugio sortitur.

D? E. *add.:* Acephalorum heresis exorta est, inpugnantium tria capitula synodi Calcedonensis sine nomine auctoris; ob quod acephali, id est sine capite, sunt vocati.

2. Anno dominicæ incarnationis 477. Felix papa quinquagesimus sedit annis 8. *

D? E. *add.:* Hic Achatium — dampnato. *ex Sigeb.*

3. (*Chr. W.*) A. D. 478. Odoacar Italiam intravit.

4. A. D. 479. Corpus Barnabæ apostoli et evangelium Mathei apostoli stilo ipsius scriptum inventum est. *1

*1) 10. 11. *add.:* Clodoveus Rothildem, filiam regis Allobrogum, qui nunc Burgundi appellantur, amans, cum propter insidias inimicorum aperte non posset, occulte per Aurelianum fidelem suum sub habitu perigrini anulum mittens, eam desponsavit. Sed cum finibus Burgundiæ appropinquaret, his qui eam ducebant persuasit, ut ex utraque parte 12 miliaria incenderent, deprædarent, quatinus vel unam vindictam conspiceret de his qui sibi patrem occiderant, matrem, saxo ad collum ligato, aqua submerserant, fratres exiliaverant, Sigismundum regem patruelem suum, cum uxore et filiis in puteum projecerant. Quod factum est. Hunc sanctus Remigius baptizavit, 30 annis regnavit. *Cf. Fredeg. hist. epitom.*

8. A. D. 484. Clodoveus [1002], Hilderici filius, regnavit in Francia annis 30. Hunc [1003] baptizavit sanctus Remigius.

9. A. D. 485. Gelasius papa 51[us] sedens annis 4, mens. 8, decessit 13 Kal. Decembr. *

* D? E. *add.:* Hic Manicheos. — fecit. *ex Sigeb.*

10. (Beda.) A. D. 486. Hunericus rex Wandalorum, filius Geiserici, plus quam 334 episcopos catholicos exiliavit, quibusdam linguas abscidit, qui tamen loquebantur, quorum beatus Gregorius in libro Dialogorum (III, 32) meminit.

14. A. D. 489. *

* 4 — 11. *add.:* Avitus [1004] Viennensis episcopus Gallias convertit. *ex Sigeb.*

15. A. D. 490. * Anastasius papa 52[us] sedit annum unum, mens. decem.

* D? *add.:* Avitus V. e. Gallias ab a. h. d. et libros de c. m. metrice composuit. *ex Sigeb.*

17. [A. D. 492. [1005]] Symmachus papa 53[us] sedit annis 14.

VARIÆ LECTIONES.

[1001] Leo — regnavit *in loco raso.* 1. [1002] Clodoveus — Remigius *des.* 10. 11. [1003] Hunc — Remigius *des.* 4. [1004] *des.* 1. [1005] *Ekk. in cod.* 1., *ut semper fere, numeros correxit; ut edidimus, primo scripsit (et ita* 5. 9[c].), *postea annum, qui sequitur,* 493 *in* 492 *mutavit, ideoque hanc lineam erasit, verbaque* Symmachus — XIV *vaulo inferius in margine scripsit.* — 491. 4. *In* E. *hæc desunt.*

Anni Anastasii.

1. (*H. R.*) Anno dominicæ incarnationis 492 [1006], Urbis autem conditæ millesimo 243°, Anastasius imperium accepit, et 27 annis regnavit, quinquagesimo primo loco ab Augusto; (*H. m.*) Theodericus vero cum Gothis Romano presedit imperio; hic Arrianus, ille Euthicianus hereticus. His temporibus magna discordia facta est Romæ propter Symmachum et Laurencium, quibusdam eligentibus Laurentium preter consuetudinem Romanorum, aliis vero sanioris consilii Symmachum diaconum. Pro qua causa facta sunt multa homicidia Romæ civium Romanorum, clericorum etiam et sacerdotum per tres circiter annos, usque quo Theodericus princeps Romam venit; qui quamvis Arrianus esset, habito tamen synodo, Symmachum episcopum Romæ firmavit, Laurentium vero in civitate Nucerina episcopum locari precepit. Qui tamen nullo pacto quiescens, sed sediciones commovens, a Symmacho deponitur et in exilium Dalmatiam mittitur. *

* D? E. *add.* Pro cujus — excelsis decantari. *ex Sigeb.*

Eodem tempore Trasamundus, Geiserici filius, qui jam super Wandalos regnavit, secutus patris et fratris perfidiam, æcclesias Dei clausit, et 220 episcopos in Sardiniam exiliavit, quibus beatus Symmachus papa cottidiana subsidia ministravit.

Inter has tempestates beatus Fulgentius episcopus in confessione fidei et scientia claruit.

His ipsis diebus apud Africam dum Arrianus quidam, Olimpius nomine, in balneo lavaretur et indigna quædam et blasphema verba de sanctæ Trinitatis fide loqueretur, subito igneus gladius de cælo venit eumque percussit. Deuterius autem episcopus Arrianorum baptizans quendam Bizantii nomine Barbam, dum contra regulam fidei minorem Patre Filium et Spiritum sanctum asserens, diceret : *Baptizo, te, Barbas, in nomine Patris per Filium in Spiritu sancto*, subito aqua, in qua baptizare debuit, nusquam comparuit. Quod videns qui baptizandus erat, confestim ad æcclesiam catholicam properavit, et juxta morem rectæ fidei baptismum accepit.

Hisdem temporibus Alamundaro principe Sarracenorum baptizato, venerunt ad eum duo episcopi Arriani, suadentes ei, ut suæ sectæ consentiret. Qui ab orthodoxis baptizatus et instructus, memorabiliter eos redarguit hujuscemodi fabula. Ait enim : *Litteras accepi hodie, quia Michahel archangelus mortuus est.* Illis vero dicentibus, hoc impossibile fore, ait princeps : *Et quomodo Christus secundum vos vivus crucifixus est, nisi naturarum esset duarum, quando quidem nec angelus mortuus est?* Et ita cum confusione recesserunt episcopi. Hujus Anastasii temporibus Clodoveus in Francia regnavit, qui et Alaricum regem Gothorum interfecit, et ab eodem Anastasio epistolas pro consulatus dignitate accepit (cf. *Gesta Franc.*). (*H. m.*) Anastasius itaque A dum in heresi, qua dilapsus fuerat, perseveraret, Ormisda papa, Symmachi successor, misit ad eum Ennodium Ticinensem episcopum cum aliis catholicis, ut eum reducerent ad regulam fidei catholicæ, sed ille non solum monita eorum salubria sprevit, verum etiam a conspectibus suis non sine injuria expulit, navique veteri fragilique impositos, ne uspiam per totam Greciam civitatem ullam intrarent, precepit. Quam ejus impiam temeritatem divina mox ultio subsecuta est. Nam cum 27 imperii ageret annum, mortuus est. Quidam vero aiunt, quod fulmine percussus sit.

4. (*Chr. W.*) A. D. 495. Theodericus Odoacarem interemit, et ipse Occidentis regnum 31 annis tenuit.

B 7. A. D. 498. Trasemundus rex Wandalorum, filius Geiserici, catholicas æcclesias clausit, et 220 episcopos in exilium misit.

12. A. D. 503. Boecius consul Romæ plurima ingenii sui monimenta scribendo reliquit.

14. A. D. 505. Theodericus Romam venit, et multa miranda ædificia in ea construxit.

15. A. D. 506. Hormisda papa 54[us] sedit annis 9, decessitque 8 Idus Augusti.

20. A. D. 511. *

* 5 — 11. *add.* : Genovefa virgo Parisiensis octogenaria migravit ad Deum [1007]. *ex Sigeb.*

21. A. D. 512 *

* D? E. *add.* : Genovefa v. P. o. transit ad Dominum. *ex Sigeb.*

C 22. A. D. 513. Clodoveus rex obiit, relinquens quatuor filios heredes regni (cf. *G. Fr.*).

23. A. D. 514. Lotharius, Clodovei filius, regnavit annis 51.

24. A. D. 515. Johannes papa 35[us] sedit annis 2, mens. 9. *

* D? E. *add.* : Rex Sigismundus — sanitatum gratia. *ex Sigeb.*

25. (*Chr. W.*) A. D. 516. Theodericus filiam suam Amalasuindam dedit Eutharico.

27. A. D. 518. Felix papa 56[us] sedit annis 4, transiit 11 Kal. Jan.

D (*H. m.* et Jord.) Anno dominicæ incarnationis 519°, Urbis conditæ millesimo 270°, Justinus, genere Illyricus, vir catholicus et senior multumque peritus, comes excubitorum, a militibus proficiens ad senatum, 52° loco ab Augusto, senatus electione accepit imperium, regnavitque annis 8. Ad hunc ob causam redintegrandæ fidei directus a Romano presule vir sanctitate precipuus Germanus, Capuanæ urbis episcopus, digne ab eo est susceptus, multorumque corda dubia in fide solidavit.

Eo tempore mortuo apud Africam Trasemundo rege Wandalorum, Hildericus, filius ejus ex Eudoxia captiva Valentiniani filia, regnum suscepit; qui non patrem avumque Arrianos, sed matrem catholicam secutus, rectæ fidei cultor extitit. Hic

VARIÆ LECTIONES.

[1006] 493. 5. 9[e]. 11. 492. *corr.* 493. 10. [1007] dominum 9[e].

universos episcopos qui in exilio erant regredi fecit, eisque æcclesias reformare præcepit, quæ a Geiserico usque ad Hildericum per 70 annos fuerant destructæ.

Justinus quoque augustus sexto imperii sui anno pro ardore catholicæ fidei decertabat hereticos dissipare, precepitque ut ubique illorum æcclesias catholici episcopi consecrarent. Quod audiens Theodericus, qui et ipse fuit Arrianus, misit Johannem tunc temporis papam ad Justinum, ut aut hereticis æcclesias suas redderet [1008], aut ipse totius Italiæ populum gladio feriret. Quo abeunte, ipse interim Symmachum patricium et Boetium senatorem gladio peremit, redeuntemque papam fame interfecit. Unde divinæ [1009] judicio vindictæ 99° dehinc die subitanea morte interiit. Justinus vero augustus cum jam octavo anno augustalem dignitatem teneret, mense Aprili, indictione quarta, ægrotare incipiens, provexit, dum adhuc viveret, in imperium Justinianum, sororis suæ filium, qui et coimperavit [1010] ei mensibus quatuor; mense vero Augusto ipse apud Constantinopolim rebus excessit humanis.

Anni Justini.

1. (Jord.) Hic anno regni sui primo Amantium prepositum palatii et alios regno suo inhiantes interfecit.

4. A. D. 522. [1011] Bonifacius papa 57us sedit annis 2.

6. A. D. 524. Johannes, qui et Mercurius, papa [1012] 58us sedit annis 2, decessitque 5 Kal. Junii. Hic missus Constantinopolim ad Justinum a Theoderico, cum venisset ad portam auream, cæcum illuminavit (cf. Bedam).

7. A. D. 525. Theodericus rex [1013] Boecium et Symmachum gladio trucidavit, Johannem papam fame in carcere necavit, ipseque 99° die interiit post hæc.

8. (*Chr. W.*) A. D. 526. Justinus Justinianum regni consortem et successorem faciens, obiit. Agapitus [1014] papa 59us sedit annos decem, obiit 10 Kal. Mai.

(*H. m.*) Anno ab incarnatione Domini 527°, ab Urbe condita millesimo 278°, Justinianus, filius sororis Justini imperatoris, 53° loco ab Augusto, imperium solus obtinuit, et 28 annis regnavit. Hic mox ut imperialia jura suscepit, ad reparandum rei publicæ statum animum intendit, ac primum Bilisarium patricium ingentem virum contra Persas, qui Romanos fines invaserant, direxit, qui de illis viriliter triumphavit. Interea rex Herulorum, Gretes nomine, cum populo suo Constantinopolim venit, petens ut baptizaretur. Quem in epyphania baptizatum imperator de fonte suscepit, promittentem ei se in omnibus auxiliari. Eodem anno adhesit Romanis mulier quædam ex Hunis, vidua, habens secum Hunorum centum milia. Tunc et rex Hunorum, qui sunt juxta Bosphorum, nomine Gorda, accessit ad imperatorem, et factus [1015] christianus, susceptus est ab eo, multisque ei [1016] prestitis donis, misit eum in regionem ipsius ad Romanas res custodiendas et Bosphorum civitatem, quæ pro eo Bosphorus est dicta, quod Romanis per singulos annos boves pro pecuniis inferebat. Renovavit [1017] imperator leges, faciens codicem singularem et vocans eum novellas constitutiones. Eodem anno passa est Antiochia terremotus magnos et tempestates, et faciebant lætanias omnes discalciati, clamantes kyrie eleyson. Apparuit autem in visu cuidam Dei cultori, ut diceret omnibus, quod scriberent in superliminaribus suis : *Christus nobiscum state.* Quo facto, stetit ira Dei.

Interea Athalaricus, nepos Theoderici, rex Gothorum, cum paucis annis regnaret, immatura morte preventus est. Cujus mater Amalsuinda Theodatum consobrinum suum sibi asscivit in regnum. Sed post dies aliquot isdem, immemor collati beneficii, eam in balneo strangulari [1018] precepit. Quia vero ipsa dum viveret se suumque filium principi commendaverat, audita ejus morte, imperator gravi exarsit iracundia in Theodatum. Quod ille sentiens, Agapitum papam intercessorem misit Constantinopolim. Qui cum venisset et colloquium cum imperatore habere [1019] cœpisset, reperit eum in Euticetis dogma corruisse. Quo ad fidei regulam revocato, idem Agapitus papa Anthimum Constantinopolitanum episcopum, qui eandem heresim defendebat, publice convicit, eumque communione privavit, et ut eundem exilium mitteret, imperatori persuasit. Hoc facto, non multo post idem pontifex Agapitus ibi [1020] defunctus est.

Interea cum jam per multos annos Wandali Africam tenerent, misit imperator Bilisarium patricium cum exercitu contra eos. Qui veniens tribusque mensibus, id est a Kalendis Septembris usque ad Kalendas Decembris, eos impugnans, multis occisis, tandem eos vicit, Kartaginem intravit, regem Wandalorum Gelismerem vivum cepit, omnemque Africam, post nonaginta sex annos a Wandalico jure liberatam, Romano imperio subjecit. Deinde contra Theodatum missus, cum veniret Siciliam, Theodato interfecto, Witigis regnum ejus invasit, sed eundem captum Bilisarius Constantinopolim perduxit. (P. D. I, 25.) Alia quoque prælia multa idem Bilisarius [1021] commisit, multasque gentes bellando devicit; unde et propter multas victorias diversa agnomina meruit, ita ut vocaretur Alamannicus,

VARIÆ LECTIONES.

[1008] *folium in cod.* 1. *excisum est.* [1009] divino vindicte 9c. [1010] comparavit 4. 9c [1011] 523. 4. *qui inde ab a.* 520. — 527. *numerum majorem exhibet.* [1012] I. papa qui et m. 5. [1013] *deest* E 1. [1014] *Hæc a.* 525. E. [1015] f. est 9c. [1016] *deest* E 1. [1017] R. igitur i. E 1 [1018] transgulari 5. [1019] *deest* 9c. [1020] ibidem 5. [1021] *hic vergit* 1.

Gothicus, Francicus, Germanicus, Alanicus, Wandalicus, Africanus. Magnam quoque gloriam et honorem apud imperatorem et omnes optimates obtinuit. (*H. m.*) Qui cum Romæ moraretur, Theodora augusta ei demandavit, ut Silverium papam, falsorum testium accusatione convictum, truderet in exilium, eo quod Anthimum hereticum Constantinopolitanum episcopum, quem Agapitus papa excommunicavit, absolvere noluisset. Quod Bilisarius, licet nolens, effecit, eumque ad Pontianam insulam exiliavit, ubi et obiit. Similiter et Vigilius papa, successor ejus, causa ejusdem indignationis per Anthimum scribonem Constantinopolim ductus, inde in exilium est missus (P. D. *l. l.*) Sub hoc papa Vigilio Arator subdiaconus Romæ floruit, Actusque apostolorum versibus scripsit.

His quoque temporibus Cassiodorus Romæ tam seculari quam divina scientia claruit, qui inter alia bona quæ scripsit psalmorum secreta optime interpretatus est. Iste antea consul fuit, deinde senator, ad ultimum monachus.

Hoc etiam tempore Dionisius abbas in Romana urbe positus, cyclos paschales sapienter composuit; sed et Priscianus Cæsariensis profundum gramaticæ inquisivit.

(Ib. II, 9.) Felix quoque Tharvisianæ æcclesiæ presul et Fortunatus condiscipulus ejus fuerunt. Hic Fortunatus fuit de loco qui dicitur Duplabilis, non longe a Tharvisio, gramaticam vero et rethoricam didicit apud Ravennam. Qui cum dolorem pateretur dentium, simulque socius ejus Felix, abierunt ambo ad æcclesiam sanctorum Johannis et Pauli, quæ est in eadem civitate Ravenna, in qua est et altare sancti Martini, juxta quod fenestra est, in qua lucerna poni solebat, de cujus oleo super oculos suos posuerunt, et sanitatem receperunt. Pro qua causa Fortunatus beatum Martinum in tantum dilexit, ut patriam dimittens, ad sepulchrum ejus Turonum veniret, antequam Longobardi Italiam intrarent; indeque Pictavium tendens ibique manens, multas passiones sanctorum, alias per versus, alias per prosas composuit, ibique primum presbiter, postea episcopus factus est.

(Ib. I, 26.) Hisdem temporibus sanctus pater [1022] Benedictus post heremiticam vitam, quam duxit in loco cui Sublacus vocabulum est, in monte Cassino doctrina et miraculis claruit. Quo cum primum tenderet, relicta priore habitatione ex divina jussione, tres corvi, quos cottidie nutriebat, prope ipsum semper volando secuti sunt eum, ut in Longobardorum hystoria scribitur. Cumque veniret ad quoddam bivium, duo angeli apparebant ei in specie duorum juvenum, ostendentes ei, per quam viam ire deberet. In loco autem ipso quidam Dei servus habitabat, cui vox de cælo dicebat: *His tu parce locis, alter amicus adest.* Quod apertius dicitur: « Amice, exi de loco isto, quia alter amicus debet A hic habitare. » Veniens autem sanctus Benedictus in summitatem montis, in magna se constrinxit abstinentia; factoque monasterio, habitavit ibi, sicut in dialogo (II, 1) legitur.

(*H. m.*) Hoc eodem tempore gens Longobardorum, amica tunc Romano populo, in Pannonia habitabat, cui tunc in regni gubernaculo Audoin prerat, omnique tempore, quo Longobardi in Pannonia habitabant, Romanæ rei publicæ adversus emulos adjutores erant. Unde et Alboin, Audoini filius, rogatus a Narsete, quem Justinianus exarchum Italiæ fecit et in defensionem Romanorum contra Totilam Gothorum regem direxit, validam ei manum in auxilium misit, qua fretus Narses, Totilam vicit, omnemque Italiam a potestate Gothorum liberam B deinceps fecit.

Bilisarius autem patricius accusatus apud imperatorem, quod adversus eum conspirasset, ablatis omnibus, missus est in custodiam; sed post non multum tempus dimissus, omnia recepit.

Justinianus vero imperator postquam 38 annis [1023] regnavit, rebus humanis excessit.

Anni Justiniani.

(*H. m.*) Primo hujus anno missus contra Persas Bilisarius patricius magnis eos præliis fudit, et ex voluntate principis Constantinopolim triumphans intravit.

2. A. D. 528. Terremotus magnus Antiochiæ factus est.

3. A. D. 529. Justinianus sententiam promulgavit, C ne militarent pagani vel heretici, dans illi tres menses ad inducias conversionis.

6. (*Chr. W.*) A. D. 532. Dionisius abbas Romanus paschales cyclos ab hoc inchoavit anno.

8. (*H. m.*) A. D. 534. In Pompeiopoli Misyæ civitate scissa est terra a terremotu, et obrutum est medium civitatis cum habitatoribus, et voces eorum auditæ sunt de subtus terra clamantium, ut sibi succurreretur; et imperator ad educendos eos multa donavit, viventesque liberaliter liberavit. — Eodem anno tradidit Justinianus ad psallendum æcclesiæ illud quod canitur: *Unigenitus Filius et Verbum Dei.*

10. A. D. 536. Silverius papa 60[us] sedit annos 2, obiit 12 Kal. Julii.

11. A. D. 537. Theodericus, filius Clodovei, fra- D ter Lotharii, obiit anno regni sui 23°, relinquens filium Theodebertum (cf. *G. Fr.*).

12. A. D. 538. Vigilius papa 61[us] sedit annis 14.

13. (*H. m.*) A. D. 539. Mundus quidam ex genere Gepidarum sociatus est Romanis.

Anni ab inicio mundi 4500.

15. A. D. 541. Ypapanti Domini sumpsit inicium ut celebraretur apud Bizantium, cum esset eo anno ibi magna mortalitas.

17. A. D. 543. Factus est terremotus magnus in universo mundo; eodemque anno apparuit quidam ex regione Italorum, nomine Andreas, per villas dis-

VARIÆ LECTIONES.

[1022] p. noster 1[b]. [1023] *decst* 1.

currens, habens canem rutum et cœcum, qui jussus ab eo fecit miranda. Cum enim staret in foro et turba in circuitu adesset, clam eodem cane deferebantur asstantium anuli aurei et argentei ac ferrei, et ponebantur in terra, quos ille cooperiebat; ipsoque precipiente, canis tollebat, et unicuique suum dabat. Similiter et diversorum imperatorum nomismata mixta porrigebat per nomina. Turba etiam asstante, interrogatus ostendebat in utero habentes, fornicarios et adulteros, avaros et magnanimos, et quicquid de singulis interrogabat, cum veritate demonstrabat. Unde dicebant quidam, quod spiritum Pythonis haberet.

18. (Beda.) A. D. 544. Diffusum est mare per Tracen miliariis quatuor. (*Chr. W.*) Corpus sancti Antonii repertum, Alexandriæ reconditur.

20. (*H. m.*) A. D. 546. Theodora augusta defuncta est. — Arator subdiaconus librum suum publice coram Vigilio papa legit. (*Chr. W.*) His temporibus Cassiodorus Romæ floruit, et apud Constantinopolim Priscianus Cesariensis Juliano consuli librum suum de arte grammatica obtulit.

21. (*Chr. W.*) A. D. 547. Quinta synodus universalis in Constantinopoli congregata est sub Vigilio papa contra Theodorum et omnes hereticos.

23. (*H. m.*) A. D. 549. Facta sunt encenia sanctorum apostolorum Constantinopoli mense Junio, et recondita sunt lypsana Andreæ et Lucæ ac Timothei apostolorum, et transiit Menas episcopus cum sanctis lypsanis, sedens in carruca imperatoris aurea et gemmata, tenens tres thecas sanctorum apostolorum in genibus suis, et ita celebravit encenia.

25. (*Chr. W.*) A. D. 551. Victor Capuanus episcopus librum de pascha scribens, Victorii redarguit errores. Theodebertus, filius Theoderici filii Clodovei, obiit anno regni sui 14°. Cujus filius Theodobaldus fuit (cf. *G. Fr.*).

26. A. D. 552. Pelagius papa 62[us] sedit annis 12.

27. (*H. m.*) A. D. 553. Terremotus terribilis factus est Constantinopoli et in urbibus circumquaque positis per dies 40.

29. A. D. 555. Apparuit ignis in cælo quasi species lanceæ.

30. A. D. 556.*

*D? E. 5—11. *add.* : Sanctus Medardus obiit. *ex Sigeb.*

31. A. D. 557.*

*D? E. *add.* : Radegundis regina, uxor quondam Lotharii regis, mutata veste clarebat sanctitatis nobilitate. 4—11. *add.* : R. r. u. q. L. r. sanctitate claruit [1024]. *ex Sigeb*

32. A. D. 558.*

*D? E. 4.—11. *add.* : Gregorius ex pretore urbano monachus, Romæ floruit. *ex Sigeb.*

33. (Cf. *G. Fr.*) A. D. 559. Theodobaldus, filius Theoderici, obiit anno regni 8°.

37. A. D. 563. Hilpericus, Lotharii filius, regnare cœpit.

38. (*Chr. W.*) A. D. 564. Johannes [1025] papa 63[us] annis 13. — Justinianus imperator obiit. — Lotharius, filius Clodovei, rex Francorum, obiit anno regni sui 51°, relinquens quatuor filios (cf. *G. Fr.*)

Hucusque [1025] Jordanis episcopus cronicam suam perduxit ab Adam (cf. *Chr. W*).

(*H. m.*) Anno dominicæ incarnationis 565°, Urbis autem conditæ millesimo 316°, Justinus minor, Justiniani nepos, genere Trax, 54° loco ab Augusto, monarchiam accepit, et 11 annis regnavit, habens uxorem nomine Sophyam, quam coronavit augustam, coronatus et ipse ab Euthicio patriarcha. Hic cum esset pius et orthodoxus, adornavit æcclesias, quas Justinianus ædificavit, dans eis thesauros et omnem reditum, misitque Photinum monachum, privignum Bilisarii patricii, dans ei potestatem contra omnem personam et causam, ut pacificaret universas æcclesias Ægypti et Alexandriæ. Fuit autem, ut dictum est, in inicio bonus, postea vero in omnem avariciam incidit, factus exemptor pauperum, spoliator senatorum, faciens arcas ferreas, in quibus quæcumque rapiebat auri talenta reconderet. Hujus anno octavo rupta est pax inter Romanos et Persas, eo quod Homeritæ Indi legationem miserint ad Romanos, et imperator miserit Julianum magistrum cum epistola ad Arctham regem Indorum. Qui susceptus est cum gaudio multo ab Aretha rege, appetente nimirum amiciciam imperatoris Romanorum. Enarrabat autem idem Julianus cum redisset, quod idem Aretha rex, quando eum suscepit, nudus esset, habens in lumbis cincturam et linea vestimenta auro contexta, circa ventrem vero portabat indumenta scissa, margaritis preciosis conserta, habens in brachiis quinos circulos et aureas armillas in manibus suis, in capite autem pannum gemmatum, habentem ex utroque ligamento plectas quatuor, et in collo torquem aureum; et stabat super quatuor elephantes, stantes et habentes jugum et rotas quatuor et super se currum excelsum velatum petalis aureis, stansque ipse desuper, ferebat scutum parvissimum deauratum et duas lanceolas aureas; et senatus ejus omnis erat cum armis, canentes modulationes musicas. Introductus ergo legatus Romanorum, cum adorasset, jussus est ab eo erigi et adduci ad se. Cum autem accepisset imperatoris sacram, osculatus est signaculum, quod habebat imperatoris pectusculum; susceptis autem et donis, gavisus est valde. Porro cum legisset epistolam, invenit, ut se armaret contra regem Persarum et ejus regnum vastaret. Quod protinus fecit, tenensque caput Juliani, dedit ei pacis osculum, dimisitque eum in magna benivolentia multisque muneribus.

(P. D. II, 1, sqq.) His temporibus Narses, cartularius quondam imperatoris Justiniani, sed pro bono servicio factus patricius, Totilam regem Gothorum,

VARIÆ LECTIONES.

[1024] c. s. 3. [1025] Johannes — 13. *et* Hucusque — Adam *desunt* Et.

auxiliantibus Longobardis, Romanorum tunc amicis sed adhuc in Pannonia positis, occidit, gentemque Gothorum de Italia exterminavit. Idem etiam Narses Buccellinum ducem Francorum, a Theoderico rege missum ad devastandam Italiam, occidit, et Sindoaldum regem Brendorum, qui remanserat de generatione Herulorum, quos Odoaccar duxit in Italiam, apprehendit, et in alta trabe suspendit, totamque Italiam ab hostibus liberam reddidit. Erat enim vir sapientissimus, in fide Christi catholicus, in pauperes largus, recuperator æcclesiarum, in vigiliis et orationibus assiduus, in tantum ut victoriam magis obtineret oratione quam armis. Hujus temporibus facta est magna mortalitas in Italia, incipiens a Liguria, ita ut pene destitueretur habitatoribus terra illa. Inter hæc mortuus est Justinianus, et successit Justinus. Narses autem patricius cum, superata gente Gothorum, Italiam securus jam teneret, Romani per invidiam accusationem adversus eum direxerunt Justino augusto et Sophiæ, uxori ejus, dicentes : *Melius esset nobis servire Gothis quam Grecis, ubi Narses castratus imperat et nos servicio premit, et noster sanctissimus princeps hoc nescit. Aut libera nos de manu ejus, aut certe civitatem Romanam et nosmet ipsos gentibus trademus.* Audiens hoc Narses, scripsit ad augustum, dicens : *Si male feci cum Romanis, male inveniam.* Sed augustus ira motus adversus Narsetem, Longinum statim prefectum misit in Italiam, qui locum Narsetis teneret. Sophya quoque augusta inter alia verba Romanis sic scripsit de eo : *Ponam illum castratum in genicio* [1026], *ut perpensam filet lanam cum puellis.* Ad hæc Narses respondit : *Talem eidem ordiar telam, ut, quamdiu vixerit ipsa Sophya, non possit deponere eam.* Et quia timuit redire Constantinopolim, contulit se Neapolim, et presentaliter legatos suos ad Longobardos misit, eosque in Italiam introduxit. Cujus [1027] gentis adventum in Italiam et habitationem ejus in ea usque in presens ut apertius describamus, de origine ejus regumque illius successione aliqua hic carptim inseramus.

HYSTORIA LONGOBARDORUM.

(P. D. I, 1, sqq.) Septentrionalis plaga, quanto longius est ab ardore solis et frigida de assiduis nivibus, tanto saniores homines semper habet et eo aptior est ad multiplicandas gentes. Unde fit, ut tanta multitudo populorum in ea parte nascatur, quæ ibi vivere non possit, sed in partem meridianam alii precio vendantur, alii sponte egrediantur. Qua de re, ut in hystoria Gothorum dictum est, multæ gentes ex eisdem partibus exierunt, Gothi, Gepidæ, Rugi, Wandali, Heruli, Turcilingi, Huni, qui et Avares, similiter et Winili, qui et Longobardi. Est itaque insula quædam in partibus septentrionalis occeani, dicta Scandanavia vel Scanzia, quæ, ut quidam dicunt, non est in oceano posita, sed propter planiciem ejus undæ maris exestuantes circumdant eam. In hac ergo dum multus populus excrevisset, ita ut in ea habitare non posset, consilio [1028] inito, multitudo illa omnis in tres partes est divisa, quesitumque est per sortis divinationem, quæ pars ex illis patriam relinquere novasque sedes deberet exquirere. Igitur illa pars, quam sors jubebat exire, ordinavit super se duces fratres duos, Ibor et Aionem, ætate juvenes et corpore aliis majores et valentiores, quorum mater Gambara erat sapientissima et consiliatrix optima, de cujus prudentia magnam confidentiam omnes habebant. Osculantes igitur parentes et amicos, ire cœperunt, venientesque in regionem Scoringam, aliquantos annos ibi sederunt. Illo itaque tempore Ambri et Assi, duces Wandalorum, fortiter premebant vicinas sibi regiones, et cum jam gloriarentur de multis victoriis, mandaverunt Winulis [1029], qui et Longobardi, ut aut tributa illis darent, aut ad pugnam se prepararent. Tunc Ibor et Aio per consilium matris suæ Gambaræ definierunt, melius sibi esse, aut pugnando mori aut per arma defendi, quam tributis turpiter subdi, miseruntque legatos Wandalis, se paratos esse ad pugnandum magis quam ad serviendum. Commisso vero prælio, Winili [1030] pro libertatis gloria fortiter pugnantes, victoriam habuerunt, sed postea famem magnam passi in eadem provincia Scoringa, valde humiliati sunt. De qua exeuntes, venerunt in Mauringam, indeque item in Godolandam provinciam, et ibi aliquanto tempore steterunt. Mortuis interea Ibor et Aione ducibus, Longobardi jam nolentes habere duces super se, Agelmundum regem sibi primum constituerunt ad similitudinem aliarum gentium, qui regnavit super eos annis 33. Fuit autem Agelmundus filius Aionis, de gente Thuringorum, quæ gens apud eos melior et fortior esse dicebatur. His temporibus quædam meretrix in uno partu septem filios generavit, ultraque bestiam crudelis, in piscinam eos jactavit. Quam piscinam cum predictus Agelmundus forte preteriret, videns infantulos, doluit, hastamque mittens, eos huc illucque volvit. Quorum unus cum apprehendisset hastam regis, misericordia motus rex, levavit eum de aqua, dicens : *Quia iste magnus futurus est.* Et cum omni studio dedit eum ad nutriendum. Et quia eum de piscina levavit, eorumque lingua aqua lama dicitur, Lamisso ei nomen imposuit. Qui cum crevisset, factus est fortissimus pugnator et sapientissimus, et post Agelmundum ipse regnavit. Defuncto post hæc Lamissone rege secundo, tercius regnavit Lethus. Qui cum regnaret annis 40, filium suum Childeoc quartum regem reliquit; et hoc defuncto, regnavit

VARIÆ LECTIONES.

[1026] de genetio 1b. [1027] *Sequens historia deest* E1. *omittitur etiam* 3. [1028] *ante* c, *vocabulum erasum* 1. [1029] *ita* 1. [1030] ili *e corr.* 1.

Godeoc. Quo mortuo, filius ejus Calpho regnavit sextus. Et isto mortuo, regnavit septimus Tado. Post hæc egressi Longobardi de Rugilant, quæ Latino eloquio Rugorum patria dicitur, habitaverunt in apertis campis, qui sermone barbarico appellantur felt. In quo loco dum per tres annos habitassent, pugna surrexit inter Tadonem et Ruodolfum regem Herulorum, qui prius amici fuerunt; et hoc fuit malum, unde in eos discordia intravit. Frater Ruodolfi regis pro causa pacis ad Tadonem venerat, et cum ad suam patriam reverti vellet, ante domum Rumetrudæ, filiæ regis, transiit. Illa vero cum videret multos viros nobiles ire cum eo, interrogavit, quis esset, dictumque est illi, quod frater Ruodolfi regis fuisset. Tunc illa misit puellam, quæ eum invitaret, ut dignaretur cum ea bibere. Qui ut hoc audivit, cum simplici corde venit. Sed quia modicam staturam habebat, puella superba et gloriosa despiciebat eum et deridebat. Ille autem talem verecundiam non sustinens, amplius eam injuriavit. Illa vero accensa ira feminea, malum, quod in mente conceperat, complevit. Finxit enim se per patientiam lætam esse, et invitans eum ad sedendum, fecit eum in tali loco sedere, ubi fenestra erat post dorsum ejus, et ne ille aliquam suspicionem mali posset habere, pannum preciosissimum ante fenestram jussit tendere, dixitque pueris suis, ut in qua hora diceret: *Misce*, illi eum a dorso lanceis transforarent. Sicque factum est. Quod cum Ruodolfo regi nunciatum esset, nimis iratus de tam funesta morte fratris sui, disrupit pacem, quam cum Tadone rege habuit, et ei pugnam indixit. Cumque venissent ambæ partes in campum apertum, Ruodolf suos mandavit ad pugnam, ipse vero in tentorio sedens, jocabatur ad tabulam, non dubitans aliquid de sua victoria. Gens enim Herulorum multum docta erat pugnandi, et ut leves essent ad pugnandum, omnes nudi pugnabant, solummodo verenda corporis membra cooperientes. Rex vero indubitanter de virtutibus eorum confidens, securus, ut diximus, ad tabulam jocabatur, unum tamen de suis in arborem jussit ascendere, qui ei victoriam suorum nunciaret, promittens ei, se caput ejus abscidere, si Herulos suos nunciaret fugere. Sed ille cum videret eos fugere et Longobardos fortiter instare, interrogatus a rege, quid Heruli facerent, respondit : *Optime pugnant*. Nec ausus fuit antea dicere malum quod videbat, quam omnes Heruli terga vertebant. Tunc quamvis tarde vocem emisit, dicens : *Væ tibi, misera Herolia, Dei cælestis ira percussa.* Ruodolfus vero hoc audiens, commotus ait : *Forsitan Heruli mei fugiunt.* Ille dixit : *Hoc non ego, sea tu, rex, dixisti.* Tunc, ut in talibus fieri solet, rex ipse et omnes qui cum eo erant turbati, quid agerent nesciebant. Longobardi vero supervenientes, regem et omnes qui cum eo erant occiderunt. Herulorum vero exercitus dum huc et illuc fugeret, tanta ira de cælo super eos venit, ut frutices virides in campo videntes, aquas esse putarent, et dum quasi ad natandum brachia extenderent, crudeliter ab hostibus cedebantur. Longobardi itaque victores effecti, predam magnam inter se diviserunt; Tado vero vexillum et galeam Ruodolfi regis accepit, quam postea semper in bello portavit. Ex illo tempore Herulorum virtus sic humiliata est, ut super se regem amplius non haberent; Longobardi vero ex hoc divites facti, cœperunt de propria voluntate pugnas querere et gloriam virtutemque suam ubique extendere. Post hæc Tado de sua victoria non multum lætatus est; nam irruit super eum Wacho, filius fratris sui Zuchilonis, et occidit eum. Tunc Hildegis, filius Tadonis, pugnavit adversus Wachonem, sed vicit eum Wacho. Qui fugit ad Gepidos, et ibi mortuus est. Pro qua causa Longobardi cum Gepidis ex eo tempore inimicias habuerunt. Habuit autem Wacho uxores tres, primam Ranigundam, filiam regis Thuringorum; deinde tulit Austrigosam, filiam regis Gepidorum, de qua fecit duas filias : nomen uni Wiselgarda, quam Theodebertus rex Francorum tulit uxorem, altera dicta est Walterada, quam iterum tulit uxorem Chusabaldus rex Francorum, quam odio habens, dedit uni de suis, qui dicebatur Garibald, in conjugium. Terciam uxorem habuit Wacho Salingam, filiam regis Herulorum, de qua natus est Walthari, qui patre mortuo super Longobardos regnavit octavus. Isti omnes Litingi fuerunt, de quadam stirpe, quæ nobilissima dicebatur apud eos. Walthari regnavit annis 7, et mortuus est. Post quem regnavit nonus Andoin, qui post non multum tempus Longobardos in Pannoniam introduxit. Hic habuit uxorem Rodelindam, quæ peperit ei filium Alboin, qui fuit fortis et astutus in omnibus. Gepidis igitur cum Longobardis rixam facientibus, pugnam sibi ambæ partes preparant. Commisso itaque prelio, dum ambæ partes fortiter pugnarent et in nullam partem terga verterent, contigit ut in ipsa pugna Alboin, filius Audoin, et Thurismodus, filius Thurisindi regis Gepidorum, sibi invicem obviarent; sed Alboin Thurismodum spata percutiens, de equo dejecit; et sic mortuus est. Gepidi vero videntes filium regis mortuum, in quo magnam habebant fiduciam, statim fugerunt; Longobardi autem sequentes illos fortiter sternunt, multisque ex eis occisis, ad spolia recurrunt. Finita victoria, Longobardi ad sua loca cum redirent, rogaverunt regem Audoin, ut filium suum Alboin secum ad mensam permitteret sedere et prandere, eo quod per eum victoriam haberent, ut sicut patri suo socius fuit in periculo, ita esset et in convivio. Sed pater ejus Audoin respondit eis : *Hoc facere non possum, ut rumpam constitutam legem gentis nostræ. Vos scitis, talem consuetudinem apud nos esse, ut filius regis cum patre suo ante non prandeat, quam ab extraneo rege arma recipiat.* Alboin ut hoc audivit a patre, tulit secum 40 juvenes, et perrexit ad Thurisindum regem, cum quo antea pugnavit, et pro qua causa venisset, ei indicavit. Rex autem bene suscepit eum, et invitavit ad prandium, fecitque

eum sedere ad dexteram suam, ubi filius ejus Thurismodus sedere consuevit, quem Alboin interfecit. Postquam autem jam læti facti sunt, Thurisindus rex videns interfectorem filii sui sedere in loco ejus, alta traxit suspiria, et dolorem quem habuit in corde aperuit, dicens : *Amabilis est michi locus iste, sed persona, quæ ibi sedet, multum michi gravis est ad videndum.* Tunc alter filius regis audiens sermones patris, ira succensus est, et Longobardos nimis injuriare cœpit, et quia fasciolas albas habebant in cruribus, deridebat eos, dicens : *Tibias albas habetis usque ad pedes, et similes estis jumentis variis et fœtus facientibus.* Tunc unus de Longobardis sic illi respondit : *Perge in campum qui vocatur Asfelt, et ibi sine dubio cognoscere poteris, quales sunt isti quos tu jumentis similes esse dixisti, quomodo possunt calcitrare; ibi enim invenies ossa fratris tui dispersa, quasi de vili jumento in mediis pratis.* Gepidi hæc audientes, et turpitudinem tantam non sustinentes, nimis irati sunt, et de tam manifesta injuria se vindicare voluerunt. Econtra Longobardi ad pugnam se preparantes, omnes apprehenderunt gladios. Rex vero surgens a mensa, in medium illorum se misit, et suos ab ira compescuit, jurans, se illum occidere, qui primus auderet pugnam committere. Dixit enim : *Non est illa victoria a Deo placita, cum quis in domo propria inimicum suum in pace susceptum occiderit.* Et sic pace inter eos facta, iterum leti convivium incunt. Completo convivio, Thurisindus rex tollens arma filii sui Thurismodi, tradidit ea Alboin, et salvum illum in pace dimisit. Alboin vero reversus ad patrem suum, conviva ejus factus est. Et dum ad mensam cum patre suo sederet, dixit illi omnia quæ circa eum facta sunt, et omnes qui aderant ammirantes, laudabant Alboin pro audacia sua et Thurisindum pro tali fide maxima.

His temporibus Justinianus imperator Romanum regebat imperium, qui per Bilisarium patricium multas victorias perfecit, leges renovavit, æcclesias reparavit, basylicam quoque, quam Ad Agyam Sophyam, id est sanctam sapientiam, nominant, fabricavit ; cujus opus in tantum super omnia ædificia excellentius estimatur, ut in tantis terrarum spaciis ei simile non inveniatur. Tunc enim Cassiodorus, Dionisius, Arator Romæ claruerunt, Priscianus Constantinopoli floruit, sanctus quoque Benedictus virtutibus effulsit.

Igitur Audoin mortuus est, et Alboin, filius ejus, regnum accepit. Qui cum esset nominatissimus et fortis multum, Clotharius rex Francorum filiam suam nomine Glotsuindam dedit ei in conjugium, de qua fecit unam tantum filiam nomine Albsuindam. Interea mortuus est Thurisindus rex Gepidorum, et accepit regnum Chunimundus. Qui cum vellet vindicare injurias Gepidorum, rupit pacem cum Longobardis, et plus amavit pugnam quam pacem. Alboin vero fecit pacem firmam cum Avaribus, qui primum Huni vocabantur sed postea de A nomine regis sui Avares sunt appellati; deinde ivit ad pugnandum cum Gepidis. Sed cum Gepidi contra Alboin pergerent, Avares statim in terram eorum intraverunt, sicut cum Alboin constituerunt. Hac de causa cum tristis nuncius veniret ad Chunimundum, ille nimis afflictus, cœpit orare suos ut primum cum Longobardis pugnarent et postea ad depellendos Avares repedarent. Inito autem prælio, Alboin occidit Chunimundum, et de capite ejus postea fecit scyphum, qui dicitur apud eos scala, apud Latinos patera, et filiam ejus Rosemundam cum magna multitudine virorum ac mulierum secum abduxit captivam. Gepidi enim sic sunt deleti, ut ab illo tempore jam de suis regem non haberent. Ut autem mortua est Glothsuinda regina, filia Clotharii, Alboin ad interitum suum, ut in sequentibus dicetur, duxit Rosemundam uxorem, filiam Chunimundi.

Inter hæc Justinianus princeps mortuus est, et Justinus minor successit ei ad regendam Constantinopolim. Apud quem, ut supra scriptum est, accusatus Narses patricius, quem loco Bilisarii ad defensionem Italiæ misit imperator Justinianus, in vindictam injuriæ suæ misit legatos ad Longobardos amicos suos, dicens : *Dimittite paupertatem Pannoniæ, et venite ad fertilem Italiam, omnibus divitiis plenam.* Et ut animos eorum amplius incitaret ad veniendum, misit eis de omnibus generibus pomorum et quicquid delectabile poterat excogitare de divitiis terræ. Longobardi hæc audientes, gratanter acceperunt et qualiter irent preparaverunt. Et continuo apud Italiam apparuerunt signa in cælo, scilicet igneæ acies, sanguinem humanum, qui postea effusus est, significantes. Alboin igitur petiit auxilium ab antiquis Saxonibus amicis suis, ut spaciosam Italiam intraret cum multis. Cui Saxones plus quam cum 20000 juncti sunt, et secundum ejus voluntatem cum uxoribus et filiis Italiam cum eo intraverunt. In ipso tempore Alboin Pannoniam dimisit Hunis amicis suis, ea conditione, ut si aliquando Longobardis reverti necesse esset, unusquisque in sua rediret. Habitaverunt autem Longobardi in Pannonia per annos 42. Exierunt vero de Pannonia cum mulieribus et filiis et cum omnibus suis, anno dominicæ incarnationis 568, indictione prima, secundo die post pascha, quod sanctum pascha tunc celebratum est in ipsis Kalendis Aprilis. His igitur diebus, quibus Longobardi invaserunt Italiam, Clotharius rex Francorum mortuus est, relictis quatuor filiis, Heriberto, Guntrammo, Ilelperico, Sigiberto. In hoc tempore Romanam regebat æcclesiam vir sanctus, papa Johannes, post quem Benedictus. Civitatem autem Aquileiam et populum ejus regebat beatus patriarcha Paulus. Qui timens crudelitatem Longobardorum, ex Aquileia ad insulam Gradus secessit, et omnem thesaurum æcclesiæ suæ portavit. Narses itaque de Campania Romam revèrsus, post non multum tempus mortuus est. Cujus corpus in cantra plumbea cum omnibus divitiis suis celle-

cavèrunt et Constantinopolim transmiserunt. Igitur Alboin intravit Liguriam indictione tercia 3 Non. Septemb., et sub tempore Honorati archiepiscopi Mediolanum intravit, deinde ceteras Liguriæ civitates apprehendit. Obsedit autem Ticinensem civitatem, quæ nunc Papia dicitur, per tres annos, quibus transactis, post aliquantos menses tradita est in manus ejus. Qui cum introisset per portam quæ dicitur sancti Johannis, a parte orientis, equus, super quem sedebat, fixit se in medio portæ. Quem cum ille tunderet cum calcaribus et omnes qui circumstabant cederent verberibus, omnino moveri non potuit equus. Tunc unus ex Longobardis sic ait ad regem : *Memento, domine rex, quid vovisti, et frange tam durum votum, et ingredieris civitatem; vere enim christianus populus est in civitate ista.* Voverat enim Alboin antea, quod universum populum occideret gladio, qui sibi se tradere nolebat. Quod votum ubi disrupit, equus se continuo movit, et sic civitatem intravit. Tunc data pace, omnis populus ad eum tandem cucurrit ad palatium, quod aliquando rex Theodericus fecit. Alboin igitur postquam regnavit in Italia annos tres et menses sex, interfectus est consilio conjugis suæ pro hac causa. Cum sederet Alboin apud Ravennam in convivio et bibisset plus congruo, precepit afferri vinum reginæ Rosemundæ in vasculo, quod fecit de capite patris ejus Chunimundi regis, dicens ei, ut læta biberet cum patre suo. Pro qua re illa maximum concipiens in corde dolorem, cogitavit, qualiter maritum interficeret et patrem vindicaret, consiliumque habuit pro hac re cum Helmiche armigero regis, qui cum regina unius erat ætatis. Helmichis vero dedit ei consilium, ut ad hanc perficiendam assumeret Peredeum, quendam fortem virum, qui cum vestiaria ejusdem reginæ solebat dormire. Cui cum illa suam voluntatem indicaret, et ipse in interfectionem regis sui consensum suum denegaret, regina in tempore noctis collocavit se in lecto vestiariæ suæ, quam ille amavit, veniensque Peredeus, reginam adulteravit. Qua re perfecta, cœpit illa dicere Peredeo : *Quam me consideras esse?* Cumque ille nominaret nomen amicæ suæ, illa respondit : *Non est, ut tu speras; ego sum Rosemunda. Certe talem causam modo fecisti, ut, si tu non interfeceris Alboin, ipse te interficiat.* Qui inteligens malum quod fecit, licet invitus, in mortem regis consensit. Tunc Rosemunda crudelior omni bestia, cum Alboin in meridie se somno dedisset, precepit magnum silentium in palatio fieri et omnia arma inde subtrahi, et gladium illius fortiter ligavit ad caput lectuli, ne posset evaginari aut tolli, sicque interfectores ejus introduxit. Alboin vero excitatus a somno, et intelligens malum quod imminebat, concite manum ad gladium, qui alligatus erat, tendebat, sed non valens eum extrahere, scabellum apprehendebat, et aliquamdiu se defendebat; sed illi prevalentes eum occidebant. Helmichis autem accipiens Rosemundam in uxorem, decertavit, ut regnum Alboin apprehenderet, sed non potuit, quia Longobardi, multum dolentes de ejus morte, quesierunt Helmichin interficere. Inter hæc Rosemunda mandavit Longino prefecto Ravennæ, ut concite navim mitteret, quæ eos deportaret. Quam cum ille misisset, per silentium noctis Helmichis et Rosemunda navim intraverunt, et Albsuindam, filiam regis Alboin, et omnem thesaurum secum deportaverunt. Longinus autem prefectus suasit Rosemundam, ut Helmichin occideret et se maritum acciperet. Quæ cum consensisset, quadam die dum Helmichis ad balneum iret, perrexit cum eo, ut ei deserviret, portans secum venenum, quo eum interficeret. Cumque ille de balneo exiret, porrexit ei venenum in poculo, dicens : *Si hoc biberis, magnam salutem inde habebis.* Qui cum biberet ac venenum esse sentiret, apprehenso gladio, Rosemundam per capillos tenuit, et venenum quod remanserat illam bibere coegit, sicque Dei judicio ambo perierunt veneno. Longinus vero prefectus Albsuuindam cum omni thesauro misit Constantinopolim imperatori Justino. Longobardi autem omnes, habito inter se consilio, fecerunt regem Cleph, virum nobilissimum gentis Longobardorum, in civitate Ticinensium. Ilic multos potentes viros Romanorum alios occidit, alios de Italia ejecit; nec enim Romanis illo tempore victus fuit, ut resistere possent Longobardis, quia et mortalitas, quæ sub Narsete fuit, et fames, quæ postea venit, omnem Italiam dissipavit. Cumque per unum annum et sex menses Cleph regnaret, a quodam puero, familiari suo, cum gladio, quod in mensa ad obsequium suum habebat, occisus est. Post cujus mortem Longobardi regem jam per annos decem non habuerunt, sed duces, unaquæque civitas suum ducem. Ex quibus ducibus aliquanti cum multis pugnatoribus Gallias ingressi, predati sunt, contra quos Amatus patricius, qui erat ex parte Guntrammi regis, movens exercitum, ab eis occisus est, ipsique cum multa preda reversi sunt. Quibus discedentibus, rex Eunium, qui et Nummulus dictus est, ad se vocavit, eumque patricium fecit. Iterum Longobardi intraverunt Galliam; Nummulus autem jungens se Burgundionibus, ivit contra eos, et circumdans eos insidiis, multos ex eis occidit, ceteros redire vacuos coegit.

Post hæc Saxones, qui cum Longobardis Italiam intraverunt, cum viderent Longobardos regnare nec ipsi vellent sub eis vivere, cum omnibus suis per Galliam redierunt, et per adjutorium Sigiberti regis in patriam suam retenderunt. Quo cum pervenissent, invenerunt eam tenere Suevos et alias gentes. Insurrexerunt ergo contra eos, et certabant inde expellere eos. At illi dederunt eis terciam partem regionis, dicentes : *Quia possumus communiter vivere.* Saxonibus non consentientibus, iterum dederunt eis aliam terciam, ut ipsi tenerent unam; sed Saxonibus nullo modo acquiescentibus, commiserunt pugnam, in qua de Saxonibus mille 20 mortui sunt, de illis vero 400 milia et 80, sicque Saxones terram suam obtinuerunt.

Hoc tempore Sigibertus rex Francorum occisus est fraude Helperici fratris sui, et regnum ejus suscepit filius ejus Hildibertus cum Brunihilde matre sua.

Justinus quoque minor cum 11 annis regnasset, eisdem temporibus obiit, et Tyberium Constantinum successorem reliquit. Quo post annos septem defuncto, Mauricius ei successit in imperio.

Longobardi vero cum per decem annos essent sub ducibus, postea communi consilio constituerunt sibi regem Authari, filium Calphonis supradicti principis qui ante Tadonem regnavit, et pro magno honore vocaverunt eum Flavium, et istud prenomen postea in usu habuerunt reges Longobardorum. Duces vero qui tunc erant pro restauratione regni medietatem omnium suarum substantiarum in expendium rei publicæ dederunt, ut esset, unde vivere potuisset ipse rex, vel qui in servicio ejus erant, vel qui ad eum veniebant. Hoc autem erat mirabile in regno Longobardorum, quod nullus alicui faciebat violentiam, nulla fraus ibi erat, nemo aliquem injuste angariabat, non ibi latrones erant, sed unusquisque ubi volebat securus pergebat. Hoc tempore Mauricius imperator quinquaginta milia solidorum misit Hildiberto regi Francorum, ut Longobardos de Italia expelleret. Quo veniente cum magno exercitu, Longobardi civitates suas intraverunt, et xenia Hildiberto regi miserunt, pacemque cum eo fecerunt. Qui reversus est in Galliam. Quod audiens Mauricius, solidos, quos ei pro dissipatione Longobardorum dedit, repetere cœpit; sed ille in virtute sua confidens, nullum ei responsum dedit. Interea Hildibertus pugnavit cum Hyspanis, et vicit eos, et ista fuit causa, unde inter se pugnare cœperunt; Hildibertus rex sororem suam nomine Ingundem dederat uxorem Erminigildo, filio Leovigildi regis Hyspanorum. Qui Ermengildus per predicationem Leandri episcopi et per monita uxoris suæ de Arriana heresi, quam pater suus colebat, ad fidem catholicam conversus fuerat; pro qua causa impius pater ejus in ipsa festivitate paschæ cum securi eum percuti jussit. Uxor vero illius fugiens de Hyspania, voluit reverti in patriam suam; sed milites Romani, qui in illis partibus erant, apprehenderunt illam cum filio suo parvulo, et adduxerunt illam in Siciliam, ibique mortua est, filium vero ejus direxerunt in Constantinopolim Mauricio imperatori. Iterum Mauricius imperator misit ad Hildibertum, rogans illum, ut exercitum dirigeret in Italiam contra Longobardos. Qui sperans, quod soror sua adhuc viveret et in Constantinopoli esset, volens eam recolligere, complevit voluntatem imperatoris, et misit exercitum Francorum in Italiam; sed Longobardi frequenter pugnabant contra ipsos. Post hæc Franci et Alamanni rixam inter se habentes, egressi de Italia, redierunt ad propria. Hoc tempore inundatio aquarum facta est in Italia, de qua beatus Gregorius scribit in Dialogo (cf. III, 19), et pestilentia illa, pro qua ipse jam archydiaconus septiformem lætaniam constituit ipseque Romanum pontificatum invitus accepit. Post hæc misit Authari legatos suos ad Garibaldum regem Bawariorum, petens filiam suam uxorem. Qui bene legatos suscepit, et filiam suam nomine Theodelindam ei promisit. Quod dum missi renunciarent Authari, ille cupiens videre sponsam suam, elegit secum paucos juvenes fortissimos, et unum fidelissimum quasi pro domino, et cum summa festinatione perrexit in Bawariam. Cumque starent in conspectu Garibaldi regis, et ille qui quasi senior videbatur dicta sua complesset, dixit Authari ad regem : *Dominus meus Authari proprie pro ista causa me misit, ut videam filiam vestram, dominam nostram, ut, qualis sit forma ejus, possim domino meo vere nunciare.* Qui statim fecit eam venire. Quæ cum placuisset Authari, dixit ad regem : *Si placet vestræ potestati, de sua manu det nobis bibere, sicut et posthac debebit facere.* Quod cum rex fieri jussisset, illa tollens calicem plenum mero, dedit primum illi qui senior videbatur, deinde porrigebat Authari, nesciens quis esset. Ipse vero postquam bibit et calicem reddidit, nemine vidente, digito eam tetigit, et manum suam per faciem ejus duxit. Quæ verecundans cum hoc nutrici suæ indicaret, nutrix respondit : *Si rex et sponsus tuus non esset, te nullo modo tangere presumpsisset. Sed taceamus, nec audiat hoc pater tuus. Iste qui talem habet personam, dignus est, et imperium habere et te uxorem ducere.* Erat enim Authari juvenis pulcherrimus et boni status. Post hæc commeatum petentes a rege, perrexerunt ad patriam suam. Authari vero cum pervenisset prope fines Italiæ, comitantibus aliquantis Bawariis, appropinquavit arbori, quæ stabat juxta viam, et erexit se super caballum quantum potuit, et securim quam portabat in manu in ipsam arborem impegit ibique dimisit, dicens : *Taliter ferire solet Authari.* Quo dicto intellexerunt Bawarii, quod ipse esset Authari. Post aliquantum tempus conturbatus est rex Garibaldus de adventu Francorum, et Theodelinda, filia ejus, cum fratre suo, nomine Gundoaldo [1031], fugit ad Italiam, et mandavit sponso suo Authari, ut veniret obviam eis. Qui gavisus est, et faciens magnam preparationem, perrexit in campum qui dicitur Sardis, super Veronam, et suscepit eam cum gaudio. Erat autem ibi tunc inter alios Longobardos Agilolfus dux de civitate Taurinensi. Tunc subito conturbatus est aer, et cepit tonare et coruscare fortiter, statimque fulmen percussit unum lignum, quod erat positum in clusura regis. Agilolfus autem habuit puerum quendam, qui, nescio per quam artem, intelligens quid significaret, ait Agilolfo secrete : *Ista mulier, quam modo rex tulit uxorem, post non multum tua conjunx* [1032] *erit.* Qui iratus ait : *Si alia vice hoc dixeris, caput tuum abscidam.*

VARIÆ LECTIONES.

[1031] *in loco raso* 1. [1032] conjux *corr.* conjunx 1

Cui ille respondit : *Verum est, quia caput meum abscidere poteris; sed et hoc verum est, quia ista femina ad hoc venit in istam patriam, ut uxor tua sit.* Quod et postea factum est. Interea mandavit Authari rex verba pacifica Guntrammo regi Francorum, patruo Hildiberti regis, ut faceret pacem cum eo. Ille vero cum gaudio suscepit missos Authari, et direxit eos ad Hildibertum nepotem suum, ut propter voluntatem suam et consilium faceret pacem cum Longobardis. Erat enim ipse Guntrammus rex pacificus et omni bonitate preditus. Cum autem legati tardarent in Francia, Authari apud Ticinum veneno, ut dicunt, mortuus est, postquam regnavit annis sex. Statimque Longobardi miserunt ad Hildibertum regem, qui ei mortem Authari nunciarent et pacem ab eo postularent. Quos ille benigne suscepit, pacemque petitam dedit. Regina vero Theodelinda quia placebat Longobardis, dimiserunt eam regnare, dicentes ei, ut quemcumque amaret virum, tolleret maritum, talem tamen qui dignus esset regere regnum. Quæ, habito consilio cum sapientibus, elegit sibi maritum ducem Agilolfum, qui erat vir sapiens et bellator et per omnia aptus ad regnandum. Cui statim mandavit, ut veniret ad eam, ipsaque ad castellum quod Laomellum vocatur perrexit ei obviam. Qui cum inter se haberent colloquium, jussit regina afferri vinum, bibensque ipsa prior, dedit Agilolfo. Qui cum acciperet, honorabiliter manum ejus osculatus est. Quæ subridens ait : *Non debes manum meam osculari, quia rex et maritus meus eris.* Et sic cum amplexa est, et manifestavit ei omnia, quæ per consilia sapientum de gubernatione regni et nuptiis suis ordinata essent. Inter hæc fiunt nuptiæ cum lætitia magna, et Agilolfus, qui erat cognatus regis Authari, cœpit regnare intrante mense Novembre; postea tamen congregatis in unum Longobardis apud Mediolanum in mense Maio, confirmatus est in regno. Igitur Agilolfus, qui et Agio dictus est, confirmata sibi regia dignitate, mandavit Agnellum episcopum de Tridento in Franciam pro illis hominibus, qui captivati fuerant a Francis de castellis Tridentinis. Qui cum veniret, Brunihildis regina multos ex eis precio suo redemit eique reducendos dedit.

His diebus beatus Gregorius papa Romanus Dialogum scripsit, eumque Theodelindæ reginæ pro munere misit, quia sciebat eam esse christianissimam et timentem Deum. Per ipsam quippe multa bona in æcclesia Dei facta sunt. Nam Longobardi cum adhuc gentilitatis errore tenerentur, prope omnes substantias æcclesiarum abstulerunt; sed ista supplicando et ipsum regem ad catholicam fidem adduxit, et multas possessiones æcclesiis contulit, episcopos quoque, qui antea nullum honorem habebant, ad propriam dignitatem restituit.

Hoc tempore ordinatus est rex Tassilo in Bawaria ab Hildiberto rege Francorum, statimque ivit cum exercitu in provinciam Sclavorum, et victoriam habens, cum magna preda ad terram suam reversus est.

Igitur dominantibus per omnem Italiam Longobardis, dum veniret Agilolfus in partes Romanas, beatus Gregorius de adventu ejus in tantum territus est, ut ab expositione Ezechielis, sicut ipse testatur, cessaret. Cœpit autem frequenter per epistolas suas Theodelindam reginam monere, ut hortaretur Agilolfum maritum suum pacem cum Romanis habere. Quod et factum est. Unde idem venerabilis sacerdos gratias agendo, epistolas ad eandem reginam et ad ipsum Agilolfum regem transmisit, quæ in libro Vitæ ipsius scriptæ reperiuntur.

Hoc tempore Hildibertus rex per venenum, ut dicunt, occisus est cum uxore sua; mortuus est et Guntrammus rex.

Circa hæc tempora destructum est a Longobardis monasterium sancti Benedicti in castro Cassino. Nocte quippe illuc intraverunt, et omnia inde abstulerunt, sed juxta prophetiam viri Dei nullum ex monachis apprehendere potuerunt. Fugerunt namque et venerunt Romam, portantes secum codicem sanctæ regulæ, quam idem beatus pater composuit, et alias scripturas, necnon et pondus panis et mensuram vini et quicquid exinde tollere potuerunt. Post beatum namque Benedictum rexit ipsum monasterium Constantinus; post quem Simplicius; post ipsum Vitalis; post hunc Bonitus, sub quo ista destructio facta est.

His diebus fecit Theodelinda regina æcclesiam beati Joliannis baptistæ in Modicia, qui locus 12° miliario est a Mediolano; et decoravit eandem æcclesiam multis ornatibus auri et argenti, et dedit ibi multas possessiones. In eodem loco fecit quondam palatium Theodoricus rex Gothorum, eo quod æstatis tempore locus ipse temperatus est et bonus; est enim vicinus Alpibus.

Tunc quoque natus est Agilolfo filius de Theodelinda regina in palatio Modiciano, et baptizatus est ibi, vocatusque est Adolandus, et suscepit eum de sacro fonte Secundus, servus Dei de Tridento.

Usque ad hæc tempora rebellis fuit Longobardis Patavium civitas, eo quod milites qui ibi erant fortissime resistebant; sed postea jactantes ibi ignem incendebant eam, et jussione regis Agilolfi eversa est usque ad terram; milites tamen qui in ea erant dimissi sunt redire Ravennam.

Hujus Agilolfi temporibus beatus Columbanus venit in Italiam, et fecit monasterium quod vocatur Bobium in montibus Cottiis.

Igitur Agilolfus, qui et Agio dictus est, postquam regnavit annis 20, defunctus est, relinquens in regno filium suum Adolandum adhuc puerum cum matre sua Theodelinda. Qui cum regnaret decem annis, perdidit sensum, et ejecerunt eum de regno, et in locum ejus constituerunt Arioaldum quendam, cujus generatio non est descripta

Qui postquam tenuit regnum per annos 12, mortuus est, et regnum suscepit Ruotheri, vir fortis et strenuus, sed Arriana perfidia maculatus. Hujus temporibus pene per omnes civitates regni ejus duo erant episcopi, unus catholicus, alter Arrianus. Hic Ruotheri rex Longobardorum leges composuit, et ipsum codicem edictum appellavit. Erat autem jam 77us annus ex quo Longobardi venerant in Italiam. Postquam vero sedecim annos regnavit et quatuor menses, mortuus est, regnumque filio suo Radoaldo dimisit, ipse autem sepultus est juxta æcclesiam beati Johannis baptistæ. Post aliquod tempus quidam homo pro maligna cupiditate aperuit sepulchrum ejus nocte, et tulit omnia ornamenta corporis illius. Apparuit autem ei per visionem beatus Johannes, dicens : *Quare ausus es tangere corpus hominis istius? Quamvis non recte crediderit, tamen se michi commendavit. Quia igitur hoc facere præsumpsisti, nunquam amodo eam æcclesiam intrabis.* Quod et factum est. Nam quotiens eandem æcclesiam intrare voluit, subito, quasi aliquis cum magno cultello vellet eum in guttur ferire, retro cecidit. Radoaldus igitur post mortem patris accipiens regnum, tulit uxorem Guntbirgam, filiam Agilolfi et Theodelindæ. Ista Guntbirg fecit æcclesiam sancti Johannis baptistæ in Ticinensi civitate, sicut mater ejus fecit in Modicia, et decoravit eam ornatibus et ditavit opibus, in qua et ipsa sepulta est. Hæc dum accusata esset apud maritum suum, quod commisisset adulterium, Carellus, servus ejus, petivit a rege, ut ad singulare certamen pugnare sibi liceret cum illo qui dominam suam infamavit; pugnansque [1033] cum eo coram omni populo, eum prostravit, sicque regina pristinum honorem recuperavit. Rex vero Radoaldus [1034], ut dicunt, cum adulterasset uxorem cujusdam Langobardi, ab eo occisus est, cum jam per quinque annos et septem dies regnasset. Cui successit Aripertus, filius Gundoaldi, qui fuit frater Theodelindæ reginæ. Hic fecit æcclesiam in honore domini Salvatoris in Ticino, et decoravit eam variis ornamentis ditavitque substantiis.

Igitur Mauricius imperator postquam regnavit annis 21 cum filiis suis Theodosio et Tyberio et Constantino, occidit illos Focas, qui fuit strator Prisci patricii, et ipse regnavit. Qui postquam regnavit annis 8, Heraclius, qui regebat Africam, rebellavit ei, et veniens cum exercitu, occidit eum, et suscepit imperium. Quo post 27 annos [1035] defuncto, filius ejus Constantinus suscepit imperium; sed post quatuor menses per venenum exstincto, Heracleonas, frater ejus, cum matre Martina regnum invaserunt. Quibus mox dejectis, Constans, filius Constantini, regnavit annis 28.

Aripertus rex postquam apud Ticinum Longobardos rexerat per annos 9, mortuus est, et reliquit regnum ipsum duobus filiis suis : Perhtari [1036] et Goteperto; et Gotepertus [1037] sedebat in Ticino, Perhtari in Mediolano. Denique facientibus malignis hominibus, surrexit odium et discordia inter ambos fratres, in tantum ut alter ab altero regnum tollere decertaret. Pro hac causa Gotepertus direxit Garibaldum ducem Taurinensem ad Grimoaldum ducem Beneventanum, ut veniret et adjuvaret eum contra fratrem suum, promittens ei dare sororem suam uxorem, si eum adjuvaret. Garibaldus vero fecit fraudem contra dominum suum, deditque Grimoaldo [1038] consilium, ut veniret et regnum Longobardorum, quod ambo fratres, qui erant adolescentes, dissipabant, apprehenderet, utpote qui habebat jam maturam ætatem, et erat consilio bonus et fortis in virtute. Audiens hæc Grimoaldus, statim elevavit animum suum ad accipiendum regnum Longobardorum, et ordinans filium suum Romoaldum ducem in Benevento, ipse cum electa multitudine virorum apprehendit viam contra Ticinum, et per omnes civitates misit, et faciebat sibi amicos, ut regnum accipere posset; Trasemundum vero Capuanum comitem misit per Polentiam et Tusciam, ut omnes Longobardos de partibus illis in ejus adjutorium [1039] invitaret. Quod et fecit, et cum magno adjutorio apud Æmiliam ei occurrit. Igitur Grimoaldus cum venisset Placentiam, misit Garibaldum ante se, ut Goteperto [1040] nunciaret de ejus adventu. Audiens hoc Gotepertus, quesivit consilium ab eodem Garibaldo [1041] in quo loco prepararet hospicium Grimoaldo. At ille respondit, dignum esse, ut Grimoaldus, qui causa illius venerat et sororem ejus accipere debebat, hospicium haberet intra palatium. Quod ita factum est. Predictus ergo Garibaldus, seminator maliciæ, dixit ad Gotepertum : *Quando veneris cum Grimoaldo ad colloquium, habeto loricam subtus vestimentum, quia ipse te occidere querit.* Deinde dixit eadem verba ad Grimoaldum. Cumque die altera venissent ad colloquendum, videns Grimoaldus, quod Gotepertus lorica esset indutus, evaginato gladio interfecit eum, et invasit regnum ejus. Habebat autem Gotepertus filium parvulum nomine Reginpertum, quem rapientes fideles ejus nutrierunt occulte. Sed nec curavit Grimoaldus eum persequi, quia puer adhuc erat. Audiens autem Perhtari, qui apud Mediolanum regnabat, quod frater ejus mortuus fuisset, quanta velocitate potuit, fugit, et ad Cacanum regem Avarum abiit. Uxorem vero illius nomine Rodelindam et parvulum filium nomine Chunibertum [1042] transmisit Grimoaldus in Beneventum. Post hæc malignus homo Garibaldus, cujus consilio hæc omnia facta sunt, non diu super

VARIÆ LECTIONES.

[1033] *folium deest in cod.* 1. [1034] rodoaldus 9c. [1035] annis 5. [1036] perthari 4. 5. 9c. 10. 11. *et ita deinceps.* [1037] gotebertus 9c. 10. godebertus 4. *et deinceps.* [1038] grimaldo 4. grimoldo 9c. *semper.* [1039] a. ejus 5. [1040] gotebert. *jam etiam* 5. [1041] geribaldo 9c. [1042] cunibertum 5.

his gaudebat. Erat enim in civitate Taurinense parvus quidam homunculus, natus de propria gente Goteperti. Iste cum sciret, quod Garibaldus ipso sacratissimo die paschali venturus esset ad orationem in æcclesia beati Johannis baptistæ, abiit, et ascendit super fontem sacrum baptisterii, et cum sinistra manu tenuit se ad unam columnellam, ubi Garibaldus transire debuerat, cum dextera vero evaginatum gladium sub vestimento tegebat. Cumque prope eum Garibaldus venisset, ille [1043] homuncio, evaginato gladio, cum tota virtute qua potuit percussit eum in cervicem, et amputavit caput ejus. Homines autem ejusdem Garibaldi multas illi plagas facientes, ad ultimum occiderunt eum. Qui quamvis sic punitus mortuus fuisset, tamen injuriam et mortem domini sui vindicavit. Grimoaldus autem confirmatus in regno apud Ticinum, occidit Chunibertum, filium Goteperti [1044], et sororem ejusdem Goteberti [1045], filiam Ariperti, duxit uxorem. Beneventanum vero exercitum, cum quo regnum apprehendit, remisit ad propria, ditatum magnis muneribus, sed aliquantos secum retinuit, quibus largissimas possessiones concessit. Audiens autem, quod Perhtari in Scythiam fugisset et apud Cacanum regem Hunorum stetisset, mandavit eidem Cacano, quod si Perhtari in regno suo mansisset, pacem cum Longobardis sicut hactenus habere non posset. Quod Cacanus ut audivit, Perhtari dixit : *In qualemcunque partem volueris, vade, quia in meo regno non poteris stare, ne propter te inimiciciam Longobardorum incurram.* Perhtari hæc audiens, delegit reverti ad Grimoaldum, quia audierat, eum esse misericordissimum. Cum vero venisset ad Laudensem civitatem, misit Unulfum fidelissimum sibi virum ad Grimoaldum, qui suum ei nunciaret adventum. Hoc audiens Grimoaldus, gavisus est nimium, et mandavit ei promittendo, quod nullum malum haberet, si ad eum veniret. Igitur Perhtari ad Grimoaldum ingressus, voluit se ad pedes ejus jactare; sed Grimoaldus non permittens eum hoc facere, retinuit eum et osculatus est eum. Tunc dixit Perhtari ad Grimoaldum : *Servus tuus sum. Potui quidem vivere inter paganos, sed audiens te christianissimum et misericordissimum, pro tuo bono nomine veni ad te.* Tunc rex promisit ei jurejurando coram omnibus dicens : *Per eum qui me nasci fecit, quandoquidem ad meam fidem venisti, nullum malum erit tibi.* Et dedit ei optimam domum, precipiens suis ministris, ut omnia quæ sibi essent necessaria ex publico abundantius haberet. Tunc Ticinenses omnes cœperunt ad eum concurrere et quasi notum salutare. Statim maliloqui accedentes ad Grimoaldum, dixerunt ad eum : *Nisi Perhtari citius occideris, regnum non habebis; omnes enim ad cum concurrunt, et propter eum te forte occidere habebunt.* Iis verbis Grimoaldus credulus, oblitus est quod illi juravit, et qualiter illum occideret cum suis tractavit. Denique per consilium misit ei ad cœnam diversos cibos et optimum merum ac diversas potiones, ut cum per noctem quasi mortuus jaceret, levius occidi posset. Sed cum ad cœnam sedisset, venit ad eum suus quondam serviens, afferens ei cibum quem misit ei rex, et cum posuisset eum super mensam, finxit se salutare Perhtari, et mittens caput sub mensam, clam nunciavit ei consilium Grimoaldi. Qui statim vocavit ad se pincernam suum, precepitque ei, ut in fiala aurea sibi misceret, sed semper aquam solam in eam mitteret. Tunc missi regis rogabant eum ex mandato ejus, ut lætus biberet et in honore Grimoaldi fialam totam consumeret. Ille autem dicebat se cum gaudio bibere totamque fialam in honore ejus effundere. Nichil autem bibebat nisi aquam. Pergebant igitur ministri regis, nunciantes ei, quod multum vinum biberet Perhtari et jam ebriosus esset. Ille vero cum gaudio dixit : *Bibat ille ebriosus hodie, cras enim evomet eadem vina cum sanguine.* Interea clamavit Perhtari ad se Unulfum fidelissimum suum, et indicavit ei regis voluntatem et consilium. Quod audiens Unulfus, vocavit puerum suum, et precepit ei, ut lectum sibi faceret juxta Perhtari lectum. Cœna vero peracta, cum misisset rex homines suos, qui Perhtari custodirent, ne fugere potuisset, intravit Perhtari in cubiculum, ubi dormire debuit cum Unulfo et vestrario suo fidelissimo, nunciavitque eidem vestrario, quod de morte sua rex cogitaret, et ait : *Si ego effugere potuero, tu finge loquendo ad homines regis, quod ego dormiam in isto cubiculo, et forsan effugiens de manibus eorum me liberabo.* Quod cum ille gratanter se facturum promitteret, tulit Unulfus culcitram et pellem ursinam, et posuit supra dorsum Perhtari, et cœpit eum quasi servum rusticanum cum vecte cedere et cum pugno in collo pellendo extra regiam (229) jactare. Cumque milites regis interrogarent quid hoc esset, Unulfus dixit : *Servus iste rusticanus fecit michi lectum juxta lectum Perhtari, qui sic ebrius est, ut dormiat quasi sit mortuus.* Hoc illi audientes et verum esse credentes, læti facti sunt, et Perhtari quasi servum rusticanum exire dimiserunt. Vestrarius autem ille fidelissimus in cubiculo mansit, illudque claudens, firmiter obseravit. Quod videntes servi regis, reversi sunt ad dominum suum. Unulfus autem per funem deposuit aliquantos viros ad Perhtari dominum suum, qui cum illo irent. Pergentes igitur simul fugere cœperunt, et cum invenissent caballos in prato, apprehenderunt eos, et caballicaverunt, et in ea nocte pervenerunt ad civitatem Astensem, ubi

VARIÆ LECTIONES.

[1043] *pergit* 1. [1044] godeperti *corr.* goteperti 1. [1045] *ita* 1.

NOTÆ.

(229) I. e. januam, ut in codice Pauli Bambergensi, quo Ekk. usus est, sæpius legitur.

erant verissimi amici [1046] Perhtari, quia eadem civitas necdum subdita erat Grimoaldo; indeque fugiens in civitatem Tauriniensem, pervenit in Franciam; sicque Deus omnipotens Perhtari innocentem a morte liberavit, et Grimoaldum ne homicidium faceret custodivit. In crastinum vero Grimoaldus sperans, quod Perhtari dormiret in hospitio suo, misit ad eum homines qui eum adducerent; et ab eodem loco usque ad palatium fecit stare homines hinc et illinc, ne per qualecumque ingenium posset effugere. Cumque venissent missi a rege, cœperunt clamare ad regiam ubi vestararius ille manebat, ut Perhtari a somno excitarent. Vestararius autem ille dicebat: *Misericordiam cum eo facite et dormire illum permittite, quia de via lassus est et adhuc nimium dormit.* Qui cum hoc regi renunciarent, ait: *Sero sic ebrius fuit, ut adhuc evigilare non possit.* Iterum misit, ut festinantius adduceretur. Qui venientes ad januam ubi eum dormire sperabant, magnis vocibus ut eum excitarent clamabant. Vestararius ille iterum eos rogabat, ut eum aliquantulum dormire permitterent. Qui irati dixerunt: *Satis jam dormivit ebriosus ille;* et calcibus rumpebant regias, et ingressi cubiculum, requirebant eum in lecto, et non invenientes, interrogabant vestararium, quid factum sit de illo. Qui eum fugisse respondit. Quem illi apprehendentes per capillos, fustibus cedebant, eumque, ligatis post tergum manibus, ad regem ducebant, dicentes: *Iste sapit, quomodo Perhtari fugit, et ideo dignus est morte.* Rex autem solvi cum precepit, et per ordinem, qualiter Perhtari fugisset, edicere jussit. Qui omnia sicut facta fuerant enarravit. Tunc rex interrogavit circumstantes, dicens: *Quid homo iste promeruit, qui tale malum fecit?* Qui omnes responderunt, mala morte illum mori debere. Rex autem dixit: *Per illum qui me nasci fecit, bene debet homo iste habere, qui se pro domino suo morti voluit tradere.* Tunc precepit eum inter suos vestararios esse, multa ei promittens, si sibi talem fidem servaret, qualem Perhtari servavit. Deinde requisivit rex, quid de Unulfo factum sit. Qui ait: *In æcclesiam sancti Michaelis archangeli fugit.* Statim rex misit ad eum, promittens nullum malum eum habiturum, tantum festinantius veniret ad eum. Unulfus hoc audiens, festinanter ad palatium venit, et ad pedes regis se protinus misit. Quem cum rex interrogaret qualiter Perhtari effugeret, ille omnem rei veritatem ei narravit. Tunc rex coram omnibus collaudans prudentiam ejus et fidem, dedit omnes divitias suas in illius potestatem, ut esset honoratissimus in palatio suo. Post aliquantos dies interrogavit eum rex, utrum secum aut cum Perhctari libentius esset. Ille autem cœpit jurando dicere, quod magis optaret cum Perhctari mori, quam ubicumque in maximis deliciis vivere. Deinde vocavit vestararium illum, et jussit eum, A utrum melius sibi videretur in palatio esse an cum Perhctari in peregrinationem ire. Ille autem eadem verba dicebat, quæ et Unnulfus antea dixerat. Rex autem cum audisset, gavisus est valde, et laudavit fidem illorum, dixitque ad Unnulfum: *Quodcumque volueris de domo mea tolle, homines vel caballos vel quæcumque alia, et vade ad dominum tuum sine aliqua lesione.* Similiter dixit ad vestararium illum. Illi autem tulerunt omnia sibi necessaria, et cum licentia regis Grimoaldi perrexerunt ad dilectissimum dominum suum Perhtari in partes Francorum.

Hoc tempore Dagobertus regnum Francorum tenebat, cum quo Grimoaldus pacem firmam habebat. B Romanum vero imperium Constantinus, Constantis filius, accepit, et per 17 [1047] annos tenuit. Post hæc Grimoaldus flebotomavit se in palatio, et cum post novem dies vellet sagittare columbam unam, disrupta est vena de ejus brachio, et mortuus est. Hic in edicto, quod rex Ruotheri fecit, aliquanta capitula annexuit. Fuit autem corpore maximus et audacissimus, capite calvo, barba longa, consilio et virtute primus. Sepultus est in æcclesia sancti Ambrosii, quam ipse fecit. Reliquit autem filium suum Garibaldum, quem de filia regis Ariperti habuit, successorem regni, adhuc puerum, Romoaldum vero filium suum jam in Benevento ducem constituit.

Igitur Perhtari cum esset in Francia, propter C timorem Grimoaldi, quia fœderatus erat cum rege Francorum, voluit fugere in Britanniam. Cumque navigasset per pelagus, subito audivit a litore dicentem: *Si Perhtari est in ista navi, dicite illi, ut revertatur in patriam suam, quia jam tres dies sunt, ex quo rex Grimoaldus mortuus est.* Quod cum audisset Perhtari, ibat prope litus, ut videret illum qui loquebatur. Sed cum neminem inveniret, consideravit quod angelus hæc diceret; statimque reversus, venit Ticinum, et invenit ibi multitudinem Longobardorum, qui eum cum gaudio susceperunt. Expulit autem Garibaldum puerum, filium Grimoaldi, de regno, et post mensem tercium ordinaverunt eum Longobardi regem super se. Erat enim homo justus et in Christi fide rectus et nutritor pauperum. D Misit autem in Beneventum, et fecit exinde venire Rodelindam uxorem suam et Cunibertum filium suum, quos Grimoaldus illuc direxit in exilium. Post hæc idem Perhtari fecit monasterium in eodem loco unde prius fugerat, et fecit illud dedicari in honorem Dei et sanctæ virginis Agathæ, in quo multas virgines congregavit, multaque ornamenta et substantias ibi dedit. Fecit autem et uxor ejus Rodelinda æcclesiam in honorem sanctæ Dei genitricis et Virginis Mariæ foris muros Ticini, in loco qui dicitur ad Perticas, decorans eam mirificis ornamentis.

VARIÆ LECTIONES.

[1046] amic 1 [1047] XVII. *corr.* XVII. 1.

Igitur Perhtari cum regnaret solus per annos 7, in octavo anno ordinavit Cunibertum filium suum in regno, ut pariter regnarent, et regnaverunt pariter per decem annos. Cumque in omni tranquillitate regnarent, surrexit contra eos filius diaboli, Alachis [1048] nomine, de Tridento ; sed Chunibertus, filius regis, diligens Alachis [1049], revocavit eum in gratiam patris sui. Sepe quippe voluit rex interficere Alachin [1050] ; sed Chunibertus semper rogavit pro eo, sperans quod aliquando ei fidelis esset ; insuper non cessavit rogare patrem, ut daret ei ducatum Brixiæ. Perhtari vero dixit : *Ad tuam perditionem hoc rogas, ut talis potentiæ virtutem Alachi dem, ut possit regnare.* Civitas namque Brixiana semper habuit multitudinem de nobilibus Longobardis ; propter hoc timuit Perhtari, quod Alachis ibi dominaretur. Postquam autem idem Perhtari regnavit per annos 18, defunctus est, et juxta æclesiam, quam Aripertus pater ejus fecerat, sepultus est. Post mortem vero ejus Chunibertus, filius ejus, tulit uxorem nomine Ermelindam, de genere Angli saxonum. Alachis vero oblitus omnia bona, quæ in eum fecit Chunibertus, junxit se cum Aldone et Grausone de Brixia et cum multis Longobardis ; et cum non esset Chunibertus in Papia, introivit ille in palatium ejus, et rebellavit ei. Quod audiens Chunibertus, fugit intra lacum Larrium juxta Cumam. Facta est autem magna tribulatio omnibus qui eum amabant, maxime clericis et presbiteris, quos Alachis odio habebat. Erat autem illo tempore in Ticinensi æclesia episcopus nomine Damianus, sanctissimus homo atque sapientissimus. Hic videns, quod Alachis haberet palatium, ne æclesia sua vel ipse aliquod malum pateretur, misit ad eum cum benedictione æclesiæ suæ diaconum suum nomine Thomam, sapientem hominem et religiosum. Cumque nunciatum esset ei, quod veniret ad eum Thomas diaconus cum benedictione episcopi sui, Alachis, pro eo quod omnes clericos odio habebat, mandavit ei, dicens : *Si femoralia, id est bracas mundas habet, intret ad me, sin autem, foris stet.* Thomas autem respondit : *Nunciate ei, quia munda femoralia habeo ; nam hodie lotas indui vestes.* Ille autem remandavit ei : *Non dico de femoralibus, sed de eo quod intra femoralia habet.* Ad hæc Thomas diaconus respondit : *Deus solus potest de his causis reprehensionem in me invenire, ille autem non potest.* Cumque illum intrare fecisset, cum magna ira locutus est ei. Quod audientes omnes clerici, timuerunt nimium sperantes quod in illa civitate propter crudelitatem ejus vivere non possent, cœperuntque tantum desiderare et amare Chunibertum regem suum, quantum audierunt Alachin crudelem et superbum. Unde crudelitas ejus et superbia non duravit per tempora multa. Denique cum quadam die solidos super mensam suam numeraret, unus tremissis decidit, quem filius Aldonis adhuc puerulus de terra collegit eique reddidit. Qui sperans, quod ipse puer adhuc nichil intellegeret, dixit : *Pater tuus multos habet de istis ; si Deus voluerit, in proximo tempore michi daturus est eos.* Cum autem puerulus ad vesperum rediret domum, interrogavit eum pater suus, si rex aliquid dixisset ad eum. Qui cum ei nunciasset omnia facta et dicta, timuit Aldo fortiter, et vadens ad fratrem suum Grausonem, nunciavit ei regis verba, statimque cœperunt ambo consiliari cum amicis suis de interitu regis. Mane autem perrexerunt ad palatium, et sic ad Alachin locuti sunt : *Quid dignaris semper stare in civitate ? Ecce tota civitas et universus populus tibi fidelis est, et ebriosus ille Chunibertus in tantum humiliatus est, ut jam amplius virtutem aliquam contra te habere non possit. Exi ergo de civitate, et vade in venationem cum juvenibus tuis, nos autem cum aliis fidelibus tuis defendimus tibi hanc civitatem ; sed et hoc promittimus tibi, ut in proximo tempore caput inimici tui Chuniberti adducamus tibi.* Alachis autem juxta suasionem eorum exivit de civitate in silvam ad venandum cum hominibus suis. Aldo vero et Grauso ierunt ad lacum Cumacinum, et ingressi navim, perrexerunt ad regem Chunibertum, et jactantes se ad pedes ejus, veniam petebant de hoc quod contra eum fecerunt, et indicaverunt ei, quale malum eis facere voluerit Alachis et quale consilium dederint ei. Quod audiens rex Chunibertus, gavisus est valde, et sacramentum inter se dederunt, et statuerunt diem, quando Chunibertus Ticinum veniret ipsique eum in civitatem intromitterent. Constituto autem die venit Chunibertus, et illi, sicut promiserant, gratanter eum susceperunt. Tunc omnes simul, episcopus et presbiteri et clerici, juvenes et senes, cum gaudio cucurrerunt ad eum, gratias agentes Deo pro reditu ejus, et alii amplexabantur genua ejus, et alii pedes ; sed et ille quos potuit familiariter osculatus est. Subito autem nuncius exinde veniens ad Alachisum, dixit ei, quod Aldo et Grauso non tantum caput Chuniberti, sicut promiserant, sed et totum corpus ejus adduxissent et in palatium misissent. Quod ille audiens, contristatus est valde, et cum magno furore discedens, ivit per Placentiam, et multas civitates, alias per blandicias, alias vi apprehendens congregavit omnes quos potuit, ut cum Chuniberto pugnaret. Cumque Chunibertus econtra suos colligeret, convenerunt in campo qui Coronatus dicitur, ibique steterunt. Misit autem Chunibertus ad Alachisum dicens : *Ut quid perit tanta hominum multitudo ? Pugnemus ego et tu, et qui vicerit, regnum teneat.* Alachis autem noluit. Cui dixit unus de populo suo, genere Tuscus : *Quare non pugnas cum eo ? Tu es fortissimus et audacissimus, et cur non exis cum audacia, ut pugnes cum eo ?* Alachis respondit : *Chunibertus*

VARIÆ LECTIONES.

[1048] alahis *corr.* alachis 1. [1049] alahis 1. [1050] alahin *corr.* alachin 1. *et ita deinceps.*

quamvis ebriosus sit, tamen satis est fortis; nam tempore patris sui quando eramus pueri, erant in palatio verveces majores, et Chunibertus apprehendit quemvis illorum per lanam de dorso, et portavit cum una manu, quod ego facere non poteram. Quod audiens Tuscus ille, dixit: *Si tu cum illo pugnare non poteris, nec me amplius in adjutorium habebis;* et statim relicto eo, ivit ad Chunibertum, et indicavit ei omnia hæc. Cum autem jam prope esset ut jungere se deberent ad pugnam, diaconus quidam nomine Seno, multum amans Chunibertum et timens quod in eadem pugna moreretur, dixit ad eum: *Domine mi rex, omnis spes nostra in te est; si tu mortuus fueris in pugna, omnes nos ille crudelissimus Alachis per diversa occidet tormenta. Placeat itaque tibi consilium meum, et da mihi omnia arma tua, et ego vadam et pugnabo cum isto adversario. Si ego mortuus fuero, tu recuperabis causam tuam; si vicero, majorem inde habebis gloriam, quia per servum tuum habebis victoriam.* Cumque Chunibertus hoc omnino recusaret, rogaverunt eum fidelissimi sui qui aderant, ut ei consentiret. Tunc ille consensit, indutumque diaconem omnibus armis suis pro se ad pugnam misit. Cumque pugnarent ambæ partes, Alachis semper intendebat, ubi Seno diaconus stabat, putansque quod Chunibertus esset, impugnavit eum et occidit, et cum gaudio caput ejus abscidi precepit, levansque illud in hasta, gratias egit Deo, quod Chunibertum occiderit. Sed cum cassidem de capite illius tulissent, apparuit quod clericus esset. Tunc Alachis cum ira magna exclamavit: *Heu me, nichil fecimus, quando hanc pugnam commisimus, in qua clericum occidimus*; et statim tale votum vovit, quod si victoriam de Chuniberto haberet, puteum unum de clericorum testiculis impleret. Igitur Chunibertus videns suos deficere, putantes ipsum mortuum esse, ostendit se eis, confortans eos et dicens: *Nolite timere, modo enim debemus inimicos nostros vincere.* Iterum preparaverunt se ambæ partes ad pugnam, et cum [1051] jam prope esset ut se conjungerent [1052], rursum mandavit Chunibertus ad Alachisum dicens: *Cur perit populus? Pugnemus nos duo, et qui vicerit dominetur omni huic populo.* Cumque Alachiso sui homines dicerent: *Quare non pugnas cum eo?* ille respondit: *Non possum hoc facere, quia video imaginem sancti Michahelis archangeli inter hastas suas, ubi ei juravi.* Tunc unus ex illis dixit ei: *Propter timorem videtur tibi quod non est, et jam tibi tardum est hoc dicere.* Congredientibus autem utrisque partibus, multi utrimque ceciderunt; Alachis quoque cecidit, et Chunibertus, adjuvante Domino, victoriam habuit. Caput autem Alachis et crura abscisa sunt, et solum corpus truncum remansit. Rex vero cum gaudio et victoria reversus est Ticinum.

Cum ista fierent apud Longobardos trans Padum, Romoaldus, filius Grimoaldi, dux Beneventanorum, congregato exercitu, cœpit expugnare Tarentum et Brundisium, et totam illam regionem sibi subjugavit. Diederada vero, uxor ejus, fecit monasterium in honore sancti Petri apostoli foris muros civitatis Beneventanæ, in quo puellarum Christi fecit conventum. Postquam regnavit Romoaldus per annos 16, mortuus est, et filius ejus Grimoaldus rexit Beneventum per triennium, duxitque uxorem Wigilindam, filiam regis Perhtari, sororem Chuniberti. Post mortem Grimoaldi Gisolfus, frater ejus, dux factus est, et tenuit ducatum per annos 17. Hic uxorem habuit Winibirgam, filiam Radoaldi ducis.

Circa hæc tempora, cum jam per multos annos monasterium sancti Benedicti in Casino monte esset derelictum, venerunt Franci de Celmania et de Aurelia in eundem locum, et dum se fingerent jacere in eodem loco ubi jacebant corpora sancti Benedicti et sanctæ Scholasticæ, tulerunt ossa eorum et portaverunt in patriam suam, ubi facta sunt duo monasteria, unum in honore sancti Benedicti, aliud in honore sanctæ Scholasticæ. Sed nos certum credimus, illud venerabile os, divina semper ruminans verba, et oculos, semper cælestia videntes, et alia membra illius, quamvis dissoluta, in eodem loco remansisse. Solum enim corpus Domini non vidit corruptionem, aliorum vero corpora sanctorum, quamvis in æterna gloria reparanda sint, tamen in hoc seculo dissoluta sunt.

Dum hæc in Italia geruntur, orta est heresis apud Constantinopolim, quam excitaverunt Georgius patriarcha Constantinopolitanus et Macharius et Pyrrus et Petrus et Paulus, separantes in Christo deitatem et humanitatem. Propter quam causam Constantinus imperator fecit congregari centum quinquaginta episcopos, inter quos fuerunt duo legati sanctæ Romanæ æcclesiæ missi a papa Agathone. Johannes diaconus et Johannes Portuensis episcopus, factoque concilio dampnaverunt heresim predictam. Eadem vero hora tantæ telæ aranearum in medio populi ceciderunt, ut omnes exinde mirarentur. Hoc autem visæ sunt significare, ut heresis illa esset exinanienda. Predictus autem Georgius patriarcha ab episcopis ammonitus et correctus est, alii vero in sua perfidia permanentes, ab omnibus episcopis anathematizati sunt. Hæc est sexta synodus universalis, id est quam mundus universus tenet.

His quoque temporibus per octavam indictionem eclypsis lunæ apparuit, et secundo die intrantis Mai eclypsis solis facta est hora diei decima, ac deinde mense Julio, Augusto et Septembre mortalitas magna facta est. Tunc visibiliter multis hominibus apparuerunt duo angeli, unus bonus et alter malus, ambulantes per Urbem tempore nocturno, et ille malus angelus tenebat venabulum in manu, et per jus-

VARIÆ LECTIONES.

[1051] *deest* 1. [1052] conjungeret 1.

sionem boni angeli de quacumque domo januam percutiebat, alia die omnes homines de eadem domo moriebantur. Post hæc cuidam homini bono per visionem dictum est, quod ipsa mortalitas non cessaret, nisi in æcclesia sancti Petri quæ dicitur Ad vincula dedicaretur altare in honore sancti Sebastiani martyris. Quo facto, mortalitas cessavit.

Interea rex Chunibertus cum quodam fidelissimo suo consiliatus est quomodo Aldonem et Grausonem occideret. Cumque de hac re inter se loquerentur, stantes prope fenestram quandam, subito in fenestra illa musca consedit. Quam Chunibertus occidere volens, cum cultello, quod in manu tenebat, pedem illius tantum abscidebat. Cumque Aldo et Grauso ad palatium regis tenderent et jam appropinquarent, obviavit eis unus homo pede truncato, et dixit eis quod Chunibertus rex vellet eos occidere. Hoc illi audientes, fugerunt in æcclesiam sancti Romani martyris, et absconderunt se post altare ipsius æcclesiæ. Cumque hoc regi nunciatum fuisset, statim vocavit ad se illum fidelissimum suum, cui hoc soli crediderat, et dixit ei : *Quare consilium meum credidisti cuicumque homini ?* Ille cum tremore respondit : *Domine mi rex, tu scis, quia, postquam michi locutus es, nunquam de tuo conspectu foras exivi, et quomodo hoc alicui homini dicere potui ?* Tunc rex mandavit ad Aldonem et Grausonem, ut quid in æcclesiam fugissent. Qui responderunt : *Quia audivimus quod rex nos occidere vellet.* Iterum mandavit ad eos rex, interrogans quis eis hoc nunciaret, et dixit quod gratiam suam non haberent, nisi hoc sibi manifestarent. Tunc illi omnia quæ facta fuerant manifestaverunt, dicentes : *Quia obviavit nobis unus homo pede truncato usque ad geniculum, et ipse hoc nobis nunciavit.* Tunc rex Chunibertus intellexit, quod musca illa diabolus fuisset et ipse hoc eis nunciasset, statimque vocavit eos ad se, et reddidit eis gratiam suam, et usque ad mortem habuit eos honoratos.

Inter hæc Constantinus imperator mortuus est, et Justinianus, filius ejus minor, tenuit regnum per annos decem. Contra hunc Leo quidam venit, apprehensumque naso detruncavit, ejiciensque de regno, ipse per annos tres regnavit, et illum in insulam quamdam exiliavit. Iterum Tyberius hunc Leonem de regno expulit, ipseque regnum tenuit, et illum in custodiam posuit. Post hæc Justinianus regnum suum per adjutorium Terebelli regis Bulgarum recepit, et Leonem atque Tiberium coram populo in medio circo decollari fecit.

His diebus rex Anglisaxonum nomine Cedoaldus, qui multas pugnas in sua patria commisit, ad Christum conversus est, et tendens Romam, venit ad Chunibertum regem, a quo cum magno honore susceptus, ivit Romam, et a beato Sergio papa baptizatus, Petrus nominatus est, et cum adhuc in albis esset, mortuus est, et in æcclesia sancti Petri sepultus.

Hoc etiam tempore fuit in regno Francorum vir nomine Arnulfus, Deo amabilis, qui relicto seculo postea episcopus factus est.

Cunibertus vero postquam regnavit annis 12 solus post mortem patris, mortuus est, regnumque filio suo Lioperto adhuc parvulo dimisit, cui Asprandum virum sapientem nutritorem constituit. Post octo menses Reginpertus dux Taurinensium venit cum exercitu adversus Asprandum et Ruotharium duces Pergamensium, et pugnans cum eis, vicit eos, et apprehendit regnum ; sed eodem anno mortuus est. Cujus filius Aripertus iterum pugnavit adversus Liopertum regem apud Ticinum, et Liopertum in pugna vivum apprehendit, Asprandus vero nutritor ejus in insulam Cumacinam fugit. Dux autem Ruotharius cum redisset Pergamum, Aripertus cum magno exercitu obsedit et expugnavit civitatem, apprehensoque Ruothario, fecit radi caput ejus et barbam, et exiliavit eum, ubi post aliquantum tempus mortuus est. Liopertum vero puerum misit in balneum, et clausit januam super ipsum, sicque nimio calore mortuus est.

Aripertus autem cum securus jam regnaret, apprehendit Sigibrandum, filium Asprandi, et excœcavit eum et omnes parentes ejus per diversa tormenta affixit, Liutprandum autem, filium ejus minorem, tenuit in carcere ; et quia adhuc erat puerulus, personam ejus despexit, et noluit ei facere aliquod malum, insuper dimisit eum ire ad patrem suum. Igitur Liutprandus venit ad patrem suum in Bawariam, quo ipse jam dudum fugerat eundem Aripertum, ad ducem Theodebertum, stetitque cum eo per annos 9. Quo cum venisset Liutprandus, cum gaudio magno est susceptus.

Hoc tempore apud Gallias in regno Francorum sub nomine majoris domus principabatur Ansgis, filius Arnolfi supradicti, qui nomen trahere videtur ab Anchisa Trojano. Igitur postquam Asprandus per novem annos mansit in Bawaria, movit exinde Theodepertum Bawariorum ducem, et cum exercitu venit in Italiam, pugnavitque cum Ariperto, et mortui sunt multi de partibus utrisque. Sed quamvis in ipsa pugna nox finem fecisset, certum est tamen quod Bawarii fugerunt, et Aripertus cum victoria rediit ad castra. Qui cum noluisset manere in castris sed iret in Ticinum, fecit desperationem populo suo, et adversariis dedit audaciam. Postquam vero civitatem intravit et sensit iratum sibi esse populum pro tali facto, habuit consilium, ut fugeret in Franciam, et tulit de palatio aurum quantum voluit, et exivit. Cumque Ticinum fluvium oneratus auro transnatare voluisset, suffocatus ab aqua, mortuus est. Alio die inventum est corpus illius, et sepultum est in æclesia domini Salvatoris. Post cujus mortem Asprandus Longobardorum regnum tenuit, et solummodo tres menses regnavit, vir per omnia bonus et cujus sapientiæ pauci homines assimilari possunt. Videntes autem Longobardi quod Asprandus moreretur, fecerunt sibi regem filium ejus Liutprandum, patre adhuc vivente.

Phylippicus autem Justinianum imperatorem occidit, regnumque ejus per annum et sex menses tenuit; surrexit enim contra eum Anastasius, qui et Arthemius dictus est, et ejecit eum de regno oculosque ejus erumpere fecit. Anastasius autem cum mitteret naves in Alexandriam contra Sarracenos, divertentes milites Constantinopolim exquisierunt Theodosium, orthodoxum virum, et invitum per violentiam posuerunt in regnum. Exiens autem idem Theodosius de Constantinopoli in Niceam, pugnavit contra Anastasium, et vicit eum, tulitque ab eo sacramentum, et eum clericum fieri jussit, et postea presbiterum ordinari fecit. Mortuo autem Theodosio post annum unum, Leo factus est imperator.

Apud regnum Francorum illo in tempore Pippinus regnavit, qui fuit nimium audax semperque ab hostibus victoriam habuit. Hic habuit filios, sed ex eis Karolus optimus extitit, qui post eum regnum accepit.

Circa hæc tempora compunctus divino amore Patronax de Brixia venit Romam, et per exhortationem [1053] beati Gregorii, tunc temporis papæ, venit in Cassinum castrum, cœpitque ibi habitare cum simplicibus hominibus, qui tunc ibi residebant. Qui deinde eundem venerabilem virum Petronacem fecerunt sibi seniorem. Cœperunt autem statim ad eum concurrere multi viri nobiles, et adjuvante divina gratia, pro meritis beati patris Benedicti, reparavit priora habitacula, vivensque cum omnibus sub jugo sanctæ regulæ secundum ordinem beati Benedicti, sanctum illud monasterium ad bonum perduxerat statum. Huic venerabili viro multa fecit adjutoria dilectus Deo Zacharias papa, dans ei libros sanctæ scripturæ et alia quæ ad utilitatem monasterii pertinent, insuper et regulam, quam beatus pater Benedictus manibus suis scripsit. Ab illo autem tempore, ex quo locus ille destructus est, usque ad jam dictum abbatem Petronacem, completi fuerunt centum et decem anni.

In Francia, mortuo Pippino, filius ejus Karolus, quamvis per multas pugnas, tulit principatum de potestate Reginfridi. Inter hæc Liutprandus rex audiens quod Sarraceni depredarentur Sardiniam, dedit magnum precium, et misit in Sardiniam, fecitque inde adduci ossa sancti Augustini episcopi, et posuit illa honorifice in Ticino.

Post hæc Karolus rex Francorum misit Pippinum filium suum ad Liutprandum regem, ut tonderet capillos ejus et faceret eum sibi exinde compatrem; quod ille fecit, puerumque cum donis multis ad patrem remisit.

Igitur Liutprandus rex multas æcclesias per loca diversa construxit. Fecit enim monasterium beati Petri apostoli foris muros Ticinensis civitatis, quod dicitur ad Cælum aureum, et sursum in Alpibus in propria sua villa fecit monasterium, quod dicitur Barcetum; itemque in Alonna villa propria monasterium fecit in honore sancti Anastasii martyris. Similiter fecit æcclesiam domini Salvatoris in palatio suo, et ordinavit ibi sacerdotes et clericos, qui cottidie divina officia ibi celebrarent, quod nunquam alii reges ante ipsum habuerunt. Postquam vero regnavit per annos 31 et menses 7, mortuus est, sepultusque est in æcclesia sancti Adriani martyris, ubi et pater ejus sepultus est. Fuit autem sapiens et fortis, amator pacis, culpantibus misericors, castus, orationibus et vigiliis deditus, in elemosinis largus; litteras non novit, sed tamen sic sapiens fuit, ut phylosophis assimulandus sit.

Hucusque de Longobardorum gentis origine ejusque in Italiam ingressione regumque ejus successione strictim descripsisse, imperatorum quoque Romanorum interim regnantium nomina et tempora breviter tetigisse sufficiat, nunc ad ceptæ seriei digestionem, unde paululum digressi sumus, descriptio redeat.

(*H. m.*) Justinus imperator Tyberium comitem excubitorum sibi filium faciens, cesarem appellavit et consessorem suum constituit. Erat imperator pedibus eger, et per hoc magis in lectulo jacuit. Post hæc infirmatus, sed post paululum a languore dimissus, convocavit tam Euticium pontificem et senatum, quam omnes sacerdotes et cives, et adducto cæsare Tyberio, palam omnibus appellavit eum imperatorem, his sermonibus usus : *Ecce Deus benefecit tibi, hunc habitum Deus tibi dedit, non ego. Honora illum, ut tu quoque honoreris ab illo; honora matrem tuam, quæ aliquando tibi domina fuit; nosti, quod primum fueris ejus servus, nunc autem filius. Ne gratuleris in sanguinibus, nec communices homicidio, ne malum pro malo reddas, ne in malo inimiciciæ michi similis efficiaris; non elevet te habitus hic quemadmodum me; sic attende omnibus sicut tibi; scito quis fueris, ne superbias, et non peccabis. Omnes isti filii tui sunt et servi, hos cum videas, omnes qui sunt rei publicæ vides.* Hæc cum dixisset, et facta oratione a patriarcha, cum dixissent omnes: *Amen*, cecidit cæsar ad pedes imperatoris, et dixit ei : *Si vis, sum; si vis, non sum.* Et imperator ait : *Deus, qui fecit cælum et terram, ipse omnia quæ dicere oblitus sum in cor tuum mittat.* Hæc cum loqueretur imperator, replebat lacrimis totum collegium. Post hæc Justinus anno 11 regni sui mortuus est, relicto Tyberio successore.

Anni [1054] Justini.

1. (*Chr. W.*) Primo autem anno Justini, qui est annus dominicæ incarnationis 565[us], Armenii suscipiunt fidem.

3. (*H. m.*) A. D. 567. Sophia augusta, accersitis notariis, deferri [1055] jussit cautiones debitorum et breves, et dimisit eis omnia. (*Chr. W.*) Eodem anno Narses patricius Totilam regem occidit Gothosque dispersit.

VARIÆ LECTIONES.

[1053] et p. c. *in loco raso* 1. [1054] *deest* 1. 4. [1055] *post supplet* 1.

4. A. D. 568. Longobardi Italiam petentes, de Pannonia egressi sunt (cf. P. D.).

6. A. D. 570. * Longobardi Mediolanum intraverunt.

* D ? E. *et in fine anni* 5 — 11 [1056] *addunt :* Sanctus Vedastus obiit. *cf. Sigeb.*

7. A. D. 571 *.

* D ? E. 4 — 11 *addunt :* Gregorius Turonensis episcopus in [1057] Gallia claret. *cf. Sigeb.*

11. (*Chr. W.*) A. D. 575. Justinus imperator obiit. Quidam scribunt (P. D. III, 11), quod in heresim Pelagianam inciderit, et ideo justo Dei judicio sensu perdito, cum amentia vitam finiverit.

Anni Tyberii.

(*H. m.*) Anno dominicæ incarnationis 576°, Urbis vero conditæ millesimo 327°, Tyberius Constantinus, genere Thrax, 55° loco ab Augusto imperium accipiens, coronatus est ab Euticio patriarcha, regnavitque annis 7. Qui mittens adduxit uxorem suam Anastasiam, et coronavit eam. Quæ cum coronaretur, clamabant partes : *Anastasia, tu vincas. Salva, Domine, quos jussisti imperare.* Hoc audiens Sophya, uxor Justini, animo perculsa est; nesciebat enim quod haberet uxorem, volebatque ipsa nubere Tyberio et permanere augusta. Quidam vero dicebant quod, vivente Justino, adamicata fuerit Tyberio, et ipsa persuaserit Justino, ut eum cæsarem faceret (cf. P. D. III, 2). Qui cum adhuc vivente Justino preesset palatio, et ut vere christianus thesaurum multum, quem Justinus male congregavit pejusque in ferreis archis reposuit, pauperibus distribueret, Sophya augusta frequentius eum increpavit, dicens : *Quod ego per multos annos congregavi, tu in modico tempore expendis.* Cui ille ait : *Confido in Domino, quia pecunia non deerit fisco regali, tantum pauperes elemosinas accipiant, et captivi redimantur.* Hic cum imperialem coronam accepturus esset, eumque juxta consuetudinem in spectaculo circi, ubi reges coronari solebant, populus exspectaret, quidam adversarii insidias ei paraverunt, et Justinianum, nepotem Justini, in imperium sublimare voluerunt. Ille autem prius loca sancta perambulavit, postea vocans ad se pontificem urbis Euticium, cum consulibus et prefectis ceterisque honoratis palatium intravit, et induens se purpura coronamque sibi imponens, sedit super sedem imperialem, et cum magnis laudibus in gloria regni est confirmatus. (*H. m.*) Quod videntes ejus adversarii, magna confusione sunt cooperti. Justinianus vero post paucos dies veniens, projecit se ad pedes ejus, et ut gratiam ejus haberet, quindecim centenaria auri dedit ei. Ille, ut semper fuit patiens, suscepit eum bene, jussitque eum in palatio semper manere. Sophya quoque, immemor promissionis quam aliquando fecerat Tyberio, temptavit ei fraudem ingerere. Exeunte enim illo ad villam, ut juxta consuetudinem imperialem per 30 dies jocundaretur cum suis ad vindemiam, Sophya Justinianum clam vocavit, eumque in regnum sublimare quesivit. Hoc audiens Tyberius, festinanter Constantinopolim rediit, apprehensamque Sophyam, omnibus suis rebus eam spoliavit, dimittens ei tantum unde viveret, et tollens omnes pueros ejus, de suis fidelibus posuit qui ei servirent, precipiens ut nullus ex his qui ei antea serviebant ad eam accederet. Justinianum vero solis verbis corripiens, in tantum eum postea dilexit, ut filiam suam filio ejus promitteret rursumque filio suo filiam ejus expeteret; sed nescio qua de re hoc ad effectum non pervenit. (P. D. *l. l.*) Hic itaque quia multas elemosinas cottidie fecit, multum ei Deus aurum demonstravit. (*H. m.*) Quadam itaque die deambulans per palatium, vidit in pavimento petram, in qua sculptum erat sanctæ crucis signum. Et ait : *Cruce Domini frontes et pectora nostra signare debemus, et ecce sub pedibus nostris eam calcamus*, et jussit eam auferri. Quæ cum levaretur, invenerunt aliam simili modo signatam. Cumque et hanc sublevari jussisset, apparuit tercia. Hanc quoque cum levassent, invenerunt plus quam mille centenaria auri. Quo sublato, multum pauperibus largitus est ex eo.

Narses quoque patricius magnam domum habuit, in qua cisternam faciens, multum aurum et argentum in ea recondit, occidens omnes hujus rei conscios preter senem unum, a quo juramentum exigens, omnia ei commendavit. Mortuo autem Narsete, predictus senex ad Tyberium venit, et de eadem pecunia ei indicavit. Qui gavisus misit pueros suos cum eo, qui aperientes cisternam, tantam pecuniam invenerunt, ut per multos dies vix potuisset deportari. Quam more suo pene omnem pauperibus erogavit. Hic, cum temporibus Benedicti papæ, vastantibus omnia Longobardis, Roma fame laboraret, multa milia modiorum frumenti navibus ab Ægypto dirigens, eam misericordiæ studio relevavit.

Tercio hujus anno rex Persarum congregavit exercitum copiosum contra eum, sed missus ab eo exercitus duce Mauricio Persas vicit, reversusque Mauricius cum victoria, honorifice a Tyberio est susceptus, dataque sibi filia imperatoris Constantina gener ejus est effectus. Similiter et Germano pretori junxit filiam suam Charito, utrumque cæsarem creans.

(P. D. III, 13.) Ad hunc Tyberium Helpericus rex Francorum missos suos direxit, et multa dona accepit, et aureos tales, quorum unus solidus libram pensavit, et habebant ex una parte figuram imperatoris et per gyrum scriptum : *Tyberii Constantini perpetui Augusti*, ex altera parte currum, et hominem super eum qui minabat illum, et ibi erat circumscriptum : *Gloria Romanorum*

VARIÆ LECTIONES.

[1056] *desunt tamen* 9c. [1057] in g. *desunt* 4—11.

Iis temporibus beatus Gregorius, tunc archidiaconus, cum fuisset a Pelagio papa Constantinopolim missus, rogantibus fratribus secum commorantibus, maximeque Leandro Hispaniensi episcopo, qui etiam tunc temporis illuc missus fuerat, moralia Job scripsit, et Eutbicium ejusdem urbis episcopum, presente Tyberio augusto, in fide resurrectionis errasse convicit (cf. *Vitam Greg.* et BEDAM).

(P. D. III, 15.) Tyberius autem cum regnaret annis 7, et infirmatus mortem sibi propinquam sentiret, cum consilio Sophyæ augustæ Mauricium generum suum, genere Capadocum, ad imperium elegit, eique principatum dedit, dicens: *In mente habe, ut rectitudinem et justiciam semper ames* Hoc postquam dixit, de hac luce migravit. Quem omnes populi multum planxerunt pro bonitate ejus. Fuit enim summæ bonitatis, ad elemosinas promptus, in judiciis justus, in discretione cautissimus, nullum despiciebat, sed omnes cum bona voluntate suscipiebat, et quia dilexerat omnes, ab omnibus dilectus est.

Anni [1058] Tyberii.

Cujus anno primo thesaurus magnus sub pavimento palatii et in domo Narsetis patricii inventus est, ut supra dictum est.

2. A. D. 577. Benedictus papa 64[us] sedit annis 4. *

* D.? E. *addunt:* Ab hoc Gregorius — ordinatus. 4 — 11. *addunt:* Ab hoc Gregorius ad predicandum Anglis missus est. *ex Sigeb. a.* 575.

3. (cf. *G. Fr.*) A. D. 578. Sigibertus, filius Lotharii, interfectus est anno regni sui 14.

6. A. D. 581. Pelagius papa 65[us] sedit annos 10, menses 2.

7. (*Chr. W.*) A. D. 582. Tyberius Constantinus obiit.

(*H. m.*) Anno dominicæ incarnationis 583°, ab Urbe condita millesimo 334°, Mauricius, genere Capadocus, 56° loco ab Augusto, primus ex genere Grecorum, adeptus est imperium, regnavitque annis 21. Hic secundo imperii sui anno consul appellatus est, et multos thesauros Urbi donavit. Provexit autem Phylippicum quendam pretorem Orientis, cui et filiam suam Gordiam uxorem dedit, quem tamen postea quasi regni usurpatorem susspiciosum habuit. (*Vita Greg.*) Hujus temporibus ipso annitente, beatus Gregorius ad gradum Romani pontificatus provectus est, cujus filium idem Gregorius antea de baptismate suscepit; postea tamen idem Mauricius Gregorio papæ infestissimus erat. Magnæ quippe avariciæ et rapacitati deditus erat, pro qua re Gregorius quantum potuit eum corripiebat. Et quia imperatorem non verebatur, ad exercendam in eum tyrannidem prodire nitebatur. (*H. m.*) Sed eodem anno, qui fuit imperii sui 19[us], vir quidam monachico indutus habitu, spatam dextera tenens, a foro usque ad æneam gladiatoris statuam discurrit, et imperatorem gladio moriturum omnibus pronunciavit. (JOAN. *Vita Greg.*, IV, 3, et *H. m.*) Quod Mauricius ut audivit, a tyrannide Gregorio inferenda semet continuit, et reversus in se cogitavit, quod Deum lateat nichil, sed reddat omnibus secundum opera eorum, recognoscens etiam excessum, quem in captivatione multorum fecerat — multa enim bella in diversis mundi partibus per diversos duces suos exercuerat — expedire sibi judicavit, in hac vita recipere pro peccato, et non in futura, compositasque scripto preces eidem Gregorio et ad omnes patriarchales sedes et ad omnes civitates et monasteria civitatum sive solitudinum cum cereis et thimiamatibus et pecuniis transmisit, et ut pro peccatis suis intercederent supplicavit, hoc potissimum deprecans, ut hic et non in futuro quæ meruit reciperet. Cumque hoc et ipse vehementius per tempora multa lacrimis postularet, quadam nocte dormiens, vidit in visu apud æneam palatii portam se coram populo multo imagini domini Salvatoris assistere, et vocem terribilem ex eadem imagine se audire, dicentem: *Date Mauricium.* Et tenentes eum judiciorum ministri, posuerunt eum apud purpureum umbilicum qui illic erat. Cui eadem vox caracteris ait: *Ubi vis reddam tibi mala quæ fecisti, hic an in futuro seculo?* At ille respondit: *Amator hominum, domine et judex juste, hic michi potius quam in futuro retribue;* et jussit divina vox tradi Mauricium et Constantinam uxorem ejus et filios et omnem cognationem ipsius Focæ militi. Evigilans ergo Mauricius vocavit eum qui ante se [1059] dormiebat, misitque [1060] et vocavit ad se Phylippicum generum suum, quem dudum susspicabatur velle sibi regnum subripere. At ille pro susspicione predicta se perdendum conjiciens, advocatæ ad se Gordiæ uxori suæ, tanquam ultra se non visuræ, valé dixit, sacramentoque communionis accepto, ad palatium venit, et cubiculum imperatoris ingrediens, ad pedes ejus procidit. Cui assurgens imperator, ad pedes ejus nichilominus corruit, dicens: *Ignosce michi, deprecor, propter Deum, quia peccavi in te; nunc enim certissime novi, quod nichil peccaveris in me. Si quem vero scias in agminibus nostris, qui soleat Focas nominari, dicito michi.* Et Philippicus diu secum recogitans, dixit: *Unum sic vocatum scio, qui nuper ab exercitu procurator positus, tuo contradicebat imperio.* Cum autem imperator quereret de ejus qualitate, Philippicus ait: *Est quidem juvenis et temerarius, attamen timidus.* Tunc Mauricius ait: *Si est timidus, profecto et homicida;* et narravit Philippico somnium quod vidit. Porro nocte illa visa est stella quæ dicitur cometa. In crastinum vero venit Magistrianus, quem misit ad heremitas, ferens ab eis hujusmodi responsum: *Deus, recepta pœnitentia tua, salvabit animam tuam, et cum tota domo tua in numero sanctorum te constituet; ab imperio vero cum ignominia et discrimine discedes.* His

VARIÆ LECTIONES.

[1058] *deest* 1. [1059] *post addit* 1. [1060] misit *corr.* misitque 1.

auditis, Mauricius glorificavit Deum magnifice, et pœnitentiam quidem tenuit, sed avariciæ malum adeo non reliquit, ut exercitum in periculosis locis hiemare et victum ab extraneis juberet cum periculo querere, ne videlicet alimenta publica deberet eis ministrare. Quod audiens exercitus, in sedicionem convertitur, exaltatumque super clypeum Focam centurionem acclamavit exarchum. Commoto autem gravi tumultu Constantinopoli, Mauricius mutata veste cum uxore et filiis noctu dromonem conscendit, et fugiens apud Sanctum Antomon venit. At Focas cum exercitu in septimum veniens, imperator efficitur; a quo Mauricius cum uxore ac filiis penes Calcedonem missus decollatur. Verum Mauricius patienter infelicitatem sustinuit, Deum in omnibus invocans, et crebro pronuncians: *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum.* Aiunt autem quidam, quod eo occiso lac cum sanguine fluxerit, ita ut omnes inspicientes dire lamentarentur. Sic ergo imperator etiam naturæ legibus celsior factus, vitam commutavit. Porro ex illo tempore non defuerunt Romano imperio variæ ac ingentes erumnæ.

4. (*Chr. W.*) A. D. 586. Levigildus rex Wisigotharum Arrianus Herminigildum filium suum ob fidem catholicam, quam a Leandro episcopo percepit, in sancta dominica paschæ securi fecit occidi. (Beda.) Hilpericus, filius Lotharii, unus ex quatuor, obiit, anno 24° regni sui (cf. *G. Fr.*).

6. A. D. 588. Lotharius, Hilperici filius, regnare cœpit.

9. A. D. 591. Gregorius primus papa 66[us] ordinatur, sedensque annis 13, mens. 6, diebus 10, migravit 4 Idus Mart. anno secundo Focæ imperatoris.

13. (*Chr. W.* — Beda.) A. D. 595. * Gregorius pontifex synodum episcoporum 24 congregans apud Sanctum Petrum, de necessariis æcclesiæ decernit.

* D? E. *addunt*: In Italia — Pelagium. Gregorius levita septiformem ob hoc letaniam instituit, et paulo post papa efficitur. Hic inter — recitari. *ex Sigeb. a.* 591. 592. *et pergunt*: Hic etiam synodum, *etc.*

14. A. D. 596. Gregorius misit Augustinum predicare [1061] Anglis.

15. A. D. 597. Guntrammus rex, filius Lotharii, obiit, anno regni 33°, habens [1062] filios duos Theodebertum et Theodericum (cf. *G. Fr.*).

17. A. D. 599. Hildibertus, filius Sigiberti cum regnaret annis 20, obiit.

13. A. D. 600. *

* D? E. 5 — 11. *addunt*: Sanctus Goar veniens ex Aquitania, claret in Gallia. *ex Sigeb.*

19. A. D. 601. *

* D? E. *addunt*: Contentio — morte obiit. *ex Sigeb.*

21. (*Chr. W.*) A. D. 603. Gregorius, missis doctoribus Augustino, Mellito, Johanne aliisque pluribus, Anglos ad Christum convertit. Tunica Domini, super quam milites sortem miserunt, in Zaphath procul ab Hierusalem in arca marmorea reperitur, quam Gregorius Anthiocenus episcopus et Thomas Hierosolimitanus et Johannes Constantinopolitanus cum aliis multis episcopis, facto triduano jejunio, ordine pedestri Hierosolimam in ipsa archa perducentes, in æcclesia, ubi crux Domini adoratur, posuerunt. Mauricius pœnas scelerum suorum, ut ipse oravit, in hac vita persolvens, a Foca turpiter decollatur.

Anni Focæ.

1. Anno dominicæ incarnationis 604°, Urbis autem conditæ millesimo 355°. Focas quidam, Prisci, ut aiunt (P. D. IV, 27), patricii quondam strator, post ad militiam provectus, deinde a populo procurator factus, ad ultimum vero, vivente adhuc Mauricio imperatore, ab exercitu ad imperium electus, 57° loco ab Augusto, imperium invasit, et octo [1063] annis regnavit, habens uxorem Leontiam nomine. (Beda.) Hujus anno 2° beatus papa Gregorius migravit ad Dominum, et Sabinianus pro eo eligitur ad pontificatum; post quem Bonifacius, cujus rogatu Focas constituit sedem Romanæ et apostolicæ æcclesiæ caput esse omnium æcclesiarum; nam antea Constantinopolitana æcclesia se scribebat primam omnium. Post quem alius Bonifacius, qui fuit a beato Gregorio quartus; cujus item rogatu idem Focas jussit [1064] in veteri fano, quod Pantheon vocabatur, ablatis idolatriæ sordibus, æcclesiam beatæ semper virginis Mariæ et omnium martyrum fieri, ut ubi quondam omnium non deorum sed dæmonum cultus agebatur, ibi deinceps omnium sanctorum memoria coleretur. Hujus tempore Cosdroe rex Persarum adversus publicam rem bella gravissima gerens, multas Romanorum provincias et ipsam Hierosolimam abstulit, et [1065] destruens æcclesias ac sancta prophanans, inter ornamenta locorum vel sanctorum vel communium quæ abstulit etiam vexillum dominicæ crucis abduxit. (*H. m.*) Focas autem cum homicidia ceteraque mala multa fecisset in populo, Priscus patricius, gener ipsius, dolens, pro his, scripsit Heraclio patricio et pretori Africæ, ut filium suum Heraclium mitteret, quatinus contra Focam tyrannum veniret. Qui veniens cum exercitu, pugnavit cum eo, et vicit eum; vulgus autem apprehensum interfecit et igne apud Taurum cremavit.

2. (*Chr. W.*) A. D. 605. Sanctus Gregorius papa migravit ad Dominum.

3. A. D. 606. Sabinianus papa 67[us] sedit annum unum, menses 5.

* D? E. *addunt*: Libros Gregorii — testimonio, *ex Sigeb.*

VARIÆ LECTIONES.

[1061] ad predicandum E 1. [1062] habens — Theodericum *desunt* E 1. [1063] *in loco raso* 1. [1064] *add. sed del.* ut 1. [1065] et — abstulit *desunt* 10. 11.

4. A. D. 607. Bonifacius papa 66us sedit annum unum, menses 8. (*Chr. W.*) Quo rogante, Focas fecit Romam matrem æcclesiarum.

6. A. D. 609. Bonifacius papa 69us sedit annos 6, menses 8. Cujus rogatu Focas pantheon dedit æcclesiæ.

7. A. D. 610. *

* D? E. *addunt:* Alexandriæ — eleymonis, id est elemosinarii, meruit. *ex Sigeb.*

8. A. D. 611. Focas occiditur.

Anni Heraclii.

1. (*H. m.*) Anno dominicæ incarnationis 612e, Urbis autem conditæ millesimo 365e. Heraclius, 58e loco ab Augusto, accepit imperium, occiso Foca, regnavitque annis 27. Hic coronatus est a Sergio patriarcha in oratorio sancti Stephani, quod est in palatio, cum desponsata sibi Eudoxia, simulque acceperunt nuptiarum coronas, et una eademque die Heraclius et imperator et sponsus ostenditur. Sequenti anno nascitur imperatori filius de Eudoxia, Heraclius minor, qui et Constantinus novus dictus est; et mortua est augusta eodem anno. Deinde anno sequenti duxit Heraclius inceste Martinam neptem suam, sororis suæ filiam, quæ coronata est in augustam a Sergio patriarcha heretico. De qua suscepit filium Heraclonam.

Anno imperii sui octavo Heraclius misit in Persidem legatos ad Cosdroen, postulans pacem. Qui sprevit eos, dicens : *Non parcam vobis, donec crucifixum, quem Deum esse fatemini, abnegetis, et solem adoretis.* Sequenti anno Chaianus rex Avarum direxit aciem contra Thracem; sed missis ab Heraclio legatis, fecit cum eo pacem.

Duodecimo autem imperii sui anno, contracta omni militia sua, movit exercitum in Persidem, multaque prælia cum diversis ducibus committens, per sex annos Persidem devastavit et vicit, occisoque Chosdroe, septimo anno Constantinopolim, ablato a Perside vivifico crucis ligno, rediit, moxque sequenti vernali tempore Hierosolimam tetendit, preciosum illuc lignum reportans, ad gratiarum Deo actiones referendas. *

* D? E. *addunt :* Desiderius — martyrizatur, *ex Sigeb. a.* 612.

(Beda.) Hujus temporibus Anastasius Persa monachus nobile pro Christo martyrium passus est. Hic natus in Perside, magicas a patre puer didicit artes; sed ubi a captivis christianis Christi nomen acceperat, in eum mox animo toto conversus, relicta Perside, Calcedoniam Hierapolimque Christum quærens ac deinde Hierosolimam petiit. Ubi accepta baptismatis gratia, quarto ab eadem urbe miliario monasterium abbatis Anastasii intravit. Ibi septem annis regulariter vivens, dum Cæsaream Palestinæ orationis gratia venisset, captus a Persis et multa diu verbera passus inter carceres et vincula judice Marzobana, tandem mittitur ad regem Chosdroe, a quo A tercio per intervalla temporis verberatus, ad extremum una manu per tres horas suspensus, sicque decollatus, nobile martyrium cum aliis 70 peregit. Mox tunica ejus indutus quidam demoniacus, curatus est. Interea superveniens cum exercitu Heraclius princeps, superatis Persis, christianos qui erant captivati reduxit gaudentes. Reliquiæ autem beati Anastasii martyris primum monasterio suo, deinde Romam advectæ, venerantur in monasterio beati Pauli apostoli, quod dicitur Ad Aquas Salvias.

(*H. m.*) Anno imperii Heraclii 15e Arabum, qui et Sarraceni dicuntur, Muhammad princeps habebatur. Hic erat pseudopropheta, sed apud illos magnus estimabatur, ita ut eciam in principio adventus ejus estimarent, hunc esse illum qui ab eis exspectatur B Christus. Erat autem oriundus ex stirpe Ismahelis, filii Abrahæ. Cum autem inops et orphanus esset idem Muhammad, visum est sibi ad quandam mulierem locupletem et cognatam suam nomine Cadigam introire mercenarius, ad negociandum cum camelis ejus apud Ægyptum et Palestinam, sicut in illis locis mos erat. Paulatim autem fiducia penes ipsam mulierem percepta, quæ vidua erat, accepit eam uxorem, et habuit camelos illius omnemque substantiam. Cumque veniret in Palestinam, conversabatur cum Judæis et christianis, capiebatque quasdam scripturas ab eis. Porro habebat passionem epylemsiæ, id est morbum caducum [1066]. Quo comperto, uxor ejus valde contristabatur, utpote nobilis, C quod se hujusmodi viro copularet, egeno scilicet et epylemtico. Procurabat vero ille placare ipsam, taliter dicens : *Visionem quandam angeli Gabrielis contemplor, et haut ferens hujus asspectum, mente deficio et cado.* Ipsa vero cum haberet alterum quendam talem amicum suum, propter infidelitatem suam ibi exulantem, indicavit ei omnia verba viri sui et nomen angeli. At ille volens eam reddere certam, dixit ei : *Veritatem locutus est; iste enim angelus mittitur ad omnes prophetas.* Ipsa ergo prima susceptis verbis ejus credidit ei, et predicavit aliis mulieribus contribulibus suis, prophetam eum esse; et taliter ex feminis fama venit ad viros, primo ad Hebuber, quem et successorem dimisit, et tenuit partem heresis ejus et heredis. Docuit autem auditores suos, D quod qui occidit inimicum, vel occiditur ab inimico, paradysum ingreditur; paradysum vero carnalis cibi ac potus et commixtionis mulierum perhibebat capacem, fluvium quoque vini et mellis et lactis ibi esse et affluentem voluptatem multaque alia luxuria et stulticia plena, quæ stultis videbantur delectabilia ideoque credibilia. — (*Chr. W.*) Heraclius a Sergio patriarcha et ab Anastasio quodam aliisque hereticis circumventus, in Euthicianam incidit heresim, et mathematicus factus et astrologus, vidit imperium suum a circumcisis gentibus esse vastandum; mittensque ad Dagobertum regem Francorum, omnes regni ejus Judæos baptizari petiit et impetravit, ipse-

VARIÆ LECTIONES.

[1066] cadicum *aut* cadiuum I? cadiuum E I.

que per omnes imperii sui fines et provincias idem fieri decrevit. Post hæc Agareni, qui et Sarraceni, gens circumcisa, provincias Heraclii vastant. Contra quos dum Heraclius dimicat, 150,000 militum ejus Sarraceni interficiunt, et spolia eorum Heraclio remittunt. Quæ ille percipere nolens; sed vindictam ab eis querens, portas Caspias, quas Alexander Magnus Macedo super mare Caspium fecit et propter multitudinem sevissimarum gentium serari jussit, aperuit, indeque 150,000 auro armata cum omnibus universarum provinciarum militibus contra Sarracenos in prælium misit. Cumque in crastinum essent prælaturi, ipsa nocte 52 milia de exercitu Heraclii in castris percussit angelus Dei; reliqui cum regredientes appropinquassent Hierosolimam, videns Heraclius se nequaquam resistere posse, merore correptus est, factusque ydropicus, mortuus est (*H. m.*).

2. [1067] A. D. 613.

2. [1067] A. D. 614. *

* 5 — 11. *addunt :* Sanctus Columbanus a Theoderico rege instinctu Brunihildis aviæ expellitur. *ex Sigeb.*

3. (*Chr. W.*) A. D. 615. Anastasius Persa monachus factus est.

4. A. D. 616. Deusdedit papa 70[us] sedit annos septem. *

* D? E. *addunt :* Lupus — descendit. *ex Sigeb.*

6. A. D. 618. Eduinus rex efficitur Anglorum.

11. A. D. 622. Anastasius passus est.

12. A. D. 623. Bonifacius papa 71[us] sedit annos 5.

16. A. D. 627. *

* 4 — 11. *addunt :* Isydorus Hispalensis doctor [1068] claret. D? E. *addunt a.* 628 : I. H. doctrina claret. *ex Sigeb.*

17. (Beda.) A. D. 628. Honorius papa 72[us] sedit annos 10, menses undecim, dies 17. Eduinus rex Anglorum baptizatur a Paulino episcopo anno regni sui 11, adventus autem Anglorum in Britanniam 180.

18. (*Chr. W.*) A. D. 629. Heraclius interfecto Cosroe rege Persarum, crucem dominicam, quam ille abstulit, Constantinopolim revexit, annoque sequenti Hierosolimam cum debita veneratione reduxit. *

* D? E. *addunt :* Celebritatem e. e. a. c. *ex Sigeb. a.* 631.

19. A. D. 630. * 1.

* 1. 10. (*alio atramento*), 11. *addunt :* Sanctus Gallus cellam suam construxit.

20. A. D. 631. Lotharius, Hilperici filius, anno regni sui 44 moritur, relinquens successorem filium suum Dagobertum (cf. *G. Fr.*).

27. (*H. m.*) A. D. 638. Heraclius ydropicus factus moritur. — Severinus papa 73[us] sedit annum unum, menses duos.

Anni Constantini.

1. Anno dominicæ incarnationis sexcentesimo tricesimo nono, ab Urbe autem condita millesimo trecentesimo nonagesimo Constantinus, filius Heraclii et Eudoxiæ, quinquagesimo nono loco ab Augusto, suscepit imperium. Qui, cum regnaret mensibus quatuor, a noverca sua Martina et Pyrro patriarcha veneno potionatur; illoque extincto, ipsa cum filio suo Heraclona dominatur. Unde omnis senatus Constantinopolitanus cum omni populo indignatione justa commotus, Heraclonam repulit, linguaque Martinæ et naso Heraclonæ absciso, eisque in exilium destinatis, Constantem, filium Constantini, nepotem Heraclii, provehunt. (Beda.) Cyrus Alexandrinus episcopus et Pyrrus Constantinopolitanus et alii multi heresim instaurant. (*H. m.*) Sed senatus et tota civitas Pyrrum ut impium cum Heraclona ac matre sua expulerunt; et regnante Constante, Paulus consecratur episcopus, et ipse hereticus. Johannes autem præsul Romanus, collecto episcoporum concilio, omnes hujus heresis fautores anathematizavit. Quo defuncto, Theodorus pro eo papa consecratur. Pyrrus vero tendens in Africam, Maximi religiosissimi illo tempore abbatis sanctorumque pontificum illic consistentium presentatur asspectibus. Qui hunc redargutum ac persuasum ad papam Theodorum Romam miserunt; sed ille ficta, ut post apparuit, pœnitentia ortodoxiæ libello papæ tradito, ab [1069] eo receptus est. Mox autem ut a Roma descendit Ravennamque pervenit, quasi canis ad vomitum suum rediit. Quo comperto papa, convocatis cunctis sacerdotibus et clero in æcclesia principis apostolorum, condempnavit eum sub vinculo anathematis.

Johannes papa 74[us] sedit annos 2, menses 9, dies 18.

Anni Heraclonæ.

1. A. D. 640. [1070] * Heracleonas [1071], filius Heraclii, occiso per venenum fratre suo Constantino, regnum invasit, et cum matre sua Martina regnavit annos 2.

* D? E. *addunt :* Sanctus Arnulfus — ancillatur. *ex Sigeb.*

Ab inicio anni 4600.

2. A. D. 641 [1072]. Heraclonas turpiter deicitur cum matre.

Anni Constantis.

1. Anno dominicæ incarnationis 642, ab Urbe condita millesimo 393. Constans, filius Constantini, nepos Heraclii, 60° loco ab Augusto, in regnum eligitur, dejecto Heraclona [1073] cum matre sua, et regnavit annis 28. (Beda.) Hoc regnante, ut supra dictum est, in locum Pyrri heretici consecratur Paulus episcopus, et ipse hereticus, qui non tantum doctrina vesana, sicut decessores sui, sed etiam aperta persecutione catholicos cruciat, apocrisiarios sanctæ æcclesiæ Romanæ, qui ad ejus correctionem missi fuerant. partim carceribus, partim exiliis, partim

VARIÆ LECTIONES.

[1067] *ita* 1. [1068] doctor yspan. 4. [1069] *quæ sequuntur — a* 642. *aliis erasis in* 1. *scripta sunt.* [1070] XL. *amisso* DC. 1. [1071] Heraclonas *corr.* Heracleonas 1. [1072] XLI. 1. [1073] heracliona *corr. ut videtur* heraclona 1.

verberibus afficiens. Altare quoque eorum in domo A Placidiæ consecratum in venerabili oraculo destruxit, prohibens eos ibidem missas celebrare. * (*H. m.*) Unde Martinus papa, qui Theodoro successit, incensus a Maximo abbate supradicto, ab Africa Romam veniente, collecta synodo centum et decem episcoporum, Sergium et Pyrrum ac Paulum et Cyrum anathemate dampnavit. (Beda.) Quibus agnitis, Constans, qui seductus erat a Paulo, sicut et avus ejus Heraclyus a Sergio, ejusdem regiæ civitatis episcopo misso Theodoro exarcho, Martinum papam et Maximum Constantinopolim fecit adduci, injuriisque affectos Cersonam fecit exiliari; ubi beatus Martinus papa defunctus, multis virtutum signis refulget. Constans vero permotus zelo Dei, synodo sacra et ipse convocata sub Vitaliano papa nuper ordinato, B heresim abdicavit; misitque beato Petro apostolo evangelia aurata, gemmis albis miræ magnitudinis in circuitu ornata. Ipse post aliquot annos Romam veniens, obtulit super altare sancti Petri pallium auro textile, toto exercitu cum cereis æcclesiam intrante. (*H. m.*) Voluit autem et regnum transferre Romam, quia odiosus factus est Byzantiis, eo quod Martinum papam ignominiose tractans exiliavit, et Maximi sapientissimi viri linguam manumque truncavit, duosque Anastasios discipulos ejus tormentis et exiliis tradidit, et multos orthodoxorum [1074] verberibus et proscriptionibus et exiliis dampnavit. Propter talia cunctis odiosus effectus, sex annos fecit in Sicilia. Ibi cum quadam die balneum fuisset ingressus, introivit cum eo quidam Andreas obsecundans illi. Et C cum cœpisset sapone Gallico deliniri, sumens Andreas situlam, dedit eam in verticem imperatoris, et statim fugit. Imperator vero cum tardaret in balneo, insiliunt hi qui foris erant, et reperiunt eum occisum. Quo sepulto, Mitium quendam Armenium fecerunt imperatorem, vi cogentes eum. Erat autem valde decorus et speciosus. Filius autem ejus Constantinus audiens de patris obitu, cum multo navigio Siciliam intravit, et aggressus Mitium, interfecit eum cum occisoribus patris sui, ordinatisque Hesperiis, Constantinopolim rediit, et Romanis cum Tyberio et Heraclyo fratribus imperavit. Hujus [1075] imperatoris tempore obiit sancta Gerdrudis, filia Pippini principis.

Theodorus papa 74[us] sedit annis septem. **

* D? E. *addunt :* Constans imp. ab ipso Paulo deceptus — sit Christus. *ex Sigeb. a.* 652.

** D? E. *addunt :* Dagobertus — indulget. *ex Sigeb.*

2. A. D. 643.

* D? E. *addunt :* Oswaldus r. N., filius Edilfridi regis, a P. r. peremptus, rex et martyr migrat ad Dominum. 4 — 11 *addunt :* Oswaldus rex interficitur. *ex Siceb.*

4. A. D. 645. Dagobertus rex filium suum Sigibertum regnaturum in Austrasia misit Pippino et sancto Chuniberto (cf. *G. Fr.*).

6. A. D. 647. *

* D. E. 5 — 11. *addunt :* Pippinus moritur. Grimoaldus, filius ejus, pro eo major domus efficitur. *ex Sigeb.*

7. A. D. 648. *

* D? E. *addunt :* Sanctus Furseus — aggressus, in Galliis post aliquot annos quievit. 5 — 11. *addunt :* Sanctus Furseus in Hibernia claruit. *ex Sigeb.*

8. (*Chr. W.*) A. D. 649. Martinus papa 75[us] sedit annos 10. Hic, collectis 110 episcopis, condempnavit Cyrum, Sergium, Pyrrum et Paulum. (*H. m.*) Pro qua re a Constante imperatore ab eis seducto exiliatus est in Cersonam.

9. A. D. 650. *

* D? E. *addunt :* Hitta — prefecit. 5—11. *addunt :* Hitta, Pippini relicta, instinctu sancti Amandi monasterium Nivalis fundavit. *ex Sigeb.*

11. A. D. 652. Cinis e celo descendit, et timor magnus factus est in populo. *

* D? E. *addunt :* Pestilentia — interibant. *ex Sigeb. a.* 654.

13. A. D. 654. *

* D? E. *addunt :* Sarraceni — onerati sunt. *ex Sigeb.*

17. A. D. 658. Martinus papa apud Cersonam migravit 4 Idus Nov.

18. A. D. 659. Eugenius papa 76[us] sedit annos 2, menses 9.

21. A. D. 662. Vitalianus papa 77[us] sedit annos 9, menses 6.

24. A. D. 665. Dagobertus, filius Lotharii, cum regnasset annis 34 [1076], obiit (cf. *G. Fr.*). *

* D? E. 4 — 11. [1077] *addunt :* Sancta Gerdrudis obiit.

25. A. D. 666. Cui [1078] successit Clodoveus, filius ejus, cujus frater Sigibertus regnavit in Austrasia.

28. (*Chr. W.*) A. D. 669. Constans in balneo occisus est. *

* D? E. *addunt :* Theodorus a. in A. a Vit. papa directus, synodo — utilia. Hic etiam scripsit —culparum. *ex Sigeb. a.* 668, 674.

Anni Constantini.

D (*H. m.*) Anno dominicæ incarnationis 670, Urbis conditæ millesimo 421. Constantinus, filius Constantis, 61° loco ab Augusto, regnavit cum fratribus suis Heraclio et Tyberio; sed cum venirent aliqui orientalium partium et dicerent : *Si in Trinitatem credimus, tres etiam coronemus*, turbatus est Constantinus, qui solus erat coronatus, et per Theodorum patricium convocans majores natu ex eis quasi in colloquium et consilium, ut fieret voluntas eorum, in patibulum eos suspendit; quod videntes ceteri fu-

VARIÆ LECTIONES.

[1074] orthodorum 1. [1075] Hujus — principis *in margine eadem manu scripta* 1. 9[e] *desunt* 10. 11. D. E. [1076] 34 successit ei Clodoveus — Austrasia 9[e] [1077] *desunt tamen* 9[e]. [1078] Dagoberto 5. Cui — frater *a* 665. *leguntur* 4. (*cf. n.* i.), *desunt* 11.

gerunt; ipse vero regnavit cum filio suo Tyberio annis 17. (Beda.) Hujus temporibus Agatho pontifex Romanæ æcclesiæ [1079] legatos suos pro ammonitione sanctarum Dei æcclesiarum in urbem regiam misit, in quibus erat Johannes, Romanæ æcclesiæ tunc archidiaconus [1080], sed non longe post episcopus. Qui benignissime suscepti a reverentissimo catholicæ fidei defensore Constantino, jussi sunt, remissis disputationibus phylosophicis, pacifico colloquio de fide vera perquirere, datis eis de biblioteca Constantinopolitana cunctis antiquorum patrum libris quos petebant, collecta universali synodo 150 episcoporum, sive ut quidam libri (*H. m.*) habent 289, presidente Georgio patriarcha Constantinopolitano et Machario Anthiocheno, qui renovabant heresim corum qui unam voluntatem et unam operationem asstruebant in Christo; convictique sunt falsasse sanctorum patrum dicta per plurima. (Beda.) Finito autem conflictu Georgius patriarcha correctus est. Macharius vero cum suis sequacibus simul et precessoribus Sergio, Cyro, Honorio, Pyrro, Paulo, Petro, anathematizatus est, et in locum ejus Theophanius abbas de Sicilia factus est episcopus Antiochiæ, tantaque gratia legatos catholicæ pacis comitata est, ut Johannes Portuensis episcopus, qui erat unus ex ipsis, in dominica octavarum paschæ missas publicas in æcclesia sanctæ Sophyæ coram principe ac patriarcha latine celebraret. Hæc est sexta synodus universalis Constantinopoli celebrata et Greco sermone conscripta, temporibus Agathonis papæ, exsequente ac presidente piissimo principe Constantino intra palatium suum, simulque legatis apostolicæ sedis et episcopis 150 sive 289 residentibus.

Prima enim universalis synodus in Nicea congregata est contra Arrium 318 patrum sub Constantino principe, temporibus Silvestri papæ; secunda in Constantinopoli 150 patrum contra Macedonium et Eudoxium, temporibus Damasi papæ et Gratiani principis, quando Nectarius eidem urbi ordinatus est episcopus; tertia in Epheso 200 patrum contra Nestorium Augustæ urbis episcopum, sub Theodosio Magno principe et Syxto papa [1081]; quarta in Calcedone patrum 630 sub Leone papa, temporibus Marciani principis, contra Euthicen, nefandissimum presulem Manicheorum [1081]; quinta item in Constantinopoli, temporibus Vigilii papæ, sub Justiniano principe, contra Theodorum et omnes hereticos; sexta hæc de qua in presenti diximus.*

*D? E. *addunt* : Inter Sarracenos — equos nobiles 50. *ex Sigeb. a* 679.

Hoc tempore regnum Longobardorum tenuit Chunibertus, Francorum vero Clodoveus (cf. P. D. VI, 16 et 23) [1082].

His * eciam temporibus fuit in Gallia homo prepotens et Deo dilectus, nomine Arnulfus, qui renuncians seculo postea factus est Metensium episcopus, cujus filius Ansgisus qui de nomine Anchisæ Trojani creditur appellatus, sub nomine majoris domus principatum in regno Francorum postea tenuit.

* *Horum loco* D? E. *habent :* H. e. t. apud Gallias in Francia filius sancti Arnulfi sub. n. m. d. principabatur Ansgisus, qui — appellatus. Hunc postea Gundwinus peremit, quem — provexerat. Hujus (vidua *superscr.* E 1.) relicta Begga, filia scilicet Pippini principis olim Austrasiorum, soror Grimoaldi et sanctæ Gerthrudis, se et sua — fundat. *ex Sigeb. a.* 685. 686.

His [1083] temporibus sanctus Lantpertus in Trejectensi epyscopatu successit sancto Theodardo, sub Hilderico [1084] rege Austrasiæ. — (Beda.) Eisdem temporibus sancta et perpetua virgo Christi Edildrudis, filia Annæ regis Anglorum, primum alteri viro permagnifico, postea Ekfrido regi conjunx data, postquam 12 annis thorum virilem incorrupta servavit, sumpto velamine sacro, sanctimonialis ex regina efficitur; nec mora, etiam virginum mater et nutrix piarum existit. Cujus merita vivacia testatur etiam caro mortua, quæ post 16 annos sepulturæ cum veste, qua involuta est, incorrupta reperta est. Anni Constantini.

3. A. D. 672. Adeodatus papa 78[us] sedit annos 4.

7. A. D. 676. Domnus papa 79[us] sedit annum unum, menses 5.

9. A. D. 678. Agatho papa 80[us] sedit annos 5, menses 6.

12. (*Chr. W.* —Cf. P. D. VI, 4, et *G. Fr.*) A. D. 681. Sexta synodus universalis Constantinopoli congregatur sub Agathone papa, qui Dono successit; in qua dampnatis hereticis, tantæ arancarum telæ in medio populi ceciderunt, ut sordes heresium expulsas omnes intellegerent et mirarentur. Clodoveus, filius Dagoberti, obiit. Cui Lotharius filius successit.

14. A. D. 683. Leo papa 81[us] sedit annum unum, menses decem.

16. A. D. 685. Benedictus papa 82[us] sedit menses decem, decessitque Non. Mai. *

* D? E. *addunt* : Ravennas — ordinandus. *ex Sigeb.*

17. (*Chr. W.*) A. D. 686. Constantinus imperator obiit. — Johannes papa 82[us] sedit annum unum. Cui successit Conon papa 83[us] seditque annos 2, menses 11, a quo sanctus Kylianus pontificalem potestatem accepit. Cononi Sergius successit. —Apud * Gallias in Francia sub nomine majoris domus principatum gerebat Ansgisus.

* *Horum loco* D ? E. *habent* : Sanctus Leodegarius episcopus d. ab. E. t. tandem — abscisionem. *ex Sigeb.*

Anno dominicæ incarnationis 687, Urbis conditæ millesimo 438. Justinianus, filius Constantini, 62°

VARIÆ LECTIONES.

[1079] p. R. acc. *in loco raso* 1. [1080] archidianus 1. [1081] et S. p. *in loco raso* 1. [1082] *in loco raso* 1. [1083] His — Austrasiæ *in margine eadem manu scripta* 1. [1084] *c corr.* 1

loco ab Augusto regnum accepit, et decem annis regnavit. (Beda.) Hic pacem firmam decennio fecit cum Sarracenis terra marique; sed et provincia Africa subjugata est Romano imperio, quæ a Sarracenis fuerat tenta. Hic beatæ memoriæ pontificem Romanæ ecclesiæ Sergium, quia erraticæ suæ synodo, quam Constantinopoli fecerat, favere et subscribere noluit, misso Zacharia protospatario suo, jussit Constantinopolim deportari; sed militia Ravennatæ urbis vicinarumque partium nefanda principis jussa prevenit, et eundem Zacharium [1085] contumeliis et injuriis ab urbe Roma pepulit. (*H. m.*) Idem Justinianus a Callinico patriarcha exigit, ut orationem faceret ad destruendam æcclesiam sanctæ Dei genitricis juxta palatium sitam, quæ Metropolite dicebatur, volens ibi ædificia facere, ubi a populo susciperetur. Patriarcha vero dicebat : *Orationem quidem ad statuendam æcclesiam habemus, in destructionem vero æcclesiæ orationem non suscepimus.* Cogente autem imperatore et omnimodis exigente, orationem dixit patriarcha : *Gloria Deo, qui jugiter sustinens patitur, nunc et semper et in omnia secula seculorum.* Quo audito, destruxerunt æcclesiam. Alia quoque multa improvide faciens, odium populi in se excitavit. Unde Leontius patricius, quem ipse quondam pretorem et magistrum militum orientalium fecerat, sed jam per tres annos in custodia tenuerat, cum exinde protractus in exilium mitteretur, contra eum sensit, junctisque sibi multis, Justinianum comprehendit, nasoque preciso, in insulam quandam relegavit, ipseque regnavit.,

Anni Pippini.	Anni Justiniani.

2. (*Chr. W.*) A. D. 688. Sanctus Kylianus cum sociis suis passus est.

1. 3. A. D. 689. Pippinus, filius Ansgisi, major domus efficitur in Gallia, regnumque Francorum amministravit annis 27, cujus etiam anni suorumque successorum deinceps annotantur in catalogo regum.

2. 4. A. D. 690. Sergius papa 84[us] sedit annos 16, menses 8, decessitque 5 Idus Septembr. Hic constituit, ut Agnus Dei cantetur inter sacrificium. *1.

*1 10. 11. *addunt :* Hic magnam portionem sanctæ in capsa [1086] crucis invenit.

4. 6. A. D. 692. Clodoveus, filius Theoderici fratris Dagoberti, cum fratre Hildiberto regnare cœpit (cf. *G. Fr.*).

6. 8. A. D. 694. Sanctus Remaclus Trejectensis episcopus migravit. *2.

*2 10. 11. *addunt :* Duo Ewaldi presbyteri Angli, niger et Albus, sunt passi, et a Pippino Coloniæ sepulti. *ex Bernoldo.*

7. 9.(*Chr. W.*) A. D.695. Willibrordus, qui et Clemens, a Sergio papa ordinatur episcopus [1087] ad predicandum gentibus.

8. 10. A. D. 696. Justinianus ob culpam perfidiæ suæ regno privatur et exiliatur.

Leonis.

9. 1. Anno dominicæ incarnationis 697, Urbis vero conditæ millesimo 448. Leo, qui et Leontius, 63° loco ab Augusto, depulso Justiniano, regnum invasit, tribusque annis regnavit. (Beda.) Cujus anno primo Sergius papa in sacrario beati Petri apostoli capsam argenteam, quæ in angulo obscuro diutissime jacuit, Domino revelante invenit, et in ea crucem diversis ac preciosis lapidibus adornatam reperit. De qua tractis quatuor petalis, quibus gemmæ inclusæ erant, miræ magnitudinis portionem dominicæ crucis interius repositam conspexit, quæ omnibus annis in basilyca Salvatoris, quæ dicitur Constantiniana, die exaltationis ejus ab omni populo salutatur.

11. 3. A. D. 699. Sanctus Chutpertus episcopus ex anachorita obiit. Cujus [1088] corpus post 11 annos sepulturæ ejus integrum inventum est.

(*H. m.*) Leontio itaque apud Constantinopolim posito, venit Tyberius, qui et Absimarus, ex adverso civitatis cum multis, et prodita sibi civitate, Leontium cepit, precisoque naso ejus, in monasterio Dalmati sub custodia constituit, ipseque regnavit.

Tyb

12. 1. Anno dominicæ incarnationis 700, Urbis autem conditæ millesimo 451. Tyberius, qui et Absimarus dictus est, 64° loco ab Augusto imperium invasit, dejecto Leone, et regnavit annis 7. (Beda.) Cujus tempore synodus in Aquileia facta quintum universale concilium suscipere diffidit ob imperitiam fidei, donec salutaribus beati papæ Sergii monitis instructa, et ipsa cum ceteris Christi æcclesiis huic annuere consentit. Hujus [1089] tempore occisus est sanctus Lantpertus episcopus, sub Hildeberto rege (cf. *H. Fr.* supra).

15. 4. (*Chr. W.*) A. D. 703. Synodus Aquileiæ congregatur sub Sergio papa.

18. 7. A. D. 706. Johannes papa 85[us] sedit annos 3.

Beda [1090] venerabilis presbyter Anglorum cronicam minoris libri sui hucusque perduxit.

Anni Justiniani.

19. 1. (Beda.) Anno dominicæ incarnationis 707, Urbis conditæ millesimo 458. Justinianus, filius Constantini, quem superius a Leone de regno expulsum diximus, per adjutorium Terbellis regis Bulgarum expugnata Constantinopoli, regnum recepit, et postea sex annis regnavit. (*H. m.*) Recepto autem regno, multa dona et regalia vasa Terbelli tribuit, eumque in pace dimisit. Absimarus autem, qui et Tyberius, ex urbe profugit, sed insecutione captus et ad Justinianum est adductus. Adducto quoque Leontio, qui eum dejecit, fecit ambos catenis con-

VARIÆ LECTIONES.

[1085] *ita* 1. zachariam E 1. *cet.* [1086] in ipsa *corr.* in capsa 10. *desunt* 11. [1087] e. ad. p. g. *desunt* 4. [1088] Cujus — inventum est *desunt* 4. [1089] Hujus — rege *in margine* 1. [1090] Beda — perduxit *desunt* D. E. 9[c].

strictos, dum ludi equestres agerentur, per plateas trahi, tractosque publice ante pedes suos, dum in solio resideret, projici, calcavitque colla eorum fortiter, universa plebe clamante : *Super aspidem et basyliscum ambulasti, et leonem draconemque conculcasti*, sicque eos precepit decollari, innumerabilem quoque multitudinem eorum qui contra eum consenserunt diversa morte fecit necari. (P. D. VI, 32.) Quia enim se naso detruncaverunt, quotiens defluentem guttam reumatis manu detersit, totiens pene aliquem ex illis jugulare precepit. (*H. m.* — Cf. BEDAM.) Kallinicum vero patriarcham, erutis oculis, Romam exiliavit, et pro eo Cyrum in episcopatum provexit, qui fuit abbas in Ponto, quique illum exulem alebat et eum in imperium restituendum predicebat. Natus est autem ei filius eodem anno, quo recepit imperium, ex Theodora, filia Chaiani, quam accepit dum esset in exilio, quem vocavit Tyberium, coronavitque eum cum matre sua, et regnaverunt cum eo. (BEDA et P. D. VI, 31.) Hic Constantinum papam accersiens, honorifice suscepit, prostratusque in terram, pro suis peccatis intercedere rogavit, cunctaque æcclesiæ privilegia renovans, eum cum honore remisit. Qui cum mitteret exercitum in Pontum ad comprehendendum Phylippicum, quem illic relegaverat, multum Constantinus papa eum prohibuit, sed animum ejus revocare non potuit. Exercitus autem quem miserat, conversus ad partem Phylippici, fecit eum ibidem imperatorem, reversusque cum eo Constantinopolim, pugnavit contra Justinianum miliario ab urbe 12° victoque illo et occiso, accepit regnum Phylippicus. (*H. m.*) Filius quoque Justiniani, adhuc puer, ab his qui a Phylippico premissi sunt occisus est.

21. 3. A. D. 709. Johannes papa 86ᵘˢ sedit annos 2, menses 7.

22. 4. A. D. 710. Dagobertus junior regnare cœpit (cf. H. *Fr.*).

23. 5. A. D. 711. Sisinnius papa 87ᵘˢ sedit dies 20. Cui succedens Constantinus papa 88ᵘˢ sedit annos 6.

24. 6. A. D. 712. Justinianus a Phylippico interficitur (cf. *H. m.*).

Phylippici [1091].

25. (*H. m.*) 1. Anno dominicæ incarnationis 713, ab Urbe vero condita millesimo 464. Phylippicus, 66° [1092] loco ab Augusto, invasit imperium, occiso Justiniano, regnavitque anno uno et mensibus 6. Hic, priusquam imperaret [1093], habuit quendam amicum monachum inclusum, qui erat hereticus et tamen previsor, qui dixit ei : *Imperium tuum est.* At ille turbatus est. Cui ait inclusus : *Si Deus jubet, tu quare contradicis? Hoc autem dico tibi, quia sexta synodus male acta est. Si ergo regnaveris, hanc abice, et efficietur imperium tuum forte atque longevum.* Qui cum juramento spopondit, se hoc esse facturum. Cum vero regnaret, fecit synodum pseudoepiscoporum juxta illius pseudomonachi et inclusi sermonem, et abjecit sanctam et universalem sextam synodum. Eodemque anno vanus ille inclusus oculorum cœcitatem incurrit. Reperiens autem Phylippicus quendam sui consensus Johannem, fecit eum Constantinopolitanum presulem, Cyrum vero deponens, ad monasterium suum redire precepit. (P. D. VI, 34, et *H. m.*) Idem Phylippicus in disputationibus quidem suis rationabilis videbatur et prudens, in actibus autem inhoneste ac indigne vitam consummans, improbabilis ubique demonstrabatur. Erat enim hereticus et adulter. (BEDA.) Hic Constantino papæ misit litteras pravi dogmatis, quas ille cum apostolicæ sedis consilio respuit. Hac de causa [1094] fecit Constantinus picturas in porticu sancti Petri, quæ sex sanctarum synodorum acta continerent. Nam et hujusmodi picturæ habebantur Constantinopoli, quas Phylippicus jussit auferri. Statuit autem populus Romanus, ne heretici imperatoris nomen aut cartas aut figuram solidi susciperent. Unde nec ejus effigies in æcclesiam introducta est, nec nomen ad missarum sollemnia prolatum. (*H. m.*) Sabbato autem pentecostes, cum lavaret in balneo publico, ingressus cum equitatu et organis, habitoque prandio cum civibus antiquæ prosapiæ, requiesceret meridie, repente per auream portam introivit Rufinus primus stratorum cum Theodoro patricio, festinansque in palatium, et inveniens eum quiescentem, apprehendit eum et eruit oculos ejus, in crastinum vero, id est die pentecostes, congregato in magna æcclesia populo, coronatus est Artemisius, mutato nomine Anastasius.

Anni Anastasii.

26. 1. Anno dominicæ incarnationis 714, ab Urbe condita millesimo 465. Anastasius 67° loco ab Augusto imperium adeptus est, regnavitque annis 3. Quidam vero libri* habent, quod Phylippicus regnaret annos 2 et menses 9, Anastasius autem annum unum et menses 3. (*H. m.* — P. D. *l. l.*) Anastasius igitur ubi regnum accepit, Constantino papæ per Scolasticum patricium litteras Romam misit, quibus se fautorem et defensorem catholicæ fidei et sancti sexti concilii predicatorem esse docuit. Quo regnante, quidam adversus eum conjuraverunt, et contra regiam urbem cum exercitu ascenderunt. (*H. m.*) Cum autem Adramium adissent [1095] et essent sine capite, invenerunt illic hominem indigenam, Theodosium nomine, inertem ac idiotam, qui publicorum tributorum erat exceptor, et hortati sunt eum imperare. At ille fugiens, latebat in monte. Quem inventum, ut imperatorem laudibus extulerunt, vi cogentes eum. Quibus Anastasius cognitis, Niceam abiit, ibidemque se munivit. (P. D. VI, 36.

VARIÆ LECTIONES.

[1091] *erasum* f. [1092] LX. D. E. *ita ut deinceps sex annis a textu edito recedant.* [1093] factus esset imperator 5. [1094] h. d. c. *in loco raso* f. [1095] Ramium ascendissent f[b].

Theodosius autem secutus, magno prælio vicit eum, datoque sibi sacramento, clericum eum fieri et postea presbiterum fecit ordinari.

27. 2. (*Chr. W.*) A. D. 715. * Pippinus senior major domus obiit; pro quo filius ejus Karolus successit. — Dagobertus rex Francorum obiit.

* D. E. *addunt :* Sanctus Egidius — claret in Gallia. *ex Sigeb.* 5. (6 — 9?[1096] — 10. 11. *infra post* patri successit) *addunt :* Sanctus Egidius claruit.

Karoli senioris.

1. 3. A. D. 716. Karolus, Pippini senioris filius, in amministratione regni patri successit, adhuc quidem regibus in Francia manentibus sed parva dignitate regnantibus (cf. *Hanc. Frist.* supra col. 000). In Romano quoque imperio apud Constantinopolim adhuc imperatores erant, sed et ipsi intestinis pariter et extrinsecis bellis pene adnullati, parum valebant. Karolus vero regnum Francorum amministravit annis 27. Cui cum Reginfridus quidam adversaretur, regnumque tenere conaretur, quamvis per multas pugnas et certamina, tulit principatum de manu ejus. (P. D. VI, 42.) Nam cum teneretur in custodia, divina misericordia protegente, fugit inde, et primum contra eundem Reginfridum per tres vices pugnavit, postea cum magno certamine illum vicit, Andegavensem tamen civitatem illi ad habitandum permisit, ipse vero super cunctam Francorum gentem principatum tenuit, multaque prælia contra Sarracenos et in Wasconia et in Saxonia et in Fresia fecit. — Ekbertus vir sanctus de gente Anglorum Scottos pascha legitime celebrare docuit. — (*Chr. W.*) Gregorius papa 89[us] sedit annis 10, migravitque Idus Febr. Hic sanctum Bonifacium ordinavit episcopum. *

* D. E. *addunt :* Hic constituit — antea. *et* Petronax quoque civis — fuerat. *ex Sigeb. a.* 714.

Theodos.

2. 1. Anno dominicæ incarnationis 717, Urbis vero conditæ millesimo 468. Theodosius a militibus electus, 68° loco ab Augusto, imperium Romanum accepit, et anno uno regnavit. (*H. m.*) Leo quippe, qui erat pretor orientalium, quoniam auxiliabatur Anastasi, non est subjectus Theodosio. Unde veniens Nicomediam, apprehendit filium Theodosii cum omni apparatu regio et primis viris palatii, et venit Chrysopolim. Quod audiens Theodosius, consilio a Germano patriarcha et senatu percepto, per eundem patriarcham accepit a Leone indempnitatis verbum et æcclesiæ sine perturbatione servandæ, et sic ei committunt imperium, ipse vero Theodosius una cum filio suo clericus factus, residuum vitæ suæ tempus transegit in pace. — (*Chr. W.*) Hoc anno Tyberis alveum suum egressus, multa Romæ subvertit ædificia, ita ut in Via Lata ad unam et semis staturam excresceret. (Beda.) Mansit autem diebus A 7, donec, agentibus letanias crebras civibus octavo demum die regreditur.

Leonis.

3. 1. Anno dominicæ incarnationis 718, Urbis autem conditæ millesimo 469. Leo, pretor orientalium, genere Syrus, 69° loco ab Augusto, Romanorum provehitur in imperium, regnavitque annis 24. (*H. m.*) Hic a Justiniano, cum prius regnaret, exiliatus est in Messembriam Thracæ regionis, posteriore vero tempore, cum secundo regnaret, veniens ei obviam una cum Bulgaribus, obtulit ei munera, oves scilicet quingentas, placatusque Justinianus fecit illum spatarium, et habuit hunc sicut germanum amicum. Unde quidam invidia ducti detraxerunt ei tanquam imperium appetenti, sed habita B questione, inventi sunt falsi. Justinianus tamen postea illum suspectum habens, sed manifeste hunc ledere nolens, misit eum cum pecuniis in Alaniam, ad commovendos Alanos contra Abasgiam. Ubi cum multa ei feliciter provenirent, Justiniano interempto, et Phylippico visu oculorum orbato, cum imperasset Anastasius, provexit eum in pretorem orientalium. Depulso autem Anastasio a Theodosio, ipsoque regnante, Leo et hunc expulit, ipseque regnavit, sed in christianos et æcclesias Dei ac religionem sanctam impius fuit. (P. D. VI, 49.) Primum quippe precepit * in Constantinopoli, ut quicumque haberent imagines domini Salvatoris seu sanctæ genitricis ejus vel aliorum sanctorum, sibi eas afC ferrent, quas ille in medio civitatis incendere fecit; et quia multi de populo huic impietati non consenserunt, decollati sunt; Germanus quoque patriarcha de sede sua est dejectus, et Anastasius presbiter in loco ejus constitutus. Misit et ad papam Romanum Gregorium, ut similiter faceret; ille vero noluit, sed omnia tributa Romanæ urbis et Italiæ sibi dari prohibuit. (*H. m.*) Cui anno imperii sui tercio natus est filius de Maria uxore sua, quem Constantinum vocavit, qui magis illo impius et antichristi precursor extitit, cui postea filiam Chaiani, Scytharum regis, sociavit, eamque christianam faciens, Hyrenen nominavit. Quæ cum sacras litteras didicisset, pietati operam dedit, et hos sepe impietatis redarguit.

D * A quodam quippe Beser refuga fidei seductus precepit. D. E. *cf. Sigeb. a.* 725.

5. 3. A. D. 720.* *1

*1) 10. 11. *addunt :* Sanctus Otmarus abbas efficitur. *ex Bernoldo.*

* D. E. *addunt :* Constantinus — scandalum. *ex Sigeb.*

6. 4. (P. D. VI, 47.) A. D. 721. Sarraceni Constantinopolim obsident, et per triennium ibi morantes, multasque provincias devastantes, tandem, populo ad Deum clamante, fame pesteque depulsi sunt, multique frigore et ferro naufragioque perie-

VARIÆ LECTIONES.

[1096] *in* 9[c]. *haud leguntur.*

runt. Theodericus regnavit in Francia annis 16 (cf. *G. Fr.*).

8. 6. (P. D. VI, 48.) (S. BEDA.) A. D. 723. Luitprandus[1097], rex Longobardorum, audiens quod Sarraceni, depopulata Sardinia, etiam illa loca fedassent, ubi aliquando propter devastationem barbarorum ossa beati Augustini translata fuerant, misit et per precium adduxit ea Ticinum, ibique, ut decuit, honorifice recondidit. — (*H. m.*) Leo imperator coegit Judeos et Montanos baptizari; sed Judei abluebant unctionem crismatis et post cibum participabant sacramentis et contaminabant fidem, Montani vero definientes sibi diem, introierunt domos errori suo deputatas, et incenderunt semet ipsos.

9. 7. A. D. 724. *

* D. E. *addunt :* Judeus quidam — mox obiit. *ex Sigeb.*

10. 8. (*Chr. W.*) A. D. 725. Sanctus Pirminius episcopus Augiam intravit, eamque a serpentibus emundavit.

11. 9. A. D. 726. Hucusque[1098] Beda cronicam suam in majori libello perduxit.

12. 10. A. D. 727. Gregorius papa 90us sedit annos 8, decessitque 4 Kal. Decembris. Hic augmentavit in canone : *Nec non illorum omnium sanctorum quorum soll.* [1099]

15. 13. (*Chr. W.*) A. D. 730. Pirminius ex Augia venit in Alsaciam

16. 14. (*H. m.*) A. D. 731. Germanus sanctissimus patriarcha videns impietatem Leonis, abrenunciavit summo sacerdotio, tradens pallium, et in domo sua quieti operam dedit, functus sacerdotio ann. 14, mens. 5. In cujus locum Anastasium, ejus quondam discipulum, sed tunc impietati consentientem, Leo constituit. Sane Gregorius sanctus presul Romanus hunc anathematizavit, et Leonem tanquam impie agentem per epistolas redarguens, Romam cum tota Italia ab ejus imperio recedere fecit. Beda venerabilis Anglorum presbiter obiit.

17. 15. (*Chr. W.* — P. D. VI, 53.) A. D. 732. Karolus filium suum Pippinum ad Luitprandum regem Longobardorum pro tondenda cesarie misit; quod ille fecit, cum multisque muneribus [1100] ad patrem remisit.

18. 16. (*Chr. W.*) A. D. 733. Karolus major domus Fresiam vastat.

19. 17. A. D. 734. Karolus Wasconiam invasit. *1.

*1) 10. 11. *addunt :* Eto Augensis abbas, Argentinæ episcopus factus, cenobium nominis sui Etinheim construxit. *ex Bernoldo.*

20. 18. (*Chr. W.*) A. D. 735. Zacharias papa 91us sedit annos 18. Hic quatuor libros dialogorum beati Gregorii transtulit in Grecum.

22. 20. A. D. 737. Theodericus rex Francorum obiit (cf. *G. Fr.*).

24. 22. (P. D. VI, 54.) A. D. 739. Sarraceni Gallias iterum invadentes, ceperunt civitatem Arelatem. Tunc Karolus misit ad Luitprandum, qui venit ad eum cum omni exercitu Longobardorum. Quod audientes Sarraceni, fugerunt de terra illa.

Anni ab initio 4700.

25. 23. (*Chr. W.*) A. D. 740. Karolus Saxoniam intrat.

26. 24. *H. m.*) A. D. 741. Leo imperator impius obiit.

Anni Constantini.

27. (*H. m.*) 1. Anno dominicæ incarnationis 742, Urbis conditæ millesimo 493. Constantinus, filius Leonis, 70° loco ab Augusto, Romanum suscepit imperium, regnavitque annis 34, mensibus 2, diebus 26. Hic erat perniciosissimus, ferus et agrestis, persecutor legum a patribus traditarum, tyrannice non legitime usus imperio, primo quidem a Deo et intemerata ejus genitrice et omnibus sanctis abscedens, magicis, maleficiis et luxuriis ac cruentis sacrificiis et invocationibus dæmonum delectatus, molliciebus quoque ac omnibus animas corrumpentibus a tenera ætate convivens, persecutionibus eciam sanctarum æcclesiarum ac peremptionibus monachorum ac violationibus monasteriorum malisque variis supercrescens, non minus quam Diocletianus ceterique antiqui tyranni.

(EINH. *Ann.*) Hujus anno primo, qui est dominicæ incarnationis 742, Karolus, Pippini filius, major domus in regno Francorum, obiit, relinquens filios tres, Pippinum, Karlomannum et Griphonem. Quorum Gripho, qui ceteris minor natu erat, matrem nomine Suanahildem habebat, neptem Oudilonis Bawariorum ducis. Hæc illum maligno consilio ad spem regni totius incitavit, in tantum ut sine dilatione Laudunum civitatem occuparet ac bellum fratribus indiceret. Qui celeriter exercitu collecto, Laudunum obsidentes, fratrem in deditionem accipiunt, atque inde ad ordinandum regnum ac provincias, quæ post mortem patris a Francorum societate desciverant, recuperandas animos intendunt, et ut in externa profecti domi omnia tuta dimitterent, Karlomannus Griphonem in novo [1101] castello, quod juxta Arvernum situm est, custodiri fecit, in qua custodia usque ad id tempus, quo idem Karlomannus Romam profectus est, dicitur permansisse.

Pippini et Karlomanni.

1. 2. A. D. 743. Pippinus et Karlomannus principatu potiti, primo Aquitaniam recipere volentes, contra Hunoldum illius provinciæ ducem cum exercitu eandem Aquitaniam ingrediuntur, et capto quodam castello, quod dicitur Lucas, priusquam ex ea provincia secederent, regnum, quod communiter habuerunt, inter se diviserunt in loco qui vocatur Vetus Pictavis, et Karlomannus Austriam et Ala-

VARIÆ LECTIONES.

[1097] *ita* 1. *neque* liutprandus. [1098] Hucusque —perduxit *desunt* D. E. [1099] quorum etc. D. sollempnitas hodie in conspectu magestatis tuæ cel. E. s. h. in c. t. m. Domine Deus noster toto orbe terrarum 5. [1100] donarijs D. E. [1101] nullo 1b.

manniam atque Thuringiam sortitur, Pippinus vero Burgundiam, Neustriam atque Provinciam, sicque Karlomannus usque in annum sextum, Pippinus usque in undecimum principabantur (*Chr. W.*). Neustria vero pars est Galliæ Celticæ[1102], illa scilicet quæ Sequanæ Ligerique interjacet.

Richerus 1, 2.) Omnis namque Gallia in tres partes distincta est, in Belgicam, Celticam, Aquitanicam. Quarum Belgica a Rheno, qui Germaniam ab oceano determinat, quæ multarum gentium ferax a germinando nomen accepit, exporrigitur usque in fluvium Matronam, ab utroque vero latere, hinc quidem Alpibus Apenninis, inde vero mari vallatur, cujus circumfusione insula Britannica[1103] efficitur. Celtica autem a Matrona per longum in Garunnam distenditur, cujus latera oceani Britannici et insulæ Britannicæ limites efficiunt. Quicquid vero a Garunna protenditur in Pyreneum, Aquitanica appellatur, hinc Rhodano et Arari atque inde mediterraneo mari collimitans. Constat itaque, totius Galliæ spacium ab oriente quidem Rheno, ab occidente, Pyreneo, a septentrione mari Britannico, ab austro vero mari mediterraneo, cingi. Omnes ergo Galliarum populi innata audacia plurimum efferuntur, calumniarum impatientes. (*Ibid.*, c. 3.) Si incitantur, cedibus exultant, efferatique inclementius adoriuntur, semel persuasum ac rationibus approbatum vix refellere consuerunt. Belgæ rebus disponendis sunt insigniores, robore atque audacia non impares, maxima quæque magis ingenio quam viribus appetunt; et si ingenio in appetendis cassantur, viribus audacter utuntur. Cibi etiam atque potus adeo sunt parci. Celtæ vero atque Aquitani consilio simul et audacia plurimi, rebus sediciosis accommodi, Celtæ tamen magis providi, Aquitani vero precipites aguntur, plurimumque in ciborum appetitum rapiuntur, quod sic eis est innatum, ut preter naturam non appetant. Hinc Sulpicius Severus: « Edacitas, inquit, in Grecis est gula, in Gallis natura. » Hos omnes Galliarum populos etiam in paganismo fere per omnia prospere egisse, tradunt hystoriæ; post vero a sancto Remigio baptizati, contra omnes gentium exterarum impetus clara semper atque illustri victoria emicuisse referuntur. Quorum rex christianus primus fuisse traditur Clodoveus, vir audax et strenuus, et quo nullus post eum pietate bellisque umquam magis enituit. (*G. Fr.*) Hic tempore quodam bellaturus contra Alaricum regem Gothorum cum venisset Turonum, multa munera obtulit æcclesiæ sancti Martini cum equo suo velocissimo, quem multum amabat; et expetito auxilio ejusdem sancti contra gentem incredulam, promittebat adhuc plura, si per ejus intercessionem victor rediret. Cumque interfecto Alarico reverteretur cum victoria, veniens ad eandem æcclesiam, pro solvendo voto dona obtulit plurima, pro equo vero, quem ibi dimiserat, dedit matriculariis æcclesiæ centum solidos, ut eum reciperet. Quibus datis, equus ille se nullatenus movit. At ille ait: *Dentur alii centum.* Quibus itidem datis, statim equus solutus abiit. Tunc rex cum lætitia ait: *Vere beatus Martinus bonus est in auxilio et carus in negotio.* (Richer.) Ab hoc ergo Clodoveo per succedentia tempora imperatoribus egregiis res publica Francorum gubernata fuisse dinoscitur, usque ad hæc propinqua tempora Pippinorum et Karolorum, in quibus temporibus per levitatem regum aliquantum dilapsa, per hos egregios viros, de quibus nunc sermo est, ad pristinam dignitatem magnificentius est reducta.

(Einh. *Ann.*) Denique ut de Pippino et Karlomanno fratribus scribere cœpimus, mox ut de Aquitania domum sunt regressi, Karlomannus Alamanniam, quæ et ipsa a Francorum societate defecerat, cum exercitu ingressus, ferro devastavit et igni. Hildericus[1104] rex Francorum regnare cœpit (cf. *II Fr.*).

2. 3. (Einh. *Ann.*) A. D. 744. Karlomannus et Pippinus junctis copiis contra Oudilonem ducem Bawariorum profecti sunt, prælioque commisso, exercitum ejus fuderunt. Sed postquam a cede reversi sunt, Karlomannus cum suis in Saxoniam profectus est eodem anno, et cepit castrum quod dicitur Hochseoburg[1105], et Theodericum Saxonem, illius loci primarium, in deditionem accepit. *1.

*1) 10. 11. *adäunt*: Sanctus Bonifacius ex sua parrochia Mogontiacensi duos episcopatus, Wirziburgensem et Eichstatensem, statuit. *ex Bernoldo.*

3. 4. A. D. 745. Iterum Karlomannus et Pippinus juxta manu[1106] Saxoniam ingressi sunt, predictumque Theodericum Saxonem ceperunt. (*Chr. W.*) Initium Fuldensis monasterii.

4. 5. (Einh. *Ann.*) A. D. 746. Karlomannus patefecit fratri suo, quod jam dia premeditatus est, se scilicet velle seculum dimittere[1107] et in habitu monachico Deo servire. Propter hoc nullam expeditionem eo anno habuerunt, sed preparavit se uterque, Karlomannus ut iter et votum suum perficeret, Pippinus qualiter illum honorifice dimitteret.

5. 6. (*Chr. W.* — Einh. *Vita Karoli* c. 2.) A. D. 747. * Karlomannus divino succensus amore Romam tendens, Zachariæ papæ se obtulit, et ab eo clericus factus, habituque mutato monachicum capiens indumentum, in monte Soracte sive Syrapti[1108] constructo monasterio, apud æcclesiam beati

VARIÆ LECTIONES.

[1102] cellicæ 1. 5. 9c. D. celticæ cellicæ 10. cellicæ *corr.* celticæ E 1. [1103] tannica 5. [1104] Hildericus — cœpit *in* 1. *postea sed eadem manu addita sunt.* [1105] hochseoburg 1b. [1106] *ita* 1. *ubi in Ann. Einh. et* D?E. juncta manu *legitur.* juxta manum 4. 5. 6. 9c. 10., *id quod errore facili in* 1. *legi poterat.* [1107] relinquere. 5. [1108] in Serapte monte 1b. in m. syrapti 4.

Silvestri, cum fratribus secum ad hoc venientibus, per aliquot annos optata quiete fruebatur. Sed cum ex Francia multi nobilium ob vota solvenda Romam commearent et eum velut dominum quondam suum preterire nollent, otium, quo maxime delectabatur, crebra salutatione interrumpentes, locum mutare compellunt. Nam cum hujusmodi frequentiam proposito suo vidisset officere, relicto monte, in Sammium provinciam ad monasterium sancti Benedicti, situm in castro Cassino, se contulit, et ibi quod reliquum fuit vitæ tempus complevit.

* D. E. *addunt :* Rachis — frater ejus substituitur. *ex Sigeb. a.* 749.

6. 7. (Einh. *Ann.*) A. D. 748. Gripho fratri suo Pippino subjectus esse nolens, quamvis sub eo honorifice viveret, in Saxoniam profugit; collectoque Saxonum exercitu, super fluvium Ovacra in loco qui dicitur Orheim consedit; Pippinus vero cum exercitu Francorum in Thuringiam profectus, contra dolos fratris Saxoniam ingressus est, consedítque super fluvium Missaha in loco qui dicitur Scahaningi; prælium tamen inter eos non est commissum, sed ex placito discesserunt.

7. 8. A. D. 749. Gripho Saxonum fidei diffidens, cum copiis quæ ad eum de Francia confluxerant Bawariam petiit, ipsumque ducatum in suam potestatem redegit, Tassilonem cum Hiltrude in deditionem accepit, Suiggerum in auxilium sibi venientem suscepit. Hæc audiens Pippinus, cum maximo exercitu venit in Bawariam, fratremque suum Griphonem cum omnibus suis cepit, Tassilonem in ducatum restituit, domumque reversus, Griphoni more ducum duodecim comitatus dedit; sed ille tali beneficio non contentus, eodem anno ad Waifarium Aquitaniæ ducem profugit.

9. 10. (*Chr. W.*) A. D. 751. * Sanctus Burchardus accepit pontificatum Wirciburgensem, in quo sedit annos 40. (Einh. *A.*) Hic itaque sanctus Burchardus et Folradus archicapellanus, quem quidam (*Vita Burch.*) abbatem, quidam (Einh. *A.*) presbiterum scribunt, ad Zachariam Romanum pontificem missi sunt, ut consulerent eum super regibus qui tempore illo fuerunt in Francia, nomen tantum regis sed nullam potestatem regiam habentes. ** (*Vita Burchardi.*) Solebant enim Franci ex antiqua regum stirpe reges habere, qui a Meroveo, Clodii secundi regis eorum filio, Merovingi dicebantur; quorum genealogia usque ad Hildericum tunc temporis regem permanebat, in quo etiam deficiebat; sed licet in illo finita posset videri, jam dudum tamen nullius vigoris erat, nec quicquam clarum in se preter inane regis vocabulum preferebat. Nam et opes et potentia regni penes palatii prefectos, qui majores domus dicebantur et ad quos summa imperii pertinebat, tenebantur; nec aliud quicquam regi permittebatur, quam ut regio tantum nomine contentus, crine profuso, barba summissa, solio resideret, ac speciem dominantis effingeret, legatos undecumque venientes audiret, eisque abeuntibus responsa, quæ doctus erat aut jussus, ex sua velut potestate redderet, cum preter inutile regis nomen et precarium vitæ stipendium, quod ei prefectus aulæ, prout videbatur, exhibebat, nichil aliud possideret; quanquam unam et eam perparvam reditus villam, in qua domum et ex qua famulos necessaria sibi ministrantes atque obsequium exhibentes paucæ numerositatis haberet. Quocumque eundum erat, carpento ibat, quod junctis, bubus et bubulco more rustico agente trahebatur. Sic ad palatium, sic ad publicum conventum, qui Kalend. Maii ob regni utilitatem annuatim [1109] celebrabatur, ire solebat, et coram tota gente presidens omnesque salutans, et ab iis salutatus debitisque obsequiis honoratus, sic domum rediebat, sicque secum usque ad alium Maium domi residebat. At regni amministrationem et omnia, quæ vel domi vel foris agenda erant ac disponenda, prefectus aulæ procurabat. Quo officio tunc, cum predicti legati Romam mittebantur, Pippinus, Karoli filius itemque Karoli Magni pater, jam velut hereditario jure fungebatur. Zacharias vero papa super hujusmodi negotio consultus, remandavit, melius esse illum vocari regem, apud quem summa potestatis consisteret; dataque auctoritate sua, Pippinum regem constitui jussit.

* D. E. *addunt :* In Mesopotamia dirupta est terra, et ascendit ex ea animal mulinum — Arabes. *ex Sigeb. a.* 753.

** E. *addit :* Hic est Folradus, qui corpus sancti Viti martiris de Roma in Gallias transtulisse legitur; *et pergit :* S. Fr.

10. 11. A. D. 752. Pippinus per auctoritatem Zachariæ papæ more Francorum electus ad regnum, per manus sancti Bonifacii archiepiscopi Mogonciacensis elevatus est in regni solium in Suessionum civitate. — (*Chr. W.*) Translatio sancti Kyliani facta est. — Beatus papa Zacharias in venerabili patriarchio reperit caput beati Georgii martyris in capsa reconditum, quod in Romanam urbem transtulit.

11. 12. A. D. 753. Stephanus papa 92[us] ordinatur, seditque annos 5, dies 28.

Anni regni Pippini.

1. 13. (Einh. *A.*) Anno dominicæ incarnationis 754. Pippinus rex cum exercitu magno Saxoniam ingressus est, et quamvis Saxones ei obstinatissime resisterent, pulsi tamen cesserunt, et ipse usque ad locum qui dicitur Rimie juxta fluvium Wisaram accessit. In qua expeditione Hiltigarius episcopus occisus est in monte qui dicitur Viburg [1110]. Revertenti vero regi de Saxonia nuncius venit de morte fratris sui Griphonis, a quo vel qualiter interfectus esset. — Eodem anno Stephanus papa multa mala

VARIÆ LECTIONES.

[1109] *in margine eadem manu suppl.* 1. [1110] Wiburg 1[b].

passus ab Haistulfo Longobardorum rege, venit ad Pippinum regem in villa quæ dicitur Carisius [1111], suggerens ei, ut se et Romanam æcclesiam ab infestatione Longobardorum defenderet. Venit et Karlomannus, frater regis, jam monachus factus, jussu abbatis sui, ut apud fratrem suum precibus Romani pontificis obsisteret. Invitus tamen hoc fecisse putatur, quia nec ille abbatis sui jussa contemnere, nec abbas ille preceptis regis Longobardorum, qui ei hoc imperavit, audebat resistere. (REGINO.) Stephanus autem papa apud Parisium aliquamdiu infirmatus, rursumque per sanctum Dionisium convalescens, postquam a rege Pippino pro sanctæ Romanæ æcclesiæ defensione firmitatem accepit, ipsum sacra unctione in regiæ dignitatis honore confirmavit, et cum eo duos filios ejus, Karolum et Karlomannum, cum matre eorum Berhtrada consecravit; Francorumque proceres una cum populo benedictione apostolica sanctificans, auctoritate beati Petri apostoli obligavit, et protestatus est eos, ut nunquam ipsi, vel quique ex eorum progenie, per succedentium curricula temporum progeniti, de alia stirpe regem sibi preponerent, nisi ex eorum propagine, quos divina providentia tunc in defensionem æcclesiæ dignata est sublimare. (EINH. *Vit. Kar.* — *V. Burch.* — *Chr. W.*) Sic ergo Pippinus ex prefecto palatii, auctoritate apostolica, sublimatus et unctus in sedem regni, postea regnavit annis 15, absolutus per eundem papam Stephanum a juramento, qnod regi Hilderico cum ceteris regni primoribus fecerat. Hildericus vero, qui falso regis nomine fungebatur, tonso capite, in monasterium missus est [1113].

2. 14. (EINH. *A.*) A. D. 755. * Pippinus rex, invitante ac rogante predicto papa Stephano, propter justiciam beati Petri apostoli exigendam a rege Longobardorum Haistulfo, Italiam cum manu valida intravit, resistentibusque Longobardis et claustra Italiæ tuentibus, ad ipsas montium clusas acerrime pugnatum est, cedentibusque Longobardis, omnes copiæ Francorum intraverunt. Haistolfus vero rex in Papia civitate se inclusit, quem Pippinus rex tam diu obsedit, donec firmitatis causa pro facienda sanctæ Romanæ æcclesiæ justicia obsides 40 recepit. Quibus datis, promissisque jurejurando firmatis, Pippinus quidem domum rediit, Stephanum vero papam cum Folrado capellano et non minima Francorum manu Romam remisit. Karlomannus autem, frater regis, qui cum Berhtrada regina in Vienna civitate remansit, correptus febre, priusquam reverteretur obiit; cujus, corpus jussu regis ad monasterium sancti Benedicti, ubi monachus erat, relatum est. Sanctus [1113] Bonifacius passus est (*Chr. W.*).

* D. E. *addunt :* Constantinus — tyrannizat. *ex Sigeb.*

3. 15. (EINH. *A.*) A. D. 756. Haistolfus rex Longobardorum cum nichil eorum quæ datis obsidibus et facto juramento promisit complesset, Pippinus rex iterum cum exercitu Italiam veniens, eum in Papia obsedit, et ad implenda quæ promisit obsidione coegit; redditamque sibi Ravennam et Pentapolim omnemque exarchatum ad Ravennam pertinentem sancto Petro dedit, hisque peractis, in Galliam rediit. Post cujus abscessum Haistolfus cum ea quæ promisit denuo commutare meditaretur, in venatione de equo suo prolapsus et ex hoc infirmatus, intra paucos dies vivendi finem fecit. Cui Desiderius successit.

4. 16 A. D. 757. Constantinus imperator misit Pippino regi munera, inter quæ et organum; quæ ad eum in Compendio villa pervenerunt, ubi tunc populi sui generalem conventum habuit. Illuc et Thassilo dux Bawariorum cum primoribus gentis suæ venit, fidelitatemque tam ipsi regi Pippino quam filiis ejus Karolo et Karlomanno jurejurando supra corpus sancti Dionisii promisit, nec solum ibi, sed etiam supra corpus sancti Martini itemque sancti Germani id ipsum sacramentum cum omnibus primatibus suis firmavit.

5. 17. A. D. 758. Pippinus rex cum exercitu Saxoniam aggressus est, et quamvis Saxonibus validissime resistentibus et se munitionibus tuentibus, pulsis propugnatoribus prælio, per ipsum, que patriam defendere conabantur, vallum intravit; commissoque passim prælio, plurimam ex ipsis multitudinem occidit, et eos ad hoc coegit, ut promitterent, se omne quod juberet facturos et annis singulis 300 equos causa honoris daturos. His ita compositis et more Saxonico ut rata essent confirmatis, in Galliam repedavit. — Paulus papa 93[us] sedit annos 10.

6. 18. A. D. 759 *. Natus est Pippino regi filius, quem suo nomine Pippinum vocari v luit; sed puer immatura morte preventus, tercio post nativitatem suam anno decessit.

* D. E. *addunt :* Sanctus Gingulfus in Burgundia a quodam occisus est clerico pro uxoris suæ sibi adamato adulterio.

7. 19. A. D. 760. Waifarius dux Aquitaniæ cum res æcclesiarum, quæ in sua potestate erant et ad æcclesias sub manu Pippini regis constitutas pertinebant, reddere noluisset, ipsumque regem pro his per legatos suos se commonentem audire contempsisset, contumacia sua eundem regem ad suscipiendum contra se bellum concitavit. Contractis ergo rex undique copiis. Aquitaniam intravit, seque res ac justicias æcclesiarum exacturum pronunciavit. Cumque in loco qui dicitur Tedoad positis castris consedisset, Waifarius bello concertare non ausus, missa legatione ad regem, spopondit, se imperata facturum, æcclesiarum jus-

VARIÆ LECTIONES.

[1111] carisius *post. corr.* parisius 1[b]. [1112] *in* 1. *una et dimidia linea erasæ sunt.* [1113] Sanctus — est *postea addita sunt* 1.

sticias redditurum; dedit etiam obsides duos de primoribus gentis Adalgarium et Itherium. (*Chr. W.*) Quibus acceptis, rex a bello abstinuit, domumque rediit. — Sanctus Othmarus in insulam quæ dicitur Stein relegatus, migravit [1115] ad Deum.

8. 20. (Einh. *A.*) A. D. 761. Waifarius licet obsides dedisset et sacramenta jurasset, satius tamen ratus, si de illato sibi bello superiori anno ultionem exigeret, exercitum, qui Francorum possessiones popularetur, usque ad Cabillonem civitatem fecit accedere. Quod cum Pippino regi, generalem conventum agenti in villa Duria, nunciatum fuisset, coactis undique consiliis, cum magno belli apparatu in Aquitaniam ingressus, omnia ferro et igne vastavit, et quædam oppida et castella manu cepit, quædam victori se ultro dederunt. Cumque omnia vastando Lemovicas venisset, regressus est, iterumque in Carisiaco hibernis habitis, natale Domini et pascha ibi peregit. In hac expeditione fuit cum eo filius ejus primogenitus Karolus, ad quem post patris obitum omnis imperii summa pervenit.

9. 21. A. D. 762. Pippinus rex suscepto a se bello finem imponere cupiens, tercio Aquitaniam intravit, captisque Biturica civitate et castello Toarcis, revertitur, hiemavitque in villa Gentiliaco.

10. 22. A. D. 763. Pippinus, habito conventu in Nivernis, quarto Aquitaniam intravit, cunctisque extra munitiones vastatis usque ad oppidum Cadurciam [1115], cum integro exercitu in Franciam se recepturus, per Lemovicum regreditur. (*Ann. Laur.*— Einh. *A.*) Tassilo dux Bawariæ postponens sacramenta quæ juraverat, et oblitus omnia bona quæ sibi avunculus suus Pippinus rex fecerat, simulata infirmitate, ab hac expeditione per dolum se subduxit, et in Bawariam rediit; firmatoque ad defectionem animo, ad conspectum regis se ulterius venturum abjuravit. Rex autem dimisso exercitu, in villa Longlare hiemavit.

11. 23. A. D. 764. Rex Pippinus, distracto in diversa animo propter duo bella, Aquitanicum scilicet jam olim susceptum et Bawaricum propter Tassilonis ducis defectionem suscipiendum, conventum populi sui habuit in Wormacia, dilataque in futurum expeditione, illo anno se domi continuit.

12. 24. A. D. 765. Pippinus generalem conventum in Atiniaco villa habuit, sed et hoc anno nusquam movens expeditionem, Aquis hiemavit. — Corpora [1116] sanctorum Gorgonii, Naboris et Nazarii de Roma translata sunt in Franciam.

13. 25. A. D. 766. Turci egressi a Caspiis portis, cum Avaribus bellum inierunt, multique ex utrisque perierunt. Pippinus propter conficiendum Aquitanicum bellum, conventu in Aurelianis habito, in Aquitaniam quinto profectus est, et destructum a Waifario Argentomagum castrum reædificavit, dispositoque ibi et in Biturica civitate presidio, regreditur.

14. 26. A. D. 767. * Orta questione de sancta Trinitate et de sanctorum imaginibus inter orientalem et occidentalem æcclesiam, id est inter Grecos et Romanos, Pippinus rex in villa Gentiliaco [*al.*, Salmonciaco [1117]] synodum habuit, ventilataque questione, ad bellum predictum conficiendum post natale Domini septimo in Aquitaniam proficiscitur; multisque castellis et pagis captis, Viennam revertitur, ibique pascha celebrato et exercitu recreato, mense Augusto ad reliquias belli profectus est, et Bituricam veniens, conventum in campo habuit; indeque ad Garonnam fluvium accedens, multa castella et petras atque speluncas, in quibus se hostium multitudo plurima defendebat, cepit, reversusque Bituricam, exercitum in hiberna dimisit.

* D. E. *addunt:* Constantinus i. et H. a. rex Sarracenorum pari — profundum. *ex Sigeb. a.* 766.

15. 27. A. D. 768. Pippinus in Biturica natale Domini celebravit, et cum primum ad gerendum bellum tempus aptum videret, evocato undique exercitu, ad Santonicam civitatem contendit; captoque in itinere Rimisteino, cum ad urbem predictam venisset, mater et soror et neptes Waifarii ducis ad eum adductæ sunt. Quas cum pie susceptas servari jussisset, ad Garonnam fluvium proficiscitur. Ubi ei Heriwigus [1118] cum alia prefati ducis sorore occurrit, seque et illam regi tradidit. Rebus igitur aliquot prospere gestis, rex revertitur, et in castello quod dicitur Sels pascha celebravit; assumptaque secum uxore sua atque familia, iterum ad urbem Santonicam venit; dimissaque ibi uxore ac familia, cum omnibus copiis ad persequendum Waifarium ducem animum intendit, nec prius desistere instituit, quam aut vivum caperet aut rebellantem interficeret. Quo interfecto in territorio Petragorico, confectoque bello Aquitanico, Santonas reversus est, ibique demorans aliquamdiu, ægritudine decubuit, delatus tamen Turonos apud sancti Martini memoriam oravit, indeque Parisium veniens, 8 Kalend. Octobr. obiit, corpusque ejus in basilica sancti Dionisii humatum est. — Filii vero ejus Karolus et Karlomannus omnium Francorum consensu ambo reges creati sunt (Einh. c. 3), ea conditione premissa, ut totum regni corpus ex æquo partirentur; et Karolus eam partem quam pater ejus Pippinus tenuerat, Karlomannus vero eam quam patruus eorum Karlomannus possedit, susceperat; et Karolus 7 Idus Octobris in Noviomo civitate, Karlomannus vero in Suessiona, regni susceperunt insignia. (Einh. *Ann. et Laur.*) Karolusque, qui major erat natu, Aquasgrani profectus, natale Domini ibi celebravit, pascha vero in Rotomago civitate. (Einh.

VARIÆ LECTIONES.

[1114] XVI. K. Decembris m. 5. [1115] carduciam 1[a]. [1116] Corpora — Franciam *postea addita* 1. [1117] *ita in margine* 1. *eadem ut videtur manu;* Gent. *superscripto* Sal. Et. salmonciaco vel gentiliaco D. *deest* 1[b]. 4. *ubi legitur :* aliam synodum. — Salmontiaco 5. 9[c]. 10. 11. [1118] herwicus 1[b].

l. l.) Susceptæ sunt itaque conditiones utrimque, et pars regni divisi juxta modum sibi propositum ab utroque recepta est, mansitque ista quamvis cum magna difficultate concordia, multis ex parte Karlomanni societatem separare volentibus, adeo ut quidam eos etiam bello committere sint meditati. Sed in hoc plus suspecti quam periculi fuisse, ipse rerum exitus approbavit, cum defuncto Karlomanno uxor ejus et filii cum quibusdam ex primoribus ejus Italiam fuga petiit, et nullis existentibus causis spreto mariti fratre, sub Desiderii Longobardorum regis patrocinium cum liberis suis se contulit. (Einh. c. 4.) Et Karlomannus quidem post amministratum communiter biennio regnum morbo decessit; Karolus autem, defuncto fratre, consensu omnium Francorum rex constituitur. De cujus nativitate atque infantia vel puericia, dicit actuum ejus scriptor Eginhardus, ab eodem principe educatus, quod neque scriptis unquam aliquid declaratum sit, neque quisquam suo tempore inventus sit, qui horum noticiam se habere dixerit; de actibus vero et moribus ceterisque vitæ illius partibus * ita explicuit.

* Partibus multa preclara multumque memoranda et omnium pene imperatorum gestis excellentiora facinora luculentissime digessit. E, *ubi sequentia omnia* — ausus est intrare (*col.* 853.) *desunt.*

DESCRIPTIO ACTUUM KAROLI MAGNI.

(Einh. *Vita Kar.*) Omnium bellorum quæ gessit primo Aquitanicum, a patre inchoatum, sed nondum finitum, quia cito peragi posse videbatur, fratre adhuc vivo, etiam et auxilium ferre rogato, suscepit, et licet eum frater, malis quibusdam machinantibus, auxilio frustrasset promisso, susceptam expeditionem strenuissime exsecutus, non prius destitit, quam hoc quod efficere moliebatur perfecit. Nam et Hunoldum quendam, qui post mortem Waifarii Aquitaniam occupavit bellumque jam pene peractum reparare temptavit, Aquitaniam relinquere et in Wasconiam fugere coegit. Quem tamen ibi consistere non sustinens, transmisso amne Garunna, Lupo Wasconum duci mandat, ut perfugam reddat, quod ni festinato faciat, bello se illum expostulaturum. Sed Lupus saniori usus consilio, non solum Hunoldum reddidit, sed etiam se ipsum cum provincia cui preerat ejus potestati permisit. (Einh. *Ann.* a. 773. — *Vita. Ann.*) Quo bello finito, rogatu et precibus Adriani pontificis Romani, insolentiam Desiderii Longobardorum regis ferre non valentis, bellum contra Longobardos suscepit, copiasque quas adduxerat dividens, unam partem cum Bernhardo patruo suo per montem Jovis ire precepit, alteram ipse ducens per montem Cinisium, Italiam intravit, (*Vita*) nec prius destitit, quam Desiderium regem, longa obsidione in Papia fatigatum, in deditionem susciperet et perpetuo exilio deportaret, filium vero ejus Adalgisum, in quo omnium spes stare videbatur, non solum regno sed etiam Italia excedere compelleret, omnia Romanis ablata restitueret, Routhgisum, Forojuliani ducatus prefectum, nova molientem obprimeret, totamque, Italiam suæ ditioni subjugaret, subactæque filium suum Pippinum regem preponeret. Post cujus belli finem Saxonicum, quod quasi intermissum videbatur, repetitum est, quo nullum neque prolixius neque atrocius Francorumque populo laboriosius susceptum est, quia Saxones, sicut omnes fere Germaniæ nationes, et natura feroces et idolorum [1119] cultui dediti, neque divina neque humana jura polluere vel transgredi arbitrabantur inhonestum haberi. Susceptum est igitur adversus eos bellum, quod magna utrimque animositate, majore tamen Saxonum dampno per continuos 30 annos gerebatur. Poterat siquidem citius finiri, si Saxonum perfidia hoc pateretur. Dictu difficile est, quotiens, superati ac supplices regi se dediderunt, imperata facturos polliciti sunt, obsides qui imperabantur absque dilatione dederunt, legatos qui mittebantur susceperunt; aliquotiens ita edomiti et emoliti, ut etiam cultum dæmonum dimittere et christianæ religioni se subdere velle promitterent; sed sicut ad hæc facienda aliquotiens proni, sic ad eadem pervertenda semper fuere precipites. Regis vero magnanimitas aut per se aut per comites suos, misso exercitu, perfidiam illorum semper ulciscebatur, donec, omnibus qui resistere solebant profligatis, decem milia hominum ex his, qui utrasque ripas Albis fluminis incolebant, cum uxoribus et parvulis sublatos transtulit, et per Galliam et Germaniam multimoda divisione distribuit; eaque conditione bellum per tot annos tractum constat esse finitum, ut abjecto dæmonum cultu, christianæ religionis sacramenta susciperent. Hoc autem bellum licet tam diu pertraheretur, ipse tamen non amplius quam bis acie conflixit cum hoste, semel juxta montem qui Osneggi dicitur in loco Theotmelli nominato. et iterum juxta Hasa fluvium, et hoc uno mense, paucis diebus interpositis. Sed his duobus prœliis ita devicti sunt, ut ulterius regem neque provocare, neque venienti resistere, nisi aliqua loci munitione defensi, auderent. Plures tamen eo bello tam ex nobilibus Francorum quam Saxonum et functi summis honoribus viri consumpti sunt. Tandem anno tricesimo tercio finitum est. Nec minus interea Hispaniam quoque debellavit; nam Aquitaniam et Wasconiam primum subjecit. Britones quoque domuit missaque expeditione imperata facere coegit. — Ipse postea cum exercitu Italiam ingressus, ac per Romam iter agens, Capuam urbem Campaniæ accessit, ibique positis

VARIÆ LECTIONES.

[1119] *post suppl.* 1.

castris, bellum Beneventanis, ni dederentur, comminatus est. Prevenit hoc dux gentis Aragisus [1120], filiosque suos Rumoldum et Grimoldum cum magna pecunia regi obviam mittens, rogat, ut filios suos obsides suscipiat, seque cum gente imperata facturum, preter hoc solum si ipse ad conspectum venire cogeretur. Rex utilitate gentis magis quam ejus obstinatione considerata, oblatos sibi obsides suscepit, eique, ut ad conspectum venire non cogeretur, pro magno munere concessit, et minore filio gratia obsidatus retento, majorem patri remisit, legatisque ob sacramenta fidelitatis a Beneventanis exigenda cum Aragiso dimissis, Romam rediit, consumptisque ibi in sanctorum veneratione aliquot diebus, Galliam revertitur. — Bajoaricum deinde bellum et repente ortum et celeri fine completum est, quod superbia simul et socordia Tassilonis ducis excitavit, qui hortatu uxoris, quæ filia Desiderii regis erat ac patris exilium per maritum ulcisci posse putabat, juncto fœdere cum Hunis, qui Bajoariis sunt ab oriente contermini, non solum imperata non facere sed regem bello provocare temptabat. Cujus contumaciam, quia nimia videbatur, animositas regis ferre nequiverat, ac proinde contractis undique copiis, Bajoariam petiturus, ad Licum amnem venit, qui Bajoarios ab Alemanniis dividit. Cujus in ripa castris collocatis, priusquam provinciam intraret, animum ducis per legatos statuit experiri. Sed ille pertinaciter agere nec sibi vel genti utile ratus, regi se supplex permisit, obsides qui imperabantur dedit, inter quos et filium suum Theodonem, data insuper fide cum juramento, quod ab illius potestate ad defectionem nemini suadenti consentiret; sicque bello, quod quasi maximum videbatur futurum, celerrimus est finis impositus. Tassilo tamen postea evocatus ad regem, neque redire permissus est, neque provincia quam tenebat ulterius duci, sed comitibus est commissa. (V. *Ann.* a. 788.) Nam cum Tassilo dux reus majestatis judicatus, capite dampnaretur, clementia regis vita sibi concessa, mutato habitu in monasterium missus est, filius quoque ejus Theodo detonsus monasticæ conversationi deputatus est. — (*Vita.*) His motibus ita compositis, Sclavis, qui nostra consuetudine Wilci, propria vero lingua Weletabi dicuntur, bellum illatum est, in quo Saxones, velut auxiliares inter ceteras nationes, quanquam ficta et minus devota obœdientia, militabant, unaque hac expeditione idem Sclavi ita sunt domiti, ut ulterius jussis non contrairent. — Maximum omnium quæ a Karolo gesta sunt bellorum preter Saxonicum huic bello successit, illud videlicet quod contra Avares sive Hunos susceptum est, quod ille et animosius quam cetera et longe majori apparatu amministravit. Unam tamen per se in Pannoniam — nam hanc provinciam ea gens incolebat — expeditionem fecit, cetera filio suo Pippino ac prefectis provinciarum, comitibus etiam ac legatis perficienda commisit. Quæ cum ab his strenuissime fuissent impleta, octavo tandem anno idem bellum consummatum est. Quot prælia in eo gesta sint, quantumque sanguinis effusum, testatur Pannonia omni pene habitatore vacua et locus, in quo regia Cagani erat, ita desertus, ut ne vestigium quidem humanæ habitationis in eo appareat. Tota in hoc bello Hunorum nobilitas periit, tota gloria decidit, omnis pecunia et congesti ex longo tempore thesauri direpti sunt, neque ullum bellum contra Francos exortum humana potest memoria recordari, quo illi magis ditati et opibus aucti sint, quippe cum usque in id temporis pene pauperes viderentur. Tantum auri et argenti in regia repertum, tot spolia preciosa in prœliis sublata, ut merito credi possit, hoc Francos Hunis jure abstulisse, quod Huni prius aliis gentibus injuste eripuerunt. — *Descriptio* [1121] *terræ Hunorum :* Terra quippe Hunorum, ut antiquorum temporum relatores testantur (*Mon. Sang.* II, 1), novem circulis, quos Teutonici haga dicunt, cingebatur, quorum singuli ita stipitibus quernis sive faginis vel abiegnis erant exstructi, ut de margine ad marginem viginti pedum spacium tenderetur in latum et totidem subrigerentur in altum, cavitas [1122] autem universa aut durissimis lapidibus aut creta tenacissima repleretur, porro superficies vallorum eorundem integerrimis cespitibus tegeretur. Inter quorum confinia plantabantur arbusculæ, quæ, ut cernere solemus, abscisæ atque projectæ comas caudium foliorumque proferunt. De primo autem circulo usque ad secundum 20 miliaria Teutonica protendebantur, et inde similiter ad tercium, et ita usque ad nonum, quamvis ipsi circuli alius alio multo contractiores fuissent. Inter hos igitur aggeres ita vici villæque erant locatæ, ut de aliis ad alias vox humana posset audiri. Contra eadem vero ædificia inter inexpugnabiles muros portæ non satis latæ erant constitutæ, per quas latrocinandi gratia non solum exteriores, sed etiam interiores solebant exire. De circulo quoque ad circulum sic erant possessiones [1123] et habitacula undique versum ordinata, ut clangor tubarum inter singula cujusque rei posset significativus [1124] adverti. Ad has ergo munitiones per ducentos et eo amplius annos, qualescumque omnium occidentalium divitias congregantes, cum et Gothi et Wandali quietem hominum perturbarent, orbem occiduum pene vacuum dimiserunt. Quos tum invictissimus Karolus in annis octo ita perdomuit, ut de eis ne minimas quidem reliquias remanere permiserit. A Vulgaribus vero ideo manum retraxit, quia videlicet, Hunis extinctis, regno Francorum nichil nocituri viderentur. Porro prædam in Pannonia repertam per epyscopia vel monasteria liberalissima divisione distribuit. (Einh. *Vita Kar.*) Duo tantum ex proceribus Francorum eo bello perierunt. Hericus

VARIÆ LECTIONES.

[1120] arasgilfus 1[b]. [1121] *Hæc in margine rubro colore scripta sunt.* 1. [1122] civitas 4. ci civitas 9[c]. [1123] possiones 1. [1124] significantius 4. 5. 9[c]. 10. 11.

dux Forojulianus in Liburaia juxta Tarsicam maritimam civitatem insidiis oppidanorum interceptus, et Geroldus Bajoariæ præfectus in Pannonia, cum contra Hunos præliaturus aciem strueret, incertum a quo, cum duobus tantum qui eum obequitantem ac singulos cohortantem comitabantur, interfectus est. Ceterum incruentum pene Francis bellum hoc fuit et prosperrimum exitum habuit, tametsi diutius sui magnitudine traheretur. Post quod et Saxonicum sua prolixitate congruentem finem accepit. — Boemicum quoque et Lilonicum, quæ postea exorta sunt, durare non potuerunt, quorum utrumque ductu Karoli junioris celeri fine completum est. — Ultimum contra Normannos qui Dani vocantur, primo pyraticam exercentes, deinde majori classe litora Galliæ atque Germaniæ vastantes, bellum susceptum est, quorum rex Gotefridus adeo vana spe inflatus erat, ut sibi totius Germaniæ promitteret potestatem; Fresiam quoque atque Saxoniam haut aliter atque suas provincias estimabat. Jam Abodritos vicinos suos in suam ditionem redegerat, jam eos sibi vectigales fecerat, jactabat etiam se brevi Aquisgrani, ubi regis comitatus erat, cum maximis copiis adventurum. Nec dictis ejus quamvis vanissimis omnino fides abnuebatur, quin potius aliquid tale inchoaturus, nisi festinata fuisset morte preventus, putabatur. Nam a proprio satellite, sive ut quidam verius estimant (*Mon. Sang.* II, 13), a proprio filio, cujus matrem abjecerat et aliam duxerat, interfectus, et suæ vitæ et belli a se inchoati finem fecit.

(Einh. *Vita Kar.*) Hæc sunt bella, quæ rex potentissimus per annos 46 — tot enim annis regnavit — in diversis terrarum partibus summa prudentia atque felicitate gessit, quibus Francorum regnum, quod post patrem Pippinum magnum quidem et forte susceperat, ita nobiliter ampliavit, ut pene duplum reddiderit. Nam cum prius non amplius quam ea pars Galliæ, quæ inter Rhenum et Ligerem fluvium oceanumque ac mare Balearicum jacet, et pars Germaniæ, que inter Saxoniam et Danubium ac Salam fluvium, qui Thuringos et Sorabos dividit, postea incolitur a Francis qui orientales dicuntur, et præter hæc Alemanni atque Bajoarii, ad regni Francorum potestatem pertinerent : ipse per bella memorata primo Aquitaniam et Wasconiam totumque Pyrenei montis jugum et usque ad Hyberum amnem, qui apud Novarros [1125] ortus et fertilissimos Hispaniæ agros secans, sub Tertosæ civitatis menia Balearico mari miscetur, deinde Italiam totam ab Augusta Prætoria usque in Calabriam minorem, in qua Grecorum ac Beneventorum constat esse confinia, tum Saxoniam, quæ Germaniæ quidem magna pars est, et ejus, quæ a Francis incolitur, duplum in lato habere putatur, cum ei longitudine possit esse consimilis. deinde utramque Pannoniam et appositam in altera Danubii ripa Daciam, Histriam quoque et Lyburniam atque Dalmatiam, exceptis maritimis civitatibus, quas ob amiciciam et junctum cum eo fœdus Constantinopolitanum imperatorem habere permisit, deinde omnes barbaras et feras nationes, quæ inter Rhenum ac Visulam flavios oceanumque ac Danubium positæ, lingua quidem pene similes, moribus vero atque habitu valde dissimiles, Germaniam incolunt, ita perdomuit, ut eas tributarias efficeret. Auxit etiam gloriam regni sui, quibusdam regibus ac gentibus per amiciciam sibi conjunctis. Adeo namque Adefonsum, Galiciæ atque Asturicæ [1126] regem, sibi societate devinxit, ut is cum ad eum vel litteras vel legatos mitteret, non aliter se apud illum quam proprium suum appellari juberet. Scottorum quoque reges sic habuit ad suam voluntatem per munificentiam inclinatos, ut cum nunquam nisi dominum, seque subditos et servos ejus pronunciarent. Cum Aaron rege Persarum, qui excepta India totum pene tenebat Orientem, talem habebat in amicicia concordiam, ut is gratiam ejus omnium qui in toto erant orbe regum ac principum amiciciæ præponeret, solumque honore ac munificentia sibi colendum judicaret. — Imperatores etiam Constantinopolitani, Nicephorus, Michahel et Leo, ultro amiciciam et societatem ejus expetentes, complures ad eos misere legatos. Cum quibus tamen, propter susceptum a se imperatoris nomen, et ob hoc, quasi qui imperium eis preripere vellet, valde susspectum, fœdus firmissimum statuit, ut nulla inter partes cujuslibet scandali remaneret occasio. Erat enim semper Romanis et Grecis Francorum susspecta potentia. Unde et illud Grecum exstat proverbium τον φραγκον φυλον κεχις, γυτονα ου κεχις. — Qui cum tantus in ampliando regno et subigendis exteris nationibus existeret et in ejusmodi occupationibus assidue versaretur, opera tamen plurima ad regni decorem et commoditatem pertinentia diversis in locis inchoavit, quædam etiam consummavit; inter quæ precipua non immerito videri possunt basylica sanctæ Dei genitricis Aquisgrani opere mirabili constructa, et pons apud Mogontiam in Rheno quingentorum passuum longitudinis; nam tanta est ibi fluminis latitudo. Qui tamen uno anno antequam decederet incendio conflagravit, nec refici potuit propter festinatum illius decessum, quanquam in ea meditatione esset, ut pro ligneo lapideum restitueret. Inchoavit et palatia operis egregii, unum haud longe a Mogontiaca civitate, juxta villam cui vocabulum est Ingelenheim, alterum Noviomagi super Vahalem fluvium. Precipue tamen ædes sacras ubicumque in toto regno suo vetustate collapsas comperit, pontificibus et abbatibus, ad quorum curam pertinebant, ut restaurarentur, imperavit, adhibens curam per legatos, ut imperata perficerent. Talem eum in ampliando et tuendo simulque ordinando regno fuisse

VARIÆ LECTIONES.

[1125] *ita codd.* [1126] Adefonsum atque Astrucie 1b.

constat; ceterum, qualis in domestica cura fuisset, A dicatur. — Post mortem patris cum fratre regnum partitus tanta patientia simultates et invidiam ejus tulit, ut omnibus mirum videretur, quod ne ad iracundiam quidem ab eo provocari potuisset. Deinde cum matris hortatu filiam Desiderii regis Longobardorum duxisset uxorem, post annum repudiavit eam, et Hildigardam de gente Suavorum, precipuæ nobilitatis feminam, in matrimonium accepit, de qua filios tres, Karolum videlicet ac Pippinum et Ludowicum, totidemque filias, Ruothrudem et Berhtam et Gislam, genuit. Habuit et alias tres filias, Theoderatam et Hiltrudam et Ruotheidem, duas de Fastrada uxore, quæ de orientalium Francorum, scilicet Germanorum, gente erat, terciam de concubina quadam. Defuncta Fastrada, Luitgardam B Alamannam duxit, de qua liberos non habuit. Post cujus mortem tres habuit concubinas, Gersuindam Saxonici generis, de qua ei filia nomine Adeltrud nata est, Regenam, quæ ei Druogonem et Hugonem genuit, Adelindam quoque, quæ Theoderico cum procreavit. — Mater quoque ejus Bertrada in magno apud eum honore consenuit; colebat enim eam cum magna reverentia, ita ut nulla unquam invicem sit exorta discordia, nisi in divortio filiæ regis Desiderii, quam illa suadente acceperat. Decessit tandem post mortem Hiltigardæ, cum jam tres nepotes suos totidemque neptes in filii domo vidisset. Quam ille in eadem basylica qua pater situs est, apud Sanctum Dionisium magno cum honore fecit humari[1127]. — Erat ei unica soror nomine Gisla, a puellaribus annis religiosæ conversationi mancipata, quam similiter ut matrem magna coluit pietate, quæ etiam paucis ante obitum illius annis, in eo quo conversata est monasterio decessit. — Liberos suos ita censuit instituendos, ut tam filii quam filiæ primo liberalibus studiis, quibus et ipse operam dabat, erudirentur, tum filios, cum primum ætas patiebatur, more Francorum equitare, armis ac venatibus exerceri fecit, filias vero laneficio assuescere, coloque ac fuso, ne per otium torperent, operam impendere, atque ad omnem honestatem erudiri jussit. Ex his omnibus duos tantum filios et unam filiam, priusquam moreretur, amisit, Karolum, qui major natu erat, et Pippinum, quem regem Italiæ prefecerat, et Ruothrudem, quæ filiarum ejus primogenita D et a Constantino Grecorum imperatore, filio Leonis et Hyrene fuerat desponsata. Quorum Pippinus unum filium Bernhardum, filias autem quinque superstites reliquit, in quibus rex pietatis suæ precipuum documentum ostendit, cum nepotem patri succedere et neptes inter filias suas educari fecit. Filiorum ac filiarum tantam[1128] in educando curam habuit, ut nunquam domi positus sine ipsis cœnaret, nunquam iter sine illis faceret. Adequitabant ei filii, filiæ vero pone sequebantur, quarum agmen extremum ex satellitum numero ad hoc ordinati tuebantur. Quæ cum pulcherrimæ essent et ab eo plurimum diligerentur, mirum dictu, quod nullam earum cuiquam aut suorum aut exterorum nuptum dare voluit, sed omnes secum usque ad obitum suum in domo sua retinuit, dicens, se earum contubernio carere non posse, ac propter hoc, licet alias felix, adversæ fortunæ indignitatem expertus est; quod tamen ita dissimulavit, acsi de eis nulla unquam alicujus probri susspicio exorta vel fama dispersa fuisset. — Erat ei filius nomine Pippinus ex concubina editus, cujus inter ceteros mentionem facere distuli, facie quidem pulcher, sed gibbo deformis. Is cum pater bello cum Hunis suscepto in Bajoaria hiemaret, cum quibusdam e primoribus Francorum, qui eum vana regni promissione illexerant, adversus patrem conjuravit. Quem post fraudem detectam et conjuratorum dampnationem, detonsum, in cœnobio Prumia religiosæ vitæ jam volentem vacare permisit. Facta est et alia prius contra eum in Germania valida conjuratio, cujus auctores partim luminibus orbati, partim incolomes, omnes tamen exilio deportati sunt, neque ullus ex eis interfectus est, nisi tres tantum, qui cum se, ne comprehenderentur, strictis gladiis defenderent, aliquos etiam occidissent, quia aliter coerceri non poterant, interempti sunt. Harum tamen conjurationum Fastradæ reginæ crudelitas causa et origo dicitur extitisse, et idcirco in ambabus contra regem C conspiratum est, quia uxoris crudelitati consentiens, a suæ naturæ benignitate ac mansuetudine videbatur exorbitasse. Ceterum per omne suæ vitæ tempus ita cum summo omnium amore atque favore domi et foris conversatus est, ut nunquam ei vel minima injustæ credulitatis nota a quoquam fuisset objecta. Amabat peregrinos et in eis suscipiendis magnam habebat curam, adeo ut eorum multitudo non solum palatio, verum etiam regno non immerito videretur onerosa. Ipse tamen præ magnitudine animi hujuscemodi pondere[1129] minime gravabatur, cum etiam ingentia incommoda laude liberalitatis ac bonæ famæ mercede compensaret. — Corpore fuit amplo atque robusto, statura eminenti, quæ tamen non excederet — nam septem suorum pedum proceritatem ejus constat habuisse mensuram — apice capitis rotundo, oculis pregrandibus ac vegetis, naso paululum in mediocritatem excedenti, canicie pulchra, facie læta et hylari, unde formæ auctoritas ac dignitas tam stanti quam sedenti plurima acquirebatur. Quanquam enim cervix obesa et brevior venterque videretur projectior, tamen hæc ceterorum membrorum celabat æqualitas. Incessu erat firmo, totaque corporis habitudine virili, voce clara quidem, sed quæ minus corporis formæ conveniret, valitudine prospera, preter quod antequam decederet per quatuor annos crebro febribus corri-

VARIÆ LECTIONES.

[1127] humare *corr.* humari 1. [1128] tantum (*corr.* tantam?) 1. tantum 9e. 10. E1. [1129] onere 5

piebatur, ad extremum etiam uno pede claudicabat. Erat eloquentia copiosus et exuberans, poteratque quicquid vellet apertissime exprimere ; nec patrio sermone contentus, etiam peregrinis linguis ediscendis operam dabat, in quibus Latinam ita didicit, ut ea ac patria lingua orare sit solitus, Grecam vero melius intellegere quam pronunciare poterat. Artes liberales studiosissime coluit, earumque doctores plurimum veneratus, magnis extulit honoribus. In discenda grammatica Petrum Pisanum diaconem senem audivit, in ceteris disciplinis Albinum cognomento Alcwinum, item diaconum de Brittania, virum undecumque doctissimum, preceptorem habuit, apud quem et rethoricæ et dialecticæ, precipue tamen astronomicæ ediscendæ plurimum et temporis et laboris impertivit. Discebat et artem computandi, et intentione sagaci siderum cursum curiosissime rimabatur. Temptabat et scribere, tabulas et codicellos ad hoc in lecto sub cervicalibus circumferre solebat, ut cum vacuum tempus esset, manum litteris effigiandis assuesceret ; sed parum successit labor preposterus ac sero inchoatus. Assidue exercebatur equitando ac venando, quod illi gentilicium erat, quia vix ulla in terris natio invenitur, quæ in hac arte Francis possit coæquari. Delectabatur etiam vaporibus aquarum naturaliter calentium, frequenti natatu corpus exercens, cujus adeo peritus fuit, ut nullus ei juste valeat anteferri. Ob hoc etiam Aquisgrani regiam extruxit, ibique extremos vitæ annos usque ad obitum perpetim duxit. — In cibo et potu erat temperans, sed in potu temperantior, ita ut super cœnam raro plus quam ter biberet; cibo non adeo abstinere poterat, ut sepe quereretur, noxia suo corpori esse jejunia. Convivabatur rarissime, et hoc precipuis tantum festivitatibus, tunc tamen cum magno hominum numero. Cœna cottidiana quaternis tantum ferculis prebebatur, preter carnem assam, quam venatores veribus inferre solebant, qua ille libentius quam ullo alio cibo vescebatur. Inter cœnandum aut aliquod acroma aut lectorem audiebat. Legebantur ei hystoriæ et antiquorum res gestæ, delectabatur etiam libris sancti Augustini, precipueque his qui de civitate Dei pretitulati sunt. — Circa pauperes sustentandos et gratuitam liberalitatem, quam Greci elemosinam vocant, devotissimus erat, ut qui non in patria solum et in suo regno id facere curaverit, verum trans maria in Syriam et Ægyptum atque Africam, Hierosolimis, Alexandriæ, Kartagini, ubi christianos in paupertate vivere compererat, penuriæ illorum compatiens, pecuniam mittere solebat, ob hoc maxime transmarinorum regum amicicias expetens, ut christianis sub eorum dominatu degentibus refrigerium aliquod ac relevatio proveniret. Colebat pre ceteris sacris locis apud Romam beati Petri apostoli æcclesiam, in cujus donaria magnam vim pecuniæ congessit. Neque ille toto regni sui tempore quicquam duxit antiquius, quam ut urbs Roma sua opera suoque labore vetere polleret auctoritate, et ecclesia sancti Petri per illum non solum tuta ac defensa, sed etiam suis operibus pre omnibus æcclesiis esset ornata atque ditata. Quam cum tanti penderet, tamen intra 46 annorum quibus regnaverat spacium quater tantum illo votorum solvendorum ac supplicandi causa profectus est. Ultimi adventus sui non solum hæ fuerunt causæ, verum etiam quod Romani Leonem pontificem multis affectum injuriis, erutis scilicet, ut quidam dicunt, oculis, linguaque amputata, fidem regis implorare compulerunt. Ideirco Romam veniens propter reparandum, qui nimis conturbatus erat, æcclesiæ statum, ibi totum hiemis tempus extraxit. Quo tempore imperatoris et augusti nomen accepit, quod primo in tantum aversatus est, ut affirmaret, se eo die, quamvis precipua festivitas esset, æcclesiam non intraturum, si prescire potuisset pontificis consilium. Invidiam tamen suscepti nominis, Romanis imperatoribus super hoc indignantibus, magna tulit patientia, vicitque eorum contumaciam magnanimitate, qua eis procul dubio longe prestantior erat, mittendo ad eos crebras legationes et in epistolis fratres eos appellando. Post susceptum imperiale nomen cum adverteret multa legibus populi sui deesse — nam Franci duas habent leges, in plurimis locis valde diversas —, cogitavit, quæ deerant addere, et discrepantia unire, prava quoque ac perperam prolata corrigere ; sed de his nichil aliud ab eo factum est, nisi quod pauca capitula et ea imperfecta legibus addidit. Omnium tamen nationum, quæ sub ejus dominatu erant, jura, quæ scripta non erant, scribi ac litteris mandari fecit ; item barbara et antiquissima carmina, quibus veterum regum actus et bella canebantur, scripsit et memoriæ mandavit. Inchoavit et grammaticam patrii sermonis ; mensibus etiam juxta propriam linguam vocabula imposuit, qui ante id temporis apud Francos partim Latinis, partim barbaris nominibus pronunciabantur, et Januarium appellavit wintermanoth, Februarium hornung, Martium lencinmanoth, Aprilem ostermanoth, Maium vunnemanoth, Junium brahmanoth, Julium howimanoth, Augustum arnmanoth, Septembrem witemanoth, Octobrem windemanoth, Novembrem herbistmanoth, Decembrem heilemanoth. Item ventos 12 propriis appellationibus insignivit, cum prius non amplius quam vix quatuor ventorum vocabula possent inveniri. Et subsolanum vocavit osterwint, eurum ostsundroni, euroaustrum sundostroni, austrum sundroni, austroafricum sundwestroni, africum westsundroni, zephirum westroni, chorum westnordroni, circium nordwestroni, septentrionem nordroni, aquilonem nordostroni, vulturnum ostnordroni. — Religionem christianam, qua ab infantia fuerat imbutus, sanctissime et cum summa pietate excoluit, ac propter hoc plurimæ pulchritudinis basylicam Aquisgrani exstruxit auroque et argento et luminaribus atque ex ære solido cancellis et januis adornavit. Ad cujus structuram cum columnas et marmora aliunde habere non posset, Ro-

nia atque Ravenna devehenda curavit. Ecclesiam mane et vespere, item nocturnis horis et sacrificii tempore, quoad valitudo eum permiserat, impigre frequentabat, curabatque magnopere, ut omnia quæ in ea gerebantur cum maxima fierent honestate, edituos creberrime commonens, ne quid indecens aut sordidum vel inferri vel in ea remanere permitterent. Sacrorum vasorum ex auro et argento vestimentorumque sacerdotalium tantam in ea copiam p ocuravit, ut in sacrificiis celebrandis ne janitoribus quidem, qui ultimi ordinis sunt, privato habitu ministrare necesse fuisset. — Legendi atque psallendi disciplinam diligentissime emendavit; erat enim utriusque admodum eruditus, quanquam ipse nec publice legeret, nec nisi summisse et in commune cantaret. (*Monach. Sangall.* 1, 5, 7.) Fuit autem consuetudo, ut in basylica ejus magister scolæ designaret pridie singulis, quod responsorium quis cantare deberet in nocte; lectiones vero nullus cuiquam recitandas injunxit, nullus ad terminum vel ceram imposuit, vel unguibus saltem quantulumcumque signum impressit; sed cuncti omnia quæ legenda erant ita sibi nota facere curarunt, ut quando inopinate legere juberentur, irreprehensibiles apud eum invenirentur. Digito autem vel baculo porrecto vel ex latere suo ad procul sedentes aliquo directo, demonstravit quem legere voluisset. Finem vero lectionis sono gutturis designavit; ad quem universi ita intente suspensi sunt, ut sive finita sententia, sive in media distinctione, sive subdistinctione significaret, nullus sequens superius aut inferius incipere presumeret, quantumcumque incongrua finis aut inicium viderentur; et hoc modo factum est, ut etiam si non intelligerent, omnes in ejus palatio lectores optimi fuissent. Nullus alienus, nullus etiam novus, nisi legere sciens et canere, chorum ejus ausus est intrare.

Extremo * vero tempore cum jam et morbo et senectute premeretur, evocatum ad se Ludewicum filium suum Aquitaniæ regem, qui solus filiorum Hildigardæ reginæ supererat, congregatis sollemniter de toto Francorum regno primoribus (Einh. *Vita. Kar.*), cunctorum consilio consortem sibi totius regni et imperialis nominis heredem constituit; impositoque capiti ejus diademate, imperatorem et augustum jussit appellari. Susceptum est hoc ejus consilium ab omnibus qui aderant cum magno favore; nam divinitus ei propter regni utilitatem videbatur inspiratum; auxitque majestatem ejus hoc factum, et exteris nationibus non minimum terroris incussit. — Dimisso deinde in Aquitaniam filio, ipse more solito, quamvis senectute confectus, non longe a regia Aquæ nisi venatum proficiscitur, exactoque in hujuscemodi negotio quod reliquum erat autumni, circa Kalendas Novemb. Aquasgrani revertitur. Cumque ibi hiemaret, mense Januario febre valida correptus, decubuit, statimque, ut in febribus solebat, cibi abstinentiam sibi indixit, arbitratus hac continentia morbum posse depelli vel certe mitigari. Sed accedente ad febrem lateris dolore, quem Greci pleurisin dicunt, illoque adhuc inediam retinente neque corpus aliter quam rarissimo potu sustentante, septimo postquam decubuit die, sacra communione percepta, decessit, anno ætatis suæ 72° et ex quo regnare cœperat 46°, indict. 7 [1130], 5 Kal. Febr., hora diei tercia. Cujus corpus more solemni lotum et curatum, maximo totius populi luctu ecclesiæ illatum atque humatum est. Dubitatum est primo, ubi reponi deberet, eo quod ipse vivus de hoc nichil precepisset. Tandem omnium animis sedit, nusquam honestius eum tumulari posse, quam in ea basylica, quam ipse propter amorem Dei et domini nostri Jhesu Christi, et ob amorem sanctæ et æternæ virginis genitricis ejus, proprio sumptu in eodem vico construxit. In hac sepultus est eadem die qua defunctus est, arcusque supra tumulum deauratus cum imagine et titulo exstructus est. Qui titulus hoc modo descriptus est: *Sub hoc conditorio situm est corpus Karoli magni atque orthodoxi imperatoris, qui regnum Francorum nobiliter ampliavit et per annos 46 feliciter rexit.*

* E. *pergit :* Idem vero imperator cum jam morbo, *etc.*

* Stephanus [1131] papa 94[us] sedit annos 3, menses 5, dies 28.

* D. E. *addunt* : Rome Paulo — scandalo. Hoc per zelum — privato. *et post* 28 : Hic tam — crisma, Venerationem s. i. c. e. p. a. *ex Sigeb. a.* 767 *et* 768.

Anni Constantini. Anni Karoli.

28. 1. Anno dominicæ incarnationis 769, Karolus Magnus, Pippini filius, diviso post patrem regno, cum fratre (cf. *Chr. W.*) Karlomanno regnare cœpit, et 46 regnavit annis, tribus cum fratre, 43 solus postea (Einh. *Ann.*). Cujus anno primo Hunoldus quidam Aquitaniam, quæ in sortem Karoli cesserat, invasit, et provincialium animos ad concitanda nova excitans, bellum, quod pater ejus Pippinus occiso Waifario consummasse visus est, renovavit. Contra quem Karolus profectus, fratris auxilium postulavit; sed impedientibus malis hominibus, habere non potuit; colloquio tamen cum eo habito, ad persequendum Hunoldum profectus est, eumque, ad Lupum Wasconiæ ducem fugitivum missa legatione, recepit cum uxore sua, ipsoque Lupo cum tota Wasconia sibi obediente, regressus est.

29. 2. A. D. 770. Karolus rex habuit generalem conventum in Wormacia civitate. Berthrada vero, mater regum, cum Karlomanno [1132] minore filio apud Salussam locata, pacis causa in Italiam proficiscitur, peractoque negotio pro quo ibat, adoratis etiam Romæ sanctorum apostolorum liminibus, ad

VARIÆ LECTIONES.

[1130] Indict. 7. *eadem manu superscripta sunt* 1. [1131] Stephanus — 28. *post add.* 1. [1132] Kahrloman- ne. 1.

filios regreditur. — (*Chr. W.*) Corpus sancti Othmari in insula qua defunctus est per decem annos incorruptum reperitur, ablatumque in basylica sancti Galli sepelitur.

30. 3. (Einh. *Ann.*) A. D. 771. Karlomannus in villa quæ dicitur Salmonciacus defunctus est 2 Non. Decemb., et Karolus rex ad capiendum ex integro regnum animum intendens, Carbonacum villam venit, ibique Willibarius episcopus Sedunensis et Folradus presbiter aliique plures sacerdotes, comites etiam atque primates fratris sui ad eum venerunt, uxor vero Karlomanni cum filiis et parte optimatum ad Italiam profecta est.

31. 4. A. D. 772. Rex Karolus, congregato Wormaciæ generali conventu, Saxoniam bello aggredi statuit, eamque sine mora ingressus, cunctaque ferro et igni depopulatus, Eresburg castrum cepit, idolum, quod a Saxonibus Irminsul vocabatur, evertit. In cujus destructione cum in eodem loco per triduum moraretur, contigit, ut propter continuam cæli serenitatem, exsiccatis omnibus illius loci rivis et fontibus, aqua ad bibendum inveniri non posset. Sed subito divinitus, ut creditur in cujusdam torrentis concavo tanta vis aquæ eruperat, quiescentibus cunctis tempore meridiano, ut omni exercitui sufficeret. Tunc rex, idolo destructo, Wisaram fluvium accessit, ibique acceptis a Saxonibus duodecim obsidibus, recessit. Adrianus [1133] papa 95us ordinatus sedit annos 24.

32. 5. A. D. 773. * Adrianus papa, cum insolentiam Desiderii regis et oppressionem Longobardorum ferre non posset, legationem ad Karolum mittens, opem ejus imploravit. Qui collecto exercitu veniens, Desiderium intra Ticinum obsedit, totumque hibernum tempus multa moliendo in hac obsidione consumpsit. — Dum hæc in Italia geruntur, Saxones, nacta occasione pro absentia regis, contiguos sibi Hassorum terminos populantur; venientesque in locum qui Friteslar nominatur, æcclesiam a beato Bonifacio dedicatam incendere moliti sunt (*A. Laur.*), quam ipse sanctus martyr per spiritum prophetiæ nunquam incendio violari predixit. Cumque multa vi eam incendere conarentur, apparuerunt quibusdam et e christianis atque paganis duo juvenes in albis, qui eam protexerunt ab igne; nutuque divino immisso terrore, omnes in fugam conversi sunt, nemine extrinsecus persequente. Inventus est autem postea unus ex eisdem Saxonibus mortuus juxta æcclesiam ipsam genibus acclivis, ligna et ignem habens in manibus, et quasi ore flans ad incendendam eandem basylicam. (Einh. *Ann.*) At rex dimisso ad obsidionem et expugnationem Ticini exercitu, orandi gratia Romam proficiscitur, peractisque votis, ad exercitum reversus, fatigatam longa obsidione civitatem ad deditionem compulit; quam ceteræ civitates secutæ, regis se potestati subdiderunt. Et rex, subacta ac pro tempore ordinata Italia, in Franciam revertitur, captivum ducens Desiderium regem. Adalgis vero, filius ejus, in Greciam ad Constantinum imperatorem, diffidens rebus patriæ, se contulit, ibique in patriciatus honore vitam finivit. *1

*1 11 *addit*: Eo anno Hirene piissima una cum Constantino gloriose divinitus imperium accepit. Primo hujus imperii anno cum Constantinus 10 esset annorum, homo quidam in longis Thrace muris fodiens, invenit arcam lapideam. Quam cum expurgasset et revelasset, repperit virum in ea jacentem, et literas arte conglutinatas, continentes hæc: « Christus nascetur ex Maria virgine, et credo in eum. Sub Constantino vero et Hirene imperatoribus, o sol, iterum me videbis. » *cf. a.* 782. *n.*

** D. E. *addunt*: Adrianus papa (Hic D.) ad — solidavit. *ex Sigeb. a.* 772. *et pergunt*: Idem papa, *etc.*

33. 6. A. D. 774. Karolus domum regressus, priusquam Saxones eum venisse sentirent, tripertitum in eorum regiones misit exercitum, qui direptionibus et incendiis cuncta vastantes, compluribus qui resistere conati sunt interfectis, cum ingenti preda regressi sunt.

34. 7. A. D. 775. Karolus rex consilio habito decrevit Saxoniam ingredi et in ea tam diu perseverare, dum aut christianæ religioni subderentur aut omnino tollerentur. Totis ergo regni viribus Saxoniam petens, primo impetu Sigiburgum castrum, in quo Saxonum presidium erat, cepit, Eresburgum castrum a Saxonibus destructum munivit, in eoque Francorum presidium posuit, multaque strage facta, obsides ab eis et Westfalais accipiens, regressus est. — Corpora sanctorum Gordiani et Epimachi de Roma in Alamanniam translata sunt. — (*Chr. W. — H. m.*) Constantinus imperator, filius Leonis, persecutor christianorum et æcclesiarum legisque destructor, * obiit.

* destructor plaga pessimi — miserabiliter moritur. D. E. *ex Sigeb. a.* 776.

Anno dominicæ incarnationis 776, ab Urbe autem condita millesimo 527, Leo, filius Constantini persecutoris, 71° loco ab Augusto, Romanum suscepit imperium, regnavitque annis 5. Hic ad breve tempus visus est pius esse sanctæque Dei genitricis ac monachorum amicus; unde et metropolitanos ex monachis in primis sedibus collocavit, multosque ordines in urbe bene ampliavit. Quapropter principes omnes cum multitudine populi copiosa ingredientes, petierunt filium ejus Constantinum imperatorem. Qui cum diceret, illum sibi unicum esse et parvulum, seque vereri pro hoc, si forte sibi contingeret quod humanum est, illum ab eis interfici et alium promoveri, juraverunt ei omnes, se non admissuros alios imperatores preter Leonem et Constantinum et ex semine ipsorum, et hoc scripto confirmaverunt. Et sic in sancto die paschæ coronatus est imperator. — Leo autem cum regnaret annos quinque, mortuus est, et regnavit filius ejus Constantinus pro eo cum Hyrene matre sua.

VARIÆ LECTIONES.

[1133] Adrianus — 24. *in margine scripta exhibet* 1, *hoc loco* D. E., *ad finem a.* 771. 5. *desunt* 4. 9.

Anni Anni
Leonis. Karoli

1. 8. (Einh. *Ann.*) Primo autem anno Leonis, qui est octavus Karoli, nunciatur eidem Karolo, Ruotgaudum [1134] Longobardum, quem ipse Forojuliensibus ducem dederat, novas res in Italia meditari, et complures civitates ad eum defecisse. Quo statim tendens, Ruotgaudum interfecit, civitates quæ a se defecerant recepit, impositisque Francorum presidiis, rediit, et statim audiens Saxones rebellasse, illuc tetendit; sed inveniens eos denuo supplices, veniam dedit, baptizatisque qui volebant, et obsidibus acceptis, iterum in Franciam regressus est.

2. 9. A. D. 777. Karolus rex, habito concilio in loco qui Paderbrunno vocatur, iterum Saxoniam intravit, omnesque fallaciter devotos invenit. Cuncti quippe ad eum venerunt preter Witikindum, unum ex primoribus Westfalorum, qui multorum sibi conscius facinorum, regem timuit et ad Sigefridum Danorum regem cum paucis profugit. Ceteri qui venerant in tantum se regis potestati permiserant, ut ea conditione veniam tunc mererentur, quatinus, si ulterius sua statuta violarent, patria et libertate privarentur. Baptizata est autem et multitudo magna, quæ se, licet falso, christianam fore promiserat.

3. 10. A. D. 778. Karolus rex partes Hispaniæ petens, quasdam urbes subegit, obsides a Sarracenis accepit; sed in regressu fraude Wascouum plerique aulicorum per insidias interfecti sunt. Interea Saxones comperto quod tam longe recessisset, sumptis armis, Rhenum usque profecti sunt; sed cum amnem transire non possent, quicquid a Tuicio civitate usque ad fluvium Mosellam vicorum villarumque fuit, ferro et igni populati sunt; nullum discrimen sexus aut ætatis ira hostis fecerat, ut liquido appareret, eos non predandi, sed ulciscendi se gratia terminos Francorum introisse. Quod cum rex Autisiodoro positus audisset, orientales Francos et Alamannos ad propulsandos eos continuo misit. Quorum adventum Saxones audientes, recesserunt; sed illi eos e vestigio secuti, invenerunt eos in partibus Hassorum super fluvium Adernam; statimque in ipso fluminis vado illos adorti, tanta cede straverunt, ut ex ingenti multitudine vix pauci redierint.

4. 11. A. D. 779. Venit ad Karolum Hiltibrandus dux Spolitanus cum magnis muneribus in villa Wirciniaco; quem ille benigne suscepit, donatumque in suum ducatum remisit; ipse vero animo in Saxoniam tendens, Rhenum in eo loco qui Lippia vocatur cum exercitu trajecit. Cui cum Saxones in eo loco qui Buohcholz dicitur resistere temptarent, victi fugatique sunt; et rex Westfalorum regionem ingressus eos omnes in deditionem accepit; indeque ad Wisaram veniens, castra posuit; ibi Angrarii et Ostfalai obsides dederunt et sacramenta juraverunt. Quibus peractis, rex Wormaciam in hiberna se recepit.

A 5. 12. A. D 780. Karolo Saxoniam venienti omnes orientalium partium Saxones occurrerunt, multique de populo baptizati sunt; veniensque in locum ubi Hora et Albia confluunt, ordinavit res tam Saxonum quam Sclavorum; reversusque in Franciam, habito consilio, Romam causa orationis cum uxore sua Hiltigarda et liberis perrexit, et natale domini Papiæ celebravit. — Leo imperator obiit.

(*H. m.* coll. Einh. *Vita* c. 19.) Anno dominicæ incarnationis 781, Urbis autem conditæ millesimo 532, Constantinus, filius Leonis, 72° loco ab Augusto, cum matre sua Hyrene regnum suscepit, et annos 17 regnavit. Huic filia Karoli et Hiltigardis reginæ Ruothtrudis desponsata fuerat, sed mater ejus aliam ei invito conjungebat.

B

Anni Anni.
Constantini. Karoli.

1. 13. (Einh. *Ann.*) Cujus anno primo Karolus Romam veniens, ab Adriano papa honorifice suscipitur; et cum ibi sanctum pascha celebraret, baptizavit idem pontifex filium ejus Pippinum, cumque de sacro fonte suscepit, et ungens eum in regem Italiæ, imposuit ei coronam, fratrem vero ejus Ludewicum in regem Aquitaniæ unxit, ipsique coronam imposuit. Rex vero Roma digrediens, Mediolanum venit, ibique baptizata est filia ejus Gisela ab archiepiscopo Thoma, et ab eodem est de sacro fonte levata. Misit autem Adrianus papa Formosum et Damasum episcopos cum legatis regis, Richolfo diacono et Eberhardo pincernarum magistro, ad Tassilonem ducem, ut commonerent eum de juramento, quod Pippino et filiis ejus olim juraverat. Qui venientes, cor ejus emollierunt, ut cum eis Wormaciam ad regem veniret, datisque 12 obsidibus [1135], regi fidelitatem juraret; sed ubi domum rediit, non diu in fide permansit.

C

2. 14. A. D. 782. Karolus in Saxoniam eundum et ibi ut in Francia quotannis generalem conventum censuit habendum; trajectoque apud Coloniam Rheno, ad fontem Lippiæ venit, ibique positis castris, inter cetera negotia legatos Sigifridi regis Danorum, et quos Caganus et Jugurrus principes Hunorum quasi pacis causa miserunt ad se, audivit et absolvit. Cumque soluto conventu in Franciam redisset, Witikindus in patriam reversus, Saxones rebellare persuasit. Nunciatum est autem regi, quod Sorabi Sclavi, qui campos inter Albiam et Salam jacentes incolunt, in fines Thuringorum ac Saxonum sibi confines depredandi causa [1136] fuissent ingressi. Contra quos cum tres ministros suos cum orientalibus Francis direxisset, illi Saxonum audientes motum, ad illos diverterunt; sed incaute agentes, a Saxonibus circumventi et pene omnes occisi [1137] sunt Ad quam rem examinandam cum rex venisset, omnes Witikindum hujus sceleris auctorem proclamaverunt; sed illum, qui aufugit, tradere non valentes, ex aliis quia ei consenserunt usque ad quatuor

D

VARIÆ LECTIONES.

[1134] ruotgaudum *corr.* ruŏtgaudum 1. [1135] obsidionibus 1. [1136] causi 1. [1137] interfecti D. E.

milia et quingentos tradiderunt, qui omnes una die jussu regis decollati sunt.*

D. E. *addunt:* Constantinopolim quidam lapideam arcam invenit et in ea virum jacentem cum hac scriptura : « Christus nascetur ex Maria virgine et credo in eum; sub Constantino et Hyrene imperatoribus, o sol, iterum me videbis. » *ex Sigeb.*

3. 15. A. D. 783. Cum ad expeditionem Saxonicam rex se preparasset, antequam moveret exercitum, Hiltigardis regina, uxor ejus, obiit 2 Kalend. Mai, in quibus tunc erant vigiliæ ascensionis. Cujus funeri cum solempni more justa persolveret, Saxoniam tetendit, pugnansque cum eis in loco qui Theotmelli vocatur, vicit eos; indeque ad Paderbrunnen veniens, audivit eos in finibus Westfalorum iterum paratos ad pugnam; ad quos tendens, eadem qua prius felicitate cum eis dimicavit. Inde reversus in Franciam, duxit uxorem filiam Ratolfi comitis de orientali Francia nomine Fastradam, de qua habuit filias duas. — Eodem anno defuncta est bonæ memoriæ Berhtrada regina, mater regis, 4 Idus Julii.

4. 16. A. D. 784. Karolus, transjecto Rheno in loco [1138] qui Lippeheim vocatur, pagos Westfalorum vastavit; veniensque ad Wisaram, cum inundatio aquarum transitum negaret, dimisit filium suum Karolum in finibus Westfalaorum, ipseque per Thuringiam divertens, depopulatus est partes quæ sunt circa Albiam, reversusque est in Franciam. Saxones vero congregati pugnabant cum filio ejus Karolo; sed ille, magna cede facta, cum victoria rediit ad patrem Wormaciam.

5. 17. A. D. 785. Witikint et Abbio ex Transalbiana regione venerunt ad Karolum regem apud Attiniacum, adducente Amalwino [1139] aulicorum uno, ibique in gratiam recepti, baptizati sunt; quievitque Saxonicæ perfidiæ pervicacitas per aliquot annos.

6. 18. A. D. 786. Audiens rex, Anglos et Saxones Britanniam invasisse (229-30), misit illuc cum exercitu Audolfum, prepositum mensæ regiæ. Qui veniens, perfidæ gentis contumaciam cito repressit, acceptosque obsides cum plurimis populi primoribus Wormaciam ad regem adduxit. Rex autem, pace undique parta, statuit Romam ire, et partem Italiæ, quæ est circa Beneventum, suæ potestati subjicere, cujus majorem partem, capto Desiderio, jam sibi subdiderat. Veniens igitur in Italiam, natale Domini celebravit apud Tusciæ civitatem Florentiam.

7. 19. A. D. 787. Karolus rex Romam veniens, honorifice susceptus est ab apostolico Adriano; moratusque ibi per aliquot dies, cum eodem pontifice Beneventum contendit. Quod audiens Aragisus dux Beneventorum, misit ad regem filium suum Rumoldum cum magnis muneribus, rogans, ne terram illam intraret. Quod ille abnuens et Rumoldum secum detinens, Capuam venit; indeque bellum gesturus, castra ibi posuit. Aragisus vero, relicta Benevento, quæ caput est illius terræ, Salernum se quasi munitiorem contulit; missaque legatione, utrosque filios suos regi obtulit, promittens se per omnia obediturum, tantum ne ad conspectum ejus venire cogeretur. (Einh. *Vita Kar.* — *Ann.*) Cujus precibus rex annuens, minorem filium nomine Grimoldum secum retinuit, majorem patri remisit. Accepit insuper a populo obsides 11, misitque legatos, qui et ipsum ducem et omnem populum Beneventanum sacramento confirmarent. Ipse post hæc cum legatis Hyrenæ et Constantini filii ejus, qui propter petendam filiam suam missi fuerant, locutus est, illisque dimissis, Romam reversus, sanctum pascha ibi cum magna hylaritate celebravit. Tunc venerunt ad papam legati Tassilonis ducis, Arn episcopus et Hunricus abbas, rogantes, ut inter se et regem mediator pacis fieri dignaretur. Quod cum ille obnixe faceret et rex se id velle diceret, interrogati missi, quo pacto pacem firmare vellent, responderunt, sibi super hac re nichil imperatum fuisse. Unde papa commotus, quasi fallaces ac fraudulentos anathemate statuit feriendos, si a fide olim regi promissa discederent; hocque duci remandans, hos infecta pace remisit. Apostolicus autem et rex invicem sibi valedicentes discesserunt, acceptaque benedictione, rex in Franciam rediit, et filios ac filias cum uxore sua Fastrada Wormaciæ invenit. Ibi ergo habito generali conventu, coram optimatibus suis omnia quæ facta sunt in itinere suo narravit, eorumque consilio legatos misit ad Tassilonem (*A. Laur.*), qui experirentur, si apostolici jussis obœdire sibique fidem servare disponeret. (Einh. *Ann.*) Quo jussa contempnente, statuit rex tripertito exercitu Bajoariam petere, et filio suo Pippino cum Italicis copiis in Tridentinam vallem confluente, Saxonum vero atque orientalium Francorum exercitu super Danubium in loco qui Pheringa dicitur conveniente, ipse cum exercitu quem adduxerat super Licum fluvium in civitatis Augustæ suburbio considebat. Videns autem Tassilo se undique circumfusum, ad regem supplex venit, veniamque de ante gestis sibi dari rogavit. Rex autem, ut semper erat mitis, deprecanti pepercit, acceptoque ab eo filio ejus Theodone cum aliis 12 obsidibus, in Franciam rediit.

8. 20. (*A. Laur.* et Einh.) A. D. 788. Karolo apud Ingilinheim pascha celebrante et generale concilium habente, Tassilo dux, sicut et ceteri regni primates, advenit, sed a Bawariis accusatus, quod post datos proxime obsides fidem non servaverit, sed suadente uxore sua Liutburga, Desiderii Longobardorum regis filia, Avares in dissipationem regni vocaverit

VARIÆ LECTIONES.

[1138] in l. *superscripta sunt* 1. [1139] amalwico 1b.

NOTÆ

(229-30) Valde Ekkehardus hoc loco Einhardi narrationem turbavit

multaque alia hostiliter et dixisse et fecisse, cum haec negare nequiret, majestatis reus judicatus est. Et dum omnium ore capitali damnaretur sententia, rex ob amorem Dei, et quia consanguineus ejus erat, liberare cum cupiens, interrogavit, quid jam agere vellet. Ille autem rogans licentiam sibi dari pro peccatis pœnitendi, tonsuratur, et in monasterium missus est. Similiter et filius ejus Theodo; ceteri vero hujus perfidiæ consortes per diversa exilia dampnati sunt. *

* D. E. *addunt :* Instantia Tharasii — abdicatur. *ex Sigeb.*

9. 21. A. D. 789. Karolus contra gentem Sclavenorum qui Wilzi dicuntur exercitum ducens, amnem Albiæ duobus pontibus conjunxit, quorum unum ex utroque capite vallo munivit, imposita turri ex lignis et terra, ingressusque terram Wilzorum, fero et igni cuncta vastavit, donec eos subjugavit. — (*H. m.*) Hoc anno Hyrene imperatrix soluta pace nuptialis fœderis cum Francis, misit et adduxit puellam de Armeniacis nomine Mariam, et junxit eam filio suo Constantino imperatori, multum contristato propter affectum, quo erga filiam Karoli flagrabat, quam antea desponsaverat.

10. 22. (Einh. *Ann.*) A. D. 790. Karolus nullam expeditionem fecerat, sed residens in Wormacia, legatos Hunorum audivit suosque ad eorum principes misit. Agebatur autem inter eos de confiniis regnorum suorum; quæ res futuri belli fuit seminarium.

11. 23. (*Chr. W.* Cf. *H. m.*) A. D. 791. Sanctus Burchardus Wirciburgensis episcopus obiit 4 Nonas Febr. — Eodem anno dissensio facta est inter Constantinum et matrem ejus Hyrenen malorum hominum instigatione, in tantum ut ipsa vellet cum regno privare. — (Einh. *Ann.*) Karolus autem de Wormacia movens, Bajoariam tetendit, ea intentione ut Hunis bellum inferret, divisoque exercitu, Theodericum comitem et Meginfridum camerarium suum cum una parte per aquilonale Danubii latus ire jussit, ipse cum altera per australe descendit, venientesque ad Anesum fluvium, qui est limes Pannoniæ atque Bawariæ, castra posuerunt, et per triduum letanias ibi fecerunt. (*A. Laur.*) Huni autem videntes exercitum [1150], utrasque ripas tenentes, divinitus immisso terrore, munitiones suas dimittentes fugerunt, et uterque exercitus libere ingressus, magnam partem Pannoniæ usque ad fluvium qui dicitur Raba devastavit; (Einh. *Ann.*) sicque rex per Sabariam reverti statuit; altera parte exercitus per viam qua venerat rediit.

12. 24. A. D. 792. Karolo a natali Domini per æstatem Ratisponæ [1151] commorante, quibusdam Francis agentibus, conspiravit contra eum filius ejus Pippinus ex concubina itemque alii, propter Fastradam reginam, cujus crudelitatem se ferre non posse Franci dicebant. Quæ conspiratio cum per Fardulfum Longobardum detecta fuisset, ipse ob meritum fidei servatæ monasterio sancti Dionisii donatus est, auctores vero conjurationis partim gladio cesi, partim patibulo suspensi sunt. Rex autem propter bellum cum Hunis susceptum Regenesburg sedente [1152], persuasum est ei a quibusdam, posse percommode a Danubio in Rhenum navigari, si inter Radanciam et Altmonam fluvios ejusmodi fossa duceretur, quæ esset navium capax, quia horum fluviorum alter Danubio alter Rheno misceretur. Confestim rex cum omni comitatu suo ad locum huic operi aptum venit, ac magna hominum multitudine congregata, totum autumni tempus in hoc consumpsit. Ducta est itaque fossa inter predictos fluvios duum milium passuum longitudine, trecentorum pedum latitudine, sed frustra; nam propter juges pluvias et terram, quæ palustris est naturaliter, opus quod fiebat stare non potuit, sed quantum terræ a fossoribus interdiu egestum fuerat, tantum noctibus humo iterum relabente subsidebat. In hoc opere occupato nunciata est Saxonum omnimoda defectio et Francorum plurima a Sarracenis interfectio. Quibus rebus commotus, in Franciam revertens, natale Domini celebravit apud Sanctum Kylianum, Wirciburg scilicet, juxta Mœnum fluvium, pascha vero super eundem in villa Franconovurt, ubi et hiemaverat.

13. 25. A. D. 793. Karolo in Franconovurt pascha celebrante, synodus episcoporum magna collecta est ex omnibus regni provinciis, legati quoque Adriani papæ in ejus vice affuerunt. In hac synodo heresis cujusdam episcopi Felicis nomine dampnata est, qui Christum secundum hoc quod homo est adoptivum Dei filium dicebat, et liber contra eam communi episcoporum auctoritate compositus est, in quo omnes subscripserunt. Synodus etiam, quæ ante paucos annos in Constantinopoli congregata sub Hyrene et Constantino, filio ejus, septima et universalis ab ipsis appellata est, ut nec septima nec aliquid diceretur, quasi supervacua, ab omnibus abdicata est. Mortua est autem ibi et Fastrada regina, et Mogontiæ apud Sanctum Albanum sepulta est.

14. 26. A. D. 794. Rex, diviso inter se et filium ejus Karolum exercitu, Saxoniam cum magno intravit apparatu; sed ipsi faciem ejus solito reveriti, datis obsidibus, se per omnia obsecuturos jurave runt.

15. 27. A. D. 795. Rex perfidiæ Saxonum non immemor, conventum generalem habuit in villa quæ dicitur Cuffesstein [1153] ultra Rhenum contra Magontiam juxta Mœnum fluvium, atque inde cum exercitu Saxoniam ingressus, pene totam populando peragravit, itemque acceptis obsidibus, in Galliam remeavit.

16. 28. A. D. 796. Leo papa 96[us] ordinatus sedit annos 20; alii (Einh. *Ann.*) dicunt 25. Hic Karolum

VARIÆ LECTIONES.

[1150] exercitus 1[b]. [1151] *in loco raso* 1. [1152] *ita* 1. 4. 5. 9[c]. 10. sedens D. E [1153] cusfestun 1[b].

fecit imperatorem [1144]. Qui mox ut ordinatus est, claves confessionis sancti Petri et vexillum Romanæ urbis ad regem Karolum cum aliis muneribus misit, et ut aliquem de optimatibus [1145] suis ad confirmandum sibi per sacramentum populum Romanum mitteret, rogavit. Missus est ad hanc rem Angilbertus, abbas monasterii sancti Richarii, per quem etiam magnam partem thesauri, quem Hericus [1146] dux Forojuliensis, spoliata Hunorum regia quæ ringus vocabatur, eodem anno regi de Pannonia detulerat, misit; reliqua inter optimates et aulicos et palatio deservientes liberaliter distribuit. Rex autem post hæc Saxoniam petens, filium suum Pippinum Italiæ regem in Pannoniam misit, ipseque, depopulata Saxonia, Aquasgrani revertitur, Pippinus vero, fugatis ultra fluvium Tizaha Hunis, cum residuo Hunorum thesauro ad patrem regreditur (cf. *A. Laur.*).

17. 29. (Einh. *Ann.*) A. D. 797. Expeditio facta est in Saxoniam, et usque ad oceanum ultra omnes paludes et invia loca transitum est, et rex de Hadoloha regressus — nam id nomen est loco ubi oceanus Saxoniam alluit — totam Saxonum gentem in deditionem per obsides accepit, et ad palatium Aquisgrani regressus, Abdellam Sarracenum, filium Ibimaugæ regis, a fratre depulsum sibique se commendantem suscepit. Illuc et legatus Nicetæ, qui tunc Siciliam regebat, venit, portans epistolam imperatoris Constantini. Quem magnifice suscipiens, post paucos dies absolvit. Mediante autem mense Novembre, ad hibernandum cum exercitu Saxoniam intravit, positisque castris apud Wisaram, locum castrorum Heristal vocari jussit. Illuc legati Hunorum cum magnis muneribus venerunt, indeque Abdellam Sarracenum cum filio suo Ludewico in Hispanias reverti fecit, Pippinum in Italiam remisit, ipse vero ad disponendam Saxoniam totum hiemis tempus impendens, natale Domini et pascha sequentis anni ibi celebravit.

30. (*A.* Einh. et *Laur.*) A. D. 798. Saxones Transalbiani, seditione commota, legatos regis, qui tunc ad faciendas justicias missi sunt, comprehendentes, alios trucidant, alios ad redimendum conservant. Unde rex, collecto exercitu [1147], ad locum qui Minida dicitur perrexit, habitoque consilio, totam Saxoniam inter Albiam et Wisaram populando peragravit. Transalbiani [1148] vero superbia elati, contra Abodritos regi semper fideles arma corripiunt; sed dux eorum Thrasico, commisso cum eis prælio, 4000 ex eis occidit [1149], reliquos turpiter fugatos ut regi se dederent coegit. At rex in Franciam reversus, ubi ad Aquasgrani venit, missos Hyrenæ imperatricis de pace agentes audivit; cujus filius Constantinus ob insolentiam morum a suis captus, excœcatus est, vel, ut quidam verius fatentur (*H. m.*), A ipsius matris suæ consilio hoc factum est, ipsaque regnum sola tenere contendit. (*A.* Einh. et *Laur.*) Hos ergo legatos ubi rex absolvit, venerunt de Hispania legati Hadefonsi regis Galiciæ et Asturiæ, Basyliscus et Froia, deferentes munera, quæ ille de manubiis, quas victor apud Olisiponiam, ultimam Hispaniæ civitatem, a se expugnatam, ceperat, mittere regi curavit, Mauros videlicet septem cum totidem mulis atque loricis. Quos et benigne suscepit, et honorifice remuneratos dimisit. — (*H. m.*) Constantinus [1150] imperator, filius Leonis et Hyrenæ, postquam cœcatus est consilio matris suæ, post breve tempus obiit, sicque mater de cetero per quinque annos imperavit. Obscuratus est autem sol eo tempore per dies 17, ita ut oberrarent naves in B mari, et omnes dicerent, quod propter imperatoris obcœcationem sol obscuratus sit.

31. (Einh. *A.*) A. D. 799. Leo papa a Romanis excœcatus est. Romanis enim in sua securitate gloriantibus, levatum est cor eorum secundum consuetudinem illorum, volueruntque ea quæ imperialis erant potestatis sibi vendicare. (*H. m.*) Resistente autem Leone papa, quidam ex cognatis beatæ memoriæ Adriani papæ sedicionem moventes in populo, concitaverunt eum adversus papam. (*A. Laur.* et Einh.) Unde factum est, ut in letania majore, eum processurus de Lateranis, ad æcclesiam sancti Laurentii quæ ad Craticulam vocatur equo sedens pergeret, insidias a Romanis dispositas juxta eandem C æcclesiam incidit; dejectusque de equo, et erutis oculis ejus, ut sibi visum est, linguaque amputata, nudus ac semivivus in media platea dimissus est. (*Mon. Sang.* 1, 26.) Quidam autem dicunt, quod unum tantum oculum sibi eruerent, alii vero neutrum, sed rasorlis per medios oculos inciderent, nec tamen visum auferrent. (Einh. *A.*) Deinde jussu eorum, qui hujus facinoris auctores erant, in monasterium sancti Herasmi martyris missus, Albini [1151] cujusdam cubicularii sui cura noctu per murum demissus, a Winigiso duce Spolitano, qui audito hujusmodi facinore Romam festinus advenerat, susceptus ac Spoletum deductus est. Cujus rei nuncium dum rex accepisset, ipsum quidem ut vicarium sancti Petri cum summo honore ad se precepit adduci, iter tamen suum, quod in Saxoniam D disposuerat, non intermisit. Habito itaque conventu super Rhenum in loco qui dicitur Lippehein, transfretavit, et ad Paderbrunnen [1152] veniens, pontificis adventum ibi exspectavit. Misit autem interea Karolum filium suum ad Albim cum exercitu, propter quædam negotia cum Wilzis et Abodritis disponenda, et cum ejus reditum expectavit, pontifex venit, susceptusque ab eo honorifice, mansit apud eum dies aliquot, intimatisque regi omnibus propter quæ venerat, per legatos regis cum honore reductus atque

VARIÆ LECTIONES

[1144] Leo — imperatorem *in loco raso* 1. [1145] optimalus 1. [1146] heinricus 1b. A. 9e. 11. [1147] exercitum 1. *ut videtur.* [1148] transalbaniani 1 DI. [1149] occisit, *littera* s *adrasa* 1. [1150] C. i. f. *in loco raso* 1. [1151] Albini — demissus *desunt* D. E. [1152] *in loco raso* 1.

in locum suum est restitutus. — (*A. Laur.*) Eodem anno Avares, qui et Huni, a fide quam promiserant defecerunt, et Geroldus Bawariorum prefectus pugnans contra eos, in prælio interfectus est. *

* D. E. *addunt* : de quo invisione — sit. *ex Sigeb. a.* 800.

32. (Einh. *A.*) A. D. 800. Karolus rex Turonum pergens causa orationis, moratus est ibi aliquot diebus propter adversam valitudinem dominæ Luitgardæ conjugis suæ, quæ 2 Nonas Junii ibidem defuncta et humata est. Mense autem Augusto inchoante, Mogontiacum veniens, iter in Italiam condixit. (*A. Laur.*) Cui Romam tendenti, pridie quam Urbem intraret occurrit ei Leo papa apud Nomentum 12° lapide ab Urbe, prandensque cum eo, dimisit eum ibi nocte illa, et precessit eum ad Urbem. (*A.* Einh. et *Laur.*) In crastinum vero ordinatis per loca congrua turbis, ipse stans in gradibus cum episcopis et clero, honorifice illum suscepit, cunctisque psallentibus, in basylicam sancti Petri eum introduxit. Facta sunt autem hæc 8 Kalend. Decemb. Post septem vero dies rex contione vocata, omnibus cur venisset patefecit, inter quæ potissimum erat de discutiendis quæ objecta sunt pontifici criminibus. Ut enim se quasi absolutiores redderent ejus calumniatores, mortiferum ei crimen imposuerunt. Rege autem de hoc inquirente, cum nullus esset criminis probator, pontifex, assumpto evangelii textu, coram rege et omni populo ambonem conscendit, astantibusque incusatoribus, invocato sanctæ Trinitatis nomine, ab objectis se expurgavit.

Hucusque Romanum imperium a temporibus Constantini Magni, Helenæ filii, apud Constantinopolim in Grecorum imperatoribus mansit, ex hoc jam ad reges immo ad imperatores Francorum per Karolum transiit. [1153]

Anni imperii Karoli.	Anni regni ejus.

1. 33. Anno dominicæ incarnationis 801, ab Urbe vero condita millesimo 552, Karolus Magnus rex Francorum, Pippini regis filius, 73° [1154] loco ab Augusto, Romanorum imperator consecratus est, anno regni sui 33°, sicque imperavit annis 14. (Einh. *A.* — *A. Laur.*) Cum enim pro calumnia Leoni papæ ingesta Romam veniret et natale Domini ibi celebraret, in ipsa die sacratissima ad missarum solemnia veniens, dum ante confessionem beati Petri apostoli ab oratione surgeret, nichil minus speranti Leo papa coronam imposuit, et imperatorem Romanum pronunciavit, et a cuncto Romano populo acclamatum est : *Karolo augusto a Deo coronato, magno et pacifico imperatori Romanorum, vita et victoria.* (Einh. *A.*) Post quas laudes unctus ab apostolico, et antiquorum more principum ab eo adoratus, ablato patricii nomine, imperator et augustus appellatus est. Post paucos dies habita questione de adversariis papæ, secundum legem Romanam ut majestatis rei decollationi adjudicati sunt. Pro quibus tamen papa pio affectu intercessit ; nam et vita et membrorum integritas eis concessa est, ceterum pro facinoris magnitudine exilio deportati sunt. Quidam autem dicunt (*Mon. Sang.* 1, 26), quod de majoribus eorum uno die in Lateranensi [1155] campo trecenti decollati sunt. Innocentiam vero beati Leonis papæ ita Dominus approbavit, ut clariores postea oculos ei donaverit ; sed in signum virtutis illius pulcherrima cicatrix in modum tenuissimi fili turturinas acies niveo candore decoravit. (Einh. *A.*) Ordinatis deinde Romanæ urbis et apostolici totiusque Italiæ non tantum publicis, sed etiam æcclesiasticis et privatis rebus, imperator 8 Kalend. Mai Romam egressus est. Hic est annus regni ejus 33us, imperii vero primus.

2. 34. (*A.* Einh. et *Laur.*) A. D. 802. Hyrene imperatrix de Constantinopoli misit legatum suum nomine Leonem ad imperatorem Karolum de pace firmanda inter Francos et Grecos, et imperator vicissim misit Jesse episcopum Ambianensem et Helmgaudum comitem Constantinopolim pro eadem causa, et ut postularent Hyrenen imperatricem (*H. m.*), ut illi jungeretur in conjugio. Quæ in hoc consensisset, si non Aecius patricius inhibuisset, prevalens et imperium in fratrem suum Nicephorum transferre satagens. Nam cum adhuc in urbe essent legati Karoli, Nicephorus imperium invasit, et Hyrenen in monasterium, quod ipsa construxit in insula quadam, relegavit.

3. 35. (Einh. *A.*) A. D. 803. Imperatoris Karoli legati de Constantinopoli reversi sunt, et venerunt cum eis apocrisiarii Nicephori, qui tunc rem publicam apud eos regebat, Michahel episcopus et Petrus abbas et Calistus candidatus, qui invenerunt imperatorem in Germania super fluvium Sala in loco qui dicitur Salz, et pactum faciendæ pacis in scripto susceperunt, indeque cum epistola imperatoris Romam regressi, domum sunt reversi.

4. 36. A. D. 804. * Imperator Aquisgrani hiemavit, æstate autem ducto exercitu in Saxoniam, omnes qui trans Albiam habitabant Saxones cum mulieribus et infantibus transtulit in Franciam, et pagos Transalbianos Abodritis dedit. — Eodem tempore Gotefridus rex Danorum venit cum classe et omni equitatu suo ad locum qui dicitur Sliesdorph [1156] in confinio regni sui et Saxoniæ; promisit enim se ad colloquium imperatoris venturum, sed consilio suorum territus, propius non accessit, sed quicquid voluit per legatos mandavit ; nam imperator super Albim fluvium sedebat in loco Holdunsteti dicto (cf. *A. Laur.* et Einh. *A.*) — Eadem quoque æstate perlatum est ad imperatorem, san-

VARIÆ LECTIONES.

[1153] E1. *addit rubram:* Incipit liber quartus. [1154] LXVII. D. E. [1155] lateransi 1. [1156] vel Slieswich *in margine* E1. Selieswich *in textu* E2.

guinem Domini in Mantua civitate fuisse repertum, A misitque ad papam, ut hujus famæ veritatem perquireret. Qui nacta occasione exeundi, primo in Longobardiam, quasi pro inquisitione predicta profectus est, indeque subito arrepto itinere ad imperatorem, mandavit ei medio Novembre, se velle natale Domini cum eo celebrare. Qui statim misso filio suo Karolo ad Sanctum Mauricium, honorifice eum suscipere jussit, ipseque obviam illi Remos pergens, apud Carisiacum villam natale Domini celebravit, deinde Aquasgrani perduxit, donatumque magnis muneribus per Bajoariam ire volentem, deduci fecit usque Ravennam.

* C. *addit:* Karolus per omne imperium justicias facit et legis capitula 29 instituit. *ex Sigeb. a.* 802.

5. 37. (Einh. *A.* — cf. *A. Laur.*) A. D. 805. Imperator misit filium suum Karolum cum exercitu in Poemiam, qui, depopulatis omnibus, ducem terræ illius nomine Lechonem occidit, indeque regressus ad patrem, in Vosego silva venatui studentem invenit.

6. 38. (Einh. *A.*) A. D. 806. Imperator, habito conventu, iniit consilium cum primoribus Francorum de pace constituenda et conservanda, et de divisione regni facienda inter filios suos in tres partes, ut sciret unusquisque illorum, quam partem tueri et regere deberet, si sibi superstes deveniret. De hac partitione testamentum est factum et jurejurando ab optimatibus confirmatum.

7. 39. A. D. 807. Legati regis Persarum venerunt ad imperatorem, deferentes ei munera, papilionem et tria tentoria, vario colore facta, miræ magnitudinis et pulchritudinis, omnia bissina, tam tentoria quam funes eorum. Preterea pallia serica multa et preciosa atque unguenta et balsamum, nec non et horologium ex auricalco arte mechanica mirifice compositum, in quo 12 horarum cursus ad clepsidram vertebatur, cum totidem æreis pillulis, quæ ad completionem horarum decidebant et casu suo subjectum sibi cymbalum tinnire faciebant, additis in eodem ejusdem numeri equitibus, qui per 12 fenestras completis horis exibant, et impulsu egressionis suæ totidem fenestras, quæ prius erant apertæ, claudebant. Alia quoque multa erant in ipso horologio, quæ enumerare longum est.

8. 40. A. D. 808. Imperator audiens Gotefridum regem Danorum in Abodritos cum exercitu trajecisse, Karolum filium suum cum valida Francorum et Saxonum manu misit contra eum, si forte Saxoniæ terminos aggredi temptaret. Ille autem. expugnatis aliquot Sclavorum castellis, cum magno copiarum suarum detrimento reversus est. Nam manu promptissimos amisit, inter quos et filium fratris sui nomine Reginoldum.

9. 41. A. D. 809. Ludowicus rex, filius imperatoris, cum exercitu Hispaniam ingressus, Dertosam civitatem obsedit, sed non valens eam capere, dimissa obsidione, in Aquitaniam se recepit.

10. 42. A. D. 810. Pippinus rex Italiæ, natus imperatoris, perfidia ducum Veneticorum incitatus, Venetiam bello terra marique jussit appetere, subjectaque Venetia, duces ejus in deditionem accepit. Imperator autem adhuc Aquisgrani agens et contra Gotefridum regem expeditionem meditans, nuncium accepit, classem ducentarum navium de Normannia Fresiam appulisse totasque Fresiaco litori adjacentes insulas vastasse, jamque exercitum illum in continenti terra esse. Qui congregatis quanta potuit celeritate copiis, e regione contendit, positisque juxta Wisaram castris, minarum Gotefridi presto latur eventum. Nam rex ille superbus vanissima spe B victoriæ inflatus, cum imperatore se congredi velle jactabat. Sed dum imperator stativa castra haberet, diversarum rerum nuncii ad eum venerunt, classem scilicet predictam fuisse regressam, Gotefridum regem a quodam satellite suo, sive, ut quidam dicunt (*Mon. Sang.* II, 13), a filio proprio, cujus matrem, nuper alia conjuge ducta, dimiserat, interfectum, castellum Hohcburi, Albiæ flumini appositum, in quo Outo legatus imperatoris et orientalium Saxonum erat presidiis, a Wilcis captum (Einh. *A.*), et Pippinum filium ejus regem Italiæ 8 Idus Julii defunctum. Quibus auditis, disposita pro temporis conditione Saxonia, domum revertitur. — Eo anno sol et luna bis defecerunt, sol 7 Idus Junii et 2 Kalend. Decemb., luna 11 Kalend. Julii C et 18 Kalend. Januarii. — Ruothdruth, filia imperatoris major natu, 8 Idus Junii obiit. — Gotefrido rege Danorum mortuo, Hemmingus [1157], fratris sui filius, in regnum successit, ac pacem cum imperatore fecit.

11. 43. A. D. 811. Imperator [1158], pace cum Hemmingo firmata, et placito generali Aquis habito, in tres partes regni sui totidem exercitus misit, unum trans Albiam in Limones, qui et ipsos vastavit et castellum Hohcburi superiori anno a Wilcis destructum restauravit, alterum in Pannonias ad controversias Hunorum et Sclavorum finiendas, tercium in Brittones ad eorum perfidiam puniendam. Qui omnes prospere egerunt. Karolus, filius imperatoris major natu, 2 Non. Decemb. obiit. D

12. 44. A. D. 812. Nicephorus imperator Constantinopolitanus pugnans contra Bulgares, occiditur, et Michahel, gener ejus, imperio potitur. Qui legatos Karoli imperatoris ad Nicephorum missos suscepit et absolvit, cum quibus et legatos suos direxit, per quos pacem a Nicephoro ceptam firmavit.

13. 45. A. D. 813. Imperator, habito generali conventu Aquisgrani, filium suum Ludewicum regem Aquitaniæ ad se vocavit, eique coronam imponens, imperialis nominis sibi consortem fecit. Bernhardum vero nepotem suum filium Pippini

VARIÆ LECTIONES.

[1157] hemmigis 1b. [1158] *Hujus anni historia deest* E2.

filii sui, Italiæ prefecit et regem appellari jussit. A Concilia quoque jussu ejus super statu æcclesiarum corrigendo per totam Galliam ab episcopis celebrata sunt, quorum unum Mogonciæ, alterum Remis, tercium Remis [1159], quartum Cabillone, quintum Arelato. — Michahel imperator Bulgares bello appetens, haut prosperis successibus utitur, ac proinde domum reversus, deposito diademate, monachus efficitur, in cujus locum Leo, filius Bardæ patricii, constituitur. — (Einh. *Vita Kar.* c. 32.) Pons Rheni apud Mogontiacum, quem imperator per decem annos ingenti labore et opere mirabili de ligno ita construxit, ut perenniter durare posse videretur, in mense Maio ita tribus horis fortuito incendio conflagravit, ut preter hoc quod aqua tegebatur nec una quidem hastula ex eo remaneret. B

14. 46. (Einh. *A.* cf. *Vita* c. 31.) A. D. 814. Karoius imperator dum Aquisgrani hiemaret, febre et pleurisi, id est lateris dolore, tactus 5 Kalend. Febr. rebus excessit humanis, anno ætatis circiter 71°, regni autem 46°, subactæ vero Italiæ 43°, ex quo vero imperator et augustus appellatus est anno 14°. (Einh. *A.*) Cujus rei nuncium cum Ludewicus filius ejus in Aquitania accepisset, tricesimo postquam id acciderat die Aquasgrani venit, summoque omnium Francorum consensu ac favore patri successit, et ad suscepti regni amministrationem cura conversa, primo legationes, quæ ad patrem venerant, auditas absolvit, inter quas precipua fuit C Leon's imperatoris, qui Michaheli successit. Habito autem Aquisgrani generali conventu, ad justicias faciendas legatos in omnes regni partes misit, duos ex filiis suis Lotharium Bajoariæ, Pippinum prefecit Aquitaniæ.

Anni regni Ludewici.

1. Anno dominicæ incarnationis 815, ab Urbe autem condita millesimo 566, Ludewicus, Karoli Magni filius, 74° [1160] ab Augusto loco regnavit, regnumque annis 26 obtinuit. Huic anno primo regni sui allatum est, quosdam de primoribus Romanorum ad interficiendum Leonem papam conspirasse, hocque indicio ad pontificem delato, omnes illius factionis auctores jussu illius trucidatos fuisse. Quod cum moleste ferret, Bernhardum nepotem suum, regem Italiæ, ad se vocavit, eumque ad investigandum quod dictum est misit. Qui cum Romam venisset, egritudine decubuit. De rebus vero propter quas venerat, per Heroldum comitem, qui ad hoc legatus ei fuerat datus, regi Ludewico remandavit quicquid compererat. Quem legati pontificis subsecuti, de his quæ domino suo objiciebantur regi Ludewico per omnia satisfecerunt. *1

*1) 4 — 10. *addunt:* Quo etiam anno cœnobium Swarzahense a Megingaudo [1161] comite et Ymma uxore ejus in honorem domini nostri Salvatoris et sanctæ Dei genitricis sanctique Sebastiani et sanctæ Felicitatis martiris, sub primo ejusdem monasterii [1162] abbate Benedicto nomine, libera totius servitutis et exactionis conditione, construitur, et postmodum primo monasterio collapso, in honorem sanctæ Dei genitricis et sanctæ Felicitatis ac 7 filiorum ejus reparatur. *cf. chron. Swarzah. ap. Ludewig. SS. Bamb. II, p.* 3.

2. A. D. 816. Domnus Leo papa anno pontificatus sui 21° de corpore migravit 8 Kalend. Junii, Stephanusque diaconus in [1163] locum ejus papa 97[us] ordinatus est, qui sedit menses 7. Hic ergo, post consecrationem suam nondum duobus mensibus exactis, quam maximis potuit itineribus, ad imperatorem venire contendit, missis interim duobus legatis, qui quasi pro sua consecratione imperatori suggererent. Quod ille audiens, Remis ei occurrit, missisque obviam his qui eum illo deducerent, honorifice illum ibi suscepit. Pontifex vero statim adventus sui causam ei insinuans, celebratis deinde ex more missarum sollemniis, eum diadematis impositione coronavit Romanorumque [1164] imperatorem pronunciavit, anno regni sui secundo, secundum alios septimo.

Anni imperii ejus

3. 2. [1165] (Einh. *Ann.*) A. D. 817. Stephanus papa, tercio mense postquam Romam venerat nondum exacto, 8 Kalend. Febr. obiit; cui Paschalis successor electus, post completam sollemniter ordinationem suam munera et excusatoriam imperatori epistolam misit, sibi non solum nolenti, sed etiam plurimum pœnitenti pontificatus honorem [1166] impactum asseverans. Paschalis [1167] papa 98[us] sedit annos 7, juxta alios 9. — Imperator vero generalem conventum Aquisgrani habens, filium suum primogenitum Lotharium nominis atque imperii sui socium sibi constituit, ceteros reges appellatos, unum Aquitaniæ, alterum Bajoariæ prefecit. — Post hæc nunciatum est ei, Bernhardum nepotem suum, Italiæ regem, quorundam pravorum hominum consilio tyrannidem meditatum fuisse, jamque omnes introitus Italiæ, quos clusas dicunt, impositis presidiis firmasse, atque omnes Italiæ civitates in ejus verba jurasse, quod ex parte verum, ex parte fuerat falsum. Ad quos motus comprimendos imperatore celeriter cum exercitu magno veniente, Bernhardus rebus suis diffidens, armis depositis, apud Cabillonem imperatori se tradidit. D

4. 3. A. D. 818. Detecta fraude conjurationis, et sediciosis omnibus in suam potestatem redactis, imperator Aquisgrani revertitur, transactoque quadra-

VARIÆ LECTIONES.

[1159] *ita* 1. 1[b]. 5. 9[c]. 10. t. R. *desunt* 4. Turonis *ut Einh.* D. E [1160] LXVIII. D. E. [1161] meginguado 10. 11. [1162] manasterii 10. [1163] in — XCVII. *in loco raso* 1. [1164] Romanorumque — septimo *in loco raso* 1. [1165] *Primus annus imperii in margine a.* 816. *legitur.* [1166] ordinem 5. [1167] Paschalis — VIIII. *postea addit* 1.

gesimali jejunio, paucis post sanctum pascha diebus conjurationis auctores simul et regem judicio Francorum capitali dampnatos sententia, luminibus tantum jussit orbari. — (*Geneal. SS.* II, p. 314.) Irmingardis regina 5 Non. Octobr. obiit, quæ [1168] genuit imperatori Lotharium, Pippinum et Ludewicum.

5. 4. A. D. 819. Conventus Aquisgrani post natale Domini habitus est; in quo multa de statu æclesiarum tractata sunt, legibus etiam capitula quædam pernecessaria, quæ deerant, addita sunt. (*Geneal.* II, 314.) Quo peracto, imperator, inspectis plerisque nobilium filiabus, Welphi comitis filiam nomine Judith duxit uxorem, quæ [1169] genuit ei Karolum Calvum.

6. 5. A. D. 820. Propter juges pluvias et aerem nimio humore resolutum magna incommoda contigerunt. Nam et hominum et boum pestilentia grassata est; frumenta quoque et legumina corrupta sunt.

7. 6. A. D. 821. Allatum est imperatori Ludewico de morte Leonis imperatoris Constantinopolitani, quod anno preterito in basylica sanctæ Dei genitricis intra palatium interemptus sit conspiratione quorundam optimatum suorum et precipue Michaelis comitis domesticorum, qui pretorianorum militum studio infulas imperii suscepit, et novem annis regnavit. — Secundum [1170] quosdam Leo papa obiit, eique Stephanus successit.

8. 7. A. D. 822. In regione Thuringorum quodam in loco juxta fluvium quendam cespes longitudine pedum quinquaginta, latitudine 14, altitudine sesquipedali, de terra sine manibus precisus et sublatus, ab eo loco in quo sumptus est 25 pedum spacio distans inventus est. Item in parte orientalis Saxoniæ, quæ Soraborum finibus contigua est, in quodam deserto loco, juxta lacum qui dicitur Arnse, in modum aggeris terra intumuit, et limitem unius leugæ longitudine porrectum sub unius noctis spacio absque humani operis molimine instar valli subrexit. — Stephanus papa [1171] obiit; cui Paschalis successit. — Domnus imperator filium suum Lotharium pro disponendis regni negotiis in Italiam misit; cui [1172] precedenti anno Irmingardam, Hugonis comitis filiam [1173], de qua ille suscepit Lotharium postea excommunicatum (*A. Lob.*), Ludewicum post se regnantem et Karolum. (Einh. *ann.*) Pippinum vero filium suum imperator in Aquitaniam misit; cui filiam Theodorici comitis Matricensis junxit. *

* D. E. *addunt :* Inchoatio monasterii nove Corbeie in Saxonia per sanctum Adelhardum, antiquæ Corbeiæ in Frantia abbatem.

9. 8. A. D. 823. Mense Maio conventu habito apud Franconofurt, inter ceteras barbarorum legationes venerunt ad imperatorem duo fratres de regno Wilzorum, controversiam habentes, Milegast et Ceadrogo, filii Liubit [1174] regis Wilzorum. Qui cum orientalibus Abodritis pugnans cum interisset, populus Wilzorum filium ejus Milegastum majorem natu regem sibi constituit; sed cum is secundum ritum gentis non digne amministraret regnum, illo abjecto, juniori regium honorem deferunt. Quamobrem ad presentiam imperatoris ambo venerunt. Qui cum vidisset gentis voluntatem proniorem ad juniorem fratrem, statuit, ut is regnum teneret, ambos tamen muneribus donatos et sacramento confirmatos in patriam remisit. * — Lotharius, disposita Italia, cum jam redire statueret, rogante Paschali papa Romam venit, et honorifice ab eo susceptus, in sancto paschæ die apud Sanctum Petrum et regni coronam et imperatoris et augusti nomen accepit, sicque mense Junio ad patrem venit. — Imperator Drugonem fratrem suum, apud Mettensem æcclesiam sub canonica vita degentem, clero ejusdem urbis consentiente atque eligente, rectorem ibi constituit, eumque ad pontificatus gradum promoveri censuit. — Ceadrogo [1175] Abodritorum princeps cum quibusdam populi sui primoribus ad imperatorem venit, dilatique per tot annos adventus sui rationem unde incusabatur non improbabiliter reddidit, et licet in quibusdam causis culpabilis esset, per merita parentum suorum tamen non solum impunitus, verum etiam muneribus donatus, ad regnum redire permissus est. — Hoc anno prodigia quædam extitisse narrantur, in quibus precipua erant terremotus in Aquensi palatio, et in territorio Tullensi juxta villam Commerciacum puella [1176] quædam annorum circiter 12 post sacram communionem, quam in pascha de manu sacerdotis accepit, sine omni victus desiderio plenum biennium usque in tercium annum dimidium complevit, nulla penitus corporis alimenta percipiens. Cœpit autem jejunare anno dominicæ incarnationis 823 a pascha, et in 825, circa inicium Novembris, peracto jejunio, cibum sumere ac ceterorum hominum more manducando vivere cœpit. — In Saxonia quoque in pago Firihsaze 23 villæ igne cælesti crematæ sunt, et fulgura in sereno visa sunt atque interdiu de cælo ceciderunt. — In territorio Cumetensi Italicæ civitatis in vico Grabadona in æcclesia sancti Johannis Baptistæ imago sanctæ Mariæ puerum Jhesum gremio continens, in absida ejusdem æcclesiæ depicta, et ob nimiam vetustatem obscurata peneque deleta, tanta claritate per duorum dierum spacia effulsit, ut omnem splendorem novæ picturæ suæ venustatis pulchritudine penitus vincere videretur. Imagines etiam magorum munera offerentium juxta eam erant depictæ, quas preter munera quæ offerebant claritas illa minime irradiabat.

* D. E. *addunt :* Paschalis — transposuit. *ex Sigeb. a.* 821.

VARIÆ LECTIONES

[1168] quæ — Ludewicum *in margine addit* 1. *desunt* 1b. [1169] quæ — Calvum *in margine addit* 1. [1170] secundum — successit *in margine* 1. *desunt* 4. [1171] Stephanus — successit *in margine* 1. *desunt* 4. *supra post* inventus est *leguntur* 5. 9c. 10. 11. [1172] cui — junxit *in loco raso* 1. [1173] conjunxit *vel aliud ejusmodi vocabulum deest.* [1174] liuthit 1b. [1175] *ita omnes quos vidi codd.* celeadrogo 11 [1176] puella — XII. *in loco raso* 1.

10. 9. (Einh. *Ann.*) A. D. 824. Paschalis papa vita decessit. In cujus locum cum duo per contentionem populi fuissent electi, Eugenius tamen, presbiter tituli sanctæ Sabinæ, vincente nobilium parte, papa 99[us] ordinatur, seditque annos 3. Legati Michaelis imperatoris Constantinopolitani ad imperatorem Ludewicum pro pace confirmanda cum muneribus et litteris venerunt, condignoque responso absoluti sunt. * — Hoc anno paucis post æstivale solsticium diebus in territorio Augustidunensi, aere in tempestatem subita mutatione converso, ingens fragmentum ex glacie simul cum grandine decidisse narratur, cujus longitudo pedes 15, latitudo 7, crassitudo duos habuisse dicitur.

* D. E. *addunt :* Inter cetera munera — ibi sanatis. *ex Sigeb.*

11. 10. A. D. 825. Habito Aquisgrani conventu, legati Bulgarum pro constituendis terminis inter Francos et Bulgares ad imperatorem venerunt, responsoque accepto, redierunt.

12. 11. A. D. 826. Hilduinus, abbas monasterii Sancti Dionisii apud Parisium sacrique palatii archicapellanus, Romam mittens, annuente precibus ejus Eugenio, sanctæ sedis apostolicæ tunc præsule, corpus beatissimi martyris Christi Sebastiani accepit, et illud apud Suessonam civitatem in basylica sancti Medardi collocavit ; ubi dum adhuc inhumatum in loculo quo allatum fuerat, juxta tumulum sancti Medardi jaceret, tanta signorum multitudo emituit, ut a nullo mortalium aut numero comprehendi aut verbis valeat enarrari ; quorum quædam tanti stuporis esse narrantur, ut humanæ imbecillitatis fidem excederent, nisi certum esset Dominum, pro quo ipse passus est, omnia posse.

13. 12. A. D. 827. Eugenius papa mense Augusto decessit ; in cujus locum Valentinus diaconus a Romanis papa centesimus ordinatus, vix unum mensem in pontificatu complevit [1177]. Quo defuncto, Gregorius, presbiter tituli sancti Marci, papa 101[us] electus est, sed ante non est ordinatus quam imperatoris legatus Romam veniens, electionem populi qualis esset examinavit. Quo decedente, Sergius papa 102[us] successit ; post quem Leo 103[us] extitit. * Corpora [1178] sanctorum Marcellini et Petri de Roma in Germaniam translata mense Novembri, miraculis clarificata sunt.

* D. E. *addunt :* Hic constituit, ut octavæ — fiebat. Decrevit etiam, ut dum — presumat nisi tantum ministri altaris. *ex Sigeb. a.* 847. *et* D : Rabanus monachus in scientia litterarum nulli secundus — misit. *ex eodem a.* 824. *et :* Tractatus etiam — edidit. *ex a.* 827.

14. 13. A. D. 828. In regione Wasconia trans Garonnam in pago Aginensi annonam de cælo quasi pluviam descendisse ferunt, similem frumento, sed paululum breviora ac rotundiora grana habuisse, de qua domino imperatori allatum est ad Aquisgrani palatium. — (*Chr. W.*) Wettinus Augiensis monachus in spiritu raptus, ammirabilem vidit visionem.

15. 14. (Einh. *Ann.*) A. D. 829. In ipso quadragesimali jejunio paucis ante sanctum Pascha diebus Aquisgrani terræmotus noctu factus est, ventusque tam vehemens exortus, ut non solum humiliores domos, verum etiam ipsam sanctæ Dei genitricis basylicam, quam capellam vocant, tegulis plumbeis tectam, non modica denudaret ex parte.

16. 15. A. D. 830. Michahel imperator obiit.

17. 16. A. D. 831. Secundum quosdam (*Chr. W.*) Paschalis papa obiit, eique Eugenius successit. * Corpora sanctorum Valentis, Senesii et Theopontii in Augiam insulam deferuntur. Theophilus, filius Michahelis, regnavit annos 12.

* D. (*initio anni*) *et* E. *addunt :* Amularius — regum edit. *ex Sigeb. a.* 827.

19. 18. (*A. Lob.*) A. D. 833. Imperator filio suo Karolo ex Judith nato dedit Alamanniam, Rhetiam et partem Burgundiæ, indignantibus ceteris filiis.

24. 23. A. D. 838. Pippinus, filius imperatoris, obiit.

25. 24. A. D. 839.

26. 25. A. D. 840. Ludewicus imperator obiit 12 Kalend. Jul., sepultusque est in æcclesia Mettensi [1179].

1. (*Chr. W. — A. Lob. —* Cf. *Chr. W.*) Anno Dominicæ incarnationis 841, ab Urbe vero condita millesimo 592, Ludewicus, superioris Ludewici filius, 75[o] [1180] loco ab Augusto, regnare cœpit, et 36 annis regnavit. (*A. Lob.*) Post mortem vero patris sui Ludewici imperatoris, frater ejus Lotharius reversus de Italia, et Pippinus, filius Pippini patui sui, de Aquitania, voluerunt Karolum, filium Judith, cognomine Calvum, ea parte quam sibi pater concesserat privare, et secundum id testamentum, quod avus eorum Karolus Magnus statuerat, in tres partes inter se regna dividere. Qua de re apud Autisiodorensem pagum, in loco qui dicitur Fontaneth, grave prælium inter eos commissum est, et magna strage pugnatum, a neutra est parte triumphatum. (*Chr. W.*) Tandem vero pacificati, per quatuor tetrarchias regna dividunt. In [1181] divisione regnorum Lotharius cum nomine imperatoris possedit Italiam, Ludewicus Germaniam, Pippinus Aquitaniam, Karolus Galliam.

Theophylus imperator Constantinopolitanus obiit, cujus filius Michahel regnavit annis 26. *

* D. E. *addunt :* Rex Bulgarum ad Christianismum — perseveravit. *ex Sigeb. a.* 865.

4. A. D. 844. Bellum fuit inter Pippinum, filium Pippini, et Karolum.

7. A. D. 847. Judith [1182] imperatrix, uxor Lude-

VARIÆ LECTIONES.

[1177] qui etiam IIII[us] Leo dictus est. *supersc.* E 1. *recepit* E 2. [1178] corpora — sunt *et antea plura hujus anni verba in loco raso* 1. [1179] e. sancti Arnulphi Mettis 1[b]. [1180] LXVIIII., D. E. [1181] in — Galliam *in margine* 1. [1182] *Hæc desunt* 5

wici prioris, obiit.

10. A. D. 850.

* D. E. *addunt :* Gotescalcus [1183] quidam h. a Rabano jam archiep. Mogontiæ ordinato r. c. sed — errore. *ex Sigeb. a.* 849.

15. A. D. 855. * Ælclesia Sancti Kyliani in Wirciburg fulminibus exusta est. — Lotharius [1184] imperator, tonsura et monachico habitu suscepto, Prumiæ obiit (*ex A. Lob.*); cui Lotharius filius successit cum fratre Ludewico. — Corpus sancti Martini levatur de tumulo.

* D. E. *addunt :* Terremotu, aeris insolita commotione, turbinibus et multis incommodis homines quassantur. Quidam quoque homo — manente. *ex Sigeb., et pergunt :* Ælclesia etiam, *etc.*

17. (*Chr. W.*) A. D. 857. Leo papa migravit; cui B Benedictus papa 104[us] succedens, et ipse anno eodem decessit. Hiltigart regina obiit.

18. A. D. 858. Nicolaus papa 105[us] ordinatus, sedit annos 9.

22. A. D. 862. * Sanctus Meginradus heremita occiditur.

* D. (*initio*) *et* E. (*fine anni*) *addunt :* Rabanus archiepiscopus obiit.

25. A. D. 865. Huni Christianitatis nomen aggressi sunt.

27. A. D. 867. Basylius, occiso domino suo Michahele, regnavit annos 20.

28. A. D. 868. Adrianus papa 106[us] sedit annos 5.

30. (*A Lob.*) A. D. 870. Lotharius, filius Lotharii imperatoris, cum legitimæ uxori superduxisset aliam, C Romam vocatus est, nolensque papæ consentire, excommunicatus est, sicque in redeundo Placentiæ mortuus est. *

* D. E. *addunt :* Antea quippe Guntharius Coloniensis et Dietgaudus Treverensis archiepiscopi, eo quod sibi consensissent in commisso adulterio, Romæ a papa Nicholao examinati et convicti, episcopatu — concessa est. *ex Sigeb. a.* 863.

32. A. D. 872. Johannes papa 107[us] ordinatur ;*.*1 post quem Marinus 108[us], Adrianus 109[us], Agapitus 110[us], Basylius 111[us], Stephanus 112[us].

* D. (*in margine*) *et* E. *addunt :* Ad quem Johannes — libellis. *ex Sigeb.*

* 1) 10. 11. *addunt :* Qui a quodam toxicatus et ab alio malleo percussus, obiit, statimque [1185] percussor ejus a nullo lesus moritur. D

35. (*Chr. W.*) A. D. 875. Ludewicus, filius Lotharii imperatoris itemque Lotharii frater, obiit, et Karolus rex Romam tendens, a Johanne papa imperator efficitur. *

* D. E. *addunt :* Ludewico regi — non studuit. In Italia — narratur. Plurimus exercitus locustarum senas alas sexque pedes et duos dentes lapide duriores habentium Galliam A vastant, sequiturque fames tam valida, ut pene terciam partem hominum consumpserit [1186] *ex Sigeb.*

36. A. D. 876.* Ludewicus imperator** obiit.

* D. E. *addunt :* Cometes — vestigium. *ex Sigeb.*

** D. E. *addunt :* in Italia.

Anni Karoli junioris.

1. Anno Dominicæ incarnationis 877, ab Urbe vero condita millesimo 628, Karolus, junior filius Ludewici, qui fuit nepos Karoli 76[o] [1187] loco ab Augusto, regnare cœpit, et cum fratribus suis Karlomanno et Ludewico annis 11 regnavit (*Geneal.* SS. II, 314). Ludewicus quippe, ut aiunt, tenuit Ostrofranciam, Karolus Alamanniam, Karlomannus Bajoariam ; cujus filius Arnolfus postmodum obtinuit monarchiam.

2. (*Chr. W.*) A. D. 878. Karolus rex Galliarum, cognomento Calvus, frater Ludewici secundi obiit.

3. A. D. 879. Ludewicus Balbus, filius Karoli, obiit.

4. A. D. 880.* Ludewicus, frater Karoli, vivente fratre suo Karlmanno, Bajoariam ingreditur. Karlmannus obiit.

* D. E. *addunt :* Sol — apparerent. *ex Sigeb.*

5. A. D. 881. Karolus junior cum uxore sua Rihegarda imperiali benedictione sublimatur.

6. A. D. 882. Ludewicus rex Francorum, frater Karoli imperatoris obiit.

10. (Richer. I, 5.) A. D. 886. Outo, vir militaris et strenuus, a principibus Galliæ rex creatur in palatio Compendii. Hic patrem habuit ex equestri ordine Ruotpertum, avum vero paternum Witichinum ex Germania profugum. Hunc autem idcirco in regnum promoverunt, quia Karolus, filius Karoli [1188], nepotis Karoli Calvi Galliarum regis, cui regnum debebatur (I, 4) vix adhuc triennis erat, patre defuncto, cum puer biennis fuit, matre vix per quadriennium superstite.

11. (*Chr. W.*) A. D. 887. Karolus imperator vivus dimisit regnum. — Basylius imperator regno decessit.

Anni Arnolfi.

1. Anno Dominicæ incarnationis 888, Urbis conditæ millesimo 639, Arnolfus, filius Karlomanni fratris Karoli junioris, 77[o] [1189] loco ab Augusto, regnum suscepit, annisque 12 regnavit, quinque vero imperavit. Cujus anno primo Karolus imperator junior, dimisso prius imperio, obiit.

Leo et Alexander, filii Basylii, regnum Constantinopolitanum tenuerunt annis 22, postea Alexander anno uno, deinde Constantinus Porphyrogenitus, Leonis filius, annis 6 cum matre sua Zoe, poste:

VARIÆ LECTIONES.

[1183] Gothescalcus D 1. [1184] Lothario Pruniæ (*sic*) mortuo, Lotharius filius 5. [1185] statimque — moritur *desunt* 11. [1186] consumpsissent D1. .[1187] LXX. D. E. [1188] *in loco raso* 1. [1189] LXXI. D. E.

Romanus Armeniacus cum eodem Constantino annis 26, post hæc idem Constantinus cum filio suo Romano puero annis 15.

(Liudpr. I, 5, 13.) Arnolfus itaque rex potens principabatur Bajoariis, Suevis, Francis orientalibus, et post mortem Karoli Calvi Lotharingis audacibusque Saxonibus. Cui Zuentebaldus, Maravanorum dux, viriliter repugnavit. Usque ad hæc autem tempora Ungariorum gens, cujus omnes pene nationes expertæ sunt seviciam, quibusdam difficillimis interpositionibus, quas clusuras nominat vulgus, separata erat a nobis, ut neque ad meridianam neque ad occidentalem plagam exeundi facultatem habuerit. Arnolfus igitur rex, cum Zuenteboldum supradictum superare nequiret depulsis, proh dolor! his munitionibus, Ungariorum gentem, B scelerum cupidam, in auxilium vocat, si tamen auxilium dici potest, quod paulo post, eo moriente, cum genti suæ, tum ceteris in meridie occasuque degentibus grave periculum, immo exicium fuit. Devicto itaque Zuenteboldo, Arnolfus secure potitur regno; Ungarii vero interim, observato [1190] exitu, contemplatique regionem, malum cordibus, quod post in propatulo apparuit, machinabantur.

2. (*Chr. W.*) A. D. 889. Liutperto archiepiscopo Sunderold successit. — Arn Wirciburgensis episcopus in Saxonia occisus est inter missarum sollemnia. Sedit autem annos 36, menses 7.

3. A. D. 890. Arnolfus rex exercitum Nortmannorum delevit.

4. A. D. 891. Radispona incendio flagrat.

6. (Widuk. I, 22.) A. D. 893. Sunderoldus archiepiscopus a Nortmannis occiditur; pro quo Hatto ordinatur, obscurus quidem genere, sed acutus ingenio, et qui difficile discerneretur melior consilio foret an pejor.

7. A. D. 894.*

* D. E. *addunt:* Arnolfus [1191] — Lothariensium. *ex Sigeb. a.* 896.

8. (*Chr. W.*) A. D. 895. Arnolfus Italiam Burgundiamque sibi subjecit.

Anni imperii Arnolfi.

9. 1. A. D. 896. Arnolfus rex Romam veniens, imperator efficitur.

Hujus temporibus Formosus erat papa [113us].

10. 2. (Richer. I, 12, sqq.) Anno Dominicæ incarnationis 897, Karolus jam quindennis creatur in regem Galliæ, Outone adhuc vivente et injuriam dissimulante; eodem tamen anno defunctus est. Cujus Outonis frater Ruotpertus a Karolo dux Celticæ prelatus, cum postea regnum affectaret, a militibus Karoli interfectus est. Cujus filius Hugo ob necem patris regi semper infensus, consilio egit per quoscumque potuit, ut Ruodolfus, filius Richardi Burgundionis, eo multum reclamante, rex crearetur, et Karolus rex ab Heriperto, ejusdem Hugonis A cognato, per insidias caperetur carcerique manciparetur; in quo post quinquennium defunctus est, anno regni sui 36°, vitæ vero 54° [1192]. Idem autem Karolus ex sorore Adelstani regis Anglorum filium procreavit nomine Ludewicum, qui inter perturbationes patris infantulus adhuc transmarinis partibus advectus ad avunculum Adelstanum, post patris necem et Ruodolfi mortem paternum et avitum rexit imperium. Hic etiam ex Gerbirga, Heinrici Saxonum ducis et postea regis filia, sorore Ottonis Magni, quam [1193], extincto Gisilberto ejus viro, conjugem duxit, Lotharium filium accepit, qui in eodem regno patri successit.

11. 3. (*Chr. W.*) A. D. 899. Magna fames homines se invicem comedere persuasit.

12. 4. (Liudpr. II, 1, 2.) A. D. 900. Arnolfus imperator* obiit, moxque eodem anno Ungarii, morte illius audita, collecto permagno exercitu, Maravianorum gentem, quam illorum auxilio Arnolfus imperator sibi subdiderat, invadunt sibique vendicant, Bajoariorum quoque fines occupant, castella diruunt, æcclesias igni consumunt, populos jugulant, et ut magis magisque timeantur, interfectorum sese sanguine potant.

* Arnolfus imperator longa — moritur. D. E. *ex Sigeb. a.* 902.

(Liudpr. I, 28, 29, 30, 36, 50, 51.) Hujus Arnolfi temporibus Formosus papa vehementer adflictabatur a Romanis, cujus et hortatu Arnolfus rex Romam advenerat. Qui ingressus urbem, multos C Romanorum principes obviam sibi properantes, ulciscendo papæ injuriam, decollari precepit. Causa autem simultatis inter Romanos et Formosum papam hæc fuit: Formosi decessore defuncto, quædam pars Romanorum Sergium, quendam Romanæ diaconum æcclesiæ, papam sibi elegerat, quædam vero pars non infima natu Formosum, Portuensis civitatis episcopum, pro vera religione divinarumque Scripturarum et doctrinarum scientia papam fieri anhelabat. Cum autem in eo esset, ut Sergius ordinari debuisset, pars quæ Formoso favebat non sine mediocri tumultu et injuria Sergium ab altari expulit et Formosum papam constituit. Unde Sergius descendit in Tusciam, quatenus Adelberti marchionis D potentissimi juvaretur per potentiam. Quod et factum est. Nam Formoso defuncto, et Arnolfo in patria miserabili morte, scilicet vermium quos peduculos dicunt tanta scaturicione, ut nullis medicorum curis minui possent, extincto, is qui post necem Formosi constitutus est expellitur, Sergiusque per Adelbertum papa constituitur. Qui constitutus, ut impius, sanctarum doctrinarum inscius, Formosum e sepulchro extrahi atque in sede Romani pontificatus sacerdotalibus vestimentis indutum locari sicque decollari precepit. Cui et ait: *Cum Portuensis esses episcopus, cur ambitionis spi-*

VARIÆ LECTIONES.

[1190] servato *corr.* observato 1. [1191] Arnoldus D1. [1192] LIII. 1b. [1193] quam — persuasit *in loco raso* 1.

ritu Romanam universalem sedem usurpasti? Dein sacris exutum vestibus, abscisisque digitis tribus, in Tyberim jactari precepit, cunctosque quos ips ordinaverat gradu proprio depositos iterum ordinavit. Quod quam male et injuste egerit, in hoc animadverti poterit, quoniam et hi qui a Juda proditori [1194] ante proditionem salutem seu benedictionem apostolicam perceperunt, ea post proditionem propriique corporis suspensionem non sunt privati, nisi quos improba forte fedarunt flagicia. Benedictio siquidem, quæ ministris Christi impenditur, non per eum qui videtur, sed qui non videtur, sacerdotem infunditur. Neque qui rigat est aliquid, neque qui plantat, sed qui incrementum dat, Deus. Quantæ autem auctoritatis quantæque religionis Formosus papa fuerit, hinc colligere possumus, quoniam, dum a piscatoribus postmodum esset inventus atque ad beati Petri principis apostolorum æcclesiam deportatus, sanctorum quædam imagines sese inclinantes, hunc in loculo positum venerabiliter salutaverunt. Quod religiosissimi Romanæ urbis testati sunt. — Post Formosum Johannes papa 114us extitit; cui Stephanus 115us successit.

1. Anno Dominicæ incarnationis 901, ab Urbe vero condita millesimo 652, Ludewicus, Arnolfi imperatoris filius, 78° [1195] loco ab Augusto, admodum puer, imperium suscepit, et 12 annis regnavit (cf. *Chr. W.*). (Liudpr. II, 2-5.) Cujus anno primo Ungarii Bajoariam vastaverunt; sed Ludewicus gentis suæ depopulationem non ferens, magno exercitu coacto, juxta Licum fluvium cum eis pugnavit, et plus quam mille ex eis interfecit. Cumque pugna usque ad horam septimam jam protraheretur et regis victoria estimaretur, Ungarii callidi, positis ex adverso insidiis, fugam simulant. Quos dum regis milites, doli ignari, impetu validissimo insequerentur, omni ex parte prodeunt insidiæ, et quasi victi ipsi victores interimunt, rex ipse e victore se victum esse miratur, fitque illi non opinatus gravior casus; Ungarii vero ut rabiem perfidiæ suæ saciarent, Bajoariorum, Suevorum, Francorum regna percurrunt, cunctaque vastando incendunt.

Hujus temporibus Adelbertus, non quilibet mediocris, sed ex primatibus magnus ille heros, filius sororis Heinrici ducis sed postea regis, nepos Ottonis ducis Saxoniæ, simultatem non modicam in castello Babenberg contra rem publicam exercebat. (Wid. I, 22.) Nam cum inimiciciæ essent inter Chuonradum, patrem Chuonradi postea regis, primum a Chuonrado interfectus est frater Adelberti, in cujus ultionem Chuonradus quoque postea occisus est ab Adelberto; nec ullus regum potuit tam ingens bellum inter eminentes viros ortum sedare. (Liudpr. *l.* I.) Cumque ipsi etiam regi Ludewico rebellis existeret Adelbertus, sepe rex congregatis omnibus super castellum ejus irruerat. Cui nominatus heros non juxta castellum, ut plerique solent, sed procul a munitione preparat bellum. Regis itaque milites priusquam hujus virtutem [1198] re ipsa experirentur, regem precuntes, pugnæ preludio hunc extra castrum elicere atque interficere cogitabant; sed ipse hujusmodi proludii [1197] non solum non ignarus sed etiam debriatus, his obviam tam longe a castro processerat, ut hunc milites eousque ex adversariis esse non cognoscerent, quoad eorum cervices istius mucro cedis impatiens deseviret. Igitur cum septennio ferme Adelbertus heros rebellionem hujusmodi exerceret, sciens Ludewicus fortitudinem illius audaciæ hautquaquam se nisi [1198] tergiversatione quadam posse devincere, Hattonem Mogontinæ sedis archiepiscopum, quid super hac re faciendum esset, consuluit. Qui ut erat versutia plenus: *Desine*, ait, *ego te securum meis sollicitudinibus reddam; ego, ut ad te ille adveniat, providebo; tu, ne redeat, curato.* Hatto itaque animi confidentia, qua nonnullas res ex infortunio secundas effecerat, animatus, Babenberg, quasi Adelberti rebus consulturus, adiit, multaque locutus, in dolo suasit ei ad regem venire, spondens ei jurejurando, aut ei pacem cum rege facturum, aut incolomem illum suo loco restituturum. (Wid, I, 22.) His pactis consentiens Adelbertus, fidei et amiciciæ gratia ut dignaretur prandere, rogavit episcopum. (Liudpr. et Wid.) Quo calliditatis obtentu negante, illico urbem egressi sunt, episcopo dexteram Adelberti tenente. Cumque pertransissent oppidum cum omni comitatu, fertur episcopus clamasse: *Proh!* inquiens, *quam sepe petit, qui oblata spernit; tedet me longioris viæ et tardioris horæ; nam* [1199] *jejuni tota die non possumus ambulare.* Hæc audiens Adelbertus, nihilque mali suspicatus, ad genua pontificis se letus inclinavit, et ut in urbem gustandi gratia reverteretur, deposcit. Pontifex in urbem revertitur cum Adelberto, deputans se liberatum a vinculo juramenti, eo quod incolomem illum sic restituisset loco suo. Post hæc cum pontifice exiens, regi Ludewico ab eo presentatur, moxque habito judicio, principum qui affuere decreto capitalem subiit sententiam, et in proprio castello Tharissa accepit sepulturam.

2. (*Chr. W.*) A. D. 902. Ungarii Charentaniam invadunt, et commissa in sabbato paschæ pugna, occiduntur.*

* D. E. *addunt:* Sarraceni — debellaverunt. *ex Sigeb. a.* 910.

3. A. D. 903.*

* D. E. *addunt:* Ludewicum — veniret. *ex Sigeb. a.* 911. Zuendebaldus — composuit. *ex Sigeb. a.* 903.

6. A. D. 906. Ungarii amarius occiduntur. Berenger [1200], Reginolt et Gerhart germani fratres interficiuntur.

VARIÆ LECTIONES.

[1194] *ita* l. [1195] LXXII. D. E. [1196] *superscr.* l. [1197] preludii 1b. 4. 5. 10. 11. D. [1198] nisi se 1b. [1199] jam 1b. [1200] berengir, reinold et gerhard gemini fr. 1b.

7. A. D. 907. Pugna [1201] inter Adelbertum, fratrem eorum, et Chuonradum, fratrem Ludewici imperatoris [1202]; in qua Chuonradus occiditur.

8. A. D. 908. Ruodolfus episcopus Wirciburgensis obiit.—Adelbertus, perfidia Hattonis archiepiscopi et cujusdam Luitpaldi deceptus, Ludewico rege jubente, decollatur. — Bajoarii ab Ungariis interficiuntur.

9. A. D. 909. Ungarii Saxoniam et Thuringiam vastant.

10. A. D. 910. Ungarii Alemanniam petunt. — Leo imperator Constantinop. obiit.

11. A. D. 911. Franci pugnant cum Ungariis.

12. A. D. 912. Ludewicus rex moritur. Hic juxta quosdam ultimus dicitur Karolorum apud orientales Francos imperantium, juxta quosdam vero Chuonradus, qui post eum imperavit, ultimus computatur, a quibus pater illius Chuonradus, qui ab Adelberto interfectus est, frater Ludewici hujus fuisse estimatur. Sed hujus diversitatis error scriptoribus regnorum imputetur. (Wid. I, 16.) Ludewicus igitur cum accepisset uxorem nomine Mahthildam, sororem Brunonis ac magni ducis Ottonis, non multis post hæc vixerat annis. Horum pater erat Luitolfus, qui Romam profectus, transtulit inde reliquias Innocentii papæ. Ex quibus Brun cum ducatum amministrasset totius Saxoniæ, duxit exercitum contra Danos, et inundatione repentina circumfusus, non habens locum pugnandi, periit cum omni exercitu, fratri, natu quidem minori, sed omni virtute multo potiori, relinquens ducatum. Regi autem Ludewico cum non esset filius, post mortem ejus omnis populus Francorum atque Saxonum querebat Ottoni diadema imponere regni, sed ipse quasi jam gravior recusabat onus imperii; ejus tamen consultu Chuonradus, quondam dux Francorum, filius (*ex Chr. W.*) illius Chuonradi quem Adelbertus occidit, ungitur in regnum, penes Ottonem tamen summum semper et ubique fiebat imperium. (Wid. I, 17.) Natus est autem eidem Ottoni filius, mundo necessarius, optimus Heinricus, qui primus libera potestate regnavit in Saxonia; cui pater moriens totius Saxoniæ ducatum reliquit, Chuonrado jam in regnum sublimato.

(*Chr. W.*) Anno Dominicæ incarnationis 913, Urbis autem conditæ millesimo 664, Chuonradus, filius Chuonradi quem Adelbertus occidit, Francorum ex genere oriundus, vir strenuus bellorumque exercicio doctus, omnium electione, 79° [1203] loco ab Augusto, regnum accepit, et 7 annis regnavit. (Liudpr. II, 17, 18, 19.) Sub quo potentissimi principes erant Arnoldus in Bajoaria, Burchardus in A Suevia [1204], Eberhardus [1205] comes potentissimus in Francia, Gisilbertus dux in Lotharingia; inter quos Heinricus Saxonum et Thuringorum dux prepotens clarebat. Secundo autem regni ejus anno memorati principes huic presertim rebelles extiterant, quos ille tam sapientiæ vigore quam fortitudinis robore superavit suamque ad fidelitatem perduxit. Arnolfus autem nimio terrore coactus, cum uxore ac filiis ad Ungarios fugit, ibique usque ad obitum Chuonradi permansit.

Anni Chuonradi.

1. (*Chr. W.*) Primo anni Chuonradi regis Ungarii ab Alemannis [1206] et Bajoariis juxta fluvium Enum [1207], qui vulgariter Ine dicitur, occiduntur.

2. (Liudpr. — *Chr. W.* — Richer II, 1 sqq.). A D. B 914. Predicti principes regi rebellant. Ruodolfus rex moritur; post quem (231) Ludewicus, Karoli filius in regnum patris consilio Hugonis ducis, filii Ruotperti, ex transmarinis partibus ad Gallias reducitur, cui idem Hugo tamen postea adversatur. Hoc tempore Marinus papa 116us extitit.

3. (*Chr. W.*) A. D. 915. Ungarii Alemanniam devastant. Hatto archiepiscopus [1208] obiit; cui Heriger successit [1209].

5. A. D. 917. Salomon episcopus captus est, Ungarii Alamanniam totam * igne et gladio vastant.

* Totam devastantes usque ad Fuldam perveniunt. D. E. *ex Sigeb. a.* 917.

6. A. D. 918. Erkenger dux et Berhtolfus germani fratres decollantur. — Basilea ab Ungariis destruiC tur.

7. A. D. 919. Ungarii per Alemanniam et Alsaciam transeuntes, Lotharingiam invadunt.—Burchardus * dux constituitur. — Chuonradus rex moritur, cujus consilio et precepto Heinricus dux Saxoniæ, filius Ottonis ducis, in regnum provehitur (cf. Wid.). Sed quia, Karolorum stirpe in regno Francorum deficiente, regnum jam ad Saxones per Heinricum transfertur, genealogiam Karolorum causa memoriæ breviter depingamus, dehinc de origine gentis Saxonicæ, cujus opinio varia est, aliqua describamus, sicque ad inicium regni pertendamus * 1.

* B., d. c. *desunt* E., *ubi sequentia ita leguntur :* Cuonradus rex moriens coram principibus regni regem designat Heinricum, filium Ottonis Saxonum ducis ex Luitgarda filia Arnulfi imperatoris. *Tota vero Saxonum historia deest*

*1. 5. *Addit hos versus :*

Reges de styrpe Karoli.

Stirps Karoli Magni mundo, venerabilis omni,
Ante fuit clara, cœpit demum fore rara.
Leto delente paulatim deficiente,
Successit primus Cuonradus nominis hujus.

VARIÆ LECTIONES.

[1201] pugna committitur 5. [1202] i. erat 4. i. committitur 9c. 10. 11. [1203] LXXIII. D. E. [1204] *ita litteris effugientibus recentiori manu* 1. *rell.* [1205] evrardus 1b. [1206] alamannis *corr.* alemannis 1. [1207] enim *corr.* eni 1b. [1208] a. Mogontinus 5. [1209] s. decimus archiepiscopus 5.

NOTÆ.

(231) Ekkehardus hoc loco Rudolfum regem Burgundiæ hujus nominis primum et Galliæ regem eumdem habet.

Saxonici reges tunc cœperunt dare leges,
Rex erat Heinricus inter quos nomine primus.
Quæ stirps regnavit, ad finem dum propiavit.

Sanctus [1210] (231*) Arnolfus primum comes, deinceps [1211]

Ansgisus filius ejus.

Pippinus princeps et [1212] major domus. Cujus [1213] mater erat Begga, soror sanctæ Gerdrudis virginis.

Karolus cognomento Fortis, major domus.

Pippinus major domus idemque rex Francorum.

Karolus [1214] rex Francorum et [1215] patricius Romanorum, primus imperator in [1215] Francia.

Luodewicus [1216] rex cognomento Pius.

Lotharius rex Italiæ et Lotharingiæ.			Karolus rex Galliæ et Hispaniæ.			Ludewicus [1221] rex Germaniæ.		
Hugo filius regis in [1217] monasterium trusus.	Ludewicus [1218] rex Italiæ, excæcatus a Berengario rege. Berhta.	Lotharius rex Lotharingiorum	Karlomannus excæcatus.	Ludewicus [1220] rex Franciæ.	Karolus in venatione occisus.	Ludewicus rex Ostrofranciæ [1225].	Karlomannus rex Bajoariorum invictissimus.	Karolus rex Alamanniæ.
Wido et Lampertus et Adelbertus marchiones. Humbertus ex Wendelmuota [1219].	Hugo rex Italiæ.	Buoso frater Hugonis ex eodem patre. Lotharius ex Alda Teutonica [1219].	Irmendrud [1221]. Cunigunt. Sigefrid comes. Cunigunt imperatrix.	Ludewicus [1220] rex Franciæ. Lotharius rex Franciæ. Item [1223] Lotharius rex Franciæ.	Karolus [1222] Karolus.	Arnolfus [1226] rex Bajoariæ et Franciæ. Znuentebaldus [1227] dux Lothariorum.	Ludewicus [1228] rex Ostrofranciæ.	Chuonradus [1229] quem Adelbertus interfecit. Chuonradus [1229] rex ultimus Karolorum [1230].

Reges Salici.

Rex oritur Salicus, Cuonradus nomine dictus.
Si non in pejus perdurat adhuc genus ejus.

VARIÆ LECTIONES.

[1210] E1. *præmittit :* Arnulfus vir illustris, pater sancti Arnulfi episcopi. [1211] *ita* 1. *supple* episcopus; — deinde episcopus, novissime solitarius E1. [1212] *deest* E1. [1213] Cujus — virginis *post addit* 1. *desunt* E1. [1214] K. magnus E1. [1215] imp. Francorum E1. [1216] Lothowicus imperator E1. [1217] intrusus monasterio E1. [1218] Lothewicus E1. [1219] Wendilmota, Theotonica E1. [1220] Lotewicus E1. [1221] Irmintrud E1. [1222] *deest* E1. [1223] *ita* 1. *ut etiam in stemmate supra col.* 493-496. *edito primum scriptum erat ; quod tamen postea ita emendatum est, ut Karolus filius Ludewici indicetur.* [1225] Lothvwicus E1. [1225] osterfrancie E1. [1226] Arnolfus 1. [1227] Zvendibalt E1. [1228] Lodvvicus E1. [1229] Conradus E1. [1230] Karlo : : : : : : (mannorum?) E1

(231*) Tabula genealogica deest *D.*, spacio vacuo relicto. In E1. infra occurrit, ibique et in 4. 5. 10. in ipsa tabula leguntur versus :

Hæc stirps(a) Francigenam regni dum strinxit habenam,
Roma sceptrigenos Karolos dedit (b) ac Ludewicos.

(a) Stirps mea 4. (b) creat ac Lothowicos E1. 6 — 9. Tabula omissa hæc tantum verba præbent :
Hæc stirps Francigenam regni.

DE ORIGINE SAXONUM.

(Widuk. 1, 2.) Super origine gentis Saxonum varia opinio est, aliis estimantibus de Danis Nortmannisque eos originem duxisse, aliis vero, quibus et Greci consentire dicuntur, eos reliquias fuisse Macedonici exercitus, qui secutus Magnum Alexandrum, immatura ipsius morte per totum orbem sit dispersus. Invenimus autem in scriptis cujusdam (*Transl. S. Alex.*), quod, antiquitate tradente, ab Anglis Britanniæ incolis sint egressi, et per Oceanum navigantes, Germaniæ littoribus studio et necessitate querendarum sedium sint appulsi, in loco qui vocatur Hathuloga, eo tempore quo Theodericus rex Francorum contra Irminfridum ducem Thuringorum dimicans, terram eorum crudeliter ferro vastavit et igni. (Wid. 1, 3 sqq.) Cumque primum terræ applicuissent, incolæ ipsius terræ, qui Thuringi fuisse traduntur, adventum eorum graviter ferentes, arma contra eos moverunt; Saxones vero acriter resistentes, portum obtinuerunt. Diu deinde inter se dimicantibus, et multis hinc inde cadentibus, tandem utrisque placuit de pace tractare; initumque est fœdus eo pacto, quo haberent Saxones vendendi emendique copiam, ceterum ab agris, a cede hominum atque rapinis abstinerent; stetitque illud fœdus inviolabiliter multis diebus. Cumque Saxonibus jam defecisset pecunia, quid emerent aut venderent non habentes, inutilem sibi pacem esse arbitrati sunt. Ea igitur tempestate contigit adolescentem quendam egredi de navibus, oneratum multo auro, torque aurea, simulque armillis aureis. Cui obvius quidam Thuringorum : *Quid sibi vult*, inquit, *tam ingens aurum circa tuum famelicum collum? Emptorem*, inquit, *quæro; ad nihil aliud istud aurum gero. Qui enim fame periclitor, quo auro delecter?* At illo qualitatem quantitatemque precii rogante : *Nullum*, inquit Saxo, *mihi est discrimen in precio; quicquid dabis gratum habeo.* Ille vero subridens : *Quid si*, inquit, *de pulvere isto sinum tibi impleo?* Erat autem presenti loco egesta humus plurima. Saxo nihil cunctatus aperit sinum et accipit humum, illico Thuringo tradens aurum; letusque ad suos uterque redit. Thuringi Thuringum laudibus ad cœlum tollunt, qui nobili fraude Saxonem deceperit; fortunatumque eum inter omnes mortales fuisse qui vili precio tam ingens aurum possederit. Ceterum certi de victoria, de Saxonibus jam quasi triumphabant. Interea Saxo privatus auro, oneratus vero multa humo, appropiat navibus. Sociis igitur ei occurrentibus et quid ageret ammirantibus, alii amicorum eum irridere cœperunt, alii arguere, omnes pariter eum amentem crediderunt. At ille, postulato silentio: *Sequimini me*, inquit, *optimi Saxones, et meam vobis amentiam probabitis utilem.* At illi, licet dubii, secuntur tamen. Ille autem, sumpta humo, per vicinos agros quam subtilius potuit eam dispersit, et castrorum loca occupavit. Ut autem viderunt Thuringi castra Saxonum, intolerabilis visa est eis res : et, missis legatis, conquesti sunt de fœdere rupto ac violato pacto ex parte Saxonum. Saxones responderunt se hactenus fœdus inviolabiliter servasse, terram vero proprio auro comparatam cum pace velle obtinere aut certe armis defendere. His auditis, incolæ ceperunt aurum Saxonicum jam maledicere, et quem paulo ante felicem predicabant, auctorem perditionis suæ atque regionis fatebantur. Ira deinde accensi, cæco marte sine ordine et sine consilio irruunt in castra. Saxones vero parati hostes excipiunt sternuntque, et rebus prospere gestis, proxima circumcirca loca jure belli obtinent. Diu itaque cum ab alterutris pugnatum foret, et Thuringi Saxones sibi superiores fore viderent, per internuncios pacificari cum eis querunt, eosque in terra quam acceperunt cedere concedunt.

(*G. Franc. c.* 19. — Wid. 1, 9 sqq.) Eo tempore mortuo Clodoveo rege Francorum, quatuor filii ejus regnum ipsius equaliter diviserunt. Ex quibus Theodericus cum Austrasiam accepisset, cujus regni sedes apud Mettensem fuit civitatem, mittere curavit legationem ad Irminfridum regem Thuringorum pro pace et concordia, mandans ei non se cupere sibi esse dominum sed amicum, non imperatorem sed propinquum, propinquitatisque jura inviolabiliter se velle servare—sororem quippe Theoderici Irminfridus acceperat;—tantum ut a populi Francorum concordia, qui eum regem constituerant, non discordaret, rogabat. Ad hæc Irminfridus cum benigne responderet Francorum statuta sibi placere, pace omnimodis se indigere, super negotio regni responsionem suam in amicorum presentiam se velle differre, audiens regina legatum fratris supervenisse et super negotio regni cum rege locutum fuisse, egit cum Iringo milite regis, qui erat vir audax, fortis manu, acer ingenio, acutus consilio, pertinax in rebus agendis, facilis ad suadenda quæ vellet, unde et animum regis sibi connexerat, ut pariter regi suaderent regnum sibi jure hereditario cessisse, utpote quæ filia regis esset et reginæ, Theodericum vero suum servum esse, tamquam ex concubina natum, et ideo indecens fore proprio servo manus unquam dare. Convocatis ergo principibus et necessariis amicis, Irminfridus verba legati in presentia eorum contulit. At illi unanimiter suadebant, quæ pacis et concordiæ sunt eum sentire, quia impetus Francorum ferre non posset, maxime qui acrioribus hostium armis ex alia parte premeretur. Iring vero, lascivæ mulieris satisfaciens votis, suasit

Irminfrido Francis cedere non debere, super negotio regni justiorem se causam habere, latum preterea imperium, militum manus et arma ceterasque belli copias sibi ac Theoderico parum æque procedere. Iis igitur Irminfridus persuasus, secundum hæc verba legato respondit, amiciciam quidem sui et propinquitatem Theoderico non negare, mirari se tamen satis non posse quomodo usurpare veliet prius imperium quam libertatem; servum illum natum, et quomodo sui quereret dominium; se non posse proprio servo manus dare. Legatus his satis commotus: *Mallem*, inquit, *hoc caput meum tibi tradere, quam hujusmodi verba a te audire, sciens ea multo sanguine Francorum atque Thuringorum diluenda.* Et hæc dicens reversus est ad Theodericum, et quæ audivit non celat. Theodericus autem nimiam iram vultu celans sereno: *Oportet nos*, inquit, *ad servicium Irminfridi festinare, quatinus qui libertate privamur, inani saltem vita fruamur.* Et cum gravi exercitu appropians terminis Thuringorum, invenit eum valida quoque manu se exspectantem in loco qui dicitur Runiberg, et commisso certamine, pugnatum est ancipiti bello per biduum; tercia vero die victus Irminfridus cessit Theoderico, fugiensque tandem se recepit in urbem quæ dicitur Schidinga, sita super fluvium Onestrod [1231-33]. Theodericus autem, congregatis principibus exercitus sui, rogat sententiam, utrumnam censerent Irminfridum persequendum an patriam remeandum? Erat autem Theoderico servus ingeniosus satis, cujus consilium expertus est sepius probum, eique propterea quadam familiaritate fuit conjunctus. Cumque quidam censerent mortuos sepeliendos, saucios curandos, et ad majorem exercitum congregandum esse repatriandum, rogatus ille servus sententiam dixit: *In rebus honestis pulcherrimam semper esse arbitror perseverantiam, quam ita coluerunt majores nostri, ut a ceptis negotiis raro vel nunquam deficerent. Nec tamen labores nostros eorum æquandos putaverim, qui parvis copiis ingentes gentium copias superaverunt. Nunc terra in nostra est potestate; et discessione nostra victis occasionem vincendi prestabimus? Amplecterer et ipse patriam redire, familiarem necessitudinem providere, si hostem nostrum eo spacio scirem vacare. Sed vulnerati nostri forsitan hac re indigent; castrorum ergo labor impigris animis reor pro maxima voluptate est. Cesa multitudine exercitus est vehementer attenuatus; hostesne omnes evaserunt? Certe rarissimi. Ipse namque dux ut quædam bestiola suo munitur latibulo, urbis circumdatur claustro, nec ipsum cœtum audet secure inspicere, nostro timore cogente. Sed non desunt ei pecuniæ, quibus conducantur nationes barbaræ, non deest militum manus licet lassa; quæ tamen omnia nostra recintegrantur absentia. Indecorum est victoribus, victis vincendi locum dare. Num singulis urbibus amministranda sufficimus presidia? Et eas omnes perdimus; dum imus et redimus.* Hæc eo prosequente, placuit Theoderico omnibusque victoriæ avidis manere in castris, et mittere ad Saxones, Thuringis jam olim inimicos, ut ei essent auxilio, ea conditione, ut si vincerent Irminfridum urbemque caperent, terram eis in hereditatem perpetuam traderet. Saxones nichil cunctati, novem duces cum singulis milibus militum destinabant. Et ingressi duces in castra, singuli cum centenis militibus, reliqua multitudine extra castra relicta, Theodericum verbis pacificis salutabant, et ab eo hylariter suscepti, dextras dabant et accipiebant, seque illi devotos et ad omnia promptos a Saxonica gente missos dicebant, eisque cordi esse, aut vincere velle aut vivere nolle. Illis hæc loquentibus, mirati sunt Franci prestantes corpore et animo viros, mirati sunt et habitum novum, arma quoque et diffusam scapulis cesariem, et super omnia ingentem animi constantiam. Vestiti autem erant sagis et armati longis lanceis, stabantque subnixi parvis scutis, habentes ad renes cultellos magnos. Quidam vero ex Francis dicebant, tantis ac talibus amicis Francos non indigere, genus indomitum fore, et si presentem terram inhabitarent, eos procul dubio esse, qui Francorum quandoque [1234] destruerent. Theodericus vero propriis utilitatibus consulens, in fide suscepit viros, demandans, ut ad obpugnandam urbem prepararentur. At illi a rege regressi, castra metati sunt ad meridianam plagam urbis in pratis fluvio contiguis, et postera die prima luce surgentes, sumptis armis oppidum obpugnant et incendunt, statimque aciem ordinant ex adverso portæ orientalis. Hi vero qui intus erant, clausi muris, dum vident acies ordinatas ac se in ultimis constitutos, audacter portis erumpunt, cæcoque marte in adversarios irruunt, et telis emissis, res perinde agitur gladiis. Cumque grave bellum oriretur, plures hinc inde sternuntur, istis pro patria, pro uxoribus ac natis, postremo pro vita pugnantibus, Saxonibus vero pro gloria et pro terra acquirenda certantibus. Cumque ubique fierent cedes et ululatus et neutrum agmen loco cederet, jam tardior hora prelium diremit. Eo die ex Thuringis multi interfecti, multi sauciati sunt, de Saxonibus vero numerata sunt sex milia cesa. Mittitur igitur Iring ab Irminfrido cum supplici legatione et omnibus thesauris suis ad Theodericum pro pace ac spontanea deditione. Et accedens Iring: *Hæc*, ait, *tibi mittit tuus quondam propinquus, modo servus, rogans, ut si non sui miserearis, miseræ saltem sororis tuæ mise-*

VARIÆ LECTIONES.

[1231-33] unstrut S. [1234] ommno S.

rearis nepotumque tuorum in ultima necessitate constitutorum. Dum hæc lacrimans dixisset, interpellatio principum auro corruptorum adjecit, decere clementiam regalem non spernere legationem talem nec communem naturam oblivisci, meliusque esse eum in fide suscipere, quem jam superatum ita contereret, ut nunquam se contra eum levare posset, quam illud genus hominum indomabile et ad omnem laborem perdurabile, a quo nichil aliud exspectaret Francorum imperium nisi solum periculum; ideoque melius esse ut, susceptis Thuringis, pariter eos ejicerent de finibus suis. His dictis licet invitus flectitur Theodericus, promisitque, postera die, Irminfridum se suscepturum Saxonesque abjecturum. Quibus Iring auditis, ad pedes prosternitur regis, laudansque sententiam regis, ipse nocte illa mansit in castris, et misso ad dominum optato nuncio, ipsum urbemque securitatis replevit gaudio. Interea urbe ex pace promissa securiore reddita, egressus est quidam cum accipitre, victum quæritans supra litus fluvii supradicti; sed emissum volucrem quidam de Saxonibus in ripa suscepit ulteriori. Emissore vero rogante ut remitteretur, Saxo negavit. Ille autem ait: *Remitte, et prodam secretum tibi sociisque tuis utile.* Saxo econtra: *Dic*, inquit, *ut accipias quod queris. Reges*, inquit, *pace inter se facta, decreverunt, ut si cras in castris inveniamini, aut capiamini aut certe occidamini.* Ad hæc ille: *Serio hæc ais, an ludo? Secunda*, inquit, *hora futuri diei probabit, quod sine ludo vos agere oporteat. Quapropter vobis ipsis consulite et fuga salutem querite.* Saxo statim volucrem emisit, sociisque retulit quæ audivit. Qui satis commoti, in promptu non inveniebant quid super his agere debuissent. Erat autem tunc in castris quidam de veteranis militibus jam senior, sed viridi adhuc senectute vigens, qui merito bonarum virtutum pater patrum dicebatur, nomine Hatugato. Hic arripiens vexillum, quod apud eos habebatur sacrum, leonis atque draconis et desuper aquilæ volantis insignitum effigie, quo ostentaret fortitudinis atque prudentiæ et earum rerum efficaciam, et motu corporis animi constantiam declarans, ait: *Hucusque inter optimos Saxones vixi, et ad hanc fere ultimam senectutem ætas me perduxit, et nunquam Saxones meos fugere vidi, et quomodo nunc cogor agere quod nunquam didici? Certare dici, fugere ignoro nec valeo. Si fata non sinunt ultra vivere, liceat saltem, quod michi dulcissimum est, cum amicis occumbere. Exemplo michi sunt paternæ virtutes, amicorum corpora circa nos prostrata, qui maluerunt mori quam vinci, impigras animas amittere quam coram inimicis loco cedere. Sed quid necesse habeo exhortationem protrahere tantum de contemptu mortis? Ecce ad securos ibimus, ad cedem tantum, non ad pugnam. Nam de promissa pace ac nostro gravi vulnere securi, nichil suspicantur adversi; hodierno quoque prælio fatigati, quemadmodum sunt sine metu, ita sine vigiliis et solita custodia manent. Irruamus igitur super improvisos et somno sepultos; parum laboris est; sequimini me ducem, et hoc canum caput meum vobis trado, si non evenerit quod dico.* Illius igitur optimis verbis erecti, quod supererat diei in reficiendis corporibus suis expendebant, deinde prima vigilia noctis, qua solet sopor gravior occupare mortales, dato signo, sumunt arma, et, precedente duce, irruunt super muros, invenientesque eos sine vigiliis ac custodibus, ingressi sunt urbem cum clamore magno. Quo excitati adversarii, alii fuga salutem quesierunt, alii per plateas et muros urbis ut ebrii erraverunt, alii in Saxones, cives suos putantes, inciderunt. Illi vero omnes perfectæ ætatis morti tradiderunt, impuberes prædæ servaverunt. Irminfridus autem requisitus, cum uxore ac filiis paucoque comitatu evasisse compertus est. Quod audiens Theodericus, egit, ut dolo revocaretur et Iring cum interficeret, quatinus Theodericus quasi alienus ab ejus cede consisteret. Iloc cum Iring egre suscepisset, victus fallacibus promissis, quasi magnis muneribus foret donandus ac potestate magna in regno sublimandus, tandem consensit, seque voluntati ejus parere promisit. Revocatus igitur Irminfridus, prosternitur vestigiis Theoderici Iring vero stans juxta; quasi armiger regis, evaginato gladio prostratum dominum trucidavit. Statimque rex ait ad eum: *Quia dominum tuum interfecisti, pro tali facinore omnibus mortalibus merito odiosus, viam habeto apertam discedendi a nobis; sortem vel partem tuæ nequitiæ nolumus habere. Merito*, inquit Iring, *odiosus cunctis appareo, qui tuis parui dolis; antequam tamen exeam, purgabo hoc scelus meum, vindicando dominum meum;* et ut evaginato gladio stetit, ipsum quoque Theodericum obtruncavit, sumensque corpus domini, posuit super cadaver Theoderici, ut vinceret saltem mortuus, qui vincebatur vivus, viamque ferro faciens, discessit. Si qua fides his dictis adhibeatur, penes lectorem est, mirari tamen non possumus satis famam in tantum prevaluisse, ut lacteus cæli circulus Iringis nomine Iringesstraza usque in presens sit notatus. In Francorum vero gestis legitur (c. 22), quod Theodericus, data fide Irminfrido, ad Tulbiacam civitatem cum ad se venire fecerit, et cum supra muros civitatis colloquerentur, compulsus ille de muro in terram corruerit sicque mortuus sit, suosque filios Theodericus interficere jusserit. (Wid. *l. l.*) Saxones autem bello peracto reversi ad Theodericum in castra, bene ab eo sunt susceptі satisque laudati et presenti terra in æternam possessionem donati, socii quoque et amici Francorum appellati sunt, moxque urbem, cui ab igne, ut propriis mœnibus, pepercerunt, primum incoluerunt. (*Transl. S. AI.*) Terram vero acceptam sorte dividentes, cum multi ex eis in bello cecidissent et pro raritate sui totam occupare non possent, partem illius, et eam quam maxime quæ respicit ad orientem, colonis tradebant sub tributo exercendam, cetera vero loca ipsi possederunt; a meridie quidem Francos habentes et partem Thuringorum, quos precedens hostilis turbo non tetigit, et alveo flumi-

nis Unstrodæ dirimuntur, a septentrione vero Nortmannos, gentes ferocissimas, ab ortu autem solis Obodritos, et ab occasu Friesos, a quibus sine intermissione vel fœdere vel concertatione finium suorum spacia necessario tuebantur. Erant enim inquieti nimis et finitimorum sedibus infesti, domi vero pacati et civium utilitatibus placida benignitate consulentes, generis quoque ac nobilitatis suæ providissimam curam habentes, nec facile ullis aliarum gentium vel sibi inferiorum conubiis infecti, propriam et sinceram et tantum sui similem gentem facere conati sunt. Unde habitus quoque ac magnitudo corporum comarumque color, tanquam in tanto numero hominum, idem pene omnibus. Quatuor igitur differentias gens illa in genere habuit, nobilium scilicet ac liberorum, libertorum atque servorum, et id legibus firmatum est, ut nulla pars in copulandis conjugiis propriæ sortis terminos transferat, sed nobilis nobilem ducat uxorem et liber liberam, libertus conjungatur libertæ et servus ancillæ. Si vero quispiam horum sibi non congruentem et genere prestantiorem duxerit uxorem, cum vitæ suæ damno componat. Legibus etiam ad vindictam malefactorum optimis utebantur, et multa utilia atque secundum legem naturæ honesta in morum probitate studuerunt habere, quæ eis ad veram beatitudinem promerendam proficere potuissent, si noticiam sui creatoris haberent. Coluerunt enim eos qui natura non erant dii, maximeque Mercurium, cui certis diebus humanis quoque hostiis litabant. Deos suos neque templis includere neque ulli humanæ speciei assimilare pro magnitudine et dignitate divinitatis licitum arbitrati sunt, lucos ac nemora consecrantes deorumque nominibus appellantes, secretum illud sola reverentia contemplabantur. Auspicia et sortes quam maxime observabant, quarum sortium consuetudo simplex erat. Virgam frugiferæ arbori decisam in surculos amputabant, eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito spargebant. Mox si publica consultatio fuit, sacerdos populi, si privata, ipse paterfamilias, precatus Deos cælumque susspiciens, ter singulos tulit, sublatisque secundum impressam antea notam interpretatus est; et si prohibuerunt, nulla de eadem re ipsa die consultatio erat; si permissam est, eventuum adhuc fides exigebatur. Avium voces volatusque interrogare, proprium gentis illius erat; equorum quoque presagia ac motus experiri hinnitusque ac fremitus observare, nec ulli auspicio major fides adhibebatur, non solum apud plebem, sed etiam apud proceres. Erat et alia observatio auspiciorum, quo solebant eventus gravium explorare bellorum; ejus scilicet gentis, cum qua bellandum fuit, captivum quoquo modo interceptum cum electo popularium suorum patriis quemque armis committere, et victoriam hujus vel illius in previdentia habere. Quomodo autem certis diebus, cum aut luna inchoatur aut impletur, agendis rebus auspicatissimum inicium crediderint, et alia innumerabilia vanarum superstitionum genera, quibus impliciti tenebantur, observaverint, pretereo; hæc vero ideo commemoravi, quo prudens lector agnoscat a quantis errorum tenebris per Dei gratiam sint liberati; qui erant, sicut omnes nationes Germaniam incolentes, et natura feroces et cultui dæmonum dediti veræque religioni contrarii, neque divina neque humana jura transgredi illicitum vel inhonestum putantes. Unde factum est quod cum finitimis suis, et maxime cum Francis, lites atque discordias habebant, quia suberant causæ quæ cottidie pacem perturbare poterant, termini videlicet amborum pene ubique in planicie contigui, preter pauca loca, in quibus vel saltus magni vel montium juga interposita utrorumque agros certo limite disterminant, in quibus cedes et rapinæ atque incendia vicissim fieri non cessabant. Quibus adeo Franci sunt irritati, ut non jam vicissitudinem reddere, sed apertum contra eos deliberarent bellum suscipere. Susceptum est igitur contra eos bellum, quod magna utrorumque animositate, majore tamen Saxonum damno, per continuos 30 annos gerebatur. Poterat siquidem citius finiri, si Saxonum perfidia hoc pateretur. Difficile quippe dictu est, quotiens superati ac supplices regi sese dederunt, imperata facturos polliciti sunt, obsides qui imperabantur absque dilatione dederunt, legatos qui mittebantur susceperunt, aliquotiens ita domiti et emolliti, ut etiam cultum dæmonum dimittere et Christianæ religioni se subdere velle promitterent; sed sicut ad hæc facienda aliquotiens proni, sic ad eadem pervertenda semper fuere precipites; nec facile est estimare, ad utrum horum faciliores dici verius possint. Frondosis arboribus fontibusque venerationem exhibebant, truncum quoque ligni non parvæ magnitudinis in altum erectum sub divo colebant, patria eum lingua Irminsul appellantes, quod Latine dicitur universalis columna, quasi sustinens omnia.

(Einh. *Vita Kar.* c. 1.) Igitur defuncto Pippino, qui, Hilderico rege, in quo Merivingorum finitum est imperium, deposito et in monasterium misso, primus ex prefecto aulæ per auctoritatem Zachariæ Romani pontificis monarchiam regni Francorum solus obtinuit, Karolus filius ejus successit, qui contra Saxones bellum, quod quasi intermissum patris ejus morte videbatur, repetivit (cf. supr., a. 758). (Ex Einh. *Ann.* et *Transl. S. Al.*) Pater enim ejus prius eos superatos trecentorum equorum per singulos annos tributo multavit. Post renovatum cum eis a Karolo bellum vix ullus exactus est annus quo non ab eis facta sit pacti permutatio; sed magnanimitas regis ac perpetua tam in adversis quam in prosperis constantia mentis nulla eorum mutabilitate vel vinci poterat vel ab his defatigari quæ agere cœperat. Nam nunquam eos hujuscemodi aliquid perpetrantes impune ferre passus est, quin aut ipse per se ducto aut per comites suos misso exercitu perfidiam eorum ulcisceretur et condignam ab eis pœnam exigeret, usque dum, omnibus qui resistere

solebant profligatis et in suam potestatem redactis, decem milia hominum ex his qui utrasque ripas Albiæ fluminis incolebant, cum uxoribus et parvulis transtulit et huc atque illuc per Galliam et Germaniam multimoda divisione distribuit; tractumque per tot annos bellum ea conditione constat esse finitum, ut, abjecto dæmonum cultu, Christianæ religionis sacramenta susciperent. Quod et factum est. Witikint quoque, qui inter eos et claritate generis et opum amplitudine eminebat, et qui perfidiæ eorum auctor et incentor indefessus erat, ad fidem Karoli sponte veniens, apud Tiniacum baptizatus et a rege de fonte susceptus est; sicque Saxonia tota superata et subjecta est. Hujus Witikindi filius Wigbertus, Christianæ religionis cultor devotus, filium procreavit, quem Waltbertum vocavit; qui et ipse ab infantia religiosus, cum factus esset vir, Romam causa orationis et reliquiarum acquirendarum tetendit [1235], corpusque sancti Alexandri, filii sanctæ Felicitatis, integrum accipiens a papa tunc temporis Leone, in Saxoniam detulit et in loco qui dicitur Wigaltingohuson locavit.

Ex ejusdem Saxonicæ gentis stirpe vir nobilis et permagnificus est egressus, nomine Luitolfus, qui et ipse religionis gratia Romam profectus, beati papæ Innocentii reliquias inde adduxit. (Wid. 1, 16 sqq.) Hic habuit filios duos, Prunonem et Ottonem; quorum major Brun, cum totius Saxoniæ ducatum amministrasset, exercitum contra Danos duxit, ibique occisus, ducatum fratri Ottoni reliquit. His erat soror nomine Luitgart, quam Ludewicus rex, filius Arnolfi imperatoris, uxorem duxit, sed non diu postea vixit. Quod sine filiis mortuo, omnis Francorum Saxonumque populus voluit Ottoni duci diadema imponere regni. Quod cum ille quasi jam senio gravior recusaret, ejus consultu Chuonradus Francorum dux ungitur in regem, summa tamen semper et ubique fuit penes Ottonem. Natus est autem eidem Ottoni filius nomine Heinricus, qui primus libera potestate regnavit in Saxonia. Qui cum in primeva ætate omni virtutum genere vitam suam exornaret, pater ejus videns prudentiam adolescentis, reliquit ei exercitum adversus Dalmantiam, contra quam ipse diu militavit. Dalmantii vero impetum illius ferre non valentes, conduxerunt adversus eum Avares, quos modo vocamus Ungarios, qui, ut quidam putant, reliquiæ sunt Hunorum, qui, ut in Gothorum legitur hystoria, egressi a Gothis, multa mala inferebant gentibus finitimis, quos postremo Pannoniam inhabitantes Karolus Magnus devicit, et, ut dicitur, a consueta gentium depopulatione ingenti vallo circumclusos prohibuit; quod opus Arnolfus imperator destruxit, eosque contra Zuenteboldum Maravarorum regem in auxilium sibi eduxit. Qui deinde quantam stragem quantamque injuriam Francorum regno fecerint, urbes ac regiones adhuc desolatæ testantur. Hi etiam a Dalmantiis evocati magnam cladem in Saxonia fecerunt, multamque predam abduxerunt.

Igitur pater [1236] patriæ magnusque dux Otto defunctus, illustri et magnifico filio suo Heinrico totius Saxoniæ ducatum reliquit. Rex autem Chuonradus, cum sepe expertus fuisset virtutem novi ducis, veritus est ei committere omnem potestatem patris. Quo factum est ut offensionem incurreret totius exercitus Saxonici. Quorum vultum erga se austeriorem rex cernens, nec ducem eorum publico bello se posse conterere pre innumera exercitus multitudine perpendens, egit ut quoquo modo interficeretur dolo; ad hoc habens, ut fertur, maxime idoneum Mogontinæ sedis episcopum, nomine Hattonem, cujus consilio et Adelbertus Babenbergensis deceptus est. Hic predictum ducem agressus dolo, fecit ei fabricari torquem auream, et invitavit eum ad convivium, quo magnis ab eo muneribus honoraretur. Interea pontifex considerandi operis gratia ingressus ad aurificem, visaque torque, fertur ingemuisse. Gemitus causam cum aurifex requisisset, respondit quia optimi sibique carissimi viri, scilice et Heinrici ducis, sanguine torques illa deberet intingui. Aurifex audita silentio texit, et opere perfecto ac reddito, missionem petiit et accepit; obviansque duci eunti ad ea negotia, indicavit ei quæ audivit. Ipse autem vehementer iratus vocat legatum pontificis, qui jam pridem aderat invitandi cum gratia, et ait: *Vade, dic Hattoni, quia durius collum non gerit Heinricus quam Adelbertus, et quia melius rati sumus domi sedere et de ejus servicio tractare, quam comitatus nostri multitudine eum gravare.* Et statim reversus omnia quæ juris ipsius erant in omni Saxonia vel Thuringia occupavit; Burchardum quoque et Bardonem, quorum alter gener regis erat, in tantum afflixit, ut terra cederent eorumque possessiones ipse militibus suis totas divideret. Hatto autem episcopus videns suis calliditatibus finem impositum, nimia tristicia ac morbo pariter non post multos dies confectus, interiit. Fuerunt etiam qui dicerent, quia fulmine tactus ejusque ictu dissolutus, post tercium diem defecisset. Rex autem misit fratrem suum Eberhardum cum exercitu ad devastandam Saxoniam. Qui appropians urbi quæ dicitur Heresburg, superbe, ut tradunt, locutus est, quod nulla sibi cura major esset, quam quod Saxones pro muris se ostendere non auderent, quo cum eis dimicare potuisset. Adhuc sermo in ore illius erat, et ecce Saxones ei occurrerunt miliario uno ab urbe; initoque certamine, tanta cede Franci multati sunt ut a mimis declamaretur, ubi tantus ille infernus esset, qui tantam cæsorum multitudinem capere posset. Frater autem regis a timore absentiæ Saxonum liberatus est, quia eos et presentes vidit et ab ipsis turpiter fugatus discessit. Audiens autem rex male

VARIÆ LECTIONES.

[1235] Rum tetendit *loco raso.* [1236] patre — magnoque duce Ottone defuncto, illuster et magnificus filius suus Heinricus — ducatum (suscepit?) *corr. ut editum est* 1.

pugnatum a fratre, congregata omni virtute Francorum, perrexit ad requirendum Heinricum. Quo comperto in presidio urbis quæ dicitur Gruona, temptavit illud obpugnare presidium. Et missa prius legatione pro spontanea deditione, spondet se per hoc sibi amicum affuturum, non hostem experturum. Huic legationi intervenit Dietmarus ob orientalium Saxonum parte, vir disciplinæ militaris peritissimus, varius consilioque magnus, et qui calliditate ingenita multos mortales superaret. Hic superveniens legatis regis presentibus, interrogat ducem, ubi vellet exercitum metari. At ille jam persuasus cedere Francis, accepit fiduciam, audiens de exercitu, credens ita esse; Dietmarus vero ficte loquebatur; cum quinque enim tantummodo viris venerat. De numero autem legionum sciscitante duce, ad 30 fere legiones se producere posse respondit. Ita delusi legati regressi sunt ad regem. Vicit vero illos calliditate sua Dietmarus, quos ipse dux ferro vincere non potuit Heinricus. Nam antelucanum relictis castris Franci, unusquisque rediit in sua.

(Liudpr. II, 20.) Septimo autem anno regni sui Chuonradus rex egrotare cœpit, sentiensque vocationis suæ tempus adesse, principes regni, excepto Heinrico, convocavit, et eos ita convenit: *Vocationis meæ tempus agnosco, et, ut cernitis, presto est; proinde pacem concordiamque vos sectari etiam etiamque rogo. Me hominem exeunte, nulla vos regnandi ambitio inflammet; Heinricum, Saxonum Thuringorumque ducem prudentissimum, regem eligite dominumque constituite, is enim est et sapientia pollens et justæ severitatis censura abundans.* (Wid. I, 25.) Quibus in hæc verba consentientibus, vocat fratrem suum Eberhardum, sicque alloquitur illum: *Sentio, frater, me diutius istam vitam tenere non posse; idcirco considerationem tui habeto, et quod ad te maxime respicit, omni Francorum regno consulito, meo, fratris tui, intendendo consilio. Sunt nobis copiæ exercitus congregandi atque ducendi, sunt urbes et arma cum regalibus insigniis et omne quod decus regium deposcit preter fortunam et mores. Fortuna, frater, cum nobilissimis moribus Heinrico cedit: rerum publicarum summa secus Saxones est. Sumptis igitur his insigniis, lancea scilicet et armillis aureis cum clamide et veterum gladio regum ac diademate, ito ad Heinricum, pacemque facito cum eo, ut cum fœderatum possis habere in perpetuum. Quid enim necesse est, ut cadat populus Francorum tecum coram eo? Ipse enim vere rex erit et imperator populorum multorum.* His dictis, frater lacrimans se consentire respondit. Post hæc rex moritur, vir fortis et potens, domi militiaque optimus, largitate serenus et omnium virtutum insigniis clarus; sepeliturque in civitate sua Wilinaburg, cum merore ac lacrimis omnium Francorum. (Widuk. I, c. 25, 26.)

Ut ergo rex imperavit, Eberhardus Heinricum adiit, seque cum omnibus thesauris illi tradens, pacem cum eo fecit, amiciciamque ejus promeruit, quam fideliter familiariterque usque in finem obtinuit. Deinde congregatis principibus et natu majoribus, exercitus Francorum in loco qui dicitur Friteslare, designavit eum regem coram omni populo Francorum atque Saxonum.

Anni II Iurici.

1. Anno [1237] Dominicæ incarnationis 920, ab Urbe condita millesimo 671, Heinricus, genere Saxo, filius Ottonis ducis, 80° [1238] loco ab Augusto, in regnum eligitur, regnavitque annis 17. (cf. *Chr. W.*) Hic cum non haberet gratiam Chuonradi regis sui decessoris, propter morum probitatem animique virtutem idem rex in extremis suis, ut predictum est, pretermisso fratre proprio, hunc elegit, et ut ab omnibus id ageretur principibus, consilium dedit. (Wid. I, 26, 27.) Cui cum unctio et diadema offerretur a summo pontifice, qui eo tempore Herigerus erat, non sprevit, nec tamen suscepit: *Satis*, inquiens, *michi est, ut pre majoribus meis rex dicar et designer, divina annuente vestraque pietate; penes meliores vero nobis unctio ac diadema sit; tanto honore nos arbitramur indignos.* Placuit iste sermo coram universa multitudine, et dextris in cœlum levatis, nomen novi regis clamore valido salutantes frequentabant. (Liudpr. II, 50. — Richer. I, 47.) Hoc ordine rex factus Heinricus perrexit cum omni comitatu suo ad pugnandum contra Burchardum ducem Alamanniæ, cujus filiam habuit uxorem Ruodolfus Burgundio, qui (232) post interfectionem Ruotperti [1239] regis Galliarum, patris Hugonis ducis, fratris vero Ottonis [1240] regis, ab inimicis Karoli regis rex elevatus est, sicut et Ruotpertus decessor ejus. (Wid. *l. l.*) Burchardus vero dux, licet esset bellator intolerabilis, sentiens tamen, cum valde prudens esset, congressionem regis se sustinere non posse, tradidit ei semetipsum cum universis urbibus et populo suo.

(Liudpr. II, 21.) Eodem tempore [Ann. D. 921. E.] Arnolfus dux cum uxore et filiis ab Ungaria rediens, honorifice a Bajoariis suscipitur, nec solum suscipitur, sed etiam ut rex fiat vehementer ab eis exoratur. Rex autem Heinricus cum inter omnes regni principes sibi obtemperantes Arnolfum solum resistere cerneret, collecto exercitu prevalido, Bajoariam tetendit, eumque juxta quosdam (Wid. *l. l.*) in presidio urbis Ratisponæ obsedit; quod ille videns, seque regi resistere non sufficere perpendens, portis apertis egressus est ad regem, tradens semetipsum cum omni regno suo, et honorifice susceptus ab eo, amicus regis appellatus est. Quidam [*Sequentia desunt* E.] vero scribunt (Liudpr. *l. l*), quod non

VARIÆ LECTIONES

[1237] *Pergit* E. [1238] *ita etiam* D. LXXII. E.LXXV. *A. S.* [1239] ruperti 1b. [1240] ottonis 1b.

NOTÆ.

(232) Ekkehardus errore singulari reges coævos Rudolfos Burgundiæ et Galliæ inter se confundit.

passus sit Arnolfus prestolari adventum regis in Bajoaria, sed, collectis quibus potuit copiis, obviam ei processerit ad pugnam. Cumque in eo esset ut bellum inire deberent, rex Heinricus, ut vir sapiens et Deum timens, cogitans ex utraque parte damnum inreparabile posse accidere, Arnolfo, ut solus cum solo loquatur, denunciat. Qui putans se acciri ad singulare certamen, ad condictum solus pervenit. Quem Heinricus, ut erat prudens animo et potens eloquio, prudenti sermone alloquitur, increpans eum cur Dei ordinationi resisteret, cum se ab omni populo [1241] electum sciret, quod nisi Deo disponente non fieret; affirmans quia si populus æque illum communiter eligeret se fore, qui primus in ejus electione acclamaret; sicque copioso dicendi genere animum ejus demulcens, ad suos rediit. Arnolfus quoque rediens ad suos indicavit eis Heinrici sermones. Qui dixerunt verum esse quod audirent sapientiam per Salomonem dixisse, per ipsam scilicet reges regnare et prudentes justiciam discernere; neque enim in ejus electione totius populi animum fieri unum, nisi hunc a Deo constaret electum; unde sibi æquum bonumque videri, ut a ceteris non dissentiens, hunc regem eligeret, ea tamen conditione, si sibi hoc quod decessores ejus non habuere concederet, scilicet, ut totius Bojoariæ [1242] pontifices suæ potestati subjacerent, unoque defuncto, alterum ordinare sibi liceret. Conivens igitur huic suorum consilio, miles Heinrici efficitur, et ab eo, ut dictum est, concessis sibi totius Bajoariæ pontificibus, honoratur. Hic est Arnolfus ille, super cujus denotatione sancto Oudalrico episcopo, ut in libro gestorum ejus legitur, ostensus est gladius sine capulo, qui rex fieri frustra cupiens, invasor regni extitit, et pro hac ambitione destructis æcclesiis, earum reditus militibus suis in beneficium concessit. (Wid. 1, 27, 28, 29.) Rex autem Heinricus de die in diem proficiens et crescens, robustior et clarior habebatur. Cumque regnum ab antecessoribus suis ex omni parte confusum civilibus bellis et externis colligeret, pacificaret et adunaret, signa movit contra Galliam et Lotharii regnum. Lotharius autem erat filius primogenitus Ludewici imperatoris, a magno Karolo nati. Huic erant fratres Pippinus (233), Karolus et Ludewicus. Sub his fratribus bellum famosum factum est in Phontinich, antequam divisio regni fieret. Facta autem divisione, Pippino cessit Hispania, Karolo regnum Aquitaniæ et Wasconiæ; ab occidente habens terminum Barcelonam Hispaniæ urbem, ab aquilone Britannicum mare, ad meridiem juga Alpium, ad orientem Masam fluvium. Inter Masam vero fluvium et Rhenum Lothario regnum cessit cum Italia, quam vivente patre regendam accepit. A Rheno autem usque ad fines Yllirici et Pannoniæ, Odoram quoque fluvium et terminos Danorum Germania tota Ludewici regnum erat. Hæc divisio inter eos facta inviolabiliter permansit, quousque jure hereditario hæc regna omnia cederent Karolo, Ludewici filio, qui erat filius Karoli cognomento Calvi. Ad hunc itaque Karolum, cui diximus regna cessisse per hereditatem, quidam vir nomine Outo ex orientalibus Francis venit, et ab eo susceptus, cum esset vir fortis et prudens, egit consilio suo, ut cum Danis pugnaretur, qui jam multis annis Lotharii regnum vexabant. Cumque pugnaretur cum eis, una die ex eis centum milia cæsa referuntur (Wid. *l. l*). Ex hoc ille Outo clarus et insignis habebatur et a rege secundus, cum ad eum veniret uno tantum servulo comite contentus. Moriens autem Karolus rogavit Outonem beneficii sui memorem fore, ut misericordiam sibi a se prestitam filio suo, si nasceretur, non negaret; nam filius ei nondum erat, sed regina pregnans adhuc fuit secundum quosdam (Wid. *l. l*); alii (Richer. 1, 4) vero dicunt quod jam fere biennis fuerit filius. (Wid. *l. l.*) Mortuo autem Karolo, Outo filium ejus et regno pariter et nomine paterno declaravit; sed Arnolfus imperator, qui Karolum seniorem de Germania expulit, post mortem ejus omne regnum ipsius sibi vendicavit. Huic Outo et diadema et sceptrum et cetera regalia ornamenta obtulit, regnumque domini sui gratia imperatoris Arnolfi obtinuit. Et hoc juxta quorundam relationem (Wid. *l. l*); alii (Richer. 1, 4) vero dicunt, cum propter infantiam pueri principes nimia rerum cupidine sese preire contenderint resque suas prout quisque poterat dilataverint, nemo vero regis provectum, nemo regni tutelam quæsierit, hocque cernentes hostes regnum undique incursaverint, principes tandem pro hoc doluisse, convenientesque in unum, quia puer adhuc vix triennis erat, Outonem propter sapientiam et fortitudinem suam ad tuendum regnum delegisse, non ut desertores, sed velut hostium incursus indignantes. Sed quia Outo dicitur regnum ipsum ab Arnolfo imperatore obtinuisse, inde usque hodie (Wid. *l. l.*) certamen est de regno stirpi Karoli et posteris Outonis, concertatio quoque regibus Karolingorum et orientalium Francorum super regno Lotharii. (Rich. 1, 12, 13, 14, 15, sqq.) Ob quod et Heinricus rex movit castra contra Karolum, cum jam quindennis sublimaretur in regnum, ejusque sepius fudit exercitum, juvitque fortuna fortem virum. Outone autem decimo anno regni sui defuncto, Galliarum principes animo et sacramento annexi sunt Karolo, necnon et Ruotpertus, Outonis regis defuncti frater, vir industrius, sese illi subdidit, quem ille ducem Galliæ Celticæ prefecit. Cumque jam fere totum colligeret regnum, cœpit quendam Haganonem ex mediocribus extollere et supra omnes principes diligere, adeo ut, magnatibus quibusque procul absistentibus, ipse regio

VARIÆ LECTIONES.

[1241] *superscr.* 1. [1242] *ita* 1.

NOTÆ.

(233) Verba latius posita Ekkehardus Widukindi narrationi adjecit; cf. supra.

lateri solus hereret multaque regii juris ad suum jus retorqueret. Unde primates indignati, cum nullatenus possent eum ab illius dilectione avertere, querebant illum de regno abjicere. Multa itaque adversus eum moliti, ad ultimum convenerunt, Ruotpertumque ducem, fratrem Outonis, regem constituerunt. Adversus quem dum Karolus bellum prepararet, et in pugnam convenirent, occisus est Ruotpertus, et ex parte ejus 11349, ex parte vero Karoli 7118. (Rich. II, 1, 2.) Hugo vero, filius Ruotperti, adhuc adolescens, egit apud quoscumque potuit, maximeque apud Heribertum cognatum suum, qui erat unus ex magnatibus, ut in dejectionem Karoli loco patris sui alius rex crearetur, se ipsum vero promoveri nolebat, quia patris interfectio illud dissuadebat. Igitur convocatis principibus, Ruodolfum, Richardi Burgundionis filium, satis eo reclamante, regem constituunt, virum strenuum et liberalibus artibus eruditum, qui (234), ut supra dictum est [1243], (cf. *ib.* I, 47.) Burchardi ducis Alamanniæ filiam nomine Bertham, sibi copulavit, quique post ab Italicis adversus Berengarium seniorem vocatus, illo interfecto, regnum Italiæ aliquandiu [1244] tenuit, donec, socero suo in auxilium contra eosdem sibi denuo resistentes vocato ibidemque ab eis interfecto, Italiam reliquit, et Burgundiam revisit. Hugo vero comes Arelatensium ab Italis vocatus, regnum accepit, in quo filium ex uxore sua nomine Alda, de Ostrofrancorum stirpe [1245], procreavit, quem et Lotharium vocavit adultumque regem fecit; sed ambobus postea pulsis, Berengarius, qui postea Babenberg deportatus ibi defunctus est, regnavit (cf. Liudpr. II, 60 sqq., III, 13 sqq., 16, 20; IV, 2; V, 27 sqq.). (Rich. I, 47, 65.) Ruodolfo autem, ut dictum est, in regnum Karoli sublimato, Heribertus predictus consilio Hugonis cognati sui, filii Ruotperti, Karolum dolo cepit, eumque in custodiam posuit; in qua et vitam finivit (cf. Wid. I, 30). Habuit autem filium nomine Ludewicum ex sorore Adelstani regis Britanorum, quem in perturbationis suæ procella transmisit ad eundem avunculum suum; unde post mortem Ruodolfi regis consilio Hugonis predicti reductus, regnum patris recepit; cui tamen idem Hugo dux postea rebellavit.

(Wid. I, 30.) Heinricus autem rex audiens casum Karoli, dolebat, humanæque mutabilitatis communem ammiratus est fortunam, judicavitque abstinere quidem ab armis, verum potius arte superandos putavit Lotharingos, quia gens varia erat et artibus assueta, bellis prompta mobilisque ad rerum novitates. Erat eo tempore quidam de Lotharingis nomine Cristianus, qui videns regi Heinrico cuncta prospere cedere, quesivit, quomodo apud eum majori honoraretur gratia: et simulata infirmitate, A vocavit ad se Gisilbertum, cui principatus regionis paterna successione cessit, eumque venientem arte cepit et sub custodia regi Heinrico transmisit. Erat autem Gisilbertus nobili genere ac familia antiqua natus. Quem rex satis lætus suscepit, quia per ipsum solum totum Lotharii regnum se habiturum arbitratus est. Deinde videns adolescentem valde industrium, genere ac potestate divitiisque clarum, liberaliter cum cœpit habere, ac postremo desponsata sibi filia sua nomine Gerbirga, affinitate pariter et amicicia junxit eum sibi, sublegato ei omni Lotharii regno. Et hoc juxta descriptionem cujusdam monachi Corbeiensis [1246], de origine Saxonum et regum horum gestis scribentis. Est autem alius quidam hystoriographus (Richer.), tempora Karoli B hujus, cujus memoriam pre manibus habemus, suorumque successorum digerens, qui scribit, eundem Giselbertum filiam Heinrici duxisse, priusquam rex fieret, dum adhuc ducatum amministrasset, ipsumque Heinricum a Karolo ducatum Saxonicum accepisse, et eum ac Ruotpertum, qui postea rex factus est, inter principes, qui a rege propter Haganonem, ut predictum est, defecerant, primos fuisse. Sic enim dicit (I, 14): « Gallia Celtica Ruotperto collata, Karolus Saxoniam secedit. Cujus urbes sedesque regias perlustrans, nullo resistente obtinuit, ibi quoque Heinricum, regio genere inclitum ac inde oriundum ducem, omnibus donat. » Et post pauca (235): « Interea Galliarum urbibus ac oppidis firmiter obtentis, cum paschalis sollemnitas immineret, Aquisgrani palatio rex sese recepit C (cf. *ib.* I, 16). Huc ex omni Gallia principes confluunt; huc etiam mediocres multo favore conveniunt; assunt et duces, ex Saxonia quidem Heinricus, ex Gallia Ruotpertus. Cottidie secus fores regii cubiculi manent; cottidie egressum regis a penetralibus aulæ prestolantur. Cum vero nullum eis ab rege responsum per dies quatuor daretur, Heinricus id molestissime ferens, dixisse fertur, aut Haganonem quandoque cum Karolo regnaturum, aut Karolum cum Haganone ad rerum mediocritatem deventurum; indignansque rege inconsulto discessit. Quod rex moleste ferens eum revocare cupiebat, et pro hac re metropolitanum Remensium Heriveum dirigebat. D (Richer. I, 22 - 24.) Cujus luculenta et amica oratione persuasus dux Heinricus ad regem redit, multoque ambitionis honore ante eum admissus, in precipuo gratiæ loco familiarissime recipitur. (I, 34.) Hac tempestate Ragenerus vir nobilis, partium Karoli fidissimus tutor, finem vitæ accepit, cujus exequiis Karolus interfuit; hisque peractis, Giselberto, ejus filio jam adulto, paternum honorem coram principibus qui confluxerant liberalissime contulit. (I, 35 sqq.) Hic cum esset opibus et genere

VARIÆ LECTIONES.

[1243] *superscr.* 1. [1244] aliquandiu 1. [1245] *superscr.* 1. [1246] Corb. Witikindi nomine D1.

NOTÆ.

(234) Iterum Ekkehardus magno errore res a regibus Burgundiæ et Galliæ gestas uni tribuit.

(235) Quæ sequuntur, in Richeri textu desiderantur; cf. præfationem.

inclitus et conjugio Gerbergæ, Heinrici Transrhenensis filiæ, satis beatus, in nimiam pre insolentia temeritatem preceps ferebatur, multaque pro abjectione regis moliebatur. Quo agnito, Karolus a Celtica cum exercitu rediens, cum bellum pararet inferre Belgis, quorum dux erat Giselbertus, Belgæ mox non in aperto cum Giselberto nisi sunt resistere, sed oppidis ac municipiis sese recludunt propere. Ad quos rex legatos dirigens, promisit eis se omnia donaturum, si ad se confluerent, quæ a Giselberto prius in beneficio haberent. Quo capti, mox ad regem per sacramenta redeunt, et contra Giselbertum pariter surgunt. Ille vero in oppido Harburg, quod hinc Mosa et inde Gullo fluviis vallatur, alias autem immani hiatu multoque horrore veprium tutissimum videbatur, cum paucis tunc claudebatur. Huc rex cum copiis properat, obsidionem locat, hinc et inde navalem, alias vero equestrem. Et cum violentius instaret, Giselbertus clam per murum dilapsus, fluvium enatando transmeavit, et cum duobus clientibus Rhenum exulaturus pertransiens, annis aliquot apud socerum suum Heinricum, patrimonio privatus, exulavit. Oppidani autem, absque duce relicti, se subdiderant regi. Evoluto vero tempore, Heinricus egit apud regem, ut Giselbertus reciperetur in gratiam, ea tamen conditione, ut beneficiis, quæ ipse insolenter diduxerat quæque rex faventibus sibi postea contulerat, quamdiu possessores eorum viverent, careret, ea vero, quorum possessores per annos exilii sui excesserant, regis miseratione reciperet. Recepit itaque Trejectum, Juppilam, Harstalium, Marsnam, Littam, Capremontem, quæ a defunctis derelicta vacabant, ceteros vero qui sua habebant ingenti cede vexabat, donec omnia sua recipiebat. Postea multa contra regem machinans, socerum adiit ac plurimum regi adherere dissuasit, Celticam solam regi sufficere posse asserens, Belgicam vero atque Germaniam rege alio plurimum indigere; unde ut ipse dux Heinricus creari rex non abnueret, multiplici permovebat suasione. Heinricus vero cum illicita eum suadere adverteret, dictis suadentis admodum restitit, et ut a nefariis quiesceret, crebro ammonuit. Giselbertus vero cum apud socerum non proficeret nec regnum sibi parare posset, in Celticam secedit, et in Neustriam transit, sicque cum Ruotperto, Outonis regis fratre, qui erat dux Celticæ, de negotio eodem consilium pertractat, suggerens ei de regni susceptione et Karoli abjectione [1247]. Exultat tyrannus et sine mora suadenti favet. Deliberant ergo sibique per sacramenta consentiunt, sicque procedenti tempore collectis principibus rex efficitur, anno Dominicæ incarnationis 922. » Hæc sunt verba illius Gallici hystoriographi, quæ si in aliquo a precedentibus Saxonici scriptoris dictis dissentiant, lectoris diligentia perpendat. Annus vero, in quo Ruotpertus [1248] in regnum elevatus dicitur, ille est qui apud nos Heinrici tercius in regno inscribitur. Ruotpertus post hæc a militibus Karoli interficitur, sed Ruodolfus [1249], ut dictum est, subrogatur, deinde Karolus captus, custodiæ mancipatur.

(Wid. 1, 33.) Illud autem tempus erat, quo, ut supra scriptum est, Heinricus ad dilatandum imperium suum super Lotharios [1250] tendebat. Nam in ipsa profectione, ubi Rhenum transiit, legatus Karoli ei occurrit, et salutato eo [1251] verbis humillimis: *Dominus meus*, inquit, *Karolus, regia quondam potestate preditus, modo privatus, misit me ad te, demandans tibi, quia sibi, ab inimicis* [1252] *circumvento, nichil jocundius, nichil possit esse jam* [1253] *dulcius, quam de tui magnifici profectus gloria aliquid audire famaque virtutum tuarum consolari et hoc tibi signum fidei et veritatis transmisit;* protulitque [1254] de sinu manum preciosi martyris Dionisii, auro gemmisque inclusam: *Hoc*, inquiens, *habeto pignus fœderis perpetui et amoris vicarii; hanc partem unici solatii Francorum Galliam inhabitantium, postquam nos sanctus martyr Vitus* [1255] *ad nostram perniciem deseruit et ad vestram* [1256] *perpetuam pacem Saxoniam visitavit, communicare tecum* [1257] *maluit. Neque enim postquam corpus ejus translatum est, a nobis civilia vel externa cessavere bella; eodem quippe anno Dani et Nortmanni regionem nostram invaserunt.* Rex autem divinum munus omni gratiarum actione suscipiens, reliquiis sanctis [1258] prosternitur, et deosculans eas, summa veneratione veneratur. Sanctum vero Vitum, de quo legatus Karoli disseruit, Folradus quidam nomine de Roma transtulit et in pago Parisiaco locavit; inde, regnante Ludewico imperatore, translatæ sunt in Saxoniam, et ut legatus ille confessus est, ex hoc res Francorum cœperunt minui, Saxonum dilatari.

(Liudpr. iv, 24.) Burgundionum rex Ruodolfus, qui nonnullis annis Italicis imperabat, lanceam quandam ibi a Samsone quodam comite dono acceperat, quam Constantini Magni, sanctæ Helenæ filii, fuisse [1259] dicebant; quæ, excepta ceterarum specie lancearum, novo quodammodo opere nova-que elaborata arte et figura, juxta mediam spinam habuit utrobique quasi fenestram, et in media spina cruces [1260] ex clavis, manibus et pedibus Salvatoris nostri Domini Jhesu Christi affixis. Heinricus itaque rex [1261] audiens Roudolfum tam cœleste donum habere, ut erat Deum timens totiusque religionis amator, legatis directis temptavit, si premiis aliquibus posset illud [1262] acquirere. Quod cum rex [1263]

VARIÆ LECTIONES.

[1247] *in* 1. *quaternio deest.* [1248] rutpertus D1. *semper.* [1249] rudolfus D1. *sæpius.* [1250] lotharingos 9c. [1251] ei 5. [1252] amicis 2. [1253] *deest* 10. 11. [1254] protulit D1. [1255] *deest* 2? 10. 11. [1256] nostram 10. 11. [1257] *deest* D1. [1258] sancti 2. [1259] *deest* 9c. [1260] crucis 9c. [1261] hæc D1. [1262] *deest* 4. D1 [1263] *ita* 2. D1. *deest rell.*

Ruodolfus modis omnibus se nunquam acturum diceret, rex Heinricus, quia hunc [1264] muneribus mollire nequiverat, minis terrere magnopere curabat; omne quippe regnum ejus cede atque incendiis se depopulaturum esse minitabat. Quia vero munus quod petebatur illud erat, quod cœlestibus terrena conjunxerat, Ruodolfi regis cor Deus [1265] emollivit, justoque regi [1266] justa juste petenti protinus tradidit. Neque enim pace presente simultati locus erat. Quanto autem amore rex Heinricus predictum cœleste munus dilexerit, cum in multis rebus, tum in hoc præsertim claruit, quod hujus datorem non solum auri [1267] argentique muneribus, verum etiam Suevorum provinciæ parte non minima honoravit [1268]. Hac igitur occasione, immo Dei voluntate, sanctam rex Heinricus adeptus est lanceam, per quam ipse de hostibus sepe triumphavit, eamque filio suo Ottoni Magno decedens cum regno reliquit, eamque credimus esse, quæ ex tunc hodieque in imperatorum tutela solet manere.

(Liudpr. II, 24. Wid. I, 32.) Ungarii audientes Chuonradi [1269] imperatoris mortem et Heinrici in regnum successionem, probare volentes, an novus rex solita vellet tributa persolvere, totam Saxoniam percurrentes, urbes et oppida incendio dedere, tantamque cedem ubique fecerunt, ut depopulationem ultimam comminarent. Rex autem erat in presidio urbis quæ dicitur Werlahon, rudique adhuc militi et publico bello insueto contra tam sevam gentem non credebat. Contigit autem quendam ex principibus Ungariorum capi victumque regi adduci, quem ipsi in [1270] tantum dilexerant, ut innumera [1271] auri et argenti pro eo pondera offerrent. Rex autem spernens aurum, expostulat pacem, tandemque [1272] ad novem annos obtinuit firmam pacis conditionem. (Wid. I, 35.) In quibus induciis primum ex agrariis militibus nonum quemque eligens, in urbibus habitare fecit, ut ceteris octo confamiliaribus [1273] suis habitacula construeret fruguaque omnium terciam partem exciperet ac servaret, ceteri vero octo seminarent et [1274] meterent fruges-que noco colligerent suisque in locis ponerent; concilia et omnes conventus ac convivia in urbibus celebrari voluit, quatinus in pace discerent, quid in hostium adventu facere debuissent. Vilia aut [1275] nulla extra urbes erant mœnia [1276]. Tali lege ac disciplina cum cives assuefaceret, repente irruit super Sclavos qui dicuntur Hevelli, et multis eos præliis fatigans, demum hieme asperrima, castris super glaciem positis, urbem quæ dicitur Brennaburg fame, ferro et frigore cepit, et cum illa urbe omni regione potitus, signa vertit contra [1277] Dalmantiam [1278], adversus quam jam olim pater sues reliquit ei militiam, et obsidens urbem quæ dicitur Grana, vicesimo tandem die cepit eam. Preda urbis militibus tradita, puberes omnes interfecti, pueri ac puellæ servatæ sunt captivitati. Post hæc adiit Pragam [1279] Boemiorum [1280] urbem regemque ejus accepit in deditionem, qui erat pater Bolizlawi [1281], qui quamdiu vixit, regi fidelis et utilis fuit. Boemia itaque tributaria facta, rex reversus est in Saxoniam.

(Wid. I, 38.) Igitur induciarum tempore transacto, legati Ungariorum pro solitis muneribus regem adierunt, sed ab eo spreti, in terram suam vacui reversi sunt. Cum enim haberet militem equestri jam prælio probatum, contra hostes antiquos presumpsit inire certamen. Hæc audientes Avares, nil morati cum hostili gravique manu Saxoniam festinant intrare, et iter agentes per Dalmantiam, opem quasi ab antiquis petunt amicis. Illi vero [1282] scientes eos ad Saxoniam festinare Saxonesque paratos cum eis pugnare, pinguissimum pro munere eis projiciunt canem. Et cum non esset injuriam vindicandi locus ad aliam pugnam festinantibus, cum ridiculosa satis vociferatione longius prosecuntur amicos. Igitur quam repentino potuerunt impetu intrant Thuringorum fines, illam terram hostiliter totam pervagantes. (Liudpr. II, 25.) Rex autem Heinricus gravissima valitudine detinetur, et Ungariorum ei adventus proximus nunciatur. Qui mox directis per Saxoniam nunciis, validissimum per quatriduum collegit [1283] exercitum, ipseque, licet invalidus corpore, animi tamen roboratus vigore, equum ascendit et obviam hostibus ivit. Celer autem nuncius accurrit, qui Ungarios in Meresburg [1284], quod castrum est [1285] in confinio Saxonum et Thuringorum ac Sclavorum, esse [1286] nunciavit, eosque jam [1287] non modicam puerorum ac mulierum predam habere, virorum vero immensam stragem [1288] fecisse. Rex igitur, ut erat animo constans, talibus non terretur, sed magis magisque suos, ut pro patria pugnent, exhortatur. Nec mora, bellum incipitur, et ex Christianorum parte kyrie eleyson [1289] dicitur, ex illorum vero parte turpis et diabolica vox, hui, hui, hui [1290], auditur. Inito itaque certamine, nutu divino Ungarii ceduntur et fugantur, rex et sui victoria decorantur, immensa captivorum turba absolvitur, atque vox gemitus in læticiæ cantum mutatur. Hunc triumphum tam laude quam memoria dignum rex apud Meresburg [1291] in superiori cœnaculo domus regiæ per zographiam notari precepit, adeo ut rem veram potius quam verisimilem judices. (Wid. I, 39.) Rex vero victor reversus [1292], modis

VARIÆ LECTIONES.

[1264] *deest* 9c. [1265] deus cor D1. [1266] *deest* 2. [1267] argenti aurique 2. [1268] donavit et h.[e] 5. [1269] cuonradi D1. [1270] *deest* 9c. [1271] innumerabilia 9c. i. pro eo a. et a. p. 2. [1272] tandem 10. 11. [1273] cum familiaribus 2? 10. 11. [1274] ac D1. [1275] aut ulla 2. [1276] nimia *alia manu corr.* menia 10. munia 11. [1277] *deest* 2. [1278] dalmatiam 2. 9c. [1279] plagam D1. [1280] boemorum 9c. [1281] bolizlai 2. [1282] autem 9c. [1283] colligit 9c. [1284] merseburg 5. D1. [1285] *deest* 4. est castrum D1. [1286] *deest* 5. [1287] *deest* 4. n. m. i. D1. [1288] s. i. 5. [1289] kyriel. D1. [1290] *deest* D1. [1291] merseburg 5. [1292] regressus 5.

omnibus gratiarum actiones honori divino, ut dignum erat, solvebat; tributumque, quod hosti dare[1293] consuevit, divino cultui mancipavit et usibus pauperum deservire constituit[1294]. Post hæc pater patriæ et rerum dominus[1295] imperatorque ab exercitu appellatus, famam potentiæ virtutisque cunctis regibus et gentibus[1296] longe lateque diffudit. Unde et aliorum regnorum proceres eum adierunt, gratiamque in conspectu ejus invenire querentes, fidem talis ac tanti viri dilexerunt; inter quos Heribertus, gener Hugonis ducis, cum ei Ruodulfus rex adversaretur, ut apud illum sibi presidio esset, supplicavit. Ipse enim talis erat, ut nichil negaret amicis. Perrexit igitur Galliam, rex regem alloquitur, perfectoque[1297] negotio, Saxoniam revertitur. Sed et Hugo rex Italiæ legatos ad eum direxit, ejusque amiciciam habere summo studio quesivit (cf. LIUDPR. III, 21; IV, 14). Erat autem regi Heinrico uxor et consors regni clara et nobilissima nomine Mathilda, filia Theoderici, ex eadem Saxonum gente, cujus fratres erant Witikint et Immod et Reginbern. (WID. I, 31.) Reginbern autem ipse erat, qui pugnavit contra Danos, multo tempore Saxoniam vastantes[1298], vicitque eos, liberans patriam ab illorum incursionibus usque in hodiernum diem. Et hi erant ex stirpe magni ducis Witikindi, qui bellum potens gessit contra Karolum Magnum per annos ferme 30. (WID. et LIUDPR. *l. l.*) Genuit autem Heinrico Mathilda ante regni susceptionem filiam Gerbirgam, quam Giselberto duci Belgicæ dederat, filium quoque Ottonem, mundi amorem; post regiam vero dignitatem genuit secundum, quem patris nomine vocavit Heinricum, virum fortem et industrium, facetia satis ornatum, consilio providum, vultus nitore gratiosum; tercium quoque filium genuit, nomine Brunonem, quem pontificis summi ac ducis magni officium vidimus gerentem. (RUOTGER. *Vita Brun.* c. 5 sqq., 11, 18, 20.) Frater quippe ejus Otto, dum post patris excessum regeret imperium, hunc, omni litterarum scientia imbutum, presulem fecit Coloniensium; factaque dehinc nimia perturbatione in regno, ita ut etiam filius regis Liutolfus contra patrem consentiret pravorum consilio, rex Otto ad disponendum regnum secedens in partes orientis, fratri Brunoni presuli providendas commisit occidentis. Ita[1299] cum magna religione usus est[1300] officio sacerdotis, et exigente necessitate, jussu regis functus est[1301] virtute magnanimi ducis. (WID. I, 31.) Nemo autem super hac re illum culpabilem dicat, cum Samuelem sanctum et alios plures sacerdotes pariter legamus et judices. (LIUDPR. IV, 16.) Duxit autem Otto, filius regis, vivente adhuc patre, uxorem ex gente nobilissima Anglorum, filiam fratris[1302] Adelstani regis, quæ ab aliis (LIUDPR. *l. l.*) appellatur Otgit, ab aliis (WID. II, 41) Edidis. Hæc peperit ei filium, quem vocavit Luitolfum, quem ille multum dilexit; sed ipse sibi postea rebellavit.

(WID. I, 39.) Heinricus autem rex cum esset in exaltando gentem suam, rarus aut nullus nominatorum virorum in omni Saxonia erat, quem aut preclaro munere aut officio aliquo non promoveret. Erat autem ingenti prudentia pollens, forma quoque corporis regiæ dignitati decorem adjiciens. In exerciciis etiam ludi tanta eminentia omnes superabat, ut terrorem ceteris ostentaret. In venatione tam fuit acer, ut una vice 40 aut amplius caperet feras. Et licet in conviviis satis jocundus esset, nichil tamen regalis disciplinæ minuebat. Tantum quippe favorem pariter et timorem infundebat, ut etiam ludenti non crederent ad aliquam lasciviam se dissolvendos. Perdomitis itaque circumquaque gentibus, postremo Romam proficisci statuit, sed infirmitate correptus, iter intermisit. (LIUDPR. IV, 14.) Infirmatus est autem in castello quod dicitur Hiemelewa, quod est inter Saxonum et Thuringorum confinia, ubi et defunctus est. (WID., I, 41.) Cumque se jam gravari morbo sensisset, convocato omni populo, designavit Ottonem filium suum regem, ceteris filiis suis predia cum thesauris distribuens; ipsum vero Ottonem, qui maximus natu et optimus fuit, fratribus[1303] et omni Francorum imperio prefecit; (LIUDPR. IV, 15.) et in hoc quantæ sapientiæ fuerit et religionis, probari potest, quod[1304] eum, quem potissimum et religiosissimum noverat, licet in imperio natus non esset, regem constituit. (WID. *l. l.*) Testamento itaque legitime[1305] facto, et rebus omnibus rite compositis, defunctus est anno regni sui 17°, vitæ autem fere 60°. Translatum est autem corpus ejus a filiis suis[1306] in civitatem quæ dicitur Quidilingaburg[1307], et in basilica sancti Petri ante altare sepultum, cum planctu et lacrimis plurimorum.

A. D. 921.

* D. *addit :* Heinricus rex contra — totius Bajoariæ. *ex Sigeb. a.* 920.

A. D. 922. * Ruotpertus[1308], frater Ottonis regis et pater Hugonis, machinante Giselberto duce, socero Heinrici regis, in dejectionem Karoli, regno Galliarum preponitur.

* D. *et* E., *qui hic pergit, addunt :* Stephano — episcopatum. *ex Sigeb. a.* 921.

A. D. 923. *

* D. E. *addunt :* Ungarii — delevit. Karolus — peremit. *ex Sigeb. a.* 922.

A. D. 924.

* D. E. *addunt :* Reges — christianorum. *ex Sigeb. a.* 923.

A. D. 925. * Hiltine Augustensis episcopus obiit, cui sanctus Oudalricus[1309] successit (cf. *Vit. S. Oud.*)

* D. E. *addunt :* Karolus — truditur. (E. *inserit*

VARIÆ LECTIONES.

[1293] dari 2. [1294] *ita* 2. D1. consuevit 4 — 11. [1295] d. r. D1. [1296] g. et r. 9c. et g. *desunt* 4. [1297] perfecto 9c. [1298] v. s. D1. [1299] itaque 5. [1300] *deest* D1. [1301] *deest* 9c. [1302] *deest* 2. [1303] *in* 6. *folium excidit.* [1304] qui 9c. [1305] legitimo 2. [1306] *deest* D1. [1307] qwidilingaburg D1. [1308] Rotpertus 2. [1309] Odelricus D. E.

quæ prius in historia leguntur : Heinrico regi ad dilatandum imperium suum super Lotharios tendenti in ipsa profectione, ubi Rhenum transiit, Karoli legatus occurrit, et salutato—Saxonum dilatari.) Ruodolfus — tenuit. *ex Sigeb. a.* 924. E. *pergit :* Idem Ruodolfus lanceam quandam — tutela solet manere. *ut supra.*

(*Chr. W.*) A. D. 926. Sanguis * Domini in Augiam insulam venit.*1

* *Hæc desunt* D. E., *ubi legitur :* Heinricus rex, Sclavis et Danis victis et sub tributo redactis, nomen suum celebre facit. Berengarius — incendunt. *ex Sigeb. a.* 925.

* 1) a quadam matrona *addunt* 10. 11. *ex Bernoldo.*

A. D. 927.* Burchardus dux Alamanniæ [1310] in Italia occiditur; Herimanno [1311] Alamannia [1310] committitur.

* D. E. *addunt :* Karolus — ann. 2. *ex Sigeb. a.* 926.

A. D. 928.*

* D. E. *addunt :* Ludewicus [1312] — fugiens mare transit. Ruodolfus — subrogatur. *ex Sigeb. a.* 927.

A. D. 929.*

* D. *addit :* Ludewicus — ann. 29. D. E. : Rex Hugo — ordinato. *ex Sigeb. a.* 928.

A. D. 930. Heriger archiepiscopus [1313] moritur; pro quo Hiltibertus [1314] ordinatur.

A. D. 931. Heinricus rex Boemiam [1315] petit.

A. D. 932. Dieto Wirciburgensis episcopus obiit.*

* D. E. *addunt :* Heinricus — christianos facit. *ex Sigeb. a.* 931.

A. D. 933.*

* D. E. *addunt :* Arnoldus — utilia. *ex Sigeb. a.* 932.

A. D. 934. Heinricus * Ungarios interfecit.

* D. E. : Ungarii ab exercitu Heinrici regis occiduntur aut capiuntur. *ex Sigeb.*

A. D. 935. Notingus episcopus Constantiensis obiit; cui Chuonradus successit.** *2

* D. E. *addunt :* In Genuensi — evacuata. *ex Sigeb.*

* 2) genere clarissimus *addunt* 10. 11.

A. D. 936. Heinricus rex obiit.* — Post Martinum papam Agapitus Romanæ sedi prefuit 117[us], dein Octavianus 118[us], Leo ** 119[us], Benedictus 120[us], Johannes 121[us]. *3

* D. : moritur, qui licet — accepisset. *ex Sigeb. a.* 937. — E. : Heinricus rex infirmatus est in castello — lacrimis plurimorum. *ut supra,*

** Leo — 121[us] *desunt* D1.

* 3) E1. *addit alia manu in marg. :* Hoc anno fecit Otto rex in Magadaburch regalem abbatiam (*desunt* E2).

Anno Dominicæ incarnationis 937, ab Urbe autem [1316] condita millesimo 688 (cf. *Chr. W.*). Otto A Magnus, Heinrici filius, 81* [1317] loco ab Augusto, eligitur in regnum ab omni populo Saxonum et Francorum, regnavitque annis 38 [1318]. (Wid. II, 1.) Electus est [1319] autem apud Aquasgrani, ubi et mox unctus est [1318] in regem a summo pontifice Mogontinæ sedis nomine Hiltiberto, genere Franco, professione monacho, qui nutritus in Fuldensi monasterio, ad id honoris merito provectus est, ut pater ejusdem loci constitueretur, deinde ad fastigium summi pontificatus Mogontiacæ sedis proveheretur. Erat enim vir miræ sanctitatis et preter naturalem animi sapientiam litterarum scientia satis illustris. Qui etiam inter cetera gratiarum dona spiritum prophetiæ [1320] accepisse predicatur. Rex autem, unctione benedictionis accepta, quam sapientem in B regni moderamine, quam fortem in adversantium certamine, quam strenuum in religione se exhiberet, facile enarrari non valet. (Wid. II, 3.) Primum itaque barbaris ad novas res moliendas desevientibus, Bolizlaus [1321] fratrem suum [1322] percussit, virum christianum, regno fidelem et, ut ferunt, religiosum Dei cultorem. In cujus ultionem cum [1323] rex exercitum mitteret adversus Bolizlaum [1324], primo nostri victores extiterunt, deinde pro recenti victoria securius agentes, repentina incursione omnes ab eo occisi sunt. Et bellum hoc perseveravit usque ad 15 regis imperii annum; ex eo regi fidelis servus et utilis permansit. Post* hæc antiqui hostes Ungarii venerunt, probare virtutem novi regis, et intrantes C Franciam, statuerunt, si possent, intrare ab occidendali parte Saxoniam. Quod rex audiens, nil moratus, cum exercitu valido occurrit illis, fugavitque illos a terminis suis. Cessantibus autem bellis externis, civilia oriri cœperunt.

* *Reliqua* — mirabilisque prudentiæ *desunt* E.

(Wid. II, c. 8, 9, 1, 11, 10, 11, 12.) Mortuus est quippe Arnolfus dux Bajoariæ, et filii ejus, superbia elati, jussu regis contempserunt ire in comitatum [1325]; cujus ducatum rex dedit fratri ejus Berhtoldo [1326]. Mortuus est et Sigefridus comes optimus Saxonum, qui secundus a rege procurabat Saxoniam. Cujus legationem cum sibi vindicasset affinitatis causa Dankmarus, frater regis ex patre, non ex matre, et regali dono cessisset Geroni comiti, D afflictus est Dankmarus tristicia magna. Erat autem manu promptus, acer ingenio, bellandi peritus, cujus mater [1327] filia erat materteræ Sigefridi comitis, de qua suscepit eum rex Heinricus, et ditavit eum prediis multis absque his quæ fuerant matris. Eberhardus quoque comes, iratus contra Bruningum [1328] quendam ex primoribus, collecta manu, succendit civitatem illius vocabulo Elmeri [1329], interfectis

VARIÆ LECTIONES.

[1310] alem. D. E. [1311] hermanno 4. 5. [1312] ludewicus E1. [1313] a. mogont. 5. [1314] hiltipertus 4. hildibertus 5. 9[c]. 10. 11. *et ita infra.* [1315] poemiam 5. 10. [1316] *deest* 2? 10. 11. [1317] LXXV. D. E. [1318] XXXVI. D1. [1319] *deest* 9[c]. [1320] prophecisse 2. [1321] bolizaus D1. [1322] suum Wenezlaum 5. [1323] dum 2. [1324] *ita* 2. D E. bolizlauum *rell.* [1325] comitatu 9[c]. [1326] berhctoldo D1. bertholdo 4. 10. 11. bertholfo 2. 9[c]. berchtolfo 5. [1327] m. sua 9[c]. [1328] bruniggum 2. [1329] elmari 2.

omnibus ejusdem civitatis habitatoribus. Pro qua presumptione condempnavit cum centum talentis, omnesque principes, qui ad hoc eum juvabant [1330], dedecore canum quos portabant usque ad urbem regiam quæ dicitur Magedeburg [1331]. Unde commotus Eberhardus, junxit se Dankmaro, collectaque valida manu, obpugnat præsidium quod dicitur Badiliki [1332], in quo erat Heinricus, frater regis, juvenis [1333] adhuc ; dataque militibus suis preda urbis [1334], abduxit secum Heinricum quasi vile mancipium. Dehinc [1335] cœpit Dankmarus [1336] urbem quæ dicitur Hereburg, seditque in ea, et multa inde exercuit latrocinia. Rex autem licet invitus cum multo comitatu perrexit illuc, ad reprimendam illius insolentiam. Cives autem urbis ejusdem apertis portis introduxerunt exercitum regis. Dankmarus vero fugiens in æcclesiam beati Petri apostoli, stansque juxta altare, depositis desuper armis, a quodam per fenestram a tergo perfossus est. Eberhardus autem Heinricum habuit secum. Qui audiens necem Dankmari, fractus animo prosternitur suo captivo, veniam petit ac nequiter promeruit, ea scilicet conditione, ut contra dominum et fratrem suum secum faceret conjurationem, et si fieri posset, ipse sibi coronam imponeret. Heinricus vero eo tempore nimis adolescens erat et regnandi cupiditate fervebat. (Liudpr. iv, 20, 22.) Eberhardus sane Giselbertum Lotharingorum ducem a [1337] regis fidelitate disjunxerat, cujus adjutorio regi non modice resistebat. Qui Giselbertus quamquam sororem regis haberet uxorem, maluit tamen et ipse suscipiendi regni spe regi [1338] resistere, quam ei, ut debuerat, adjutorio esse. Habuerat autem rex nonnullas maximas et fortissimas copias, Herimannum scilicet Suevorum ducem fratremque ejus Outonem atque Chuonradum [1339] cognomine Sapientem. Qui quamvis affinitatis [1340] linea Eberhardo jungerentur, maluerunt tamen juste, si necessitas ingrueret, cum justo rege occumbere, quam cum consanguineo [1341] injuste triumphare. Eberhardus itaque haut secus valuit [1342] Giselbertum a regis fide sejungere, donec ei promitteret, se illum regem facturum ; Giselbertus vero Heinricum hac voluit arte [1343] decipere, ut dum suo adjutorio regem vinceret, ipse regni solium obtineret; verum Eberhardus longe aliter disposuerat ; voluit enim, si [1344] regem posset devincere, utrosque regno privare illudque sibi usurpare, sicut ex verbis ipsius, quæ paulo antequam occideretur uxori suæ dixerat, possumus conicere. Quam dum foveret in sinu : *Jocundare*, inquit, *in gremio* [1345] *comitis, in brevi lætatura in amplexibus regis.*

(Wid. II, 15.) Igitur Heinricus ardens cupiditate regnandi, celebre [1346] convivium fecit in loco qui dicitur Salaveldun, et cum esset magnus ac potens, majestate et potestate [1347] regali, plurimis plurima donavit, et factionis hujuscemodi socios sibi ob id plurimos conciliavit. (Liudpr. iv, 23. — Wid. *l. l.* — Liudpr. *l. l.*) Dein [1348] profectus in Lotharingiam ad Giselbertum [1349] ducem Belgicæ, cum ipso pariter et Eberhardo bellum fratri cœpit preparare. Quod cum regi esset nunciatum, primum non credidit, sed mox certificatus, econtra properat [1350] lætus, non eorum multitudine territus, sed in Dei pietate confisus. Cumque ad Rhenum [1351] cum suis pervenisset, jamque [1352] fluvium sui transmeare cœpissent, Heinricus cum suis insperato in tanta vicinitate erat, quod ab his videri jam [1353] poterat. Perpauci denique de navibus egressi, vix equos ascendere seseque [1354] armis induere poterant, cum legiones adversæ non nunciantur venientes, sed intuitu ipso cernuntur presentes. (Wid. II, 17.) Rex autem in altera parte fluminis cum multitudine adhuc manens et hæc intuens, dolorem animi motu corporis non celabat, eo quod non adessent naves per quas Rhenum transcendere posset; nec tempus subitanei certaminis in ulteriore ripa constitutos aliud sinebat cogitare, nisi aut coram hostibus cadere debere, aut certe armis vitam defendere. (Liudpr. *l. l.*) Recordatus itaque populi Domini [1355], qui repugnantes sibi Amalechitas orationibus Moysi, servi Dei, devicit, protinus de equo descendit, lacrimansque cum omni populo ante lanceam, in qua victoriosi clavi, manibus pedibusque Redemptoris nostri affixi, erant [1356] inclusi, sese prostravit. Quantunque justi viri oratio, secundum quod Jacobus ait, valeat, res manifesta probavit. (Wid. *l. l.* — Liudpr. *l. l.*) Hi namque qui in ripa ulteriori [1357] erant, sarcinas et impedimenta quæque in locum qui dicitur Xantus [1358] transmittebant, seseque invicem cohortati [1359], hostes precipiti cursu invadebant. (Wid. *l. l.*) Cumque esset piscina inter hos [1360] et hostes, Saxones [1361] divisi [1362], una pars ex adverso ruit in hostes [1363], altera insequitur a tergo, et in medio hostes obprimentes, pauci vehementer urgebant plures. Neque enim nostratium supra centum armatos fuisse perhibetur, hostium vero satis magnus erat exercitus. Sed cum a [1364] fronte pariter et a tergo urgerentur, qua parte potissimum cavere debuissent, in promptu non erat. (Liudpr. *l. l.*) Rege itaque orante, cum ex suis nullus occumberet, hostes omnes in fugam conversi sunt, nonnullique eorum cur fugerent ignorabant, quoniam quidem

VARIÆ LECTIONES.

[1330] adjuvavant 5. [1331] magedeburc D 1. [1332] badiki 2. [1333] *deest* 2. [1334] *deest* 9c. [1335] deinde 2. [1336] dancmarus D 1. *sæpius.* [1337] *deest* 10. 11. [1338] speuei *corr.* spe rei D 1. [1339] chunradum D 1. *sæpius.* [1340] consanguinitatis 5. [1341] sanguineo 9c. 10. 11. [1342] maluit 9c. [1343] h. v. a. Heinricum 9c. [1344] *deest* D 1. [1345] sinu 2. [1346] crebre D 1. [1347] et p. *desunt* D 1. [1348] deinde 2. [1349] gisilbertum D 1. *interdum.* [1350] preparat D 1. [1351] renum D 1. *sæpius.* [1352] tamque D 1. [1353] jam non D 1. non 9c. [1354] sese 9c. [1355] *pergit* 6. [1356] afflixerant 9c erant affixi 5. [1357] u. r. 5. [1358] xanctus 2. zantus 9c. [1359] exhortati 9c [1360] hostes 2. [1361] saxoni D 1. [1362] divisa 9c. [1363] r. in h. ex a. 5. [1364] *deest* 10. 11.

pre paucitate [1365] hostes insequentes videre non poterant. (Wid. *l. l.*) Ex nostris etiam fuere qui Gallica lingua loqui sciebant, qui clamore in altum Gallice levato, exhortati sunt adversarios ad fugam. Illi socios hujusmodi clamantes arbitrati, fugam, ut clamatum est, inierunt. (Liudpr. *l. l.*) Cesis igitur plurimis, Heinricus vehementer in brachio [1366] est percussus, et quamquam loricæ triplicis fortitudo usque ad carnem non admitteret ensis [1367] aciem, pondere tamen percussionis acerbæ brachium adeo [1368] est in livorem conversum, ut nullis medicorum curis ita mederi posset, quin toto illo anno percurrente dolorem magnum sentiret. (Wid. II, 18 sqq.) Quidam ex Thuringis nomine Teti mandavit ad prefectos urbium, quæ erant in oriente partis Heinrici, de victoria regis, et quia ipse Heinricus cecidisset in bello, egitque callide, ut omnes se traderent regiæ potestati. Ipsi autem duæ tantummodo ex omnibus remanserant urbes, Meresburg [1369] et Schidingon [1370]. Qui audiens de defectione urbium suarum, fractusque recenti [1371] regis victoria, cum novem [1372] tantum armatis iter arripuit, Saxoniamque jam tardius adiens, urbem Meresburg [1373] ingressus est. Quo rex comperto, et ipse reversus est, urbemque, in qua frater erat, obsedit. Ille autem cum non posset fortiori resistere, post duos ferme menses, tradita urbe, egressus est ad regem. Cui datæ sunt induciæ 30 dierum, quatinus cum militibus sibi coherentibus secederet a Saxonia, si cui vero illorum regem adire placeret, veniæ locum haberet. Heinricus itaque discedens a Saxonia, Lotharios [1374] iterum adiit, et cum duce Giselberto aliquamdiu mansit.

(Wid. II, 22.) Iterum ducitur exercitus contra Giselbertum, et omnis regio ejus subjacens imperio [1375] igni traditur, obsessusque in castello Kievermont [1376], quod est Capræ-mons, elapsus fuga inde proficiscitur. Et cum obsidio [1377] difficultate locorum parum procederet, vastata undique regione, reversus est in Saxoniam.

(Liudpr. IV, 26.) Est autem in confinio Alsaciæ castellum vocabulo Brisahc, de quo omnis adjacens pagus appellatur Brisahegowe, quod fertur olim [1378] fuisse illorum qui Harelungi dicebantur; tunc autem temporis erat in ditione Eberhardi; in quo ipse suorum multitudinem posuit militum, quorum terrore non solum magnam partem prefatæ provinciæ sibi vendicabat, verum etiam circumcirca fideles regis misere laniabat. (Wid. II, 24. — Liudpr. *l. l.*) Ad quod obsidendum rex profectus cum castra posuisset, consilio, ut fertur, Friderici, Mogontinæ sedis archiepiscopi, ex pontificibus multi, fixis in circuitu tentoriis, sed noctu relictis, a fide defecerunt, A deserentesque regem, clam domum redierunt, Friderico subdole ibi remanente, ut fertur [1379]. Erat autem idem Fridericus successor Hildiberti predicti sancti viri, et ipse, quantum ad humanum judicium, bonis operibus deditus, nisi quod adversariorum domini sui regis favebat partibus; quod quidem fama multis commendabat, ipse vero omni annisu negabat. (Liudpr. *l. l.*) Milites vero regis considerantes pontificum discessionem, suadebant ei, ut et ipse Saxoniam repetens, hanc desereret regionem. Quibus rex imperterritus, ut Judas Machabeus suis quondam [1380]: *Nolite*, ait, *talia loqui, et si appropinquaverit tempus nostrum, moriamur omnes in virtute, et non inferamus crimen gloriæ nostræ; melius est enim pro vera justicia mortem subire, quam fugiendo turpiter vivere.* B His et aliis talibus dictis non solum eos a fugæ proposito revocavit, verum etiam vehementer ut pugnarent animavit.

(Liudpr. IV, 27.) Comes quidam cum eo tunc erat, cujus militum multitudo regis aciem condecorabat. Hic videns plurimorum ab [1381] rege defectionem, reputabat secum, nichil sibi tunc a rege negari propter instantem necessitatem, rogavitque suis suorumque usibus concedi abbaciam Lauresheimensem. Rex autem intelligens, quid peticio illa portenderet, ei coram omnibus ait: *Obœdire oportet Deo magis quam hominibus. Quis enim sanum* [1382] *sapiens ignorat, te hæc non humilitate peticionis, sed comminationis auctoritate dixisse? Scriptum est: « Nolite sanctum dare* C *canibus. » Quod quamvis spiritualiter intellegendum predicetur, ego tamen sanctum me* [1383] *canibus dare judico, si monasteriorum predia, quæ a religiosis viris tradita sunt, Deo militantibus tulero et seculo militantibus tradidero. Tibi vero tam procaciter injusta petenti, sub testimonio totius populi, nec hoc nec aliud unquam te a me accepturum testificor. Si tibi cordi est cum ceteris infidelibus avolare, quanto citius, tanto melius.* His ille auditis, rubore perfusus ad pedes regis corruit, seseque peccasse coram omnibus pœnituit.

(Liudpr. IV, 28, 29.) Eberhardus autem et Giselbertus, audientes regem esse in partibus [1384] Alsaciæ, collecto permagno [1385] exercitu, alveum Rheni apud D Andernacum transeunt, regisque [1386] fideles circumquaque demoliri procedunt. Outo [1387] sane, frater Herimanni [1388] ducis Suevorum, necnon et [1389] Chuonradus cognomento Sapiens ipsis in partibus erant; sed quia eorum copiæ istorum copiis impares exstiterant, his occurrere trepidabant, eos tamen cum spoliis multis redeuntes pone [1390] secuti sunt. Cumque paululum processissent, quidam sacerdos flens et hejulans [1391] eis obviavit; interrogatusque ab eis,

VARIÆ LECTIONES.

[1365] h. p. p. v. 5. [1366] in h. v. 5. [1367] a. ferrum vel e. a. 5. [1368] *deest* 5. [1369] mersceburg 5. [1370] scidingon 2. [1371] *deest* 4. 5. [1372] noīe D 1. [1373] mersburg 5. mesburg 4. [1374] lotharingos 9c. [1375] s. i. ejus 2. [1376] kivermont D 1. [1377] presidio 2. [1378] *deest* 9c. [1379] ferunt 2. fert D 1. [1380] Judas q. m. s. n. 5. [1381] a 4. 5. [1382] sane 2. [1383] me s. 5. [1384] in p. esse 5. [1385] magno 9c. [1386] regis 10. 11. [1387] odo 2. udo 9c [1388] hermanni 4. 5. [1389] *deest* 2. [1390] *deest* 9c. [1391] eiulans D 1.

unde veniret aut cur fleret : *Ab istis*, inquit, *predonibus unum paupertatis meæ solatium quod habui ablatum est jumentum.* Quem cum interrogarent, si Giselbertum et Eberhardum vidisset aut ubi essent : *Cunctis*, ait, *cum preda Rhenum transmissis, ipsi soli cum suis electis, quod nec bene vertat, cibum capiunt.* Hoc illi audientes, summa cum celeritate super eos irruunt, moxque Eberhardus occiditur; Giselbertus in fluentum equo prosiliens undis submergitur, quas quia obsorbere non potuit [1392], anima recedente, defecit; ceterorum vero nullus aufugit, quin aut vivus caperetur aut gladio truncaretur. Cujus rei nuncius cum regi juxta consuetudinem mane ad æcclesiam, quæ longe a castris aberat, tendenti occurreret, mox de equo descendit, seseque, cum lacrimis Deo gratias agens, in orationem dedit; qua expleta, itinere cœpto ad æcclesiam pertendit.

(Richer. [236] II, 17, 18, 19.) Hujus tamen eventum rei Gallicus ille scriptor, cujus superius mentionem feci [1393], aliter narrat, ita [1394] dicens : «Ludewicus [1395], Karoli filius, qui de transmarinis partibus revocatus tunc regnavit in Gallia, cum Hugone Cisalpino principe in pago Alsacio Belgas exteriores, qui ad se nondum venerant, assciscebat, et qui Ottonis partibus favebant ultra Rhenum fugere compellebat. Presenserat etenim [1396], Ottonem velle Belgicam in suum jus transfundere; unde et truculentius contra illum agitans, quicumque illius videbantur a Belgica exturbavit, qui vero sibi consentiebant, consilio Giselberti ducis Belgicæ et Theoderici comitis, sacramento sibi astringebat. Otto vero Belgas comperiens a se defecisse et ad Ludewicum [1397] confluxisse, Rheno transmisso, Belgicam cum exercitu ingreditur, ejusque loca plurima incendiis ac ingenti preda devastat. Nitebatur enim, acsi ex [1398] paterna traditione princeps fieri Belgicæ. Id vero contra jus agere calumpniabatur, cum ejus pater propter Sclavorum infestationem Saxoniæ tantum, quæ est pars Germaniæ, dux constitutus sit, eo quod Karolus, Ludewici pater, cui rerum summa debebatur, tunc adhuc in cunis vagiret. Multam itaque predam Otto abducens, Rhenum transiit. At Giselbertus dux dedecoris injuriam ultum ire festinans, collecto exercitu, post hostem accelerat, transiensque Rhenum, terram illam solo tenus incendiis ingentibus vastat, armentorum etiam pecudumque predam nimiam exercitus congregat et abducit. Jam vero flumen ingredi parabant, et ecce Otto [1399] ex tota Saxonia collectas copias acceleran-tibus induxit. Belgæ itaque cum duce suo indubitanter renitentes, cum Germanis secus flumen signis infestis ingressi sunt, et ex utraque parte multi funduntur. Qua die Germanorum victoria ægre sustentata, tamen enituit. Nam cum duæ terciæ eorum fusæ jacerent, et Giselbertus suos defecisse adeo [1400], adversarios autem illesos arbitraretur, in tanta confusione rerum fuga periculum evadere nitebatur, in fluentumque equo prosiliit. Qui cum fluminis pelagus enatare non posset, vi undarum [1401] victus, periit sessoremque immersit. At Belgæ interitum ducis ignorantes, totis viribus decertabant, tantoque egerunt robore, donec post execrabilem innumerabilemque interitum, eorum qui relicti fuerant alii caperentur, alii in fluvium demergerentur. Ludewicus autem rex Giselbertum extinctum comperiens, multam in ejus casu miserationem habuit; profectusque in Belgicam, uxorem ejus Gerbirgam, Ottonis sororem, conjugio duxit. Hac occasionis diversitate, uno tamen exitii [1402] fine, necem ducis uterque scriptor, Gallicus scilicet et Saxonicus, testatur; penes lectorem vero erit, cui magis credatur.

(Liudpr. IV, 30, 31, 32, 33.) Hoc in [1403] tempore Bertholdus [1404] Bajoariorum dux, Arnolfi ducis frater, vir strenuus, toto conamine favebat regis partibus. Volens itaque rex, ut quemadmodum tribulationis preteritæ, ita et læticiæ presentis fieret particeps, sequenti statim die ut de morte adversariorum audivit, quanta erga se Dominus fecerit, directis nunciis ei aperuit; et quoniam conjugali conubio minime tenebatur, in augmentum læticiæ demandavit sub juramento, ut si sororem suam, scilicet Giselberti viduam, posset habere, eam conjugio sibi [1405] copularet, si vero hoc minus procederet, filiam ipsius Giselberti ex eadem sorore sua genitam, quam penes se habebat, fere jam nubilem, ei jungeret [1406]. Quo audito, Bertholdus [1407] immenso est gaudio affectus, elegitque nondum nubilem potius filiam exspectare, quam matrem, quæ jam nupserat, tollere.

Fridericus igitur archiepiscopus, ut infidelitas, quam occulte gestabat, cunctis pateret, decem diebus ante necem prenominatorum discessit a rege, Mogontiamque concitus veniens [1408], nil ibi moratus, Metensem urbem adiit; disposuerat enim Heinricus, frater regis, redeuntibus Eberhardo et Giselberto, cum eodem Friderico istic exercitum congregare, sicque regi in Alsacia manenti bellum maximum preparare. Cumque illo tenderet idem archiepiscopus, insperate occurrentes ei nuncii mortem jam sepius nominatorum ei indicaverunt. Quo audito consternatus animo, quid ageret ignorabat. Interea rex Alsaciam deserens, Franciam occupabat. Cujus metu Mogontiæ cives perterriti, redeuntem archiepiscopum intra urbis mœnia non suscipiunt. Unde factum est, ut non multo post a quodam regis fideli captus et in sui presentiam ductus, custodiæ in Saxoniam sit

VARIÆ LECTIONES.

[1392] poterat 5. [1393] fecimus 9c. [1394] *deest* 10. 11. [1395] luodewicus 5. [1396] enim 5. presens enim erat 4. [1397] luodewigum 5. *et ita sæpius.* [1398] *deest* D 1. [1399] ex t. S. Otto D 1. [1400] *deest* 2. [1401] in unda 2. [1402] exitu 2. 9c. 10. D 1. [1403] *deest* 2. [1404] bertholdus D 1. 10. 11 berchtoldus 5. bertoldus 4. 9c. [1405] illi 5. 9c. 10. 11. hi ei c. cop. 4. [1406] conjungeret 5. [1407] bertholdus 2. D 1. *et infra.* [1408] *deest* 2.

NOTÆ.

(236) Cf. quæ in notis Richeri editioni ex Ekkehardo additæ sunt lectiones.

traditus. In qua parvo tempore commoratus, miseratione regis, ut erat clementissimus, pristinæ dignitati est restitutus.

Heinricus autem fratris timore compulsus, castellum Kievermont, non solum ingeniis hominum verum [1409] etiam natura ipsa munitum ingredi voluit; sed soror ejus, vidua Giselberti, eum prohibuit, dicens ad eum : *Non te miseriarum mearum, quas perempto marito meo perpetior, piget, quin etiam munitionibus meis te includendo, regis iram super hanc regionem velut aquam effundas* [1410] ? *Non patiar; nec enim tanta vecordia michi erit innata, ut ex meis incommodis tua compares commoda.* His auditis, Henricus Lotharios deseruit et in regnum Ludewici secessit. (Wid. II, 26.) Prefecit autem rex regioni Lothariorum Ottonem, filium Richwini, ut et regnum procuraret et nepotem suum, Giselberti filium, bonæ spei puerulum, nomine Heinricum, nutriret. (Liudpr. IV, 34.) Heinricus autem, frater regis, dum aliud quid faceret ignoraret, assumptis secum quibusdam episcopis, quorum juvaretur auxilio, quadam die nudis pedibus ad pedes regis, ipso ignorante, pervenit, supplexque misericordiam imploravit. Cui rex ait : *Indignum facinus tuum veniam non meretur, verum quia video te* [1411] *humiliatum coram me, non inducam malum super te.* Jussit itaque rex eum ad palatium Ingelenheim proficisci sollertique cura eum custodiri, quoad remota paululum [1412] mentis ægritudine, quid super eo faceret, consilio prudentum definiret. (Wid. II, 29, 36, 37 sq. 35, 33.) Post hæc vicina sibi semper clementia aliquantis urbibus illius usibus concessis, permisit eum in Lothariorum regione habitare. Deinde in processu temporis defuncto duce Bajoariorum [1413] Berhtoldo, monitu et intercessione sanctæ matris suæ prefecit eum regno eidem, faciens cum eo concordiam et pacem, in qua etiam fideliter permansit in finem. Erat autem ipse Heinricus copulatus matrimonio filiæ ducis Arnolfi, feminæ egregiæ formæ mirabilisque prudentiæ.

Igitur [1414] cum bella intestina simul et externa cessarent legesque divinæ et humanæ auctorali vigore pollerent, gravis persecutio monachis oritur illis diebus, affirmantibus quibusdam pontificibus, melius videri paucos vita claros quam plures neglegentes in monasteriis esse, ideoque oportere conversationes eorum per monasteria perspicere et non bene conversantes abjicere, obliti, ni fallor, sententiæ patrisfamilias [1415], prohibentis servos zizania de tritico eruere, sed sinere utraque ad messem crescere, ne, uno incaute eradicato, damnum fieret in altero. Quod et in his factum est. Nam plures propriæ infirmitatis conscii, deposito habitu et relictis [1416] monasteriis, grave onus sacerdotum [1417] devitabant. Fuerunt plures qui summum pontificem Fridericum hoc non pure [1418] sed subdole effecisse arbitrati sunt, quatinus virum venerabilem regique [1419] fidelem, Hademarum abbatem Fuldensem, si quo modo posset, dehonestaret. Ipse enim abbas vir erat magnæ prudentiæ et industriæ, sub cujus temporibus Fuldense templum famosum est igne consumptum, sed ab eo in melius restauratum. Hic eundem pontificem secunda conjuratione culpabilem sub custodia tenuit, primum quidem honorifice, sed cum litteras ab eo scriptas reprehendisset, satis severe. Pontifex vero dimissus, dum ultionem quereret nec contra tantum virum prevaleret, humillima monasteria statuit temptare, si forte ad [1420] excellentissima posset æqualiter procedere. Sed hujusmodi simulationes incassum [1421] profusæ sunt ; nam abbas [1422] in gratia et amicicia regis [1423] permansit, et causis intercurrentibus, pontifex quod voluit non implevit.

Rex autem de die in diem proficiens, paterno regno non contentus, abiit in Burgundiam, regemque cum regno in suam accepit potestatem. * Defuncto autem Ottone Lothariorum preside ac regis nepote Heinrico, Giselberti filio, ducatum regionis Chuonradō rex concessit, cui et unicam filiam suam Luitgardam desponsavit ; qui erat adolescens acer et fortis, domi militiaque optimus, commilitonibus suis karus. Huic Luitolfus, filius regis, nimia dilectionis familiaritate asstrictus est.

* *Reliqua usque ad annos Ottonis desunt* E.

(Rich. II, 29.) Post hæc rex Otto cum Ludewico rege per legatorum interventum conciliatur, quod eidem Ludewico postea multum profecisse probatur. (Wid. II, 39.) Soror autem regis Gerberga genuit Ludewico filios duos, Karolum et Lotharium qui et patri postea successit. (Rich. II, 47, 48. — Wid. II, 39, 41 ; III, 1 sqq.) Ludewicus itaque a ducibus suis circumventus, primum a Rhodomensibus, ad quos Hairoldum, filium Thurmodi Bajocensium principis, fugiens solus ingressus est, capitur Haioroldoque traditur, sed dato minore filio obside, dimittitur, statimque a duce Hugone captus, Lugdunum sub custodia publica est missus. His auditis, rex super amici fortuna satis doluit, imperavitque expeditionem in Galliam contra Hugonem in annum secundum. Ille annus notabilis factus est de morte Edidis reginæ, 7. Kalend. Febr. defunctæ, quæ nata ex gente Anglorum, non minus sancta religione quam regali potentia claruit. Decem annis regni consortia tenuit, undecimo obiit, Saxoniam vero 19 annis inhabitavit. Reliquit filium nomine Luitolfum, omni virtute animi et corporis ea ætate nulli secundum, filiam quoque nomine Luitgardam,

VARIÆ LECTIONES.

[1409] sed 4. D 1. [1410] infundas 2. [1411] te video D1. [1412] paulum 9c. [1413] B. d. Bertholdo D1. [1414] *pergit* E. [1415] *deest* 9c. [1416] m. r. D1. [1417] *deest* 2. [1418] n. p. h. D. E. [1419] r. f. *desunt* 2. [1420] *deest* 9c. [1421] incasse D1. incassum*superscr.* vel incasse E1. [1422] et abbas D1. E1. [1423] *hic pergit* 1.

quæ nupserat Chuonrado duci. Sepulta est autem in civitate Magadeburgensi. Post cujus excessum rex omne studium transfert in filium, factoque testamento, creavit eum regem post se. Ipse autem tener adhuc erat adolescens annorum 16. Rex autem in Gallicam proficiscens expeditionem, festinat intrare regnum Karoli, causa vindicandæ injuriæ amici sui Ludewici. Quod audiens Hugo, legatione missa, jurat per animam patris sui, quod tanta sibi armorum copia esset, quantam rex nunquam vidisset, addiditque contemptum loquendo vane tumideque super Saxonibus, quia imbelles essent, et quia facile posset una potione septem Saxonica tela obsorbere. Ad quod rex famosum satis reddidit responsum, sibi fore tantam multitudinem pilleorum feninorum, quos ei representari oporteret, quantam nec ipse nec pater suus unquam videret, et revera cum esset magnus valde exercitus, 30 scilicet duarumque legionum, non est inventus qui fenino non uteretur pilleo, nisi abbas Corbeius cum tribus suis sequacibus. Dimissus igitur Ludewicus occurrit regi, jungiturque cum suis ejus exercitui. (Ricн. II, 54.) Occurrit eis cum magna expeditione et Chuonradus rex Genaunorum, quem Ludewicus etiam vocavit in auxilium. Juncti ergo pariter Lugdunum adeunt, sed eam locorum asperitate capere non valentes, Remensem civitatem expetunt, ubi nepos Hugonis ducis Hugo contra jus et fas subrogatus erat episcopus, legitimo pontifice adhuc superstite. (Wid. III, 3.) Urbem vero armis capientes, injustum sacerdotem expellunt legitimumque sedi propriæ restituunt. Post tres itaque menses rex Saxoniam cum incolomi exercitu rediit [1424] omnibus quæ armis exquisita sunt Ludewico regi relictis. Hugo autem expertus potentiam regis Saxonumque virtutem, non passus est eos ultra terminos suos hostiliter intrare, sed anno sequenti in eandem expeditionem regi pergenti occurrit juxta fluvium quod dicitur Kar, et juxta imperium regis cum domino suo Ludewico pactum iniit, manus dedit, utilisque perinde mansit. (Liudpr. v, 1.) Concurrentibus autem undique ad regem proceribus, venit et vir ditissimus Suevorum dux Herimannus, qui post congratulationis affabilitatem talibus est regem aggressus sermonibus: *Non clam domino meo est, me prediorum latitudine ac pecuniarum immensitate predivitem absque liberis esse; nec est preter unicam filiam meam parvulam qui mearum rerum heres existat, me decedente. Placeat itaque tibi, domino meo regi, filium tuum Luitolfum michi adoptare in filium, quatinus unicæ filiæ meæ conjugio copulatus, mearum rerum fiat hereditate magnificus.* Placuit regi consilium ducis, et quod poposcit sine dilatione complevit. (Wid. III, 6. III, 7.) In brevi post hæc socer moritur, cum ducatu omni possessione derelicta genero. Qui accepta potestate, animum tranquillum quem in puero gessit exuit, armatumque militem in Italiam ducens, aliquantis ibi urbibus captis et sub custodiam traditis, redit in Franciam.

Eo tempore usurpato imperio regnavit in Longobardia homo ferus et avarus, et qui omnem usticiam pecunia venderet, Berengarius, qui ad eundem regem Ottonem quondam venit, Hugonem regem Italiæ fugiens, benigneque ab eo tractatus, cum multam pecuniam Hugo pro eo dare vellet, non est redditus. (cf. Liudpr. v, 12, 13.) (Wid. III, 7.) Hic cum postea depulso Hugone regnaret, veritus virtutem singularis prudentiæ reginæ Adelheidis, a Lothario Hugonis filio relictæ, in multis eam afflixit, quo tanti decus splendoris aut extingueret aut certe obscuraret. Hæc autem filia fuit Ruodolfi regis Burgundionum, qui et in Italia regnavit, et domnæ Berhtæ reginæ, Burchardi Alamannorum ducis filiæ, quam, defuncto Ruodolfo, rex Hugo in conjugium duxit, filiamque illius filio suo Lothario copulavit (cf. Liudpr. IV, 12.) (Wid. III, 8 sqq.). Illo in tempore proficiscitur rex in militiam contra Bolizlavum regem Boemiorum, et cum capienda esset urbs quæ dicebatur Nova, in qua clausus obsidebatur Bolizlai filius, prudenti rex consilio diremit prælium, ne miles in capiendis hostium spoliis aliquod incideret periculum. Considerata itaque virtute regis et innumera exercitus multitudine, Bolizlaus, egressus urbe, maluit tantæ majestati subjici, quam ultimam perniciem pati. Sub signis igitur stans et regem audiens responsaque reddens, veniam tandem promeruit. Inde rex plena victoria gloriosus factus, in Saxoniam est regressus. Cumque virtus prefatæ reginæ illum non lateret, simulato itinere Romam proficisci statuit. Et ubi Longobardiam intravit, amorem reginæ predictæ muneribus super se probare temptavit. Quo fideliter experto, in conjugium sibi eam sociavit, et cum ea urbem Papiam, quæ sedes est regni, obtinuit. Quod videns filius ejus Liutolfus [1425], tristis ab eo discessit; profectusque in Saxoniam, aliquamdiu moratus est in loco consiliis funesto Salaveldon. Rex vero in Italia celebratis juxta regalem magnificentiam nuptiis, proficiscitur inde cum novi matrimonii claritate, acturus proximum pascha in Saxonia. Persuasus quoque rex Berengarius a Chuonrado duce, cui Papia cum presidio militari relicta erat custodienda, regem subsecutus est in Germaniam, pacem cum eo facturus et per omnia jussis ejus obtemperaturus. Qui regiam veniens ad urbem, jussus est in hospitio sibi parato manere; neque enim faciem regis per triduum promeruit videre. Quod egre tulit Chuonradus, qui eum adduxerat, pariterque Luitolfus, filius regis, qui unum cum eo sentiebat. Post hæc rex regem alloquitur, et in gratiam regis ac reginæ susceptus, deditionis sponsionem dat fœderisque spontanei diem locumque urbem Augustam designat. Ubi cum conventus fieret, Berengarius manus filii sui Adelberti manibus suis implicans, coram omni exercitu famulatui

VARIÆ LECTIONES.

[1424] *superscr.* 1. [1425] *ita h. l.* 1.

regis cum filio se subjugavit, et ita dimissus cum gratia et pace in Italiam remeavit. Ibi miræ magnitudinis lapis tonitru ac tempestate jactus de cælo, ingens miraculum multis visentibus prebuit.

(Wib. III, 12, 18 sqq.) Nati sunt autem regi filii ex serenissima regina, primogenitus Heinricus, secundus Brun, tercius paterni nominis majestate designatus, quem jam tum post patrem dominum ac patrem sperabat orbis universus, filiam quoque sanctæ matris ejus vocabulo insignitam. Luitolfus autem, filius regis, et Chuonradus [1426], gener ipsius, nova quædam moliuntur contra regem. Quod cum eum non lateret, circa Kalendas Julii moto exercitu contra eos, obvias urbes partis adversæ aut armis aut deditione cepit, quousque Mogontiam perveniret, quam filius jam cum exercitu intravit, patremque, dictu miserabile! armatus exspectavit. Ibi plus quam civile omnique calamitate acerbius bellum cœptum est, machinæ multæ muris admotæ, sed ab urbanis destructæ sunt vel incensæ; crebræ ante portas pugnæ; raro forinsecus stationes fusæ. Cunctando enim res variabant, dum dominatorem regni foris, intus successorem timebant. Obsidio itaque dum sexaginta ferme dies excederet, sermo fit de pace; unde datur obses in urbem consobrinus regis Ekbertus, quo liber in castra illis pateret accessus. Filius cum genero castra ingressi, regalibus vestigiis prosternuntur, spondentes pro scelere omnia se passuros, ut auxiliarii tantum amici nichil mali paterentur. Rex autem non inveniens quomodo meritas penas filio inferret, fautores insidiarum expostulat. Illi autem juramentis vicariis obligati et quodammodo arte antiqui hostis constricti, hoc omnino negabant, sicque infecta re in urbem rediebant. Ekbertus autem, qui obses datus erat in urbem, suasibilibus verbis regi fit adversus, cum et antea propter correptiones ejus illi fuisset iratus. Sequenti igitur nocte Bajoarii comites Heinrici fratris regis, relicto eo, juncti sunt Luitolfo, cum quibus ipse pergens, urbem regiam Ratisponam cepit cum ceteris in ea regione munitissimis, omnemque pecuniam ducis Heinrici suis militibus divisit, conjugem ejus cum filiis et amicis non solum urbe sed et regione excedere coegit. Hæc omnia fiebant consilio Arnolfi junioris fratrumque suorum, eo quod ipse Heinricus paternum haberet ducatum. Rex vero filium subsequens, urbem Ratisponam obsidione circumdedit; sed cum multitudo machinas urbi applicari non sineret, satis dure interdum ab utrisque pugnatum est pro muris. Urbani crebris attriti prœliis, fame quoque periclitari cœperunt. Unde Luitolfus urbe egressus cum principalibus viris, pacem postulat, sed non impetrat, quia patri obœdientiam negat. Reversus vero in urbem, portam orientalem obsidentem armis temptat Geronem, tot victoriis quot prœliis clarum. A tercia igitur hora usque in nonam cum acriter pugnaretur ante portam urbis, equo cadente, ascensor Arnolfus armis exutus ilicoque telis perfossus occubuit. Post biduum a muliere, famem urbis fugiente, mors illius notificatur, dum antea nesciretur. Cujus morte urbani satis consternati, jam de pace tractabant. Proinde interventu principum Luitolfus iterum de urbe progressus, dum mense integro et dimidio obsideretur, pacem obtinuit usque ad condictum diem, dum de his causis dijudicaretur; locusque concilii apud Friteslari notabatur. Rex inde in patriam reversus est, Heinricus vero Novam urbem obtinuit; Ratispona proxima nocte pene tota exusta est. Post hæc exercitandi gratia cum rex venationem ageret in loco qui dicitur Sweldon, filius patri nudatis plantis prosternitur, intima tactus pœnitentia, patris primum, deinde omnium presentium movebat lacrimas. Amore itaque paterno susceptus in gratiam, spondet se obtemperaturum omni paternæ voluntati. Interea summus pontifex Fridericus egrotare nunciatur; quapropter regis placitum modice differtur. Defuncto pontifice, universalis conventus populi celebratur; Mogontia post annum et dimidium cum omni Francia regi traditur; filius et gener in gratiam suscepti sunt, qua et in finem fideliter usi sunt.

Rex ingressus Saxoniam circa Kalendas Jul. obvios habuit legatos Ungariorum, tanquam ob antiquam fidem et gratiam eum visitantes, revera autem, ut quibusdam videbatur, eventum belli civilis considerantes. Quos cum secum aliquantis diebus retinuisset et aliquibus munusculis donatos in pace remisisset, audivit a nunciis fratris, ducis scilicet Bajoariorum: *Quia ecce Ungarii diffusi invadunt terminos tuos, statuuntque tecum inire pugnam.* His rex auditis, quasi nichil laboris preterito anno tolerasset, cœpit ire contra hostes, sumptis secum paucis ammodum ex Saxonibus, eo quod jam bellum Sclavonicum urgeret. Castris igitur positis in Augustæ urbis confiniis, exercitus Francorum et Bajoariorum ei occurrit; cum valido quoque venit equitatu in castra dux Chuonradus; cujus adventu milites erecti, jam optabant non differri certamen. Erat enim dux idem natura audacis animi, et quod rarum est audacibus, bonus consilio, et dum pedes et dum eques iret in hostem, bellator intolerabilis, domi ac militia karus sociis. Igitur ab utriusque exercitus latrocinantibus agminibus notificabatur non longe ab invicem fore uterque exercitus. Jejunio itaque in castris predicato, jussum est omnes ad bellum paratos esse in crastino. Primo diluculo surgentes, pace data et accepta, operaque sua primum duci, deinde ab uno quoque alteri cum sacramento promissa, erectis signis, numero quasi octo legiones procedunt e castris. Ducitur exercitus per aspera et difficilia loca, ne daretur hostibus copia turbandi sagittis agmina, quibus utuntur acerrime, arbustis ea protegentibus. Primam et secundam et

VARIÆ LECTIONES.

[1426] chuorandus I.

terciam legionem direxerunt Bajoarii, quibus prefuerunt prefecti ducis Heinrici ; nam et ipse bello aberat, eo quod valitudine corporis laborasset, qua et mortuus est. Quartam legionem ordinaverunt Franci, quorum rector ac procurator erat dux Chuonradus. (Wid. III, 44 seqq.) In quinta, quæ erat maxima, et quæ dicebatur regia, ipse princeps erat, vallatus lectis ex omnibus militum milibus alacrique juventute, coramque eo angelus — sic enim vocabatur vexillum ejus — denso agmine circumseptus. Sextam et septimam legionem constituerunt Suevi, quibus prefuit Burchardus, cui nupserat filia fratris regis. In octava erant Boemii electi milites mille, armis potius instructi quam fortuna ; in qua et sarcinæ omnes ac impedimenta quæque, quasi ipsa esset tutissima quæ et novissima. Sed aliter res acta est. Nam Ungarii nichil cunctantes[1427] Licum fluvium, qui Lehc dicitur, transierunt, circuientesque[1428] exercitum, extremam legionem sagittis lacessere cœperunt, et impetu cum ingenti vociferatione facto, aliis cesis, aliis captis, sarcinis omnibus potiti, ceteros legionis illius armatos fugere compulerunt. Similiter septimam ac sextam aggressi, plurimis ex eis fusis, in fugam verterunt. Rex autem cum advertisset, bellum ex adverso pretendi, sed post tergum novissima agmina periclitari, misit illuc ducem Chuonradum cum quarta legione ; qui veniens captivos eripuit, predam excussit, latrocinantiaque hostium agmina perturbavit. Fusis latrocinantibus undique adversariorum agminibus, dux ad regem revertitur signis victricibus, mirumque in modum cunctantibus veteranis militibus, gloria victoriæ assuetis, cum novo milite et fere bellandi ignaro triumphum peregit. Totum igitur pondus prælii jam ex adverso esse rex conspiciens, exhortationis gratia suos allocutus est, monens eos antiquarum victoriarum et rerum sedulo bene gestarum, et ut modo in patria non cederent, qui sepius et in aliena victores existerent ; et postquam hujusmodi verba plurima dedit, ad ultimum intulit : *Plura loquerer, milites mei, si nossem verbis virtutem vel audaciam animis vestris augeri, modo melius gladiis quam linguis incipiamus.* His dictis, arrepto clipeo ac sacra lancea, ipse primus equum vertit in hostes, fortissimi militis ac optimi imperatoris officium gerens. Hostium audaciores primum restiterunt, deinde ut socios terga vertere viderunt, obstupefacti nostrisque intermixti, extincti sunt. Ceterorum vero alii equis fatigatis villas proximas intrant, circumfusique armatis, cum mœnibus pariter concremantur, alii flumen contiguum transnatantes, dum ripa ulterior ascendentes non sustinet, flumine obvolvuntur et pereunt. Chuonraradus autem dux fortiter pugnans, animi fervore et solis ardore, qui eo die nimius erat, æstuavit, vinculisque loricæ solutis, dum auram captavit, vulnere sagittæ in adverso gutturis defixæ cecidit. Cujus corpus imperio regis honorifice collectum, transportatur Wormaciam, ibique sepelitur cum fletu et planctu omnium Francorum. Ipsa vero die belli invasa sunt castra, et captivi omnes erepti, secundo autem die ac tercio a vicinis urbibus reliqua multitudo in tantum consumpta est, ut nullus aut rarus evaderet. Tres duces gentis Ungaricæ capti ducique Heinrico præsentati, mala morte, ut digni erant, multati sunt ; suspendio namque crepuerunt. Triumpho celebri rex factus gloriosus, ab exercitu pater patriæ ac imperator est appellatus. Decretis proinde honoribus et dignis laudibus summæ divinitati per singulas æcclesias, hoc idem sanctæ matri suæ per nuncios demandans, cum tripudio ac summa lætitia Saxoniam revertitur, et a populo suo libentissime suscipitur. Neque enim tanta victoria quisquam regum intra ducentos annos ante eum lætatus est.

Rebus igitur rite compositis, per omnem Franciam Saxoniamque et vicinas circumquaque gentes, Romam proficisci statuens, Longobardiam perrexit. Ubi qualiter regem Longobardorum Berengarium, multa mala cum filio suo Adelberto æcclesiis Dei inferentem, duobus annis obsederit, captumque cum conjuge et filiis in exilium miserit, Romanos duobus prælis vicerit, duces Beneventorum subjecerit, Grecos in Calabria et Apulia superaverit, terra Saxonica venas argenti aperuerit, imperium cum filio sibi æquivoco quam magnifice dilataverit, majoris est operis, ideoque conscribi non valet a nobis. (Liudpr. *Hist. Ott.*) Hoc tantum breviter notandum, quod a Johanne papa litteris suppliciter exoratus, quatinus pro amore Dei sanctorumque apostolorum Petri et Pauli sanctam Romanam æcclesiam ex faucibus Berengarii suorumque liberaret, aliorumque multorum episcoporum alteriusque ordinis et laicorum questibus motus, filium suum Ottonem contra morem priorum in puerilibus annis regem constituens, in Saxonia dereliquit, ipse collectis copiis Italiam percitus venit, Berengarium cum uxore sua Willa et filio Adelberto captivos Babenberg in exilium misit, ubi et idem Beringarius defunctus et sepultus est ; ipse vero Romam veniens, mirifico apparatu susceptus, et ab eodem apostolico Johanne imperiali unctione et benedictione sublimatus, imperator et augustus est appellatus. Aliquanto autem tempore in partibus illis commoratus, filium suum Ottonem ad se venire fecit ; qui et in natali Domini coronam regni ab apostolico accepit. Missa etiam legatione Constantinopolim, filiam imperatoris Theophanu nomine inde accepit, quam, celebratis in Italia nuptiis, eidem filio suo conjunxit (cf. *Chr. W.*, Liudpr. *l. l.*—Wid. III, 70-73).

(Wid. III 75, 76,) Post hæc regressus de Italia imperator Otto cum filio rege *, Galliam ingressus est, inde Germaniam transiturus et proximum pascha Quitilingaburg celebraturus. Manens autem ibi decem et septem diebus, descendit inde, ascensionem Domini apud Meresburg celebraturus. Tercia vero

VARIÆ LECTIONES.

[1427] junctantes l. [1428] circuentesque l.

feria ante pentecosten venit ad locum qui dicitur A Mimilewa. Proxima nocte transacta, hora constituta letus ad mensam consedit, venienteque tempore vespertinis laudibus interfuit, sed peracto cantu evangelii, æstuari ac fatigari jam cœpit. Quod cum intellexissent principes circumstantes, imposuerunt eum sedili. Inclinantem autem caput, quasi jam defecisset, refocilaverunt eum, expetitoque sacramento dominico et accepto, sine gemitu cum magna tranquillitate spiritum reddidit Domino, Non. Mai, quarta feria ante pentecosten. Inde transportatur in cubiculum, et cum jam esset sero, transitus ejus nunciatur populo. Cujus corpus cum magnis lugentum exsequiis a filio, rege jam facto **, translatum est in civitatem quam ipse construxit vocabulo Magadeburg, ibique honorifice tumulatum est. B

* coimperatore E. *a.* 972.
** f. suo æquivoco t. E. *l. l.*

Anni Ottonis Magni.

1. (*Chr. W.*) Hujus anno primo, qui est a Dominica incarnatione 937[us], Ungarii * Franciam et Alamanniam et Galliam usque oceanum Burgundiamque devastantes, per Italiam redierunt. — Monasteria sancti Galli et sancti Bonifacii cremantur. — Ruodolfus rex Burgundiæ et Arnolfus dux Noricorum obierunt.

* Ungarii — redierunt *desunt* D. E., *ubi* Monasteria — cremantur *post* Rudolfus — obierunt *leguntur; in fine vero addunt;* Inger— jussit. *ex Sigeb. a.* 936.

2. A. D. 938. Heinricus *, frater Ottonis regis, ab C Eberhardo comite comprehenditur.

* D. E. *habent :* Contra Ottonem — redeunt. *ex Sigeb.*

3. A. D. 939. Otto * rex, cum fratre Heinrico et Gisilberto Eberhardoque puguantibus militibus suis, victoriam reportat.

* D. E. *habent :* Eberhardus et—filium Arnolfi. *ex Sigeb.*

Ab inicio anni 4900.

4. A. D. 940. Rege in partibus Alsaciæ castellum Brisahc obsidente, episcopi quidam, noctu relictis tentoriis, subtraxerunt se. Eberhardus [1429] comes ab Utone [1430] et Chuonrado juxta Rhenum occisus est, Giselbertus dux in aqua suffocatur. * — Burghardus Wirciburgensis episcopus obiit.

* D. E. *habent :* Otto rex in — regem fugit. *ex* D *Sigeb.*

5. A. D. 941. Otto * rex Gallias petiit.

* D. E. : Ludewicus [1431] rex — eos fugat. *ex Sigeb.*

6. A. D. 942. Otto * et Ludewicus reges pacificantur.

* D. E. : Giselbertus et— vulnerato. *ex Sigeb.*

7. A. D. 943. *

* D. E. *hoc anno quæ supra a.* 940 : Rege — suffocatur.

8. A. D. 944. Ungarii * cum Bajoariis pugnant et vincuntur.

* D. E. : Stephanus — secuta est. *ex Sigeb.*

9. A. D. 945. *

* D. E. *addunt :* Otto subjugavit, *ut alii a.* 946, resistente — annis 16. *ex Sigeb.* — 5 — 11. *addunt :* In Italia cometa miræ magnitudinis apparuit, portendens famem quæ secuta est. *ex Sigeb.*

10. A. D. 946. *

* D. E. *addunt :* Heinricus, frater regis, projectis — excluditur. *ex Sigeb.* — 5 — 11. *addunt :* Otto rex totam Lotharingiam sibi subjugavit. *ex Sigeb.*

11. A. D. 947. Bertholfus * dux Bajoariorum, frater Arnulfi ducis, moritur, et Heinrico fratri regis ducatus committitur. — Edith [1432] regina obiit.

* E. r. o. B.— committitur. D. E., *qui addunt.* Berengarium — repetit. *ex Sigeb.*

12. A. D. 948. *

* D. E. *addunt :* Rege— tyrannizat. *ex Sigeb.*

13. A. D. 949. Herimannus [1433] dux Alamannorum moritur; pro quo Luitolfus, filius regis Ottonis, dux constituitur. *

* D. E. *addunt :* Taxis — accipit. *ex Sigeb.*

14. A. D. 950. Otto * rex Italiam petiit, eamque sibi subjecit; rediensque, Papiam Chuonrado [1434] duci Lothariorum tuendam commisit.

* D. E. *habent :* Per loca — facti sunt. *ex Sigeb.*

15. A. D. 951. Berenger rex Longobardorum, Chuonrado suadente, apud Augustam cum filio suo Adelberto ad deditionem venit, factusque miles regis, remissus est in regnum cum pace. *

* D. E. *addunt :* Mogontia — relaxatus est. *ex Sigeb.*

16. A. D. 952. Otto rex Italiam intravit causa Adelheidæ reginæ, ipsaque accepta uxore, nuptias celebravit Papiæ.

17. A. D. 953. Luitolfus dux * patri rebellat et dux Chuonradus cum eo.

* d. instinctu Chuonradi ducis p. r. Bellum fuit — luculenter descripsit. D. E. *ex Sigeb.*

18. A. D. 954. Ungarii * Italiam petunt, Noricam et Franciam.

* D. E. *habent :* Ratherius — Farabertum. Liutolfo — redeunt. Ludewico — ann. 32. *ex Sigeb. a.* 954. 955.

19. A. D. 955. Ungarii * totam Bajoariam depopulantes, juxta Augustam Alamanniæ urbem ab Ottone rege pugna victi, immensa cede necantur.

* D. E. *habent :* Friderico — episcopus substituitur, *ex Sigeb. a.* 956.

20. A. D. 956. Luitolfus * dux Italiam hostiliter intravit.

* D. E. : L. d. filius regis I. h. intrat et Adelbertum vincit, ipseque eodem anno moritur. Ungariis iterum — occubuit. Brun archiepiscopus cenobium — construxit. *ex Sigeb. a.* 957.

21. A. D. 957. Luitolfus * Adelbertum vincit, et ipse eodem anno moritur.

* D. E., *qui hæc a.* 956. *habent, hoc anno :* Brun — fecit. *ex Sigeb. a.* 958.

VARIÆ LECTIONES.

[1429] Giselbertus dux et *ante* Eberhardus *erasa* 1. [1430] ŏtone D1. [1431] Luodewicus E1. *sæpius.* [1432] E. r. c. *desunt* 4. [1433] *hæc desunt* 7. [1434] chŭrado 1

22. A. D. 958. Cruces in vestibus hominum apparuerunt. *

* D. E. *addunt :* Brun — regem confugierunt. *ex Sigeb. a.* 959.

24. A. D. 960. Poppo Wirciburgensis episcopus obiit. *

* D. E. *addunt :* Apud Constantinopolim — ann. 10. Gallia et — tendit. *ex Sigeb. a.* 961.

26. A. D. 962. Otto [1435] rogatu Johannis papæ et querimonia multorum de Berengario et filio proclamantium, Romam tendit *, ibique imperator ab eodem papa ** factus, Berengarium capit, et cum conjuge sua Willa nomine ad castellum Babenberg misit, ubi et presentem vitam clausit.

* Otto [rex E.] Italia pervagata Romam pervenit, ibique D. E. *cf. Sigeb. a.* 963.
** a Johanne papa D. E.

27. A. D. 963. Otto imperator natale Domini Papie agit. *

* D. E. *addunt :* Post hæc Italia exit. Adelberone — subrogatur. *ex Sigeb. a.* 964.

28. A. D. 964. Otto * imperator natale Domini Rome moratur; ubi et filius ejus Otto coronatur.

* D. E. : imperator pentecosten — æquiperari. Otto Italiam repetit. Brun — refertur. *ex Sigeb. a.* 965.

31. A. D. 967. * Otto imperator de Italia redit.

* D. E. : Otto junior — papa in natale Domini in imperatorem benedicitur. Willihelmus — obiit *ex Sigeb. a.* 968. 966. Item Mathildis regina, mater ipsius imperatoris, plena operibus bonis et elemosinis, defuncta est.

32. A. D. 968. **. *1

* D. E. *addunt :* Quidam o. i. familiaris — mereretur. *ex Sigeb. a.* 969.

*1 E1. (*alia manu*) *et* 2. *in marg. habent :* Hoc anno regalis abbatia in Magadaburch mutata est in archiepiscopatum.

33. A. D. 969. Mathildis *, mater imperatoris, obiit.

* D. E., *qui hæc a.* 967. *habent, hoc anno :* Theodericus — collegit, et hec cum parte — donata in Galliam — locavit. *ex Sigeb.*

34. A. D. 970. *

* D. E. *addunt :* Apud — Niceforo imperavit. *ex Sigeb.*

35. A. D. 971. Signum quoddam ignei coloris in cœlo apparet. *

* D. E. *addunt :* Otto — sociavit. *ex Sigeb*

36. A. D. 972. *

* D. *addit :* Otto senior — conscripsit. *ex Sigeb.* Post Johannem — 123us. *ut infra a.* 974. E. *addit :* Regressus de Italia imperator — tumulatum est. *ut supra.* Cujus vitam *etc. ut* D.

37. A. D. 973. *

* D. E. *habent quæ* 1. *rell. a.* 975.

38. A. D. 974. * Otto imperator obiit Non. Mai. Eodem anno sanctus Oudalricus migravit, anno episcopatus sui Post [1436] Johannem papam Benedictus A ordinatur 122us, post quem item Benedictus 123us.

* D. E. *tantum :* Sanctus O. — 50., *addunt vero :* Raginerus, junior filius Ragineri — rediit, et cum Warnero comite, qui comitatum patris sui ab imperatore acceperat, apud Perronam bello conflixit, eoque cum multis interfecto, hereditatem patriam recepit. Ratherius apud [1437] Lobias moritur, cujus est de se monosticum hoc : « Ratherius presul, sed ter Ratherius exul », qui hoc epitaphium tumulo suo inscribi fecit « Conculcate pedes hominum sal infatuatum. » Gelu — vernale. *ex Sigeb. a.* 974. 973. 975.

Anni Ottonis secundi.

1. Anno * Dominicæ incarnationis 975. ab Urbe autem condita 1726. Otto secundus, Magni [1438] filius 82° loco ab Augusto, regnare cœpit, et annis 9 B regnavit. (Wid. III, 76.) Hic vivente patre in regnum electus Romæque ab apostolico regni corona decoratus, mox ut pater defunctus est, ab omnibus qui aderant denuo eligitur, et in regni sede locatur.

* *His a.* 973. (1724.) *exstantibus (legitur* LXXVI°... annis X.), *hic annus vacuus est* D. E.

3. A. D. 977.*

* D. E. *addunt :* Lotharius rex Francorum Lotharingiam recipere volens, usque ad palatium Aquisgrani venit. Quem Otto imperator insecutus, usque Parisius nullo obsistente omnia vastando pervenit; in redeundo circa Axonam fluvium partem impedimentorum amisit. Et quia nil pensi neque moderati habuerunt, quin etiam æcclesias sanctorum depopularentur, quidam famulus Dei reclusus predixit, quod nullus auctorum hujus mali usque ad septennium vivendo duraret. *cf. Sigeb. a.* 978.

4. A. D. 978.*

* D. E. 4—11. *addunt :* Igneæ acies visæ sunt in cœlo per totam noctem 5. Kal. Novembris. *ex Sigeb.*

5. A. D. 979.*

* D. E. *addunt :* Otto i. et L. — petit. *ex Sigeb. a.* 980.

6. A. D. 980.*

* D. E. *addunt :* Otto — habebat. *ex Sigeb. a.* 981.

7. A. D. 981. *. *1

* D. E. *addunt :* Greci — proditus, et per illius miserationem et industriam re delata — liberatus vix evasit. Omnibus — haberi *ex Sigeb. a.* 982.

*1) E1. (*alia manu*) *et* 2 *addunt :* Adalbertus primus Magad. archiepiscopus obiit.

8. (*Chr. W.*) A. D. 982. Otto * imperator, apud Calabriam occiso a Grecis exercitu, de navi exiliens, natatibus aufugit. *2

* *Hæc desunt* D. E.

*2) 10. 11. *addunt :* Otto dux Suevorum obiit; Chunradus successit. *ex Bernoldo.*

9. A. D. 983 [1439] * Otto imperator Romæ moritur 6. Idus Decembris, ibique sepelitur. — Poppo [1440] junior Wirciburgensis episcopus obiit.

* D. E. *a.* 982. : O. i. tedio et angore animi de-

VARIÆ LECTIONES.

[1435] *Hæc a.* 961. *scripta postea a.* 962. *assignat* 1. [1436] Post — 123us *desunt* 4. [1437] *deest* D1. [1438] m. Ottonis 5. D. E. [1439] 982. 5. [1440] Poppo — obiit *desunt* 4.

ficiens R. — sepelitur. De imperatore autem substituendo inter primates dissentitur, aliis odio imperatricis Theophanu, quod sibi illa per suam levitatem conciverat, imperium a filio ejus Ottone transferre volentibus ad Heinricum ducem, filium Heinrici qui frater fuit primi Ottonis, aliis vero legitimo heredi Ottoni, Ottonis imperatoris filio, imperium deberi certantibus; quorum etiam pars prevaluit. *ex Sigeb. a.* 983. Poppo, *etc.*

A

Anni Ottonis tercii

1. Anno Dominicæ incarnationis 984.* ab Urbe condita 1735. Otto tercius, Ottonis secundi filius, ammodum puer, 83° loco ab Augusto, Romanum imperium suscepit, et annis 17 regnavit.

* 983... 1734..... 77° .... 18... D. E., *qui addunt :* Theodericus — ducis. *ex Sigeb. a.* 984. *Annus* 984. *vacuus.*

B

2. A. D. 985.*

* D. E. *addunt :* Lothario — uno. *ex Sigeb. a.* 986.

3. A. D. 986*.

* D. E. *addunt :* Ludewico — patruum defuncti regis t. v. dum — ann. 9. *ex Sigeb. a.* 987.

4. A. D. 987.*

* D. E. *addunt :* Inundatio — sunt. Karolus, frater Lotharii regis, dux Lothariensium, regnum — mense, mira Dei virtute et inaudito modo obsessi — evasit. *ex Sigeb. a.* 988.

5. A. D. 988. Fames * magna facta est.

* D. E. *habent :* Siccitas — secuta est. Fertur — ferebant. Karolus — revertitur. *ex Sigeb. a.* 989.

6. A. D. 989. * Hugo Wirciburgensis episcopus obiit. C

* D. E. *addunt :* Theophanu imperatrix, mater Ottonis tercii [imperatoris *addit* D.] obiit. Karolus dux iterum Remim — relegat. *ex Sigeb. a.* 990.

7. A. D. 990.*

* D. E. 5—11. *addunt :* Karolus dux moritur, Otto filius ejus [1551], succedit. *ex Sigeb.*

8. A. D. 991.*

* D. E. *addunt :* Remis — excommunicatus dampnatur. Gerbertus episcopus subrogatur Remis, cujus est hoc de se monosticum : « Scandit ab R. Gerbertus ad R., post papa viget R. »; insinuans se de Remensi presulatu ad Ravennatium [1552] presulatum scandere, post etiam papam Romanum fore. *ex Sigeb. a.* 992.

9. A. D. 992.*

* D. E. *addunt :* In Burgundia — claruit. *ex Sigeb. a.* 993. — 5 — 11. *addunt :* Remis synodus congregatur. *ex Sigeb.*

10. A. D. 993.*

* D. E. *addunt :* Gerbertus, qui et Silvester cognominatus est, Romanæ æcclesiæ presidet. Quidam transito — lecta scribimus. *ex Sigeb. a.* 998. — 5 — 11. *addunt :* In Burgundia Oudelo ex clerico Privatensi monachum professus, in Cluniacensi cœnobio preficitur. *ex Sigeb.*, *quæ* D. E. *anno superiori.*

11. A. D. 994. Sanctus Adelbertus, episcopus de Praga civitate, a Prucis martyrio coronatur *. — Berenwardus [1553] episcopus Wirciburgensis obiit.

* D. E. *addunt :* Hugone — annis 55. *ex Sigeb. a.* 996.

12. A. D. 995.

* D. E. 5 — 11. *addunt :* Heribertus Coloniensium archiepiscopus ordinatus, multa sanctitate claret. *ex Sigeb. a.* 997. Ch. d. o. *ut a.* 997.

14. A. D. 997. Chuonradus * dux obiit.* 1

* *Hæc a.* 995. D. E.

*1) 10. 11. *addunt :* Herimannus successit. *ex Bernoldo.*

16. A. D. 999.*

* D. E. *addunt :* In Italia Crescens — rebellat. *ex Sigeb.* — 5 — 11. *addunt :* Terræmotus permaximus factus est. *ex Sigeb. a.* 1000.

17. A. D. millesimo.*

Anno [1554] regni sui 18° Otto imperator tercius obiit 5 Kal. Febr., eo videlicet anno qui ab incarnatione Domini inscribitur millesimus primus. Cujus intestina Augustæ, reliquum corpus Aquisgrani sepelitur.

D. E. : A. D. millesimo terræmotus permaximus factus est. Otto imperator ad debellandum Crescentem Romam proficiscitur, eique Crescens bello congreditur, sed victus — suspenditur. *ex Sigeb. a.* 1000. 1001.

Anno regni sui 19° Otto imperator, quem uxor Crescentis spe regnandi ad amorem suum pellexerat, dum, invitus ab invita suasu exercitus sui abstractus, decedit Italia, veneno ab ea sibi transmisso consumptus, inter remeandum in Italia moritur 5. Cal. Febr. — primus (*ut supra*). Veneficio ejusdem mulieris etiam papa Romanus gravatus asseritur, ita ut loquendi usum amiserit. Milites — putaretur, Heinricus Bajoariæ dux cum magna militum manu occurrit, et injuriato Coloniensium a. — imperatoris. Qui tandem conciliatis — archiepiscopo. *ex Sigeb. a.* 1002. Ottonis autem imperatoris intestina — sepelitur. *ut supra.*

Anni Heinrici secundi.

1. Anno Dominicæ incarnationis 1001, ab Urbe autem condita 1752, Heinricus secundus, primum dux Bajoariæ, deinde, Ottone tercio absque filiis defuncto, in regni provectus culmine, 84° [1555] loco ab Augusto, regnum accepit, et annis 23 ac mensibus 5 regnavit, 12 annis sub nomine regis, 11 dignitate et nomine imperatoris. Hic in regni sede sublimatus, cum Heinricum marchionem aliosque in inicio regni sui sibi resistentes superasset, Italiam et Boemiam ac Bolizlaum cum omni gente Sclavorum subjugasset, data sibi requie a Domino, considerans se filios non habiturum, quippe qui, ut multi testantur, consortem regni Cunigundam nunquam cognovit sed ut sororem dilexit, Dominum bonorum omnium datorem habere delegit he-

D

VARIÆ LECTIONES.

[1551] *deest* El. 9c. [1552] ravenatium D1. [1553] B. e. w. o. *desunt* 4. [1554] Anno sepelitur *in loco raso* 1. [1555] LXXVIII. D. E.

redem, sexteque regni sui anno sapienti [1446] consilio episcopatum Babenberg in honore sancti Petri sanctique Georgii constituit, locumque ipsum prediorum divitiis et omni ornatus decore, ut inpresentiarum cernitur, copiosissime ditavit (237). In meridiana quoque parte civitatis monasterium in honore sancti Stephani protomartyris sub ordine canonico construens, ex altera vero, hoc est aquilonari, aliud monasterium sub monachili regula in honore sancti Michahelis archangeli sanctique Benedicti abbatis constituens, sibi suæque civitati supra petram apostolicæ firmitatis fundatæ, muroque et propugnaculis meritorum sancti Georgii ceterorumque sanctorum munitæ ac exornatæ, contra incentivos vitiorum jactatus turrim fortitudinis in Stephano, et contra refrigerantes flatus illius, qui in aquilone, unde malum omne pandetur, sedem ponere disposuit, refugium certum in angelico preparavit presidio (238), ut a dextris et a sinistris justiciæ armis vallatæ in nullo sufficiat insidiator prevalere. Aliis quoque sanctorum locis per regni latitudinem non minus, prout opus erat. munificentiæ suæ impertivit largitatem, quædam dilapsa jam in melius restituens, quibusdam quæ minus subpetebant adjiciens. Regis autem frater erat Brun, Augustensis sedis episcopus, qui felicibus fratris actibus invidens, multas ei adversitatum injurias in quantum potuit inferebat, et * ubi per se non poterat, inferentibus se adjungebat, vel alios ad inferendas exhortando, stimulos eis incitationis subigebat. Cui frater non solum talionem non reddidit, verum etiam fraterna ** instructus dilectione, omnia dissimulando et patienter sustinendo, illum bono vincere satagebat. Horum sororem, bonæ memoriæ feminam, Giselam [1447], rex Ungariorum qui *** Stephanus dicebatur in conjugium expetivit, sed eam [1448] ducere non promeruit, donec se christianæ religionis rudimenta et sacri baptismatis sacramenta cum omni gente sua suscepturum promisit. Quam pollicitationem ubi rebus perfecit, religiosus Deoque devotus postea in exsecutione bonorum operum permansit; quod divina pietas post mortem ejus evidentibus indiciis, ad sepulturam ejus factis signorum miraculis, demonstravit. — Rex **** autem Heinricus, postquam bonæ opinionis odorem longe lateque redolere fecerat locumque sibi dilectum cum ceteris monasteriis ditando et ornando et excolendo ad perfectum adduxerat, divina vocatione viam universæ carnis ingressus, Deo reddidit animam feliciter, ut credimus, 3. Idus Julii, anno regni sui 24°, imperii autem 11°, vitæ vero 52°, sepultusque est Babenberg in cpyscopio a se facto, in sancti Petri apostoli monasterio.

* et — subigebat *desunt* E.

** fraternæ dilectionis et patienciæ bono illum vincere studuit. D. E.

*** qui postea Stephanus in baptismo dictus est. D. E.

**** Rex — monasterio *desunt hoc loco* E. (*v. infra a.* 1024.)

2. (*Chr. W.*) A. D. 1002. Heinricus rex Heinricum marchionem et alios sibi resistentes cum exercitu petit.

3. A. D. 1003. Heinricus rex Italiam, Boemiam, Bolizlaum ducem cum omni Sclavorum gente subjugavit.

4. A. D. 1004. Fames * magna [1449] facta est **.

* D. E. : Cometes longo tempore apparet, et fames valida subsequitur. Heinricus Valentianas — invaserat. Qui gratiam regis et ipsum castrum in beneficium sibi dari pecunia promeruit. * 1 *ex Sigeb. a.* 1006, 1007.

** 5 — 11 *addunt :* Cometes longo [1450] tempore apparuit. *ex Sigeb.*

*1) E1. (*alia manu*) *et* 2 *addunt :* Gisilherus IIus Magad. archiepiscopus obiit.

5. A. D. 1005 *.

* D. E. *addunt :* Helpericus — compoti scripsit *ex Sigeb.*

6. A. D. 1006. * Epyscopium Babenberg a rege Heinrico constituitur, et Eberhardus ibi episcopus preficitur.

* D. E. *addunt :* Burchardus ordinatur Wormatiæ episcopus, qui — defloratum, *ex Sigeb. a.* 1008.

7. A. D. 1007 *.

* D. E. *addunt :* Eclypsis [1451] — secunda, *ex Sigeb. a.* 1009.

8. A. D. 1008. Brun, episcopus ex monacho, a Prucis multis suppliciis afflictus, et manibus pedibusque abscisis, postremo capite plexus, cœlos petiit. — Eberhardus * episcopus ordinatur.

* E. e. o. *desunt* D. E.

10. A. D. 1010 *.

* D. E. *addunt :* Theodericus Mettensium episcopus, dotem et patrimonium reginæ Chunigundis, quæ soror erat sua, æcclesiæ Babenbergensi a rege delegari, dolens, contra ipsum rebellat.

11. A. D. 1011 *.

* D. E. 5—11 *addunt :* Heinricus rex Mettim [1452] urbem obsidet, donec mediante justicia pax inter eos convenit. *cf. Sigeb. a.* 1009. D. E. *pergunt :* Inter milites Baldrici Leodicensis episcopi eo presente et Lambertum [1453] comitem Lovaniensem apud villam Hugardis dictam prælio conserto, episcopus — infortunio, *ex Sigeb. a.* 1013.

VARIÆ LECTIONES.

[1446] s. usus E. [1447] *in margine* 1. [1448] eum 1. 5. *corr.* cam 10. [1449] *deest* 10. 11. [1450] longum tempus 10. 11. [1451] Æclypsis D1. [1452] mettensem 5. metum 10. 11. [1453] lampertum E1.

NOTÆ.

(237) Cf. Vitam Heinrici Vol. IV editam, cujus auctor hæc exscripsit, sed chartis aliisque documentis illustravit.

(238) i. e. sancti Michaelis.

13. A. D. 1013. * Heinricus Romæ imperiali benedictione coronatur a Benedicto papa *2.

* 1012. D. E., *qui a.* 1013 : Gotefridus dux comitatum Ragineri Montensis depopulatur — perimitur. Quod quidam militum videns, phylacterium cum stupore colligens in caliga sua abscondit, sed celari non potuit, quia coxa ejus et crus intumescens rem prodere coegit, et phylacterium domino suo Herimanno, fratri ducis, dedit, *ex Sigeb. a.* 1015.

*2) E1. (*alia manu*) *et* 2 *addunt* (1012) : Dagino III^us Magad. archiepiscopus obiit. Eodem anno etiam obiit Walthardus IV^us Magad. archiepiscopus.

14. A. D. 1014. * Ernest dux in venatu occiditur.

* C. *hoc anno postea, sed eadem manu, insertum habet :* Ernest, dux orientalis Franciæ, in venatu a proprio servo incaute sagittam dirigente occiditur; cujus dignitas episcopio Wirciburgensi ad augmentum suum ab imperatore delegatur. — D. E. *addunt :* Symeon — declaravit, *ex Sigeb. a.* 1016.

15. A. D. 1015 *.

* 5—11 *addunt :* Symon monachus de monte Syna hoc tempore claruit.

16. A. D. 1016. Heinricus * Wirciburgensis episcopus obiit.

* D. E. : In Fresonia inter Gotefridum ducem et Theodericum comitem Fresonum prælio conserto, dux cum gravi militum suorum dampno inferior recessit, *cf. Sigeb. a.* 1018.

17. A. D. 1017 *.

* D. E. *addunt :* Ruodolfus — B. s. simulata revocat, *ex Sigeb. a.* 1020.

18. A. D. 1018 *.

* D. E. *addunt :* Benedictus — venit. *ex Sigeb. a.* 1020. Heinricus — obiit. *ut supra a.* 1016.

19. A. D. 1019. Benedictus papa Babenberg veniens, æcclesiam sancti Stephani dedicavit *. — Eodem anno Werenherus Argentinæ episcopus cum Alamannis contra Burgundiones pugnavit et vicit.

* D. E. *ita :* Heinricus imperator Coloniæ natalem Domini celebrans, Heriberto archiepiscopo, quem olim in diripiendis imperii insignibus injuriose exacerbaverat, humili satisfactione placat, eique reconciliatus episcopus predixit, se eum non amplius visurum; quod eum veraciter predixisse patuit, quia non multo post obiit et Pilegrinum successorem episcopatus accepit. *ex Sigeb. a.* 1021. E. *pergit :* Durandus episcopus fit Leodicensium; quod quasi fabula in theatro mundi fuit, quod vir ex pauperrimo et humillimo servilis conditionis genere ad summum pontificii gradum provectus, etiam dominis suis carnalibus dominatus fuerit. *ex Sigeb. a.* 1021.

20. A. D. 1020. Terremotus magnus factus est 4 Idus Mai, feria [1454] 5. * Eo anno Heribertus Coloniensis archiepiscopus obiit. Cui Piligrinus successit.

* *Reliqua desunt* D. E., *ubi legitur :* Erbo Mogontiæ archiepiscopus ordinatur; cujus super aliquot psalmos tractatus inveniuntur [1455].

21. A. D. 1021. indictione 5. * 4. Non. Novembr. feria 5, anno regni gloriosi imperatoris Heinrici secundi 21. imperii autem nono, ipso presidente ac disponente, Eberhardus, primus æcclesiæ Babenbergensis episcopus, ordinationis suæ anno 13° dedicavit æcclesiam sancti Michahelis in monte, in honorem ejusdem sancti archangeli sanctique Benedicti abbatis. Huic igitur consecrationi interfuerunt episcopi multi, scilicet Aribo Mogontinus, qui altare sancti Martini dedicavit, Piligrinus Coloniensis, qui altare sancti Petri consecravit, cum aliis multis. Eundem autem locum inhabitare cœpit primus pater ejusdem monasterii Rato, anno Domini incarnationis 1015 [1456], eodemque anno fundamenta ipsius monasterii locata sunt, et secundo anno Heinrici abbatis secundi templum ipsum dedicatum est.

* *Hæc desunt* D. E. *qui tantum habent :* Eclipsis [1457] solis facta est. *ex Sigeb. a,* 1023.

22. (*Chr. W.*) A. D. 1022. Heinricus imperator Novam Trojam deditione cepit, et mortalitas magna in exercitu facta est. Gebehardus Ratisponensis episcopus obiit; pro quo item Gebehardus ordinatur.

23. A. D. 1023. *1

*1) E1. (*alia manu*) *et* 2 *addunt :* Gero V^us Magad. archiepiscopus obiit.

24. A. D. 1024. * Heinricus imperator secundus migravit. *2

* D. : Heinricus imperator, cujus vitam Adelboldus Trajectensis episcopus descripsit, consulentibus se super substitutione regni, designans Chuonradum, virum regii generis et egregiæ libertatis, quippe qui nullius unquam se servituti submiserat, moritur. Et cum Chuono dux prepotens ad regnum aspirare vellet, instinctu Erbonis archiepiscopi et aliquorum regni primatum repudiatur, et Chuonradus ad imperium sublimatur. *ex Sigeb.* — E. : Heinricus imperator postquam bonæ opinionis — monasterio. *ut supra.* Cujus vitam A. T. e. d. Isdem adhuc vivens consulentibus — sublimatur. *ut* D.

*2) 4. *addit :* Cujus uxor Chunigunt absque filiis — obiit.

Luitolfus dux Saxoniæ (239).

Brun dux, a Danis occisus. Otto dux Saxoniæ.

Heinricus rex. Baba.

Heinricus dux Bajoariæ. Otto Magnus imperator. Adelbertus quem Ludewicus decollavit.

Heinricus dux Bajoariæ. Otto imperator.

Heinricus Babenbergensis dux Bajoariæ, Otto imperator.
postea imperator. Cujus uxor Cunigunt [1458]
absque filiis obiit.

VARIÆ LECTIONES.

[1454] feria V. *desunt* 4. 5. IV. Idus Mai feria V. *desunt* E1. [1455] invenitur E1 [1456] XV. *e. corr.* 1. [1457] Æclypsis D1. [1458] C. imperatrix E1.

NOTÆ.

(239) Hoc stemma genealogicum omittunt *D.* 4. 6—9^c. — 5. circa stemma versus habet, quos etiam

Anni [1459] Chuonardi II.

Anno Dominicæ incarnationis 1025, ab Urbe condita 1776, Chuonradus, ex regni primoribus unus, sed regno antea per rebellationem adversus, principibus pro ejus electione dissidentibus, Aribone autem Mogontino archiepiscopo et Eberhardo Babenbergensi presule sibi faventibus, 85° [1460] loco ab Augusto, regnum suscepit, et annis 15 regnavit. Sublimatus autem in regni sede, consilio Brunonis episcopi Augustensis, fratris Heinrici imperatoris, qui semper, ut supra dictum est, felicibus ejus invidebat actibus, Babenbergensem epyscopatum meditabatur destruere, quia idem Brun episcopus promisit reginæ Giselæ, omnia predia hereditario jure ad se pertinentia filio ejus Heinrico contradere. Locus igitur et tempus conventui statuitur, ubi hæc res ad certum perducatur. Nocte vero, quæ diem precesserat in qua hæc ventilanda erant, Eberhardus episcopus ad tentorium predicti Brunonis clam accessit, lectoque ejus assidens, multa super hac monendo, obsecrando, memoriam fratris animo inculcando, cum eodem sollicitus egit. Qui ubi jam multa noctis hora transacta recesserat, et episcopum pro auditis sollicitatum somnus obpresserat, visus est ei frater suus imperator Heinricus lecto suo astare, faciemque suam barba ex una parte depilata turpatam objectare. Cui super hac re stupido et ammiranti, ac quis tam temerarios ausus in eum presumeret interroganti : *Tu*, ait, *hæc fecisti, qui me et sanctos Dei, quos rebus a Deo michi concessis dotavi, despoliare disposuisti. Cave jam ulterius super hac temeritate, ne incepta luas magna infelicitate.* Ad hæc ille expergefactus, ac de visione non parum perterritus, membrorum quoque horrore ac tremore non leniter est attactus. Mane autem facto, cum diu exspectatus ad conventum procerum non veniret, regina pro filio sollicita, nunciis missis obnixe rogavit, ut adveniens promissa perficeret. Ille vero affirmabat, se tanta infirmitate gravari, ut nec de lecto surgere nec pedem posset quoquam movere. Cumque rogaretur, ut se in lecto ad conventum deportari pateretur, quo vel sic promissio perficeretur, A omnino abdicavit, seque in Deum et in sanctos ejus et in fratrem suum peccasse, libera tandem voce proclamavit. Sic itaque divina pietas per merita famuli sui, ne spe, quam in se posuit, fraudaretur, omnia illius pravæ conspirationis machinamenta repressit, idque quod ab eo bene cœptum est confirmando, semper exinde ad meliora provexit *. — Secundo igitur regni sui anno Chuonradus rex filium suum Heinricum regem fecit, et ipse Romam pergens, imperialem benedictionem accepit. Post hæc Knuth, regis Danorum, filiam, nomine Cunigundam, filio suo conjunxit, seque ad bene agendum studiosius accinxit. In proprio quippe castello Lintburg dicto, ad alios usus quondam sibi grato, monasterium construxit, prediorumque copia illud ditans, B monachorum congregationem sub abbatis provisione illuc introduxit (240) ; Spirense quoque epyscopium provehere statuens, sed vivendi meta eo usque non pertingens, filio suo Heinrico suæ voluntatis effectum commisit, quem ipse magnifice cœpit, sed filius ejus item Heinricus magnificentius perfecit.

* E. *pergit :* Primo itaque regni sui anno Chuonradus rex in proprio castello Lintburg — perfecit. Dissensio magna ipso tempore contra Chuonradum in regno t. s. d. c. s.

1. (*Chr. W.*) Primo itaque Chuonradi regis anno dissensio magna contra eum in regno tumultuatur, sed divinitus cito sedatur.

2. A. D. 1026. Heinricus, Chuonradi regis filius, C rex efficitur ; Chuonradus vero Romam tendens, imperiali benedictione provehitur.

3. A. D. 1027. Brun Augustensis episcopus et Welefo comes predas et incendia inter se conficiunt.

4. A. D. 1028. Ernest dux Alamannorum et Welefo comes Chuonrado imperatori ad deditionem veniunt.

5. A. D. 1029. Brun Augustensis episcopus obiit ; cui Eberhardus successit.

6. A. D. 1030. Chuonradus imperator Stephanum Pannoniæ regem cum exercitu petit. Interea in Ala-

VARIÆ LECTIONES.

[1459] *desunt* 1. D. E. [1460] LXXVIIII. D. E.

NOTÆ.

6 — 9[c] receperunt :

Saxonicum stemma confert (a) Ottonica (b) regna (c),
Tenet augustos cœlum, mare terraque christos.
Undique nobilior Heinriciane decor.

In E1. super stemmate primus legitur versus. — Idem qui stemma Karolorum præmittit, tercium addit hoc :

Counradus imperator
+ Heinricus imperator,
Heinricus imperator.
Counradus rex. *Heinricus rex.* *+ Adelheit uxor Liupoldi marchionis.*

(240) Cf. diploma in Actis palat. VI, p. 274.

(*a*) conferat 8. 9[c]. *corr.* confert 7. 9[a].
(*b*) attonica 8.
c) regina *corr.*, *ut videtur* regna 9[c].

mannia Ernest dux et Werinherus comes cum aliis multis occiduntur, 16 Kal. Sept.

7. A. D. 1031. Stephanus rex per legatos cum imperatore pacificatur.

8. A. D. 1032. * Ruodolfus rex Burgundiæ moriens, diadema suum Chuonrado imperatori misit.

* D. E. *addunt :* Rutpertus [1461-64] et Richardus a Normannia digressi, Apuliam expetunt et patriotas fortiter debellant. *ex Sigeb.*

9. A. D. 1033. Meginhardus episcopus Wirciburgensis obiit. Chuonradus imperator in hieme Burgundiam petit. Eclypsis solis facta est 3 Kalend. Julii, hora [1465] sexta.

10. A. D. 1034. Imperator Franciam petit contra Outonem. Item [1466] Burgundiam vastat.

11. A. D. 1035. Wirbinam castellum, in confinio Saxoniæ positum, pagani qui Liutici dicuntur obtinent, multis ex christianis occisis et captis. Quos imperator cum exercitu petit.

12. A. D. 1036. Gebehardus secundus Ratisponæ episcopus obiit; pro quo item Gebehardus tercius successit. — Heinrico, imperatoris filio, Knuth regis Danorum filia conjungitur. — Luitici tributarii facti sunt imperatori. — Piligrinus Coloniensis archiepiscopus moritur; pro quo Herimannus ordinatur.

13. A. D. 1037. Chuonradus imperator Italiam cum exercitu petit, et Mediolanensem episcopum in custodiam mittit; qui fuga lapsus imperatori rebellat. — Outo princeps Karolingorum a Gozelone Lothariorum duce pugna victus, fugiensque a quodam milite occiditur.

14. A. D. 1038. Stephanus Ungariorum rex religiosus obiit.

15. A. D. 1039. Chunigunt imperatrix, mater pauperum, dives ipsa, divitem migravit ad Christum 5 Non. Martii. — Herimannus dux Alamannorum, filius Gisilæ imperatricis, obiit. Chuonradus imperator obiit 2 Non. Junii, et sepultus est Spiræ. Reginboldus Spirensis episcopus obiit 3 Idus Octobr. — Eclypsis solis facta est 11 Kal. Septembris.

Anni ab initio 5000.

Anni Heinrici tercii.

1. Anno Dominicæ incarnationis millesimo quadragesimo, ab Urbe autem condita 1791, Heinricus tercius, Chuonradi imperatoris filius, jam dudum patre vivente rex constitutus, 86° [1467] loco ab Augusto, patri successit, et 17 annis regnavit. Eberhardus [1468] primus Babenbergensis episcopus obiit.

2. (*Chr. W.*) A. D. 1041. Heinricus rex ducem Poemiæ Fratizlaum bello petiit; sed multis proceribus et militibus in prestructione silvæ citra ultraque occisis vel captis, nil memoria dignum efficere potuit. — Petrus quoque Ungariorum rex eidem duci contra regem auxilia misit.

3. A. D. 1042. Ungarii quendam Ovonem sibi regem fecerunt, et Petrum regem suum expulerunt. Qui profugus et exsul, Heinrici regis, cui priori anno rebellavit, gratiam querit et invenit. — Heinricus rex Boemiam ingressus, igne predaque cuncta devastat, et rebellem ducem obsides dare ipsumque post se Ratisponam ad deditionem humillimam venire sibique jurejurando fidelitatem ac servicium confirmare coartat. — Ovo rex Ungariorum, ob susceptum a rege Heinrico Petrum a se expulsum, fines Bajoariæ predis depopulatur; sed magna pars exercitus ejus ab Adelberone marchione deletur.

4. A. D. 1043 Heinricus rex Pannoniam ingressus, duas populosissimas civitates evertit, plures deditione sibi subjecit. — Gisela imperatrix obiit 16 Kal. Mart. et sepelitur Spiræ.

5. A. D. 1044. Heinricus rex iterum Pannoniam invadens, satisfactionem et obsides ac munera pacisque confirmationem per jusjurandum accipiens, discessit; indeque reversus, synodo Constantiensi affuit, ubi cunctis in se delinquentibus debita dimisit, omnibusque inimiciciis destructis, pacem hactenus inauditam tam in tota Suevia quam in aliis regni sui provinciis per edictum regiæ censuræ confirmavit. Dein Agnetem, Willihelmi Pictaviensis principis filiam, apud Mogontiam ungi faciens in reginam, regalibus sibi nuptiis apud Ingelenheim copulavit; unde infinitam histrionum et joculatorum multitudinem non solum muneribus, sed etiam cibo potuque vacuam et merentem abire permisit. — Luitpoldus marchio, Adelberti filius, maxima Ungariorum clades, immature obiit. — Pestis pecudum maxima, hiems dura fuit et nivosa.

6. A. D. 1045. Brun Wirciburgensis episcopus obiit 6 Kal. Junii. Pro quo Adelbero ordinatur. — Heinricus rex tercio Pannoniam ingressus, Deique favente clementia victor effectus, Ovonem cum uxore et filiis ac cognatis, quibus locus fugiendi erat, effugabat, Petrum restituit in regnum, subditoque sibi Ungariorum regno, cum honore summo revertitur. — Gotefridus dux Lothariorum Heinrico regi rebellans, ad deditionem coactus, in castello Gibichenstein usque ad dignam satisfactionem custodiæ mancipatur. *1

*1 10. 11. *addunt :* Otto dux Suevorum efficitur. *ex Bernoldo.*

7. A. D. 1046. Heinricus rex Italiam ingressus, a Romanis pacifice suscipitur; papas tres non digne constitutos synodaliter deposuit, et Suidegerum, Babenbergensis ecclesiæ secundum episcopum, papam constituit; a quo ipse et conjunx ejus Agnes in

VARIÆ LECTIONES.

[1461-64] Rodbertus E. [1465] h. s. *desunt* 7. [1466] Item — vastat *desunt* 4 — 11. [1467] LXXX. D. E. [1468] Eberhardus — obiit *in margine* 1 *desunt* 4.

sancto dominici natalis die benedictione imperiali sublimantur. Imperatrix vero Agnes inde revertens, apud Ravennam genuit filiam ; imperator autem per Apuliam multasque provincias feliciter ducens exercitum, cum honore magno revertitur. Suidegerus [1569] papa obiit 7 Idus Octobr.; pro quo Poppo, patriarcha Aquileiensis, ordinatur.

8. A. D. 1047. Petrus Ungariorum rex à quodam tyranno Pannonico captus et cœcatus est; ille vero qui eum expulerat regnare cœpit.

9. A. D. 1048. Poppo papa' obiit, necdum completo anno ex quo constitutus est ; pro quo Brun '2, qui et Leo postea dictus est, Tullensium episcopus, ordinatur papa. " Otto dux Suevorum obiit; pro quo [1570] item Otto comes de Swinfurte surrexit. '3

' p. qui et Damasus D. E.

'2 G. *in margine habet :* Qui Bruon sub beato Albewino, scolarum in Hersfelt magistro, postea vero Nienburgensium in Saxonia abbate, disciplinis liberalibus instituebatur.

" C. D. E. *addunt :* Hic Chunradi imperatoris consobrinus cum ad — afflictionis, invocabitis me et ego exaudiam vos et reducam captivitatem vestram de cunctis locis. « De hoc inter cætera legitur, quia cum pauperem — obstupuit. Hic undecumque doctissimus cantus dulci et regulari modulatione composuit de aliquibus sanctis, Gregorio scilicet papa, Ciriaco martyre, Gorgonio martyre et aliis, fecit et scripsit multa alia æcclesiæ utilia. Hic etiam in Gallia — meliorabat. *ex Sigeb. a.* 1048. 1049.

'3 10. 11. *addunt:* Sanguis Domini Mantuæ per cœcum manifestatur. *ex Bernoldo.*

10. A. D. 1049. Heinricus imperator anno imperii sui quarto quasdam Galliæ partes invasit contra Gotefridum et Baldewinum duces; quibus ad deditionem coactis, et regno his in partibus pacificato, victor cum honore revertitur. Synodus Mogontiæ habetur; cui interfuerunt Brun apostolicus et Heinricus imperator.

11. A. D. 1050. Ungarii item rebellant. Quibus Gebehardus Ratisponensis episcopus, qui erat imperatoris patruus, obviam veniens vice ipsius imperatoris, in fugam conversos non minima eos cede afflixit; insuper urbem Heimenburg, in marcha positam, ædificiis restauravit et militari custodia muniri fecit, ipseque summa cum pace regressus est.

12. A. D. 1051. Barto archiepiscopus Mogontinus' in pace quievit; cui Luitpoldus Babenbergensis prepositus successit." —Heinricus imperator iterum Pannoniam adiens, divisa in duas partes multitudine militum, utrimque regionem ipsam silvis et maxime aquarum collectionibus circumseptam occupans, intravit; sed gens illa durior ceteris cum rege suo dolose agens suaque pariter cum aliis diripiens, fame et siti multisque cladibus lassatum imperatoris exercitum fugiens, evasit. Milites autem imperatoris, vastata magna parte provinciæ, multis insuper inibi occisis, pacifice, licet inacte, ad propria cum imperatore redierunt. "'4

' D. E. *addunt :* in monasterio Fuldensi sub monachica professione nutritus indeque pro vitæ merito ad pontificalem dignitatem provectus, virtutibus clarus in Christo quievit.

" D. E. *addunt :* Grecis in—Grecis recepta sunt. *ex Sigeb. a.* 1053 *et* 1054.

"' 4 E1. *(alia manu) et* 2 *addunt :* Hunfridus VI. Magad. archiepiscopus obiit.

13. A. D. 1052. Imperator iterum Pannoniam petit, et inacte redit, habens secum in comitatu Brunonem apostolicæ sedis presulem. Qui papa veniens Ratisponam, reliquias beati Dionisii martyris, de quibus diu dubitatum est an ibi haberentur, presentibus Parisiorum legatis, perspexit ibique teneri probavit; sanctum quoque Wolfkangum, ejusdem urbis episcopum, de tumulo levavit; indeque Babenberg cum imperatore transiens, privilegia ejusdem loci a cancellario suo Friderico, qui sibi postea successit, perspici et coram imperatore populoque pronunciari mandavit, suaque auctoritate illa confirmavit (241). Inde '5 simul tendentes in partes Rheno contiguas, proximum natale Domini Wormaciæ celebrabant.

'5 *Sequentia desunt* 10. 11. *qui addunt :* Reliquiæ sancti Zenonis a Waltario Veronense episcopo Ulmam sunt delatæ. *ex Bernoldo.*

14. A. D. 1053. Apostolico et imperatore natale dominicum divino et regio cultu Wormaciæ agentibus, missarum celebratione in sancta die peracta ut oportuit ab apostolico, insequenti die Luitpoldum Mogontinæ sedis archiepiscopum, utpote in sua diocesi precipuum, huic subrogavit officio. Qui peracta processione, et ubi ad hoc ventum est dicta oratione, postquam se in sua sede locavit, quidam ex diaconibus suis, Humbertus nomine, sicut multi ob illius festi venerationem solent, lectionem decantavit. Quod quidam ex Romanis papæ assistentibus vituperantes, et contra papam, quia Romano more non ageretur, objurgantes, persuaserunt ei, ut ad eundem diaconum mitteret et decantationem interdiceret. Quod cum ille juvenum more contempneret; iterum mittendo papa interdixit, qui mox eadem vocis sonoritate qua prius cantavit, legendo decenter lectionem usque ad finem perduxit. Qua finita, papa illum ad se vocavit et quasi pro inobœdientiæ contumacia degradavit. Archiepiscopus vero misit ad illum, ut suum sibi redderet ministrum. Quod ubi papa abnuit, pontifex, ut erat antiquæ disciplinæ, licet egre patienter tamen interim tacendo sustinuit. Perlecto autem evangelio et decantato offertorio ubi sancti sacrificii tempus advenit, pontifex in sede sua resedit, vere contestans, nec

VARIÆ LECTIONES.

[1569] suidegerus — ordinatur *desunt* 4. [1570] *deest* 1. 5.

NOTÆ.

(241) V. Leonis Chartam hac de re datam ap. Ussermann episcopum Bamb. probb. p. 36, et Mon SS, IV, p. 802.

se nec alium quempiam completurum illud officium, nisi reciperet processionis suæ ministrum. Quod ubi apostolicus intellexit, pontifici cessit, reindutumque ministrum continuo remisit. Quo recepto, debito se presul injunxit officio. Qua in re et pontificis auctoritas et apostolici consideranda est humilitas, dum et ille officii sui dignitatem defendere contendebat, et iste, licet majoris dignitatis, metropolitano tamen in sua diocesi cedendum perpendebat.

Post hæc apostolicus Romam rediit, multis cum diversarum provinciarum militibus imperiali preceptione et amicorum subventione comitantibus; et post pascha exercitum ducens per Apuliam, contra Nortmannos, illius terræ quondam advenas, sed tunc possessionum apostolicarum invasores et Romani imperii hostes, pugnavit; et infinita utrobique cede peracta, papa cum paucis fugiens absque victoria regreditur, relictis illic Suevorum ac Noricorum [1471] militibus optimis, et in urbe Beneventana consedit; ubi tunc Oudalricus, genere Noricus, episcopatum tenuit.

15. A. D. 1054. Religiosus papa Brun, qui et Leo, gloriose vitam finivit, 13 Kal. Mai, et magnifice sepultus Romæ in æcclesia sancti Petri, miraculis claruit. — Cuono [1472] dux Noricorum, fœderatis sibi Ungariis, graviter rebellat. Item Baldewinus et Gotefridus *1.

*1 10. 11. *Addunt :* Hermannus Contractus ob.

16. A. D. 1055. Leoni papæ Gebehardus, qui et Victor, Eihcstatensis episcopus, successit *. *2. — Adelbertus marchio obiit. Fames magna fuit. — Heinricus imperator Italiam cum exercitu petens, omnia in pace disposuit, revertensque neptem suam Beatricem, matrem Mahthildæ, secum duxit, indigne eam tractans propter quasdam insolentias ejus, quibus vivere consueverat mortuo viro ejus Bonifacio duce. — Welefo dux Carinthiorum obiit. — Chuono, dux antea Noricorum, ab imperatore pro perfidiæ suæ culpa expulsus, in Pannonia male exul obiit. — Arnolfo Spirensi episcopo Chuonradus successit.

* D. E. *addunt :* Anno Coloniæ ordinatus est episcopus. *ex Sigeb., ibique* A. m. o. *desunt.*

2 10. 11. *addunt :* Hnic cum diaconus ejus venenum in calicem misisset [1473], calicem de altari levare non potuit. Pro hoc populo orante, diaconus a demonio vexatur, confessoque crimine, liberatur, calixque cum sacramentis in quodam altari pro reliquiis includitur. *ex Bernoldo.*

17. A. D. 1056. Herimannus, comes orientalium Francorum, obiit 6 Kal. Febr. — Gebehardus Ratisponensis episcopus, imperatoris Heinrici patruus, hostis occulte pessimus deprehensus et convictus atque custodiæ mancipatus, sed misericorditer tractatus, exilio remittitur et sedi pristinæ restituitur. — Gotefridus dux ad deditionem venit. — Magna cedes a Luiticis in christianos facta est; quorum quidam gladio, quidam fugientes in aqua perierunt; inter quos Wilhelmus marchio occiditur. — Hisdem temporibus multi diversarum principes provinciarum perierunt; fames multas regiones afflixit, egestas et penuria undique prevaluit, multaque mala tunc temporis facta sunt. — Heinricus imperator pro his rebus corde tenus dolore compunctus, infirmari cœpit, et perductus ad mortem, sapienti usus consilio, ab omnibus quibus potuit veniam petiit, quibusdam predia quæ abstulit restituens, cunctis qui contra eum et regnum culpas dampnabiles fecerunt relaxans; filium quoque suum Heinricum Romani pontificis cunctorumque pontificum et principum regni electione regem constituit. His et aliis, prout vitæ possibilitas admisit, bene dispositis, 3 Non. Octobr. hanc vitam presentem in Deo finivit*. — Post cujus obitum, quia filius ejus Heinricus adhuc puerulus fuit, domna Agnes imperatrix, mater pueri, regnum sub sua cura aliquamdiu tenuit ac sapienter et strenue rexit, donec principes aliqui invidia ducti, puerum matri abstulerunt, eamque regimine regni abalienaverunt; quorum numero dominus Anno Coloniensis archiepiscopus se immiscuit, qui puerum in loco qui Werida dicitur (241*) navi imponens, matri abduxit (*an.* 1062). Quod ille qua intentione fecerit vel qualiter divino judicio placuerit, discernere non valemus; multa tamen incommoda extunc orta et deinceps aucta, certum tenemus. Nam perinde dissensiones in regno, æcclesiæ perturbatio, monasteriorum destructio, clericatus despectio, totius justiciæ ac religionis conculcatio et cœpit et permanet. Ipsa** vero imperatrix rerum permutationes considerans, Italiam se contulit (*an.* 1069), et apud monasterium quod Fruteria dicitur, religiosam vitam aliquanto tempore duxit; postea Romæ defuncta et in æcclesia sanctæ Petronellæ honorifice est sepulta.

C. addit : Corpus ejus cum ingenti honorificentia tam apostolicus quam omnes regni primates Spiræ juxta patrem suum sepelierunt. Iste tantæ dignitati per omnia decentissimus fuit, corpore formosus, statura procerus, tam armis quam animis pro tempore acerrimus, patientia tamen et humilitate satis temperatus, literis abunde instructus, præ omnibus personis, quibus unicuique sibi condignam exhibere solebat beneficentiam, sacerdotibus Christi, immo unicuique clericali gradui, maximam impendens semper reverentiam.

** Ipsa — sepulta *desunt* D. E.

Anni Heinrici quarti.

1. Anno* dominicæ incarnationis 1057 [1474], ab Urbe autem condita 1808 [1475], Heinricus quartus,

VARIÆ LECTIONES.

[1471] illic teutonicorum m. 1b. [1472] Cuono — rebellat *desunt* 4. [1473] misset 10. [1474] LVIII. *corr.* LVII. A. [1475] *e corr.* 1.

NOTÆ.

(241*) Kaiserswerth.

Heinrici imperatoris filius, admodum puer, patri succedens regnare cœpit**; et quando hæc conscriptio facta est, anno 42 [1476] *** regnavit, 87° loco ab Augusto. — (*Chr. W.*) Agnes imperatrix, mater ipsius, ducatum Bajoariæ suscepit. — Gebehardus, qui et Victor, pontifex Romanus, multis bene in Germania aliisque regni Romani partibus pontificum vel principum secularium consilio dispositis, Romam cum pace rediit, incipiente anni illius quadragesima. Hic etiam eodem anno finivit vitam; pro quo Fridericus, Gotefridi ducis frater, jam monachus factus, a Romanis pontifex ordinatur, et Stephanus appellatur. — Saxones, congregato exercitu, gentem efferam Luiticiorum [1477] hostiliter invaserunt, diversisque malis eam affligentes, Romanæ ditioni subdiderunt, et acceptis obsidibus ac tributis, ad propria redierunt. — Eodem tempore quidam Fridericus et fratres ejus in Germaniæ partibus tyrannidem exercentes contra imperium Romanum, ab Agnete imperatrice et principibus regni victi, ad deditionem venerunt. — Otto de Suinfurte dux Suevorum 4 Kalend. Octobr. obiit, et Ruodolfus de Rinveldon, qui postea rex**** esse contendit, ducatum accepit; quod magnum fuit [1478] seminarium earum quibus regnum perturbatur commotionum. Eundem namque ducatum, vivente adhuc Ottone duce, Heinricus imperator Berhtoldo comiti (242), qui post Carinthiorum accepit ducatum, promiserat, eique anulum suum velut hujus rei commonitorium dederat; quem ille diligenter servans, post amborum obitum, imperatoris scilicet et ducis, imperatrici Agneti imperium tunc disponenti obtulit, eamque anulum agnoscentem pro ducatu sibi promisso commonuit. Sed quia predictus Ruodolfus mox post imperatoris obitum filiam ejus, Rumoldo Constantiensi episcopo commendatam — utrum consilio raptam an dolo nescitur — uxorem duxit, recepto jam in gratiam eundem ducatum [1479] illi causa filiæ imperatrix dedit; quod animum Berhtoldi non parum commovit. Pro qua commotione lenienda ducatus Karinthiorum ei committitur (*an.* 1061), quem postea filio suo æquivoco ipsius rogatu rex Heinricus commisit; sed postmodum quorundam instinctu eundem ducatum Luitolfo [1480] consanguineo suo dedit, sicque patrem et natum parvipendens, offendit. Unde quasi renovata priore injuria cum Berhtoldus dux permoveretur omnia consiliorum machinamenta, quibus satis [1481] pollebat, ad hoc vertebat, ut ab utroque, id est rege et Ruodolfo, se ulcisceretur, ab hoc scilicet, quoniam a ducatu sibi promisso se subplantavit, ab illo vero [1482], quia se accepto privavit. Multæ interim causæ quæ inconsulte tunc gerebantur sibi concurrebant et huic machinationi occasiones prebebant: Otto dux Bajoariorum dejicitur; Chuonradus genere Suevus a militibus regis interficitur (*an.* 1070), et quasi a rege jussum sit, ipsi crimen indicitur. Conspirat igitur Otto in Saxonia, Berhtoldus in Suevia; fiunt motus et conventus utrobique, in quibus odia in regem suscitantur et invidiæ; multa quoque interea in regno fiebant; quæ utrosque populos justis et necessariis ut videbatur causis, ne regi adhererent, avertebant; eoque *****; res perducta est, ut Ruodolfus in dampnationem sui regnum invaderet dominumque suum regem deponere aut interficere quereret (*an* 1076). Sed hæc res quem effectum haberet, nec rusticos latet.

* C. *ita*: Heinricus quartus, Heinrici imperatoris filius, admodum puer, patri succedens, regnare cepit, 87° loco ab Augusto, et regnavit annis 50. Agnes imperatrix, mater ipsius, ducatum Bajoariæ suscepit. Victore papa mediante, Baldewinus et Gotefridus ad regis gratiam reducuntur, et omnes bellorum motus sedantur (*cf. Sigeb.*). Fridericus quidam et fratres — venerunt. *ut supra*. In Fresia — refrenantur. *ex Sigeb*. Eodem anno prefatus apostolicus Romam reversus presentem vitam finivit. Otto dux Suevorum obiit, et Ruodolfus, qui postea rex constitutus est, ducatum accepit.

** Cepit LXXXI° (*ita infra etiam* D.) loco ab Augusto, et regnavit annis 50. E.

*** 50. D.

**** Rex constitutus est d. D. E

***** Eoque — latet *desunt* D. E

2. A. D. 1058. Fridericus*, qui et Stephanus, pontifex Romanus, vitam finivit, et Alexander Lucensis episcopus ei successit. Hujus tempore Hiltibrandus, postea pontifex, archidiaconatus officio functus est Romæ.

* *C. ita*: Fridericus, filius Gothelonis ducis, clericus sancti Lantperti Leodicensis, quem exosum imperatori Heinrico et extorrem pro odio fratris sui Gotefridi, Leo papa sibi ascitum fecerat septimum levitam et cancellarium Romanæ æcclesiæ, qui post legationem Constantinopolitanam apud Casinenses monachus factus, etiam abbas Casinensium promotus fuerat, a Romanis papa electus, et mutato nomine Stephanus æcclesiæ præsidet. *ex Sigeb. Annus vacat* E.

3. A. D. 1059.

* C. D. E.: Stephanus papa obiit; cui Gerardus [1483], qui et Nicholaus, successit. Heinricus rex Galliæ obiit, et Phillippus, filius ejus, regnavit pro eo. *ex Sigeb*.

4. A. D. 1060. Luitpoldus archiepiscopus Mogontinus * obiit **; cui Sigifridus Fuldensis abbas successit; qui postea cum aliis contra dominum suum regem consensit.

* M. episcopus C.

** obiit; pro quo Sigifridus F. a. constituitur. C. D. E. *ubi reliqua desunt*.

6. A. D. 1062. *

* C. *add*: Anno archiepiscopus Coloniensis con-

VARIÆ LECTIONES.

[1476] LII°. 4. [1477] leut. A. [1478] s. f. A. [1479] *deest* A. [1480] liutoldo A. [1481] ille satis A. [1482] *deest* [1483] Gerhardus D. E.

NOTÆ.

(242) De Zaringen.

silio primorum regni, quasi indigne ferentium per imperatricem utpote feminam non viriliter rem publicam gubernari, regem puerum violenter et industrie captum sub tutela sua redegit, et imperii regimen a matre ejus removit, et de hac re coram cunctis ratione reddita, domini sui regis gratiam recepit, et per ipsum filium ad gratiam matris ejus rediit. Agnes vero imperatrix necessitatem vertens in voluntatem, ut obstrue et os loquentium iniqua, non multo post non solum honore regni, sed etiam onere seculi rejecto, Romæ ad limina apostolorum principis Petri se contulit, ibique usque ad finem vitæ suæ omni virtutum genere, omnibus bonis exemplo et miraculo fuit. *ex Sigeb.*

D. 1063. *

C. D. E. *addunt :* Nicholaus papa obiit; cui Alexander Lucensis episcopus successit, quodam tamen Parmensi episcopo papatum turpiter ambiente et usque ad sanguinis effusionem Christi æcclesiam scandalizante (*cf. Sigeb.*); sed multo post per Annonem episcopum Coloniensem, ultramontanarum partium tunc legatione fungentem, ac universos Italiæ præsules eadem est controversia dirempta, Parmensis abdicatus, Alexander, ut jus erat, confirmatus. *1

*1) E1. (*alia manu*) *et* 2. *addunt :* Eggilhardus VII^us Magad. archiepiscopus obiit.

8. A. D. 1064. Sigifridus episcopus Mogontiacensis et Guntherus Babenbergensis et Willihelmus Trajectensis * aliique quam plures presules vel nobiles multo comitatu Hierosolimam tendentes, multas infestationes a barbaris perpessi sunt, tandemque perventione fruentes optata, numero et rebus admodum attenuati, redierunt.

* et W. T. *desunt* C.

9. A. D. 1065. Guntherus episcopus Babenbergensis ab Hierosolima rediens, in Pannonia moritur, perlatusque Babenberg, ibi sepelitur; post quem Herimannus ordinatur. — Gozwinus comes in episcopio Wirciburgensi tyrannidem exercens, a comitibus Adelberonis presulis occisus est.

10. A. D. 1066. Cometes per totum orbem diu apparuit. * — Eodem anno Anglia per Willihelmum Nortmannicum miserabiliter afflicta tandemque subacta, ipse rex ejus effectus est. Qui mox omnes pene regni ejusdem presules exilio, nobiles vero morti destinavit, mediocres autem suis militibus in servitutem, uxores indigenarum universorum advenis in matrimonium subjugavit. *2

* C. *addit:* Harwich — annis 21. *ex Sigeb., reliqua vero hujus anni desunt.*

*2) 10. 11. *addunt :* Cuonradus de Phullingen ortus apud Treverim electus, a comite Dieterico passus, Dolegio est sepultus. *ex Bernoldo.*

11. A. D. 1067. * Heinricus rex Berhtam, Ottonis A cujusdam Italici et Adelheidæ filiam, accepit uxorem, nuptias celebrans Triburiæ.

* C. D. E. *addunt :* Cuonradus primicerius æcclesiæ Coloniensis, designatus a rege Heinrico Treveris episcopus, ab ipsius urbis comite Theoderico capitur, et a satellitibus ejus in silvam ductus, de montis cacumine tercio precipitatur, et cum adhuc illesus esset, gladio transverberatur. *ex Sigeb.*

12. A. D. 1068. Heinricus * rex adolescentiæ usus libertate, Saxoniam solam ex omni Romano imperio cœpit incolere, principes despicere, nobiles opprimere, inferiores sustollere, venatui, lusibus ceterisque hujusmodi exercitiis plus quam justiciis faciendis, ut incusatus est, operam dare, filias illustrium quibuslibet obscure natis conjugare, privata B presidia, nimirum potentibus regni non satis fidens, instituere. His discordiæ seminariis contigit regi quam plurimos insidiatores tam vitæ quam regni succrescere. Qui tamen cum maturitatis necdum plene attigisset annos, erant qui non tam ipsum quam Adelbertum [1484] Premensem archiepiscopum culpandum judicarent, quod ejus consilio hæc omnia ageret.

* C. *hoc anno :* Fluminibus — prosternit et terram nimia depopulatione atterit. *ex Sigeb.*

13. A. D. 1062 [1485] Agnes imperatrix, mater regis Heinrici, tedio affecta, vel potius divinitus compuncta, ducatum Bajoariæ deposuit, et regni gubernacula penitens [1486] contemptens pro Christo, Romam se contulit, ibique dignis pœnitentiæ fructibus C mira inserviens humilitate, post aliquot annos in Domino presentem vitam finivit. *

* C. *addit :* Ungarii — refrenantur *ex Sigeb.*

14. A. D. 1070 [1487]. Teti marchio non sine Saxoniæ principum consilio tyrannidem in partes regias orditur, quæ tamen mox cælesti simul et terrena majestate compescitur, scilicet castellis suis Bichilingon et Schidingon (243) a rege destructis, filio suo, æque militari viro, a proprio servo interempto, ipsoque communi morte in brevi finito. *1

*1) 10. 11. *addunt :* Constanciæ Rumoldus episcopus obiit. *ex Bernoldo.*

15. A. D. 1071. Otto dux Bajoariæ ducatum amisit. Hic itaque Saxo genere, vir amplissimæ nobilitatis, prudentia rebusque bellicis perpaucis erat D comparabilis, et in tanta apud universos primates excellentia habitus, ut rex, qui jam Saxonibus omnino [1488] susspectus et invisus erat, ipsum contra se in regni fastigium elevari posse formidaret, si * res sua secus cederet. Hinc perversitatis materiam arripiens quidam Egino, mediocri loco natus, rebus admodum tenuis, audacia tantum et nequitia satis diffamatus, patrocinantibus sibi quibusdam regis fidelibus, curiam irrepsit, et magnum illum heroam

VARIÆ LECTIONES.

[1484] adelberonem A. [1485] *Anni* 1069. *historia in fine post a.* 1070. *legitur.* [1486] *ita* 1. penitus E. [1487] *In margine* 5. *alia manu legitur :* Nota ab ista parte incipit cronica moderna. [1488] *deest* A.

NOTÆ.

(243) Cf. supra Lambertum a. 1069.

qui se nunquam noverat, secum de regis nece tractasse commentus est; se ipsum etiam ut mos est, potestati regiæ vadem obtulit, quousque campionis duello cum duce confligens, vera comprobaret quæ retulit. Quid multa? Placitis vel colloquiis regalibus, uno Mogontiæ, altero Geslariæ condictis, Otto cum Eginone, utpote dux cum latrone, primas cum ignobili, congredi contempsit, sua tamen innocentia vel Eginonis improbitas minime * latuit. Sic ducatum Bajoariæ Otto [1489] ut reus majestatis amisit, quem Welfo quidam illustris et acer atque bellicosus, natu Suevus, accepit; idque tam principalis discordiæ semen in perpetuos heu! prœliorum et seditionum, prædarum et incendiorum, scismatum etiam et heresium atque mortium lamentabiles fructus germinavit atque sucrevit.

* si — cederet *desunt* C. D. E. *pergit* C.: Quidam etiam Egino.
** postea non C.

13. A. D. 1072. Rex Ottonem usquequaque persecutus (244), quam plures munitiones ejus destruit, predia vastat, et ut vere rei publicæ hostem omnino eum delere pertractat. Econtra ille militibus electis instructus, ipse quoque manu fortissimus et animo nimis efferatus, quia regiis copiis confligere non poterat, nunc preda, nunc flammis, nunc etiam ferro, quacumque se [1490] fors [1491] obtulit, suas injurias ulcisci satagebat (*ann.* 1073). Ipso denique mediante, non cessat gens Saxonum, ut est animis acerrima, conjurationem adversus regem unanimi conspiratione confirmare, accusationes blasphemas [1492] et C inaudilas ad sedem apostolicam in illum referre, sociosque sibi ex omni regno Teutonico litteris et nunciis asciscere. Nam primo Sigifridum Mogontinæ sedis metropolitanum; Adelbertum Wormaciensem, Adelberonem Wirciburgensem, Gebehardum Salzburgensem aliosque quam plures præsules*, indeque per ipsos etiam papam Alexandrum ** sibi fautores efficiunt. Quidam quoque summæ sanctitatis virum Annonem archiepiscopum Coloniensem conjurationis ejusdem conscium asserunt. Quorum insidiis rex territus, Saxonia cessit, et in aliis regni partibus agendis rebus institit.

* presules vel principes sibi fautores C.
** ut aiunt *addit* A. *Ekkehardus ipse delevit in* 1.

17. A. D. 1073. Anno * Coloniensis episcopus et D Herimannus Babenbergensis Romam missi sunt, pecuniam quæ regi debebatur congregandi gratia. Qui legatione peracta reversi, litteras Alexandri apostolici (245) detulerunt, regem vocantes ad satisfaciendum pro symoniaca heresi aliisque nonnullis emendatione dignis, quæ de ipso Romæ [1493] fuerant audita. Post hæc Saxones adjiciunt etiam presidia multa construere — necdum enim plures * habebat Saxonia [1494] munitiones (246) —, insuper castella, quæ rex dudum ædificaverat, funditus evertunt; inter quæ precipuum illud castrum quod Harcesburg [1495] dicebatur diruunt, monasterium et claustrum canonicorum quod ibi erat, multa furentes audacia, solo tenus dejiciunt; et quod dictu nefas est, innocentis cujusdam filii regis ibidem sepulti ossa in contumeliam patris de sepulcro projiciunt. ***

* Anno — audita *desunt* C.
** *deest* C.
*** C. *addit*: Duobus fratribus — acquirere *ex Sigeb.*

B 18. A. D. 1074. Beatæ * memoriæ Alexandro papa defuncto (247), Hiltebrandus, qui postea Gregorius ** dictus est, professione monachus et archidiaconus, Romanæ sedi successit; sub quo Romana res publica et omnis æcclesia novis et inauditis scismatum erroribus periclitari cœpit. Qui cum absque regis consensu, solis tantum Romanis faventibus, hunc apicem conscendisset, sunt qui illum non canonice constitutum, sed tyrannice papatum sibimet asseverent usurpasse. Pro qua re et a nonnullis episcopis abdicatus [1496] est. Hic regem Heinricum crebris nunciis et epistolis denuo ad synodalia responsa vocavit. ***. *1

* *Quæ sequuntur* C. D. E. *a.* 1073. *tribuunt.*
** Qui septimus Greg. C. Gregorius VII. D. E.
*** C. *addit*: pro symoniacâ heresi aliisque nonnullis emendatione dignis quæ de ipso Romæ fuerunt audita. C. D. E. *addunt*: 1074. Gregorius papa, habita synodo, symoniacos, venditores scilicet et emptores doni Spiritus sancti, anathematizavit, et Nicholaitas, uxoratos videlicet sacerdotes, ab altaris ministerio removeri decrevit, et laicis eorum missas audire interdixit. C. *pergit*: justo quidem judicio sed novo exemplo et ut multis visum est inconsiderato prejudicio. *ex Sigeb.*
*1 4. 6-11. *addunt*: Hoc etiam anno monasterium Swarzahense [1497] ab Adelberone Wirciburgensi episcopo dedicatum est in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ et sanctæ Felicitatis martiris sub Ekkeberto [1498] ejusdem monasterii venerabili abbate. — *Quibus* 10. 11. *præmittunt*: Hermannus marchio, filius Bertholdi ducis, Clunjaci monachus obiit. *ex Bernoldo.*

19. A. D. 1075. Heinricus rex, manu valida tam ex Alemannia quam Bajoaria et Germania atque Boemia congregata, Saxones petit, eisque juxta Unstruot fluvium congreditur; et non modica strage utrimque peracta, tandem victoria potitus revertitur. Ibi Ruodolfus dux Alemanniæ atque Burgundiæ,

VARIÆ LECTIONES.

[1489] *deest* A. [1490] *deest* A. [1491] *ita* 1. A. C. D. E. [1492] plasphemias A. [1493] f. r. A. [1494] *deest* A. [1495] Harzesburg A. [1496] ep. a. est *in loco raso* 1. [1497] swarza 4. [1498] erkeberto 7. *corr.* ekeberto 4. eckeberto 9c.

NOTÆ.

(244) Hæc ad a. 1071 pertinent.
(245) Cf. de synodo ab Alexandro h. a. Romæ habita Bonizo ap. Œfelium II, pag. 810.
(246) Idem quod Sæc. v testatur Liudprandus II, 24.
(247) Rectius hæc Ekkehardus, opus secundis curis perlustrans, a. 1073 collocavit.

qui postea regnum invasit *, fortiter cum suis pro rege dimicasse notatus est. — Herimannus ** Babenbergensis episcopus ob heresim symoniacam auctoritate Hiltibrandi papæ deponitur, eique Ruotpertus a rege subrogatur. — Anno Coloniensis archiepiscopus, plenus sanctitatis meritis [1499], defunctus est, et in monasterio Sigibergensi, quod ipse construxerat, positus. Cui *** Hildolfus successit. *2

* Tenuit D. E.

** Herimannus — subrogatur *desunt* C. *ibique legitur:* Qua contritione cuncti principes, episcopi, duces, comites cæterique potentes Saxonum per deditionem regiæ potestati traditi, pacem facere compulsi sunt. Ungri *etc. ex Sigeb.* Anno *etc.*

*** Cui H. s. *desunt* C.

*2 10. 11. *addunt:* Domnus Ekkebertus abbas hujus congregationis transivit ad Dominum 7 Kalend. Decembris.

20. A. D. 1076. *3 Habitum est concilium apud Wormaciam, ubi, presente rege Heinrico, universi pene Teutonici episcopi preter Saxonicos Hiltibrandum papam[1500] abdicarunt, mittentes ad illum epistolam, post multas culpationes in illum injectas ita conclusam (248). *Quia ergo et introitus tuus tantis perjuriis est iniciatus, et æcclesia Dei tam gravi tempestate per abusionem novitatum tuarum periclitatur, et vitam conversationemque [1501] tuam tam [1502] multiplici infamia dehonestasti: obœdientiam, quam tibi nullam promisimus, nec de cetero ullam servaturos esse renunciamus; et quia nemo nostrum, ut tu publice declamabas, tibi hactenus fuit episcopus, tu quoque nulli nostrum amodo eris apostolicus.* * Eodem [1503] itaque anno circa 18 (249) Kal. Octob. colloquium maximum apud Oppenheim factum est, ubi pene totius regni principes, sed maxime Saxonum et Alemannorum, subjectioni regis renunciabant, causam pretendentes, quod a duobus jam apostolicis vocatus ad satisfactionem non venisset, et pro hoc contemptu sententiam excommunicationis in Romana synodo a papa accepisset, cum ipse tamen inauditus et absens fuisset. Hac commotione coactus rex, Romam humiliter, utpote veniam ab apostolico postulaturus, inimicis non sperantibus, tetendit; inventoque papa in opido Canusino, ibi (250) per triduum ante portam castri, deposito omni regio cultu, discalciatus et laneis indutus, perstitit; nec prius cum multo fletu apostolicæ miserationis auxilium et consolationem [1504] implorare destitit, quam omnium qui ibi aderant precibus et lacrimis intercedentibus, laxato tandem anathematis vinculo, in communionis gratiam et sinum matris æcclesiæ receptus est, acceptis ab eo correctionis in futurum vitæ suæ securitatibus multis. — Inter hæc quæ gesta sint, totus jam mundus sui commotione testatur. Sed quia quidam dicunt, ipsius papæ auctoritate et consilio Ruodolfum in regno sublimatum, quidam vero negant, Heinricum regem ab eo fuisse excommunicatum: ejusdem papæ dicta quædam, super his potissime, non incongruum videtur annotare. Ait enim in quadam epistola ad universos Teutonici regni principes missa (251): *Audivimus, quosdam inter vos de excommunicatione, quam [1505] in regem fecimus, dubitare, ac querere, utrum juste excommunicatus sit an injuste? Ammonuimus eum, ut pœnitentiam ageret de factis suis; verum ipse indigne ferens se [1506] a quoquam reprehendi, non solum a perpetratis ad emendationem revocari non potuit, sed ampliori furore correptus, non prius cessavit, donec omnes fere Italiæ episcopos, in Teutonicis vero partibus quotquot potuit, circa fidem Christi naufragare fecit, dum eos beato Petro et apostolicæ sedi debitam obœdientiam et honorem a domino nostro Jesu Christo concessum abnegare fecit. Pro his illum causis, primum videlicet, quod ab eorum communione, qui pro sacrilegio et reatu symoniacæ heresis excommunicati sunt, se abstinere noluit, deinde quod pro criminosis actibus pœnitentiam non dico suscipere, sed nec promittere voluit, synodali judicio eum [1507] excommunicavimus.* — Item in alia epistola (252) post datam reconciliationem: *Solam*, inquit, *ei communionem reddidi, non tamen in regno, a quo eum in Romana synodo deposueram, restauravi.* Et quibusdam interpositis: *Episcopi*, inquit, *et principes ultramontani, audientes illum non servare quod michi promiserat, quasi desperati de eo, sine consilio meo elegerunt sibi Ruodolfum in regem.* *1

*3 E 1. *Alia manu addit in margine:* Bernhardus senior abbas Sancti Johannis baptistæ VIII[us] obiit.

* C. *pergit:* Econtra Hildibrandus papa totus in regem suosque invehitur — avertere conatur. *ex Sigeb.* Quapropter colloquio — quod ab apostolica sede sub excommunicationis interminatione vocatus ad satisfaciendum venire contempsisset. *ceteris omissis.*

*1 10. 11. *addunt:* Centius quidam civis Romanus ex fautoribus Heinrici, in nativitate Domini Gregorium papam in galli cantu missam [1508] celebrantem, de altari graviter vulneratum rapuit et in turre sua in custodiam misit. Unde populus iratus, eodem die turre Centii destructa, eique vita vix inpetrata, loco

VARIÆ LECTIONES.

[1499] operibus et m. 5. [1500] regem A. [1501] et conv. A. [1502] *aeest* A. [1503] eodem — maximum *in loco raso* 1. [1504] consolationes A. [1505] dubita r. feci A. [1506] a q. se A. [1507] *deest* A. [1508] missa 10.

NOTÆ.

(248) Hæc epistola edita est Mon. Legg. II, p. 44.

(249) XVII Kal. Octobris, Lambertus et Bernoldus.

(250) Hæc ad verbum ex epistola Gregorii VII, Registr. IV, 12 descripta sunt.

(251) Vide hanc epistolam apud Brunonem c. 72 et alibi, neque tamen in Regesto.

(252) V. excommunicationem regis in concilio Romano a. 1080 prolatam Mansi XX, p. 534.

suo restituit. Prius tamen missa ad altare A sustentatus percantata, quam prius inceperat sed nondum finierat. *cf. Bernoldum.*

21. A. [1509] D. 1077. Ruodolfus * indigena Sueviæ, quæ [1510] regalis omnino stemmatis est aliena, mediantibus Sigefrido metropolitano et Adelberone Wirciburgensi episcopo, Berhtolfo quoque duce Carinthiæ ac predicto Ottone aliisque nonnullis principibus, in presentia quorundam Romanæ sedis legatorum, non voluntarie annuentium, apud Forhcheim in regem elevatur. A quibus etiam deductus Mogontiam, in media quadragesima 12 (253) Kalend. April. a Sigifrido episcopo in regem ungitur. Ubi eodem die, pessimo auspicio, sedicione facta, multa turba vulgi cæsa est ab ejus militibus **; unde vulgus accensum in ipsos exarsit, magnisque ictibus multos obtruncans, ceteros in curtem palatii B fugavit, ipsasque regias ædes incendere voluit, nisi quod episcopus Sigifridus pro veloci discessione Ruodolfi obsidem se interposuit. Ita Ruodolfus et cuncti qui cum eo venerunt ejecti sunt; ipse quoque Sigifridus episcopus magnis blasphemiis eliminatus, Mogontiam non intravit amplius. Collecto dehinc a Saxonia exercitu copioso (*Aug.*), Ruodolfus Wirciburgenses, Heinrico regi fidem servantes et tam episcopum suum Adelberonem quam se contempnentes, obsedit; sed jam diversis machinis ad urbis obpugnationem instructis, terrore Heinrici regis, circa [1511] Kalend. Jul. ab Italia reversi, inacte regreditur. — Heinricus autem rex Alamanniam cum exercitu petit (*an.* 1078), ibique quendam ex indigenis Hugonem (254) aliosque sibimet inibi rebelles, non sine C magna ejusdem provinciæ vastatione, debellat. Berhctoldus [1512] autem de Zaringon, dux quondam Carinthiæ, in quodam oppido suo Lintperge (255) naturaliter munito positus, dum videret ex arbitrio regis impune cuncta vastari, pre dolore * animi dicitur eo morbo quem medici frenesin vocant occupatus fuisse, septemque diebus postea superstes, multa amentiæ verba quasi delirans protulisse, sicque vitam finisse. — In ea expeditione Uto Trevirorum archiepiscopus defunctus est. *1

* C. *hoc anno ita:* Gelu — usque ad equinoctium vernale permansit. *ex Sigeb. a.* 1076. Heinricus rex ultra montes profectus, apostolico in Canusino castro posito, nimis humiliter D satisfaciens, absolutione et communione recepta, pacem fecit; sed qualiter ipsa pax inter regnum et sacerdotium in brevi disrupta sit, totus jam mundus inde nimis commotus agnovit. Interim quippe dum hæc aguntur, Saxones et Alemanni cum suis episcopis atque principibus, mediantibus Sigefrido Mogontino et Adelberone W. e. B. q. d. C. et Welefone Bajoariorum duce, Ruodolfum ducem Suevorum et Burgundiorum super se regem elevant, in presentia scilicet quorundam legatorum sedis apostolicæ non voluntarie annuentium, et ipsum apostolicum, sicut ipse postea facere solebat, ab hoc consensu excusantium. Perductus itaque Mogontiam — Heinrici adventu territus recessit, *ut supra (paulo brevius)*. Ipse enim Alpium *etc. ex Sigeb.* Heinricus — debellat. *ut supra.* Heinricus — fortitudinem. *ex Sigeb. a.* 1078. Bertholdus autem dux quondam Carinthiæ jam senex, et sapientissimus in regno habitus, cujus et consilio rex super regem positus est, in quodam opido suo Lintperg *etc.*

** M., ipse autem cum Sigifrido metropolitano episcopo Mogontia egressus, in Saxoniam est profectus, ubi collecto exercitu copioso, Wirciburgenses D. E. *ceteris omissis.*

* V. animi dolore morboque corporis occupatus, vitam presentem finivit. C. D. E.

* 1 10. 11. *addunt :* Agnes, mater H. regis, 29 annis vidua, Romæ obiit, in ecclesia sanctæ Petronellæ sepulta. *ex Bernoldo.*

22. A. D. 1078. Heinricus rex properanti contra se cum multo exercitu Ruodolfo juxta Strowi occurrit; initoque prælio (*Aug.* 7), non pauci ex his atque illis prosternuntur, ac incerta fit victoria, utrisque certatim fugientibus ad propria. Ubi a vulgaribus hominibus Wecil Magadeburgensis archiepiscopus in fuga occiditur, sive, ut quidam dicunt, suspenditur, Magnus dux despoliatur, Herimannus comes, ejusdem Magni patruus, et Adelbertus Wormaciensis episcopus comprehensi, ac plurimi de militibus Saxonicis turpiter sunt interempti. Ex parte quoque regis [1513] Heinrici Poppo (256), vir mire fortis, occubuit. *2

*2 5. *addit :* Hildolfus Coloniensis archiepiscopus obiit; cui Sigewinus successit.

23. A. D. 1079. Iterum bellum fit inter Heinricum et Ruodolfum in loco qui dicitur Fladehcheim (257), hieme nimis aspera (*an.* 1080, *Jan.* 27); ubi in primo congressu Saxones terga vertunt [1514]. Ibi dux Boemiæ Fratizlaus regalem lanceam Ruodolfi adeptus est; quæ exinde permissione regis Heinrici semper quemvis illius gentis ducatu insignem in omni festiva processione precedit. At rex Heinricus propriis castris redditus, de armigeris quos reliquerat pene nullum invenit; una quippe ex legionibus Saxonum in primo congressu pugnam deserens, quia obscurus erat aer, furtim castra regis invasit, multosque pueros comprehendens, strangulabat eos multaque abradens spolia, fugam iniit. Rex autem, dimisso exercitu, in orientalem Franciam cum paucis divertit. *3

VARIÆ LECTIONES.

[1509] Anno — indigena *in loco raso* 1. [1510] quæ r. o. st. c. aliena *desunt* 4. [1511] Circa — Italia *in loco raso* 1. [1512] berhtolfus A. [1513] H. regis A. [1514] c. imperator terga vertit E2. *alia manu in loco raso.*

NOTÆ.

253) Lege cum Brunone: 7. *Kal. Aprilis*, Dominica Lætare.

(254) De Tubingen; v. Stälin Hist. Wirtemb. I, p. 561. Hæc et quæ sequuntur a. 1078. tribuenda sunt.

(255) Prope Kirchheim Wertembergicæ ditionis

(256) De Hennenberg.

(257) Flarcheim prope Muhlhausen.

5. *addit :* Hoc etiam anno civitas Erphesfurt exusta est ab exercitu Heinrici regis. Multitudine igitur, ut mos est, in æcclesias confugiente, æcclesiæ sanctorum incenduntur, inter quas monasterium sancti Severi, quod Altum monasterium dicebatur, cum multitudine populi exustum, postea destructum est, et aliud minus in eodem loco reedificatum. In monte quoque ejusdem loci monasterium sancti Petri, quod dudum Tagobertus rex Francorum construxerat (258), incensum est, quod exinde vetustate simul et incendio dilapsum destruitur, et aliud majoris edificatur operis.

24. A. D. 1030. Cum apud Brixinam Noricam triginta episcoporum conventus necnon et optimatum exercitus, non solum Italiæ, sed et Germaniæ, jussu regis Heinrici congregaretur (*Jun.* 25), factus est omnium consensus adversus Hiltibrandum papam, cognominatum Gregorium septimum, quem pseudomonachum totiusque vesaniæ pestiferum principem et precipue sanctæ Romanæ sedis invasorem affirmantes, ab apostolica sede depellendum, quamvis absentem, dijudicabant, et Wigpertum Ravennensem archiepiscopum ipsi subrogandum eligebant. Hujus decreti * (259) conclusio hæc est : *Quia*, inquiunt, *illum constat non a Deo electum, sed a se ipso in fraude ac pecunia imprudentissime objectum, qui æcclesiasticum subvertit ordinem, qui christiani imperii perturbavit regnum, qui regi katholico ac pacifico corporis et animæ intentat mortem, qui perjurum defendit regem, qui inter concordes seminavit discordiam, inter pacificos lites, inter fratres scandala, inter conjuges divortia, et quicquid quieti inter pie viventes stare* [1515] *videbatur concussit : nos auctore Deo congregati in unum, legatis ac litteris freti decem et novem episcoporum die sancto preteriti pentecostes Mogontiæ congregatorum, contra eundem Hiltibrandum procacissimum, sacrilegia ac* [1516] *incendia predicantem, perjuria et homicidia defendentem, katholicam et apostolicam fidem de corpore et sanguine Domini* [1517] *in questionem ponentem, heretici Berengarii antiquum discipulum, divinationum ac somniorum cultorem, manifestum nicromanticum, phytonica spiritu laborantem, et idcirco a vera fide exorbitantem, judicamus canonice deponendum et expellendum, et nisi ab ipsa sede his auditis descenderit, in perpetuum condempnandum. Facta sunt autem hæc 7, Kal. Julii, feria 5 indict. tercia.* — Scripsit post hæc Anshelmus Lucensis episcopus epistolam ad eundem ** Wigpertum, in qua illum prevaricatorem ac superbum cognominat, inter alia subinferens : *Ut ergo de beato Gregorio patre nostro dicam, quod de Cornelio scripsit beatus Cyprianus, factus est episcopus de Dei et Christi ejus judicio, de clericorum pene omnium, et ut verius dicam, omnino omnium testimonio, de plebis quæ tunc aderat suffragio, de sacerdotum antiquorum et bonorum virorum collegio, cum nemo ante se factus esset, cum Alexandri locus, id est cum locus Petri et gradus sacerdotalis kathedræ vacaret. Quo occupato, et de* [1518] *Dei voluntate atque omnium nostrum consensu ordinato, quisquis jam episcopus voluerit fieri, foras fiat necesse est, nec habet æcclesiasticam ordinationem, qui æcclesiæ non tenet unitatem. Quisquis ille fuerit, ticet multum de se jactans, sibi plurimum vendicans, prophanus est, alienus est, foris est ; et cum post primum secundus esse non possit, quisquis post unum, qui solus debet esse, factus est, jam non secundus ille sed nullus est.* Hæc priori sententiæ valde contraria scripsit Anshelmus episcopus, vir literis apprime eruditus, ingenio acutissimus, facundia precipuus, et quod omnibus majus est, in Dei timore et sancta conversatione nominatissimus, adeo ut tam in vita quam post mortem referatur miraculis clarus. — His ita gestis, rursus inter Heinricum regem [1519] et Ruodolfum geritur bellum juxta fluvium Ellestram (*Oct.* 15) in quo idem Ruodolfus cecidit, sed a suis Mersiburg vivus [1520] delatus, et in brevi defunctus, honorifice ibidem est humatus (260). Fertur *** tamen, in extremis positus et abscisam dextram intuitus, ad episcopos qui forte aderant graviter suspirans dixisse : *Ecce hæc est manus, qua domino meo Heinrico fidem sacramento firmavi ; ecce ego jam ejus* [1521] *regnum et vitam derelinquo presentem ; videte, qui me solium ejus conscendere fecistis, ut recta via me vestra monita sequentem duxissetis.* — Hoc etiam prælio ex parte regis Heinrici Ratpoto comes (261), regi satis fidus, interiit.

* Hujus decreti — miraculis clarus *desunt* C.
** Predictum D. E.
*** Fertur — duxissetis *desunt* C. D. E.

25. A. D. 1081. * Rex Heinricus Italiam cum exercitu petit, Romamque perveniens in vigilia pentecostes (*Mai* 22), resistente sibi Hiltibrando papa cum Romanis, ante castellum sancti Petri castra posuit ; ubi etiam crebris per biennium incursibus urbanorum infestatus, parva manu multa viriliter peregit. ** — Monasterium Babenbergense crematur in vigiliis paschæ (*Apr.* 5). — Saxones et Alamanni ad colloquium venientes in orientalem Franciam, non sine magna clade ejusdem provinciæ redierunt. — Bellum in orientali Bajoaria inter

VARIÆ LECTIONES.

[1515] constare A. [1516] et A. [1517] *deest* A. [1518] *deest* A. [1519] *deest* A. [1520] cunis 1b. [1521] r. e. A.

NOTÆ.

(258) Cf. locum in eodem cod. editum Mon. SS. III, p. 33, l. XLVIII.

(259) Integrum. v. Mon. Legg. II, p. 51.

(260) De sepulcro ejus ibi exstante v. Dethier ap. Forstemann Mittheilungen I, 2, p. 22 sqq. Hanc habet inscriptionem :

Rex hoc Rodulphus, patrum oro lege peremptus,
Plorandus merito, conditur in tumulo.
Rex illi similis, si regnet tempore pacis,
Consilio, gladio, non fuit a Karolo.
Qua vicere sui, ruit hic, sacra victima belli ;
Mors sibi vita fuit, ecclesiæ cecidit.

(261) Cf. Moritz N. Hist. Abhh. d. Bair. Acad. V. p. 219.

Chuonradum, ducis Boemiæ fratrem, et Luitpoldum [1522] marchionem commissum est 4. Idus Mai.— Item aliud inter Alamannos et Bajoarios 3. Idus Aug. juxta Danubium apud Hochstein (262), ubi palatini comitis Chuononis filius Chuono occisus est. * 1.

D. E. *addunt :* Magnus — portendens forte, ut quibusdam visum est, imminens — doluit et adhuc dolet. *ex Sigeb.*

** C. D. E. *addunt :* Magontia ex maxima parte incendio conflagravit, principali ecclesia et tribus monasteriis combustis. *cf. Sigeb. et p.* 205. *n.* * 1.

*1) 1b. 5. *addunt :* Monasterium sancti Martini Mogontiæ cum tribus adjacentibus monasteriis exustum est, et pene omnis civitas exusta est. Heinricus nominis hujus quintus, qui patrem regno privavit, natus est. *cf. A. Wirzb.*

26. A. D. 1082. Herimannus quidam, vir prepotens ac nobilis ex Germania, a Saxonibus et Alamannis rex constituitur (263). Cui cum suis in partibus, hoc * est in Lotharingia vel Germania, nemo bellicis in rebus atque divitiis posset æquiperari, sumpto regis nomine tam suis quam alienis cœpit in brevi despectus haberi.

* hoc est in L. v. G. *desunt* C.

27. A. D. 1083. Herimannus cum paucis orientalem Franciam hostiliter invadit, et per eandem partem visus est quasi equitum discurrens exercitus, quorum tamen vestigia nullo modo poterant agnosci. — Heinricus rex pascha celebravit apud Sanctam Rufinam, moxque Romam tendens, castra posuit ubi et prius, ad occidentalem partem castelli sancti C Petri, captaque est urbs 4 Non. Junii, feria sexta ante octavam pentecostes. Hoc tempore Hiltibrandus papa in castello Crescentii, quod vulgo domus Theoderici appellatur, inclusus, exspectabat eventum rei. Rex vero in Palatino monte munitionem instituens, non paucos quos in presidio posuerat, ingravescente super eos æstatis insueto fervore, amisit; sed et alios de exercitu multos eadem mortalitas absumpsit. — Eodem tempore legati Grecorum venerunt, munera multa et magna in auro et argento vasisque ac sericis afferentes. — Romani autem viginti obsides regi dantes [1523] ex nobilibus, petierunt diem constitui, in quo papa et omnes senatores in [1524] presentiam ejus venirent [1525]. Qui diem statuens Kal. Novembris, ipse ad montana conscendit intrante Julio, ibique commorans usque ad D est pax Dei (266). Non multo post substitutis ab

A statutum tempus [1526], Romam rediit (*Nov.*); sed [1527] papa in presentiam ejus non venit. * Unde Romani commoti, manus regi dederunt, Hiltibrandum [1528] vero papam unanimiter [1529] abdicarunt. Qui occulte fugiens, Salernam secessit, ibique [1530] ad diem mortis suæ permansit. — Eodem anno Welefo, Bajoariorum antea ** dux, Augustam civitatem [1531] summo mane intravit (264), Sigifrido [1532] episcopo vix evadente, Wigoldum quendam, ejusdem loci canonicum, intronizavit.

* venit, sed occulte C. D. E. *ceteris omissis.*
** *deest* C.

28. A. D. 1084. Heinricus [1533] natale Domini Romæ apud Sanctum Petrum celebravit, circa Kalendas vero Februarii in Campaniam trans- B iens, ipsam [1534] et magnam Apuliæ partem cepit. Post hæc per legatos Romanorum rogatus ut pacificus rediret, Romam rediit, et ad portam Lateranensem castra ponens, omnes [1535] dediticios [1536] accepit, ipsisque * petentibus, ut [1537], quia Hiltibrandus ab ipsis abdicatus aufugerat, Wigpertum [1538] Ravennatem [1539] episcopum eis apostolicum preficeret, 11 Kalend Aprilis (265), feria 6 ante diem palmarum, multis stipatus, cum magna gloria intravit, ducens secum predictum ** episcopum. Qui sequenti dominica (*Mart.* 24) per multos pontifices [1540], apostolico nomini dicatus, nomenque Clementis accipiens, reverenter *** est intronizatus. A quo rex cum regina Bertha [1541] in [1542] sancta dominica paschæ imperiali benedictione sublimatus est. **** Post hæc imperator Heinricus de Italia digrediens, Augustam civitatem [1543] ab Alamannis invasam obsedit et cepit [1544]. — Defuncto Sigifrido archiepiscopo Mogontino, Wecil [1545] successit.

[Anni imperii Heinrici quarti 1.]

* ipsis — preficeret *omittunt* C. D. E. *pergentes :* et 11 Cal.
** predictum Wigbertum episcopum C. D. E.
*** a. cathedræ Petri C. D. E.
**** i. nomine est s. C. D. E.

29. 2. A. D. 1085. Synodus Mogontiæ habetur (*Mai.*), cui interfuit imperator; ubi presentibus legatis Romanorum *, omnes episcopi rebelles imperatori deponendi [1546] judicantur, ceteri [1547] vero anathemate, ut [1548] videbatur, condempnantur. Ibi etiam communi consensu atque consilio constituta

VARIÆ LECTIONES.

[1522] luitboldum *corr.* luitpoldum 1. liutp. A. [1523] *hinc folium excidit in* 1. [1524] v. in p. e. A. [1525] convenirent 2. [1526] *deest* A. [1527] sed et 4. [1528] hiltebr. A. [1529] unanimi consensu 4. [1530] i. usque ad 4 ibidem ad 10. 11. [1531] urbem 4. [1532] sigefrido 5. 10. 11. [1533] H. rex E. [1534] ipsamque 4. [1535] omnesque A. [1536] deditiosos D1. 4. dedicios E1. in deditionem 11. A. S. [1537] ut — aufugerat *desunt* 2. quia — episcopum *desunt* 4. [1538] wehebertum 2. [1539] ravennensem 9. [1540] episcopos 4. [1541] *deest* 4. berta E1. [1542] in die p. 4. [1543] urbem 4. [1544] accepit 10. 11. [1545] wezil D1. 10. 11. wicil. 2. [1546] reponendi 4. [1547] alii ut v. anathemati c. 4. [1548] ut v. *desunt* A.

NOTÆ.

(262) Hochstedt; cf. Ann. August. et Bernold. h. a.
(263) jam. a. 1081, Aug. 9.
(264) Cf. Ann. August. a. 1034.
(265) Rectius dies sequens statui videtur; cf. Stenzel, II, p. 285.
(266) Edita est mon. Legg. II, p. 55.

imperatore per parrochias abdicatorum presulibus, in locum Adelberonis Meginhardus [1549], conversatione probabilis, litteris etiam [1550] et ingenio atque facundia nulli pene secundus, Wirciburgensi æcclesiæ presul ordinatur.** — Recepto jam a Saxonibus pacifice imperatore Heinrico, quidam marchio (267) Eggibertus [1551], imperatoris etiam [1552] consanguineus, armis strenuus et animosus atque ditissimus, iterum in Saxonia contra imperatorem tyrannidem suscitavit. Qua cognita, imperator in Franciam propere rediit. — Eodem anno condicto tam ab inimicis quam amicis [1553] imperatoris [1554] colloquio in Thuringia (*Jan.* 20), in [1555] loco qui Berchach [1556] dicitur (268), conveniebant ex utraque parte quicumque sapientissimi de optimatibus judicabantur, canonum auctoritate probaturi, cui parti justitia faveret; imperatore tamen absente; sic enim ipse consensit. Electis igitur [1557] satis litteratis et eloquentibus viris, hinc Wecilone [1558] Mogontino [1559], illinc Gebehardo [1560] Salzburgensi archiepiscopis, disputatio cœpta est. Affirmat Gebehardus [1561], proponente hoc prius Wecilone [1562], imperatorem non [1563] injusto judicio tam regno quam communione apostolici sententia privatum; econtra [1564] Wecil [1565], dominum suum prejudicium non minus a papa quam a principibus passum contendit, dum ipso apud Canusium [1566] in satisfactione posito, immo jam a papa in communionem recepto, alterum super se regem elevarent. Adjecit etiam idem Mogontinus, quod imperator, diu jam [1567] a Saxonia depulsus et regnandi copia etiam ab illa dissensione quæ ante Ruodolfum facta prescribitur spoliatus, nec vocari nec judicari nec dampnari canonice debuisset. Hoc Gebehardus [1568] improbare nitens, asserit [1569], neminem per [1570] hoc divinis absolutum legibus, si forte sua qualibet re familiari fuerit spoliatus, quanto minus rex, qui Saxonia, quæ non suum dumtaxat predium, sed Domini sit regnum, qui Daniele vel ipso rege Nabuchodonosor teste (*Dan.* IV, 14) cuicumque voluerit dat illud; cum etiam ante amissam Saxoniam prius ab Alexandro, dehinc a Hiltibrando vocatus, satisfacere contempsisset. Sic itaque [1571] utrimque parte sua favente atque [1572] acclamante, [1573] discessum est. — Notum *** tamen est, quod eandem sententiam adversarii imperatoris tanto insequebantur [1574] zelo, ut, habito postmodum in Quitilingoburg [1575] concilio (*April.*), ubi Otto episcopus Ostiensis interfuit legatus Hiltibrandi papæ, ipsam [1576] nimium [1577] ventilantes heresim Wecilonis ipsumque **** heresiarchum [1578] appellarent, contra fidem scilicet illum dogmatizasse culpantes, quod, quamdiu quis suis spoliatus [1579] sit rebus, divinis non subjaceat legibus. — Hiltibrandus papa, qui et Gregorius septimus, apud Salernam moritur (*Mai.* 25) et ibidem in æcclesia sepelitur. Cui Northmannorum et Mathildis illius potentissimæ per Italiam feminæ cunctorumque ***** ejusmodi sectam emulantium assensu, Desiderius, cardinalis Romanus et abbas Casinensis, verus Christi famulus, licet multum corde simul et corpore renitens, substituitur ****** (*an.* 1086); sed cum infirmitate gravi laborans, ad summum hunc [1580] apicem invitus, immo captivus provehe-retur, precibus optinuit, ut infra non multos dies ex hac vita tolleretur (269) (*an.* 1087). Post hæc per eosdem electores et ordinatores predictus [1581] Otto episcopus Ostiensis eidem officio delegatur (*an.* 1088), mutatoque ******* Romano more vocabulo, Urbanus appellatur.

* Wigbertinis C. D. E.

** D. E. 5 — 11. *addunt* : dignus qui [1582] alius temporis esset episcopus.

*** Notum — legibus *desunt* C.

**** quod dictu nefas est *addit* A. *delevit* 1.

***** Romanorumque consensu C.

****** s. et Victor appellatur C.

******* mutatoque — appellatur *e corr.* 1. *quorum loco* A. *habet* : hocque defuncto Urbanus quidam in eadem sede ab his ordinatur.

30. 3. A. D. [1583] 1086. Heinricus imperator Saxoniam vastat. — Wirciburg a Saxonibus et Alamannis obsidetur (*Jul.*). Ad quam liberandam imperator copiosum tam peditum quam equitum congregat exercitum, pugnaque juxta Bleichefelt commissa (*Aug.* 11), digreditur absque victoria. Mox urbe ab hostibus capta, episcopus Adelbero introducitur, relictoque cum eo militari presidio, ad propria quisque proficiscitur. Sed paulo post eadem urbs ab imperatore recipitur, expulsoque Adelberone cum suis, Meginhardus restituitur.

31. 4. A. D. 1087. Herimannus (270), falso * regis nomine deposito, permissione imperatoris ad propria reversus, post paucos dies in cujusdam oppidi obsidione interiit. * 1

* *deest* D. E. vano C.

* 1) 10. 11. *addunt* : Metis sepelitur. *ex Bernoldo a.* 1088.

VARIÆ LECTIONES.

[1549] megenh. A. meinh. 2. [1550] *deest* 4. [1551] ekkibertus 5. egeb. 2. [1552] *deest* 4. [1553] ab am 6. [1554] *deest* A. [1555] *ita* A. D. E. *deest* 2? 5. *rell.* [1556] bergbach A. berchac 4. bercha 9e [1557] ergo 2. [1558] wecelone A. *et infra.* [1559] maguntino 5. *et ita infra.* moguntino A. [1560] Everhardo salizb. 2. [1561] Everhardus 2. [1562] wecelone 5. 9e. wezelone A. [1563] judicio justo 4. injusto *corr.* justo jud. A. [1564] ee. 2. [1565] wecel 9c. [1566] canusinum A. [1567] jam diu 5. [1568] Everardus 2. [1569] asseruit 4. [1570] pro 6. [1571] ita A. [1572] ac A. [1573] clamante 2. 4. [1574] insequentes 4. [1575] quitilinburg *corr.* quitilingoburg A. quitilingeburg E1. quintil. *alii.* [1576] ipsamque A. [1577] *hic* 1. *prosequitur fol.* 182. [1578] heresiarchem(?) *corr.* heresiarchum 1. um *e corr.* A. [1579] expol. a. [1580] *deest* A. [1581] *in margine* 1. *dest* A. [1582] quia E1. [1583] Domini *deest* 1.

NOTÆ.

(267) Misnensis.

(268) Berkach ad Werram.

(269) Electus d. 21 Mai 1086 obiit d. 16 Sept. 1087.

(270) Hæc ad a. 1088 referenda sunt.

32. 5. A. D. 1088. Berhta imperatrix obiit, et Spiræ sepulta est. — Buggo Halberstatensis episcopus occiditur Goslariæ (271) — Augusta * urbs insidiis Suevorum in cœna Domini (272) capta, secunda [1584] feria paschæ destruitur (*Apr.* 13-17); et Sigifridus ejusdem urbis episcopus custodiæ mancipatur. Wigoldus vero, invasor ejusdem æcclesiæ, intra paucos dies moritur. — Meginhardus episcopus Wircibugensis obiit; cui Emehardus successit, vivente adhuc Adelberone [1585]. — Wecil archiepiscopus Mogontinus obiit; cui Ruothardus successit.**.*2

* Augusta moritur — *desunt* C. D. E.

** C. D. E. *addunt :* Gebehardus Salzburgensis archiepiscopus obiit; D. E. *addunt :* 17. (7. E.) Kal. Julii.

*2) 5. *addit :* Terræmotus factus est magnus 5 Idus May. — 10. 11. *addunt :* Petrus Albanensis episcopus obiit. Iste per judicium ignis inmensam pertransiens illæsus piram, vestimentis etiam per flammam volitantibus sed in nullo læsis, Petrum Florentinum episcopum declaravit simoniacum; unde et ipse postea igneus est appellatus. *ex Bernoldo a.* 1090.

33. 6. A. D. 1089. Otto Ratisponensis episcopus moritur; pro quo Gebehardus adolescens constituitur. — Imperator nuptias Coloniæ celebravit, quandam Utonis * marchionis viduam, Ruscorum regis filiam, ducens uxorem. Post hæc congregato exercitu, oppidum quoddam marchionis Eggiberti in Thuringia positum nimis firmum, Gliche dictum [1586] (273), obsedit. In vigilia vero natalis Domini, dominico scilicet die, cum magna pars primatum ob diem festum jam abiret, Eggibertus suis consulens, audacter imperatorem invadit, et naviter primo resistentem, tandem cedere compellit. Ibi Burchardus Losannæ episcopus, qui ea [1587] die sacram imperatoris lanceam ferebat, occisus [1588] est.

* Heinrici C. D. E.

34. 7. A. D. 1090. Heinricus imperator Italiam rursus ingreditur, ibique fere per septem annos moratur. — Predictus Eggibertus a quibusdam imperatoris fidelibus in quodam molendino pausandi gratia deprehensus, turpiter occubuit. — Adelbero Wirciburgensis de sede sua jam diu depulsus, in Bajoaria moritur [1589], ibique in monasterio suo Lambahc sepelitur (274).

35. 8. A. D. 1091. Visi sunt per multas regiones vermiculi nimis ignoti, non longe a terra volantes, hoc est ut vel manu vel virga tangi possent, grossitudine quidem muscis æquales, sed longitudine satis deductiores; quorum tam infinitus extitit exercitus, ut unum pene miliarium in latitudine, duo vel tria in longitudine viderentur occupare, densitate vero sua ipsam solis lucem terris negare. Per quam prodigiosam visionem illam, quæ post quadriennium facta est, Hierosolimam tendentium profectionem quidam interpretati sunt figurari.

36. 9. A. D. 1092. Pestilentia [1590] magna facta est hominum atque pecudum.

37. 10. A. D. 1093. Fratislaus [1591] dux Boemiæ in venatu repente cadens de equo, subitanea morte obiit (275). — Chuonradus, imperatoris filius et Berhtæ imperatricis, patri rebellasse infamatur. * — Visus est splendor quidam quasi facula volans per aerem ab oriente in occidentem. — Eclypsis solis facta est 9 Kalend. Octobris hora tercia, et mortalitas magna subsecuta est.

* narratur C. D. E.

38. 11. A. D. 1094. Æcclesia mortalitate immensa incredibiliter vastata est, insuper pestilentia, turbinibus, imbrium inundationibus diversisque cladibus nimium afflicta.

39. 12. A. D. 1095. Ladizlaus rex Pannoniæ, misericordiæ operibus plenus, vitam finivit in Domino. — Luitpoldus quoque marchio, necnon Heinricus palatinus comes [1592] obierunt. *3

* 3 6-11 *addunt :* Burchardus etiam abbas transivit ad Dominum 13 Kalend. Febr.

40. 13. ANNO DOMINI MXCVI.

Welefo, dux antea Noricus, qui ab imperatore jam dudum abjuraverat et ob id ducatum perderat, in gratiam ejus rediit ducatumque recepit.

Signum in sole apparuit 5 Non. Mart., feria secunda incipientis quadragesimæ. Diversa quoque prodigia mundus parturisse ubique referebatur. * Mox ex omnibus pene terræ, sed maxime ab occidentalium regnorum partibus, tam regum et nobilium quam etiam [1593] vulgi utriusque sexus innumerabiles turmæ armata manu Hierosolimam tendere cœperunt **, excitati scilicet in zelum frequentibus nunciis super obpressione dominici sepulchri ac desolatione omnium æcclesiarum [1594] orientalium, quas gens ferocissima Turicorum per aliquot annos suo subactas dominio inauditis calamitatibus jam jamque deleverat. Quibus ***, ut dictum est, subvenire statuentes, sicut diversis agminibus, ita diversis et incertis plerique ducibus properabant. **** Primi namque Petrum quendam monachum sequentes, quem ***** tamen postea [1595] multi hypocritam fuisse [1596] dicebant, ad 15000 estimati, per Germaniam indeque per Bajoariam atque Pannoniam pa-

VARIÆ LECTIONES.

[1584] f. s. A. [1585] adalb. A. [1586] *deest* A. [1587] eadem A. [1588] occiditur *superscr.* vel occisus est A. [1589] *deest* A. [1590] *desunt* 6. [1591] fratizlaus A. E. [1592] *deest* C. [1593] *deest* A. [1594] *deest* 5. 9[e] regionum 11. or. *superscr.* 1. *deest* A. [1595] m. p. A. [1596] esse A.

NOTÆ.

(271) Cf. Stenzel II, p. 290.

(272) Ann. August. h. a. diem præcedentem 2. Idus April. (d. 12 Apr.) indicant.

(273) Gleichen; hæc a. 1089 exeunte facta sunt.

(274) Cf. Vitam Adalberonis auctore monacho Lambacensi ap. Pez SS. Austr. Vol. II.

(275) d. 15. Januar.

cifice transiebant; quam plurimi vero navali per Danubium vel per Alamanniam pedestri itinere, aliique ad 12000 per Saxoniam atque Boemiam a quodam presbitero Folcmaro [1597], itemque nonnulli a Gotescalco presbitero per orientalem Franciam ducti sunt. Qui et ipsi nefandissimas Judæorum reliquias, ut vere intestinos hostes æcclesiæ, per civitates quas transibant aut omnino delebant aut ad baptismatis refugium compellebant, quorum tamen plurimi, sicut canes ad vomitum, postea retro rediebant.***** Illi autem viatores plurimis exinde manubiis onusti, Ungariam attingentes, quibusdam sedicionibus, ut videbatur, indigenis invisi facti, re autem vera facultatum suarum abundantia eosdem semibarbaros in avariciam accendentes, jussu regis eorum Colomanni [1598] dolis potius quam armis B capti, plurimi morte multati, pauci armis et rebus nudati, fugam pro maximo lucro reportabant; quamvis et amplissima utriusque multitudo a quodam Emichone viro militari seducta, vel potius ut Israheliticus quondam exercitus spiritu fornicationis decepta, paucis sibi Pannoniæ ingressum in presidio Miesenburg (276) obstantibus, fuga nemine persequente repatriaverit (277).

Eclypsis lunæ facta est 6 Idus Augusti, luna 14,

* Eclypsis — 14. *quæ infra* C. D. E. *hoc loco.*
** ceperunt. De qua profectione nonnulla specialia jam extant opuscula. E. *ubi reliqua hujus anni desunt.*
*** Quibus — repatriaverit. *hoc loco desunt* D.
**** p. De qua profectione plura referre supersedemus, quia, sicut res tanta exigit, elegantia inde scripta sufficienter alias habemus. C. *reliquis omissis.* C
***** quem — dicebant. *desunt.* D. H. *Ekk. in* 1. *hæc linea subduxit.*
****** Quod quo Dei judicio actum sit, ipsi relinquendum erit. *addit* A. Quod q. d. i. a. s. aut qualiter ei placuerit, i. r. erit. *addit* 1. *sed postea delevit.*

41 14. ANNO DOMINI MXCVII.

Heinricus imperator ab Italia rediens, Ratisponam Bajoariæ urbem venit, ibique aliquamdiu moratus, Judæis qui baptizari coacti sunt judaizandi * ritum concessit (*Mai. Jun.*).

Interea ** Gotefridus dux Lotharingiæ, vir genere, armis et ingenio clarissimus, qui priori anno, cunctis quæ possidebat in precium redactis, militibus copiosis fideque non modica instructus, iter per orientalem Franciam fecerat, neque ipsis ab Ungaria fugientibus territus, sed tam imperatoris Heinrici quam regis Colomanni [1598] permissione Pannonias Bulgariasque [1599] permearat, Constantinopolitano fœderatur imperatori, ejusque presidiis fultus, Romaniam attigit, ibique sociatis sibi tam Siciliæ D quam Greciæ, Danorum, Northmannorum, ceterorumque transmarinorum exercitibus, immo universorum Christum colentium nationum auxiliis, frequenti congressu barbaros atterere cœpit, tandemque Romania occupata, in Antochiæ consedit obsidio. ***

* s. legibus suis uti ut fertur c. A. *et* 1. *prima manu, verbis,* ut fertur *post deletis,* judaizandi ritum *pro* l. s. u. *substitutis.*
** Interea — consedit obsidio. *desunt* C. D. E.
*** R. subacta Antiochiæ resedit, A. *corr. ut editum est* 1.

Heinricus imperator Mogontiæ cum principibus colloquium de pace habuit circa Kalendas Decembris, et* natalem [1600] Domini apud Argentinam celebravit.

* et — celebravit. *desunt* C. D. E.

Cometes apparuit. — Eo anno æstas fertilissima, hiems vero lenis et pestilens fuit; imbrium et fluminum inundationes nimis increverunt.

42. 15. ANNO DOMINI MCXVIII.

Inquisitione* facta Mogontiæ ab imperatore de facultatibus Judæorum interfectorum, inter ceteros qui eas rapuerunt quidam ex consanguineis archipresulis incusati sunt. Quos cum imperator perquireret, nec in presentiam ejus venirent, pontifex causam eorum defendere volens sed non valens, indignatione permotus, ex urbe discessit, et Thuringiam cum eis se contulit, quasi suis in hoc melius prospecturus, et ex vicinitate imperatori rebellium quendam ei terrorem illaturus, sicque commotionis suæ vindictam exacturus. Extiterunt autem qui dicerent, etiam [1601] ipsum pontificem multam partem de pecuniis invasis accepisse et idcirco defensioni ceterorum tanto studio cor apposuisse.**—Welefo, Bajoariorum denuo dux, filios suos, et ipsos rebellare temptantes, gratiæ imperatoris reconciliavit, et uni eorum ducatum post se committi impetravit. ***

C. D. E. *ita :* Dum imperator de facultatibus Judeorum interfectorum Mogontiæ perquireret, et tam pontifex quam ejus consanguinei de eisdem pecuniis culparentur, commotus presul Thuringiam se cum suis contulit, Heinricus vero episcopii reditus suis usibus universaliter adjecit, fugitium quoque possessiones publicari mœniaque dirui precepit. Welefo *etc.*

** A. *addit :* Imperator vero, pontifice sedem suam tam stolide linquente, omnes epyscopii [1602] reditus diversasque agendarum rerum amministrationes [1603] suis usibus adjecit, fugacium quoque possessiones publicari mœniaque dirui precepit; sicque presul dum aliis prospicere quodam fastu inconsulte meditatur, ipse sicut et antecessor ejus circumvagus multis commoditatibus privatur. *Quæ*

VARIÆ LECTIONES.

[1597] folemaro A. [1598] cholom. A. [1599] bulgariamque *corr.* bulgariasque 1. [1600] natale *corr.* natalem 1. [1601] *deest* A. [1602] episcopii A. [1603] adm. A.

NOTÆ.

(276) Wieselburg.
(277) Hæc a. 1099 scripta Ekkehardus postea aliter fuisse comperit · vide quæ a. 1099 post reditum suum adjecit. Ideo hunc locum in libello Hierosolymita omisit.

etiam in 1. *leguntur, sed ab auctore postea de-* A *leta sunt.*

* A. *ita pergit :* Gotefridus (278) dux ceterique in itinere et studio supradicto consociati, cum Nicea capta discederent, plus quam 300000 armatorum habebant. Et licet hæc tanta multitudo universam Romaniam occupare, flumina epotare, segetes omnes una die depascere posset, tanta tamen plenitudine conduxit vitæ necessaria Deus, ut de ariete nummus, de bove vix duodecim acciperentur. Preterea etsi principes et reges Sarracenorum contra eos surrexerunt, Deo tamen volente facile victi et conculcati sunt. Ob hæc itaque feliciter acta quia quidam intumuerunt, opposuit eis Deus Antiochiam, urbem humanis viribus inexpugnabilem, ubi per novem menses detentos in obsidione ejusdem ita eos humiliavit, ut omnis superbiæ illorum tumor desideret. Igitur sic eis humiliatis, ut in toto exercitu vix centum boni B equi reperirentur, aperuit Deus copiam suæ benedictionis et misericordiæ, eosque in civitatem induxit, atque Thurcos et eorum omnia potestati horum [1604] tribuit. Cumque et hæc [1605] quasi viribus suis acquisita obtinerent, nec Deum, qui eis [1606] hæc contulerat, digne magnificarent, tanta Sarracenorum multitudine obsessi sunt, ut de civitate nullus ex tanta turba egredi auderet. Preterea fames in civitate ita convaluerat, ut vix ab humanis dapibus se aliqui continerent. Longum est enarrare miserias quæ in civitate fuere. Respiciens autem Dominus populum, quem tam diu flagellaverat, benigne consolatur, ac primo quasi pro satisfactione tribulationis lanceam suam, qua in cruce vulneratus est, munus non visum a tempore apostolorum, pignus victoriæ illis obtulit; deinde corda hominum adeo animavit, ut C illis, quibus egritudo vel fames ambulandi vires denegaverat, arma sumendi et viriliter contra hostes dimicandi virtutem infunderet. Deinde cum triumphatis hostibus fame et tedio exercitus deficeret Antiochiæ, maxime propter discordias principum, in Syriam profecti, Barram et Marram, urbes Sarracenorum, expugnaverunt, et castella regionis obtinuerunt. Cumque ibi moram disposuerunt, tanta fames in exercitu fuit, ut corpora Sarracenorum jam fetentium a populo christiano comesta sint. Deinde cum divino nutu in interiora Hyspaniæ progrederentur, largissimam atque misericordem et victoriosissimam manum omnipotentis Patris secum habuerunt. Etenim cives et castellani regionis illius per quam procedebant, ad eos cum multis donariis legatos præmittebant, parati servire et oppida sua reddere. Sed quia exer- D citus non multus erat et in Hierusalem unanimiter festinabant, acceptis securitatibus, tributarios eos fecerunt, quippe cum una de civitatibus, quæ in maritimis illis sunt, plures homines haberet, quam in exercitu christiano fuissent. Cumque auditum esset Antiochiæ et Laodiciæ et Rohas, quia manus Domini esset cum eis qui abierant, plures de exercitu qui ibi remansit consecuti sunt eos apud Tyrum. Sic itaque Deo conviatore et cooperatore usque ad Hierusalem pervenerunt. Cumque in obsidione illius multum laboraret exercitus, maxime propter aquæ inopiam : habito concilio, episcopi et principes circinandam esse civitatem nudis pedibus predicaverunt, ut ille, qui pro hominibus eam in humilitate ingressus est, per humilitatem istorum pro se ad judicium de suis hostibus faciendum illis eam aperiret. Placatus itaque hac humiliatione Dominus, octavo post humiliationem illorum die civitatem eis tradidit, eo videlicet die quo primitiva æclesia inde abjecta fuit, cum festum de dispersione apostolorum a multis fidelibus celebratur. De hostibus vero ibi repertis quid actum sit, si quis nosse querit, sciat quia in porticu quæ dicitur Salomonis et in templo ejus victores equitabant in sanguine Sarracenorum usque ad genua equorum. Deinde cum ordinatum esset, qui civitatem retinere debuissent, et alii amore patriæ et pietate parentum suorum redire voluissent, nunciatum est eis, quod rex Babiloniorum Ascalonam venisset cum innumerabili multitudine paganorum, ducturus Francos qui Hierosolimis erant in captivitatem et expugnaturus Antiochiam, sicut ipse dixerat; aliter autem Dominus de his statuerat. Itaque cum in veritate hi qui Jherosolimis erant [1607], exercitum Babiloniorum Ascaloniæ esse, contenderunt obviam illis, relictis sarcinis et infirmis suis in Hierusalem cum presidio. Cumque exercitus horum et hostium se circumspexissent, christiani genibus flexis Deum invocarunt, ut qui in aliis necessitatibus suis legem christianorum confirmaverat, in presenti bello, confractis viribus paganorum et diaboli, regnum Christi et æclesiæ a mari usque ad mare usquequaque dilataret. Nec mora; clamantibus ad se Deus affuit, atque tantas audaciæ vires ministravit, ut qui eos in hostem currere videret, fontem aquæ vivæ sitientem cervum segnem adjudicaret; miro videlicet modo, cum in exercitu christiano non plus quam quinque milia equitum et 15000 peditum fuissent, et in exercitu hostium centum milia equitum et 400000 peditum esse potuissent. Tunc mirabilis in servis suis Deus apparuit, cum, antequam confligerent, pro solo impetu eorum hanc multitudinem in fugam convertit, et omnia eorum arma diripuit, ita ut, si deinceps istis repugnare vellent, non haberent arma in quibus sperarent. De spoliis vero non est quærendum quantum captum sit, ubi thesauri regis Babiloniæ occupati sunt. Ceciderunt ibi plus quam centum milia Marorum [1608] gladio; timor autem illis tantus [1609] erat, ut in porta civitatis ad 2000 suffocati sint; de his vero qui in mari interierunt non est numerus; spineta etiam ex ipsis multos obtinuerunt. Pugnabat certe orbis terrarum pro christianis. Et nisi spolia castrorum de ipsis multos detinuissent, pauci de tanta multitudine hostium essent qui de bello renunciare potuissent. Pridie autem quam bellum fieret, multa milia camelorum et boum et ovium cepit exercitus. Cumque jussu principum populus hæc dimisisset ad pugnam progrediens, mirabile dictu! multas et-mul-

VARIÆ LECTIONES.

[1604] eorum A. [1605] hec A. *semper.* [1606] *hoc loco jam textus antiquior desinit in* 1. [1607] *deest* comperissent v. *infra.* [1608] vel armatorum *adscrivsit c.* [1609] illis t. illis e. *c.*

NOTÆ.

(278) Hæc brevis belli sacri narratio sumpta est ex epistola principum ad Paschalem II, quæ in Annalibus S. Dysiboli (quos vulgo Dodechino tribuunt) a. 1100 legitur.

tiplices turmas fecerunt cameli, similiter autem et boves et oves. Hæc autem animalia ita comitabantur exercitum, ut cum stantibus starent, cum procedentibus procederent, cum currentibus currerent. Nubes etiam ab estu solis christianos defendebant et refrigerabant. Celebrata itaque victoria, reversus est exercitus Hierusalem, et relicto ibi duce Gotefrido, Reginmunt comes Sancti Egidii, et Ruotpertus comes Nortmanniæ, et Ruotpertus comes Flandriæ, Laodiciam reversi sunt; ibi classem Pisanorum et Boemundum invenerunt. Cumque archiepiscopus Pisanus Boemundum et alios cum eo discordantes concordare fecisset, Reginmundus pro Deo et pro fratribus regredi disposuit; magna vero multitudo, ut supra dictum est, ad patriam remeare contendit; ceteri qui remanserunt, terra p, Deo disponente, hactenus in pace obtinuerunt. *Hæc antea etiam in* 1. *scripta erant, ibique etiamnum usque* nec Deum qui eis *lineis subducta exstant*; *reliqua f.* 184. *sqq. scripta aut erasa sunt aut penitus folio exciso deleta.*

A. D. MCXIX [1610] (279).

*1 Heinricus imperator natalem Domini Coloniæ celebravit; in epyphania vero Aquisgrani filium suum juniorem Heinricum quintum * regem fecit, reprobato ** majore filio Chuonrado, quem prius coronavit. ***

*1) E. 1. *alia manu add. in marg.* : Hilliboldus abbas Sancti Johannis baptistæ 10us ordinatus est, qui ordinem Hirsaugiensem instituit.

* *deest* C.

** *Quæ h. a. sequuntur desunt omnia* C.

*** A. *ita pergit* : Post hæc Bajoariam tendens, eundem filium, quem regem [1611] constituit, his qui prius non affuerunt, ut regem illum haberent, commendavit. — Inter hæc palatinus comes Ratpoto et patruelis ejus Oudalricus, quem multum divitem appellabant, defuncti sunt. — Imperator vero natalem apostolorum Babenberg agens, de conservanda fideliter pace multum obtestando commonuit illarum partium principes, et ut latrocinantes furtisque studentes absque retractione persequendo dampnarent, sub jurisjurandi sacramento constrinxit; advocatis quoque, ne sub se alios advocatos in depredationem populi et æcclesiarum constituerent, funditus interdixit; sed hoc preceptum, heu! parum convaluit, quia principes turmis militum carere nolentes, quas talibus maxime beneficiis sibi conciliaverunt, mox imperatore discedente, solito et antiquato more usi sunt. — Capta est Hierusalem a christianis Id. Julii, feria 6. — Chuonradus Trejectensis episcopus his diebus a suis occisus est. — Heremannus Coloniensis archiepiscopus obiit. — Urbanus papa obiit; cui Pascalis successit, adhuc vivente papa Wigperto, qui et Clemens.

Chuonradus vero causam rebellationis suæ paucis tantum sibique familiarissimis in regno detegens, assumpto quodam ex ordine ministerialium patris, æque Chuonrado nomine, forti admodum et prudenti viro, per quasdam Italiæ partes et nomen et dignitatem regis annis fere 9 obtinuit, tantum indolis suæ per orbem Romanum diffundens interim odorem, ut nemo religiosus, nemo sapiens in ipso salutem [1612] rei publicæ constituendam fore dubitaret. Erat enim vir per omnia catholicus et apostolicæ sedi subjectissimus, plus religioni quam fascibus vel armis deditus; fortitudine tamen et audacia satis et super instructus, lectioni quam lusibus vacare malebat; miseris omnimodis, sed precipue militibus inopia strictis, compassione et misericordiæ fructu proximus fiebat; nemini contemptum, nemini vim, nemini prejudicium intendens, omni personæ omnique conditioni fuit affabilis; indeque non immerito Deo et hominibus semper extitit amabilis. Cœlibatus pudorem perpetualiter servare cum proposuisset, coactus tamen a suis filiam Ruotkeri ducis Siciliæ, famosissimi pene nostrorum temporum viri, duxit uxorem, cujus tam caste usus est conjunctione, ut vix crederetur eam unquam cognovisse. *Legale [1613] illud preceptum : *Turpitudinem patris tui non revelabis* (*Levit.* XVIII, 7), itemque : *Honora patrem tuum* (*Matth.* XIX, 19), murmur, quod per totum Romanum imperium patris sui mores laniabat, quodque ipsum sibi offensæ patris ac suæ ab illo discessionis causa extitit, auribus propriis nunquam patiebatur inferri, semper illum dominum suum et cæsarem vel imperatorem cognominans; universos a palatio patris adventantes sub appellatione conservorum, licet infimos, sociali benivolentia tractans. Preter animi virtutes morumque compositionem corpore fuit apprime decorus ac statura procerus.

* Quæ tamen turturina [1614] nihilominus predita fide secundos ultra detestabatur amplexus, adeo ut post ablatum tantum corpori suo caput, reliquum vitæ suæ tempus labori consecraverit sexagesimi fructus (280). *in* 1. *scripta sed erasa sunt, jam nonnisi liquoris chemici ope legenda; in* 1b. *vero exstant.*

Eodem * anno Gotefridus dux, Reginmundus comes Sancti Egidii, Ruopertus comes Normanniæ, Ruopertus comes Flandrensis, cum turmarum copiis quibus preerant multa usque Hierusalem difficultate pertingunt, quarto jam anno postquam in eandem militiam pro crucifixo sibi Christo tanti se bellatores sponte crucifixerunt. Reliqua enim multitudo, preter eos qui cum Boimundo Antiochiæ consederant

VARIÆ LECTIONES.

[1610] 4. 5. 10. *addunt numeros* 43. 16., *quos omittit* 1. [1611] rege *c.* [1612] salutem r. p. 1. D1. salutem rem publicam 5. saltem rem publicam 6. 9c. 10. 11. [1613] *Supplendum* cum C. *a.* 1101 : Juxta legale illud. [1614] turturnina 1b.

NOTÆ.

(279) Quæ jam sequuntur, ab Ekkehardo post reditum ex itinere Hierosolymitano, iis quæ antea scripserat (a. 1098. n.***) deletis, adjecta sunt. Pauca tantum ex prioribus retinuit.

(280) Hæc Ekkehardus delevit, cum vidua postea Balduino regi Hierosolymitano nupserit; v infra Hierosolymitam.

vel cum Baldewino Rohas abierant, Laodiciæ Tyroque remanserant, per diversas circumquaque regiones dispersi erant.

Quæ sequitur historia belli Hierosol. hoc loco deest D. E., *qui singularem addunt narrationem et hoc loco cum* C. *hæc tantum exhibent :* Eodem anno dominus noster Jesus Christus civitatem requiei suæ Hierusalem fidelibus suis aperuit, et eliminatis per magnitudinem potentiæ suæ paganorum spurciciis, liberum christianæ devotionis ritum misericorditer inibi restauravit.

Hic de militiæ vel expeditionis ejusdem causa, non tam humanitus quam divinitus ordinata, fert animus æstuans aliqua prescriptis adjicere, maxime ob imprudentium, immo impudentium quorundam redargutionem, qui vetusto semper errore contenti, novitatem hanc, jam senescenti et prope intereunti mundo pernecessariam, ore temerario presumunt reprehendere, ipsi epicureo more voluptatum latam [1615] quam artam divinæ servitutis viam amplectentes, appetitum mundi prudentiam, contemptum ejus stulticiam, hoc est carcerem patriam, tenebras lucem, malum bonum, mortem vitam, proh pudor! corde ceecissimo considerantes [1616]. Lenocinatur eis in hoc et audaciam hujusmodi subministrat depravata jam undique, sed maxime partibus in istis, rerum vertigo, ubi sapientia pre omnibus invisa, virtus omnis est odiosa, religio despicitur, humilitas conculcatur, astutia primatum prestat, vicium amorem conciliat, crudelitas [1617] timorem, superbia imperat honorem. Nos autem in Domino tantum confidentes, nec presentibus sed futuris inhiantes, ac licet spectatores pigri, fautores tamen benivoli, laudemus eosdem [1618] nostri temporis viros gloriosos, qui vicerunt regna mundi, qui relictis propter pium ovis centesimæ quesitorem conjugibus ac liberis, regnis et divitiis, posuerunt animas suas in manibus suis, zelo zelantes pro domino Deo exercituum, utraque condigne armati fortitudine, regis sui cælestis ineuntes servitium [1619].

Tempore Heinrici IIII Romani, et Alexii Constantinopolitani principis, juxta presagium evangelicum surrexit undique gens contra gentem et regnum adversus regnum, et terræmotus magni erant per loca, et pestilentiæ et fames terroresque de cælo et signa magna ; et quia jam in omnes gentes evangelica tuba justi judicis adventum preconabatur, ecce etiam totum circumquaque mundum signa prophetata portendentem universalis æcclesia contemplatur. Jam Hierosolima Sarracenis civibus possessa, Babyloniæ (281), quæ nunc sedes est regni Ægyptii, serviebat, jam tenuis in ea christianæ professionis religio cotidiano se tributo redimebat. Bethlehem, domus panis angelorum, stabulum facta est armentorum, universæque circumcirca æcclesiæ per omnia ludibriis numeroso annorum circuitu subjacebant paganorum. Orto interea bello sorte miserabili inter christianos orientales, id est Grecos et Armenios, Armenii, utpote regnis et numero pauciores, affines asciscunt sibi de Persia bellatores inclytæ famæ, Thurcos ; quorum auxilio sedata juxta placitum suum seditione, dimiserunt eos ad propria, nimis allectos terrarum ipsarum copia et fertilitate. Qua de re inito post annos aliquot consilio, emerserunt ab aquilonali plaga de terra Gorrizana, quæ plus hominum quam victuum fertilis esse narratur, prescriptorum paganorum copiæ multæ, quæ sub quatuor sultanis divisæ — sic enim satrapas suos nominare solent — uni tantum Persico imperatori pene divini cultus more subjecti, per Armeniam, indeque Capadociam totamque Romaniam atque Siriam diffusi sunt. Primo quippe Niceam, catholicæ quondam fidei turrim firmissimam, expugnant, trucidatis in ea christianis quos ceperant, Solomanum quendam de suis tyrannum cum presidiis locant, universas circumquaque regiones usque ad paludem sive sinum maris qui brachium sancti Georgii dicitur funditus devastantes, nulli animæ christianæ, nulli æcclesiæ vel monasterio, immo nec ipsis sanctorum imaginibus parcentes. — Vidimus enim et adhuc videre miserabile spectaculum est in semidirutis partium illarum oratoriis ipsam Salvatoris nostri ejusque gloriosissimæ genitricis seu quorumlibet electorum picturas, truncatis naribus vel auribus, manibus vel pedibus, desolatarum æcclesiarum quodammodo luctum visibiliter pretendere, divinique judicii super se vigilantem virgam plagis quasi semper recentibus ostentare. His te gladiis, o nobilissima Constantinopolis, nec regis tui tutavit milleformis astutia, nec civium populositas innumera ; non te frequentia nundinarum vel infinita congeries auri redemit ; non te Waringorum, non te Thurcopolorum tuorum vel Pincinatorum classiumve multitudo defendit ; solum tibi stagni predicti intersticium presidio fuit, immo sola te Creatoris operatio munivit. Subjacuit furoribus istis prepotens quondam Antiochia, et ne multis morer, dextras dederunt tota simul Siria atque Palestina. — Igitur terra repromissionis subacta, mater nostræ redemptionis ac fidei Hierusalem duplici captivitatis jugo gravatur ; solamen tamen erat utique perparvulum, quod opprimentium se Sarracenorum Thurcis multo turpior plebs æqua sorte multatur. Posito inibi sultano militibusque numerosis, ad instauraudum antemurale [1620], quod hactenus cernitur, aliave quælibet ædificia, destruuntur illa quæ extra civitatem erant monasteria ; Dominm vero sepulchrum questus dumtaxat gratia inteme-

VARIÆ LECTIONES.

[1615] potius latam *scribi voluisse videtur :* tam latam *falso suppl.* 5. [1616] ccc. prave discernentes H. [1617] extorquet *addit* H. [1618] l. alios quosdam H. [1619] 5. *addit rubram :* De profectione hierosolimitana. [1620] murale *corr.* autemurale l.

NOTÆ.

(281) I. e. Cairo.

ratum relinquitur; templum Domini famosissimum et nulli, ut arbitror, humani operis structuræ comparandum sacrilegæ paganorum religioni reservatur, tantæque semper apud illos habebatur venerationi, ut nunquam illud nisi nudis et lotis pedibus intrarent, nullum vero de christianis, quos utique maxime immundos judicabant, per tot annorum curricula tam Sarracenorum quam Thurcorum tempore vel intra atrium ingredi permitterent.

Cum ergo victores idem nunc armis, ut res poscebat, insudarent, nunc lusibus ac deliciis, utpote a glarea jejuna in terram maxime fructiferam transplantati, sibimet indulgerent, in illorum servitio quæ tormenta, quas cruces, quasve per omnia miserias superstites christicolæ paterentur, vix cuilibet inexperto credibile est; per legationes tamen frequentissimas [1621] et epistolas, etiam a nobis visas, universalem æcclesiam æcclesiæ Hierosolimitanæ in presidium lugubriter inclamantes, adverti facile potest. Predictus etiam Alexius imperator Constantinopolitanus super eisdem barbaris predonibus, per majorem jam regni sui partem diffusis, non paucas epistolas Urbano papæ direxit, quibus in defensionem orientalium æcclesiarum se non sufficere deploravit obtestans, totum, si fieri posset, occidentem, qui jam ex integro christiana professione censeretur, sibi in adjutorium advocari, promittens per se cuncta necessaria prælialuris terra marique ministrari.

Inde commotus apostolicus et omnis æcclesia Romana [1622], generale concilium in Hispaniæ confinio (282) vel [1623], ut quidam dicunt, Parisii congregari fecit (*an.* 1095); quo etiam ipse laborioso nimis itinere perveniens, innumeris qui ibidem convenerant populis diversorumque regnorum legatis universa quæ prescripta sunt et multo ampliora ore facundissimo declamavit. — Mox tot milibus in lacrimas resolutis, variarum quoque linguarum planctibus in altum levatis, in hoc eis doctor egregius remissionem omnium condonat peccatorum, si, renunciatis omnibus quæ possidebant, crucem post Christum unanimiter portantes, periclitantibus conchristianis ferrent auxilium. Qua sponsione arrectis animis omnium, designata sunt ad presens in Domini miliciam circiter 100000 virorum, ex Aquitania scilicet atque Normannia, Anglia, Scotia et Hibernia, Britannia, Galicia [1624], Wasconia, Gallia, Flandria, Lotharingia, cæterisque gentibus christianis, quarum nunc minime occurrunt vocabula. Crucis signaculum in vestibus idem vere crucifer exercitus ob mortificationis preferebat commonitorium, credens in hoc, juxta visionem Magno quondam Constantino revelatam (283), ab inimicis crucis Christi se triumphaturum. Mira autem et inestimabili divinitatis dispensatione tot Christi membra, linguis, tribubus et nationibus differentia, subito in unum Christi caritate conglutinati coaluerunt corpus, uno omnes Christo rege, sed singulis singulæ gentes procuratæ ducibus, Gotefrido scilicet Lotharingiensi suisque fratribus Baldewino et Eustatio, Ruoperto Flandrensi, item Ruoperto Normannico, Regimundo comite de Sancto Egidio, Hugone fratre Philippi regis Galliæ, cæterisque ejusdem industriæ, nobilitatis atque fortitudinis bellatoribus. Quibus omnibus venerandæ sanctitatis et sapientiæ virum, Hademarum episcopum (284), præfatus apostolicus prefecit; cui et ligandi solvendique potestatem, a beato Petro Romanæ sedi hereditatam, sua vice semper exercendam concessit, insignitumque cælestis militiæ stigmate exercitum apostolica benedictione consignans, condicto ab universis tempore profectionis, ipse cum non modica ejusdem expeditionis turma Italiam rediit.

Legatis denique singulis ad propria reversis pervagata cis citraque mox orbem cunctum hæc fama commovit; insuper, quod dictu mirabile est, ipsum oceani limitem velocitate consueta supervolans, insulanorum etiam classibus maria ipsa in cælestis regis miliciam redundare fecit. Nam, ut verissime comperimus, tam ignotos effudit oceanus populos, cujus non dicam mores et habitus, sed ne loquelam quisquam hujus litoris habitator vel de ipsis marinariis agnosceret; rursumque alios, quibus nihil preter panem et aquam in usu victus esset; itemque quosdam, quibus argentum pro ferro in omnibus suis utensilibus esset. Hinc et undecumque augebatur cotidie circumcirca signatorum numerus, et ut prelibavimus, in hujusmodi expeditionem totus fervet, totus concutitur vel potius transformari videbatur mundus.

Francigenis occidentalibus facile persuaderi poterat sua rura relinquere; nam Gallias per annos aliquot nunc seditio civilis, nunc fames, nunc mortalitas nimis afflixerat, postremo plaga illa, quæ circa Nivalensem sanctæ Gerdrudis æcclesiam (285) orta est, usque ad vitæ desperationem terruerat. Erat autem hujusmodi. Tactus quisquam igne invisibili, quacumque corporis parte, tam diu sensibili, immo incomparabili tormento etiam inremediabiliter ardebat, quousque vel spiritum cum cruciatu vel cruciatum cum ipso tacto membro amitteret. Testantur hoc hactenus nonnulli, manibus vel pedibus hac pena truncati. Reliquarum nationum plebes vel personæ aliæ, preter apostolicum edictum prophetis quibusdam inter se nuper exortis seu signis cælestibus ac revelationibus ad terram se [1625] repromis-

VARIÆ LECTIONES.

[1621] t. assiduas et ep. frequentissimas 5. [1622] æcclesia anno dominicæ incarn. mill. XC°. VI°. g. H. [1623] v. u. q. d. P. *in margine* 1. *superscripta* D. *desunt* 1b. H. [1624] galacia 1b. [1625] *superscr.* 1.

NOTÆ.

(282) Claro monte.
(283) V. supra.
(284) Podiensem.
(285) Nivelle.

sionis vocatas, aliæ se quibusvis incommoditatibus ad talia vota compulsos fatebantur; magna quippe pars eorum cum conjugibus ac prole totaque re familiari onusti proficiscebantur. Orientalibus autem Francis, Saxonibus et Thuringis, Bajoariis et Alamannis hæc bucina minime insonuit, propter illud maxime scisma quod inter regnum et sacerdotium a tempore Alexandri papæ usque hodie tam nos Romanis quam Romanos nobis invisos et infestos jam, heu! confirmavit. Inde est quod omnis pene populus Theutonicus in principio profectionis hujus causam ignorantes, per terram suam transeuntes tot legiones equitum, tot turmas peditum totque catervas rurıcolarum, feminarum ac parvulorum, quasi inaudita stulticia delirantes subsannabant, utpote qui pro certis incerta captantes, terram nativitat's vane relinquerent, terram repromissionis incertam certo discrimine appeterent, renunciarent facultatibus propriis, inhiarent alienis. Sed quamvis nostra gens cæteris multo sit insolentior, respectu tamen miserationis divinæ inclinatur tandem ad [1626] verbum ejasdem renunciationis furor Theutonicus, a commeantium scilicet turbis rem ad integrum edoctus.

Præterea signum in sole quod prescriptum est (286) visum (*an.* 1096), multaque quæ tam in aere quam in terris portenta apparuerunt, ad hujusmodi exercicia non paucos antea torpidos excitaverunt. E quibus aliqua hic interseri duximus utilissimum, cuncta vero longissimum. Nam et nos comem in plaga meridiana stantem suumque splendorem in obliquum gladii more protendentem tunc circa Nonas Octobris vidimus; anno vero post hæc tercio stellam aliam in oriente locum suum longo interstitio saltibus mutantem 6 Kal. Mart. [1627] conspeximus (*an.* 1098?); nubes quoque sanguineas tam ab occidente quam ab oriente surgentes sibique invicem in cæli centro concurrentes; rursumque mediis fere noctibus a septentrione igneos exurgere splendores; plerumque etiam faculas per aerem volitantes vidisse nos, testibus plerisque comprobamus. Non multo ante hos annos quidam venerabilis vitæ presbiter, nomine Suiggerus, cujusdam diei hora fere nona duos equites conspexit concurrentes in aere, diuque concertantes, alterum, qui et crucem non modicam ferebat, qua percutere videbatur, in altero victorem existere. Eodem tempore G. presbiter, qui nunc sub monachica professione nobiscum pro primogenitis asini (*Exod.* XIII, 13) debitum ovinum Christo persolvit, hora quadam meridiana cum duobus comitibus in silva deambulans, gladium miræ longitudinis venti vertigine, ignotum unde levaretur, in sublime deferri vidit, et quousque visum altitudo celaret, tam fragorem auribus quam metallum oculis discrevit. Referebant aliqui qui in equorum pastibus vigilabant, civitatis se speciem in aere vidisse, diversas etiam turbas diversis ad eam partibus tam equestri quam pedestri itinere properantes perspexisse. Nonnulli etiam crucis signaculum sibimet in frontibus vel vestibus sive in quolibet corporis loco divinitus inpressum ostendebant, ipsoque se stigmate ad eandem Domini militiam prescriptos credebant. — Item aliis subita mentis mutatione compunctis vel visione nocturna edoctis, predia resque familiares distrahere signumque mortificationis vestibus assuere placuit; et in his omnibus ultra quam credi potest catervatim currentibus ad æcclesias populis, novo ritu gladios cum fustibus et capsellis sacerdotalis benedictio dispertivit. Quid referam, temporibus ipsis mulierem quandam duobus annis continuis impregnatam, tandemque diapto utero, filium loquentem fudisse; itemque infantulum per omnia bimembrem, alterum vero capite bino, agnellos quoque aliquos binis capitibus exortos fuisse; pullos etiam equarum dentes majores, quos equinos vulgo appellamus quosque nonnisi trimis caballis natura concedit, in ipso partu protulisse?

His et hujusmodi signis tota creatura in Creatoris se militiam cohortante, nil moratur inimicus ille, cæteris etiam dormientibus semper pervigil, bono illi semini zizania sua superseminare, pseudoprophetas suscitare, Dominicis exercitibus falsos fratres et inhonestas feminei sexus personas sub specie religionis intermiscere; sicque per aliorum hypocrisin atque mendacia, per aliorum vero nefarias pollutiones Christi greges adeo turpabantur, ut juxta boni pastoris vaticinium etiam electi in errorem ducerentur (*Matth.* XXIV, 24). Inde fabulosum illud confictum est de Karolo Magno quasi de mortuis in id ipsum resuscitato et alio nescio quo nihilominus redivivo, fribolum quoque illud de ansere quasi dominam suam deducente, multaque id genus. Idem tamen seductores, quemadmodum singuli suis a fructibus sint cogniti, quomodo veste sub ovina lupi sint denotati, hi potissime qui ex illis adhuc supersunt licet ut [1628] perquirantur; scilicet quo porta juxta promissum suum absque navigio mare transierint, quibus præliis vel locis multos paganos parva manu straverint, quas eorum munitiones ilico ceperint, quave postremo parte murorum Hierusalem castra posuerint, et cætera; nihilque habentes quid respondeant, tam de oblationibus fidelium per hypocrisin susceptis quam de cesis ob rapinam quas seduxerant turbis, propriaque maxime [1629] apostasia, necesse est ut pœnitentiam agere cogantur.

Nam, ut prelibatum est (287), plebs Folcmarum per Boemiam sequens, cum apud Nitram Pannoniæ civitatem seditione concitata, partim captivitate,

VARIÆ LECTIONES.

[1626] i. ad *e corr.* 1. [1627] VI. Kl. Mr. *superscr.* 1. [1628] *superscr.* 1. [1629] maxima *corr.* maxime 1.

NOTÆ.

(286) Supra a. 1096.

(287) Supra a. 1096.

Partim ferro disperisset, paucissimi qui remanserant adhuc testari solent, quod crucis signum su per se cælitus apparens, ab imminente eos nece liberasset. Gotescalcus vero, non verus sed falsus Dei servus, postquam non sine damno orientalis Noricæ Ungariam sum suis intravit, ammiranda falsæ religionis specie munitionem in arce quadam (288) constituere, et in ipsis locatis presidiis, per reliquum vulgus Pannonias circumcirca vastare cepit. Quo nimirum oppido ab indigenis sine dilatione capto, turba multa trucidata atque captivata, grex reliquus dispersus, ipseque mercennarius, non pastor, turpiter fugatus est. — Surrexit etiam diebus ipsis quidam vir militaris, comes tamen partium illarum quæ circa Renum sunt, Emicho nomine, dudum tyrannica conversatione nimis infamis, tunc vero velut alter Saulus revelationibus, ut fatebatur, divinis in hujusmodi religionem advocatus, fere 12000 signatorum sibimet usurpans ducatum ; qui nimirum per civitates Reni, Moeni quoque atque Danubii deducti, execrabilem Judeorum quacumque repertam plebem, zelo Christianitatis etiam in hoc deservientes, aut omnino delere aut etiam intra æcclesiæ satagebant compellere sinum. — Ad confinia quoque Pannoniarum innumeris jam utriusque sexus copiis cum pervenissent multiplicati, regnum ipsum, quod scilicet partim paludibus, partim silvis cingitur, per obfirmata presidia vetantur ingredi; fama quippe Colomanni regis jam perculerat [1630] aures, inter paganorum et Ungariorum necem nihil apud Teutonicas differre mentes. Qua de re munitionem Misenburg per sex ebdomadas expugnantes, plura inibi patiuntur incommoda ; inter quæ etiam, quis illorum sub nomine regis Pannoniarum potiretur terris, civili stultissimaque quatiuntur discordia. — Itaque obpugnatione insudantes ultima, jam muris interruptis, jam fugientibus oppidanis, jamque indigenarum exercitu vastante propria flammis, miro Dei omnipotentis nutu victor peregrinorum exercitus terga nihilominus vertit ; relictisque suppellectilibus [1631], nil quisque preter miseram animam emolumenti reportavit. Sic nimirum, sic nostræ gentis homines zelum Dei, sed non secundum scientiam (*Rom.* x, 2) Dei habentes, quippe qui in militia, quam in liberandis Christianis Christus providerat, alios vicissim Christianos persequi ceperant, miseratione divina fraterno sanguine repressi, Ungarii quoque liberati sunt ; hæcque est causa, qua quidam simpliciores fratres, utpote rem ignorantes, scandalizati, totum hujus profectionis conatum vanum atque fribolum, ipsi nimis preproperi judices, interpretati sunt. Paleis [1632] tamen ex area dominica hujusmodi ventilabro decussis, vidimus grana triticea naturalis soliditatis gravitate perdurantia, Gotefridum scilicet cæterosque prenominatos vere Dominicæ militiæ duces, cum suis singuli super omnem stellarum dispositionem speciosis castris ab universis quas pertransibant gentium principibus pacem ac favorem, humilitatis atque karitatis exemplo, ut vere Christi discipuli, consequentes, donec diversis itinerum [1633] difficultatibus Bulgaria permeata, Constantinopolitanas attigerant arces.

Legimus Jherosolimæ libellum, a loco presenti totam hujus hystoriæ seriem diligentissime prosequentem plurimosque populi Dei per triennium labores in captæ Hierusalem lætissima victoria concludentem. Quapropter nos hinc jam pauca de pluribus assignamus, videlicet, quod fictis omnino beneficiis Alexius imperator tantos sibimet heroas amicaverit, postea vero sacramentis extortis ne regno suo vim inferrent, constrinxerit (*an.* 1096-1097); quamvis constet, quod, dum moram ibidem primæ quæque [1634] cohortes alias adventantes expectanto facerent, dolis eos interfecisset, nisi Gotefridi ducis sollertia super gregem Domini cautius vigilasset. Testantur seditionem ipsam suburbana quæ tunc destruxit, pons quem expugnavit. Quid multa ? Per duorum fere mensium spacium novitios in dies suscepit exercitus Bizantium, e quibus tandem absque vulgi, parvulorum ac mulierum incredibili multitudine, recensita sunt 300000 pugnatorum. Porro cohortes Petrum secutæ, jussu Alexii dudum transpositæ, paganis fuerant jam ludibrio factæ.

Motis itaque castris, Niceam applicuerunt (*Mai*), quam fugato predicto Solomano principe expugnantes (*Jun.*), captam imperatoris presidiis tradunt; sic enim sacramenta firmaverant ut urbes quasque suo imperio detractas pristinæ ditioni, si vincerent, redderent, ipsique vicissim tam armis quam stipendiis regiis infra metam eandem se foveri non dubitarent. Inde per regnum Constantini, terram utique opulentissimam, progredientes, mare contingunt Rusciæ. Sicque, ut epistola docet a Ruoperto comite delata (289), cum tanta alimentorum abundantia militiam suam Christus deduxit, ut aries nummo bosque siclo veniisset. *Preterea*, inquit, *quoties reges vel principes Sarracenorum consurrexerunt in nos, Deo volente, facile victi et conculcati sunt.* Ob hæc itaque feliciter acta quia quidam intumuerant, opposuit eis Deus Antiochiam

VARIÆ LECTIONES.

[1630] premonuerat H. perculerat *in margine add.* vel premonuerat 1. *idem superscr.* 5. v. p. *desunt* 4. vel premoverat (*corr.* velut premonuerat) jam perculerat 6. *idem corr.* vel premonuerat 9e. p. vel permonuerat 10. [1631] subpellectilibus *corr.* supp. 1. [1632] Paleis *et* hujusmodi — duces cum suis *e corr. partim in loco raso partim in marg.* 1. [1633] *e corr.* 1. [1634] *superscr.* 1.

NOTÆ.

(288) Cf. Sybel. Gesch. d. ersten Kreuzzuges p. 247, qui hanc Ekkehardi narrationem ubique fere bene illustravit.

(289) V. hanc jam supra not. 278, allatam in Ann. S. Dysibodi a. 1100; Ekkehardus vero omnia 55 usque *fidelibus celebratur* col. 974, ex hac retinuit.

(*Octob.*), urbem [1635] humanis viribus inexpugnabilem, ubi per novem menses eos detentos in obsidione ejusdem ita humiliavit, ut omnis superbiæ illorum tumor desideret. Igitur eis sic humiliatis, ut in toto exercitu vix centum equi boni reperirentur, aperuit illis Deus copiam suæ benedictionis et misericordiæ, et induxit eos in civitatem, atque Turcos et omnia eorum potestati horum tradidit (*an.* 1098, *Jun.*). — Cumque et hæc quasi viribus suis acquisita obtinerent, nec Deum, qui hæc contulerat, digne magnificarent, tanta Sarracenorum multitudine obsessi sunt, ut de civitate nullus ex tanta turba egredi auderet. Preterea fames in civitate ita convaluerat, ut vix ab inhumanis [1636] dapibus se aliqui continerent. Longum est enarrare miserias quæ in civitate fuere. Respiciens autem Dominus populum, quem tam diu flagellaverat, benigne consolatur, ac primo quasi pro satisfactione tribulationis lanceam suam, qua in cruce vulneratus est, munus non visum a tempore apostolorum, pignus victoriæ illis obtulit; deinde corda illorum adeo animavit, ut etiam quibus egritudo vel fames ambulandi vires denegaverat, arma sumendi et viriliter contra hostes dimicandi virtutem infunderet. — Triumphatis itaque hostibus (*Jun.* 28), cum fame et tedio exercitus deficeret Antiochiæ, maxime propter discordias principum, in Syriam profecti, Barram et Marram, urbes Sarracenorum, expugnaverunt, et castella regionis obtinuerunt (*Nov.*). Ubi cum moram disposuissent, tanta fames in exercitu fuit, ut corpora Sarracenorum jam fœtentium a populo Christiano comesta sint. Inde cum divino nutu in interiora Hyspaniæ (289 *) progrederentur (*an.* 1099), largissimam atque misericordem et victoriosissimam manum omnipotentis Patris secum habuerunt. Etenim cives et castellani regionis illius quam procedebant, ad eos cum multis donariis legatos premittebant, parati servire et oppida sua reddere. Sed quia exercitus non multus erat et in Hierusalem unaniniter festinabant, acceptis securitatibus, tributarios eos fecerunt, quippe cum una de multis civitatibus, quæ in maritimis illis sunt, plures homines haberet, quam in exercitu Christiano fuissent. Cumque auditum esset Antiochiæ atque Laodiciæ et Rohas, quia manus Domini esset cum eis, plures de exercitu qui ibi remanserant consecuti eos sunt apud Tyrum. Sic itaque Deo conviatore et cooperatore usque ad Hierusalem pervenerunt. Cujus in obsidione cum laborarent, maxime propter aquæ inopiam : habito concilio, episcopi et principes circinandam esse civitatem nudis pedibus predicabant, ut ille, qui pro nobis in humilitate eam ingressus est, per humilitatem istorum pro se ad judicium de suis hostibus faciendum illis eam aperiret. Placatus itaque hac humilitate [1637] Dominus, octavo post humiliationem illorum die civitatem eis tradidit (*an.* 1099, *Jul.* 15), eo videlicet die quo primitiva æcclesia inde abjecta fuit, cum festum de dispersione apostolorum a multis fidelibus celebratur.

Inter hæc minime pretereundum videtur, quod, dum exercitus in obsidione Antiochiæ moraretur, pavore perculsis universis per orientem nationibus, discurrentibus ab omni parte orbis terrarum missis et exploratoribus, aliis pacem, aliis bella machinantibus, etiam Babylonici regis legati conventui principum se presentes exhibent, inter alia pollicentes, si victis Antiocenis etiam Thurcos de Hierosolima pepulerint, dominum suum fratrem et amicum cum universis Sarracenis habeant; ut enim prescriptum est, Judeam cum Hierusalem totaque Palestina jam olim Thurci Sarracenis abstulerant. Hac de causa securitate accepta, non pauci lectissimorum militum Babyloniam diriguntur, quorum fortitudine, proceritate, habitu et incessu omnique elegantia attoniti barbari, Francos — sic enim universos occidentales populos nominare solent — plus quam homines, id est deos, esse fatebantur, affirmantes, omnino non esse mirum, quod hujusmodi bellatores totum affectarent sibi subjicere mundum. — Inito denique consilio, rex Babyloniæ Hierusalem obsidet, ostensisque legatis, Francis se fœderatum affirmat, quorum gladiis, si sibi civitatem non traderent, ipsos tradendos minitat. His itaque dolis rex barbarus non suo sed Francorum timore civitatem receptam, dimissis cum suis omnibus Thurcis, omni conatu machinis atque militibus contra Christianorum adventum premunivit; sicque factum est ut Hierusalem bis uno caperetur anno, primo a Sarracenis, dein a Francis.

De (290) hostibus vero ibi repertis quid actum sit, si quis nosse querit, sciat, quia in porticu quæ dicitur Salomonis et in templo ejus victores equitabant in sanguine Sarracenorum usque ad genua equorum. Deinde cum ordinatum esset, qui civitatem retinere deberent, et alii amore patriæ et pietate parentum suorum redire voluissent, nunciatum est eis, quod rex Babyloniorum Ascalonam venisset cum innumerabili multitudine paganorum, ducturus Francos qui Hierosolimis erant in captivitatem et expugnaturus Antiochiam, sicut ipse dixerat; aliter autem Dominus de his statuerat. Itaque cum in veritate comperissent hi qui Hierosolimis erant, exercitum Babyloniorum Ascalone esse, contenderunt obviam illis, relictis sarcinis et infirmis suis in Hierusalem cum presidio. Cumque hostium exercitum [1638] conspexissent innumerabilem (*Aug.* 14), genibus flexis Deum invocaverunt,

VARIÆ LECTIONES.

[1635] u. a. *corr.* a u 1. [1636] ut vix ab i. d. se a. c. *e corr.* 1. humanis D. [1637] satisfactione 5. [1638] multitudinem 1[b]. 5. 9[c].

NOTÆ.

(289 *) Pars Syriæ.

(290) Quæ sequuntur — *in pace obtinuerunt* ex priore narratione (col. 961, *n.* ***) Ekkehardus retinuit

ut qui in aliis sibi necessitatibus semper affuerat, in presenti bello, confractis viribus paganorum et diaboli, regnum Christi et æcclesiæ a mari usque ad mare usquequaque dilataret. Nec mora; clamantibus ad se Deus affuit, atque tantas audaciæ vires ministravit, ut qui eos in hostem currere videret, fontem aquæ vivæ sitientem cervum segnem adjudicaret; miro videlicet modo, cum in exercitu Christiano non plus quam quinque milia equitum et 15,000 peditum fuissent et in exercitu hostium centum milia equitum et 400,000 peditum esse potuissent. Tunc mirabilis in servis suis Deus apparuit, cum, antequam confligerent, pro solo impetu eorum hanc multitudinem in fugam convertit, et omnia eorum arma diripuit, ita ut, si deinceps istis repugnare vellent, non haberent arma in quibus sperarent. — De spoliis vero non est quærendum quantum captum sit, ubi thesauri regis Babyloniæ occupati sunt. Ceciderunt ibi plus quam centum milia Maurorum gladio; timor autem illis tantus erat, ut in porta civitatis ad duo milia suffocati sint; de his vero qui in mari interierunt non est numerus; spineta etiam ex ipsis multos obtinuerunt. Pugnabat certe orbis terrarum pro Christianis. Et nisi spolia castrorum de ipsis multos detinuissent, pauci de tanta multitudine hostium essent qui de bello renunciare potuissent. — Pridie autem quam bellum fieret multa milia camelorum et bovum et ovium cepit exercitus. Cumque jussu principum populus hæc dimisisset, pugnam progrediens, mirabile dictu, multas [1639] et multiplices turmas fecerunt cameli [1640], similiter autem et boves et oves. Hæc autem animalia ita comitabantur exercitum, ut cum stantibus starent, cum procedentibus procederent, cum currentibus currerent. — Nubes etiam ab æstu solis Christianos defendebant [1641] et refrigerabant. — Celebrata itaque victoria, reversus est exercitus Hierusalem, et relicto ibi duce Gotefrido, Reginmunt comes Sancti Egidii [1642] et Ruotpertus comes Normanniæ et Ruotpertus comes Flandriæ Laodiciam reversi sunt; ibi classem Pisanorum et Boimundum [1643] invenerunt. Cumque archiepiscopus Pisanus [1644] Boimundum et alios cum eo discordantes concordare fecisset [1645], Reginmundus pro Deo et pro fratribus regredi disposuit; magna vero multitudo, ut supra dictum est, ad patriam remeare contendit; cæteri qui remanserunt, terram Deo disponente, hactenus in pace obtinuerunt.

Dux quoque magnanimus et cui vix quisquam in religione comparabilis inveniatur, parva licet manu fultus, magna quæque cepit in Domino attemptare, reliquias gentilium quacumque remanentes persequi, presidia locis opportunis instituere, Joppen diu destructam portumque ibi jam diu desolatum renovare, æcclesias clerumque [1646], quantum potuit, reparare, cœnobitas alibi congregare, donaria multa tam monasteriis quam hospitali, quod nunquam defecerat in Hierusalem, devotissime conferre. Pacem firmissimam cum Ascalonitis atque Damascenis gratia commertiorum habuit, nostræ (291) gentis milites pre cunctis [1647] bellatoribus honoravit, feritatemque illorum suavissima urbanitate Gallicis caballariis [1648] commendans, invidiam, quæ inter utrosque naturaliter quodammodo versatur, per innatam sibi utriusque linguæ peritiam, mitigavit.

Hoc anno Chuonradus * Trajectensis episcopus a suis occisus est. Herimannus Coloniensis episcopus obiit; cui Fridericus successit. — Rapoto [1649] palatinus comes et Oudalricus comes, patruelis ejus, quem multum divitem dicebant, defuncti sunt. Dum enim imperator cum principibus colloquium Ratisponæ haberet (*April.*), mortalitas subito exorta prenominatos duos [1650] magnates, de inferioribus vero quam plures, absumpsit, per civitates quoque atque regiones non modicam vulgi stragem fecit. Fames etiam improvisa multis locis invaluit

* *Hic pergit historia in* C. D. E.

Urbanus papa obiit (*Jul.* 29). Hic super æcclesiarum hactenus heu! manente * commotione concilia multa congregavit, multa etiam [1651] decreta promulgavit; inter ** quæ etiam, convocatis ad Placentinam civitatem 200 fere Patribus (292), Heinricum imperatorem tam a se quam a predecessoribus suis communione privatum declaravit; maxime regina Adelheit [1652], ipsius cæsaris uxore, astante multaque nefanda in illum ad aures totius synodi testificante. Sed antequam ex hac [1653] vita migraret, spiritu instructus divino, Rainerum [1654] cardinalem de Sancto Clemente, sanctæ conversationis et boni testimonii abbatem, nobilem Romanum [1655], designavit in regimen [1656] apostolicum eligendum; quem etiam revelationibus aliis [1657] insuper denotatum, universa Romana æcclesia pastorem sibi consecrat, licet invitum, Paschalem appellans eum [1658].

* h. h. m. *desunt* C.

** inter — testificante *desunt* C.

VARIÆ LECTIONES.

[1639] multas et *desunt* H. [1640] f. eadem animalia et cum. ex. ita ut cum. c. c. et cum st. st. D. H. [1641] defendebat et refrigerabat D. H. [1642] Reginmunt de S. Egidio comes et R. c. Fl. et R. c. Norm. D. H. [1643] B. cum suis D. H., *qui addunt:* Non modica quippe multitudo preter eos qui cum eodem B. Antiochiæ consederant vel cum Baldewino Rohas abierant Tyroque remanserant ac per diversas circumquaque regiones dispersi fuerant, ibidem conventum faciebant. [1644] Pisanus dudum discordantes D. H. [1645] fecisset, maxima multitudo repatriare contendit. Gotefridus vero, ut dictum est, populo qui Hierosolimæ remanserat (remanserant H1.) prefuit. Igitur idem dux magnanimus D. H. [1646] *manus recens hujus vocabuli loco* dirutas *scripsit* 1. [1647] *hic folium excidit* 1. [1648] cabellariis 9c. [1649] rapato 6. rappoto 4. [1650] *deest* 4. [1651] enim D1. [1652] *ita* 4 D. — A. *habent* E. 5. 6. 7. 9c. Agn. 1b. Agnes 10. Agne 11. [1653] ex hac *desunt* 4. [1654] reinherum 4. reginherum 10. 11. [1655] n. r. *desunt* D1. [1656] regnum E2. [1657] alii 5. 6. 9c. 10. [1658] appellaverunt 4

NOTÆ.

(291) I. e. Germanicæ.

(292) A. 1095. Cf. Bernoldum h. a. et Mansi XX. p. 801 sqq.

A. [1659] D. MC.

Sub* Gotefrido duce, Hierosolimitanam æcclesiam defensante, conventus ingens factus est in Hierusalem, ab omnibus qui sunt** in oriente Christicolis, maximeque qui vel Antiochiæ vel in Syria, Rohas vel Palestina resederant peregrinis, in tantum ut in ipsis nativitatis Dominicæ festis quam plures regionibus adjacentibus [1660] consecrarentur [1661] episcopi, versis in hystorias visibiles eatenus mysticis prophetiis : *Surge* [1662] *illuminare, Hierusalem* (*Isa.* LX, 1); et : *Lætare, Hierusalem, et diem festum agite omnes qui diligitis eam* (*Isa.* LXVI, 10), etc. — Incalescente post hæc æstate, corrumpitur per Palestinam aer cadaverum fœtore. Sunt etiam qui dicant fontes a barbaris infectos veneno vel cisternas occisorum sanie ; unde exorta pestilentia multos ex nostris, utpote sub aere peregrino militantes, occidit ; inter quos ipsum totius æcclesiæ catholicæ lacrimis plangendum Gotefridum populo Dei, quem [1663] paterna sollicitudine curabat, materna pietate fovebat, nimis immature subtraxit. Uno tantum [1664] anno populo Dei prefuit, languore superatus producto, 15 Kalend. Augusti plenam fide bonisque operibus presentem in Christo vitam finivit. Exceptis*** sive [1665] tacitis cunctis quibus pollebat virtutibus, tanta se mansuetudine conjunxerat tam indigenis quam comperegrinis [1666], ut vix adverteretur Francisne [1667] plus plangeretur quam Syris vel Grecis. Ante montem Calvariæ, in vestibulo Golgathanæ æcclesiæ exstat ejus mausoleum, lapide Pario constructum.

* Sub — damno dilatavit. *hoc loco desunt* D. E. — A. *hæc tantum habet* : Heinricus imperator natalem Domini Spiræ celebravit, et in Epiphania Fridericum Babenbergensem canonicum, adhuc adolescentem, Coloniæ archiepiscopum designavit. Qui ordinatus est in festivitate sancti Martini die Dominica. — Wigpertus papa, qui et Clemens dictus est, obiit.

** erant C.

*** Exceptis — Grecis. *desunt* C.

Hoc* tempore Balduvinus [1668] comes in Rohas [1669], quæ est civitas inclita, immo regio [1670] et pars Armeniæ, consederat, principatum jam gentis illius consecutus, defuncto scilicet interim grandaevo seniore illo Christianissimo, qui se ab Antiochia sibi in propugnatorem asciverat multaque prælia naviter [1671] gerentem etiam in filium et heredem adoptaverat. A diebus quippe antiquis semper impugnata, nunquam manum dederat urbs illa ampla paganis, eo quod muris ultra humani operis qualitatem firmis, fluvio quoque intra ebulliente, omni etiam situ naturali populique et victuum muniatur A fertilitate. Non est operis hujus vel temporis litteris tradere, quoties ibidem parva manu vir predictus grandem multitudinem barbarorum straverit, nonnunquam etiam [1672] victus vicerit : amisso exercitu alium ab Antiochiæ obsidio conduxerit, postremo falso sibi fœderati cujusdam Thurci, Balduc nomine, dolis semet expedierit ipsumque comprehensum necaverit ; quæ [1673] omnia scribere volentem prius tempus deseret quam materia. Audito tamen obitu fratris Gotefridi, Balduvino juniori, cognato suo, civitatem et populum committit, ipseque cum trecentis fere viris Hierosolimam tendit, insidiantium sibi paganorum milia delusit, congreditur, vicit; onustusque spoliis cum triumpho Hierusalem intravit (*Nov.*). Rogatus et collaudatus ab omnibus, B ut princeps esset eorum [1674] consensit; nec multo post inclinans caput suum super Dominici sepulchri tumbam, ipsius se servituti perpetualiter subjugavit. Post hæc quo major paganis Christianorum [1675] timor incuteretur, die pentecostes [1676] per legatum apostolicæ sedis accepta [1677] regali benedictione coronatur (*an.* 1101, *Mai* 21). Deinde [1678] Assur et Cæsaream civitates maritimas debellavit, cæsisque qui inibi erant Sarracenis, regnum suum regis Babyloniæ damno dilatavit.

* C. *ita* : Cui Baldiwinus frater ejus succedens, per legatum apostolicæ sedis accepta regali benedictione coronatur, et exinde tam optimi militis quam pii defensoris officio bella Domini indefesse præliatur. Wigbertus, *etc.*

C Wigbertus Ravennensis archiepiscopus, qui super Hiltibrandum Gregorium [1679] positus [1680], Clemens papa dictus est, obiit, vir utique satis ingenio, facundia, nobilitate personæque reverentia clarus, nec Roma tunc nec Ravenna bene usus, et qui super unum papam viventem, quamvis coactus, ut aiunt, ascendit, ipse tres [1681] sibimet alternatim succedentes supervixit, extorris utraque sede Ramæ et Ravennæ, malens, ut ab ipsius ore didicimus, apostolici nomen [1682] nunquam suscepisse [1683].

A. [1684] D. MCI.

Chuonradus* [1685] rex adolescens, nono postquam a patris palatio discesserat anno, Mahthildis [1686], magnæ illius et nobilissimæ et, ut quidam dicunt, D religiosæ feminæ, sicut sanguine ita et contubernio conjunctus, et in rebus per Italiam disponendis tam illius quam domni apostolici ceterarumque Deum [1687] timentium personarum consilio semper usus, immaturo preventus occasu, plena fide et bona confessione a regno transitorio ad æternum creditur regnum migrasse. Sunt etiam qui veneno eum di-

VARIÆ LECTIONES.

[1659] 5. *addit* : 44. 17. [1660] a. r. 5. [1661] consecrantur 5 — 11. [1662] surge et 6. 9c [1663] *deest* 6. qui 9c. [1664] tamen 4. [1665] vel 5. [1666] cum peregrinis 10, 11. [1667] a Fr. 4. [1668] D. H. *addunt* : quæ et Rages civitas Medorum putatur. [1669] balduinus H1. baldewinus 5. 9c. 10. *semper*. [1670] regia 5. 11. [1671] graviter 9c. [1672] *deest* 4. D. H. [1673] quia 4. [1674] eis consensit 4. peticioni *add. in marg.* 6. [1675] *deest* 4. [1676] d. p. *desunt* D. H. [1677] *deest* 6. [1678] dein 4. [1679] B. 1b? [1680] *deest* 6. 9c. [1681] tribus — succedentibus C. D. E. [1682] *deest* 6. 9c. [1683] *In* 10. *urbis Hierusalem descriptio inseritur*. [1684] 5. *add.*: 45. 18. [1685] cuonradus, 5. *semper*. 4. 10. [1686] machthildis 5. mathildis *corr.* macthildis E1. [1687] *pergit* 1.

cant interisse. Testari soient qui aderant, in brachio corporis exanimi crucis signaculum subito exortum se vidisse, ipsasque ejus exequias quibusdam miraculis honorificatas fuisse **.

A. *hoc anno ita :* Heinricus mperator natale Domini Mogontiæ plurimis convenientibus celebravit. — Egilbertus Trevirorum archiepiscopus et Liemarus Premensis archiepiscopus obierunt. — Heinricus comes de Lintpurg rebellavit, sed obsessit, et destructis castellis suis, in deditionem venit. — *Ita finis hujus operis.*

** C. *addit :* Nec immerito. Tantum quippe indolis suæ — extitit amabilis. Juxta legale illud preceptum : « Honora patrem tuum » murmur quo plerique patris sui mores laniabant quodque — causa extitisse putatur, auribus — proceres. *ut supra a.* 1099.

Visus* est a nostro quodam familiari ab occidente in orientem volans ignis ad instar non modicæ civitatis. — Vermiculorum quoque, quos papiliones a similitudine tabernaculorum vocant, exercitus incredibilis multitudinis per tres continuos dies quasi a Saxoniæ finibus in Bajoariam volabat **. — Mox profectio populosa, et quæ pene priori posset numero dumtaxat æquari, subsequitur, quæ post auditas ultra spem res Hierosolimæ prospere gestas, a residuis totius occidentis gentibus, maxime ab his quorum prius votis timor vel diffidentia, inopia vel inbecillitas obstiterant, denuo parabatur ***; primum ab episcopis Mediolanensi, Papiensi cæterisque Longobardorum populis ad 50 milia signatis, deinde a diversarum provinciarum Theutonicis, postremo ab Aquitanicis, quibus Willihelmus Pictaviensis preerat, preter vulgus ad 30000 loricatis. Longobardorum plebes, permissu Heinrici [1688] ducis Carinthia permeata, dum post Ungros tergo relictos in Burgariæ (293) civitatibus hiemarent, numero rarescere ceperunt, tandemque Constantinopolim pervenientes, in alteram ripam — illud enim beneficium maledictus Alexius [1689] peregrinis accelerare solet — transpositæ sunt, immo paganorum sagittis expositæ. Thurci enim, explorata Longobardorum inertia, stipularum eos terebant more, in tantum ut exercitus Theutonicus, qui eadem via subsecutus circa Junii Kalendas ad eandem metropolim pervenit, quid de precedentibus se gestum sit, nullo modo, utpote nullo superstite de Romania redeunte, posset investigare. Ab ingressu quippe vel prima civitate Bulgariæ usque ad sedem Alexii, semper nobis ejus pacifici nuncii occurrebant, qui tamen aliquando nos precedentes vel comitantes favillarum evanescentium more disparebant. Militum etiam suorum, quos Pincinatos vocitant, exercitus nunc nobis a tergo damnum intulit nunc a latere vim inferre, nunc a fronte directa acie manum conferre, nunc per noctes castra irrumpere disposuit, semper tamen nobis per 20 dies vicinus et infestus fuit, donec statione fruentes prenominata cum turma Welfonis ducis exercituque Willihelmi, diversis quoque cotidie confluentibus copiis, per dies 15 ad 100000 congregabamur. E quibus omnibus singularum turmarum principes Alexius more suo sub appellatione filiorum suscepit, eisdemque post manus acceptas sacramentaque firmata, sicuti prioribus exercitibus, munera dispertivit, pauperibus vero extra civitatem elemosinam largiri mercatumque parari precepit. Nam obsistente suspicione, paucissimis personis, et ipsis precio furtimque, cujusquam urbis vel castri sive munitionis per totum imperium ejus permittebatur ingressus. Qua etiam causa dum Willihelmus cum exercitu per mediam Adrianopolim, qua regia strata ducit, transire prohiberetur, Aquitani mox genitali tumescentes fastu, simbola conclamant, suburbana succendunt, civitatem invadunt, cujus oppugnationi dum acriter insistunt, Pincinatorum exercitum, qui semper, ut premissum est, iter ipsum jussu cæsaris observat, a tergo suscipiunt; quibus congressi, multos sternunt, multos amittunt, tandem via dudum contempta vadunt. Igitur totus ille tantusque populus per Romaniam iter dirigere disponebat, necessaria sibi quisque per deserta coemebat; ultra brachium illud maris quod Sancti Georgii dicitur tam compulsi quam voluntarii transvehimur, sed cotidiani principum conventus, cotidiana etiam ipsorum cum imperatore colloquia quem finem sint habitura, penduli nimis operimur. Sed ecce subito murmur exoritur invisum, imperatorem Thurcorum potius quam Christianorum parti favere, exploratisque quæ circa nos erant, frequentibus illos contra nos nunciis animare. *Hic est*, inquiunt, *perfidus ille Alexius, qui, domino suo Michaheli* [1690] *per quorundam Alamannorum conducticiorum auxilium depulso, imperium* [1691] *ejus usurpavit, ipsosque sui sceleris cooperatores exilio damnatos necari fecit; nuncque se tanti facere dicit Francos cum Thurcis prœliantes quanti canes se invicem mordentes.* Cum autem navigia quisquam conducere temptaret, audivit cæsarem insidias peregrinis etiam in mari posuisse, multasque dudum eodem facinore naves eum submersisse. Quapropter omnes eum maledicebant et anathematizabant, omnes illum linguæ non imperatorem sed traditorem appellabant. Incredibile memoratu est et ad recordandum expertis horribile, quanta in nostro, hoc est Germanico, collegio quod omnibus erat rarius, tunc fuerit titubatio, dum videres patrem a filio, fratrem a germano, socium ab amico multo amarius quam mors separat cum vita separari, altero terræ, altero se committente mari, rursumque quosdam post appensum naulum, post unam vel duas in navi transactas noctes, resumpta suppellectili ad litus cum in-

VARIÆ LECTIONES.

[1688] H. 1. *rell.* [1689] A. 1. *sæpius.* [1690] M. 1. [1691] regnum 5

NOTÆ.

(293) i. e. Bulgariæ

genti damno prosilire, redemptis precio ampliori, quos nuper distraxerant, equis, ad necem, fugiendo mortem [1692], properare. Nos quoque eadem animi nutatione diu multumque vexati, tandem inter eos qui se salo credere presumpserant, divina miserias nostras gubernante clementia, Joppe portum post sex ebdomadas attigimus (*Aug.*), benedictus per omnia Jesus Christus !

* *Reliqua hujus anni hoc loco desunt* D.
** *Reliqua hujus anni desunt* E.
*** p. De cujus rei eventu alias plenius scriptum habemus. C. *reliquis omissis.*

Porro exercitus universalis, ab imperatore 300 Thurcopolis, qui legiones apto itinere deducerent, acceptis, contra Nicomediam vertitur, indeque Romaniam declinans, ad aquilonalem plagam contra B terram Chorizanam, quæ Thurcorum est patria, convertitur. Loca quippe Romaniæ, quæ circa stratam publicam erant, perjurus Alexius devastaverat, dum nostris in Antiochia dudum obsessis auxilium ferre non auderet ut juraverat, suspectus scilicet extunc tam Francis quam Thurcis. Insuper milicia hæc nomen sibi facere in gentibus, quemadmodum anterior, proposuit; sed, ut rei probavit eventus, divinæ id predestinationi non complacuit. Nam ante paucos dies idem pagani in Longobardorum, ut premissum est, vix tepido sanguine hebetatos antea gladios duraverant, indeque animati, tam infinitæ multitudini bellatorum resistere presumebant. Non multo plus quam quatuor erant milia Thurcorum, qui tamen ipsi electi et equis velocissimis, armis C telisque ac sagittandi peritia nimis instructi, fortunam suam seu virtutem ignoti exercitus experiri potius explorando quam aperte congrediendo veniebant. Unde inprimis latrocinantium more vulgus extremum diripere, post hæc capere vel cedere, deinde per competa precurrentes, incendio vel quocumque molimine pabula prevastare, aliquando etiam per junceta vel carecta gradientem exercitum tota die flammis vel fumo vexare, nonnunquam fontes [1693] vel cisternas obdurare, a locis tutioribus telis infestare, per noctes nunc hac nunc illa castrorum parte irrumpentes, cunctis inquietudinem inferre. Inter hæc tamen omnia nunquam acie directa, nunquam fronte aperta more præliantium congrediebantur, sed resistentibus cedebant, insequentes fugiebant, revertentes denuo subsequuntur. Si miserias illas omnibus miseriis miserabiliores stilo prosequi plene temptamus, possibilitatem simul et modum excedimus; ubi turpiter tot nobiles, per inopiam tot divites, sine ferro tot fortes occubuisse referimus, dum domino servus presens, locupleti pecunia sufficiens minime quivit subvenire, nec forti licuit pugnare. Loca quippe eadem erant arta, invia atque inhabitabilia, hostibus cognita, nostris ignota, qua tantum Dei populum Alexii traditoris incarcera- A oant machinamenta. Quid moror? Sic per dies pene 20 quasi signum ad sagittas expositi, sic cotidie tamquam oves occisionis estimati, tandem in extrema jam sorte positi, nemorum se saltibus noctu tradunt, morosam sed certam sibi mortem accelerare satagunt, quamvis paucissimis fuga quicquam emolumenti contulerit, preter quod omnium ultima fata tardantia consummavit. Nam de tam innumero populo Dei, heu! heu! non credimus mille viros remansisse, quos postea vix ossibus herentes Rodo, Papho cæterisque portubus, raros autem etiam Joppe vidimus; e quibus Bernhardus comes et Heinricus comes Ratisponensis Hierosolimæ obierunt, dux vero Waiulfus [1694] revertendo moriens, Papho est humatus. Inter longissimam cruciatuum suorum hystoriam, quam hic texere nec ipsa compendiosi hujus operis proprietas permittit, de nostratibus archipiscopum Salzburgensem Tiemonem [1695] captum, marchisiam N. trucidatam, duos Brunones canonicos, nobiles viros, inedia sitique defecisse referebant; de Latinis vero principibus Willihelmum, Regimundum, Stephanum, cæterorumque aliquam partem superesse dicebant.

Dum hæc ita geruntur, nec his qui in Judea sunt Christianis parcitur, sed tam ab Ascalonitis atque Damascenis cotidiana latrocinia quam a Babyloniis bella parantur. Post Mai quippe Kalendas non longe a Rama castra metatus est Babylonicus exercitus, contra quem aciem direxit [1696] rex Balduvinus, suos hortatus ut sicut ante paucos dies per Dei gratiam parva manu multam de Arabia predam tulerant, ita nunc hostium multitudini non cedant. *Illorum*, inquit, *damno vivamus aut periculo moriamur! Ecce bellum, o boni milites, quod olim* [1697] *optavimus, pro quo patriam, parentes pacemque* [1698] *contempsimus. Perro pro Christi hereditate contra invasores Sanctæ Terræ predonesque alienigenas pugnare honestum est, vincere tales nequaquam incertum, mori gloriosum. Illis patria ministrat fugam, nobis exilium victoriam. Comprobemus jam quod ipsi exprobrant, Francos mortem non timere, immo Christi peregrinos aut in Christo vincere aut pro* [1699] *Christo mori velle!* Talia multa postquam peroravit, arrectis suorum animis, miro Dei omnipotentis nutu, ingens Sarracenorum D populus uni tantum vel paulo plus legioni nostratum cessit, adeo uti ne congredi quidem presumerent, sed post transactos aliquot in eadem statione dies turpiter et inacte redirent. Rursum circa Kalendas Septembres, quo scilicet tempore Christianorum, quos ante memoravimus, adventantium fama Babyloniæ regna terruerat, inito consilio, preoccuparo nostram, hoc est universorum qui tunc in Judea, vel in cunctis finibus illis reperirentur, interneciem disponebant, missisque epistolis Damasco, Tripoli, Gibel, cæterisque barbaris civitatibus, adversus nomen Christianitatis se invicem qualicumque pacto

VARIÆ LECTIONES.

[1692] *superscr.* 1. [1693] fontes — infestare *desunt* D. H. [1694] welfus H. [1695] T. 1. [1696] aciem balduwinus instruxit D. H. [1697] *e corr.* 1. [1698] pacem D. H. [1699] in D. H.

confortabant. Egressus itaque 40 milium exercitus de Babylone, primum ad optinendam Joppen tendens, non longe ab Ascalone, sumptis nimirum inde sociis, consedit. Balduvinus vero rem non ignorans, suos undique, hoc est ab Hierusalem, Neapoli [1700], monte Thabor, Ebron, Cesarea et Assur, in Joppen, ubi tunc non parva manebat peregrinorum turba, convocavit.

Vidimus hisdem diebus tantam mortalitatem, quam etiam vix evasimus, in populo grassari, ut ad 300 cadavera singulis diebus Hierosolimæ exportata numerarentur, Joppe vero ingens campus intra paucos dies tumulis occuparetur. Denique cujusdam dici (*Sept.* 7.) hora tercia, precedente regem ligno Dominicæ crucis, quod anno priori terra diutissime absconditum Syri quidam Gotefrido [1701] duci demonstraverant, extra civitatem Joppen totius populi conventus est factus, jussuque regis Arnoldus, quidam honorabilis [1702] et bene literatus clericus, sic in medio concilii est exorsus : *Beata gens, cujus est dominus Deus ejus, populus quem elegit* [1703] (*Psal.* XXXII, 12). *Vos, o fratres karissimi, gens estis illa beata, illa gens sancta, vos estis populus ille Christi hereditatis, populus acquisitionis, qui, relictis omnibus, patria, parentibus et rebus, crucem cotidianam post Christum tulistis; vos corpora vestra* [1704] *pro Christo ad supplicia tradidistis. Vos pugnasse videmini; sed Christus vestro voluntarie sibi sacrificato sanguine vestrorumque fratrum et commilitonum preciosa morte locum sanctificationis suæ dignatus est mundare, civitatem requiei suæ Hierusalem voluit post tam annosa spurcissimæ gentis vincula per vestram devotam servitutem expedire. Hæc, inquit Deus, requies mea in seculum seculi; hic habitabo, quoniam elegi eam* (*Psal.* CXXXI, 14). *Contra quam divina sponsione nobis inditam spem, ecce paganorum literæ Dei nutu ante diem hesternam comprehensis legatis ablatæ, vaticinata perhibentes dæmonia, nos illorum præliis hoc anno delendos, Hierusalem funditus destruendam, et quod etiam omnibus nefandis horribilius est dictu, ipsam Dominici et gloriosi sepulchri petram crustatim confringendam, sicque camelis ad mare delatam, in remotissimo et quod nunquam a Christianis rescisci possit pelago submergendam esse* [1705]. *Unde quid facto opus sit, o Christicolæ, videte; quem finem hæc tanta presumptio tandem sit habitura, perpendite!* Plura disputare volentem mox clamor interstrepens compescit; et quasi ex uno ore vox unanimis singulorum insonuit : *Res*, inquiunt, *in articulo posita est; breve et quodammodo succinctum est consilium nostrum, pro Christo Christique legibus et sanctis nostris aut dimicandum fortiter aut moriendum turpiter; aut gloriose mori et vivere æternaliter instat, aut turpissime cedere et brevi turpique vita perpetuam mortem comparare restat. Sed nec temporaliter nec æternaliter vivere liceat, quem contra tam profanam, tam blasphemum paganorum audaciam pugnare non libeat!* Protinus ante crucem reparationis nostræ confessione peccatorum unanimi humiliatione facta, ac post dictam indulgentiam ab apostolico legato, qui tunc forte aderat, benedictione accepta, Domini inclamantes adjutorium, castro sunt alacres redditi; indeque summo mane ad 7000 peditum milleque equites recensiti, periculo sunt ingenti cum gaudio magno presentati. Visa igitur statione barbarorum, mirabile dictu, tanta fervescere ceperunt fide, ut unusquisque se solum tot legiones sternere posse non dubitaret; indeque contigit, ut dum per unum pene miliarium inordinate currendo minus caute se hostibus infundunt, prima cohors a latere invasa ilico tota rueret. Qua de re Balduvinus efferatus animo, tanto illos equitum impetu involat, ut, quamvis idolorum responsis de victoria certificati acrius quam antea unquam resisterent, sicut cera a facie ignis ante ipsum liquescerent. Referebat michi venerabilis abbas Gerhardus, qui tunc crucem Dominicam semper lateri regis contiguus preferebat, nunquam se tantam nivis vel pluviæ quantam tunc telorum contra regem volare densitatem vidisse; at post ligni preciosi intuitum nullum ex hostibus telis se vel armis, sed universos fugæ presidio se commisisse. Itaque post victoriam a Deo — cui non est differentia salvare vel in multis vel in paucis (*I Mach.* III, 18) — sibi concessam, interim dum castra predamque diripiunt hostium, nuncius adest missus a Joppitis, qui civitatem terra marique diceret obsessam. Mox onusti spoliis, reliquis vero incendio traditis, nobis, qui jam, portis intus obstructis, a terra equitibus multis, a mari vero 42 navibus rostratis cingebamur, in auxilium quantotius properant; postque tot hostium incursus tantasque [1706] penuriæ pestilentiæque miserias, festum nativitatis Dei genitricis (*Sept.* 8.), quod ipsa die cum merore cœpimus, maximo nos tripudio complere faciebant. Sequenti die (*Sept.* 9.) multam nobis abundantiam frumenti cunctorumque victualium cum peregrinis fratribus ad 12,000 estimatis naves 30 deferebant; quas dum hostium classes invadere niterentur, mira Dei potentia per virtutem sanctæ crucis, quæ, dum nil carnalis adjutorii de civitate conferri posset, in altum econtra, jubente rege, levabatur, adeo repressit, ut, nullo conatu vel arte remigandi de loco moveri vel unam de tot navibus posse, tam pagani quam Christiani populi nimis mirarentur.

Neque hoc silentio preterendum, quod eodem anno ibidem cognovimus contigisse, venerabili Herimanno presbitero, qui tunc in monte Oliveti conversabatur, in hæc verba referente : *Die*, inquit, *sacratissimi sabbati, quo secundum antiquæ misericordiæ Domini paraclysin, baptismate jam consecrato, lumen de cælo nobis ministrari devoti nimis expecta-*

VARIÆ LECTIONES.

[1700] nicopoli D. H. [1701] G. I. [1702] venerabilis H. [1703] D. H. *addunt* : in (hereditatem) sibi. [1704] *deest* D. H. [1705] *deest* D. H. [1706] tantamque I. 4. 5. 10 tantamque — miseriam 9c.

bamus, usque ad vesperam orationibus solitis insti- A *timus; tuncque propter peccata nostra desiderato dono cælesti, quod etiam in conspectu gentium olim Christiani ante nos semper suscipere solebant, omnimodo frustrati, absque omni festivæ synaxis officio noctem illam Dominicæ resurrectionis lugendo tantum et merendo transegimus. Summo autem mane cum lætaniis a sepulchro Domini nudipedes processimus, ingressique templum Domini, quo scilicet loco, id est montem* [1707] *Moria in area Areuna* (II Reg. XXIV, 23), *David in maxima exauditum tribulatione, cunctosque exaudiendos qui ibidem corde devoto oraverint, Salomoni promissum legimus : mox post preces lacrimasque, ne nos deserendo Christus nomini suo blasphemiam inter gentes prepararet, fusas, necdum atrium illud famosum egredimur, et ecce signa concrepantia* B *laudes altisonas in occursum nobis ab his qui remanserant reboantes audimus; intrantes vero æcclesiam prenominatam, lampades duas cælitus incensas gaudio immenso repleti conspicimus. Quid plura? A baptismi officio, quo pridie cessaveramus, incipientes, totum servitutis nostræ pensum Domino dudum subtractum, usque ad missæ completionem, lætissima devotione persolvimus; nobis quoque egressis, inter missam Syrorum, qui semper post nostrum egressum eodem psallere choro solent, lampades aliæ divinitus accenduntur, ante vesperas vero et inter ipsas vespertinas laudes usque ad 16 hujusmodi lumina visibiliter ampliantur; sicque contigit, ut pauci intra Hierusalem seu Christiani seu pagani reperirentur, qui tam* C *evidentem Christi potentiam se non vidisse testarentur*

A. [1708] D. MCII.

Imperator Heinricus [1709], habito cum principibus colloquio *, Romam se profecturum ac generale concilium circa Febr. Kalendas inibi convocaturum condixit, quatinus, tam sua quam domni apostolici causa canonice ventilata, catholica inter regnum et sacerdotium confirmaretur unitas, quæ tot annis scissa permansit. Constat tamen nec ipsum juxta placitum venisse, nec nuncia dignitati apostolicæ subjectionem profitentia misisse. Nec hoc latet, quod alterum papam ipsi domno Paschali superponere, si fieri posset, conatus sit, nec profecerit.

* C. *pergit* . tractare cepit, si fieri posset, Ro- D mam se circa Kal. Febr. profecturum, quatinus — unitas confirmaretur. Ipso autem aliis negociis impedito, transacta media q., *etc.*

Transacta post hæc media quadragesima, convenientibus universis Apuliæ Campaniæ [1710], Siciliæ, Tuscaniæ [1711] totiusque simul Italiæ presulibus, ultramontanorum autem quam plurimorum patrum legatis, synodus magna Romæ est habita (*Mart.*), ubi preter antiqua Patrum instituta more solito reverenter confirmata, etiam sepedictum nostri temporis scisma inter precipuas hereses computatur, ac perpetuo cum suis auctoribus atque sequacibus anathemate hujusmodi subscripta professione condemnatur : *Anathematizo omnem heresim, et precipue eam quæ statum presentis æcclesiæ perturbat, quæ docet et astruit, anathema contempnendum et æcclesiæ ligamenta spernenda esse. Promitto * autem obœdientiam apostolicæ sedis pontifici domno Paschali ejusque successoribus sub testimonio Christi et æcclesiæ, affirmans quod affirmat, et dampnans quod dampnat sancta et universalis æcclesia.* Ibi etiam quam sententiam in imperatorem [1712] vel patricium Romanum Heinricum idem apostolicus Paschalis [1713] promulgaverit, nos quoque inter innumeras diversarum gentium catervas proxima cœna (*Apr.* 3) Domini in æcclesia Lateranensi ab ipsius ore didicimus; nimirum postquam 8 Kal. Octobr. maris fluctibus Joppe traditi, Romæ sumus per Christi gratiam predicta majori ebdomada introducti. *Quia*, inquit, *tunicam Christi scindere, id est ecclesiam rapinis et incendiis devastare, luxuriis, perjuriis atque homicidiis commaculare, non cessavit, primo a beatæ memoriæ Gregorio papa, deinde a sanctissimo viro Urbano predecessore meo propter suam inobœdientiam excommunicatus est atque condempnatus; nos quoque in proxima synodo nostra judicio totius æcclesiæ perpetuo eum anathemati tradidimus. Id notum volumus omnibus et maxime ultramontanis esse, quatinus ab ipsius se contineant iniquitate.*

* Promitto — contineant iniquitate. *desunt* C.

Hartwicus * Magdeburgensis archiepiscopus obiit, vir per multa laudabilis, maxime tamen popularis, et æcclesiæ cui preerat utilitatibus multum insudans dilatandis, pro scismate quoque sepe dicto resarciendo inter utramque partem mediator infatigabilis. — Ruotpertus episcopus Babenbergensis obiit; cui per imperatorem Heinricum Otto, cancellarius ejus, substituitur vir, ut creditur, bene religiosus. — Aerbo jam grandevus, nobilis de Carinthia princeps et quondam palatinus in Bajoaria comes, migravit in Domino.

* D. E. *reliqua hujus anni ita disponunt :* Erbo [1714] — domino. Ruotpertus — religiosus. Hartwicus — infatigabilis. *In* C. *vero hæc tantum leguntur :* Ruotpertus episcopus substituitur, vir per omnia bene religiosus et precipue domno imperatori super omnes et pre omnibus usque ad mortem etiam non sine magnis periculis fidelissimus. Hartwigus Magdeburgensis episcopus obiit.

Commissum * est etiam prælium (*Jul.*) a Balduvino et his qui secum erant Hierosolimitis contra infinitam Sarracenorum multitudinem; ubi dum inconsiderate res agitur, circumventi sagittariorum numerositate nostri, utpote jam admodum pauci facti, intra muros civitatis Rama, quæ vicina erat, cedere compelluntur, rex vero cum tribus, ut aiunt, equitibus evasit. Barbari autem cum plures lapidi-

VARIÆ LECTIONES.

[1707] monte H. [1708] 3. *præmittit* 46. 19. [1709] H. 1 *sæpius.* [1710] *deest* D1. [1711] tusciæ C. [1712] cm. v. p. r. *e corr.* 1. [1713] P. 1 *sæpius.* [1714] Aerbo E1.

bus castri [1718] viderentur, in brevi universa mœnia demoliuntur; captisque ac cesis universis quos invenerant, ipsos captivos cum nunciis victoriæ suæ Babylonem premittunt, castra autem sua securiter, et quasi jam terram illam gladiis acquisitam possessuri, interim donec nuncii regis sui redeant, in campestribus illis ponunt. Sed non cessit eis inpune victoria illa, non sua virtute sed divina dispositione in his, quos ipse non terras ultra sed paradysum voluit incolere, conquisita. Nam tercia die Balduvinus superveniens cum exercitu copioso, quem prius expectasse debuerat, tanta illos proterit internetione, ut nec libuerit nec profuerit vicisse. Novum autem illum exercitum tam Reginmundus a Tripoli, quam nuper devicerat, quam ab Antiochia Dankeradus ducebat; nam suus avunculus Boimundus, ante biennium a Thurcis dolo captus, Antiochiæ sibi principatum dimiserat.

* Commissum — principatum dimiserat. *hoc loco desunt* D. E. *neque in* C. *leguntur.*

A [1716]. D. MCIII.

Heinricus * imperator nativitatem Domini Mogontiæ celebrans, filio suo Heinrico regi rerum summam dimissurum seque sepulchrum Domini visitaturum, per Emehardum episcopum publice predicari fecit; indeque favorem maximum tam vulgi quam principum et clericorum regnique totius acquisivit, multosque e diversi [1717] regni partibus ad ejusdem itineris comitatum se preparare voto ipso succendit.

* C. *ita :* Imperatore Heinrico nativitatem Domini Mogontiæ cebrante ac necessaria quæque super regni statu cum principibus tractante, subito rumor forte divulgatur, imperatorem Heinrico filio suo rerum summam dimissurum seque sepulchrum Domini visitando pro peccatis suis Christo satisfacturum. Unde et nonnulli cum maximo favore ad ipsius se preparavere comitatum. Cuono, *etc.*

Cuono, filius Ottonis (294) ducis, de magnis principibus unus, et cui nihil in omni rerum humanarum dignitate supra, natu scilicet, literarum etiam scientia, fortitudine atque divitiis satis prepollens, elegantia atque facundia bonis omnibus amabilis et affabilis, quorundam funestorum hominum conspiratione, noctu, dum iter ageret, invaditur et interimitur, ingentem relinquens nobilibus regni luctum simul et suspitionem, dum ab infimis in summos tanta scelera presumuntur. — Ante triennium quippe Heinricus Crassus, ejusdem Cuononis [1718] germanus et natu senior, dum in Fresiæ marcham, cui preerat, res acturus proficiscitur, a vulgaribus Fresonibus, quibus dominationis suæ iugum grave fuit, obsequium spectans, insidiis vallatur; re quoque cognita fugiens ad mare, vulneratur a nautis, simul et suffocatur. Hujus tanti viri, qui nimirum totius Saxoniæ principatum secundus a rege gerebat, interitus ab universo regno Teutonico graviter ferebatur, isque, ut diximus, dolor nunc fratris ejus Cuononis nece duplicatur.

Heinricus marchio *, vir sui temporis in Saxonia prepotentissimus, obiit.

* M. de Iliburg C. D. E.

A. [1719] D. MCIV.

Heinricus imperator natalem Domini Ratisponæ celebravit. Cumque ibidem aliquandiu moraretur, orto quodam prius murmure inter Bajoariæ principes, eo quod Saxones vel Franci familiarius illic et honorabilius quam indigenæ ab imperatore tractarentur Sigihardus comes, qui hujusmodi suspitionem maxime notabat, cepit imperatori paulatim invisus haberi, propter hoc autem maxime quod ipse solus pre cunctis qui tunc aderant principibus, abundantiori militum copia adducta, ad resistendum se, si forte de curia quicquam secus cederet, videbatur communisse. — Diebus post hæc aliquot exactis, cum jam securior factus idem comes suorum turmas defluere permisisset, excitatur in illum, conspirantibus tam urbanis Ratisponensibus quam diversarum partium ministerialis ordinis hominibus (295), seditio furibunda, quæ nullo modo, vel ipso imperatoris filio interveniente, sedari potuit, donec ab hora diei tercia usque ad horam nonam in hospicio obsessus, tandemque fractis foribus, ipse, prius confessione facta, sumpto etiam Dominici sacramenti viatico, capite truncatus occubuit. De * quo scelere supersedemus plura referre, presertim cum adhuc ultiones cæteraque mala sequentia versentur in oculis, et quem sint finem habitura, nequeamus scire. — His tamen exceptis, undique terra satis quievit, pace simul et fertilitate, necnon aeris qualitate corporumque sanitate [1720] delectabiliter jocundata. Nonnulli etiam palmati de Hierosolima redeuntes, Acris, quæ et Accaron, a nostris expugnatam, nunctiant, alia quoque preter hæc non pauca, quæ multam nobis læticiam ministrarent, fausta super Hierosolimitanæ æcclesiæ statu narrant.

* De quo — civitate ipsa. *desunt* C.

Boto comes, cognomento Fortis, illius Ærbonis cujus superius (296) mentionem fecimus germanus, jam plenus dierum non longe a Ratispona defunctus est, et ad monasterium Tharisiense (297), quod ipse suis opibus atque prediis large ditaverat, delatus, ibique humatus. Hi duo fratres, Ærbo scilicet et

VARIÆ LECTIONES.

[1715] includi *add.* 11. *qui locum haud* 55 *intellexit.* [1716] 5. *add.* 47. 20. [1717] *ita* 1. [1718] C. 1. E1. chunradi D. [1719] *add. :* 48. 21. [1720] sanitata *corr.* sanitate 1.

NOTÆ.

(294) De Northeim, ducis Bajoariæ.

(295) Cf. de hoc loco Stenzel I, p. 582 et constitutionem de jure advocatorum Mon. Legg. II, p. 62.

(296) A. 1102, col. 986.

(297) Theres prope Mœnum.

Boto, paterno de sanguine Noricæ gentis antiquissimam nobilitatem trahebant, illius nimirum famosi Ærbonis posteri quem in venatu a visonta bestia confossum, vulgares adhuc cantilenæ resonant, Hartwici palatini comitis filii, qui germanus fuit illius Sigihardi *, qui Sigihardum genuerat Ratisponæ peremptum. Maternum vero illis erat stemma de Saxonia Immidingorum tribus egregia, quæ et Ottonum inclytæ stirpi traditur vicina. Nam ejusdem Immid his verbis Saxonum hystoria (298) meminit: *Erat*, inquit, *clara et nobilissima ac singularis prudentiæ regina, Mahthildis scilicet, magni Ottonis mater, filia Theodorici, cujus fratres erant Witukind, Immid et Reginbern. Reginbern autem ipse erat, qui pugnavit contra Danos multo tempore Saxoniam vastantes, vicitque illos, liberans patriam ab illorum incursionibus usque in hodiernum diem. Et hi erant stirpis magni ducis Witukindi, qui bellum potens gessit contra magnum Karolum per 30 ferme annos.* Quorum, ut diximus, clarissimorum principum semine nobilis Friderun, Ærbonis et Botonis mater, a Retingo, filio Botonis, filii Retingi de secundo Botone nati, procreatur; quæ post mortem Hartwici statim viduitatis velamine consecratur, adhuc Ærbone parvulo, Botone inpregnata posthumo. Quorum utrumque literis et armis atque rebus satis profecisse cognovimus; attamen Botonem, sicuti corpore proceriorem et elegantiorem, ita rebus bellicis prestantiorem atque famosiorem, totius pene Germaniæ atque Italiæ testatur populus. Pannonia vero talem illum ac tantum se fatetur aliquando sensisse, ut is vere de gigantibus antiquis unus apud illos credatur fuisse. De quo plura referre copia subpeteret, si compendiosi hujus operis propositum non vetaret.

* Friderici (299) D. E.

Johannes * Spirensis episcopus tactus ulcere quodam circa verenda, de quo etiam aliqua notabilia A diffamabantur, longa deficiens infirmitate, humatur in civitate ipsa. **

* Johannes — sua. *desunt* D1.

** Episcopus obiit, et monasterio suo quod ipse construxerat apud Sunnesheim (300) sepultus est. E. —h. in monasterio Sunninsheim [1721], quod ipse construxerat. 4 — 11.

Cuonradus adolescens, filius Beatricis marchisiæ, postquam, spretis litterarum studiis, quibus apprime inbutus * erat, armis operam dedit, juxta Christi presagium, quia gladium accepit, gladio periit (*Matth.* XXVI, 52). Nec multo post etiam ipsa Beatrix obiit, et ** juxta patrem suum Ottonem ducem castello Suinfurti sepulturam accepit

* Eruditus C.

** Et juxta — videretur. *et* vero *desunt* C.

B Circa solstitium æstivale commutato in tempestatem ære, decidisse fertur inter grandinum lapides in pago Wirciburgensi tantæ magnitudinis glacies, quæ in quatuor divisa, totidem hominibus importabilis videretur. In episcopio vero Spirensi sanguis ex panibus fluere visus, necnon et in lenticularum edulio prodigiose repertus, civile immo intestinum bellum portendere, secundum antiquam hystoriæ Romanæ (301) similitudinem conjiciebatur.

A. [1722] D. MCV.

Dum * imperator Heinricus natalem Domini Mogontiæ celebrat, Heinricus, filius ejus, nominis illius quintus rex dictus, rebellationem adversus patrem in Baioaria machinantibus scilicet Diotpaldo marchione, Bern-

C gero comite, et Ottone quodam nobili viro sibique materna stirpe cognato, quorum consilio et adjutorio ante paucos dies a patris latere discesserat. Primo quippe heresim prescriptam anathematizans, apostolicæ sedis pontifici debitam profitetur obedientiam, indeque fœderatis sibi Noricis principibus, atque ab Alemannia necnon orientali Francia nonnullis nobilibus, ad Saxones convertitur. A quibus honorifice susceptus, et in Quitilingeburg pascha celebrans (*Apr.* 9), in brevi universis,

VARIÆ LECTIONES.

[1721] suoninsheim *corr.* suaninsheim 5. [1722] 5. *add. rubram:* Anni Heinrici quinti *et numeros marginales* 49. 22. 1.

NOTÆ.

(298) Widukind. I, 3..

(299) Cum Ekkehardus hoc nomen libro secundis curis castigato scripserit, præterendum est. Stemma ejusmodi est:



(300) Sinzheim in magno ducatu Badensi.

(301) Cf. supra col. 635.

Saxoniæ civitatibus potitus, et optimatibus est dignitate regia satis honoratus. Consilio tamen atque ministerio Ruothardi Mogontini atque Gebehardi Constantiensis episcopi, responsalium ** scilicet domni Paschalis papæ, totam Saxoniam Romanæ æcclesiæ communioni *** reconciliavit, episcopis vero atque clericis conventum generalem in villam regiam quæ Northusun dicitur 4 Kal. Junii, ubi super æcclesiasticæ institutionis jam depravatæ disciplina tractaretur, indixit. In quo concilio super sententiis instantibus Patrum decretis primo relectis, quæque poterant ad presens laudabiliter corrigebantur, quædam vero, quæ et graviora videbantur, ad apostolicam audientiam differebantur. Symoniaca quippe heresis Patrum consuetudine condempnata, Nycholaitarum quoque fornicaria commixtio ibidem est ab omnibus abdicata; jejunium mensis Marcii prima [1723] ebdomada quadragesimæ, jejunium vero mensis Junii in ipsa ebdomada pentecostes Romano more celebrandum, a prescriptis presulibus apostolica auctoritate indicitur, et pax Dei confirmatur; his **** vero qui a pseudoepiscopis fuerant consecrati, per catholicam manus impositionem reconciliatio proximo jejunio danda fore [1724] promittitur. Vidimus inter hæc, quod silentio preterire non possumus, regem Heinricum non modicam bonæ indolis spem magna simul humilitate et auctoritate coram omnibus pretendentem. Nam cum servorum Dei conventui nonnisi vocatus interesse vellet — ingens enim ibi cum episcopis et clericis etiam abbatum atque monachorum æcclesiasticam sitiens unitatem turba confluxerat — tandem in abjecto productus habitu locoque stans editiori, omnibus juxta principum decreta suas leges atque jura rationabiliter innovavit; si qua vero irrationabilia rogabantur, mira ac ultra suos annos prudenti responsione et avita magnanimitate confutavit, in omnibus his et sibimet miro modo servans adolescentiæ verecundiam, et Christi sacerdotibus dignam exhibens reverentiam. Inter hæc obortis lacrimis ipsum regem cæli cunctamque cæli militiam testabatur se nulla regnandi cupiditate paternum sibi regimen usurpare, neque dominum et patrem suum a Romano deponi imperio exoptare, immo debitam pertinaciæ et inobœdientiæ ejus semper compassionem exhibere; sique sancto Petro suisque successoribus lege Christiana subjici velit, sive regno cedere, sive serviliter ipsi se subesse promisit. Quod auditum omnis multitudo collaudans, lacrimas simul et preces tam pro patris conversione quam pro filii prosperitate fundere cœpit, voce magna kyrieleyson declamans. Eadem hora Uto Hildinesheimensis et Heinricus Padrebrunnensis ac Fridericus Halberstatensis presules, vestigiis metropolitani prostrati, ipsius atque regis astantis totiusque presentis æcclesiæ testimonio, apostolicæ se dedunt obœdientiæ. Quorum etiam commissa apostolico nihilominus judicio reservantur, sub officii sui tantum suspensione.

* C. *ita :* Heinricus rex adolescens magnanimitate tactus innata, cepit ex laboribus multis licet bene providi patris sui, simul etiam ex frequentibus corporis ejus molestiis fortunæ volubilitatem rerumque varietatem prospicere, precavensque ne forte inopinatus patris obitus se nondum amicis vel militibus plene instructum vel etiam bellicis in rebus specialiter glorificatum reperiens, aliquam sibi regnandi scrupulositatem pareret, non contentus palatio paterno, nec communi, licet per omnia augustissimo, convictu, in Bajoariam se contulit, ibique principibus illis, quorum aliquos maternæ stirpis propinquitas attraxerat, fœderatus, per se ipsum jam rei publicæ consulere ut rex et regis filius institit. Primo itaque per Gebehardum Constantiensem episcopum, tunc temporis responsalem Paschalis papæ, Romanæ sedi per debitæ obœdientiæ professionem unitur, indeque assumptis nonnullis Noricis necnon ab Alemannia vel orientali Francia quibusdam nobilibus, ad Saxones convertitur. A quibus honorifice susceptus et in Quitilingeburg pascha celebrans, in brevi universis Saxoniæ civitatibus potitus, et ab optimatibus est dignitate regia satis honoratus. Sunt qui dicant ipsum discidium industria ipsius imperatoris, cujus circumspectioni vix quisquam posset æquari, provisum, quatinus simulata discordia illam partem regni quæ a patre deficiebat in filii traheret artificiose contubernium, scilicet ne locus ullus vel copia foret adversariis, sibi caput aliud facere veraciter inimicum. Nos tamen divina procul dubio dispensatione totum id gestum credimus, remque ipsam Deo annuente ex fructu bono comprobabimus. Nam literis domni Paschalis papæ instructus atque consilio et ministerio Ruothardi, *etc.*

** r. s. d. p. p. *desunt* C. D. E.

*** *deest* D. E.

**** his vero — promittitur. *desunt* C.

Iis rite [1725] dispositis (302), rex idem pentecosten Merseburg celebrans (*Mai.* 28), Heinricum Magdeburgensi [1726] æcclesiæ dudum designatum archiepiscopum, sed ab imperatoris fidelibus repulsum, consecrari fecit; nec multo post expeditionem contra Mogontiam movit, expulsum inibi pontificem restituturus, patre intra muros rem expectante cum non parva militum turba nonnulisque non tamen sibi sat fidis principibus. Sicut autem istis Rheni interfluentia naviumque subtractio urbis aditum denegabat, ita illis sacramentorum tam filio quam patri factorum consideratio parricidale bellum interdicebat. Plura tamen hinc et inde nuncia navigabant, multa et consilia commu-

VARIÆ LECTIONES.

[1723] *ita* E. ebd. Ia. quadr. C. D. *vox quædam hic erasa in* 1. orima *deest 4. rell.* [1724] *superscr.* 1. [1725] his ita rite D1. [1726] megdeburgensi *corr.* magdeburgensi 1.

NOTÆ.

(302) Hic error esse videtur. Nam concilium d. 29 Mai celebratum fuisse dicit, Pentecoste vero d. 28. incipit.

nes regni proceres inter se trutinabant, patre regni divisionem et hereditariæ successionis confirmationem pollicente, filio vero nil nisi apostolicæ subjectionis et æcclesiastice unitatis efficientiam expostulante. Sic inacte [1727] discedens, Wirziburg devenit (Jul.), * Errolongum ** quendam, quem dudum Emehardo defuncto presulem imperator designaverat, expellens, Ruotpertum, ejusdem æcclesiæ prepositum, et *** tam prius quam tunc a clero et populo electum, per predictum archiepiscopum Ruothardum [1728] inthronizavit; sicque æcclesia eadem apostolicæ communioni reconciliata, ac secritate ab urbanis accepta, dimissis Saxonibus, ipse cum Bajoariis ad obsidium castelli Nourinbere conversus, illudque post duos vel amplius menses (*Aug. Septembr.*) prospere capiens, soluto exercitu, Ratisponæ se contulit. Quem pater e vestigio subsequens, Errolongum Wirziburgensibus, fugato Ruotperto, restituit, indeque omnia quæ fautorum erant filii devastans, tandem faventibus sibi dolis Ratisponensium, filium urbe fugavit. Qua residens, presulem eidem kathedræ quendam adolescentulum, nomine Cudelricum [1729] **** prefecit, exercitum undecumque congregavit, progressusque, marcam Diotpaldi per Boemicæ gentis maxime crudelitatem devastavit. Nec plus una cum suo domino regii morantur milites, conventum usquequaque facere, cæsarianis a tergo flammis predaque vicem reddere, postremo cum 10000 electæ juventutis in quinque legiones dispertitis congressum expetere. Jam castris in contrarium positis, spectaculo nimis horribili, per triduum continuum ex una ripa Regini fluminis imperatoris, ex altera regis volitabant signa; jam frequentia grassabantur in ipso fluminis alveo duella, inter quæ et ***** Hartwicus comes ex parte imperatoris occubuit. ****** nec paucos ex utraque parte Martis sors anceps absumpsit. Attamen die quæ generalem certissime congressionem precedebat, principes qui capita roburque utriusque videbantur exercitus, pacificis invicem concessis colloquiis, post morose ventilatam inter se belli presentis causam, tandem divino, ut creditur, edocti spiritu, parum justitiæ parumque emolumenti tam duro tamque periculoso inesse negocio, unanimi consideratione conferebant; indeque nimirum fratribus, id est populo utraque parte Christiano, parcendum, immo parricidali pugna cessandum, pari voto judicabant. Rex etiam adolescens, dum jam, ut diximus, per ordinatas omni parte acies Mars cruentus cepisset frendere, commotis visceribus super patre suo lugubriter fertur inclamasse: *Grates*, inquit, *o boni commilitones, affectui circa me vestro summopere refero; unicuique vestrum par pari referre, si res exegerit, non abnuo; nemo tamen in hoc me sibi velit vel credat fore* [1730] *fœderatum, ut dominum et patrem meum per se gloA rietur occisum vel unquam estimet occidendum. Ego quidem Christianis michi legibus subarratum regnum ut heres ******* et successor augusti tenere, si tamen rerum omnium dominatori complacuerit, cupio; parricida vocari vel esse nolo. Quodsi pater meus apostolice se subjecerit obœdientiæ jugo, ego mox in his quæ sua dumtaxat michi clementia concesserit, contentus ero, interim me non impugnatorem esse patris, sed paterni regni propugnatorem noveritis.* Vesperascente itaque jam die, cessere loco regiæ phalanges, imperatoriæ majestati se reverentiam exhibere clamantes. Imperator autem dum in castris de crastino certior conflictu disponit, nec pugnam nec pugnandi votum principibus esse, per Boemiæ ducem marchionemque Liupaldum contra spem audivit. Qui B mox animo consternatus, supplex illorum adjutorium petit, nec impetrat; instructus etiam secretis filii nunciis, suorum conspirationem adversus se factam, latenter e castris cum paucis admodum viris subtrahitur; sicque divina dispositione, uno salvo, multorum, qui fundendus credebatur, sanguis salvatur. Nam protinus ut imperatoris absentia totis undiqueversum castris innotuit, unusquisque propria repetere, maxime noctis opacæ latibulo divertendi securitatem ministrante, contendit. At rex, dum disturbatis inimicis ad libitum frui posset, parcere quam persequi deliberans, civitatem ob dati prius fœderis defectum austeriori nimirum pacto sibi confirmat, Hartwicum [1731], virum utique probatum catholicum atque nobilem, abdicato Oudelrico [1732] ibidem inthronizat, presules etiam C quosdam ac principes paternæ militiæ intra murum repertos sibi conciliat, moxque Franciæ redditus, eodem propinavit calice perfidis sibi Wirciburgensibus. Inter ******** hæc predictus Errolongus [1733], qui presulis inibi nomen usurpaverat, spe frustratus concepta, Ruotperto sede cedens, regi deditur, et ex hoc inter suos capellanos æque fidelis estimatur.

* C. *ita:* devenit, ibique extra civitatem castra posuit. Successerat eodem anno, defuncto Emehardo episcopo, vir singularis probitatis et eximiæ prudentiæ Babenbergensis æcclesiæ canonicus Erlungus, qui a viro scolasticissimo Meginhardo, avunculo scilicet suo, ejusdem sedis dudum episcopo, diligentissime educatus et apprime liberalibus disciplinis instructus, ob famæ suæ bonum odorem de claustro Babenbergensi in palatium assumptus, cancellarii per aliquot annos strenue rexerat officium, indeque tam cleri quam populi consensu Wirciburgensem sortitus est episcopatum. Is virtutem boni operis perseverantiam esse considerans, maluit, quandoquidem necdum erat consecratus, loco cedere quam ab imperatore, cui catenus indefessa sinceritate servierat, vel minima infidelitate notari. Quo cedente rex Ruotpertum, *etc.*

** Erlungum, quem D. E.

D

VARIÆ LECTIONES.

[1727] in nocte *e corr.* C. [1728] R. 1. [1729] o. 1. [1730] *superscr.* 1. [1731] Hartwicum — inthronizat *in margine* 1. [1732] o. 1. *quod* D, *legerunt* 9ᵉ. 1. 110. [1733] E. 1.

*** et tam — electum *desunt* C. D. E.

**** C. D. E. *ita :* O. n. (n. O. E.) prefecit. Gebehardus quippe, qui locum illic pastoris per annos 16 miserabiliter occupaverat, eodem anno a quodam, quem nimis intolerabiliter injuriabat, proprio milite trucidatus, duplo plangendus, decesserat. Congregato itaque undecumque exercitu, cesar progressus, marcham, *etc.*

***** et — occubuit *desunt* C. *qui pergit :* non paucos.

****** D. E. *addunt* : Sigihardus comes capitur.

******* C. *ita :* h. patrum meorum et s. augustorum, tenere, si t. r. o. d. c. jure gentium possidere cupio, parricida vero v. v. e. n. Q. si p. m. apostolicæ, quod nimirum in causa est, se s. o. i., ego — i. p. s. p. potius regni p. esse noveritis. Interea vesperascente jam die, redduntur castris phalanges regiæ. Imperator vero dum quasi de crastino certior conflictu suos instruit, nec pugnam nec pugnandi votum vel fas ibi esse a principibus audivit. Instructus e. s. f. n. conspirationem a suis adversum se factam, e castris latenter cum paucis subtrahitur ; s. d. d. n. s. m. q. c. f. s. s. Nam — repetere, prout nox concessit opaca, contendit. At r. d. d. adversariis ad l. — militiæ sibi conciliat, m. F. r. e. p. c. p. sibi tunc Wirciburgensibus.

******** C. *ita :* l. h. p. Erlungus, qui presulatum inibi ab imperatore susceperat, fortunæ rotam, ut vir prudens et discretus, indignando considerans, regi Ruotpertum restituenti deditur, et ex hoc inter suos capellanos, utpote longe ante notissimus, magno et speciali honore tractatur. Post hæc ad Spiram perveniens, Gebehardum Hirsaugiensem abbatem constituit ibi episcopum, Ruothardum quoque, per annos 8 kathedra sua pulsum, nobili Mogontiæ restituit, sicque tam populum quam clerum illum apostolicæ communioni reconciliavit. Inde Burgundiam conversus, fidelium suorum nunciis revocatur, sicque Sigefridi comitis quedam fraudulenta preveniens machinamenta, quibus curiale illud colloquium, quod ab universis regni principibus super presenti negocio condictum erat impedire cum imperatore conari dicebatur, patrem suum Bingæ circa Idus Dec. repperit, ore ad os de his quæ emendatione digna videbantur, ordine quidem prepostero sed necessarie commutato, filius patrem commonuit, obœdientiæ debitum, si tamen ipse idem Deo non abnuerit, persolvere repromisit.

Audiens interim rex patrem suum apud Wigpertum, quendam illustrissimum et prudentem virum, qui partibus in [1734] illis quas Sorabi inhabitant principabatur, esse repertum, usque ad Rhenum illi ducatum — hoc enim per legatos ipse supplicabat — administrari permisit ; ne tamen aliquo illius inibi infestaretur molimine, mature Wirciburg digressus, non longe a Spira prescriptum flumen non sine periculo transfretavit ; moxque civitate ipsa patrisque ibidem reconditis thesauris potitus (*Oct.* 31), virum sapientem et nobilem ac pro sanctæ conversationis fama morumque dignitate omnibus sanum sapientibus amabilem, Gebehardum Herisaugiensem abbatem, prefecit Sirensibus episcopum. His etiam die-

A bus venerabilis Ruothardus archiepiscopus a Thuringia, qua per annos octo tyrannicam declinaverat rabiem, presidio catholicorum principum deductus, maximo nobilis Mogontiæ tripudio kathedræ suæ restituitur, sicque tam populum quam clerum apostolicæ reconcilians æcclesiæ, ab universis non solum ut pater jam grandevus, sed etiam velut ex mortuis redivivus, omnimodis excolitur. Rebus igitur circa Rhenum compositis, Burgundiam rex Heinricus convertitur (*Dec.*), sed revocatus fidelium suorum nunciis, machinamenta patris quæ Sigefridi comitis auxilio moliebatur, mira velocitate prevenit. Nam illum Mogontiam tendentem, atque colloquium curiale, quod ab universis regis principibus super presenti negocio condictum in natali Dominico ex-
B pectabatur, impedire temptantem, Bingæ circa Idus Decembr. repperit, ore ad ôs de anathematis vinculo cæterorumque insolenter in rem publicam commissorum, ordine quidem prepostero sed necessarie commutato, filius patrem commonuit, obedientiæ debitum, si resipiscere dumtaxat dignetur, repromisit. Senior has et hujusmodi quam plures sententias ad audientiam optimatum et senatus consultum instanti curiæ distulit, sicque comitatus uterque, pacificus ad invicem, pariter contra sepedictam se metropolim convertit. Inter hæc aliqua, quæ huic pacto pacique non convenirent, dum per occultos nuncios patrem conari filio fideles denotarent, visum est eisdem, ut pater separatim cum suis in castello
C quodam tutissimo principum conventum expectaret, presertim * cum presules Mogontinus atque Spirensis cæterique qui aderant. intra nuper reconciliatas suas æcclesias communicationem illi prestare se non posse, publice reclamarent. His ita dispositis, custodibus quoque, qui ne novi quicquam ab ipso vel ad ipsum procederet [1735], adhibitis, rex Mogontiam publico conventui principum occurrit ; sed vulgaris inde stulticia, patrem a filio dolo captum et custodiæ mancipatum, circumquaque diffamavit. **

* præsertim — reclamarent. *desunt* C.

** C. E. *addunt* : Pridie — esset parte. *quæ infra.*

Hoc * anno Balduvinus rex Ascalonem a mari
D copiosissima classium multitudine, a terra vero non parvo cingens exercitu, tributariam sibi fieri longa obsidione coegit. Post aliquot vero [1736] menses 50000 Sarracenorum improvise se invadentium virtus divina ante ipsum quatuor tantummodo milium manibus stravit, quodam scilicet ammiratæ, qui secundus a rege Babyloniæ videbatur, capto, altero inter cæteram multitudinem occiso. Christi clementia peregrinis suis apud Antiochiam, Syriam, Palestinam totamque per Asyam prosperante, eorumque servitute barbaricas circumquaque spurcicias eliminante, invidus et occultus eatenus æcclesiæ persecutor Alexius diu tectam suæ perfidiæ toxicatam ra-

VARIÆ LECTIONES.

[1734] *superscr.* 1. [1735] *vocabulum quoddam* (precaverent?) *omisit Ekk.* [1736] *deest* H.

biem evaginat, Thurcis, quibus jam nulla vel rara in oriente regnandi spes remanserat, se tutissime conciliat, et o turpissimum facinus! Niceam, quam olim fidei nostræ turrim dudumque multo Christianorum sanguine comparatam [1737] prescripsimus, Solomani tyranni filiis reddidit, custodias [1738] ad prohibendum transitum peregrinis terra marique constituit, Babylonicum regem contra nostros frequentibus nunciis animavit. Cujus [1739] classes contra Anthiocenos directas ipsi bello ceperunt, et in confusionem Alexii nasis atque pollicibus omnium abscisis, unam de scafis inde onerantes, hujusmodi pulmentum eidem regi, multorum milium homicidæ, transmiserunt. Boimunt quoque, jam trienni captivitate per divinam solutus providentiam, Italiam navigio venit, ibique classes fabricari constituens, ipse usque ad Hispaniæ regna peragrare cunctamque quam posset militiam quocumque pacto contra tyrannum prescriptum cepit congregare.

* Hoc anno — congregare. *desunt* C. *et hoc loco* D. E.

Fridericus dux obiit, vir prudentia, moribus et nobilitate satis clarus, sed clarissimo et singularis ac inclitæ famæ Adelheidæ [1740], filiæ scilicet imperatoris, matrimonio et ex eadem miræ indolis prole decoratus. *

* F. d. vir — decoratus obiit. C. D. E. — C. *addit :* Cujus ducatum Fridericus, filius ejus major natu, adhuc puer suscipiens, magno sibique condigno est apud avunculum suum regem honore et amore semper habitus. EXPLICIT LIBER SECUNDUS.

Pridie ante vigiliam nativitatis Coristi visus est ob occidente tantus inter sidera ignis flammare, ut solis jubar crederetur, si in orientis esset parte.

A. [1741] D. MCVI.

Mediante [1742] Heinrico juniore, tantus apud Mogontiam factus est in natali Dominico totius regni Teutonici conventus, quantus per multa annorum curricula nusquam est visus. Referunt enim qui aderant, 52 ibi tunc optimates vel eo amplius affuisse, adeo ut solus dux Saxoniæ, Magnus nomine, quem jam gravior ætas impediebat, notaretur defuisse. Ibi supervenientes apostolicæ sedis legati, episcopus scilicet Albanus cum Constantiensi, sententiam anathematis in Heinricum seniorem dictum imperatorem a tot sibi succedentibus apostolicis sepius sepiusque promulgatam scriptis simul et dictis testificantes, universam multitudinem, immo totam toto orbe diffusam æcclesiam ab ejus communione, A Christi et beati Petri auctoritate, multis jam annis sequestratum [1743] confirmabant. Qua de causa dum ipse se de castello quo manebat Mogontiam exhibere temptaret, principes propter cavendum tumultum vulgi, suæ potius quam filii parti favere solentis, ipsi Ingilenheim occurrerunt (*an.* 1105 *Decemb.* 31); tandemque generali illum circumvenientes consilio, usque ad reatus confessionem satisfactionisque professionem perducunt. Cui cum legati communionem seu pœnitentiæ modum absque generalis synodi et apostolicæ discussionis censura reddere ad presens non possent, ipse partis utriusque consiliis annuens, regalia vel imperialia insignia, crucem scilicet et lanceam, sceptrum, globum atque coronam filii potestati tradidit (*an.* 1106, *Jan.*), prospera illi imprecans, illum primatibus multo fletu commendans, et extunc juxta summi sacerdotis totiusque æcclesiæ decreta suæ consulturum animæ promisit. Hoc ordine Heinricus, illius nominis quintus, primum a patre deinde ab universis Germaniæ principibus in regem jam secundo electus, ab apostolicis quoque legatis per manus impositionem catholice confirmatus, acceptis tam ab episcopis quam laicis juxta morem patriæ sacramentis, regnare cepit, 88° loco ab Augusto, 50° patris sui anno, ab Urbe condita 857° [1744] anno, ab origine mundi 5058° [1745], Dominicæ vero incarnationis, ut dictum est, 1106° anno.

B

Relatis igitur coram rege cunctisque totius Germaniæ optimatibus et presulibus omnique clero simul et populo legationibus Romanæ sedis, super ecclesiarum regni istius commaculatione diversa et inveterata, econtra emendatione ab universis unanimiter promissa, placuit tam regi quam primoribus, ad sanctam matrem Romanam æcclesiam tantos ac tales a partibus istis legatos transmitti, qui et de objectis rite rationem reddere et de incertis sagaciter investigare aç per omnia utilitatibus æcclesiasticis sapienter consulere sint idonei. Separantur in hoc opus viri spiritu sapientiæ pleni, dignitatibus, natalibus et elegantia seu divitiis precipui, nullaque secundum Deum sive seculum veneratione indigni, a Lothoringia Bruno Trevirensis, a Saxonia Heinricus Magdaburgensis, a Fraficia Otto Babenbergensis, a Bajoaria Eberhardus Eihstatensis, ab Alemannia Gebehardus Constantiensis, a Burgundia Curiensis, nonnulli etiam nobiles de latere regis laicæ professionis; idque inter cætera suscipiunt in mandatis, ut, si fieri possit, domni apostolici presentiam Cisalpinis partibus impetrent exhiberi [1746].

C

D

VARIÆ LECTIONES.

[1737] redemptam D. H. [1738] Babylonicum — animavit, custodias — constituit D. H. [1739] cujus etiam classes numerosas navium rostratarum contra D. H. [1740] Agnetæ C. *e corr.* [1741] *add, :* 50. 23. 2. [1742] *Reliqua ex* 1. *Ita etiam in* 4—11. *exstant. Quæ* C. D. E. *habent mox sequentur.* [1743] *ita* 1. [1744] *lege* 1857. [1745] *ita* 5. 10. LVIII 4. *numeri in* 1. *partim abscisi sunt ;* VIII *tamen legi videtur.* V. CCC. V. 1b. 6. 9c. 11. *Ex Ekkehardi computatione* (*v. a.* 1039.) *a.* 5067. *scribendus erat.* [1746] *manu sæculi XV. in fine codicis* 1. *habetur :* Anno domini M°CCCC° LVII° laodiflaus rex obiit bohemie.

PARS ALTERA.

ANNI 1106—1125.

Aureis [1747] tuis, o rex in æternum victure, temporibus ego tantillus homuncio Ekkihardus [1748] post annosas miserias redditus, ac post deflorata diversorum chronographorum opuscula, ab ipso temporum exordio temporum decursus ferentem carinam per multimodas Charibdis [1749] atque Scillæ comminationes tandem gloriosi tui imperii jam portui delatam speculando, ultra omnem humanæ estimationis modum letificatus, non inconvenienter, ut arbitror, stilo libertatis premium, quod oppido jam lassus exoptat, denego; immo ipsum tuis amodo preconiis pro viribus ac ultra vires inserviturum, quamdiu his regitur artubus, devotissime subjugo. Quidni? Te quippe multis jam in tristicia sedentis, domine gentium, ploratibus a patre spirituum tandem et vix impetratum caput, non immerito quodque catholicum et orthodoxum ejusdem æcclesiæ membrum quocumque prevalet favore prosequitur, A tibi Romanus a pulvere jam expergiscens orbis a mari usque ad mare, immo totus a solis ortu usque ad occasum mundus, inenarrabili tripudio congratulatur. In te suscitatum David germen justum universa sanum sapientia corda speculantur; sed precipue Deo servientium personæ undique prorumpentes e latibulis, lumen te sibimet in tenebris exortum, divina quedam de te presagia conferentes, tempus jam venisse miserandi sui testantur, de tua indole quid justum audire vel sanctum, sanctæ quevis animæ sui erga Christum regem servitii fructum esse confidenter arbitrantur. Beata erit, et ultra ipsas avitæ maternæque stirpis magnificentias gloriosior producetur ætas tua, si mansionem in augustissimo tuo pectore fecerit Spiritus, quem die B noctuque universa Deo placentium tibi exoptant et imprecantur vota.

EXPLICIT [1750] PROLOGUS.

Codd. D. E. 4—11.
[INCIPIT [1751] LIBER QUINTUS].

Cod. C.
INCIPIT LIBER TERCIUS.

Anno dominicæ incarnationis 1106.

An. 1105, *Dec.* 25.) Mediante [1752] Heinrico juniore tantus apud Mogontiam factus est in natali Dominico tocius regni Teutonici [1753] conventus, quantus per multa annorum curricula nusquam est visus. Referunt enim qui aderant, 52 optimates ibi tunc vel eo amplius affuisse [1754], adeo ut solus dux Saxoniæ, Magnus nomine, quem jam gravior ætas impediebat, notaretur defuisse. Ibi supervenientes apostolicæ sedis legati, episcopus scilicet Albanus cum Constantiensi, sententiam anathematis in Heinricum seniorem dictum imperatorem a tot sibi succedentibus apostolicis sepius sepiusque promulgatam scriptis simul et dictis testificantes, universam multitudinem, immo totam toto orbe diffusam æcclesiam ab ejus communione, Christi et beati Petri auctoritate, multis jam annis sequestratam confirmabant. Qua de causa dum ipse se Mogontiam de castello quo manebat exhibere temptaret, principes propter cavendum tumultum vulgi, suæ potius quam filii D parti favere solentis, ipsi Ingilenheim [1755] occurrunt; tandemque generali illum circumvenientes consilio, usque ad reatus confessionem satisfactionisque professionem perducunt. Cui cum legati communionem seu penitentiæ modum absque generalis synodi et apostolicæ discussionis censura reddere ad presens

Mediante Heinrico juniore tantus apud Mogontiam factus est in natali Dominico totius regni Teutonici conventus, quantus per multa annorum curricula C nusquam est visus. Referunt enim qui aderant, 52 optimates ibi tunc vel eo amplius affuisse, adeo ut solus dux Saxoniæ, Magnus nomine, quem jam gravior ætas impediebat, notaretur defuisse. Ibi supervenientes apostolicæ sedis legati, episcopus scilicet Albanus cum Constantiensi, sententiam apostolici pastoris, quæ domnum imperatorem de multis transgressionibus incusabat, scriptis simul et dictis in medium proferebant. Qua de causa dum ipse se Mogontiam de castello quo manebat exhibere temptaret, principes propter cavendum tumultum vulgi, suæ potius parti quam filii favere solentis, ipsi Ingilenheim occurrunt, tandemque generali illum circumvenientes consilio, usque ad satisfactionis professionem perducunt. Cui cum legati absolutionem D seu pœnitentiæ modum absque generalis synodi discussione et apostolicæ sedis censura se reddere non posse perhiberent, ipse partis utriusque consiliis annuens, regalia vel imperialia insignia, crucem scilicet et lanceam, sceptrum, globum atque coronam, filii potestati tradidit, prospera illi imprecans, illum primatibus multo fletu commendans, et extunc

VARIÆ LECTIONES.

[1747] *Hæc præfatio ex* D. E. [1748] E. *codd.* E1. 2. [1749] caribis D1. [1750] E. p. *desunt* D1. [1751] *ita* E1. [1752] *Codd.* 4—11. *usque* impetrant exhiberi *cum* 1. *supra edito conveniunt.* [1753] theutonici D1. 10. 11. theotonici 9c *et ita sæpius* [1754] fuisse D1. [1755] ingileheim E2.

non possent, ipse partis utriusque consiliis annuens, regalia vel imperialia insignia, crucem scilicet et lanceam, sceptrum, globum atque coronam, filii potestati tradidit, prospera illi imprecans, illum primatibus multo fletu commendans, et extunc juxta summi sacerdotis tociusque æcclesiæ decreta suæ consulturum animæ promisit.

A juxta summi sacerdotis totiusque æcclesiæ decreta suæ consulturum animæ promisit.

Hoc ordine Heinricus illius nominis quintus, primum a patre, deinde ab [1755] universis Germaniæ principibus in regem jam secundo electus (*Jan.*), ab apostolicis quoque legatis per manus impositionem catholice confirmatus, acceptis tam ab episcopis quam laicis juxta morem patriæ sacramentis, regnare cepit 82° loco ab Augusto, 50° regni patris sui anno, ab Urbe condita 1858° anno, ab origine mundi 5058°, Dominicæ vero incarnationis, ut dictum est, 1106° anno.

Hoc ordine Heinricus illius nominis quintus, primum a patre, deinde ab universis Germaniæ principibus in regem jam secundo electus (*Jan.*), ab apostolicis quoque legatis per manus impositionem catholice confirmatus, acceptis tam ab episcopis quam laicis juxta morem patriæ sacramentis, regnare cepit 88° loco ab Augusto, 50° regni patris sui anno, ab Urbe condita 1857°, ab origine mundi 5033° Dominicæ vero incarnationis, ut dictum est, 1106 anno.

Relatis igitur coram rege cunctisque tocius Germaniæ optimatibus et presulibus omnique clero simul et populo legationibus Romanæ sedis super æclesiarum regni istius commaculatione diversa et inveterata, et econtra emendatione ab universis unanimiter promissa, placuit tam regi quam primoribus, ad sanctam matrem Romanam æcclesiam tantos ac tales a partibus istis legatos transmitti, qui et de objectis rite rationem reddere et de incertis sagaciter investigare ac per omnia utilitatibus æclesiasticis sapienter consulere sint idonei. Separantur in hoc opus viri spiritu sapientiæ pleni, dignitatibus, natalibus et elegantia seu divitiis preclari nullaque secundum Deum sive seculum veneratione indigni, a Lotharingia [1757] Bruno Trevirensis [1758], a Saxonia Heinricus Magdeburgensis [1759] archiepiscopi, ab orientali Francia Otto Babenbergensis, a Bajoaria Eberhardus Eistatensis, uterque designatus pontifex, ab Alemannia Gebehardus Constantiensis, aliique nonnulli presules, plerique etiam nobiles de latere regis laicæ professionis ; idque precipuum inter cætera suscipiunt mandati, ut, si fieri possit, per illos impetrata domni apostolici Cisalpinis partibus exhibeatur presentia.

B

C

Relatis igitur coram rege cunctisque totius Germaniæ optimatibus et presulibus omnique clero simul et populo legationibus Romanæ sedis super æclesiarum regni istius commaculatione diversa et inveterata et econtra emendatione ab universis unanimiter promissa, placuit tam regi quam primoribus, ad sanctam matrem Romanam æcclesiam tantos ac tales a partibus istis legatos transmitti, qui et de objectis rite rationem reddere et de incertis sagaciter investigare ac per omnia utilitatibus æclesiasticis sapienter consulere sint idonei. Separantur in hoc opus viri spiritu sapientiæ pleni, dignitatibus, natalibus et elegantia seu divitiis preclari, nullaque secundum Deum sive seculum veneratione indigni, a Lotharingia Bruno Trevirensis, a Saxonia Heinricus Magadeburgensis archiepiscopi, ab orientali Francia Otto Babenbergensis a Bajoaria Eberhardus Eistatensis, uterque designatus pontifex, ab Alemannia Gebehardus Constantiensis, aliique nonnulli presules, plerique etiam nobiles de latere regis laicæ professionis ; idque precipuum inter cætera suscipiunt mandata, ut, si fieri posset, per illos impetrata domni apostolici Cisalpinis partibus exhibeatur presentia.

Sic nimirum, sic per tot jam annos obnubilata lux oriri cœpit nostris in partibus [1760] orthodoxa ; depublicatur et ventilatur, dijudicatur [1761] et convincitur, fœtet et respuitur, condempnatur et anathematizatur heresis Wigbertina vel Heinriciana [1762], abdicatis sive fugatis hereticis [1763], Catholici kathedris pontificalibus destinantur, e quibus etiam aliqui inter ipsa festa consecrantur. Denique in tantum divinæ legis subito zelus efferbuit, ut etiam ipsa cadavera pseudoepiscoporum ab æcclesiis eliminarentur, quotquot autem ab ipsis erant ordinati, usque ad generalem audientiam ab officiis suspenderentur. Jam enim exaltatis sibi divinitus æcclesia Romana cornibus, ad incutiendum timorem cunctis [1764] usquequaque scismatum membris, etiam capitis ipsius ossa, Wigberti [1765] scilicet dicti papæ, de sepulchro suo, quod per sex [1766] jam annos in æclesia Ravennensi pos-

D

Sic nimirum, sic per viscera misericordiæ Dei nostri, tanto nobis oriente lucifero, per tot jam annos nubilata lux splendescere cœpit æclesiastica, et, ut breviter plurima concludam, capessente rem publicam ac Romanam defensante kathedram Heinrico, speciali totius orbis flori, universa circumquaque eliminantur ad purum scismatum scandala, scissaque Christi resarcitur tunica, electis bonis in æclesiæ vasa mali projiciuntur pisces de Petri sagena.

VARIÆ LECTIONES.

[1756] ab universis ger. *desunt* E2. (*in* E1. *linea plus quam dimidia erasa, facile negligi potuerunt.*) [1757] lutharingia E2. [1758] trevirensis *corr.* treverensis E2. [1759] magadeb. E1. [1760] i. p. n. 7. 9. [1761] dejudicatur 10. 11. [1762] neinriciana 4. [1763] heresis 5. 6. 10. heresibus 11. *e. corr.* 7. [1764] *deest* 4. [1765] wicberti 4. wigperti 7. *sæpius.* [1766] V. 10. 11.

sederat, projici fecerat, universaque [1767] ejus instituta, ut vere non [1768] apostolici sacerdotis, sed ut [1769] apostatici invasoris, annullari decreverat

Inter hæc Werinherus [1770], quidam ex ordine ministerialium regis, qui marchæ [1771] quæ in partibus [est [1772]] Aquinæ preerat, quasi heresim eandem resuscitaturus, collectis undecumque per Italiam copiis, corruptis quoque multa pecunia Romanis [1773] nonnullis, dum domnus apostolicus Beneventanis immoratur finibus, quendam pseudoabbatem de Farfara, proh nefas ! kathedræ sancti Petri imposuit, et ipsum papam cæsaris sub vocabulo Silvestri appellari voluit. Qui tamen post paululum turpiter, ut merebatur, a [1774] Catholicis eliminatus [1775], vesaniæ suæ premium male conquisiti pejusque dispersi æris [1776] retulit dampnum, preter fidei, quod miser cæco non doluit corde, dispendium.

Porro proceres [1777] jam dicti dum e suis singuli A partibus in valle [1778] Tridentina convenientes, apud ejusdem nominis civitatem, id est [1779] Tridentum, pernoctarent (*Febr.*), quidam Adelbertus adolescens, partium tamen [1780] illarum quodam insignis comitatu, summo mane super ipsos, utpote inermes et peregrinos, cum [1781] civibus armatis [1782] irruit, spoliat, capit, custodiæ tradit [1783], idque sibi per legationes domini sui, Heinrici [1784] [scilicet [1785]] eximperatoris [1786], demandatum comprobat. Artibus quippe solitis idem Heinricus usus clam [1787] [clanculis jam et q. c. ac n. E.] querelosis epistolis et [1788] nunciis quascumque poterat [1789] regni civitates et provincias impleverat, quibus se vim a principibus passum, immo ab unico filio depulsum imperio deplorabat, regnum [1790] in suis miseriis confusum [1791], cunctis usquequaque patribus [1792] ejusdem fortunæ [1793] timendum fore premonebat exemplum. Qua de causa nullus jam per Italiam liber transitus eisdem patuit [1794] legatis. Gebehardus [1795] tantum [1796] Constantiensis episcopus cum suis per occultiores Alpium semitas ingressus, Mahthildis [1797] comitissæ, alterius [1798] nimirum Debboræ (303), presidiis, apostolicis presentatur vestigiis. Reliqui, ut diximus, magnates, ut nimirum a stultissimo captivatore deprehensi, tractantur indigne, preter Ottonem Babenbergensem episcopum, cui idem Adelbertus, eo quod suus esset miles, parcere cogebatur [1799]. Quo etiam mediante, Bruno Treverensis episcopus et Wigbertus [1800] comes eo pacto dimittuntur, quatinus eximperatorem [1801] cum illo pacem facturi conveniant, et quid [1802] de reliquis ipse precipiat relaturi redeant. At Jesus, qui semper prope est [1803] se invocantibus et his juxta [1804] qui tribulato sunt corde, repente super eosdem sibi rebelles Welefonem [1805] ducem Noricum quasi gladium de vagina

Porro proceres jam dicti dum e suis singuli partibus in valle Tridentina convenientes apud ejusdem nominis civitatem, id est Tridentum, pernoctarent (*Febr.*), quidam Adelbertus adolescens, partium tamen illarum quodam insignis comitatu, summo mane super ipsos, utpote inermes et peregrinos, cum civibus armatis irruit, spoliat, capit, custodiæ tradit, idque sibi per legationes domini sui imperatoris demandatum comprobat. At Jesus, qui semper prope est se invocantibus et his juxta qui tribulato sunt corde, repente super eosdem stultissimos tantorum magnatum captivatores Welfonem ducem Noricum quasi gladium limatum de vagina sua eduxit ; qui tercia superveniens die manu valida, clusas obstructas effregit, Gebehardum, virum per omnia B laudabilem, constitutum a rege nostro Heinrico Tridentinæ æcclesiæ presulem, quem nunquam se suscepturos cives illi conspiraverant, recipi coegit, ipsum quoque Adelbertum suique sceleris complices adeo perterruit, ut eductos quos clauserant principes ipsumque castellum novo episcopo redderent, ipsi insuper nudipedes ab his quos afflixerant veniam postularent. Tunc etiam a prima ebdomada quadragesimæ, qua et mediante hæc passi sumus, cometem immensi fulgoris per duas septimanas conspeximus. Revertentes quoque, tam pauperes quam divites, non sine proprio singuli dampno, regem nostrum Heinricum quiddam infortunii perpessum a rebellantibus sibi nonnullis per Alsaciam C seditiosis, fama sinistra percepimus ; in Lotharingia quoque Heinricum ducem et episcopum Leodiensem Otbertum [1806] contra regem se armare, Coloniamque, Juliacum atque Bunnam, quæ et Verona, cæteraque cis ac citra Rhenum oppida ad resistendum se preparare.

VARIÆ LECTIONES.

[1767] f. ejusque 7. [1768] jam non 5. [1769] *deest* 10. 11. [1770] werenherus 6. 9c. wernherus 4. 5. 7. 10. 11. [1771] marchie 9c. [1772] *ita* E, *deest rell.* [1773] n. r. E. [1774] *deest* 10. 11. [1775] elimanatus 10. [1776] eritis 4. [1777] jam p. d. 4. [1778] trid. in v. 4. [1779] id est i. tridentium 4. [1780] *in* 10. *erasum est, deest* 11. [1781] et 6. 9c. [1782] i. a. 4. [1783] tradidit 7. [1784] II. *codd. sæpius*, N. *nonnunquam* 6. [1785] *ita* E. [1786] imperatoris 4. ex *erasum* E2. [1787] nam 6. 7. 9c. [1788] *deest* 10. 11. [1789] *deest* 7. 9c. [1790] in suis r. 4. [1791] et fusum 6. effusum 7c. [1792] partibus 6. [1793] *deest* 4. [1794] l. p. 7. [1795] gobehardus 9c. [1796] tamen 4. [1797] mathildis D1. 4. mathilde E. machthildis 5. mehtildis 6. mechtildis 7. methildis 9c. [1798] alteri E1. 2. [1799] videbatur 7. [1800] wibertus D1. wicpertus 4. 7. wigpertus 9c. [1801] eximperatorem *deleta syllaba* ex 4. imperatorem E2. et imperatorem 10. 11. [1802] quod 6. 7. 9c. [1803] se omnibus i. 6. 7. 9c. 10. 11. omnibus i. 5. [1804] *dcest* 4. [1805] welfonem 4—11. [1806] O. *cod.*

NOTÆ.

(303) Cf. Vita S. Hugonis Gratianopol. Acta SS. April. I, p. 39 : *Sed et comitissa Mathildis, habitus quidem feminei sed animi per cuncta virilis, quæ rerum humanarum tumultus atque pericula instar prophetissæ Deboræ prudenter sedare et fortiter noverat tolerare.*

sua eduxit ; qui tercia superveniens die [1807] manu valida, clusas [1808] obstructas effregit. Gebehardum, virum probatum, Tridentinæ æcclesiæ constitutum a rege catholico novum episcopum, quem nunquam se suscepturos cives ipsi conspiraverant, recipi coegit, ipsum quoque Adelbertum suique sceleris complices adeo perterruit, ut eductos quos clauserant principes ipsumque castellum novo episcopo redderent, ipsi insuper nudipedes ab his quos afflixerant veniam postularent. Tunc etiam a prima ebdomada quadragesimæ, qua et mediante hæc passi sumus, cometam immensi fulgoris [1809] usque ad passionem Domini conspeximus (*Febr.*; *Mart.*). Revertentes [1810] quoque, tam pauperes quam divites, non sine proprio singuli dampno, regem nostrum Heinricum quiddam infortunii [1811] perpessum a rebellantibus sibi nonnullis per Alsatiam seditiosis [1812], fama sinistra [1813] percepimus, patrem vero regis non modica sibimet auxilia contra filium attraxisse, hoc est episcopum Leodiensem, Heinricum ducem Lothariensium [1814], Coloniam, Juliacum, Bunnam, quæ et Verona, cæteraque partis illius oppida ; hæcque nonnichil titubationis religioni minabantur catholicæ.

Cæterum [1815] rex Heinricus divina roboratus confidentia, nec minus magnanimitate animatus innata, dum quasi partes inimicas humiliaturus, Leodium, paschalem inibi curiam habiturus [1816], convertitur [1817], post festum palmarum Coloniæ cedentibus hostibus satis jocunde celebratum [1818] (*Mart.* 18), moto comitatu, rursum fortunæ sinistrorsum sibi rotam volvere sentit, dum nimirum [1819] [res [1820]] inconsultius [1821] agitur. Nam cognita patris machinatione, qui utique se, ut vir bellator ab adolescentia sua [1822], satis argumentose per conductas ad civitatem, qua curiam indictam prescripsimus, copias resistere parabat, ipse juvenili nichilominus animositate succensus, illo, parva licet manu cinctus, ut cœperat ire, contendit. Qua de re premissis 300 viris, qui pontem super Masam [1823] fluvium loco qui Wegesaz [1824] (304) dicitur constructum observarent — nam omnes ejusdem fluminis transitus jam hostes interruperant —, dum rex in palatio Aquisgrani cœnam Domini celebrat (*Mart.* 22), dux [1825] Heinricus cum exercitu cæsariano regios ad pontem invadit milites, naviterque resistentes arte quadam equitandi, qua gens illa plus cæteris [1826] utitur, in latiora [1827] deductos, multitudine legionum cingit, opprimit, sterifit [1828] atque capit ; nonnullos etiam cedentes fluvius voravit. Videres fortissimos Machabeos in bello [1829] catholicæ pacis, post stragem plurimam apostaticæ genti illatam, fide magna et læticia suas animas Christo pro se passo commendantes ac hujusmodi pro transitu priorum delictorum veniam in eadem indulgentiæ die se consecutos invicem consolantes. His fortunæ fallaciis, immo summi dispositione judicis, mens hereticorum tumescere, nec tamen orthodoxorum [1830] spes decrescere cœpit. Rex enim [1831] inter ipsa paschalia festa (*Mart.* 25), quæ tunc pro eventu rei [1832] Bunnæ [1833] celebrabat [1834], Heinricum ducem, judicio optimatum reum

A Cæterum rex Heinricus divina roboratus confidentia, dum quasi partes inimicas humiliaturus Leodium, habiturus inibi paschalem curiam, convertitur, post festum palmarum Coloniæ cedentibus hostibus satis jocunde celebratum (*Mart.* 18), moto comitatu, rursum fortunæ rotam sinistrorsum sibi volvi persentit, dum nimirum inconsultius res agitur, dum ipse juvenili succensus animositate, parva licet manu, curiam condictam hostibus invitis adire conatur. Premissis itaque trecentis viris, qui pontem super Mosam fluvium loco qui dicitur Wegesaz constructum observarent — nam omnes ejusdem fluminis transitus hostes interruperant —, dum rex in palatio Aquisgrani cenam Domini celebrat (*Mart.* 22), dux Heinricus cum exercitu regios B ad pontem invadit milites, naviterque resistentes arte quadam equitandi, qua gens illa plus cæteris utitur, in latiora deductos ampliori multitudine cingit, opprimit, sternit atque capit ; nonullos etiam cadentes fluvius voravit. Videres fortissimos Machabeos in bello catholicæ pacis, post stragem plurimam apostaticæ genti illatam, fide magna et læticia suas animas Christo pro se passo commendantes, ac hujusmodi pro transitu priorum delictorum veniam in eadem indulgentiæ die se consecutos invicem consolantes. His fortunæ fallaciis, immo summi dispositione judicis, mens scismaticorum tumescere, nec tamen orthodoxorum spes decrescere cepit. Rex enim inter ipsa paschalia festa (*Mart.* 25), quæ tunc pro eventu rei Bunnæ celeC brabat, Heinricum ducem, judicio optimatum reum majestatis et hostem rei publicæ, ducatu privat, ac generalem expeditionem contra Lotharingiam, accepto a principibus sacramento, per totum regnum indicit et preparat.

VARIÆ LECTIONES.

[1807] de 9c. [1808] clausas 10. 11. [1809] *bis scriptum* E1. 2. immenso fulgore 5. [1810] convertentes 9c. conneuentes *corr.* connitientes 7. [1811] fortunii 10. [1812] seditionis 4. 5. 7. 10. 11. [1813] famam sinistram 7. [1814] lotharingiensem 7. lothoriensem 9c. [1815] Sed 4. [1816] habitaturus 4. 10. [1817] convertimur E2. [1818] celebraturum 4. 5. 6. 7. 9c. 10. [1819] *deest* 6. 7. 9c. [1820] *ita* E. (*et* C.) [1821] inconsultus 6. 9c. [1822] *deest* 6. 7. 9c. 10. 11. [1823] misam 9c. [1824] uuegezaz 6. 7. 9c. wegesaza 4. [1825] dux H. 4. 6. 9c. 10. 11. [1826] c. p. 4. [1827] altiora 10. 11. [1828] st. o. 6. 7. 9c. [1829] bellico E2. [1830] orthodorum D1. [1831] autem 10. 11. [1832] regi 4. 10. [1833] bunno 10. 11. [1834] celebrat 9c.

NOTÆ.

(304) Viset sive Weset.

majestatis et hostem rei [1835] publicæ, ducatu privat, ac generalem expeditionem contra Lotharingiam, accepto a principibus sacramento, per totum regnum indicit et preparat. Quo dehinc superioribus se partibus [1836] conferente, pater se Coloniensibus reddit, et [1837] episcopo pulso [1838], civitatem ipsam vallis et propugnaculis omnique repugnandi [1839] genere permagnifice munivit; ipseque cum fidelissimis suis Leodio se contulit [m.; deinde Leodium se c. *E.*].

Igitur mense Junio (305) jam fere mediante, rex A Heinricus cum exercitu [1840] copioso, id est 20 milibus, Coloniam Agrippinam obsedit; sed cum esset, ut dictum est, multum per omnem modum munita [1841], 3 aut 4 inibi [1842] ebdomadas casso pene labore consumpsit, excepto quod, ut fieri solet, juventus, utpote moræ [1843] impatiens, nonnunquam pro muris concurrens, ludo crudeli fugat alterutrum [1844] vel sternit. Ibi etiam Dietericus [1845] comes, regi fidelissimus, infirmitate pressus, communi fine migravit, vir utique nobilissima Saxonum stirpe progenitus, et tam omnigenæ religioni quam catholicæ defensioni non mediocriter deditus, litteris etiam aliquantum instructus.

Mense dehinc Junio fere mediante cum viginti milibus pugnatorum Coloniam Agrippinam obsedit; sed cum esset jam vallis et propugnaculis ac militibus copiosis omnique repugnandi genere permagnifice munita, tres aut quatuor ebdomadas ibidem casso pene labore consumpsit, excepto quod, ut fieri solet, juventus, utpote moræ impatiens, nonnunquam pro muris concurrens, ludo crudeli fugat alterutrum vel sternit. Ibi etiam Dietericus comes, regi fidelissimus, infirmitate pressus, communi fine migravit, vir utique nobilissima Saxonum stirpe progenitus, et tam omnigenæ religioni quam catholicæ defensioni non mediocriter deditus, literis etiam non minime instructus.

Interea regi Heinrico patris legati de Leodio missi presentantur, litteras tam sibi quam principibus regni deferentes, quarum exemplar hic inseri [1846] non absurdum duximus, ob comprobandam [1847] scilicet ejusdem viri multimodam tergiversationem, qua se toto vitæ suæ tempore cunctis sibi resistentibus ficta subjectione eatenus fecisset superiorem:

Heinricus, Dei gratia Romanorum imperator augustus, episcopis, ducibus, marchionibus, comitibus, cæterisque regni principibus gratiam et dilectionem, dignantibus eam recipere. Conquerimur Deo omnipotenti, et dominæ sanctæ Mariæ, et beato Petro principi apostolorum patrono nostro, et vobis principibus omnibus, quod injuste et inhumane et crudeliter, confisi in illa fide de [1848] *qua dubitare non debueramus, tractati sumus, et tam honore regni quam prediis et omnibus quæ habebamus contra divinum et humanum jus ad infamiam et improperium regni ita exspoliati sumus, ut nichil* [1849] *penitus preter solam vitam nobis relictum sit. Ubi cum ferme omnes essetis, magna pars vestri visa est dolere et tristari; sed proh dolor! nichil nobis vestra contulit tristicia, quin de nobis sibi satisfaceret voluntas inimicorum nostrorum odiosa. Et quia, cum consilio et rogatu filii nostri fide et securitate vitæ et honoris nostri* [1850] *ab eo primum acceptæ, fiducialiter et desideranter Mogontiam in presentiam legati Romani et principum tenderemus, ut eorum dispositione ageremus tam de statu æcclesiæ et honore regni, quam de salute animæ nostræ, ipse non est veritus in hac voluntate et obedientia nos contra datam fidem capere et usque ad articulum mortis ferme ducere* [1851]*: non ausi sumus ita nos illi credere, ut injuriis et contumeliis nos pro voluntate sua, sicut prius, valeat tractare. Quapropter multum rogamus vos et obnixe precamur, ut pro timore Dei et honore regni et honestate vestra dignemini studere, quomodo de injuria in manibus vestris nobis illata per vos possimus recuperare justiciam. Nos quoque pro consilio vestro et aliorum qui nos odio non habent religiosorumque* [1852] *virorum parati sumus, tam filio nostro, si in aliquo eum offendimus, quam alicui in regno libenter emendare. Preterea, sicut domno papæ in presentia legati sui et vestra obedire parati fuimus, ita et nunc parati sumus, ei omnem debitam reverentiam et obedientiam sincero corde et devotione presentialiter exhibere, et tam consilio vestro quam spiritalis patris* [1853] *nostri Hugonis Cloniacensis* [1854] *abbatis aliorumque* [1855] *religiosorum virorum, de statu æcclesiæ et honore regni, quantum in nobis est, disponere. Cum igitur ad hæc omnia parati simus* [1856]*, rogamus vos* [1857] *et* [1858] *obnixe precamur, quatinus pro Deo et honore regni et vestro instanter moneatis filium nostrum, cum secundum prefatam sententiam nulla ei* [1859] *adversum nos residua*

VARIÆ LECTIONES.

[1835] regi 10. [1836] p. se 7. 9c. [1837] ut 4. [1838] depulso 6. [1839] g r. 4. [1840] e. suo c. 4. 10. 11. [1841] *deest* 4. 5. 6. 10. 11. [1842] e. i. 4. [1843] *deest* 4. [1844] alterum 5. *corr.* alterutrum 7. [1845] dietricus 4. 9c. tietdericus 7. [1846] inferri 4. [1847] probandam 10. 11. [1848] in 10. 11. [1849] nil 4. *sæpius.* [1850] *deest* 10. 11. [1851] deducere E2. [1852] religiorumque E1. 2. religiosorum 4-11. [1853] n. p. D1. [1854] cluniacensis 10. 11. [1855] aliorum 10. ac aliorum 11. [1856] sumus 7. 9c. [1857] *deest* 7. [1858] et o. v. *desunt* 4. [1859] nulla a. n. r. ei sit 4.

NOTÆ

(305) Ann. Hildesh. h. a.: *post festivitatem Petri et Pauli* (d. 29. Junii).

sit occasio, amodo desistat nos et fideles nostros persequi, et quiete et pacifice vivere permittat, ut supradicta [1860] *integre cum tranquillitate perficiantur. Quod si noluerit, rogamus vos per auctoritatem Romanæ æcclesiæ, cui nos committimus, et honorem* [1861] *regni, ne super nos et super fideles nostros veniatis; quia manifestum est eum non* [1862] *divinæ legis zelo vel Romanæ æcclesiæ dilectione, sed concupiscentia regni, patre injuste eo privato, hoc incepisse. Apud quem si interpellatio vestra nullaque alia interventio ad presens prodesse poterit, appellamus Romanum pontificem et sanctam universalem Romanam sedem et æcclesiam.*

Post lectas coram multitudine tam has quam alias litteras, parum verbis, nichil autem sensu vel intentione prioribus dissonantes, filii tamen personæ specialiter directas (306), rex Heinricus ex optimatum consilio legationem vicariam patri destinavit, quam tamen prius publice predicari per Magdeburgensem [1863] archiepiscopum [1864] Heinricum fecit, hocque facto suorum animos secum valde roboravit. Erat autem hujusmodi :

Post inveteratam, id est per annos circiter 40, *discissionem imperii Romani, quæ* [1865] *tam divinas quam humanas jam pene leges abolevit* [1866], *et exceptis mortibus omnimodis, sacrilegiis, perjuriis, rapinis et incendiis, ipsum regnum nostrum non tantum* [1867] *in solitudinem sed etiam* [1868] *ad apostasiam catholicæ fidei sive in ipsum paganismum propemodum redegit, respiciente tandem suam æcclesiam divina clementia, nos ejusdem Christi sponsæ filii per Spiritum sanctum in unitatem fidei equanimes resipuimus* [1869], *ipsumque* [1870] *incorrigibile scismatum illorum caput, Heinricum* [1871] *scilicet dictum imperatorem nostrum, zelo Dei et apostolicæ fidei obedientia abdicavimus, catholicum nobis, licet ipsius de semine natum, regem elegimus* [1872]. *Cujus regni principium sui finem esse conspiciens, etiam ipse tamquam voluntarius, sed, ut jam ejus fatentur litteræ, nimis invitus, collaudavit, regalia reddidit, filii* [1873] *curam cum regno nostræ fidei lacrimando commisit, de reliquo nullam* [1874] *se regni pompam, sed animæ potius* [1875] *suæ medelam ulterius affectaturum* [1876] *spopondit. At nunc ecce pristinis se reddens tergiversationibus, prejudicium se passum per orbem terrarum conqueritur; Gallorum, Anglorum* [1877], *Danorum ceterarumque* [1878] *finitimarum gentium gladios cordibus nostris infigere meditatur, super illatis etiam injuriis recuperari sibi justiciam precatur, consiliis se* [1879] *quoque nostris amodo promptius* [1880] *obedire* [1881] *pollicetur, re autem vera solitis argumentis castra hæc Domini dispergere, Christi exercitum exarmare* [1882] *conatur, et, ut in propatulo est, vineam Domini, quæ jam sero* [1883] *florescere* [1884] *cæpit, tam per se singularem utique ferum denuo depascere, quam per vulpes, illos* [1885] *nimirum qui sibi adherent pestilentes homines, demoliri ac per sacrilegia sacerdotum Belial anathemati recidivo* [1886] *reddere, immo, quod dictu nefas est, Christum jam* [1887] *iterum in æcclesia sua resurgentem in omnium cordibus crucifigere meditatur. Quapropter placet tam regi quam universis regni principibus, immo cuncto exercitui orthodoxo, quo senior idem, ne ulla sibi pateat adversum nos justa querela, quacumque elegerit securitate, quacumque maluerit statione, coram presenti senatu simul et populo causam suam agat, justiciam suscipiat, justiciam et reddat, quatinus ab ortu scismatis omnibus seditionum causis, acsi nil inde jam fuerit diffinitum, undique discussis, tam filio quam patri sua justicia respondeat, æcclesiæ vero regnique* [1888] *status, non ut ipse more suo proponit post longas inducias, sed impresentiarum* [1889], *his controversiis diremptis* [1890] *vacillare desinat.*

Quam legationem probatæ singularisque prudentiæ personæ, Albuinus [1891] videlicet ac Riwin [1892] presbiteri [1893], una cum quibusdam laicali sub habitu viris religiosis tam a rege quam universis principibus, immo toto exercitu susceptam, eximperatori [1894] sæpedicto, vix ejus presentiam fandique licentiam consecuti, cum retulissent, horribile [incredibile *E.*] memoratu est [1895] quam ingenti vitæ suæ periculo per dies [1896] sex, eo quod nullo modo eident [1897] conventui malignantium communicare voluerint, indigne tractarentur, tandemque ab irruente sibi in eadem qua [1898] manebant custodia [1899] vulgo liberati, absque omni ducatus presidio castris circa Colo-

VARIÆ LECTIONES.

[1860] supra 4. [1861] honore E1. 2. [1862] cum 10. [1863] magadeb. E2. [1864] episcopum 4? 7. [1865] qui D1. [1866] obolevit 10. [1867] tamen 4. [1868] *deest* 7. [1869] respuimus 4. 5. 7. 9c. 10. [1870] ipsum 10. 11. [1871] N. 4. *sæpius*. [1872] eligimus 7. 9. [1873] *deest* 6. 7. 9c. [1874] se nullam E1. 2. [1875] s. p. 4. [1876] *deest* 6. 7 (*qui in marg. addit* procuraturum), 9c. [1877] d. a. 4. [1878] aliarumque 4. [1879] *deest* 10. 11. [1880] promptu 6. 7. 9c. promptum 4. 5. 10. 11. [1881] o. se 10. 11. [1882] exarmare *usque* cepit per se *desunt* 4. [1883] *deest* 6. 7. 9c. [1884] floscere 5. 10. florere 7. [1885] illos n. q. s. a. p. *desunt* 6. 7. 9c. [1886] reciduo D. 4. 5. 6. 10. 11. *corr.* recidivo 7. [1887] iterum jam 4. [1888] regni 4. [1889] in provintiarum 10. [1890] direptis E2. [1891] Albuwinus *A. Saxo.* aln. D. 5. 6. 9c. abb. 7? 10. 11. albero 4. [1892] richuuin 5. richwin 10. 11. richwinus E1. 2. [1893] prespiteri D1. E1. [1894] eximperatore se predicto 4. [1895] *deest* 4. [1896] sex d 7. [1897] *deest* 4-11. [1898] quo 9c. [1899] custodiam 5.

NOTÆ.

(306) V. ex cod. Udalr. n. 214, ap. Eccardum II, p. 220 et apud Urstisium I, p. 398, ubi etiam prior legitur.

niam positis redderentur; id tamen precipuum inter senioris [1900] responsa referentes (307), quatinus ad presens ab [1901] armis discederetur et in futurum super hujusmodi simultatibus curiale [1902] colloquium [universaliter [1903]] indiceretur.

Auditur preterea quia [1904] Heinricus eximperator A [1905] et Heinricus exdux [1906] exercitum undecumque conflant, et adhuc vel semel temptare fortunam [1907] omnimodis parant. Quapropter universa militia regis, immo Christi, saltem ferro rebus finem facere deliberans, ne forte, quod certissimum erat, cæsarianis urbani contra semet [1908] auxilio forent, obsidionem solvunt, et contra Lotharingiam moti, munitiones [1909] ac cætera quæ rebellium erant interim diripiunt, premittentes ad Heinricum seniorem secundos nuncios, qui sibi deliberationem proponerent [1910], aut causa pacis pacto prescripto componendæ filio ad Aquasgrani [1911] propediem occurrere, aut imminens sibi [1912] bellum non dubitare. Quibus nimirum legatis custodiæ nichilominus traditis, ad resistendum omnimodis, occulte tamen, preparari B molitur; sed dimissos post aliquot [1913] dies missos eosdem inopinata, et qua nichil acceptabilius castris illis inferri posset, fama mortis ipsius Heinrici imperatoris subsequitur. Miserabile tamen dictu est, tanti nominis, tantæ dignitatis [nobilitatis *E.*] tantique animi virum sub [1914] professione Christiana mundum tanto tempore lucratum, nec ad instar cujuslibet pauperis defuncti pium vel compassivum luctum a quavis [1915] inter tot Christianos persona [1916] promeruisse, sed potius universorum tam ibidem quam ubivis vere Christianorum corda simul et ora infinito nimis tripudio sui obitus [1917] rumore replesse. Non altius [1918] concinebat Israel Domino Pharaone demerso, nec augustiori ipsi Octaviano sive ullo [1919] unquam augustorum applaudebat Roma triumpho! Frenum quippe, quod erat in maxillis populorum (*Isa.* xxx, 29), versum est illis in canticum sicut vox [1920] sanctificatæ sollempnitatis [1921]. Igitur quia cessante tandem exactore conquievit [1922] et tributum, mox [1923] omnes, qui questus [1924] dumtaxat gratia eidem [1925] principi [tenebrarum [1926]] eatenus [1927] adherendo suas animas venalitati proposuerant, deditioni regis simul et communioni catholicæ subjiciuntur. Leodiensis autem Otbertus [1928] cæterique [1929] coepiscopantes hac inter cætera recipiuntur in communionem pœnitentiæ conditione, quo cadaver ipsius excommunicati per se pridie in monasterio tumulatum effoderent, et absque ullo [1930] sepulturæ vel exequiarum communione in loco [1931] non consecrato deponerent, comprobantibus his qui aderant [1932] archiepiscopis et [1933] episcopis, quia quibus vivis æcclesia [1934] non communicat, illis etiam nec mortuis communicare possit [1935]. Quo facto, paulo post corpus ipsum Spirensi civitati [1936] est in sarcofago lapideo regis consensu delatum, sicque extra æcclesiam [æc. per aliquot annos ibidem permansit inhumatum *E.*] ibidem per quinquennium mansit inhumatum.

Tunc quoque temporis cum pater regis Leodio moraretur—nam Leodienses illi antiquo affectu fideliter adherebant, — crebra hinc crebra inde nuncia vel literæ discurrebant. Inter quæ dum nihil minus expectaretur, imperatoris egrotatio, postque brevem languorem obitus ejus in castris diffamatur. Referunt qui aderant, bona illum confessione nec sine magna fiducia finem vitæ fecisse, rebusque suis per omnia dispositis, nunciis quoque tam ad apostolicum pontificem quam ad filium regem destinatis, sumpto viatico, velut obdormiens expirasse. Annis 50 Romani imperii gubernacula tenens, Romanis nunc voluntariis pie consuluit, nunc ingratis et regnum Teutonicum humiliare nitentibus necessario restitit; vir strenuus et bellicosus, omni personæ, omni ætati, omnique rei sibi congrua impendere solitus, et vix quicquam ignorare passus. More patris sui clericos et maxime literatos adherere sibi voluit, hosque honorifice tractans, nunc psalmis nunc lectione vel collatione sive Scripturarum ac liberalium artium inquisitione secum familiarius occupavit. Pluribus etiam testibus approbare poterimus, quod nemo nostris temporibus natu, ingenio, fortitudine et audacia, statura quoque totaque corporis elegantia, fascibus aptior videretur imperialibus. Pre omnibus regni sui æcclesiis Spiram maxime coluit, eamque regio et mirifico opere et honore ampliavit, ibi etiam nunc juxta majores suos, presente filio suo cunctisque regni principibus honorifice humatus, requiescit.

Hic finis, hic interitus, hæcque [1937] sors ultima Heinrici, illo sub vocabulo quarti Romano-

VARIÆ LECTIONES.

[1900] seniores 6. [1901] *deest* 7? 10. 11. [1902] *deest* 6. 9c. [1903] *ita* E. [1904] *deest* 6. 7. 9c. [1905] imperator 4. [1906] dux 4. [1907] fortunæ 10. [1908] *deest* 4-11. [1909] munitionem 6. 7. 9c. [1910] preponerunt E2. [1911] aquisgrani 4. 9c. [1912] b. s. 9c. [1913] d. a. E1. 2. [1914] *deest* 6. 7. 9c. [1915] aquis 9c. *corr.* ab aliquibus 7. [1916] *corr.* personis 7. [1917] oblitus 5. 10. oblitos 11. [1918] *corr.* aliter 7. [1919] ulli 4. [1920] nox D1. *quod apud Isaiam legitur.* [1921] sollempniter E1. 2? [1922] quievit t. 5. acquievit 10. quievit 11. [1923] eorum D1. [1924] celestiis D1. [1925] e. g. 5. 7. 9c. [1926] *ita* E. [1927] adh. eat. 4. [1928] opertus 10. episcopus 11. O. a. L. 7. [1929] aliique 4. [1930] ulla 4. [1931] inlo 6. [1932] adherant E1. 2. [1933] a. et *desunt* 4. [1934] n. c. æccl. 7. [1935] posset 6. 7. 9c. [1936] urbi 4. [1937] hec 6. 7. 9c.

NOTÆ.

(307) V. epistolam ap. Urstisium I, p. 599.

rum imperatoris a suis appellati ; a Catholicis vero, id est cunctis beato Petro suisque successoribus fidem et obedientiam lege Christiana conservantibus, archipyrata simul et heresiarcha necnon et apostata persecutorque plus animarum quam corporum competenter dicebatur ; utpote qui nec naturalibus nec consuetudinariis contentus sceleribus, nova et a seculis inaudita ideoque nonnulla incredibilia excogitasse et exercuisse infamabatur. Quæ si quis, illorum arbitratu qui tam perperam quam recte [1938] ab imperatoribus gesta litteris digna judicant, scribere velit, nos loco cedimus, maxime [1939] cum aliqua ex his oblivioni potius quam memoria [1940] digna non dubitemus. Pluribus autem testibus comprobare poterimus quod nemo nostris [1941] temporibus, natu, ingenio, fortitudine et audacia, statura etiam totaque corporis elegantia [1942], videretur fascibus imperialibus ipso aptior, si tamen in conflictu vitiorum homo non degeneraret vel succumberet interior. Porro cum non pauci supersint, idemque in sublimitatibus constituti, quos operum [1943] ejusdem viri cooperatio redarguit, unum est quod, licet nimis timidi, suggerimus, quatinus ipsum condempnationis ejus exemplum sibimet in remedium vertant, nec honoris prave [1944] consecuti florem, sed semen adtendant, satiusque ducant malis plantariis eradicandis insudare quam fructum inde perpetuæ mortis in futurum carpere. Alioquin desipere nimis est, vulnus ferro plenum sanari credere, Deo simul et mammonæ deservire velle ; monstrique simile est, ex Pharisaicæ elationis fastigio, ipsoque, ut dicunt, mercede sacrilegiorum ascenso, apostolicæ humilitatis dignitatem usurpare, ab apostasiæ semine fructum hierarchiæ [1945] sperare. Hæc hactenus. Deo autem gratias, qui, licet tarde, tamen permagnifice, victoriam concessit æcclesiæ suæ ; cui etiam ejusdem Nabuchodonosor quinquagesimum exactionis annum idem Galileus, qui Julianum quondam vicerat, vertit in jubileum. Si quis vero tam zelotes est, cui quasi diem interitus Amam [1946] etiam Heinrici obitum per [1947] æcclesiæ posteritatem ignorari [1948] non [1949] libeat, 7 Idus Augusti hanc esse sciat, quo [1950] scilicet die primo matrem suam æcclesiam apud Unstruot (308) invadens [1951] innumeras animas ad inferos premisit, eademque die Martis [1952], qua etiam cuncta sua prælia [1953], paganico nimirum auspicio, perpetrare consuevit.

Post hæc ebdomada quarta [1954] mensis Octobris [1955] habitum est concilium (309) generale (*Oct.*) in provincia Longobardia [1956] super ripam Padi fluminis, loco qui Warstallis nuncupatur, ubi presidente vere per omnia apostolico viro Paschali II°, coram multitudine maxima [1957] clericorum necnon [1958] et [1959] laicorum, qui de diversorum regnorum æcclesiis convenerant [1960], presentibus etiam legatis domni Heinrici regis, multa sunt [1961], prout canonica dictabat equitas, de inimici zizaniis evulsa, multa de structuris super harenam positis destructa, plura quoque pistici seminis plantaria profundius plantata simul et rigata, nonnulla etiam tutissimæ munitionis per æcclesias propugnacula sunt edificata. Nam cum eadem Dominica, quæ erat 12. Kal. Novembr. Juvavensibus Chuonradum [1962], Tridentinis Gebehardum presules consecrasset, enarrare longum est, quam indefesse prudens et fidelis ille summi [1963] patrisfamilias dispensator conservos [1964] suos verbi Dei tritico lautissime cotidie reficeret, pseudoepiscopos [1965] deponeret [1966], catholicos constitueret, archi-

A Post hæc ebdomada quarta mensis Octobris actum est concilium generale (*Oct.*) in provincia Longobardia super ripam Padi fluminis, loco qui Warstallis dicitur, ubi presidente vere apostolico viro Paschali secundo, coram multitudine maxima tam laicorum quam clericorum, qui diversoram regnorum vel æcclesiarum legationibus fungebantur, presentibus etiam legatis domini regis, multa sunt, prout canonica dictabat æquitas, de inimici zizaniis evulsa, pluraque pistici seminis plantaria profundius inserta ; structuræ super arenam positæ destruuntur, tutissimæ munitionis propugnacula per æcclesias ædificantur. Nam cum in eadem Dominica, quæ erat 12. Kal. Novembr., quosdam presules per se ipsum consecrasset, enarrare longum est, quam B indefesse prudens et fidelis ille summi patrisfamilias dispensator conservos suos verbi Dei tritico lautissime cotidie reficeret, pseudoepiscopos deponeret, catholicos constitueret, archiepiscopis pallia, monasteriis privilegia concesserit, presentes ovium Christi pastores meliifluis alloquiis, absentes pater-

VARIÆ LECTIONES.

[1938] *deest* 4. [1939] maxima 5. *corr.* maxime D1. [1940] memoriæ E1. 2. [1941] nostris nemo 4. [1942] e. c. 4—11. [1943] ope 7. [1944] pravi 4. [1945] iherarchiæ D1. E. 2. ierarchiæ 10. tetrarchiæ 6. 7. 9c, [1946] an6. 7. 9c. [1947] et 4—11. [1948] ignori 10. [1949] non i. liceat 4. [1950] quod 6. [1951] innumeras invadens 4. [1952] marcius 6. 9c. [1953] p. sua 5. [1954] ebdomade quarte 6c. [1955] menses octo 6. 9c. *corr.* mense 7. quarta h. e. c. mensis oct. in 4. [1956] lang. 7. [1957] *deest* 4. [1958] *deest* 4. [1959] *deest* 5. 6. 7. 9c. 10 ! 11. [1960] convenerat E1. 2. [1961] *deest* 6. 7. 9c. [1962] conradum 7. [1963] *deest* E1. 2. [1964] et servos 4. [1965] pseudos ep. 5. [1966] *deest* 6. 7. 9c.

NOTÆ.

(308) Hæc pugna a. 1075, d. 9 Junii, sed alia ad Strowi fluvium d. 7 August. a. 1078 commissa est.

(309) V. Acta ex Cencii cod. Vatic, aliisque ap. Mansi XX, p. 1209. Cf. etiam Transl. S. Modoaldi (Act. SS. Mai. III, p. 67), alii hujus collectionis voluminі inserendam.

episcopis pallia, monasteriis privilegia concesserit, presentes ovium Christi pastores mellifluis alloquiis, absentes paternis commonitoriorum [1967] litteris instruxerit, quædam olim abscisa membra æcclesiæ iterum incorporaverit, quædam etiam quæ insanabilia videbantur anathematis abscisione truncaverit. Super ordinationibus autem temporibus [1968] scismatis factis, unde permaximæ ventilabantur questiones, decretum discretione maternorum viscerum artificiose medicatum in hæc verba promulgavit

A nis commonitoriorum litteris instruxerit, quedam olim abscisa membra æcclesiæ iterum incorporaverit, quædam etiam quæ insanabilia videbantur anathematis abscisione truncaverit; super ordinationibus autem temporibus scismatis factis unde permaximæ ventilabantur questiones, decretum discretione maternorum viscerum artificiose medicatum promulgavit :

Per multos jam annos regni Teutonici latitudo ab apostolicæ sedis unitate divisa est. In quo nimirum scismate tantum periculum factum est, ut, quod cum dolore dicimus, vix pauci sacerdotes aut clerici catholici in tanta terrarum latitudine reperiantur. Tot igitur filiis in hac strage jacentibus, Christianæ pacis necessitas exigit [1969] ut super hos materna æcclesiæ viscera aperiantur. Patrum [1970] itaque nostrorum [1971] exemplis et scriptis [1972] instructi, qui diversis temporibus Novatianos [1973], Donatistas et alios hereticos in suis ordinibus susceperunt, prefati regni episcopos in [1974] scismate ordinatos, nisi aut invasores aut Symoniaci aut criminosi sint [1975] probati, in officio episcopali suscipimus. Id ipsum de clericis cujuscumque ordinis constituimus, quos vita scientiaque commendat.

His et hujusmodi super æcclesiam divini luminis B orientis auroræ jocundati [1976] splendoribus, quia nimirum tandem venerat tempus miserendi ejus, pariterque apostolicis macti [1977] benedictionibus, ad sua quique converteretur; nos vero, id est Alpium [1978] transcensores, speciali quodam pre cunctis efferebamur [1979] tripudio, eo quod certi essemus, domni apostolici profectionem [1980] sic fuisse dispositam [1981], quatinus iter nostrum quam mature subsequens, natalem Domini Mogontiæ celebraturus esset, presente cum universis regni principibus novo rege nostro.

His et hujusmodi super æcclesiam divini luminis orientis auroræ jocundati splendoribus, quia nimirum tandem venerat tempus miserendi ejus, pariterque apostolicis macti benedictionibus, ad sua quique converteretur; nos vero, id est Alpium transcensores, speciali quodam pre cunctis efferebamur tripudio, eo quod certi essemus, domni apostolici profectionem sic fuisse dispositam, quatinus iter nostrum quam mature subsequens, natalem Domini Mogontiæ celebraturus esset, presente cum universis regni principibus novo rege nostro Heinrico.

Hoc anno dux Saxoniæ Magnus obiit, pro quo Lotharius [1982] surrexit. Item Uto [1983] marchio de Saxonia obiit (*Aug.* 23). Ruotpertus [1984] Wirciburgensis episcopus dum tendit ad concilium, in eundo defungitur. Quo decedente [1985], domnus Erlungus [1986] tam a clero quam a populo Wirciburgensium ut verus pastor, sibimet dudum injuste ablatus, sed justo Dei judicio rursum oblatus, summopere postulatur [Erlungus pridem depulsus, summopere tam a clero quam a populo Wirciburgensium postulatur *E.*], concessusque tam a rege quam a papa, per legatos Romanæ sedis magna exspectatione et incredibili totius civitatis ac multorum populorum tripudio susceptus, nimis honorifice inthronizatur.

Hoc anno dux Saxoniæ Magnus obiit; pro quo Lotharius surrexit. Item Outo marchio de Saxonia obiit (*Aug.* 23). Ruotpertus Wirciburgensis episcopus dum tendit ad concilium, in eundo defungitur. C Quo decedente, dominus Erlungus tam a clero quam a populo Wirciburgensium ut verus pastor, sibimet dudum injuste ablatus, sed justo Dei judicio rursum oblatus, summopere postulatur, concessusque tam a rege quam a papa, per legatos Romanæ sedis magna expectatione et incredibili totius civitatis ac multorum populorum tripudio susceptus, nimis honorifice inthronizatur.

(*Sequentibus annis.* — 1111. C. *cum reliquis codicibus convenit.*)

A. [1987] D. MCVII.

Rex Heinricus natalem [1988] Domini Ratisponæ celebravit, presentibus scilicet legatis domni apostolici Paschalis, cujus adventum [ipse [1989]] jam aliquandiu apud Augustam Alemanniæ [1990] metropolim cæterasque superiores partes prestolatus fuerat. Ille vero suorum consiliis quasi proterviam Teutonicorum declinans, maxime propter seditiosum [1991] quendam tumultum, qui sibi Veronæ [1992] (310) hospitanti [1993] dudum occurrerat,

VARIÆ LECTIONES

[1967] commonitorum 5. 6. 9c. commonitorum *corr.* commonitoriis 7. commonitoniorum E2. [1968] temporis 10. 11. [1969] egit 6. 7. 9c. [1970] *deest* 6. 7. 9c. Parum D1. Itaque ērm *corr.* Itaque sanctorum patrum 7. [1971] n. i. 4. [1972] scripturis *ap. Cencium l. l.* [1973] novit. 7. [1974] *deest* 10. 11. [1975] cr. comprobentur *Cencius.* [1976] jocunditati 10. [1977] nacti 5. 6? 7. 9c. actibus 4. [1978] *deest* 7. 9c. [1979] preferebamur 5. [1980] profectione 9c. [1981] depositam 4. [1982] lotarius 9c. [1983] uoto 4. Uto de S. m. 7. [1984] Ruotbertus E2. Ruopertus 4. 7. 10. Rupertus 11. [1985] descendente E2. *corr.* dec. E1. [1986] erlongus 6. 7. 9c. [1987] *annos regni* III. *add.* 5 II. *vero* 10. *et ita deinceps.* [1988] natale 7. 9c. [1989] *ita* C. E. [1990] alamannie 4. 7. [1991] seditionum E2. [1992] veroni 5. [1993] hospitandi D1.

NOTÆ.

(310) Bonnæ? V. supra.

insuper suggerentibus quibusdam, quod non facile [1994] gens nostra decretum illud recipiat, quod quamlibet æcclesiasticam investituram laicis a manibus [accipi [1995]] vetat, necnon et animosum cor regis adolescentis, quod nondum per omnia Dominico jugo sit habile — hæc, inquam, multaque id genus vir Dei percepta considerans, et [1996] necdum sibi ostium Germanicis in partibus apertum esse cum gemitu pronuncians, profectionem suam cum Hispaniarum legatis per Burgundiam ad Gallias convertit, et natalis Dominici gaudium sua presentia Cluniacensibus [1997] multum ampliavit. Inde *1 secedens, ab universis finium illarum æcclesiis ut vere Christi discipulus et apostolorum vicarius ingenti honore [1998] suscipitur, digna reverentia tractatur, non aliter quam legifer de cælo missus auditur. Sic itaque per menses aliquot, ut fidelis dispensator et prudens, cotidianam sollicitudinem omnium æcclesiarum gerens, tandem circa ascensionem Domini (311) concilium non modicum apud Trecas habuit, ubi inter multa, quæ pro tempore et necessitate corrigenda correxit, sententiam de libera pastorum electione et de cohercenda laicorum in æcclesiasticas dignitates presumptione juxta predecessorum suorum decreta promulgavit (312). At [1999] rex Heinricus, peragratis Saxoniæ finibus, post [2000] paschale festum Mogontiæ actum (*April.* 14), eidem se [2001] concilio vicinum, non tamen præsentem, cum nonnullis episcopis et optimatibus exhibuit; cum quibus etiam inito consilio, legatos honorabiles ad apostolicum transmisit, per quos tam ipsi quam universæ synodo potestatem constituendorum episcoporum privilegiis apostolicis Karolo imperatori concessam (313) notificarent. Super qua questione quia in alieno [2002] regno quicquam diffiniri utpote Romano jam incipiens potiri sceptro, Heinricus non patitur, induciæ sibi totum sequentis anni spacium Romam veniendi et eandem causam generali concilio ventilandi conceduntur. Tunc etiam nonnullos nostrates episcopos, eo [2003] quod eidem concilio non [2004] intererant, officii suspensione domnus papa multavit, quos tamen non multo post satisfacientes clementer absolvit. Rursum necdum humilitatem quam quesivit Germanicis in cordibus invenire se, satis conquestus, nos nequaquam, ut proposuerat, visitare, sed finibus Italicis se comitatumque suum disponit [2005] referre. Quo licet morose (314) perveniens, tantis Romani tam cleri quam populi tripudiis [2006] suscipiebatur, acsi de mortuis redevivus crederetur.

*1 E1. *addit hic in margine :* Heinricus X. archiepiscopus Magadeb. obiit.

Rex vero orientalibus redditus, colloquium Ratisponæ cum Bajoariis habuit [2007], in quo expeditionem versus Flandriam contra Ruotpertum [2008] instituit (*Octbr.*). Qua circa Octobrem mota, terram rebellium [2009] ingressus, non sine gravi exercitus [2010] sui dispendio per unum et amplius mensem vastat [2011], donec per internuncios res ad proximam curiam dilata litem separat.

A. D. MCVIII.

Rex Heinricus [2012] Mogontiæ (315) natalem Domini celebrans, prescriptum Ruotpertum [2013] in gratiam recepit.

Eo tempore orta simultate inter Colomannum regem Pannoniæ germanumque ejus vocabulo Almum, eo quod uterque [2014] sibi potius regiam competere [2015] dignitatem jure gentis illius [2016] contenderet, spoliatus tam rebus quam ducatu, quo inter Ungros [2017] clarus et ut decuit fratrem regis a rege secundus claruit, Almus regem Heinricum adiit, et in auribus totius senatus [2018] haut secus quam [2019] ille quondam [Hiemsalis [2020] germanus] Atherbal [2021] (316) miserias suas deplorans, Romani imperii magnificentiam in compassionem et defensionem sui flectere curavit. His querelis motus rex Heinricus, insuper etiam quod idem Colomannus fines regni nostri, scilicet in locis maritimis (317), invaserit, Ungariam exercitu [2022] petiit (*Sept.*); sed preparatis multiformiter adversariis, maximeque per obstructa fluminis undique vada, post morosam et cassam obsidionem castri Bresburg (*Nov.*) [2023] pene inacte redit [B. infecto negotio redit. C.]

A. D. MCIX.

Rex Heinricus natalem [2024] Domini Mogontiæ celebrat, et paulo post Franconefurt [2025] conventu procerum habito, Sigifridum [2026] palatinum comitem apud Wirciburgensem episcopum custodiæ deputavit, eo

VARIÆ LECTIONES.

[1994] quod nostra g. n. f. 4. [1995] *ita* C. [1996] *deest* 10. 11. *post suppl.* E2. [1997] cloniacensibus 4. [1998] s. h. 4. [1999] Et 9c. [2000] postquam C. E. [2001] *deest* 6. 7. (*ubi alia manu post* vicinum *add.*) 9c. [2002] habeno 6. [2003] ei D1. ei quos *corr.* eos qui 6. ei quo 5. 9c. *corr.* eo quod 7. [2004] *deest* 9c. [2005] disposuit 10. 11. [2006] t. suis 10. 11. [2007] h. c. b. 4. habuit *deest* 10. 11. *post add.* 7. [2008] ruotbertum E2. ruopertum 4. 5. 10. ropertum 7. *et ita sæpius.* [2009] rebellum 9c. [2010] populi 4. [2011] vestat E2. [2012] *deest* 4. [2013] rodbertum E1. *hoc loco.* [2014] utrique 5. [2015] compestre 4. [2016] i. g. 4. [2017] ungaros D1. [2018] *deest* 4. [2019] *deest* 7. [2020] *ita* C. [2021] atherbar 10. [2022] cum c. 4. [2023] bresburg 4. bresburch 7. [2024] natale 5. [2025] frankenfurt 5. 6. 7. 9c. 10. 11. frankenvurt 4. [2026] sigefridum 4. 5. 10. 11.

NOTÆ.

(311) Quæ fuit d. 2 Junii. Concilium vero d. 23. Maii actum est.

(312) Quæ vide Mansi XX, p. 1225. Ex codicibus emendata cum Bennone suo loco edentur.

(313) V. de hac re quæ disseruit S. Hirsch De Vita et scriptis Sigiberti p. 42-48.

(314) I. e. morate, tarde

(315) Aquisgrani; v. Stenzel. II, p. 512. Diploma ibi d. 28 Dec. datum est.

(316) V. Sallust. Jugurtha, c. 14.

(317) Cf. Thomas Spalatensis Hist. Salonitt. pontiff., c. 17. 51.

quod — prodente Heinrico, prius duce [2027] Lotharingiæ, jam in gratiam regis recepto — in necem [2028] et regnum ejus insurgere consiliatus sit. Ibi etiam deposito Gotefrido [2029] Fuldensium abbate, Wolfhelmum [2030] eis preficit [2031] ex eadem congregatione. Post hæc ad Poloniam [2032], gentem longinquam, movit exercitum, multoque ibi atque [2033] diutino desudans labore, diu negatum a terra illa tributi exegit debitum (318).

Ruothardus [2034] Mogontinus archiepiscopus obiit.

A. D. MCX.

Codd. D. 4—11.

Rex Heinricus natalem Domini Babenberg celebrans, nunciis excitatur inopine sinistris,..... [2035] Bragam [2036] Boemiæ metropolim [*Codd.* C. E., Heinrico rege natalem Domini Babenberg celebrante, nunciis excitatur inopine sinistris, [Werinherum [2037] (319)] Bragam Boemiæ metropolim] cum exercitu occupasse ac ducatum illius gentis contra regis voluntatem sibimet usurpasse. Qui mox efferatus animo, principes sibi fidelissimos [2038] illo cum manu valida premisit (*Jan.*), quæ mire et velociter prosperata, civitatem cum hostibus intra deprehensis capit, regique pedetemptim subsequenti cum triumpho occurrit.

In epiphania Domini Ratisponæ Heinricus [2039] colloquium cum principibus faciens, animi sui propositum eis aperuit, scilicet quod Transalpinis partibus se exhibere vellet, quatinus et benedictionem imperialem a summo pontifice Romana, quæ caput mundi est, in urbe perciperet, et latas Italiæ provincias in societatem regni Germanici fraterna pace [2040] et justiciis ac legibus antiquis componeret, insuper ad [2041] omnia quæ defensio posceret æcclesiastica, ad nutum patris apostolici se promptum demonstraret. Arrectis animis omnium ad votum pie providi consulis et indubitati jam patriæ amatoris, vir esse non crederetur, si quis a tam [2042] virilis negocii consortio se subtrahere conaretur. Itaque sacramento nimis voluntario confirmatis [2043] in id ipsum qui aderant [2044], rex alacer de hujusmodi expeditione per singulas Germaniæ provincias instanter tractare non cessat; et licet terrente quorundam animos ortu cometæ sideris infausti per sex fere mensium inducias, regia munificus liberalitate datis ubique inestimabilis pecuniæ stipendiis, circa Augustum moveri undique exercitum imperat, aliis secum per montem Jovis, aliis per vallem Tridentinam [2045] Alpes transcendentibus. Providerat autem rex, nulli a seculo regum in omni providentia secundus, sciens Romanam rem publicam olim non tantum armis [2046] quantum sapientia gubernari consuetam, se non solum armatis sed etiam litteratis [2047] viris necessario muniri, paratis scilicet ad rationem omni poscenti reddendam.

Codd. D. 4—11.

Inter quos claruit quidam [2048] Scotigena [2049] nomine David; quem scolas Wirciburc [2050] regentem pro morum probitate rex sibi capellanum assumpsit. Hic itaque jussus a rege totam hujus expeditionis seriem rerumque in illa gestarum stilo tam facili, qui pene nichil a communi loquela differat, tribus libris digessit (320), consulens in hoc [2051] etiam lectoribus laicis vel aliis minus doctis quorum hæc intellectus capere possit.

Igitur juxta prescripti testimonium hystoriographi [Inter quos hystoriographi *desunt E.*], superata nimis laboriose montium asperitate (*Aug. Sept.*), rex cum suis lætus et incolomis Ebore pervenit; alter vero exercitus, captis antea quibusdam castellis, apud Viruncalia (321), uti condictum fuerat, post expugnatam ab ipso Novariam, ipsum lætanter excepit (*Sept.*). Paucis ibidem diebus moratus, Padum prospere transit [2052], Placentiæ castra metatus, munera copiosa magnamque fidelitatem a civibus accipiens, et per tres septimanas [2053] in his partibus commoratus, Parmam-

A

Cod. C.

Inter quos claruit quidam Scotigena nomine David; quem dudum scolas Wirciburc regentem pro morum probitate omnique liberalium artium peritia rex sibi capellanum assumpsit. Ilic itaque jussus a rege totam hujus expeditionis seriem rerumque in illa gestarum stilo tam facili, qui pene nichil a communi loquela discrepet, tribus libris digessit, consulens in hoc etiam lectoribus laicis vel aliis minus doctis, quorum hæc intellectus capere possit.

Igitur juxta jam dicti relationem hystoriogra-

VARIÆ LECTIONES.

[2027] l. d. 5. [2028] vicem 6. 9c. [2029] gothefrido D1. 5. 10. godefrido 7. [2030] wolfelmum 5. [2031] prefecit 4—11. [2032] polloniam 7. [2033] *deest* 4. [2034] ruthardus 4. [2035] Bozwi filium Vratizlai *in marg. add.* 7. [2036] bargam 6. pragam 7. 9c. E1. 2. [2037] *ita* C. [2038] fidissimos i. c. v. m. 7. [2039] *deest* C. — heinr. rat. 9c. [2040] pacce E2. [2041] et 9c. [2042] a tam *desunt* 4. [2043] *deest* 4—11. [2044] aderant dato 4. ab his q. a. accepto 7. *e corr.* [2045] tridentina 5. [2046] *deest* 6. 9c. *add. in marg.* 7. [2047] liter. *hoc loco et sæpius* C. E1. 2. 10. *quod Ekkehardum nonnumquam scripsisse ex autographo constat.* [2048] *deest* 6. [2049] scothigena D1. 10. [2050] Wireiburg C. [2051] etiam in hoc 4. [2052] transiit 4. [2053] ebdomadas 4. *et ita infra.*

NOTÆ.

(318) De hac expeditione v. quæ Martinus Gallus (ed. Bandtke) lib. III, c. 2—15 narrat.

(319) De Boriwoi sermo esse deberet; v. Cosmam Prag. h. a.

(320) Cf. Willelmum Malmesbur. l. v. § 420, (ed. Hardy., Lond. 1840. II. p. 646) qui et ipse hoc Davidis libro usus est.

(321) Qui campi Roncalii alibi nuncupantur. Nescio an horum jam antea mentio fiat. Constitutionem Legg. Vol. II, p. 38** editam aut posteriori tempori tribuerim aut interpolatam habuerim; cf. tamen Ann. S. a. 1136, qui Runcaniam antiquam imperatorum repausationem dicit.

q e perveniens (*Oct.-Nov.*), Mathildem [2054] comitissam [2055], per internuncios sibi subjectam [2056], gratia sua propriisque [2057] justiciis donavit. Post hæc [2058] asperrima nimis afflictus hieme (*Dec.*), montemque [2059] Pardonis (322) cum maximo exercitus dispendio, rerum et equorum miserabili defectu transcendit, incessanter cadentibus super se juxta qualitatem illius climatis immensis pluviis; hasque [2060] per septem septimanas passi, tandem Florentiam [2061] nimis afflicti pertingunt, instante festo nativitatis Domini.

A. [2062] D. MCXI

Postquam rex Heinricus [2063], rebus prospere [*deest* C. E.] per Longobardiam atque Tusciam dispositis, apud Florentiam Dominicæ nativitatis gaudia cum ingenti suorum tripudio et mirando [2064] ac eatenus illius patriæ civibus nunquam viso decore et honore percelebravit [2065], moto inde versus Ariciam exercitu, illoque perveniens, a clericis benivole, a civibus [2066] subdole recipitur (*an.* 1110. *Dec.* 27 [34]); quorum etiam [2067] insolentiam satis habundeque perdomuit, scilicet civitate [2068] (323) illorum cum turribus, quas ad repugnandum regi [2069] preparaverant, funditus [2070] eversa; æcclesiæ tamen omni sua justicia, quam idem cives violenter abstulerant, juxta clericorum petitionem [2071] restituta. Inde ad Aquam-pendentem (324) progressus legatos suos dudum ab Aricia missos ab apostolico boni nuncii bajulos reperit, remissisque aliis nunciis cum Romanorum, qui supplices illic sibi occurrerant, paulatim Sutriam processit. Ibi (325) legati apostolici [2072] cum missis regiis advenientes [2073] (*Febr.* 9.), promptum esse papam ad consecrationem et omnem regis honorem et voluntatem, si tamen ipse sibimet [2074] annueret libertatem æcclesiarum, laicam ab illis prohibens investituram, recipiendo nichilominus ab æcclesiis ducatus, marchias, comitatus, advocatias, monetas, theloneа, cæterorumque [2075] regalium quæ [2076] possident summam. Prebuit rex assensum, sed eo pacto, quatinus hæc transmutatio firma et autentica ratione, consilio quoque vel concordia totius æcclesiæ ac regni principum assensu stabiliretur; quod etiam vix aut nullo modo fieri posse credebatur. Qua conventione facta, dimissis legatis et obsidibus utrimque [missis [2077]], rex hilariter ad Urbem properat; domnus [autem [2078]] apostolicus cum omni clero immo tota Roma se in ejus occursum adornat (*Febr.* 11-12).

Post hæc quæ gesta sunt, longissimum est enarrare; utpote quam immensa honorificentia sit receptus et per Argenteam portam usque ad mediam rotam antiquo Romanorum [2079] instituto deductus, ibique lectis publice privilegiis, tumultuantibus in infinitum principibus pre [2080] æcclesiarum spoliatione ac [2081] per hoc beneficiorum suorum ablatione [2082], quam ingenti periculo, quam varia [2083] disceptatione tota dies illa consumpta sit, et postremo pater apostolicus ab episcopis et aliis fidelibus regis sit [2084] custoditus, usque ad pacatam et æcclesiasticam consecrationem imperatoris, in exemplum patriarchæ Jacob dicentis ad [2085] angelum : *Non dimittam te, nisi benedixeris michi* (*Gen.* XXXII, 26) (326). — His ita in Dominica quadragesimæ [2086] (327) transactis, Romani tota nocte congregati, summo mane impetum undique [2087] fecerunt in exercitum regis, adeo ut, commissa [2088] aliquandiu pugna (*Febr.* 13), regem per se ipsum necesse esset exercitui succurrere; quod et impigre fecit, et usque ad inclinatam jam diem fortissimi militis et optimi ducis opus agens, Dei gratia suis victoriam, hostibus post multam [2089] stragem fugam incussit.

Post triduum Roma [2090] secedens (*Febr.* 16), domnum apostolicum secum duxit, et eo quo potuit honore tenuit, donec, compositis quæ res poscebat per regiones negociis, pacatis [2091] omnibus adversariis, instans Pascha non longe ab Urbe in castris celebravit (*Apr.* 2); ibique sedatis inter ipsum et apostolicum, inter regnum et sacerdotium, dissensionibus [2092] inveteratis, post octavas paschæ cum nimio populi Romani immo totius æcclesiæ ac inestimabilis exercitus tripudio, ante confessionem sancti Petri, augusti nomen et imperium a Christo, ipse [2093] crismate rite perunctus et sacratus et sub augustissima pompa coronatus, suscepit (*Apr.* 13); [sicuti nobis tunc inibi presentes affirmant; quamvis nonnulli longe aliter inde sentiant E. [2094]] dato sibi [Donatus est etiam *E.*] in presenti per manum apostolici sub testimonio astantis æccle-

VARIÆ LECTIONES.

[2054] mahtildem D1. 10. mahthildem E1. 2. mathildam 4. machtildem 7. mechtildem 9c. [2055] comitissem 5. cometissam C. E. [2056] subjecta 6. [2057] propriis 4—11. [2058] *deest* D1. [2059] montem C. [2060] *deest* 4. [2061] florentinam D1. *et infra.* [2062] 7. Anni imperii Heinrici quinti 1. *add.* 5. *et ita deinceps.* [2063] R. H. postquam 4—11. [2064] miranda 9c. 10. [2065] celebravit 4. [2066] civilibus 4. laicis 7. [2067] *deest* 10. 11. [2068] civitatem 5. 10. *corr.* civitate D1. civita 9c. [2069] *deest* 4. [2070] funditus — abstulerant *desunt* 5. [2071] p. c. 5. 9c. [2072] domni a. 4. [2073] advenientis E2. *corr.* advenientes E1. [2074] sibi 4. [2075] ceterarumque 5—10. aliarumque 4. [2076] s. q. p. 7. [2077] *ita* C. E. [2078] *ita* C. E. [2079] antiquorum i. 4. [2080] pro 4. [2081] *deest* 4. [2082] oblatione 9c. [2083] vario E2. [2084] *deest* 7. [2085] ad a. *desunt* 7. [2086] LXmo 4. [2087] f. u. D1. 7. 9c. [2088] ut c. et 6. [2089] m. p. 5. [2090] s. r. 4. [2091] pagatis E2. [2092] dispensionibus 4. [2093] *deest* 4. [2094] *in margine alia sed æquali manu* E1 : Nota dictantis fictam defensionem.

NOTÆ.

(322) Monte Bardone.
(323) I. e. castello, arce
(324) Y. Stenzel. II, p. 316.
(325) Cf. Acta Mon. Legg. II, p. 66 sqq. edita.
(326) Eadem ex Davide affert Willelmus Malmesbur. l. l.
(327) Scribendum erat : *quinquagesimæ.*

siæ privilegio (328) investituræ æcclesiasticæ, juxta quod utriusque predecessoribus placuerat et permanere consueverat; cujus inconvulsibilem stabilitatem domnus papa mox sub anathemate confirmabat. Sic denique ea die gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, ut ita dicam, est recuperata, dum tam inveterata et eatenus incorrigibilia de regno Christi scismatum ablata sunt scandala.

Nec multo post Heinricus imperatoria munificus liberalitate, tam spirituali patri suo papæ, quam singulis ejus episcopis cardinalibus clericisque majoribus ac minoribus dona tot[2095] tanta [2096] et talia dispertivit, ut absentibus omnino incredibile memoratu [2097] sit; sicque [2098] tam ab [2099] apostolico quam ab omnibus prospera [2100] sibi imprecantibus et nimio amoris vinculo eum aliquandiu deducentibus, per Longobardiam ad Alpes, indeque ad terras Germanicas feliciter est reversus.

Post reditum quoque suum (*Jul.*) nonnulla tam ab ipso imperatore quam ab episcopis secum comitantibus, quæ corrigenda videbantur, juxta quod summus pontifex concesserat [2101] unicuique vel injunxerat, ad planum sunt expolita, vicinta quoque ad purum excocta. Sic Christo respiciente in terram de cælo sancto suo, sicut ubique devotio et religio Christiana, ita etiam rerum prosperitas et copia frugum ac nova circumquaque crescere cœpit lætitia.

Igitur imperator Heinricus mense Augusto quam plurimos episcopos atque abbates, nonnullos [2102] etiam principes Spiram convocat [2103]; quorum assensu et cooperatione patris sui anniversarium permagnifice celebrat. Nam toto quinquennio suspensa communio sepulturæ et orationum [2104] apostolica auctoritate ab eisdem sacerdotibus, qui et Romæ coram papa pœnitentiæ illius testimonium reddiderant, tunc testificantibus conceditur (*Aug.* 7); et quibus nulli unquam imperatorum augustiores impensæ sint exequiis juxta majores suos in æcclesia sepelitur [Igitur — sepelitur *desunt C.*].

Habita post hæc [2105] Mogontiæ curia (*Aug.* 15), Adelbertum cancellarium suum, dudum [2106] ad eandem kathedram electum, baculo et anulo investivit [2107].

A. D. MCXII.

Cod. D. E. 4-11.

Sigifridum palatinum comitem, diutina satis afflictum custodia, juxta principum consilium atque petitionem sibi reconciliatum dimittens, benigne tractare cœpit, adeo ut ejus filium de [2108] baptismate susciperet et injuriarum preteritarum oblivisci [2109] se facturam [2110] sponderet.

Eo tempore domnus apostolicus multas a Romana æcclesia passus est injurias, objicientibus ei, quod contra instituta totius æcclesiasticæ disciplinæ regem Henricum, tyrannicum rei publicæ [2111] vastatorem et æcclesiarum destructorem, imperiali benedictione sublimasset, insuper privilegio sacrilego condonasset. Inde coactus in concilio 15 Kal. Apr. habito Lateranis in æcclesia Constantiniana [2112] (329), ultima die concilii, facta coram omnibus professione catholicæ fidei, ne quis de fide ipsius dubitaret, dixit : *Amplector omnem divinam scripturam veteris et novi Testamenti, legem a Moyse scriptam et a sanctis prophetis, amplector quatuor Evangelia, septem canonicas epistolas* [2113] *gloriosi doctoris beati* [2114] *Pauli apostoli* [2115], *sanctos canones apostolorum, quatuor universalia* [2116] *concilia sicut quatuor Evangelia* [2117]. *Nicenum* [2118], *Ephesinum, Constantinopolitanum, Calcedonense, et Antiocenum concilium, et decreta sanctorum patrum Romanorum pontificum, et precipue decreta domni mei papæ Gregorii VII et beatæ memoriæ papæ Urbani. Quæ ipsi laudaverunt laudo, quæ ipsi tenuerunt teneo, quæ confirmaverunt confirmo, quæ dampnaverunt dampno, quæ repulerunt repello, quæ interdixerunt interdico, quæ prohibuerunt prohibeo, in omnibus et per omnia; et in his semper perseverabo.*

A

Cod. C.

Sigifridum comitem, diutina satis afflictum custodia, juxta principum consilium atque petitionem sibi reconciliatum dimittens, benigne tractare cepit, adeo ut ejus filium de baptismate susciperet et injuriarum preteritarum oblivisci se facturum sponderet. Eo tempore predictus Adelbertus designatus Mogontinus pontifex, qui per omnia secundus a rege semper fuerat, sine cujus consilio nihil facere solebat, adversus imperatorem — quod vix quisquam crederet — conspirare cum quibusdam principibus infamatur, reque cognita, custodiæ ab illo traditur.

VARIÆ LECTIONES.

[2095] dat. 5. [2096] talia et tanta D1. [2097] m. i. 4-11. [2098] *hoc loco* Anni imperii Heinrici V. 4. *in marg. addit* 10. [2099] *superscr.* E1. *deest* 7. [2100] postera E2. [2101] consenserat 6. [2102] nonnullos abbates 4. [2103] vocat 4-11. [2104] ortationum 6. 9c. sep. et ap. auct. et orationum ab 4. [2105] *deest* C. [2106] ad e. d. 5. [2107] vestivit 4-11. [2108] *deest* 4-11. [2109] oblivioni 9c. [2110] *deest* 4. [2111] t. romanorum p̄ p̄ E2. [2112] constantiana 7. 9c. [2113] c. c. epistolas 9c. Epistolas *e corr.* E1. *et ita* E2. [2114] *deest* 4. [2115] *add. iterum* epistolas 4. [2116] universa D1. [2117] evangelica E2. [2118] nicetum E2.

NOTÆ.

(328) Quod vide Mon. Legg. II, p. 72 ex Davide vero ap. Willelmum Malm. l. I, p. 659.

(329) Cf. Vitam Paschalis ap. Muratorium SS. R. I. III, 1, p. 363 et Willelmum Malmesb. V, § 426 sqq., p. 661 sqq ; quem etiam hæc ex eodem quo Ekkehardum fonte hausisse facile est intellectu. Utrique acta sive ex Davide sive aliunde ad manum fuisse patet, qualia vide ex cod. S. Justinæ Patavensi descripta ap. Mansi XXI, p. 67

Quibus expletis, surrexit Gerhardus [2119] Engolismensis [2120] episcopus, legatus in Aquitania, et communi assensu [2121] domni Paschalis [2122] papæ totiusque concilii coram omnibus legit hanc scripturam : *Privilegium illud, quod non est privilegium, sed vere debet dici pravilegium* [2123], *pro liberatione captivorum æcclesiæ a domno Paschale papa per violentiam regis Heinrici extortum, nos omnes in hoc sancto concilio* [2124] *congregati, canonica censura et æcclesiastica auctoritate* [2125] *judicio sancti Spiritus dampnamus et irritum esse judicamus, et omnino ne quid auctoritatis et efficacitatis habeat, penitus excommunicamus; et hoc ideo dampnatum est, quia in eo privilegio continetur, quod electus canonice a nemine consecretur nisi prius a rege investiatur; quod est contra Spiritum sanctum et canonicam institutionem.* Perlecta carta, acclamabant omnes *Amen, amen!* Archiepiscopi Johannes patriarcha Veneticus, Sennes Capuanus, et alii fere 100 episcopi subscripserunt.

Ex hac occasione Viennensis archiepiscopus cum suis complicibus novum scisma nostras in partes seminare et gladium anathematis in imperatorem [2126] molitur extendere (330); sed quia cœptum ejus [2127] apostolica indeque omni æcclesiastica auctoritate videbatur carere, parum interim potuit vigere. Attamen ejusdem dissensionis seminario [2128] circumquaque cœpit [2129] invidiæ [2130] serpere malum, adeo ut nonnulii quicquam contra rem publicam intentantes, hujus rei materiam in suæ commotionis arripere meditarentur clipeum. Inter quos [2131] et predictus Adelbertus designatus Mogontiæ pontifex, qui per omnia secundus a rege semper fuerat, sine cujus consilio nichil facere solebat, adversus imperatorem — quod vix quisquam crederet — conspirare cum quibusdam principibus infamatur, reque cognita, custodiæ ab illo [2132] traditur

Moritur his temporibus quidam de Saxoniæ principibus, nomine Oudalricus [2133] (331); Ludewici [2134] comitis dudum gener, sed jam propter ejusdem filiæ [2135] repudium invisus. Cujus possessiones predictus Sigifridus hereditaria sibi vendicabat successione; sed domnus imperator easdem in jus regni conabatur attrahere. Quæ causa recidivæ discordiæ fomitem cœpit ministrare. Nam idem comes priores miserias suas sequentibus exaggerans, totam pene [2136] Saxoniam, suam videlicet patriam, tantis implevit querimoniis, ut tam ducem Lotharium, quam Ruodolfum marchionem, Fridericum palatinum comitem, Wigbertum [2137] atque [2138] Ludewicum [2139] nonnullosque alios ab [2140] obsequio traheret imperatoris. Sed et episcopus Halberstatensis, necnon Gerdrudis [2141], illa prepotens per Saxoniam vidua [2142] (332), violentiam [se [2143] nichilominus] pati ab imperatoris prejudiciis invasione prediorum suorum, clamitabant. Hæc et his similia scandalorum zizania murmur infinitum in nuper pacato regno suscitant. *1

*1 6-11 *addunt :* Altamannus abbas obiit.

A. D. MCXIII.

Cod. C.

Heinricus imperator natalem Domini Erpesfurt celebravit. Lotharius dux, Sigifridus predictus, Ruodolphus marchio, Wigbertus senior, Fridericus palatinus comes et Luodewicus comes rebellationem contra imperatorem parant; quos ipse sine mora cum exercitu petens, incendiis et munitionum destructionibus infestare non cessavit, donec ab ejus fidelibus Sigifrido perempto, Lothario et Ruodolfo reconciliatis, Friderico, Wigberto seniore juste captis et custodiæ deputatis fortuna, immo Christi gratia rebus finem dedit

A

Codd. D. E. 4-11.

Heinricus imperator natalem Domini Erpesfurt [2144] celebravit. Huc cum prescripti Saxoniæ principes curiam non adissent, indignatione nimia commotus imperator, bona eorum diripi, possessiones incendiis devastari, etiam inter ipsa festa [2145] precepit, nec multo post castellum adprime munitum Hornburg [2146] (333) longa obsidione delevit. Deinde relictis per presidia fidelibus suis, contemptores suos insidiis et congressibus afflixit; inter quæ sepedictus Sigifridus palatinus comes, vir nobilissimus et suo in [2147] tempore nulli in omni probitate secundus, occubuit, Wigbertus [2148] capitur, Ludewicus [2149] ad deditionem compellitur; sicque rebus interim quies, licet modica, conceditur. *2

*2 E1. *addit in marg. :* Hildiboldus abbas obiit.

VARIÆ LECTIONES

[2119] gebehardus D1. gerardus 7. [2120] engelism. D1. 4-11. [2121] *ita* E. *et Will. Malmesb.* consensu *rell.* [2122] papæ P. D1. [2123] privilegium 4. 6. 9c. [2124] *deest* 7. [2125] auct. eccl. 4-11. [2126] m. in imp. 4. [2127] est 4. [2128] seminate 7. 9c 11. seminare 5. 10. seminarium 4. [2129] cœpit circ. 5. [2130] *deest* 5. et inv. 4. [2131] que E1. 2. *And.* S. [2132] ab i. *desunt* 4-11. [2133] Uodalricus 5. [2134] luodewici 5. *sqq.* [2135] f. e. 4-11. [2136] *deest* 9c [2137] wicpertum 4. [2138] *deest* 9c. et 4. [2139] lodewicum 5. luodewicum E1. 2. 10. [2140] *deest* 10. [2141] gerthrudis E1. 2. gertrudis 9c. [2142] viduam E2. *corr.* vidua E1. [2143] *ita* E. [2144] erpherfurt 6. 7. 9c. erphuurt 4. erphesfurt 10. 11. [2145] facta 6. [2146] hornburc 4. 7. honburg 9c. [2147] *deest* 10. 11. [2148] wicpertus 4. wicbertus 5. wicpertus 9c. [2149] loudewicus 5. lothewicus 7. luodewicus 10.

NOTÆ.

(330) V. de synodo ab ipso Viennæ habita Mansi XXI, p. 75-7
(331) De Weimar; v. Ann. S. h. a. Cf. Stenzel. I, p. 654.
(332) Vidua Heinrici marchionis.
(333) Ad Ilsam fluvium.

Eodem [2150] anno imperator impatiens aliquid discordiæ oriri in regno suo, invadit cum exercitu quendam Regenoldum de Munzun (334), sibi repugnantem et bona episcopatuum suorum devastantem, quem apud Bar, castellum suum, obsedit, et cum se et castellum viriliter defendentem virilius ipse cœpit cum multis primatibus ejusdem patriæ, et ipsum castellum igne concremavit. A

Post hæc quidam Reginoldus [2153], provinciæ Burgundiæ comes, et, ut aiunt, imperatoris consanguineus, tyrannidem juvenili actus insolentia contra rem publicam orditur; qui tamen, superveniente sibi cum manu valida [2154] Heinrico augusto, munitionem, in qua maxime confidebat, Monzun [2155] [*deest E*], ipse captus amisit; sicque lite cito dirempta [2156], custodiæ traditur.

A. D. MCXIV.

Imperator [2151] Henricus natalem Domini Babenberg celebravit, dispositis nuptiis suis Maguntiæ in proxima epiphania. Desponsaverat enim ante triennium Mathildem, filiam Henrici regis Anglorum, virginem moribus, nobilem, venustam quoque et decoram facie, quæ habebatur decus et gloria tam Romani imperii quam Anglici regni. Erat enim progenita ex utraque parte ex longa linea magnificæ nobilitatis et regalis prosapiæ, in cujus loquela et opere resplendebat specimen futuræ bonitatis abunde, adeo ut omnibus optaretur Romani imperii heredis mater fore. Ad ipsas quoque nuptias tanta convenit multitudo archiepiscoporum, episcoporum, ducum atque comitum, abbatum quoque et prepositorum, atque eruditissimorum clericorum, ut nullus senex illius evi posset reminisci vel aliquo modo adtestari se vidisse, vel saltem audivisse, tantam multitudinem tantorum primatuum in uno conventu convenisse. In ipsis enim nuptiis convenerant archiepiscopi 5, episcopi 30, duces 5; de quibus dux Boemiæ summus pincerna fuit. Comitum vero et abbatum atque prepositorum numerus a nullo præsenti licet multum sagaci potuit comprehendi. Dona autem, quæ diversi reges atque innumerabiles primates domno imperatori in ipsis nuptiis miserunt, vel quæ ipse imperator ex se innumerabili multitudini joculatorum et istrionum atque diverso generi diversarum gentium distribuit, quemadmodum nullus camerarius ipsius vel qui recepit vel qui distribuit potuit numerare, ita nullus ejusdem imperatoris chronographus potuit litteris comprehendere. B

Domnus [2157] imperator natalem [2158] Domini Babenberg cum summa [2159] magnificentia copiosaque principum multitudine celebrat; et hoc non simpliciter, quia virum Dei Ottonem inibi episcopum, propter quædam jam [2160] orientia in regno scandala curiam frequentare renuentem, ex parte suspectum habebat. Ipse vero rebus transitoriis pro concordia æcclesiastica non parcens', beneficiis indefessis animositatem regis gloriose devicit. Hinc indicto conventu Mogontiæ [2161] (*Jan.* 7), nuptias post epiphaniam Domini augustissime instituit; ubi etiam vix aliquem aut certe nullum de magnatibus abesse voluit; quorum consilio vel consensu [2162] regis Angliæ filiam, Mahthildem [2163] nomine, dudum desponsatam legitime [2164] sibi conjungens, regni consortem constituit.

Eodem [2152] quoque anno in eisdem nuptiis juraverunt principes, expeditionem contra Frisones se facturos in secunda septimana post pentecosten. Denegaverant enim domno imperatori debitam subjectionem impendere et tributa quæ jure annuatim debebant persolvere. Nam ex insolentia tumidi et locorum munitione freti, dedignabantur alicui domino subjici vel alicujus licet valde potentis preceptum exequi. Cum autem versus illos exercitus cœpisset se movere, Coloniensis archiepiscopus cum quibusdam aliis principibus impedivit iter illius, et acriter cum suis civibus et copia militum atque succursu diversorum comitum cœpit domino suo im- C

Deinde contra quosdam in locis [2165] palustribus ultra Fresonum [2166] insulas habitantes imperator navalem expeditionem [2167] multo studio instituit. Quo dum tendit, Coloniam Agrippinam sibi rebellem et in hoc quam plures Transrheninos atque Westfalos consentientes invenit; quorum numerantur nominatissimi Fridericus Coloniensis archiepiscopus, Gotefridus [2168] dux, Heinricus (335) quondam dux et Fridericus de Arnesburg [2169]. Intermissa itaque profectione, manum in hostes presentes extendere cupiens, Coloniæ partibus assedit; civitati vero mirifice munitæ [2170] non prevalens, regionem circumquaque vastavit, tandemque soluto

VARIÆ LECTIONES.

[2150] *quæ sequuntur, atramento paulo atriori scripta sunt.* [2151] *Hoc loco exstat tabula, qua nuptiæ imperatoris delineatæ sunt.* [2152] *atramento paulo a superioribus diverso.* [2153] reinoldus E1. *e. corr.* 2. 7. [2154] ualica 7. [2155] munzun 9c. [2156] direpta E2. [2157] *deest* 5. [2158] natale 4. [2159] *deest* 4. sua E2. [2160] *deest* 4. o. jam. 7. 9c. [2161] moguntie 4. [2162] assensu E1. 2. [2163] mahtildem D1. 4. 10. machthildem 5. mathildem E1. 2. *et ita infra.* [2164] *deest* 7. [2165] *deest* 7. [2166] fresolum E2. [2167] *deest* 6. 7. (*ubi et corr.* : navale prelium.) [2168] gothefridus D1. godefridus 7. 10. [2169] arnsburc 4. arnesburch. 7. [2170] muniti 9c.

NOTÆ.

(334) Mousson. cf. Stenzel I. p. 657.
(335) De Limburg.

peratori resistere et suos die noctuque vexare. Imperator itaque ex consilio et consensu principum redit Mogontiam, infecto negotio et frustrato suo suorumque labore. Illi autem qui hanc rebellionem contra imperatorem machinati fuerant, nullam aliam occasionem habebant unde ipsum possent accusare, nisi quod testabantur quendam suum ministerialem nimis ferociter dominium in suis partibus exercere [2171].

A conventu [exercitu *E.*] recidivam [2172] expeditionem contra eosdem [2173] rebelliones indixit. Qua circa Kalendas Octobris congregata, Friderici possessiones [2174] aggreditur. Qua undique vastata, et in medio regionis illius castro firmo constructo, eoque militibus, armis atque stipendiis instructo, hieme superveniente ab armis discedit[ur].

A. D. MCXV.

Considerans imperator Saxoniam manifeste jam [2175] a se deficere, contra eam ut iratus ita etiam armatus venit, et tam ex his quos adduxerat quam quos inibi sibi [2176] voluntarios invenerat castra non modica instituit. Saxones vero de [2177] periculis suis agi cernentes, copias suas [2178] diverso locant, non pugnandi contra dominum suum audacia, sed defendendi se necessitate coacti, ut [2179] ipsi per internuncios imperatori confirmabant. Cumque [2180] per aliquot dies pars utraque alteri [2181] minaretur et parceret, quidam vir fortis nomine Hoger [2182], qui dudum inter multa quæ bellicose egerat, Sigifridi palatini comitis nece [2183] se famosissimum in aula regis effecit [2184], assumpta omni [2185] electa juventute, quæ ut ipse moræ fuit impatiens, Saxones, suos nimirum compatriotas, audacter invasit (*Febr.* 11); ipseque leonina ferocitate [2186] dimicans, gloriæ cupiditatem, qua [2187] flagrabat, multis secum cadentibus, propria morte comprobavit [2188]. Interfuit huic conflictu [2189], immo ut aiunt quodammodo prefuit, episcopus Halberstatensis Reinhardus [2190], qui dudum ab imperatore non modice fuit injuriatus; qui nimirum suis magnam predicavit justiciæ consolationem, imperatoris vero de parte cesis etiam sepulturæ interdixit communionem. Sic domnus imperator non parum amaricatus, ad Rhenum convertitur [2191]; Saxonum vero consensus ad resistendum illi [2192] magis ac magis roboratur [2193]. Ad hæc quendam cardinalem Romanum nomine Dietericum [2194], legatione in Pannonias [2195] functum, per nuncios asciscunt; quo etiam prescripti concilii actionem et per [2196] ipsam imperatoris excommunicationem predicante [2197], tam archiepiscopus Magdeburgensis quam cæterarum [2198] æcclesiarum presules reconciliationem recipiunt; sicque scisso [2199] iterum [2200] regno, undique novæ res [2201] oriuntur; sic contraria quælibet in [2202] invicem partes utræque moliuntur.

Interea directi ab Italia nuncii obitum (336) illius inclitæ Mathildis nunciant, ejusque prediorum terras amplissimas hereditario jure possidendas cæsarem invitant. Qua nimirum femina sicut nemo nostris in temporibus ditior ac famosior [2203], ita nemo virtutibus et religione sub laica professione reperitur insignior.

Conventus post hæc imperator amicorum consiliis, immo [2204] totius regni compulsus querimoniis, generalem in Kalend. Novembr. curiam Mogontiæ fieri instituit, ubi liberam omnibus audientiam, de sibi objectis [2205] satisfactionem [2206], de suis extraordinarie [2207] vel juveniliter gestis correctionem, ad senatus consultum repromisit. Statuto itaque tempore dum ipse Mogontiæ presens condictum frustra [2208] prestolatur conventum — nam preter paucos episcopos nemo principum adventabat — Mogontini aptum sibi tempus arridere perpendentes, subito palatium loricati et armati vallant; alii atrium furiose irruentes in turmas et cuneos se glomerant; omnia strepitu, cuncta clamoribus implentes, aulicis horribile spectaculum demonstrant. Quid multa? Dubium non est quod, nisi datis ad presens obsidibus imperator ea quæ sibi imponebantur facturum se citissime confirmasset [2209], ipsum fortasse palatium cum universorum qui in eo erant crudelissima nece ilico corruisset. Ita sedato vix militum plebisque ferventissimo furore, cæsar ab urbe secessit, et post paucos dies Adelbertum, quem jam per annos tres artissima mancipaverat custodia, vix nimirum [2210] ossibus herentem, ut coactus promiserat, kathedræ suæ [2211] remisit [secessit et juxta placitum tercia die Adalbertum, quem jam per annos tres artissima mancipaverat custodia, vix nimirum ossibus herentem kathedræ suæ remisit. *E.*] Hic ergo non multo post sedis [2212] apostolicæ [2213] legato Dieterico se nunciis et

VARIÆ LECTIONES

[2171] *ita finis hujus operis.* [2172] reciduam *corr.* recidivam 7. [2173] *deest* D1. eos E2. [2174] possessionem E1. 2. [2175] jam. m. jam. 5. [2176] v. s. 4. [2177] *deest* 4-11. S. v. periculis se angi 4. [2178] ex 5-11. [2179] *deest* 4. 7? 10. 11. [2180] Comque 9c. — *Hoc loco* E1. *alia manu add. in marg.:* Hic facit callidam et fraudulentam narrationem de Heinrico rege. [2181] haberi 5. 6. 9c. 10. *deest* 4. abheri *add.* certamen 7. [2182] hoiger 4. 5. 6. 9c. hogiar 10. 11. [2183] *deest* 4. [2184] effecerat 4. [2185] *deest* 6. 7. 9c. electa *deest* 7. [2186] feritate 7. [2187] quam 4. 5. [2188] probavit 10. 11. [2189] conflictu 7. [2190] R. *codd.* [2191] convertit 6. 7. 9c. [2192] *deest* 6. 7. 9c. ei 5. [2193] illi r. 6? 7. 9c. [2194] dietricum 4. tiedericum 7. [2195] pannonia 4. [2196] *deest* 4. [2197] predicantem 4. [2198] aliarum 4. [2199] cisso 7. [2200] denuo 4. [2201] rex E2. [2202] *deest* 7. [2203] formosior E2. [2204] nimiis 4. [2205] subiectis 4. 5. 9c. 10. 11. [2206] satisfactio 4. [2207] extraordinare 4. [2208] frustra 5. [2209] conformasset E2. [2210] *deest* 4. [2211] *deest* 4. [2212] sedis E2. [2213] a. s. dietrico 4.

NOTÆ.

(336) Obierat d. 24. Jun.

litteris subjiciens, ipsum sibi cæterisque non paucis presulibus Coloniam occurrere postulavit; ubi et mandata papæ[2214] quæ ipse detulerit[2215] communiter percipi, et ille suam[2216] consecrationem, diu scilicet interclusam, tanta auctoritate consequi possit. Qui[2217] conventus instante festo natalis Domini factus est, non absque indignatione imperatoris [regis *E.*], qui necdum plene voluntarius erat in consensu ejusdem ordinationis.

A. D. MCXVI.

Imperator natalem Domini Spiræ cum paucis episcopis et principibus celebrans, ea quæ interim Coloniæ gerebantur graviter tulit. Audivit enim, quam plurimos ibi convenisse non solum metropolitanos, sed etiam alios episcopos vel optimates regni, causa precipua verbum excommunicationis in se manifestandi; quamvis ipse cardinalis (337), cujus hæc iniciabantur[2218] auctoritate, in itinere jam[2219] defunctus, illo ad sepulturam potius quam ad actionem delatus esset concilii. Missus tamen ab eo illuc presul Wirciburgensis, audientiam vel communionem nonnisi reconciliatus habere meruit; reversus post redditam[2220] legationem, ei qui se miserat denuo communicare renuit; sed vitæ periculo coactus, missam coram rege celebravit; indeque usque ad mortem contristatus, latenter discessit, sicque rursum communioni[2221] pristinæ multis lacrimis reconciliatus, ultra cæsaris aspectu simul et gratia caruit

Qua[2222] etiam commotione succensus imperator, ducatum orientalis Franciæ, qui Wirciburgensi episcopio antiqua regum[2223] successione[2224] competebat, Chuonrado[2225], sororis suæ filio, commisit (338); ipseque scandala principum declinans, in Italiam se una cum regina totaque domo sua[2225] contulit (*Mart.*), ac circa Padum negociis insistens regni, legatos ad apostolicum pro componendis causis, quæ iterum regnum et sacerdotium disturbare cœperunt, suppliciter destinavit. Cujus legationis primatum abbas Cluniacensis[2227], consanguineus[2228] (339) ut aiunt domni papæ tenuit; qui et[2229] inter utramque partem[2230] pro componendis pacifice rebus, fidelis et[2231] impiger apocrisiarius, multis argumentis invigilare studuit.

Eodem igitur anno, qui est 18[us] ordinationis domni papæ Paschalis II, 2 Non. Mart. Romæ in sede Lateranensi in æcclesia sancti Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, celebratata est[2232] synodus universalis concilii, congregatis ibidem ex diversis regnis et provinciis episcopis, abbatibus[2233], catholicis ducibus et comitibus, legatis[2234] universarum provinciarum quam plurimis. Prima itaque die, quæ secunda[2235] erat feria tertiæ ebdomadæ quadragesimalis (*Mart.* 6), inter Mediolanenses episcopos Grosulanum[2236] et Jordanem, in alterum de invasione, in alterum quod æcclesiæ suæ desertor extiterit[2237], ventilata est controversia. Hanc causam domnus apostolicus cardinalium episcoporum consilio tractandam distulit. Sequenti die (*Mart.* 7) in eandem causam plurima[2238] tractata sunt, sed res non[2239] finita[2240]. Quarta vero feria (*Mart.* 8) Lucensis episcopus de invasione terræ juris æcclesiæ suæ Pisanos impetebat. Econtra dum Pisanus suos defenderet, inter utramvis[2241] partem, utriusque populi suffragio, longo litigio disceptatur. Tunc quidam episcoporum de medio concilii surgens[2242], ita exorsus est: *Dominum patrem*[2243] *papam recordari decet*[2244], *quare illius presentis et generalis concilii multitudo sancta per omnia periculorum genera mari terraque*[2245] *convenerit invitata; ibi non*[2246] *de spiritalibus vel æcclesiasticis, sed de*[2247] *secularibus ordine prepostero tractaturi*[2248] *negociis.* Expediendum prius, propter quod principaliter convenerint[2249], ut evidentius pernoscatur quid domnus apostolicus sentiat, quidque[2250] in æcclesiis suis reversi predicare debeant. Tunc apostolicus concilii causam et animi sui intentionem his verbis exposuit: *Postquam Dominus de servo suo fecit quod voluit et me populumque Romanum tradidit in manus regis, videbam cotidie passim fieri rapinas et incendia, cedes et adulteria. Hæc et hujusmodi mala cupiebam avertere ab æcclesia et populo Dei; et quod feci, pro liberatione populi Dei feci; feci autem ut homo, quia*[2251] *sum pulvis et cinis. Fateor me male egisse, sed rogo vos omnes orare*[2252] *pro me ad Deum, ut indulgeat michi. Illud autem malum scriptum quod in tentoriis factum est, quod pro pravitate*[2253] *sui pravilegium*[2254] *dicitur, condempno sub perpetuo anathemate, ut nullius unquam sit bonæ memoriæ; et rogo vos omnes ut idem faciatis.* Tunc ab

VARIÆ LECTIONES.

[2214] p̄pe *corr.* i̅pe 7. [2215] detulerat 4. [2216] c. suam 4. [2217] Qui — ordinationis *desunt* 7. [2218] iniciabant 7. 9c. [2219] *deest* 4 — 11. [2220] r. p. 7. 9c. [2221] p. c. 4. [2222] Quia E2. [2223] *deest* 6. 7. 9c. [2224] *ita omnes codd.* concessione *Ann. S.* [2225] cuonrado D1. E2. 10. cunrado 4. conrado 7. [2226] *deest* 4. [2227] cloniacensis 4. [2228] consanguneus 5. [2229] *deest* 7. 10. 11. *superscr.* E1. [2230] *deest* 6. 9c. [2231] ac D1. [2232] c. habetur 4. [2233] et abb. 4. ab omnibus catholicis 6. 7. 9c. [2234] et leg. 4. [2235] est secunda f. 4. [2236] grosolanum 4 — 11. [2237] existeret 9c. [2238] tr. s. pl. 4. [2239] minime E1. 2. [2240] non infinita 9c. [2241] utramque 6. 7. 9c. utramque partem vis populi utriusque s. 4. utramque vis 5. 10. utranque jus 11. [2242] s. c. 5. [2243] *deest* 4. [2244] *in marg. ante* rec. *addit* 7. [2245] terreque E2. [2246] ne 6. 7. nec 9c. [2247] *deest* 10. 11. [2248] tractari E1. 2. *A. S.* 10. tractatura 4. tractaturis *corr.* tractaturi 5. tractatur 6. 7. 9c. 11. [2249] convenerunt 9c. [2250] quisquid 4. quicquid. 5. 10. 11. quid 7. 9c. [2251] qui D1. quia cinis sum et p. 4. [2252] orate 4 — 11. [2253] per pravitatem 6. 9c. [2254] privilegium 4. 6. 9c.

NOTÆ.

(337) Dietericus.
(338) De hoc loco celeberrimo cf. Montag Gesch. der staatsh. Freiheit II, p. 141-186.
(339) Pontius. Cf. Gallia Christ. IV, p. 1154, et locum ibidem ex Orderici Vitalis libro xi allatum.

universis conclamatum [2255] est : *Fiat! Fiat!* Bruno autem Signinus episcopus altius exorsus ait : *Gratias agimus omnipotenti Deo, quod domnum Paschalem papam* [2256], *qui presenti concilio* [2257] *presidet, audivimus proprio ore dampnantem illud pravilegium* [2258], *quod pravitatem et heresim continebat.* Ad hæc quidam cavillatorie subjunxit : *Si privilegium illud heresim continebat, qui illud fecit hereticus fuit.* Johannes autem Cajetanus [2259] ad hoc [2260] commotus, Signino respondit [2261] : *Tune* [2262] *hic et in concilio, nobis audientibus, Romanum pontificem appellas hereticum? Scriptum quod fecit domnus papa, malum quidem fuit, sed heresis non fuit.* Et alter quidam adjecit : *Immo nec malum dici* [2263] *debet, quia si liberare populum Dei bonum est, quod* [2264] *domnus papa fecit bonum fuit. Sed liberare populum Dei bonum est* [2265] *auctoritate evangelii* (*Joan.* x), *qua* [2266] *precipimur animas quoque* [2267] *pro fratribus ponere.* Ad hæc patientia domni papæ, horrendo heresis nomine pulsata [2268], expergefacta est, et manu silentium indicens, dissidentium clamores et murmura tali ratione compescuit (340) : *Fratres et domini mei, audite* [2269] ! *Ecclesia ista nunquam habuit heresim; immo hic omnes* [2270] *hereses conquassatæ sunt. Hic Arriana heresis, quæ per* 300 *fere* [2271] *annos viguit, annullata est. Ab hac sede heresis Euticiana, Sabelliana contrita* [2272], *Fotinus ceterique* [2273] *heretici destructi sunt. Pro hac ecclesia filius Dei in passione sua* [2274] *oravit cum dixit : « Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua* (*Luc.* XXII, 32). » Quinta feria (*Mart.* 9), papa in concilio non sedit, multis et maxime regis negociis per domnum Cluniacensem [2275], Johannem Cajetanum [2276] et Petrum Leonis [2277] et [2278] Urbis prefectum cæterosque [2279] illius partis fautores impeditus. Sexta feria [2280] (*Mart.* 10) apostolicus [2281] in generalem omnium ecclesiarum causam animum advertit, et Johanne [2282] Cajetano cum Petro Leone cæterisque regis fidelibus in faciem resistentibus predicto Cuononi [2283] Prenestino, sepius verbum excommunicationis exponere cupienti, murmur hujusmodi verbis et [2284] manu ita compescuit : *Ecclesia primitiva martirum tempore floruit apud Deum et non apud homines. Dein* [2285] *ad fidem conversi* [2286] *sunt reges, imperatores Romani et* [2287] *principes, qui matrem suam ecclesiam sicut boni filii honestaverunt, conferendo ecclesiæ Dei predia et allodia, seculares honores et dignitates, regalia quoque jura et insignia, quemadmodum Constantinus cæterique* [2288] *fideles; et cœpit ecclesia florere tam apud homines quam apud Deum. Habeat ergo mater et domina nostra ecclesia sibi* [2289] *a regibus sive* [2290] *principibus collata; dispenset et tribuat ea filiis suis, sicut scit et sicut* [2291] *vult.* Pravilegium [2292] investituræ, quod in tentoriis concessisse [2293] videbatur, oblitterare volens, iterans sententiam papæ Gregorii VII, investituram ecclesiasticarum rerum a laica manu rursus excommunicavit, sub anathemate dantis et accipientis. Cardinalis vero domnus Cuono Prenestinus talem papæ fecit [2294] inductionem [2295] legationis [2296] suæ, et contra disturbatores presentis negocii competentem : *Domine pater* [2297], *si tuæ placet majestati, si vere tuus fui legatus et quæ feci tibi placent esse rata, in auribus sancti hujus presentis* [2298] *concilii ore tuo edicito, et legationem meam tua auctoritate corrobora, ut sciant omnes, quia tu me misisti.* Ad hæc apostolicus respondens ait [2299] : *Vere legatus ex latere nostro missus fuisti; et quicquid tu ceterique fratres nostri cardinales episcopi, legati Dei* [2300] *et apostolorum Petri et Pauli, hujus sedis et nostra auctoritate fecerunt, probaverunt, confirmaverunt* [2301], *ego quoque probo et confirmo; quicquid autem* [2302] *dampnaverunt, dampno.* Et domnus Prenestinus consequenter [2303] subjunxit, qualiter pro sedis illius legatione Hierosolimis audierit, regem Heinricum post sacramenta, obsides et oscula in ipsa beati [2304] Petri ecclesia domnum papam tenuisse captum [et [2305]] indigne tractatum, potiora ecclesiæ membra [2306], cardinales videlicet, exutos, tractos et male tractatos, nobiles quoque Romanos occisos et captivos, et populi [2307] stragem factam, audiens ingemuerit; et pro hujusmodi facinoribus, ecclesiæ Hierosolimitanæ consilio, zelo Dei animatus, excommunicationis sententiam in regem dictavit; et eandem in Grecia, Ungaria, Saxonia, Lotharingia, Francia, in quinque conciliis (341) consilio predictarum ecclesiarum renovando confirmavit;

VARIÆ LECTIONES.

[2255] clamatum 4. [2256] papam pasc. 4 — 11. [2257] p. presidet c. 4. [2258] privilegium 6. 9c. *corr.* pravil. 7. pravilegium *corr.* privilegium 4. [2259] cajectanus 4. 5. 6? 7. 9c. 10. [2260] hec 10. 11. [2261] commotus ait ad Signinum 4. [2262] Tunc 6? Tu 7. 9c. [2263] *deest* 10. [2264] quod *usque* bonum est *in* 6. *in margine suppletum.* [2265] *deest* 4. fuit 7. [2266] quia 6. 9c. *corr.* qua E1. [2267] q. nostras pro 9c. [2268] *deest* E1. 2. *A. S.* [2269] a. me 4. [2270] o. hic 5. [2271] *deest* 4. [2272] c. est 9c [2273] aliique 4. [2274] *deest* E1. 2. 7. [2275] cloniacensem 4. 9c. [2276] cajactanum 4. caject. 7. [2277] leonem 4. [2278] *deest* 4. [2279] aliosque 4. [2280] sunt E2. fr E1. [2281] papa 4. [2282] jhohanne 9c. [2283] cunoni E2. chuononi 4. chunoni 7. 9c. [2284] v. ita manu c. 4. [2285] Deinde 9c. [2286] reversi 6. 9c. [2287] *deest* 10. 11. [2288] aliique 4. [2289] sive 4. [2290] sive a 4 et p. 7. [2291] *deest* 4. [2292] privilegium 4. 9c. [2293] cessisse 7. 9c [2294] f. p. 5. [2295] indictionem 6. 7. 9c. [2296] legationi D1. [2297] *deest* 4. [2298] *deest* 4. [2299] respondit 4. [2300] *deest* E1. 2. *A. S.* [2301] c. p. 4—11. [2302] *deest* 4—11. [2303] consequens 6. 7. 9c. [2304] sancti 4. [2305] *ita* E. [2306] *deest* E1. 2. *A. S.* [2307] populos 10. populorum 11.

NOTÆ.

(340) Cf. quæ ex Gerhohi Reicherspergensis libro de ædificio Dei affert Mansi XXI, p. 151.

(341.) Cf. quæ a G. Cossartio (*Concil.* a. 1114) ex cod. ms. Montis Dei edita sunt : Anno Dominii 1114, VIII *Id. Decembris Cono Prænestinus episcopus et apostolicæ sedis legatus regem Henricum apud Belvacum anathematizavit in concilio suo. Et in quadragesima proxima lætare Jerusalem* V *Kalend. April. Remis celebrato concilio eundem Henricum damnavit. Item Cono feria* 2 *proximi paschæ regem Henricum damnavit Coloniæ in templo sancti Gereonis. Catalaunis Cono quarto habito concilio prædictum regem damnavit* IV *Idus Julii.* De quibus conciliis vide Mansi XXI, p. 121, 129. 135 sqq.

orare se demum, ut, sicut domnus papa legationem suam confirmavisset [2308], ita presentis concilii patres et episcopi concorditer annuerent. Ad eundem modum legati et litteræ domni Viennensis postulabant. Dum tali ratione et ordine tam variæ et dissonæ multitudinis assensus exquiritur, a saniori parte veritati et apertæ rationi nichil contradictum, a paucis submurmuratum [est [2309]], ab episcopis vel [2310] abbatibus nullo modo reclamatum [2310 *]. — Sabbato denique (*Mart.* 11) inter Mediolanensium episcopos controversia tali dispensatione terminata est. Apostolico Paschali docente, translationes episcoporum duobus fieri modis [2311], necessitate vel [2312] utilitate; hujus autem translationis Grosulani [2313], quæ [2314] videbatur, utilitatem in animarum et corporum dampna conversam : Grosulanum quidem in locum unde translatus fuerat [2315] restituit, Jordanem vero [2316] Mediolanensibus concessit. Iis autem qui propter concilium et animarum suarum remedium apostolorum limina visitaverant, qui de capitalibus pœnitentiam agerent [2317], 40 dierum pœnitentiam indulsit [2318], et apostolica benedictione concilii exameron laudabiliter absolvit.

Scindebatur inter hæc et [2319] hujusmodi regnum Teutonicum, quod jam [vix [2320]] decennio vel paulo plus concorditer quieverat; et quia rex aberat [2321], unusquisque, non quod rectum sed quod sibi placitum videbatur, hoc faciebat. Primo igitur [2322] pars utraque conventibus assiduis agros alterius vastare, colonos [2323] despoliare cœpit; maximeque in episcopio Wirciburgensi per Chuonradum [2324], fratrem ducis Friderici, lues ista succrevit. Post hæc, occasione nacta, undique latrunculi pullulabant, qui nullam [2325] temporibus vel personis distantiam exhibentes, ut dici solet, rapere et clepere, invadere et occidere, nilque per omnia victis reliqui facere satagebant. Longum est presulis Mogontini machinamenta contra regis fideles eorumque adversus illum insidiosas discursiones enarrare, seditiones nonnullorum urbanorum describere, civitates aliquas suis presulibus per has pestes orbatas, munitiones locis [2326] insolitis instructas [2327], castella quam [2328] plura invicem destructa, regiones preda flammaque vastatas, congressiones et cedes mutuas ab utriusque partis equitibus factas, oppressiones pauperum et peregrinorum [2329] atque captivitates more barbarico a christianis in christianos exercitas [2330] multaque id genus litteris tradere. Nam neque pax Dei cæteraque sacramentis firmata [2331] pacta custodiuntur; sed uniuscujusque conditionis et ætatis preter solos æcclesiasticæ professionis homines — quibus jam pene nichil preter miseram restat [2332] animam — cæteri [2333], inquam, hoc tempore beluino furore bachantur [2334]. Hinc undique vastatis agris, villis depopulatis, oppidis ac regionibus nonnullis in solitudinem pene [2335] redactis, deficiente cotidiana clericis per æcclesias prebenda, cessabant in quibusdam æcclesiis clericalia nimirum officia. Et, o [2336] effusum calicem furoris Dei! locupletissimum illud et per totam Germaniam famosissimum ac principale cenobium Fuldense usque ad ultimam redactum est inopiam victus etiam necessarii.

A. D. MCXVII.

Dum cuncta per circuitum regna nationum, suis limitibus rebusque contenta, diu sanguine madentes gladios cæteraque [2337] vasa mortis [2338] jam in vagina concordiæ reconderent, universalis etiam æcclesia mater, post numerosa persecutionum [2339], heresium ac scismatum bella, jam sub vera vite Jesu lassa oppido membra per multas gratiarum actiones mandatis divinis inservitura locaret [2340] : solus heu [2341]! Teutonicus furor, cervicositatem suam deponere nescius, et quam multa sit pax legem Dei diligentibus, immo qualiter per presentis prosperitatis [2342] tranquillitatem ad æternæ visionem [2343] pacis pertingi possit, edi-scere nequaquam voluntarius — solus, inquam, nostræ gentis populus, dum [2344] pre omni terrarum orbe [2345] in perversitatis inolitæ pertinacia incorrigibiliter perstitit, indeque jam [2346] perjurium et mendacium cæteraque [2347] quæ vox lamentatur prophetica (*Osee* IV, 2) inundaverunt et sanguis sanguinem tetigit : nec minus quam quondam Sodomorum et Gomorreorum clamor hujusmodi in aures Domini Sabaoth introiit. Quapropter inter ipsa dominicæ nativitatis festa, 3 Non. Januarii hora vespertina, super tantis divini judicii contemptibus commota est et contremuit terra, ab ira nimirum [2348] furoris Domini, adeo ut nemo inventus [2349] sit super terram, qui tantum se unquam [2350] sensisse [2351] fateatur terræ motum. Nam multa inde [2352] subversa sunt ædificia, civitates [2353] etiam quasdam subrutas [2354] dicunt in Italia. Quin etiam tonitrua [2355] valde terribilia 3 Kalend. Febr. cum grandi turbine sunt audita, fulgura etiam eodem tempore crebro visa. Leodium Lotharingiæ civitas est, beati [2356] Lamberti [2357] martiris, ibidem [2358] quondam pon-

VARIÆ LECTIONES.

[2308] confirmasset 4. [2309] *ita* E. [2310] et E. [2310 *] redimatum *corr.* redonatum. 6. [2311] *deest* 4. [2312] et 9c. [2313] grosolani 4—11 *et ita semper.* [2314] ergo 6. 9c. q. v. *corr.* quia videbat 7. [2315] fuit 7. [2316] *deest* 7. [2317] egerant D1. 9c. [2318] inclusit 9c. [2319] *deest* 4. [2320] *ita* E. [2321] abierat 10. 11. [2322] ergo 10. 11. [2323] colones E2. [2324] cunradum E1. 7. [2325] numquam D1. nulla E2. [2326] in l. 7. [2327] destructas 4—10. constructas 11. [2328] *deest* 4. [2329] et p. *desunt* 4. [2330] exercitatas 4. 7. [2331] firmatis 4. [2332] prestat 4. [2333] alii 4. [2334] pachantur 4. [2335] jam pene 4—11. [2336] o *deest* 6. 7. [2337] aliaque 4. [2338] *hic folium excidit in* D1. *usque a.* 1119. postquam ipse Cluniacum. [2339] *deest* 4. [2340] *ita* E *et conjectura Peutinger.* caret 5—11. cadet 4. [2341] eheu f. t. E1. 2. [2342] prosperitatem tranquillitatis E1. 2. [2343] visionis pacem 7. [2344] *deest* E1. 2. A. S. [2345] orbem p. E2. [2346] *deest* 4. [2347] aliaque 4. [2348] *deest* 7. [2349] sit inv. E1. [2350] numquam E2. *corr.* umq. E1. [2351] fat. s. 4. [2352] s. s. inde E1. 2. [2353] urbes 4. [2354] q. in i. d. s. 4. [2355] terr. v. ton. 4. [2356] sancti 4. [2357] lantberti 9c. [2358] ibi 4.

tificis, patrocinio satis inclita, studiis etiam litterarum pre cæteris adprime famosa [2359]. In qua [2360], dum in [2361] vigilia dominicæ ascensionis (*Mai* 2) universus clerus, decem [2362] videlicet congregationum, intra matrem æcclesiam ex more convenissent, et [2363] vespertinalem sinaxim concenturi, jam [2364] primum psalmum complessent, subito serenissimus aer in turbidinem [2365] versus, tanta simul tonitrua terribiliter et fulgura cum sulfureis igneis [2366] excussit, uti jam [2367] extremam [2368] jam ultimi judicii horam instare, nemo qui aderat dubitaverit ; duobus nimirum clericis et uno de illustribus milite hac tempestate intra sacras ædes absumptis. Quinta decima [2369] dehinc die ex vicino quodam ejusdem [2370] episcopii monte, qua [2371] nunquam aqua preter pluviam visa est, fluvius ingens erupit, qui [2372] non modicam civitatis partem diluens, cum maximo Leodicensium [2373] dampno Trajectensium se finibus infudit. 13 Kalend. Martii hora vespertina vidimus nubes igneas [2374] vel sanguineas ab aquilone surgere, et per medium firmamentum sese extendendo, ipsi mundo terrorem non modicum incutere. Nam, ut postea didicimus, unicuique civitati tam vicinus ipse fulgor videbatur, ut ibidem rerum omnium finem minitari [2375] putaretur.

His et hujusmodi cladibus rex Heinricus cordetenus sauciatus, non cessat legationes satisfactorias ad apostolicam sedem, licet ipse multum infestationibus [2376] Italicis insudans, destinare; quas tamen constat minime profecisse. Nam domnus apostolicus propter securitatem, quam regi, licet coactus [2377], fecerit, diffitetur [2378], illum se [2379] anathematis vinculo colligasse, ab æcclesiæ tamen potioribus membris excommunicationem conexam, nonnisi ipsorum consilio denegat se posse dissolvere, concesso [2380] nimirum utrimque sinodalis audientiæ [2381] jure. Ad hoc etenim [2382] ultramontanis affirmat se cotidie litteris impelli, et maxime metropolitani Mogontini [2383]. Qua de re non desinunt undique [2384] seditiones cœptæ per partes utrasque bachari, precipue tamen [2385] Transrheninis in finibus, immo in ipsa Mogontia urbe multis cadentibus, regiones nobilissimæ hinc inde vastari.

Emicho comes (342) a militibus Friderici ducis occiditur [Colomannus Pannoniorum rex obiit *E.*].

A. D. MCXVIII.

Domnus apostolicus Paschalis secundus, diutina [2386] purificatus ægritudine, presentem [2387] in Domino vitam finivit (*Jan.* 21) [2388]. Pro quo Johannes Cajetanus [2389], vir prudens et venerandus [et [2390]] in Romana semper æcclesia inreprehensibiliter eidem apostolico collaborans, eligitur et cunctorum catholicorum unanimi consensu rite consecratur.

Balduvinus [2391] rex Hierosolimitanus in expeditione contra Arabes positus, cum languorem, quo, licet lenius, tamen diu, vexabatur, ad vitalia pervenisse [2392] sentiret, alterum Balduvinum [2393] de Rohâs [2394] pro [2395] se regem designavit, ipseque Christo domino, pro quo multa jam [2396] bella præliatus est, animam suam fide plena et confessione bona tradidit [2397]. In dominica palmarum (*Apr.* 7) juxta fratrem [2398] suum Gotefridum [2399], loco Calvariæ, mausoleum, germani mausoleo simillimum, cum maximo diversorum populorum planctu suscepit.

Valde mane dominicæ resurrectionis (*Apr.* 14) die cœlum a parte meridiana apertum tantam [2400] lucis effudit abundantiam, ut lunæ, quæ tunc clarissima nimirum [2401] videbatur, lumen inestimabili fulgore detergeret et per unam vel amplius horam — quod multis testibus comprobamus [2402] — omni solis luce clarior permaneret. Ipso tamen spatio crux non modica per idem foramen dependens apparuit ; cujus tam auri quam gemmarum varietas evidenter discerni potuit.

Heinricus imperator, dum Paduanis regionibus immoraretur audito transitu apostolici, Romam properavit, et primo quidem in electione domni Johannis, qui et Gelasius II dictus est, assensum prebens, postea vero eodem a sua se [2403] communione subtrahente, non sine quorundam Romanorum favore alterum quendam Burdinum, ex Hispania supervenientem, apostolicæ sedi imposuit; sicque scisma, quod jam sperabatur [2404] emortuum, crudeliter revixit. Nam eodem Romanæ kathedræ libere potito, Gelasius cum his qui secum abierant cardinalibus cæterisque catholicis quos congregare poterat, apud Capuam, juxta quod litteræ ab ipso circumquaque transmissæ testantur, cæsarem una cum ydolo suo dampnavit. Hinc per Campaniam cum suis ad Burgundiam transmigravit, ac Viennæ synodum congregari [2405] constituit [non sine quorundam

VARIÆ LECTIONES.

[2359] formosa *corr.* famosa 7. [2360] quo 4 — 11. [2361] *deest* 6. 7. 9c [2362] *deest* 4. [2363] ad 4—11. [2364] et jam 4. [2365] turbinem 4. 6. 7. 9c. [2366] ignibus 7. [2367] *deest* E1. 2. *A. S.* 6. 7. 9c. [2368] ultimam u. i. 4. [2369] quindecimo 6. quinto decimo 9c. [2370] m. e. e. E1 2. [2371] quo 4. 9c. [2372] *deest* 10. 11. [2373] leodiensium E1. leodinensium E2. [2374] *ita* E1. 2. i. v. *desunt* 4. 6. 7. 9c. vel 10. 11. velut 5. [2375] inmitari E2. [2376] ital. inf. 7. [2377] invito 7. [2378] dissitetur E2. [2379] se i. 5. [2380] concessa E1. 2. 4. 6. 7. 9c. 10. [2381] audiente 6. [2382] enim 4. [2383] *deest* 4. [2384] c. s. u. 4. [2385] *deest* 4. [2386] divina 7. 9c. d. eg. p. E1. 2. [2387] p. i. d. *desunt* E1. 2. [2388] f. v. 5. [2389] caitanus. 4. 5. 10. cartanus 6. 7. 9c. [2390] *ita* E. [2391] Baldeuuinus 5. 10. 11. *semper*. Balduwinus E2. [2392] venisse 7. [2393] baldevinum E1. 2. balduuuinum 7. baldiuuinum 9c [2394] rhoas 7. 9c. [2395] r. p. se E1. 2. [2396] *deest* 4. [2397] tradit 7. [2398] *deest* 7. [2399] godefridum E1. 2. 7. [2400] tantum 7. [2401] *deest* 4. [2402] probamus 4. [2403] se a sua 5. [2404] speratur 10. 11. [2405] congregare 4.

NOTÆ.

(342) An idem qui a. 1099, cruciferos circa R enum collegerat?

Romanorum favore alterum quendam Mauricium, ex Hispania supervenientem, apostolicæ sedi imposuit; sicque scisma, quod jam sperabatur emortuum, crudeliter revixit. Nam eodem Romanæ kathedræ libere potito, Gelasius cum his qui secum abierant cardinalibus ceterisque quos congregare poterat catholicis, apud Capuam, juxta quod literæ ab ipso circumquaque transmissæ testantur, cæsarem una cum papa [2406] suo dampnavit. *E.*].

A. D. [2407] MCXIX.

Domnus apostolicus Gelasius II apud Viennam synodum congregavit, eaque transacta [2408], post paucos dies in monasterio Cluniacensi [2409] vitam presentem in Domino finivit. Quo, ut decuit, honorifica ibidem sepultura deposito, qualiter domnus Milo, Viennensis archiepiscopus [2410] in locum ejus successerit, ipse postea [2411] Adelberto Mogontino archiepiscopo litteris hoc modo designavit [archiepiscopus in locum ejus successerit, ipse postea Mogontino præsuli his verbis innotuit *E.*]:

Dominus noster felicis memoriæ Gelasius a [2412] Vienna discedens, injunxit michi, ut ad ejus presentiam festinarem, postquam ipse Cluniacum [2413] pervenisset. Quod cum post [2414] dies aliquot [2415] implere satagerem, in itinere de ejus obitu michi [2416] nunciatum est. Ego ut fratribus qui cum domino [2417] eodem venerant, prout ratio exigebat, solatium exhiberem [2418], Cluniacum [2419] cum gravi dolore perrexi. Dum autem super eorum consolatione attentius cogitarem, ipsi gravissimum [2420] michi onus et vires meas omnino transcendens imposuerunt. Congregati namque [2421] in unum die altero post adventum meum episcopi cardinales et centum clerici et laici Romanorum, invitum me ac [2422] penitus renitentem in Romanæ æcclesiæ pontificem [2423] Calistum unanimiter assumpserunt.

His etiam [2424] temporibus (343) Cuono [2425] Prenestinus, adhuc legatione Gelasii functus, synodum Coloniæ cum Teutonicis habuit, ubi [2426] imperatoris omnimodis excommunicationem propalavit. *1 Alteram [2427] quoque synodum in Friteslar [2428] eadem pro causa indixit; qua et habita, eandem quam prius excommunicationem confirmavit. Imperator, his auditis, insuper etiam quod principum consensus generale vel curiale colloquium non multo post apud Wirciburg [2429] instituere proposuisset, ubi ipse aut presens ad audientiam [2430] exhiberi aut absens regno deponi debuerit, efferatus animo, Italiæ suis copiis cum regina relictis, Germanicis se regionibus nimis insperatus exhibuit. Cumque ab emulorum suorum injuriis manum abstinere [2431] nimietas illum iracundiæ nullatenus permitteret, mox invasionum [2432] depredationum atque incendiorum furor, qui jam sopiri posse sperabatur, hoc exemplo, rectoris scilicet universalis, excitabatur [2433]. Qua nimirum tempestate universæ [2434] provinciæ adeo devastationis continuæ importunitate [2435] inquietantur [2436], uti [2437] ne ipsa pro observatione divinæ [2438] pacis professa sacramenta custodiantur [2439]. Quapropter Heinricus totius [2440] regni sacerdotum atque procerum nunciis compulsus, generalem fieri apud Triburium conventum assensit [2441] ubi de omnibus quæ sibimet imponerentur [2442] juxta senatus consultum se satisfacturum [2443], spopondit. Quo scilicet conventu [circa [2444] Nov. (344) inicium] Reninis [2445] in partibus habito, tam adversariorum quam amicorum imperator concorditer usus consilio, unicuique per totum regnum suis rebus spoliato propria concedi precepit; cunctaque regum antiquorum fiscalia suam in ditionem interim recepit; paxque per universas provincias ab omnibus haberi conlaudatur; sed parum profecisse re [2446] ipsa comprobatur. Aderant etiam legati [2447] tam Romanorum quam Viennensium, immo diversarum æcclesiarum missi, confirmantes electionem domni Calisti [2448]. Cui profecto dum universi nostrates episcopi obedientiam professi, synodum, quæ sibi juxta [2449] festum sancti Lucæ indicebatur (*Oct.* 18), conlaudassent fieri, ipse rex semetipsum ibidem pollicebatur ob reconciliationem universalis æcclesiæ presentandum iri. Id enim Catalaunensis episcopus et [2450] Cluniacensis [2451] abbas, apud Argentinam ipsum convenientes, multis ratiocinationum [2452] conatibus obtinuerunt.*

*1 10. *in margine et* 11 *addunt :* Huic concilio interfuit Norbertus postea Præmonstratensis ordinis in-

VARIÆ LECTIONES.

[2406] *in A. S. tamen* ydolo *legitur.* [2407] d. incarn. 10. 11. [2408] eoque transacto E1. 2. [2409] cloniacensi 4. [2410] archiepiscopo E2. [2411] *deest* 7. [2412] *deest* 4. [2413] cloniacum 4. [2414] per E2. [2415] aliquo 4. [2416] *deest* E1. 2. [2417] e. d. E1. 2. [2418] exhibere D.1. 6. 7. [2419] cloniacum 4. [2420] m. g. E1. 2. [2421] *deest* 4. [2422] *deest* 10. 11. [2423] *deest* 4. [2424] autem E2. [2425] chuono D1. 9c chono 7. cŏno E1. [2426] *deest* 4. [2427] Alterum 4. Altm 7. [2428] fritislar D1. 6. 7. [2429] wirziburg D1. 9c. 10. wirciburc 7. wirzeburg 5. [2430] obedientiam 7. [2431] abstrahere [2432] suasionum 6. 9c *corr.* peruasionum 7. [2433] excitatur E1. 2. A. S. [2434] omnes 4. [2435] *deest* D1. [2436] inequietantur D1. inequitantur 6. 9c. *corr.* inquietantur. 7. [2437] ut 6. 7. 9c. ut me in ipsa E 2. [2438] divina E.2. [2439] custodiuntur 10. [2440] *deest* 7. [2441] consensit E1. 2. A. S. [2442] preponerentur 4. [2443] facturum satis 6. 9c. sposp. se satisf. 4. [2444] *ita* E. [2445] rheninis 6? 7. 9c. [2446] res 4. [2447] *deest* 7. [2448] calixti 7. [2449] circa E. [2450] ac 9c. [2451] cloniacensis 4. [2452] rationum 7.

NOTÆ.

(343) Hæc ad a. 1118 pertinere, monuit Stenzel. II, p. 329, 330. Ekkehardus hæc, ut quibus causis imperator ad redeundum sit permotus ostendat, hoc demum anno refert. Cf. de his conciliis epistolas Adelberti Moguntini cod. Udalr. n. 289 — 291

(344) Hunc falsum esse diem patet, cum ipse Ekkehardus dicat, in hoc conventu concilium d. 18 Octobr. habendum collaudatum esse; cf. Stenzel. II, p. 332.

stitutor, tunc autem noviter conversus in peregrino habitu, ibique ab omnibus in multis accusabatur, de quibus se prudenter excusabat. Unde et scriptum legitur de eo, quia : *Manus horum omnium contra eum et ipse contra hos omnes.*

Ejusdem tamen actionem concilii si quis plenarie cognoscere querit, in litteris cujusdam scolastici nomine Hessonis (345) eleganter enucleatum reperire poterit [2453] [*Cod. E.* Idem concilium Remense qualiter actum sit scire volentibus, difficile non est invenire scripta cujusdam scolastici Hessonis nomine, prout se interfuisse testatur, enucleatim omnia describentis *1], id est qualiter rex [2454] inter regnum et sacerdotium de concordia facienda consenserit; insuper eidem concilio, cui [2455] videlicet 13 Kal. Nov. predictus papa Calistus [2456] II vallatus 426 patribus, coram innumera multitudine cleri ac populi presedit, non adeo se [2457] presentem, vicinum tamen, exhibuerit; ubi et colloquio suo domni papæ legatis [2458] concesso, tandem inducias denuo quesierit propter generale colloquium cum principibus habendum, pro investituris scilicet æcclesiasticis, quas tantopere cogebatur amittere; ad ultimum vero idem apostolicus, inacta inter se et regem concordia; synodalia predecessorum suorum decreta confirmaverit (*Oct.* 30), aliaque nonnulla quæ res exigebat noviter [2459] addiderit. Sic itaque post dies fere 12 in virtute Spiritus sancti rite finito concilio, cunctos apostolica benedictione confirmatos ad propria redire permisit, unumquemque cum gaudio. Ipse quoque non multo post ad Italiam conversus, incredibile memoratu [2460] est, quanto tripudio quamque immensa pompa non solum totius Romæ, verum [2461] etiam universarum provinciarum quas pertransierat, Christi vice sit susceptus. Ab illo tempore tam ipse jam vere apostolicus quam universus illum sequens Christi grex de die in diem proficere cœpit, donec cuncta pars Burdini [2462], quem aliqui Ydolum cognominare solent, in dies infirmata [2463], conari contra æcclesiam desiit; regni tamen cœpta commotio — ahc [2464] scelus! — nullatenus quievit.

*1) E1. *Alia manu addit :* Adelgotus XI Magad. archiepiscopus obiit et eodem anno etiam Hugo abbas XI obiit. *quæ* E2. *recepit.*

Hoc anno Adelgoz Magdeburgensis archiepiscopus, homo juvenis et tam Deo quam omnibus [2465] bonis acceptabilis, immaturo preventus occasu, vitam presentem [2466] in Domino finivit. Cui etiam Ruggerus [2467] canonicus canonica electione successit.

A. D. MCXX.

Imperator natalem Domini Wormaciæ non imperialiter celebravit. Postea ductu [2468] Friderici de Arnesberg [2469] Saxoniam ingressus, ibique ab [2470] episcopis regionis illius, ab ejus communione abstinentibus, in Franciam convertitur; ubi nonnullis acceptus, compluribus etiam invisus habebatur. Nec [2471] minus interea scissionem inconsutilis tunicæ suæ Dominus ipse detestatus, inter multa, quibus pro ipso orbis terrarum flagella pugnavit, in episcopatu Trevirensi [2472] mense Junio suscitata tempestate [2473] glaciem miræ magnitudinis effudit, quæ et [2474] ædificia evertit et alia pericula intulit. Saxoniam quoque et maxime in episcopatu Halberstatensi [2475] dira grandine flagellavit, in tantum ut in novem villarum finibus non solum frumenta sed et bestias agri cum volatilibus innumeris consumpserit. Qua correptione [2476] stimulati Saxones, crebros conventus ob concordiam facere, dissidentes inter se pacare, dextras invicem dare, predones exterminare, subpressoque [2477] imperatoris persona, contra omnem hominem terras suas invadere molientem se unanimiter armare cœperunt; ac inter hæc etiam quosdam milites cæsarianos Thuringiam [2478] vastantes in castello Wassenburc [2479] (346) singulis presidiis circumcludentes, tandem penuria afflictos expulerunt; sicque in brevi pacem jocundissimam, licet alibi werra [2480] solita grassante, suis in partibus instituerunt. Litteris etiam ac [2481] legationibus papæ roborati, vacantibus kathedris [2482] canonice pastores elegerunt; quos, mediante Mogontino presule [2483], qui tunc illo regis declinaverat iram, probabiliter et æcclesiastica libertate consecrari fecerunt.

His temporibus Fridericus palatinus comes, qui nuper se a cæteris dissocians, regis fidelitati devinxerat [2484], obiit, jam provectus ætate, et ut cuidam servo Dei evidenter revelatum affirmant, ad loca pœnalia [2485] fertur descendisse. Bonæ memoriæ Dieggerus [2486], primum [2487] abbas cenobii sancti Georgii, indeque per legatum apostolicum [2488] Metensi æcclesiæ ordinatus, post multas a regis fidelibus illatas sibi

VARIÆ LECTIONES.

[2453] potuit 9c. [2454] *deest* 4. [2455] *deest* 7. 9c. [2456] kalixtus 7. [2457] se res p. 4. [2458] *deest* [2459] naviter 4-11. [2460] dictu 4. [2461] sed 4. [2462] burgundini 9c. [2463] firmata conare D1. [2464] *i. e.* ach, o! ac 4-11. [2465] q. hominibus o. b. 6. 7. 9c. [2466] in d. p. 4. [2467] ruoggerus 4. 6. 7. 9c. 10. [2468] dictu 7. [2469] arnesburg E2. arnsburg 4. arnesberc 7. [2470] *deest* 6. 7. 9c. [2471] Hec 7. [2472] treverensi 4-11. [2473] tempestas E1. t. in glaciem 7. [2474] *deest* 4. [2475] halberstadensi D1. E1. 2. [2476] correctione D1. [2477] *ita* D1. E1. 2. 7. 10. subpressoque *corr.* subpressaque 6. subpressaque 5. 6. 9c. 11. [2478] turingiam 4. [2479] wassenburg 4. 5. 6. 10. 11. wasseburc 7. wassenbur 9c. [2480] in w. 9c. [2481] e. papæ ac l. r. 4. [2482] kathedræ 10. [2483] *deest* 10. 11. [2484] devixerat E2. fidelitate dejunxerat 9c. [2485] p. descendit 4. [2486] dietgerus 7. [2487] *deest* 4. [2488] apostolici 9c.

NOTÆ.

(345) Hessonis liber a Tengnagelio editus, notissimus est. Cf. acta concilii ap. Mansi XXI, p. 235.

(346) Eadem fortasse quæ Wachsenburg dicitur in ducatu Gothano.

injurias requievit in Domino, in [eadem [2489]] æcclesia [2490] cui presidebat sepultus; vir adprime litteratus et in sancta conversatione usque ad ultimam ætatem constantissimus.

Sunt in Saxonia duæ quædam munitiones non longo [2491] a se intersticio remotæ, quarum vocabula nunc minime occurrunt memoriæ. Media fere nocte videbatur utriusque castelli vigilibus [2492], non imaginarie sed vere [2493], persona viri a muro unius progrediens, et ad alterum per totam campi interjacentis latitudinem procedens, toto corpore in modum faculæ vel massæ candentis [2494] exardens, quæ etiam prope castellum oppositum disparuit. Hæc visio non semel, sed bis vel tercio similiter [2495] apparuit.

A. D. MCXXI.

Domnus Thidericus [2496], qui Burkardo [2497] Rufo, dudum in legatione Heinrici imperatoris apud Constantinopolim defuncto, per electionem æcclesiasticam in cathedram [2498] Monasteriensem successerat, a suis indigne tractatus, Saxonicis principibus querimoniam injuriarum suarum detulit; et quia vir illustris natu et virtutibus famosus extitit, per Lotharium ducem congregato exercitu, sedem suam etiam contra regis voluntatem repetiit. Contigit autem occulto [2499] Dei judicio, dum inimicas acies videndo cives terrerentur ac pro imminenti periculo singuli sua [2500] molirentur, casas aliquas incaute succendi, paulatimque dominante flamma etiam basilicam majorem, quæ sedes illius erat æcclesiæ, funditus comburi [2501]. Sic quoque miserabili potiti victoria, pontificem pulsum restituunt, multam autem [2502] pecuniam ad restaurationem æcclesiæ conferunt; interpretantes nonnulli causam tanti excidii non esse, nisi quod defuncti presulis Burkardi [2503], qui multa illic ex iniquitate comportasset, oblatio manifestaretur Deo non placuisse.

Auditur interea necnon et nunciis a Roma venientibus approbatur, illum pseudopapam Burdinum, castello [2504] Sutriæ, quo miserrimo suo inserviens officio residebat [2505], per Romani exercitus zelum destructo (*Apr.*), captum, et post plures a vulgo sibi contumelias et illusiones illatas, vix a manibus eorum domno apostolico illum eripiente, ob agendam pœnitentiam exilio relegatum [2506]. Sunt etiam qui talibus eum asseraat deprehensum flagiciis, quæ nostris indignum duximus tradere scriptis.

Igitur Heinricus imperator, inito fidelium suorum consilio (*Jun.*), rebelles sibi Mogontinos affligere tractavit [2507]; ac primo navium commeatum omnibus modis interclusit, deinde presidiis circumcirca munitis, hujusmodi insidiis nundinas sive mercatus fieri sive quicquam victualium in civitatem deferri inhibuit; ad extremum vero [2508] in [2509] obsidionem ejusdem urbis publicam expeditionem undique indici constituit. His auditis, presul Adalbertus totam Saxoniam, ubi tunc manebat, commovet [2510], et quia legationem apostolicam ab ipso papa dudum acceperat, hac auctoritate pontifices et principes ipsius provinciæ pro utilitatibus matris [2511] æcclesiæ frequenter convocat; ubi vir eloquens et primatum in Cisalpinis [2512] partibus multiformiter tenens, ad defensionem totius Germaniæ metropolis animos omnium catholicam obedientiam profitentium tandem excitat [2513]. Huc etiam accessit, quod episcopi Spirensis et Wormaciensis, et si qui alii resistere [2514] non valentes tamen [2515] apostolicam obedientiam professi [2516], pulsi [2517] suis sedibus vagabantur extorres; quos proprio quemque loco restituere disponebant idem principes, pro Domino Deo [2518] exercituum zelo zelantes. Denique circa solsticium æstivale, cara jam ubique [2519], per vastatas nimirum regiones, annona, geminus tibimet, o nobilis Mogontia, conflatur exercitus, alter scilicet in Alsacia, ast [2520] alter in Saxonia, dispari animo annosæ [2521] dignitatis tuæ menia superba queritantes; alter destructionem tuam, alter defensionem intentantes, acsi conquerendo dicenti tibi: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me!* (*Cant.* I, 5.) rebus responderet Christus: *Ecce iterum* [2522] *isti congregati* [*c. sunt.* D. E.] *venerunt tibi!* (*Is.* XLIX, 18.) Fiebant interim per omnes æcclesias jejunia, supplicationes, vel letaniæ [2523]; nec erat ulla filia Syon, quæ se faceret expertem tanti periculi matris suæ. Quapropter respexit Dominus in orationem humilium et non sprevit precem [2524] eorum, sed misso principali suo spiritu [2525], spiritu consilii, spiritu pacis, inter [2526] principes utriusque [2527] populi, dum jam non [2528] longe ab invicem uterque consedisset exercitus, pro eo quod in alterutrum acies dirigere disposuérant, missis utrimque quibusque [2529] sapientissimis atque religiosis proceribus, de concordia sua scilicet fra-

VARIÆ LECTIONES.

[2489] D *deest* 1. [2490] in æcclesia Cluniacensium (cloniacensi 4.) sepultus. cui præsidebat vir adprime l. 4-9c. in æcc. cl. s. vir a. 10. 11. [2491] longe D. 4-11. [2492] *post add.* 7. [2493] *deest* 4. [2494] cadentis 4. [2495] *deest* 4. [2496] heinricus D. 4-11. *Quem errorem Ekkehardus ultima demum revisione correxisse videtur.* [2497] burchardo D. 4-11. [2498] ethedram 4. [2499] *deest* 7. [2500] servare *post add.* 7. [2501] obrui 7. [2502] *deest* 7. [2503] burchardi 4-11. [2504] in c. 10. 11. [2505] sidebat E2. [2506] religatum E1. 2. [2507] curavit E1. 2. [2508] *deest* 4. [2509] *deest* 7. 9c. [2510] commovit 6. [2511] *deest* 4. [2512] eis alpinis 9c. [2513] excitavit 4. *deest* 6. 9c. 10. incitat *post add.* 7. p. erigit tandem 5. p. accendit 11. [2514] non r. 7. [2515] propter 4. [2516] *deest* 4. [2517] s. p. 7. [2518] deo exerc. *desunt* 4. [2519] u. vastata n. per. 4. [2520] alter vero 4. [2521] annosa 5. [2522] *deest* 7. [2523] letatue E2. [2524] preces 7. [2525] sp. suo 4—11. [2526] et inter E2. [2527] u. principes pop. 4 11 [2528] ab E1. 2. *deest* 7. [2529] quibusdam 4—11. u. s. quibusdam 5.

terna honorabiliter tractare cœperunt. Quid plura? Eousque spiritus Jesu pro precio sanguinis sui [2530] filiisque sponsæ suæ dimicans, spiritui superbiæ et maligno prevaluit, ut mentibus universorum jam in uno divinæ voluntatis [2531] assensu conexis, ipsorum consilio, suasione ac obsecratione regis indignatio in tantum [2532] mitigaretur, ut ipse presens negocium [2533] non suo sed optimatum utriusque partis arbitrio terminandum decreverit [2534]. Inde rerum omnium gubernatori cunctis gratias agentibus, denominati sunt [2535] ex utraque parte duodecim primates, quorum corda timor Dei possidens inveteratam discordiam inter regnum et sacerdotium sedare nemine resistente sufficeret [2536]. Ad hæc determinanda collaudantur conventus totius regni principum, curia Wirciburg [2537], tempus festum [2538] sancti Michahelis [2539]; et unoquoque propria manu in alterius manum hujusmodi pactum quasi sub sacramento firmante, cum pace et gaudio discessum est.

Evolutis post hæc tribus fere mensibus, Heinricus imperator venit cum ingenti comitatu in civitatem Wirciburg [2540] juxta condictum (*Sept.*); Saxonum [Wirziburg. juxta condictum vero Saxonum *E.*] vero principes una cum Mogontino presule cæterisque castra metati sunt [2541] juxta rivum [2542] quæ [2543] Werna [2544] (347) dicitur, unius diei iter habentes [2545] a rege intersticium. Ibi securitate per internuncios utrobique composita, post triduum loco prenominato regem conveniunt. A quo pacifice extra muros propter nimiam utriusque partis turbam recepti [2546], exinde per continuam septimanam [2547] uni se cotidie curiæ colligunt, ibique semper super [2548] presenti [2549] scismate [2550], regni videlicet [2551] et sacerdotii, sollerter tractare non cessaverunt. Sed licet nonnulli pacem [2552] odientes scandala nova veteribus superseminare temptaverint [2553], tamen quia divinæ [2554] ordinationis proposito, unde tot capita rei publicæ [2555] convenerant, resistere nemo [2556] prevalet, tandem Heinricus imperator [2557] sponsionis suæ non immemor, universas questiones quæ ventilabantur non suimet arbitrio nec suorum quorumlibet contentione sed juxta senatus consultum concludi, per omnia in omnibus concessit. Unde quia multa, quæ tunc [2558] ibi magnanimiter [2559] disposita sunt (348), enarrare [2560] longissimum est, ea tantum [2561] quæ etiam causa maxima ejusdem conventus fuerunt, huc [2562] annotare sufficiat; utque [2563] pacem firmissimam et ab omnibus universalem sub vitæ periculo legaliter institutam [2564], regalia vel fiscalia regno, æcclesiastica æcclesiis, predia depredatis, hereditates heredibus, omnique personæ vel conditioni propriam adjudicatam esse justiciam. Ad hæc predones furesque edictis imperialibus persequendos sive legibus antiquitus constitutis coercendos, unanimi conjuratione confirmatum est; et [2565] quicquid scandali, quicquid [2566] perturbationis usquequaque per regna Germaniæ inimici seminario succreverat, omnimodis eradicari decretum est. De verbo autem excommunicationis, unde scandala pene cuncta pululaverant, nichil est [2567] diffinitum, tamen ad apostolici regiminis audientiam concorditer in timore divino dilatum [2568], denominatis in presenti legatis, qui Romam hæc omnia deferrent, quatinus, indicto per auctoritatem apostolicam generali concilio, quæcumque humano non possent, Spiritus sancti judicio terminarentur. His ita reverenter pro honestate simul et utilitate regni dispositis, destinati sunt in presenti domnus Otto præsul Babenbergensis, dux Heinricus, comes Berengerius [2569], qui hæc [2570] omnia Noricis principibus, qui tunc forte aliis occupati rei publicæ causis predicto conventui deerant, apud Ratisponam Kal. Novembr. convocatis, intimarent; quos et ad omnia hæc voluntarios inveniebant atque confirmabant [2571].

De [*1] monasterio Fuldensi turris australis corruit, ac sanctuarium orientale et eam quæ subtus illud erat criptam altariaque septem circumcirca compressit.

[*1]) *Reliqua hujus anni desunt* 4 — 11, *eorumque loco hæc leguntur in* 4. 6 — 11 : Eodem anno in Swarzahensi monasterio ob [2572] honorem et reverentiam [2573] piissimæ genitricis suæ Mariæ perpetuæque virginis, et sanctæ Felicitatis preclaræ martyris, septemque filiorum ejus, in quorum [2574] honore idem monasterium constructum et [2575] dedicatum est, factum est quoddam signum memorabile [2576]. Sicut enim Dominus fecit salutem quondam in homine a nativitate cœco, sic istis temporibus perpetravit in juvene a nativitate muto. Sed qualiter hoc contigerit [2577] breviter pandimus et notificamus [2578]. Ex alia quippe provincia puer quidam pauperculus illuc supervenerat, qui a dispensatore fratrum pro misericordia clementer susceptus, deserviebat ibidem multis [2579] diebus,

VARIÆ LECTIONES.

[2530] filii E1. 2. [2531] v. d. 5. [2532] ind. interim 4. [2533] *deest* 7. [2534] decrevit 4. [2535] *deest* 4. [2536] sufficerent 7. 9c. [2537] wirziburg E1. 4. 5. 6? 10. wirciburc. 7. [2538] festui D1. [2539] machaelis 7. [2540] wirziburg 4. 5. wirciburc 7. wirciburch 9c. wirziburc 10. [2541] *deest* 4. [2542] rinum E2. [2543] que *corr.* qui 6. qui 7. 9c. [2544] werra 7. 9c. werra *superscripto* n. 5. [2545] a rege h. 4. [2546] recepto 4. [2547] ebdomadam 4. [2548] *deest* 6. 7. *ubi* semper *corr.* super. [2549] presentis 7. [2550] *deest* 4. [2551] v. r. 4. [2552] pace 9c. [2553] temptaverunt 7. 9c. [2554] o. d. E1. 2. [2555] re publica convenerunt 9c. [2556] *deest* 4. t. n. p. 7. [2557] imperator h. 4. [2558] i. t. E1. 2. [2559] magna 7. [2560] narrare longum 4. [2561] tamen 4. [2562] hic 4. 7. [2563] ut que 6. [2564] instituta 6. 7. 9c. [2565] *deest* 4. [2566] vel 4. [2567] nil. d. est 4. [2568] *deest* 7. d. est 9c. delatum E1. [2569] berengerus 5. A. S. bereng 4. bering 6. 9c. beringer 7. bering 10. beringe 11. B. E1. [2570] *deest* 10. 11. [2571] confirmaverunt E1. 2. [2572] ad *corr.* ob. 6. [2573] reverentiam 6. [2574] q. in 4. [2575] c. est et d. 4. [2576] memoriale 4. [2577] evenerit 4. [2578] et n. *desunt* 4. [2579] multi 6.

NOTÆ.

(347) Wernitz.
(348) Cf. conditiones, in quas convenerunt, Mon. Legg. II, p. 74.

habens sub se curam legenda et conservanda [2580] fratribus poma. Delitescens itaque [2581] serviensque [2582] in tali servitio plurimo tempore, contigit ut magna illa festivitas omnium sanctorum adpropinquaret, et in ipsa vigilia idem serviens diem jejunum [2583] ad vesperum transiens [2584], cum jam resideret cibum sumpturus, repente Dei nutu horror illum invasit nimius [2585], totusque in extasi factus, in impetu perrexit in monasterium, ubi jam ymnus *Omnes superni ordines* ad vesperas studiosius decantabatur ab omnibus; et [2586] semel atque bis in oratione genu [2587] flexus, se [2588] Deo sanctisque ejus [2589] commendabat [2590] attentius. Tum repente omnipotentis [2591] Dei respectu, hactenus clausum laxatum est linguæ illius vinculum, excreansque [2592] ex ore quasi carunculam crudam cum cruore, loquebatur ad circumstantes clara voce. Populis igitur omnibus in æcclesia commorantibus non modicam de tam [2593] subita mutatione [2594] dexteræ Dei excelsi mirantibus, urgebant illum qui curatus fuerat, chorum ascendere, seque in crucis modum coram principali altari sternere, et pro inenarrabili misericordia Dei ipsi immensas gratias referre. Quo facto, etiam [2595] vespertinali officio peracto, fratres pariter et populus cum compunctione cordis et spiritus voces attollunt ad sydera, ymnisque [2596] ac laudibus Christi concrepant magnalia. Hujus itaque rei sunt testes pene omnes provinciales, insuperque omnis familia, quæ ad eundem locum debita jugiter persolvit servitia.

A. D. MCXXII.

Erlungus [2597] episcopus Wirciburgensis [2598] per quatuor annos elephantino morbo vexatus, in natali Innocentum obiit [v. 3. Kal. Januarii obiit 4—11], et prohibente scismate non in civitate sed in monasterio Swarzaha [2599] sepulturam obtinuit. Domnus autem imperator vacanti kathedræ consulturus illo devenit, et consilio suorum usus, quendam adolescentem nomine Gebehardum, bene quidem [2600] natum, sed adhuc pre studiis scolaribus nulla æcclesiastica promotione mancipatum, pontificali investitura [2601] sublimavit, non modica quidem [2602] et ut dicunt saniori parte cleri ac populi id ipsum constanter renuente, alterum autem nomine Ruggerum [2603], ejusdem æcclesiæ [2604] diaconum, inibi videlicet nutritum atque canonicum, canonice eligente. Hinc dissensiones non parvæ oriuntur, in tantum ut eidem parti faventes, relictis quæ possidebant in civitate, cogerentur offensam imperatoris declinare; ducem quoque Fridericum fratremque ejus Chuonradum [2605], electioni eidem [2606] dum frustra consentiunt, indignatos ab avunculo eodemque [2607] domino suo discedere [2608]. Qui tamen non multo post cum metropolitano Mogontino nonnullisque Saxoniæ principibus colloquium juxta fluvium Wirraha [2609] facientes, predictum Ruggerum contra voluntatem regis per auctoritatem ejusdem archiepiscopi Adelberti cæterorumque legatorum papæ, qui tunc [2610] nuper a Roma venerant, presulatus electione [2611] et investitura confirmabant. Ipso etenim tempore episcopus Spirensis et abbas Fuldensis, legatione totius regni apud sedem apostolicam peracta, redierant, ducentes secum Ostiensem episcopum, vicem domni apostolici [2612] per omnia tenentem, cum duobus cardinalibus, qui nichilominus a sede sancti Petri ob reconciliationem regni et sacerdotii missi fuerant.

Hac de causa iterum colloquium curiale per provincias indictum est, cui locus Wirciburg, tempus festum [2613] sancti Petri prefinitum est (*Jun.* 29?) Quo propinquante, appropinquare cœperunt condictæ civitati, non sine dampno totius orientalis Franciæ, diversarum provinciarum principes et turmæ [2614]. Sed ubi nunciis veracibus, domnum [2615] imperatorem illo minime venturum, utpote circa Rhenum aliis irretitum negociis, didicerant, unusquisque in sua redire disponebant [2616].

Interim Gebehardus, federatis sibi [2617] jam firmiter [2618] urbanis, intra muros copiosa cum [2619] turba dum residet [2620], quadam die post meridiem assumpta de his qui secum erant manu valida, quosdam, qui jam uno [2621] pene miliario ab urbe castra posuerant, nichil mali suspicantes, invadere temptavit [2622], et quasi inimicos regni deputans [2623], sive turpiter pellere sive incautos [2624] sternere proponit. At illi clamore venientium excitati, gemina contra acie [2625] celeriter [2626] directa naviter resistendo se suaque castra defendunt, et ex utraque parte cæsis, vulneratis atque captis [2627] nonnullis, die etiam advesperascente, hi ad urbem, isti ad tentoria redeunt. Hinc efferati principes, ad civitatem [2628] unanimiter convertuntur, Ruggerum intronizare contendentes; verum [2629] id non sine sanguine fieri posse perpendentes, ad monasterium quod dicitur Swarzaha [2630] divertunt, ibique illum [2631] coram omni concilio tam metropolitanus quam cæteri [2632] Romani legati presulem [2633] æcclesiæ Wirciburgensi consecrantes, ad propria se quisque conver-

VARIÆ LECTIONES.

[2580] servanda 10. 11. leganda et servanda *corr.* legendi et servandi 7. [2581] s. in t. s. p. t. c. ut m. illa festi *in marg. adposita* 6. [2582] serviens 10. 11. [2583] jejunium 6. 9c. jejuniis 7. [2584] *i. e.* transigens. [2585] n. novus t. 4. [2586] *deest* 4. [2587] genua flexit deo 4. [2588] *deest* 10. 11. [2589] *deest* 10 se 11. [2590] c. se 4. [2591] *deest* 4. [2592] exsecransque 4. [2593] m. datam 9c. [2594] invitatione 6. 9c. [2595] et 4. [2596] ymnis 4. [2597] Erlongus 6. 7. [2598] wirziburg. 5. 10. *semper* wirceb. 7. [2599] suarza 4. 5. [2600] quidam 7. [2601] investura 9c. [2602] *deest* 7. [2603] ruoggerum 4. 6. 10. [2604] *deest* 4. [2605] cuonradum E1. 2. 5. cuondradum 10. cunradum 4. 7. [2606] *deest* 4. [2607] eodem 9c. [2608] discessere 10. 11. [2609] wira 5. 6. werra 7. 9c [2610] qui nuper a. r. tunc v. 4. [2611] electionem et investituram 4. [2612] pape 4. [2613] *deest* 7. [2614] p. ctu-me 10 et t, *desunt* 11. [2615] domni 4. [2616] disponebat 4. 7. [2617] jam sibi 4. [2618] firmiterque 10. 11. [2619] dum t. r. 4. [2620] resident *corr.* resideret 7. [2621] p. m. u. 4. [2622] temptant 9c. [2623] disputans E1. 2. [2624] incaustos E2. [2625] aciem 5. 9c. 10. [2626] celiter E2. [2627] capti 6. a. n. c. E1. 2. [2628] urbem 4. [2629] sed 4. [2630] suarzaha E1. 2. suarza 4. 5. [2631] *deest* 7. [2632] ceterique 9c. [2633] presule.

tunt [2634]. Exinde idem Ruggerus eam [2635] partem episcopii quæ Necaro [2636] fluvio circumjacet in proprios usus tenuit [2637]; Gebehardus vero urbem et quæ illi contigua sunt secure possedit.

Interea presul Mogontinus ab indignatione cæsaris sibimet undique [2638] prospiciens, castrum antiquum et jam per [2639] multas generationes pene funditus dirutum, quod vel a rivo alluente Ascafa, sive ut quidam volunt ab Ascanio conditore, Askenburg [2640] (349) dicitur, miro conatu cœpit munire; rex quoque id ipsum [2641] ob injuriam sui et contra rem publicam fieri dijudicans, obsidionem e contrario ordinare decrevit. At benignus et amator hominum Jesus per industriam servorum suorum, sedis apostolicæ legatorum [2642], qui tunc Mogontiæ morabantur, immo per inhabitantem in [2643] eis Spiritum suum, spiritum principum paci contrarium auferre, caritatem quoque nichilominus in eorum cordibus diffundere cœpit, quia nimirum, ut vere creditur, post tot [2644] Christi tunicæ scissuras, post tot christianorum intestina bella tempus miserendi Syon, quæ est [2645] æcclesia, licet sero, jam venit.

Facto igitur universali conventu apud urbem Wangionum (*Sept.*), quæ nunc Wormacia [2646] dicitur, sieut longum ita et incredibile memoratu [2647] est, quam prudenti, quam instanti quamque per omnia sollicito cunctorum procerum consilio, pro pace et concordia per unam vel amplius ebdomadam certatum sit, donec ipse in cujus manu cor regis est, omnem animositatem augusti sub apostolicæ reverentiæ obedientiam causa matris æcclesiæ, etiam ultra spem plurimorum, inflexit. Mox tamen ab apostolicæ sedis apocrisiariis in communionem receptus tam ipse imperator quam universus sibi subjectus exercitus, immo generali absolutione cunctis hoc scismate pollutis per auctoritatem apostolicam facta, qualiter æcclesiasticas investituras cæteraque [2648] spiritalia negocia, quæ tanto tempore [2649] reges [2650] Teutonici administraverant [2651], quæque ipse, ne regni [2652] diminueretur honor, nunquam vita [2653] comite dimissurum [2654] proposuerat, humiliatus pro Christo coram multitudine maxima abnegaverit [2655], et in manus domni episcopi Ostiensis, ac per ipsum domino [2656] nostro Jesu Christo suæque in perpetuum jus [2657] æcclesiæ dimiserit, rursumque qualia sibi ob honorem regni conservandum auctoritas apostolica concesserit, utriusque partis melius edocebunt [2658] subter [2659] annotata scripta (350) :

Ego Heinricus Dei gratia Romanorum imperator augustus [2660], *pro amore Dei et sanctæ Romanæ æcclesiæ et domni papæ Calisti et pro remedio animæ meæ, dimitto Deo et sanctis ejus apostolis Petro et Paulo sanctæque* [2661] *catholicæ æcclesiæ omnem investituram per anulum et baculum, et concedo in omnibus æcclesiis fieri electionem et liberam consecrationem. Possessiones et regalia beati* [2662] *Petri quæ a principio hujus discordiæ usque ad hodiernam diem, sive tempore patris mei sive etiam meo, ablata sunt, quæ habeo, eidem sanctæ Romanæ æcclesiæ restituo; quæ autem non habeo, ut restituantur fideliter juvabo. Possessiones etiam omnium aliarum æcclesiarum et principum et aliorum tam clericorum quam laicorum, consilio principum et justicia, quæ habeo; reddam* [2663] *quæ non habeo, ut reddantur fideliter juvabo. Et do veram pacem Calisto sanctæque* [2664] *Romanæ æcclesiæ et omnibus* [2665] *qui in parte ipsius sunt vel fuerunt. Et in quibus sancta Romana æcclesia auxilium postulaverit, fideliter juvabo.*

Ego Calistus [2666] *servus servorum Dei, dilecto filio suo Heinrico Dei gratia Romanorum imperatori augusto. Concedo, electiones episcoporum et abbatum Teutonici regni qui ad regnum pertinent in presentia tua fieri, absque symonia et aliqua* [2667] *violentia, ut, si qua inter partes discordia emerserit, metropolitani et comprovincialium* [2668] *consilio vel judicio saniori parti assensum et auxilium prebeas. Electus autem regalia per sceptrum a te recipiat, exceptis omnibus quæ ad Romanam æcclesiam pertinere noscuntur; et quæ ex his jure tibi debet, faciat. Ex aliis vero partibus imperii consecratus* [2669] *infra sex menses regalia per sceptrum* [2670] *a te recipiat. De quibus vero michi* [2671] *querimoniam feceris; secundum officii mei debitum auxilium meum prestabo. Do tibi veram pacem et omnibus qui in parte tua sunt vel fuerunt tempore hujus discordiæ.*

Data anno 1122. 9 *Kalendas Octobris.*

Hujusmodi scripta atque rescripta propter infinitæ multitudinis conventum loco campestri juxta Rhenum lecta sunt, data et accepta; postque multimodas laudes rerum [2672] gubernatori redditas, celebratis a domno Ostiensi [2673] divinis sacramentis, inter quæ domnum imperatorem cum pacis osculo sanctaque communione plenissime reconciliavit, discessum est ab omnibus cum lætitia infinita.

VARIÆ LECTIONES.

[2634] convertit 9c. [2635] tam 9c eam *corr.* jam 7. [2636] necare E2. neccaro 6. 7. 9c. [2637] t. u. 9c. [2638] *deest* 4. [2639] pene per m. g. f. 4. [2640] askenburc E1. 2. ascenburg 4. aschenburg 6. aschenburc 7. ascenburc 9c ascafenburg 5. asafinburc *in loco vacuo post scriptum* 10. asasinburch 11. [2641] *deest* 4. [2642] ligatorum E2. [2643] in eis *desunt* 7. [2644] *deest* 6. 7. 9c. tun. christi 7. [2645] quæ est *desunt* 10. i. ecclesiæ 11. [2646] wa-matia E4. [2647] dictu 4. [2648] aliaque 4. [2649] r. t. a. q. i. ne r. d. *in margine* 6. [2650] regis *corr.* reges 7. [2651] aministraverant 4. [2652] regi D1. [2653] vite comite 4? [2654] se d. E1. 2. [2655] abnegaverat 4? [2656] domno 4. 7. 10. [2657] *deest* 4. [2658] edocebit D1. [2659] super D1. 4—9c. [2660] et semper augustus 9c. [2661] sanctæ 10. 11. [2662] sancti 4. 9c. [2663] reddam—habeo *desunt* 10. 11. [2664] sanctæ 10. 11. [2665] et in o. D. E1. 2. 5. 10. [2666] calixtus E1. 2. [2667] omni 5. [2668] provincialium 7? 10. 11. [2669] consecrans 6. [2670] ceptrum E1. [2671] *deest* 4. [2672] omnium. 4. [2673] ostiensis *corr.* ostiense 7.

NOTÆ.

(349) Aschaffenburg.
(350) Cf. editionem ex optimis fontibus haustam Mon. Legg. II, p. 75.

Aiterum quoque non multo post, id est in festo sancti Martini, colloquium imperator cum principibus qui priori non aderant Babenberg [2674] habuit; ubi et cunctis in sua vota concordantibus, inter multa, quæ tam ad regni quam ad sacerdotii congruebant honorem, more majorum compositis, legatos proprios cum Romanis destinavit, et utrosque [2675], nuncia simul et munera ferentes honorifica, domno apostolico Calisto, consanguineo scilicet jam sibimet unitissimo, direxit.

[Preterea domno Erlolfo, qui Fuldensibus etiam invitis preerat, ante paucos dies defuncto, cum consensu presentium principum, electione regulari premissa, domnus Oudalricus, ejusdem congregauonis frater, in regimen successit, et juxta privilegium prescriptum regalia vel fiscalia eidem [2676] cenobio pertinentia ab imperatore suscepit. E.]

A. D. [2677] MCXXIII.

Imperator Heinricus natalem Domini Trajecti celebravit. Oritur in ipsis festis diebus quædam simultatio, inter aulicos scilicet et episcopi ministeriales; quæ etiam eo processit, ut [2678] universa curia simul ac civitate commota [2679], utriusque [2680] partis armatæ concurrerent cohortes. Fit clamor confusus, quasi a Trajectensibus in [2681] imperatorem conjuratio sit facta; sicque illis irruentibus et istis resistentibus, acris committitur pugna, adeo ut multi caderent, plures de oppidanis caperentur, reliqui in turrim firmissimam, quæ [2682] illic erat, confugerent. Pontifex etiam ipse, quasi pravi consilii particeps et ob hoc majestatis reus habitus, custodiæ traditur, a qua postea magna pecuniæ summa multatus, multis etiam primoribus [2683] illarum partium intervenientibus, et maxime Friderico Coloniensi archiepiscopo [2684], vix redimitur. Cœpit etiam tunc germinare discordiæ illius seminarium, quæ sequenti æstate maximo illius [2685] regionis dampno quæ vulgo Hollant [2686] vocatur, morose ac [2687] laboriose, et vix tandem ipso imperatore copiosum illo exercitum ducente, terminabatur; ubi matrona quedam cujus nomen excidit [exercitum ducente terminabatur, ubi matrona quedam Gertrudis nomine (E.)], soror nimirum Lotharii ducis, cujus [2688] et patrocinio confisa, imperatori rebellare presumebat.

Eo itaque tempore primo per Saxoniam, deinde per totam pene [2689] Germaniam externis quiescentibus [bellis [2690]], civilium ubique seditionum tempestas increvit; et ut ait propheta : *mendacium et perjurium inundaverunt, et* [2691] *sanguis sanguinem tetigit* (*Osee* IV, 2). Predones quippe, qui sub nomine equitum undique superhabundabant, villas et agros æcclesiarum invadebant, colonos [2692] domi forisque spoliabant, et ah [2693] scelus ! ab his [2694] qui pane solo et aqua [2695] victitare solebant, delicias sibimet ministrari tormentis exigebant [2696]; sicque predis et incendiis unoquoque suas injurias vindicante, cœpit undique caritas immo raritas annonæ succrescere. — In pago Wormaciensi [2697] videbatur per aliquot dies non modica et armata multitudo equitum euntium et redeuntium, et quasi ad placiti [2698] colloquia nunc hic nunc illic turmas [2699] facere, circa nonam vero horam cuidam monti, a quo et exisse videbantur, se reddere. Tandem quidam de incolis regionis illius non sine magno timore hujusmodi tam prodigiosæ [2700] concioni, crucis signaculo munitus, appropinquat [2701], mox quandam ex illis occurrentem sibi personam per nomen [2702] omnipotentis Domini nostri manifestare causam populi qui [2703] sic appareret adjurat. Cui ille inter cætera : *Non sumus*, inquit, *ut putatis fantasmata, nec militum ut a vobis cernimur turba, sed animæ militum non longe antehac interfectorum. Arma vero et* [2704] *habitus atque equi quia nobis prius fuerant* [2705] *instrumenta peccandi, nunc nobis sunt materia tormenti, et vere totum ignitum est quod in nobis cernitis, quamvis id vos corporalibus oculis discernere non possitis.* In hujusmodi comitatu dicitur etiam Emicho comes, ante paucos annos occisus (351), apparuisse, et ab hac pœna [2706] orationibus et elemosinis se posse [2707] redimi docuisse. — Referunt quidam, quod nocte quæ diem dominicæ cœnæ precessit, dum ad vigilias more æcclesiastico properarent, vidisse se quasi stellas innumeras de cælo cadere, in tantum ut pluviæ guttas et multitudine et casibus viderentur imitari.

Claruit hoc tempore Dietericus [2708] Cicensis episcopus, litteris adprime eruditus, semper contra scismata, quæ suis temporibus nonnunquam pululabant, propugnator catholicus, et in omni pastorali [2709] sollicitudine commissæ sibimet æcclesiæ desudans utilitatibus. Hic itaque non longe a suburbano vel territorio suæ [2710] civitatis monasterium sive abbatiam summo conatu magnoque sumptuum ac ædificiorum

VARIÆ LECTIONES.

[2674] babenberc 6. 7. 9c. 10. 11. [2675] utros 6. [2676] ejusdem E1. [2677] dominice incarnationis, 9c. 10. 11. [2678] *deest* 7. 9c. *superscr.* E1. [2679] *post add.* ut 7. [2680] utrius D1. 5. 10. utrius *corr.* utriusque 6. [2681] coni. in imp. 7. [2682] q. i. e. *desunt* 4. [2683] prioribus 4. [2684] episcopo 4. [2685] r. i. 7. [2686] holland D1. [2687] et 7. [2688] diutius 9c. [2689] *deest* 4. [2690] *ita* E. [2691] *deest* 5. [2692] colones E2. [2693] ha 6. 7. hi 9c. [2694] ab his *desunt* 6. 7. 9c. [2695] et aqua *desunt* 4. [2696] exiebant 6. *corr.* exigebant 10. [2697] warmaciensi 4. [2698] placitum 10. 11. [2699] turbas 10. 11. [2700] prodigione E2. [2701] appropinquabat 7. [2702] n. christi manif. 4. [2703] que 7. [2704] atque habitus et e. 4. [2705] fuerunt 9c. [2706] *deest* 7. [2707] se p. *desunt* 6. 7. 9c. [2708] thiedericus E2. theodericus 7. dietricus 4. 9c. [2709] pastoralis 9c. [2710] sive 9c.

NOTÆ.

(351) V. a. 1117.

impensis per annos aliquot [2711] instituebat [2712] in colle quem antiquitas olim [2713] Bosowa, nominaverat. Quo loco jam fere ad unguem [2714] perducto, utpote non modica consecrata basilica, congregatione quo que[2715] monachorum ibidem locata, invenitur inter eos quos conversos fratres dicimus quidam perversus [2716] ex eadem gente [2717] Soraborum progenitus, nequaquam sanctæ regulæ sed propriis desideriis per omnia subjectus. Hic pro suis excessibus frequenter [2718] ab abbate corripitur; sed non melioratus, episcopo presentatur corrigendus. Quem ipse frequenter acrius, ut dignum erat, corripuit; ille autem in tantam proterviam erupit, ut episcopum ante altare in oratione stantem cultro perfoderit; unde post triduum venerandus sacerdos [2719] ad Christum migravit.

A. D. [2720] MCXXIV.

Imperator Heinricus natalem Domini Aquisgrani celebravit. Eclypsis lunæ apparuit in purificatione sanctæ Mariæ (352). Unde etiam perterritus Cuonradus, consobrinus imperatoris, conversionem morum suorum professus [2721], Hierosolimam [2722] se profecturum ibidemque [2723] Christo militaturum devovit; indeque favorem non modicum ab omnibus qui hoc audierant acquisivit. Nonnulli quoque nequitiæ studiis antea dediti, eidem se sociari profitentur comitatui. — Non multo post imperator Heinricus movet [2724] expeditionem contra eos qui sibi in regione Hollant [2725] contrarii existebant; hisque licet tarde subactis, ad superiores se [2726] partes contulit, regina [2727] circa fines Lotharingiæ relicta. Circa mediam quadragesimam (*Mart.*) colloquium Wormaciæ cum quibusdam optimatibus habebat; cæteris vero qui non aderant, id est Saxonibus, Bajoariis [2728] atque Boemis, ad curiam venire Babenberg [2729] Nonas Mai [2730] indicebat, maxime propter [2731] Lotharii ducis insolentiam, qui [2732] nova quædam moliri notabatur contra rem publicam ob sororis suæ prescriptæ illatam [2733] ab imperatore injuriam. — Factus est itaque conventus idem non modicus (*Mai.*); nam singularum provinciarum duces aderant, preter predictum Lotharium paucosque sibi [2734] consentientes de Saxonia principes. Quibus singulis necessarios [2735] sumptus vel ex toto vel ex parte ministrabat venerandus episcopus Otto [2736] preter publicum atque constitutum antiquitus imperatoriæ majestati, quod ab [2737] aulicis etiam importunius exigebatur, servitium. Ab ipsis denique pater [2738] idem notabatur rarius quam cæteri præsules palatium visitare; ipse vero monasteriis construendis et restaurandis, elemosinis dispensandis, orationibus invigilandis, cæterisque tam practicæ quam theoreticæ studiis insudandis [2739] sese maluit occupare. Nec deerant, qui id invidiæ causa musitantes, publicis potius [2740] functionibus impendendum judicarent, sicque cæsaris animositatem contra virum Dei commovere [2741] temptarent. Sed quia Dominus custodit omnes diligentes se et vias [2742] peccatorum disperdit, iste [2743] rebus transitoriis [2744] pro tempore non parcens, miro modo, quamvis undique regiones stringente penuria sufficienter omnibus ministrando, bonitate maliciam vicit, ac non fictæ karitatis officiis totius in se regni benivolum affectum commeruit. Unde compositis causis ejusdem conventus, insinuat tam augusto quam primatibus universis, se litteris atque nunciis quam pluribus a duce Poloniæ Polizlao vocatum, insuper etiam domni papæ Calisti permissione atque benedictione directum ad gentem scilicet Pomeranorum, quam nuper idem dux sibi [2745] finitimam subegerat et ad christianitatis confugium impulerat. Annuit tota quæ convenerat æcclesia [2746], annuit et aula, prosperitatem piis conatibus imprecantes; soli Babenbergensis æcclesiæ filii patrem dulcissimum inviti deserunt, multis eum [2747] lacrimis acsi funus prosequentes. — Postquam autem super confirmatione pacis, diversis justiciis regnique negotiis satis tractatum est, indignatus imperator his qui presentem curiam [2748] adire contempserant, instituit expeditionem [2749] sequente Augusto [2750] generaliter fieri, specie quidem contra Saxoniam, re autem vera contra Galliam in regnum regis Ludewici [2751], prebiturus nimirum auxilium socero suo Heinrico Angliæ regi, pro possessione Normanniæ [2752] provinciæ contra eundem regem Galliæ Ludewicum [2753] contendenti. — Cujus [2754] itaque fines postquam statuto tempore jam jamque Teutonicus exercitus cœpit attingere (353[*Aug.*]), exploratores cotidie affirmant, Francigenas, maximo jam domi congregato exercitu, congressum expectare immo temere expetere. Imperator quippe tunc non multas [2755] ibi ducebat copias, quia Teutonici non facile gentes

VARIÆ LECTIONES.

[2711] aliquod E1. [2712] instruebat 7. 9c. [2713] *deest* 10. 11. [2714] ungen 10. 11. [2715] *deest* 4. [2716] conversus 10. 11. [2717] *deest* 9c. *post* Sor. *add.* 7. [2718] sepe 4. [2719] *deest* 10. 11. [2720] d. incarn. 10. 11. [2721] professis E2. [2722] iher D1. E2. ieros. E1. 7. [2723] que *deest* 7. [2724] movet D1. 5.—9c. [2725] holland D. E1. 2. 4. 10. 11. [2726] p. se 4. [2727] c. f. l. r. r. E1. 2. [2728] bajoriis E1. [2729] babenberch 4. babenberc 7. [2730] maii E1. 2. 4. [2731] ob ins. l. d. 4. [2732] quæ 10. 11. [2733] *deest* D1. [2734] *deest* 4. [2735] necessariis E2. [2736] B. D1. [2737] *deest* 10. 11. A. S. [2738] n. p. i. 5. [2739] insinuandis 4. 5. 7. 9c. 11. insudantis E2. [2740] eciam E1. 2. [2741] movere 4. [2742] viam 4. [2743] ille E1. 2. [2744] transitorii E2. [2745] *deest* 4. [2746] *deest* 4. [2747] cum D1. [2748] curam D1. *corr.* curiam E1. [2749] *deest* 4. [2750] *hic folium unum excidit in codice* 4. [2751] luodewici E1. 5. 6. 10. [2752] nortmanniæ E1. norimannie E2. normantine 9c. [2753] lud. E1. [2754] Cujus — cepit *in marg.* 6. [2755] non ibi m. c. d. 7.

NOTÆ.

(352) Hæc d. Febr. 1 accidit.
(353) Cf. Sugerii Vitam Ludewici VII, ap. Bouquet, XII, p. 50.

impugnant exteras. Nunciatur interim a tergo, Wormacienses auxilio ducis Friderici contra voluntatem [2756] imperatoris Buggonem [2757] suum episcopum sedi suæ restituisse, seque inter civitatis muros ad rebellandum omnimodo munisse. Quo audito reversi, urbem eandem maxima [2758] invadunt feritate; nec obsidionem ejus solvunt, donec multis, ut fieri solet, hinc inde conatibus expensis [2759], multis ante murum captis vel occisis, ad ultimum deficientibus alimoniis, quinque milibus talentorum urbani multati, relicto episcopo, pactum ad arbitrium imperatoris faciunt.

Domnus papa Calistus II [2760], vir genere et moribus, sapientia quoque cunctisque divinarum [2761] humanarumque rerum dispositionibus precipuus, in Domino vitam finivit. Post cujus decessum pars aliqua Romanorum Ravennatem archiepiscopum (354), omni religionis testimonio satis commendatum, apostolicæ sedi preficere nituntur; item aliqui Lampertum [2762] Ostiensem; qui et, universali postmodum electione concordante [2763], voti compotes efficiuntur. Nam vir idem et in Romana tam diu probatus æcclesia, et in ea legatione, qua ipse dudum in reconciliatione regni et sacerdotii Germanicis in partibus strenue laboraverat, cis citraque notificatus, tam illorum qui longe quam qui prope erant sacerdotum unanimi favore canonice conseeratur [2764], moreque sedis illius ut vere [2765] tanto dignus honore, Honorius secundus est appellatus [2766] 1*.

*1) 6 — 11. *addunt:* Poppo abbas obiit.

A. D. [2767] MCXXV.

Heinricus imperator natalem [2768] Domini apud Argentinam civitatem, quæ et Strazburg [2769] dicitur, celebravit, frequentantibus ibi curiam principibus [2770] Alsaciæ, Lotharingiæ, cæterarumque Transreninarum partium obtimatibus [2771]. Quo tempore hiemen asperrimam, ver tempestuosum, fames validissima ac mortalitas crudelissima secutæ, tantam stragem per universas provincias, maxime tamen de vulgaribus dederunt, ut pene [2772] tercia pars [2773] populi notetur occubuisse.

Hoc tempore, scilicet in ipso sacrosancto [2774] paschæ sabbato (*Mart.* 28), desideratissimus [2775] nobisque cælitus provisus provisor noster, Otto presul, post multas pro Christo tribulationes emersas gregem sibi commissum revisit; nec aliter quam Christus ipse christus Domini susceptus, gavisis [2776] discipulis gaudium dominicæ resurrectionis duplicavit.

Idem tamen Christi fidelis dispensator et prudens questum de commisso sibi talento lucratum ad fidei suæ devotionisque testimonium litteris annotari precepit; quas et nos ob edificationem legentium hic subnectere non piguit [*Cod. E. omisit* Idem — piguit]:

Anno dominicæ incarnationis [2777] 1124 [2778] *indictione secunda Kalisto* [2779] *papa II* [2780] *Romanæ sedi presidente, Otto Dei gratia Babenbergensis æcclesiæ episcopus divino admonitus instinctu, predicti apostolici auctoritate et assensu roboratus, partes Pomeranorum paganorum cum quibusdam civitatibus terræ Louticiæ aggressus est, ut eos ab errore suo revocaret et ad viam veritatis et ad agnitionem filii Dei perduceret. Quibus baptizatis et conversis, æcclesias construxit et consecravit, et hæc secundum sanctorum patrum instituta servare eos edocuit: scilicet ut sexta* [2781] *feria abstineant a carne et lacte more cæterorum christianorum; dominica die vacent* [2782] *ab omni opere malo, et ad æcclesiam divinum officium audituri veniant, ibique orationibus studiose insistant. Sollempnitates sanctorum cum vigiliis sanctorum* [2783] *vel secundum quod eis indicatum fuerit, omni* [2784] *diligentia observent; sacrosanctam quadragesimam jejuniis, vigiliis, elemosinis et orationibus diligentissime observare studeant; infantes suos in sabbato sancto* [2785] *paschæ et pentecosten* [2786] *cum candelis et cappa quæ dicitur vestis candida, et patrinis comitantibus, ad baptismum deferant, eosque veste innocentiæ indutos per singulos dies usque in diem octavum* [2787] *ejusdem sabbati ad æcclesiam deferant; et celebrationi divini officii interesse satagant. Hoc etiam injunxit* [2788], *ne filios suos necarent, quod nefas maxime inter eos vigebat; ne etiam filios suos et filias ad baptismum teneant, sed sibi patrinos querant; patrinis etiam fidem et amiciciam ut carnalibus parentibus servent. Interdixit* [2789] *etiam, ne quis commatrem suam ducat in uxorem, neque propriam cognatam suam usque in sextam et septimam generationem; et unusquisque contentus sit una uxore; ne sepeliant mortuos christianos inter paganos, in silvis aut in campis, sed in cimiteriis, sicut mos est omnium christianorum; ne fustes ad sepulchra eorum*

VARIÆ LECTIONES.

[2756] voluntates 5. 9c. [2757] contra buggonem E1. 2. [2758] magna E1. 2. [2759] expensis — deficientibus *in marg.* 6. [2760] *deest* 7. 10. 11. [2761] divinarumque 10. [2762] lambertum ostensiensem E2. lambertum 7. [2763] concordantes E1. 2. [2764] consecratus 10. 11. [2765] *deest* 6. 7. 9c. [2766] s. appellatur E1. 2. [2767] d. incarnat. 10. 11. [2768] natale 10. 11. [2769] strazburc E1. 2. 5 — 9. [2770] *deest* 7. 9c. [2771] *ita* D1. E1. [2772] *deest* 6. 7. 9c. [2773] *deest* 9c. [2774] sacrosancte 9c. [2775] desiderantissimus 4 — 7. 11. desiderantibus 9c. desiderantissimo 10. [2776] gavisus 6. *corr* gavisis E1. [2777] Domini D1. [2778] M.C.XXVI. 6. 7. 9c. [2779] Calisto 5. 10. Kalixto D1. [2780] 8 (uero) 7. [2781] f. s. 7. [2782] vacant D1. 5. 10. vacant *corr.* va- 6 7. [2783] *deest* 6. 7. 9c. 11. [2784] cum o. 5. 11. omnia 10. [2785] sanctæ 11. [2786] pentecostes 5. 7? [27] o. d. 5 — 11. [2788] inunxit 9c. [2789] indixit 10. 11.

NOTÆ.

(354) Gualterius.

ponant; omnem ritum et pravitatem paganam abjiciant, domus ydolorum non construant, phytonissas non adeant, sortilogi non sint; ne quid immundum comedant, non morticinum, non suffocatum, neque ydolotitum, neque sanguinem animalium; ne communicent paganis; ne cibum aut potum cum eis aut in vasculis eorum sumant; ne in his omnibus consuetudinem paganam repetant. Injunxit etiam eis, ut dum sani sunt veniant ad sacerdotes æcclesiæ, ut confiteantur peccata sua; in infirmitate autem sua vocent presbiteros ad se, ut confiteantur peccata sua et corpus Domini accipiant. Injunxit [2790] *etiam, ut de perjuriis* [2791]*, de adulteriis, de* [2792] *homicidiis et de cæteris criminalibus secundum canonum instituta pœnitentiam agant* [2793]*, et in omni christiana religione et observatione obedientes sint. Mulieres post partum ad æcclesiam veniant et benedictionem a sacerdote, sicut mos est, accipiant. Nomina* [2794] *civitatum: Piriz* [2795]*, Stetin* [2796]*, Vulin* [2797]*, Gamen* [2798]*, Colbrech* [2799]*, Belgrado, Lubin* [2800]*, Gresch* (355).

His temporibus per latitudinem imperii [2801] Romani prodigia nonnulla cladesque [2802] diversæ frequentabantur, adeo ut nec numerus eorum nec species a cujusquam mortalium scientia colligantur. Porro pauca, quæ nostris auribus volans intulit fama, stilo libuit exarare, ne exempla divinorum [2803] verberum, quæ multiformibus plagis toleramus, occultare videamur generationi subsecuturæ. Quarta feria ebdomadæ pentecostes dirissimæ pruinæ frigus plagam magnam tam novellis ubique frugibus quam vineis, habundantissimam jam fœtuum suorum spem turgendo promittentibus, intulit; nec multo post, id est 16 Kal. Julii, residuum frigoris tempestas tam immensa, quæ diluvium minare [2804] videretur, crudeliter alicubi [2805] devastavit. Item quædam [2806] ex locis palustribus ultra solitum erumpentes, segetes contiguas et maxime triticeas aurugine vel uredine depravavit [2807]. Apium [2808] etiam fœtus, nescio quo auspicante incommodo, ex toto pene deperiit. Nonnulli insuper in sole et luna vel [2809] stellis diversi diverso modo se vidisse signa testantur, adeo ut etiam fidem excedere quibusdam videantur. Puero cuidam in pago Tullifelt [2810] (356) nato crus dextrum diutino livore tumefactum, tandem loco collecti puris crepuit, et pro sanie, mirabile dictu! grana non pauca tritici, siliginis, farris, ordei ac avenæ evidenter effudit. *1

*1) Ei. *alia manu addit in marg.:* Roudkerus XII[us] archiepiscopus Magad. obiit.

Heinricus imperator hujus vocabuli quintus, apud Trajectum [2811] civitatem pentecosten celebraturus, ægritudine, quam jam diu celaverat [2812], superatus, ad extrema cœpit propinquare; vocatisque qui secum erant, id est regina Mahthilde [2813] conjuge sua, consobrino [2814] quoque [2815] suo Friderico duce Sueviæ, cæterisque primatibus, prout potuit [2816], de regni statu consilium dedit, proprietates [2817] suas atque reginam ejusdem Friderici, utpote heredis sui, fidei commisit; coronam cæteraque regalia usque ad conventum principum conservanda in castello firmissimo, quod Trifels [2818] (357) dicitur, reponi disposuit; sicque viatico Christi sacramentorum communicans, diem clausit extremum 10 Kal. Junii. Cujus corpus more regio curatum, Spiram est delatum, et coram multitudine nobilium et inferiorum, clericorum atque laicorum, juxta majorum suorum mausolea honorifice conditum, anno regni sui 20mo, imperii vero 14°.

Hic, ut prescriptum est, primo sub specie religionis patrem excommunicatum imperio privavit; confirmatus in honoribus mores mutavit; sed post injurias apostolicæ sedi illatas semper se ipso inferior fuit, justiciis regni non multum invigilavit; acer fuit ingenio, fortis et audax licet parum felix in præliis, nimius in appetendis alienis. Pecunias, ut aiunt, infinitas congesserat; quas, secundum scripturas (*Luc.* XII, 21), cui thesaurizasset [2819], ipse sine liberis obiens, heu! heu! ignorabat.

Hoc etiam anno nonnullos ex nobilibus una cum innumera multitudine vulgarium seviens mortalitas absumpsit. Inter quos Oudalricum [2820] Eihstatensem [2821] ac Ruggerum [2822] Wirciburgensem, Arnol-

VARIÆ LECTIONES.

[2790] junxit etiam *ita pergit codex* 4. [2791] p. pœnitentiam agant et de a. 7. [2792] et 4. [2793] i. peniteant 7. [2794] Nomina Gresch *in* D1. *in ima margine leguntur.* nomen 10. 11. [2795] Poriz *corr.* Piriz 6. Pirif 8. [2796] Stein 4. Stetun D1. [2797] Wilin 4. Ulin 6. [2798] Camen D1. Gamen *corr.* Camin 7. [2799] Colberch 4. [2800] Zubin *aut* Lubin 4. [2801] rom. i. 7. [2802] clades 4. [2803] divinum 10. et divinum verbum 11. [2804] in mari 9c. v. m. 5. [2805] alicui D1. 4. 5. 6. 9c. 10. 11. alicui *corr.* alicubi 7. [2806] *add.* nebulæ 7. [2807] depravavit *corr.* depravaverunt 7. [2808] apum E1. *e corr.* E2. [2809] et 4. 7. [2810] n. t. 5. [2811] trajectam 4. [2812] celaverat — id est *desunt* 11. [2813] mathilde D. E. mahthildis 4. machth. 5. mathilth 6. machtilt 7. mahthilth 9c. [2814] consobrino — sueviæ *desunt* 10. 11. [2815] *deest* 4. [2816] *deest* D1. [2817] proprietates—commisit *desunt* 10. 11. [2818] triuels 4. hamirstein *in loco vacuo post add.* 10. *et ita* 11. [2819] thesaurizaret 7. [2820] uodalricum 5. [2821] eistetensem 4. eichstatensem 5. 7. eihstatensem 9c. eihstatendem E2. [2822] ruoggerum 4. 9c. E1.

NOTÆ.

(355) Altstadt-Piritz, Stettin, Wollin, Kamin, Colberg, Belgard, Lubzin ut videtur (Barthold Hist. Pomer. II, p. 56. n.), et Garz.

(356) Pagus Franciæ orientalis.

(357) E meridie et occidente Spiræ.

dum [2823] quoque, comitis Arnoldi [2824] filium, bonæ indolis adolescentem, pluresque alios sors ultima pressit. Nam post vulgi stragem immensam tam fame quam pestilentia judicio divino patratam, lues tanta tamque indifferens per populos ubique grassari cœpit, ut nulli conditioni, sexui vel ætati parcendum fore mors minitaretur pallida, vixque vivi sufficerent ad curanda defungentium cadavera.

HIEROSOLIMITA.

IN CHRISTI NOMINE INCIPIT LIBELLUS QUI DICITUR

HIEROSOLIMITA [2825]

Oppressione, liberatione ac restauratione sanctæ Hierosolimitanæ [2826] Ecclesiæ.

De [2827] militiæ vel expeditionis causa, quæ temporibus nostris non tam humanitus quam divinitus ordinata est Hierosolimam ex omnibus pene mundi, sed maxime occidentalium regnorum partibus tendentium, fert animus estuans aliqua prescriptis adjicere, ac per hoc auctoritati tuæ, pastor venerande (358), universoque gregi sanctorum Stephani atque Viti sub virga tua trementi satisfacere. Non enim fas arbitror, his quibus me ipsum totum debeo cum jam in majoribus obedierim, id est ab inicio temporum usque ad nostrorum temporum feces diversorum chronicorum tradiciones memorabiliores pro posse et nosse digesserim, etiam hæc quæ minora sunt caritati vestræ denegare, quod esset omnino in holocausto Domini caudam cum capite non offerre. Impellit etiam in id ipsum me quorundam imprudentium immo impudentium necessaria nimis redargutio, qui vetusto — ineuntes servicium, *ut chron. a.* 1099, excitati [2828] scilicet in zelum — Franciam ducti sunt. *ut chron. a.* 1096. Sed enim de his altius replicemus.

Tempore Heinrici IV imperatoris Romani, *etc.*— linguæ periciam mitigavit, *ut chron. a.* 1099.

Anno dom. inc. 1100. Sub Gotefrido — damno dilatavit, *ut chron. a.* 1100.

Sequenti anno, qui est Domini 1101, visus est a nostro — vidisse testarentur, *ut chron. a.* 1101.

[Commissum est etiam — dimiserat, [2829] *ut chron. a.* 1102.]

Quinto dehinc anno Balduvinus rex — prescriptum cepit congregare, *ut chron. a.* 1105.

Pridie ante — esset parte, *ibid.*

His temporibus nonnulli palmati — statu narrant, *ut chron. a.* 1104.

Inter quæ et regem Balduvinum Ruotgeri [2830] ducis Siciliæ filiam, Cuonradi [2831] regis viduam (359), in matrimonium duxisse commemorant, adducentem sibi tantam Siculorum ac Normannorum classem, quæ Ascaloni, christiano nomini denuo infestissimæ, sufficerent a parte maris in obsidionem. Quam etiam idem rex a terra cum suis obsidens tributariam [ut prius [2832]] fecit.

Non multo post cum jam post absconsam parumper faciem suam Dominus respexisset Syon, quam olim elegerat in habitationem sibi, cepit per orbem terrarum hujusmodi gaudii semen non inmerito diffundi, fideles animæ, quæ vere filiæ sunt Hierusalem, longe lateque bonorum fructuum votis impregnari, vaticinia quoque jam dudum oblivioni pene tradita, diversis ubique cordibus, linguis et vocibus iterari. *Ecce*, inquiunt, *nostris, in quos fines seculorum devenerunt, temporibus respexit Dominus Syon, et videbitur ibi in gloria sua. Respexit in oratione humilium, et non* [*sprevit precem eorum* [2833]] *et cet.* (*I Cor.* x, 11; *Psal.* ci, 17, 18). *Misertus est civitati sanctificationis suæ Hierusalem, civitati requiei suæ* (*Eccli.* xxxvi, 15). *Gaudete gaudio omnes qui lugebatis super eam*, et reliqua (*Isa.* lxvi, 10). Hæc et hujusmodi mille presagia licet per anagogen ad illam quæ sursum est matrem nostram [2834] Hierusalem referantur, tamen infirmioribus membris ab uberibus consolationis prescriptæ vel scribendæ potatis, pro tanti contemplatione vel participatione gaudii periculis se tradere etiam hystorialiter practica discursione cohortantur. Scimus, hominem verbi gratia, qui canticum illud *Lætatus sum* cum alleluia se in visione fatetur audisse, seque ipsum vocibus canentium succinuisse ac per hoc in tan-

VARIÆ LECTIONES.

[2823] arnolfum E2. arnoldum 10. [2824] arnolfi E2. [2825] Iherosolita *corr.* Iherosolimita H1. [2826] Hierosolitane H1. [2827] D. *hanc narrationem his incipit quæ in chronico a.* 1096. *leguntur*: Welfo — Franciam ducti sunt, *postea vero cum chronico a.* 1099. *pergit*: Hic de militiæ *etc.* [2828] excitati — replicemus *desunt hoc loco* D., *sed pleraque* — ducti sunt *jam supraleguntur.* (*cf.* n. i.) [2829] *Hæc desunt* H., *leguntur h. l. in* D. [2830] rutgeri D1. [2831] chunradi D1. [2832] ut p. *desunt* H. [2833] *Hæc desunt* H. [2834] *deest* D.

NOTÆ.

(358) Erkembertum abbatem Corbeiensem alloquitur.
(359) V supra Chron. a. 1099.

tum ad eandem peregrinationem animatum, uti nullam spiritus ejus requiem haberet, donec per multas tribulationes corporali presentia ubi steterunt pedes Domini pertingens adoraret. Nec mirandum sed venerandum, post ablata saxis duriora cordium ethnicorum scandala, de via Domini catholicam unanimiter æcclesiam ad fontem sui exortus et ad cunabula primitivæ suæ institutionis ac specialem veri panis domum nova pœnitentiæ via contendere; quam constat olim preciosa quæque sua membra per eandem viam non neci tantum, sed etiam omnigenis paganorum ludibriis ut oves occisionis exposuisse. Ex eisdem Christi confessoribus pauci qui supersunt testari solent, quod recordari miserabile est, nec passum se pedis inter idolatras gratis consecutos, quanto minus victuum vel hospiciorum solamina. De tormentis inauditis et innumeris, quæ pro auri exactione passi sunt, quis satis scribere queat; quibus mors utique amarissima pro lucro, vita pro cruce erat? Sed ut ad nostra redeamus tempora — quod enim scimus loquimur, et quod vidimus testamur — nondum desunt illo in stadio, quamvis plana jam via, currentibus in absolutionem culparum martyrii bravia, pericula scilicet latronum, pericula fluminum, pericula maris, solitudinis, famis et sitis, estus et egritudinis, aliaque mille peregrinationis incommoda, inexpertis vix credibilia. Dant fidem dictis nostris tot per eandem stratam strata Christi cruciferorum capitibus ablatis cadavera, qui latrocinantibus ibidem invasi paganis, in modum crucis contra orientem terræ protensi, calicem Christi bibisse cernuntur, inter orationum pro quibus peregrinabantur vota. Quapropter cessent necesse est quidam deliciarum vinculis irretiti, crucem post Christum, quamvis in angaria cum Symone, portantibus inproperare, cur ipsum iter, utpote nusquam divinis legibus indictum, vicio dumtaxat mobilitatis assequantur; cum ipsi se potius incorrigibiles, dum vias Domini duras non appetunt, detractionibus venenata lingua testentur. Nos autem quid hos nisi vere martyres credamus, quibus mundus crucifixus, et ipsi mundo. Crucis se signo ad tot cruciatus insigniunt, et de multis paucissimi idemque palmati quasi victores mortis redeunt. Nec desunt jam eandem terram repromissionis incolentibus cotidiana martyria, ultroneum videlicet exilium, absentia parentum, penuria rerum, incursiones, latrocinia, timor continuus, et insidiæ barbarorum, infinitiva bella cum regnis Persarum vel Babyloniorum. Econtra in dies excutiens se de pulvere filla Syon, Hierosolimitana nimirum æcclesia, canticum novum dilecto suo, qui secum mirabilia fecit, cantare non cessat: *Secundum multitudinem*, inquiens, *dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ letificaverunt animam meam* (*Psal.* XCIII, 19). Nam inter hæc exercitia sacra loca ab inveteratis paganorum spurcitiis mundantur, æcclesiæ destructæ restaurantur, episcopia vel cenobia per regiones pristinis in locis instituuntur, civitates et castella muniuntur, portus et mercatus olim desolati populosis conventibus jocundantur, etiam et agricolis, vinitoribus et pastoribus officia sua conceduntur, et quod omnibus excellit beneficiis temporalibus, cælestis ignis in resurrectione Christi annuum karisma ministratur usibus humanis. Venit etiam in manus nostras, quod jam per totum orbem disseminatum credimus, exemplar cujusdam epistolæ, quam Gabrielem archangelum ex persona Salvatoris nostri ipsi æcclesiæ et per illam omnibus æcclesiis missam referunt attulisse, quæ sicut multos prevaricatoribus intentat minarum terrores, ita conversis solitas divinæ clementiæ non denegat consolationes. Ergo tanta per multitudines miserationum Domini super Hierusalem orta gloria ejus oportet, ut universæ tribus terræ, memores quod olim salvatio de monte Syon venerit mundo, sicuti dudum lugebant filiationis affectu super eam, ita nunc eidem primitivæ matri congaudeant et sacientur ab uberibus consolationis ejus, illuc ascendentes a solis ortu et occasu, ab aquilone et mari, ad confitendum procul dubio modis omnibus nomini Domini nostri Jesu Christi, qui locum eundem, quod salva tamen fide dici liceat, plus quam ipsum paradysum terrestrem consecravit incarnatione, miraculis, passione, resurrectione et ascensione sua; cujus nomen et misericordiam cuncta predicent et glorificent seculorum secula. Amen.

EXPLICIT [2835].

VARIÆ LECTIONES.

[2835] *deest*. El. 2.

EKKEHARDI

EPISTOLA AD ERKEMBERTUM.

(*Vide supra col. 449.*)

ANNO DOMINI MCI.

GESTA TREVERORUM

EDENTE G. WAITZ, PROF. PUBL. KILONIENSI.

(Apud PERTZ, *Monumenta Germaniæ historica*, Script. tom. VIII, pag. 111.)

PROLEGOMENA.

***Treviri sive Treveris**, civitas omnium fere quibus* A *nunc Germania lætatur antiquissima, a populo Gallico, sed qui Germanicæ originis se esse jactabat, condita, a Romanis postea expugnata, sed honoribus monumentisque exornata, tunc episcoporum et archiepiscoporum, qui summum honorem in regno Francico, Lotharingico, Germanico obtinuerunt, sedes præclarissima, hodieque situ amæno, monumentorum ruinis, ecclesiis, bibliotheca atque sanctorum reliquiis conspicua, rerum scriptoribus largam semper præbuit factorum quæ enarrarent memorabilium materiam, neque defuerunt qui tum recentiori ætate tum medio ævo id egerint ut historiam Treverensem politicam et ecclesiasticam exponerent, monumenta illa describerent, archiepiscoporum Vitas narrarent aliave diligenter docteque illustrarent.*

Attamen ut eos omittam qui data occasione de hac urbe egerunt, nulli præter unam sancti Maximini Vitam historiæ Treverensis exstant libri sæculo x *antiquiores; ita ut qui priora tempora aggredi velit, fontium penuriam doleat necesse sit. Quod invasione illa Northmannica factum esse audio, qua omnia fere antiquiora historiæ monumenta non solum membranacea, sed etiam lapidea diruta esse, uno ore clamant, quotquot de originibus Treverensibus scripserunt. Neque ego negarim multa tunc esse eversa atque deperdita; quæ si superessent, primordiis historiæ, præsertim ecclesiasticæ, lucem darent; sed libros historicos incensos vel deletos fuisse haud legi, neque tales tunc temporis in bibliothecis inventos fuisse putarim. Medii ævi scriptores potius antiquiore urbis devastatione, Germanis, Hunis et Wandalis civitatem* B *occupantibus, talia facta esse dicunt, famam incertam fallacemque procul dubio secuti* (1). *Nam annales ci-*

NOTÆ.

(1) Antiquiora hac de re testimonia colligere juvat : Vita S. Eucharii Valerii et Materni, Acta SS. Jan. I, p. 922. Hillar. Vindiciæ Hist. Trev., p. 56 : *Hæc de gestis sanctorum patrum, post excidium Trevericæ urbis relictos cineres diligentius perscrutantes, sparsim in cartulis scripta invenimus; quæ in unum redacta utilitati legentium tam præsentium quam futurorum fideliter commendamus, et quamvis in præsenti libello pauca de eorum sanctissimis actibus propter casum superius memoratum contineantur*, etc.; et clausula adjecta, ap. Hillar. l. l. : *Tamen invenimus post excidium Trevirorum quod tribus vicibus devastata sit civitas* (dicit Græcorum, Wandalorum et Hunorum vastationem) . . . . *quamvis pauca de eorum multis commemorantur* (*de multis memorantur*, cod. S. Vird. ap. Hillar., p. 162), *ut prædiximus, per devastationem et incendium civitatis, cum ecclesiasticis causis, hunc quoque libellum postea inventum; alium scilicet combustum invenimus* . . . .; Vita S. Felicis, Acta SS. Mart. III, p. 622 : *In hujus autem ter felicis sancti mentione, sicut in omnium fere Trevirensium sanctorum recordatione, repetitam sæpius hujus urbis vastationem cogimur plorare, per quam constat ingentia sanctorum patrum nostrorum vitæ volumina ita penitus esse consumpta, quod, nisi ex paucissimis ut ita dixerim tanti pelagi guttis, in vetustissimis aliorum locorum schedulis vel etiam in plumbeis ac marmoreis tabulis terræ penitus infossis aliquatenus reformata fuissent, organa nostra*, etc.'; Vita est Paulini, præf., Acta SS. Aug. VI, p. 676 : *Paulini — gesta quædam ex relatione majorum audita, quædam in exemplaribus sanctorum patrum passim inventa volumus nostris innotescere successoribus : — non modica quippe apud Trevericos ejus gestorum exstabant volumina, quæ in ipsius incendio urbis, Domino permittente, dicuntur esse consumpta;* Stephani Vita S. Modoaldi, præf., Acta SS. Mai. III, p. 52 : *quæ — certius describenda nobis fuerat, nisi barbarica depopulatio nobilium Gallorum titulis olim invidisset. Fertur enim barbarorum gens tunc per omnes Galliarum fines furoris sui fræna laxasse — monumenta sanctorum, titulos et nomina antiquorum heroum omnino delevisse, nulla vestigia virtutum, nulla victoriæ, nulla laudis aut probitatis avorum nostrorum nobis reliquisse. — Verum supra omnes urbes — lamentanda erat illa metropolis gloriosa Treveris — tantoque in ea miserabilius plangenda erant antiquarum virtutum monimenta, quanto damnosius multorum profectibus sunt ablata. Ubi cum antiquorum fastos exemplariorum absumeret ignis et ob hoc omnis veterum genealogiarum series abolita* C *fuisset*, etc. De quo tempore illi loquantur, non semper plane constat, Stephanus vero hoc loco de rebus sæculo V et VI gestis loquitur; cf. lib. III init., p. 59, ubi ad Northmannos transit, nihil vero de libris deperditis dicit. Northmannos incusat auctor Vitæ S. Basini, Acta SS. Mart. I, p. 515 : *Sed, proh dolor! gesta ejus præclarissima, tametsi mirifica credantur et sint, ad nostram tamen, quod dolendum referimus, notitiam cuncta delata sunt minime. Egit hoc, ni fallor, furibunda Northmannorum rabies, ecclesias Dei undique devastans. Scitum namque habetur, urbem Trevericam una cum suis suburbanis et ecclesiis adjacentibus per eosdem spurcissimos Northmannos incendio concrematam. Quamobrem accidit, ut non modo hujus divi Basini vita, verum etiam aliorum*

vitatis Trevericæ gesta antiquissima continentes, quos Silvester papa revolvisse dicitur (2), fabulosos esse, omnes concedent, neque acta Paulini aliorumque episcoporum (3) tunc temporis exstitisse, equidem persuasum habeo. Qui ante invasionem illam Northmannicam sancti Maximini Vitam scripserunt, horum alter anonymus nihil ejusmodi tradit, (4) alter Lupus ejus facta silentio suppressa esse dolet (5). Alii quoque sæculi XI scriptores magis præcedentium temporum negligentiam arguunt (6) quam barbarorum incursiones; quos verum vidisse dubitari nequit, cum Vitas illas sancti Maximini aliosque libros (7) Northmannorum manus evasisse constet.

Quibus missis, videamus qui postea res Treverenses memoriæ tradiderint. Multi sane nominantur, opera magna et præclara laudantur. Sed etiam horum maximam partem frustra quæras. Laudantur quidem, sed neque edita sunt neque manu scripta inveniuntur, quasi altera barbarorum invasio hæc quoque documenta delevisset. Laudantur vero a Trithemio, viro docto quidem et diligentissimo antiquitatum librorumque scrutatore, sed qui fidem suam non ita probavit, ut ipsum tanquam certum auctorem sequamur. Iste narrat, mox post Treverorum excidium a Northmannis illatum Florbertum monachum Sancti Mathiæ Treverensis id elegiaco versu quinque libris descripsisse; idem dicit (8), Florberto in schola monastica regenda successisse Eberhardum, Eberhardo Richardum, postea Diethelmum, Adelbertum, Theodericum, Theodorum, Golscherum, Lampertum de Legia, Arnoldum, Johannem, Erhardum, qui per ducentos fere annos scholam rexerint et tantum non omnes tum aliis operibus tum historia Treverensi scripta et continuata insignes fuerint. At mirum sane de tot viris illustribus, de schola florentissima unum Trithemium narrare, neque in domesticis historiæ Treverensis monumentis, sive breviores annales, sive ipsa gesta, sive singulas archiepiscoporum Vitas perscruteris, neque apud vicinos scriptores Mettenses, Virdunenses, Leodienses, neque apud Sigebertum Gemblacensem qui librum singularem De scriptoribus ecclesiasticis composuit, quidquam hac de re inveniri. Unus alterve ex illorum numero nominatur, sed neque eo tempore vixit in quo a Trithemio ponitur, neque ea opera composuisse videtur quæ hic recenset. Nam præter alia multa quæ ad historiam minus spectant, hæc illis tribuit : Eberhardo vitam sanctorum Eucharii, Valerii et Materni tam metro quam prosa elegantiori stylo conscriptam, necnon hymnos varios cantus et prosas in laudem sanctorum plures; Theoderico translationem et miracula sancti Celsi; Golschero libros tres de laudibus sanctorum Eucharii, Valerii et Materni; Lamperto de miraculis sanctorum libros V, de Agritio archiepiscopo Treverorum librum unum, vitæ sancti Mathiæ apostoli librum unum; Johanni legendam auream sanctorum; præterea Eberhardum, Adelbertum, Golscherum, Lampertum, Johannem et Erhardum ad historiam sive gesta Treverorum plura addidisse refert. Cum his ea conferamus quæ revera exstant historiæ Treverensis monumenta.

Sæculo primum decimo Ecclesiæ Treverensis originem usque ad apostolorum tempora relatam esse, alii jam monuerunt (9). Tunc vitam sancti Eucharii simplicem et brevem quam editam videmus (10) scriptam esse, verisimile est, quippe quæ illos a sancto Petro missos imo Domini Jesu Christi discipulos dicat. Certe hic liber, quo Remigius Mediolacensis (11) sæc. X ex., Herigerus (12) et auctor vitæ sancti Agritii (13) sæc. XI usi sunt, recentioris nequit esse ætatis. Eberhardo alii (14), alii (15) Golschero hunc tribuerunt; sed neque Eberhardiana metra neque tres libros Golschero adscriptos hic habemus. Fortasse tamen trium

NOTÆ.

complurium sanctorum actus præfulgidi posteritati scriptis mandati irent se perditum. Tandem ab imperatore Arnulfo profligatis impiis Northmannici agminis satrapis paceque concessa, de post plurimorum sanctorum gesta denuo recuperata sunt.

(2) Vita S. Agritii, Acta SS. Jan. I, p. 773.

(3) V. locos n. 1 allatos.

(4) Acta SS. Mai VI, p. 371.

(5) Lupi epist. ad Waldonem apud Surium III, p. 323 : *Verum in hoc opere illud me admodum coartat, quod, multis quæ dum adhuc viveret egit, ut patlam est, silentio suppressis, vix parva gestorum illius monimenta extant, et in his quædam fabulosis inveniuntur similia.*

(6) Vita S. Agritii l. l., p. 778 : — *antecessorum, ut dictum est, negligentia nostrorum non claret;* Hist. martyrum Trever., c. 1, ap. Hontheim Prodr., I, p. 111 : *pro quorum et nominum et meritorum oblivione antecessorum nostrorum negligentiam incusamus*, etc.

(7) Pertinet huc hymnus de S. Paulino scotice scriptus a. 1072 inventus (*Hist. mart. Trever.*, c. 2), pertinent codices hodieque in bibl. Treverensi et Gandensi superstites plures, S. IX antiquiores.

(8) Ann. Hirsaug. I, p. 37, 56, 71, 98, 121, 142, 154, 174, 184, 208, 245.

(9) Hontheim Hist. Trev. dipl. I, p. IX sqq. de æra fundati episcopatus Treverensis, I. Perierus Act. SS. Sept. IV, p. 357 sqq. Quibus addantur quæ nuper V. Cl. Sybel de antiquitatibus Treverensibus docte et recte plerumque disputavit. V. etiam Rettberg Kirchengeschichte Deutschlands p. 73 sqq. — Ado in martyrologio, Romæ 1745, p. 71, Valerium S. Petri discipulum dixit; apertius vero papæ Johannes XII et XIII loquuntur. Hic a. 969 : *Audivimus*, inquit, *sicut etiam pridem audiendo imo et legendo compertum habuimus, eandem ipsam præ ceteris Galliarum ecclesiis christianæ religionis exordium catholicæque fidei prima rudimenta percepisse per sanctorum virorum Eucharii, Valerii ac Materni et cæterorum evangelicam doctrinam, quos tempore suo — beatus Petrus apostolus ordinavit et instruxit necnon illuc ad prædicandum direxit.*

(10) Acta SS. Jan. II, p. 918. Hillar. p. 147-159.

(11) De quo v. infra. In ejus homilia ap. Hillar. p. 132 ita legitur : *Sic enim Deo gratissimæ ipsius vitæ continet textus*, etc., eaque narrantur quæ in vita edita exstant.

(12) Neque vitæ scriptorem ex Herigeri libro, neque ex communi fonte utrumque hausisse concedam. Cf. quæ supra t. VII, p. 142. n. 51. V. Cl. Köpke monuit.

(13) Acta SS. Jan. I, p. 778.

(14) Hontheim Hist. I, p. XVII; III, p. 965.

(15) Bollandus l. l.

episcoporum vitas Trithemius tres libros vocavit; certe etiam alibi ubi parcius de scriptoribus Treverensibus agit Golscherum nominat (16), *necnon Browerus se Golscheri sermones de Euchario, Valerio, Materno membranis inscriptos vidisse testatur* (17). *Si vitam editam intelligit eamque revera Golscheri nomine inscriptam legit, hic, quem a.* 1012-1038 *scholam rexisse Trithemius narrat, jam sæculo* x *medio floruit. Sed nescio an Golscheri nomen alias inauditum et in codicibus nullis inventum* (18) *prorsus fictum sit.*

Sæculo x *exeunte, si Trithemio fides* (19), *Remigius abbas Mediolacensis Egberti archiepiscopi jussu « cantum de SS. Euchario, Valerio, Materno primis Treverorum episcopis dulci et regulari modulatione composuit. » Hillarius* (20) *vero in codice Sanmathiano homiliam invenit ab hoc Remigio in natali Eucharii compositam, sed ex vita illa plerumque descriptam*

Jam antea Sigehardus miracula sancti Maximini scripsit (21), *Theodericus vero sæc.* XI *incipiente translationem sancti Celsi narravit* (22), *neuter vero res Treverorum antiquiores verbo tetigit. Hunc Trithemius a.* 980-996 *scholæ præfuisse dicit; sed ipse se a.* 1006 *monasterium ingressum esse narrat, neque litteras ibi docuisse videtur.*

Vitam sancti Magnerici Trithemius Eberwino abbati Theolegiensi tribuit (23); *sed auctor abbas fuit Sancti Martini Treverensis* (24), *idem qui post a.* 1035 *Vitam sancti Symeonis inclusi Popponi archiepiscopo dedicavit* (25); *et cum jam a.* 975 *Vita illa afferatur, Eberwinus nonnisi finem addidisse vel novam ejus recensionem composuisse censendus est. Ex Gregorii Turonensis et Fortunati libris pleraque sunt excerpta, vix pauca ex domesticis monumentis sumta, neque origines ecclesiæ Treverensis obscuræ et dubiæ hoc opere illustrantur.*

Qui primus eas exponendas suscepit auctor fuit vitæ sancti Agritii, quem Trithemius Lambertum de Legia dicit. Sed iste Lambertus s. XII *vixit* (26); *alter quem Regenheid dicunt nonnisi opera theologica scripsisse fertur* (27). *Vita vero sancti Agritii sæculo* XI *confecta est, inter annos c.* 1050 *et* 1070 (28). *Præter Vitas sancti Eucharii, Nicetii (quam apud Gregorium Turonensem invenit), Maximini et Hildulfi auctor scriptos fontes nullos adhibuit* (29), *sed ex traditione undecunque collegit quæ vel Agritii gesta vel reliquias ab ipso collectas vel historiam Treverensem spectabant, pleraque fabulosa et quæ recentioribus parum se probarunt* (30), *sed ideo magni facienda, quod aperte demonstrant, quid tunc temporis de historia antiquiori Treverenses compertum habuerint.*

Paulo post a. 1072 (31) *in monasterio Sancti Paulini crypta aperta ibique tabula plumbea inventa est, quæ Nortmannorum tempore defossa dicebatur, tum de martyribus sub Rictiovaro passis et de Paulini sepulchro, tum de ecclesia in eorum honorem a Felice archiepiscopo ædificata loquens* (32). *Hæc inventio et reliquiarum translatio miraculis illustrata eo tempore celeberrima fuit* (33), *et non solum singulari hujus rei narrationi scribendæ ansam dedit* (34), *sed ut etiam vitæ Paulini et Felicis propriis commentariis illustrarentur effecit. Hæc libere profitetur ante inventam tabulam certi nihil constitisse* (35) *historia martyrum Treverensium longius exponit, quomodo documentis historicis destituti fuerint clerici Treverenses, eaque est qua docemur, nullam sancti Paulini vitam*

NOTÆ.

(16) De ill. viris Germ. Op. I, p. 131; ubi ipsi librum de laudibus Eucharii, Valerii et Materni Gesta quoque Treverorum lib. I, tribuit.

(17) Ann. Trev. I, p. 5 : *Sane ejus* (Golscheri) *nos sermones de primis hujus sedis Trevericæ tribus episcopis Euchario, Valerio, Materno membranis vidimus inscriptos.*

(18) Tres vitæ codices Hillarius affert, Sanmathianum p. 56, S. Gisleni p. 146, Virdunensem p. 161. Sed nihil de Golscheri nomine. Neque Browerus dixit se Golscheri nomen in membranis legisse, sed sermones quos ipsi fortasse Trithemio teste adscribendos judicavit.

(19) Ann. Hirs. I, p. 122.

(20) P. 132, ubi fragmenta edidit.

(21) SS. IV, p. 229.

(22) De qua v. Appendix.

(23) Ann. Hirs. I, p. 161. Cf. Acta SS. Jul. VI, p. 179. Hontheim Hist. I, p. 373 n. III, p. 973. Eberwinus S. Martini Angilberto successit. Theolegiensis Gardino (*Ann. Vird.* SS. IV. p. 8), sed eodem tempore uterque vixit.

(24) Vide hujus Vitæ finem in Appendice editum.

(25) De qua Vita v. Append. Minus recte Trithemius l. l. ipsi Gesta Bopponis archiepiscopi lib. I. tribuit.

(26) Hillar., p. 84. V. infra quæ in Append. de miraculis S. Mathiæ dicta sunt.

(27) Hillar., l. l., quem Wyttenbach sequitur.

(28) Circa a. 1050 tertia Vita S. Hildulfi scripta est (v. SS. IV, p. 86), et quæ in Vita S. Agritii de translatione S. Maximini et martyrum Thebæorum afferuntur (p. 774) nonnisi in illa exstant (Act. SS. Jul. III, p. 231). Tabulam vero a. 1072 inventam auctor nondum vidit, quippe qui Paulini corpus in ecclesia a Felice condita sepultum neque tamen catenis miraculose suspensum dicat et alia ex majorum relatione hac occasione afferat, quæ cum monumento illo celeberrimo non ita conveniant, ut inde sumta esse possint. Cf. Vitam S. Agritii p. 774 cum Vita S. Felicis p. 623

(29) De annalibus Treverensibus semel allatis cf. col. 1065 et infra n. 95.

(30) V. testimonia ap. Hontheim III, p. 969.

(31) De anno cf. Acta SS. Oct. II, p. 333.

(32) Qua de re cf. dissertationem (Nelleri, ut Wyttenbach monet) ap. Hontheim Prodr. I, p. 87 sqq. et quæ I. Bucus contra ejus opinionem disputavit, Act. SS. Oct. II, p. 331 sqq.

(33) Lambertus a. 1072, et Sigebertus a. 1071 rem narrant (SS. V, p. 190; VI, p. 362).

(34) Ex hac martyrum Treverensium historia quædam in Append. edidi.

(35) Acta SS. Mart. III, p. 623 : *Causam vero necessitatis susceptæ videlicet tam miræ operositatis, quam (quia* ed.) *multis majorum scriptis vel dictis perceperamus, non sine admiratione ignorabamus. Ceterum quia omnia tempora tempus habent*, etc. — *Nam plumbea tabula in crypta ejusdem monasterii — reperta manifeste nos instruit, quam justa et honesta de causa hæc ab illo constructa sit ecclesia tam magna.*

tunc exstitisse. Hanc fortasse recentiorem jure dicamus (36); *Vita sancti Felicis et Historia martyrum Treverensium eidem tempori, imo eidem scriptori* (37) *tribuendæ esse videntur, cujus nomen nos scire doleo. Utrumque opus Trithemius ne verbo quidem tetigit.*

His expositis Trithemii errores ab omnibus puto intelligi. Præterea vero his libris perlectis luce clarius patet historiam archiepiscoporum Treverensium continuam nullam tunc fuisse. Quotquot Vitas illas composuerunt, certo tuce in archiepiscoporum tempore ordine et gestis exponendis destituti erant; omnes id unum agebant, ut ex paucis monumentis iisque sæpe dubiis et falsis, ex libris externis, ex traditione incerta ea colligerent, quæ præsulum ecclesiis fundatis eorumque nomine inscriptis celeberrimorum historiam quodammodo illustrare possent. Sane neque Gesta, qualia jam ante invasionem Nortmannicam scripta, postea semper continuata esse Trithemius refert, viderunt, neque de Eberhardo, Adelberto, Golschero, rerum Treverensium scriptoribus, quidquam compertum habuerunt. Quid igitur dicamus? Nuda figmenta sunt, quæ ille credulis vendidit (38).

Circa vel post a. 1070 *Nizo abbas Vitam sancti Liutwini scripsit* (39), *nec diu post sive ab eodem sive ab altero scriptore Vita sancti Basini confecta est* (40). *Ne hic quidem levissimum Gestorum vestigium reperies. — Sæculo* XII *incipiente Thiotfridus Epternacensis Brunoni archiepiscopo librum misit, quo de sanctis eorumque reliquiis egit, quo etiam de tunica Domini plura retulit, sed quod Gesta narrant, hanc Treveros esse perlatam, alto silentio præterit* (41). — *Neque Stephanus Leodiensis cum a.* 1107 *Vitam sancti Modoaldi scribendam susciperet, ut usus est, sed ex aliis fontibus librum suum hausit, quo adeo ab illorum narratione recedit, ut Modoaldum non Severino sed Sebaudo successisse dicat* (42) — *Etiam vitæ sancti Auctoris* (43) *et Severini* (44) *s.* XII *scriptæ aliis nituntur fontibus. Liber vero de inventione et miraculis sancti Mathiæ eodem sæculo scriptus ad Gesta provocat* (45).

Quæ cum ita sint, non ante sæculum duodecimum Gesta Trevirorum scripta esse statuamus oportet. Id quod etiam aliis rationibus comprobatur. Codices enim quos habemus antiquissimi usque ad a. 1101 *progrediuntur* (46) *et historiam sæc.* X *et* XI *incipientis ita exhibent, ut nullo modo hanc coævis scriptoribus tribui posse cuique pateat necesse sit. Res omittuntur gravissimæ, episcoporum ordo turbatur, pleraque jejune narrantur, et ne uno quidem loco quam levissimum auctoris supparis vestigium deprehendes. Imo Theoderici et Eberwini opera necnon Vitæ illæ sanctorum Magnerici, Agritii, Felicis, atque Historia martyrum Treverensium exscripta sunt; id quod viros doctissimos Hontheimium, Wyttenbachium aliosque fugisse valde miror* (47).

Præterea vero, nisi fallor, Gestis antiquiores fuerunt libri quidam de historiæ Treverensis initiis singulisque episcopis scripti. Huc refero opus olim in codice Sanmathiano M 1, n. 14, lectum, nunc fortasse deperditum, quod Hillario teste « acta Treviro-

NOTÆ.

(36) I. Pinius Acta SS. Aug. VI, p. 675, hanc Vitam ante a. 1071 scriptam putat, quia nihil de inventione illa legatur; quocum Hontheim III, p. 971, et I. Bæus Act. SS. Oct. II, p. 333 faciunt. At quæ de sarcophago catenis suspenso p. 678 leguntur ex tabulæ fide pendent. Plura S. Paulini acta exstare dicuntur, sermone diversa; a. vero 1072 nulla fuisse, ex inventionis historia patet; vix hymnum quendam de S. Paulino reperire potuerunt.

(37) Certe iisdem fere verbis nonnunquam utuntur. Hist. c. 1 : *Quorum tamen diligentiam commendamus pro eis litterarum documentis, quæ de eorundem sanctorum meritis aut plumbeis aut marmoreis tabulis aut vetustissimis scedulis inscripta reperimus.* Quocum conferas velim locum ex Vita S. Felicis supra col. 1063, n. 1. exscriptum.

(38) Id addam, ex magno illo scholasticorum Sanmathianorum numero et ipsum Trithemium alibi paucos tantum nominare, Theodericum, Theodorum, Lambertum (*Chron. Hirsaug.* Op. II, p. 43, 54, *De ill. viris Germ.* ib. I, p. 131), quos revera in hoc cœnobio doctrina et operibus excelluisse, partim scimus, partim illi libenter credamus. Nihil enim de Gestis dicit. Mirum est libro de scriptoribus eccl. ne horum quidem fieri mentionem. De Golschero v. supra col. 1067, n. 18.

(39) Vita Liutwini, Udoni archiepiscopo (a. 1066—1077) inscripta, hucusque est inedita; cf. Acta SS. Mart. I, pag. 314. Codices Parisiis (*Archiv.* VIII, p. 309), Gandavi (*ib.* p. 549), Treveri (*ib.* p. 604) exstant. Bonnensis vero (*ib.* VII, p. 556) jam inveniri nequit.

(40) Nizoni etiam Vitam S. Basini deberi, ex his verbis statuerunt (*Act. SS.* l. l. p. 319) : *Quid deinceps Liutwinus egerit — qui nosse desiderat, ad libellum sanctorum ejus gestorum recurrat, ibique luculenter descripta reperiet. Hæc vero ex gestis ejus, quantulacumque a nobis brevitate elucubrata, eapropter huic nostro tractatui inseruimus*, etc. Sed hæc potius alium scriptorem indicare videntur; siquidem verba *quantulacumque a nobis brevitate elucubrata* non ad Liutwini sed Basini vitam referri debeant. Hæc minime, ut Hontheim III, p. 978, opinatur, Udoni dedicata est.

(41) V. Sybel, der heilige Rock p. 34, 37, qui hæc primus observavit.

(42) Nihil fere de hoc episcopo compertum fuisse Stephanus dicit; v. locum supra col. 1063 n. 1, relatum, et quæ antea de monacho Helmwardiensi narrat : *Qui — dum pro investiganda patroni sui* (Modoaldi) *generositate ordinis nostri loca plura inviseret et — tam gesta pontificum quam annales regum Francorum famamque antiquorum sapientium diligenti inquisitione perquireret : tandem ad nos omnium ultimos divertit.....* Postea : *Adorsi*, inquit, *sumus auctore Deo enarrare quæ de vita et miraculis beati Modoaldi pontificis tam ex antiquorum relatione quam ex authenticorum librorum lectione colligere potuimus.* Sed plura refert a Gestis prorsus aliena, alia prætermittit quæ hic exposita sunt.

(43) Acta SS. Aug. IV, p. 45.

(44) Inedita est; cf. Hontheim III, p. 975.

(45) Act. SS. Febr. III, p. 442 : *Quomodo autem de Judæa in Treverim venerit, sicut in historia Triverica et in monumentis Silvestri papæ legi*, etc.

(46) De codicibus Aureævallensi et Treverensi, qui minus longe progrediuntur, v. infra.

(47) Præter hos et alios multos etiam Rivet Hist. litter. VI, pag. 127, Trithemium sequitur.

rum continuat usque ad Basinum archiepiscopum, de A *quo pauca admodum memorans finit* » (48)*. *Ex Vita sancti Agritii partim haustum, ergo post s.* XI *medium scriptum est. — Fortasse idem fuit codex, quem Calmetus primus vidit* (49), *quamvis Hillarius alterum indicaverit, quem ita descripsit, ut non ipsa Gesta, sed aliud a Gestis plane diversum opus continere videatur* (50). « *Codex, inquit,* (*Sanmathianus*) *sub litt. I, 1° N. S., in manuscripto minore purissimo, qui sanctorum primitivæ ecclesiæ sive martyrologium sive compendiosa vitarum, relatio intitulari posset* » (51), *atque fragmenta affert talia, quæ diversum libri ordinem et formam satis indicent* (52). — *Priori similis, ut videtur, fuit historia Treverensis, cujus censuram infra editam ex codice Sanmaximiniano descripsi* (53)**. B

*) *Hunc locum exhibet Hillarius pag.* 53, 61. 128, *quem fol.* 113 *exstare dicit :* Omnis [1] infidelitatis spinas ibidem tum longissimo temporis spatio exortas sicut agricola fortissimus agri colendi scientissimus ita radicitus extirpavit, quod se nulla deinceps incredulitatis radix ibi subministravit. Sicuti [2] enim diligenti supputatione colligimus [3], 236 [4] annos inter beati Materni ex hoc mundo gloriosum excessum et sancti Agritii felicissimum in hanc urbem ingressum esse cognoscimus [5]. Quo temporis spatio intercurrente cessavit hujus sedis episcopatus, paganis ipsam civitatem obtinentibus. — — In [6] hujus quoque sancti Materni patris festiva mentione hoc nolumus silendo præterire, quod sicut apud Elegiam 40 diebus in sepulchro mortuus jacebat, ita ecclesiam Trevericam 40 C postmodum annos vivus et incolumis regebat. *Verba* Omnis — obtinentibus *ex Vita S. Agritii, p.* 775, *descripta sunt. Post hunc locum, ut Hillarius inquit,* « *a margine manus perinde antiqua difficulter ob vetustatem legibilis hæc adnotat* » *:* Inveniuntur in catalogo episcoporum Trevirensium 22 episcopi medii fuisse inter Maternum et Agritium. Quare error patet. Similiter [7] error patet, quod eodem tempore etiam pagani civitatem obtinuerint, cum prius habeatur, innumerabiles martyrizatos a Rictiovaro non longe ante adventum Agritii. *Quibuscum cf. locum infra n.* ** *editum.*

** *In codice olim Sancti Maximini* (*conf. Acta Sanctorum Sept.* IV, *pag.* 360), *nunc in bibliotheca Gorresiana Confluentiæ asservato* (*Nro.* 94.) *manu sæculi XII hæc in margine scripta sunt :* Jeronimus in chronica : « Colliguntur omnes anni a 15 Tiberii anno, hoc est a predicatione Domini, usque ad 14 annum Valentis 351 ; quibus si addas illos 30, hoc est a 42. Cesaris Augusti qui est annus nativitatis Domini usque ad 15 annum Tiberii qui est primus annus predicationis Domini, erunt anni 381 ab incarnatione Domini usque ad 14 annum Valentis quo interiit. » Sed retrorsum computatis annis a 14 anno Valentis usque ad 23 annum Constantini patris aug., qui est annus adventus beati Agricii, remanent plane anni 333. Ergo 333° anno incarnationis Domini Agricius ab Helena missus est Treveris presul effectus, et usque ad secundum annum Constantii filii Constantini perduravit ; cui Maximinus successit anno dominice incarnationis 342, sicque anno pontificatus sui 4, imperii vero Constantii 6, dominice autem incarnationis 346, generalem sinodum Agripine Colonie in depositionem Eufrate Arriani 4 Idus Maias, indictione 4, post consulatum Amanti et Albini sub Julio papa celebravit ; propter quod et Jeronimus eundem annum diligentissime in chronica quasi in persona Maximini annotavit, dum Maximinum hoc anno clariorem reddidit, et eundem annum memorabilem ob memoriam Maximini indidit. Itaque absque ulla contradictione computabis [8] inter Maternum et Agricium plenariter 200 annos ; quod et probabilibus argumentis approbamus. Si enim 54 dominice incarnationis anno beatus Eucharius pontificatum Treverice urbis accepit, et 23 annis rexit, et Valerius in 15 successit, sicque Maternus in 40 determinavit : constat profecto eundem Maternum anno Domini 132 obiisse, hoc est 13 anno imperii Adriani et 2 papatus Telesphori ; et sic absque ulla contradictione computabis 200 annos inter Maternum et Agricium, quia 54 et 23 deinde 15 tunc 40 faciunt 132, non 128 ut Treverica historia habet (54) ; et in hoc arguitur mendacio. Ecce habes deprehensam Trevericam historiam. Adhuc nota ejus secundum mendacium. Dicit enim (55) : « Anno Domini 368, Agricius presul efficitur ; » quod apertum mendacium est, quia, ut superius ex Jeronimo monstravimus, cum a nativitate Domini usque ad 14 annum Valentis quo in-

VARIÆ LECTIONES.

Omnis — subministravit *nonnisi p.* 53. [2] Sicut *p.* 61, 128. [3] collegimus *p.* 61. [4] 346, *p.* 128, 246 *coni. Sybel.* [5] *desinit p.* 53, 128. [6] *hæc nonnisi p.* 62. [7] S. e. p. *desunt p.* 62. [8] computaD *cod.*

NOTÆ.

(48) Hillar., p. 128.

(49) Calmet, Preuves p. 1 : *Nous l'avons confronté avec un manuscrit plus ancien et plus court, dont apparemment le moine Thierry s'étoit servi et qui est comme le fondement et la base de son histoire;* et Sur les évêques de Trèves p. VI: *Un ancien manuscrit de saint Mathias, que nous avons vu dans cette abbaye,* etc., et in editionis suæ notis sæpius dicit *l'ancien manuscrit de Trèves* vel *l'ancien mss.* Ne Calmetus quidem Gestorum codicem hunc dicit. Hontheim frustra in S. Mathiæ monasterio eum quæsivit, Hist. p. XXVI. Sed Hillarius librum exhibere noluit, v. quæ dicit p. 61. 103.

(50) Ibid., p. 63.

(51) Pergit : « Hic est minor, ille antiquior, quem a se visum asserit Calmetus. » Quod tamen vix concesserim. Nam Calmetus non de martyrologio sed de D continua, quamvis brevi, historiæ Treverensis narratione loqui videtur, qualis in codice M 1, n. 14, exstabat ; Calmetus suum librum in Vitis primorum episcoporum cum vulgari textu ad verbum convenire dicit, codex Hillarianus in his ipsis prorsus diversa habet. Cf. quæ dixi Archiv. IX, p. 704, sqq.

(52) Locos de SS. Euchario, Valerio et Materno exscribere longum est. Non uno tenore legebantur ; sed fol. 37. 45. et 5, neque cum Gestorum verbis conveniunt. Loci vero a Calmeto exscripti semper propius ad hæc accedunt.

(53) Quæ hic in historia Treverensi vituperantur, a Gestis partim sunt aliena, sed cum iis fere conveniunt quæ ex M. 1. n. 14 supra exhibui.

(54) Cf. Gesta c. 16.

(55) Gesta c. 19.

teriit sint anni 381, sed retrorsum computatis ab eodem 14 anno Valentis usque ad 23 annum Constantini, qui est annus adventus beati Agricii, remanent plane anni 333, non 368, et ita comprobabis [9] eam bis per omnia mentitam; unde ex his duobus mendaciis plura potes ex eadem Treverica historia ad plenum colligere.

Quoniam 200 annos inter Maternum et Agricium fuisse ex chronica Jeronimi comprobavimus, restat ut videamus, si civitas ista, ut quidam volunt, maxime Treverica historia (56), his 200 annis in paganismum redierit, an in christianitate perduraverit. Quod nobis omnino non videtur, videlicet eam in paganismum redisse. Cum enim constet usque ad passionem Tirsi et Palmacii et tocius Treverici populi, que facta est a Rictiovaro sub Diocletiano et Maximiano anno Domini 306, hoc est 19 anno imperii Diocletiani, quando in Martio mense in diebus pasce ecclesie per totum orbem Romanum jussu Maximiani et Diocletiani subverse sunt 1° anno persecutionis, quia, ut Jeronimus in chronica testatur; 2° anno persecutionis Diocletianus in Nicomedia, Maximianus Mediolani purpuram deposuerunt; cum, inquam, usque hoc tempus tota civitas a tempore beati Eucharii christiana extiterit, et episcopi, Methodio teste Paretensi [10] ecclesiæ episcopo et martire, per totum tempus inter Maternum et Agricium non defuerint, ita ut 26 episcopi enumerentur [11]: absurdum videtur, ut in tam parvo tempore, sicut est a passione predictorum martirum usque ad adventum beati Agricii, tota hec civitas in paganismum redierit; cum, inquam, non plus quam 24 anni extiterint, quia a primo persecutionis anno usque ad 23 annum inperii Constantini fuere non plus quam 26 anni, quoniam 4 persecutionis anno regnare orsus est. Ergo 24 anni sunt inter passionem Tirsi et Palmatii et adventum beati Agricii. Quod si dicas his diebus civitatem in paganismum redisse et exinde Tetradium usque ad tempora Martini paganum perdurasse, nobis omnino stare non videtur. Quomodo homo tanti nominis ut Tetradius in tam preclara et regia civitate paganus durare tot tempora potuisset, maxime tot sanctis sacerdotibus hic vigentibus, ut Agricius, Maximinus et Paulinus? Quomodo homo paganus contemporalis Maximini esset in una eademque civitate, cum constet eum tot ac tantis miraculis claruisse? Qua fronte Eufratam Agripinensem vir Deo plenus gradu movit utpote hereticum, et non in civitate sua convertit paganum? Quomodo in ulteriorem Frigiam Paulinus pro Christo exulavit, et ibi usque ad sanguinem paganis predicavit; dum hic in sua diocesi paganos reliquit? Inconveniens plane fuit. Sed quia Tetradius a Martino baptizatus est, dicimus ejus baptismum usque illuc, sicut mos illius temporis erat, distulisse; quod et Augustinum et Ambrosium et ipsum Martinum invenimus fecisse; nec tamen totam civitatem paganam ideo extitisse. Quod si dicis Tetradium omnino gentilem fuisse nec ideo Martinum in ejus domum descendisse, dicimus eum hoc ideo egisse, quia viderit eum non obstinata mente paganum sed sibi reservatum esse, quia si idem obstinata mente incredulus fuisset, nequaquam pro filia ad Martinum accessisset, sed potius ad idola sua declinasset.

Hi libri et alii fortasse, quorum ne notitiam quidem habemus (57), *Gesta qualia nunc exstant antecessisse ipsisque conscribendis ansam præbuisse videntur. Ne illi quidem sæc.* XI *exeunte antiquiores esse possunt; Gesta vero non ante sæc.* XII *scripta esse jam monuimus. Sed quo anno confecta sint, nunc certius indicari nequit. Primos tamen sæculi annos equidem hujus libri natales dixerim. Nam qui Vitas sanctorum Modoaldi et Auctoris conscripserunt. Gestis quidem minime usi sunt; sed neque Gesta ex his Vitis hausta sunt, neque sancti Modoaldi translationem a.* 1107 *et aliam sancti Auctoris paucis post annis factam verbo tetigerunt. Huc accedit, quod jam c. a.* 1152 *alter quidam his Gestis additamentum et continuationem adjecit, quod Bruno episcopus, qui a.* 1101 *Ecclesiam Treverensem suscepisse narratur, jam a.* 1124 *obiit, denique quod codex qui exstat antiquissimus sæculo* XII *incipiente scriptus esse videtur. Quæ cum ita sint, non diu post a.* 1101, *in quo codices desinunt, Gesta esse confecta, non possumus quin statuamus* (58).

In monasterio Sancti Eucharii Gesta nata esse probabile est; sed auctor nomen siluit, neque inter viros illos a Trithemio laudatos quærendum esse videtur. Certe Golscherum, quem Trithemius nonnunquam solum dicit auctorem, equidem vix inter scriptores medii ævi retulerim. Aliud vero nomen quod nuper innotuit non satis firma niti auctoritate omnes concedent. In bibliotheca Romana Vallicell. codex a Bethmanno nostro evolutus est, H. 13 fol., qui s. XVI *vel* XVII *scriptus inter varia opuscula historica f.* 1-12 *librum continet ita inscriptum* : Ex Chron. Trevirensium per Rodulfum Trev. diaconum conscriptis. *Sed mera sunt Gestorum fragmenta ex codice continuatione prima aucto negligenter satis descripta. De nomine illo nihil constat*

VARIÆ LECTIONES.

[9] comproba‡ *cod.* [10] *ita cod.* [11] enurentur *cod.*

NOTÆ.

(56) Hæc in Gestis ita non leguntur, quæ nunc cum Methodio faciunt.

(57) Hillar., p. 66, 127, etiam de codice M 1. n. 13. loquitur Gesta breviora usque ad Nortmannicam invasionem continente. Sed e nostris B 6 intelligi videtur. Alii quos Hillar. affert codices hi sunt : M 1. n. 12, p. 26, 64, 127, (—C 1), M. 1. n. 15. p. 57. (*Vita Eucharii*, etc.), M 1. n. 16, p. 57, 67 — (*Historia martyrum Treverensium*).

(58) Sybel, die Advocaten des Trierer Rocks II, p. 45 n. 52. Gesta post a. 1131. scripta esse putat, quia Agritius, qui c. 19. in S. Eucharii monasterio sepultus esse dicitur, tunc primum reperiebatur. Nam in transl. et mirac. S. Mathiæ ita scribitur c. 6: *Qui licet per tot tempora nullo sciente inibi servaretur.* Sed hoc loco de altari quodam non de tota S. Eucharii ecclesia sermo est. In qua Agritium sepultum esse, auctor procul dubio finxit (v. infra col. 1077-8 et ita inventioni ansam dedit. Huc accedit quod in Gestis ecclesia S. Eucharii nunquam S. Mathiæ nomine indicatur, cum a 1131 sancti apostoli ossa ibi reperta sint, quæ c. a. 1050 Bertulfus abbas ibi reposuisse dicitur. Qua de re nihil Gesta referunt. Cf. Archiv IX, p. 708.

Quisquis auctor fuit id egit, ut antiquitatem et historiam Treverensem illustraret urbemque ut ipsi non sine causa videbatur celebrem redderet celeberrimam. Nam non solum archiepiscoporum gesta et res Christianas narranda duxit, sed ad priora tempora regressus est, imo in obscuram vetustatem ascendit, ut gloriosa Treverorum facta enarraret. Fabulosa esse multa quæ tradat primo patet aspectu, neque tamen leviter hæc invenisse putandus est, sed ex fama vulgari, ex inscriptionibus tunc temporis repertis vel fictis (59) *hausisse, conjunxisse, amplificasse quæcumque ad rem facere viderentur. Non hoc loco quærendum est quis primus Treverorum origines a Trebeta Nini filio repetierit; fortasse non ante s.* XII *hæc nata est opinio, sed Gestorum scriptorem alii præcessisse videntur* (60). *Hic vero non solum hanc narrationem libenter recepit, sed eas quoque traditiones quæ de monumentis urbis hodieque magnificis in populi ore ferebantur* (61). *Quibuscum veterum scriptorum de Treveri et Treverensibus locos quotquot invenire potuit conjunxit, et patriæ glorificandæ studio illectus nonnunquam etiam ea ad Treveros retulit quæ de Gallis in universum dicebantur. Ita Justino, Eutropio* (62) *et Orosio usus est, præsertim vero Cæsare, ex cujus commentariis de bello Gallico quam plurima descripsit. Legerat etiam Ausonium* (63), *necnon ex libro quodam Galbæ Viatori nescio cui ascripto* (64) *quædam sumpsisse videtur; alia vero sunt quæ ad certum fontem referri nequeant. Majori etiam diligentia scriptores ecclesiasticos adhibitos videmus; nam quæ Hieronymus* (65), *Ambrosius* (66), *Augustinus* (67) *de rebus Treverensibus referebant, hic sunt repetita; Historiæ ecclesiasticæ Rufini et quæ Tripartita dicitur singulas notitias præbuerunt* (68); *alias Gestorum scriptor apud Sulpicium Severum* (69) *et in libro Gregorii Turonensis de Vita Patrum* (70), *necnon in Vita Gregorii Magni auctore Joanne diacono* (71) *invenit; neque historici sæc.* V, VII, VIII, *ipsi defuerunt, qui modo Prosperi Chronicon* (72), *modo Gregorii Turonensis historiam Francorum* (73) *consuluisse videtur, præ cæteris vero his temporibus chronographum quem vulgo Fredegarium dicunt eum habuit quem sequeretur* (74). *Nescio an his Bedæ opera* (75), *Adonis Martyrologium* (76) *aliave addam. Accedunt vero Vitæ et historiæ Treverenses, quas partim supra jam recensui; Vitas dico sanctorum Eucharii* (77), *Agritii* (78), *Maximini* (79), *Felicis* (80), *Magnerici* (81), *Hildulfi* (82), *fortasse etiam Liutwini* (83) *et Paulini* (84). *Ex his et Historia martyrum Treverensium* (85) *magna antiquæ historiæ ecclesiasticæ pars ad verbum est descripta. Necnon Passionem sancti Nazarii* (86), *Vitam sanctæ Helenæ ab Almanno scriptam* (87), *Vitam sancti Goaris auctore Wandelberto* (88), *fortasse etiam Acta sancti Lubentii* (89), *sanctorum Fusciani et Victorici* (90) *in usus suos vertit. Præterea antiquioribus temporibus librum Methodii nomine quamvis falso inscriptum* (91), *et Herigeri gesta episcoporum Trajectensium consuluisse videtur* (92); *postea vero ex Reginone plura* (93), *singula quædam ex Thegani appendice* (94) *et Hincmari epistolis* (95) *recepit; vidit etiam sancti Celsi translationem* (96) *et Vitam Conradi sive Cunonis archiepiscopi* (97), *quas tamen describere noluit. Inde a nono sæculo brevius Treverensem historiam narravit, fontibus, ut videtur, destitutus. Nam præter Reginonem jam nullum habuit rerum Germanicarum scriptorem, neque archiepiscoporum vitas, sed pauculas tantum de invasione Normannica notitias, et de sequentibus temporibus nihil præter catalogos episcoporum nuda nomina exhibentes, singulas translationum historias memoria non valde dignas, regum denique et paparum chartas* (98), *quas breviter indicare ipsi satis videbatur. Quo factum est ut hæc Gestorum pars vix historiæ nomine digna censeri possit, quæ breviter episcoporum ordinem referat, paucis tantum verbis de singulorum origine vita et obitu additis, qualia s.* XII *scriptor raptim colligere potuerit. Cum Cæsaris gesta ex alieno fonte hausta plures paginas impleant, nunc tempora gravissima paucis lineis absolvuntur, summi archiepiscopi pau-*

NOTÆ.

(59) V. c. 2. (3.) 6. 8. 18. 23. 27.
(60) V. Thiotfridi locum ad Gesta c. 2. n. allatum, quem ante Gesta conscriptum puto.
(61) V. de portis c. 3, aquæductibus et amphitheatro c. 4.
(62) Purum Eutropii textum habuisse videtur; nihil enim ex Pauli Diaconi vel Historiæ miscellæ additionibus reperi.
(63) C. 20.
(64) Cf. c. 3. 6 n.
(65) C. 7. 20
(66) C. 20.
(67) C. 21.
(68) C. 19.
(69) C. 20.
(70) C. 23. 24.
(71) C. 26.
(72) C. 20.
(73) C. 20. 22. Mirum est alia multa quæ hic de Treveri narrantur prorsus neglecta esse; ita ut non ipsum Gregorii librum, sed alium ex hoc descriptum auctori ad manus fuisse putarim.
(74) C. 22.
(75) Cf. c. 16 et 23.
(76) Cf. c. 17.
(77) C. 4. 14.
(78) C. 17. 18. 19.
(79) C. 19.
(80) C. 22.
(81) C. 24.
(82) C. 25.
(83) C. 24.
(84) C. 19. 28. De vita S. Mari v. c. 23.
(85) C. 17.
(86) C. 15.
(87) C. 18.
(88) C. 23. 25.
(89) C. 19.
(90) C. 17.
(91) V. infra.
(92) C. 16. cf. infra.
(93) Cf. c. 13. 14. præsertim vero c. 25. 26. 27. 28.
(94) C. 25.
(95) C. 24. 25. 27.
(96) C. 29.
(97) C. 33.
(98) C. 24. 25. 28. 29. 32.

cioribus verbis quam fabulosi illi Catholdus et Arimaspes laudantur. De Egberto quidem et proximis ejus successoribus auctor minus parco utitur sermone; sed mox consueto more pergit. Neque ex fontium penuria hæc jam explicari possunt. Nam quo propius ad sua tempora scriptor devenit, eo brevius res Treverenses narravit, aut eas satis notas esse ratus, aut eo consilio ductus ut veterem civitatis gloriam quam amplissimis laudibus efferret, recentiora vero tempora sæpe minus felicia negligeret vel aliis uberius describenda relinqueret.

Sed aliam fortasse hujus diversitatis causam licet indicare. Quid enim si ille quem Gestorum dicimus auctorem antiquius descripsit opus, quod de primis historiæ Treverensis temporibus uberius egit, quod ipse vere brevius continuandum sumpsit? Sunt sane quæ ut ita statuamus valde suadeant. Ejusmodi librum usque ad Basini tempora decurrentem Hillarius vidit, sive eundem sive similem Calmetus præ oculis habuit eaque attulit quæ hanc narrationem plerumque cum Gestis convenire, in singulis vero locis discrepare ostendant (99). *Quibus accuratius examinatis, id patet, hunc codicem propius ad fontes accedere neque ea exhibere quæ fabulosa et in cœnobio Sanmathiano inventa esse videantur. Quem codicem quominus antiquiorem Gestorum formam exhibere dicamus multa vetant* (100), *nisi quotquot de historia Treverensi scripti sint libri, Gesta appellemus. Sed Gestis nostris librum illum fundamento esse positum et fontes quos supra recensui magnam partem non ab ipso Gestorum auctore sed a priore illo scriptore adhibitos esse, non possumus quin statuamus; quamvis nunc quæ hic liber exhibuerit, quæ Gestorum auctor addiderit, non satis discerni possit. Quæ Calmetus affert hæc sunt : locus c.* 16 *de episcopis inter Maternum et Agritium ecclesiam Treverensem regentibus* (101), *præterea quæ c.* 15 *de viniductu, c.* 19 *de Mathiæ ossibus et tunica Domini, ibidem de Agritii et Maximini sepultura referuntur, in antiquiore illo libro non legebantur. Alia probabili conjectura indicari possunt, e. gr. quæ de ecclesia ab Euchario ædificata, de Euchario, Valerio et Materno ibi sepultis c.* 14, 15, 16, *de cella sancti Eucharii c.* 21 *leguntur. Hæc enim scriptorem monasterii Sancti Eucharii sive Mathiæ indicant, qui præsertim id egit ut in suo monasterio pontifices egregios et viros sanctos sepultos esse ostenderet* (102). *Capite* 16 *vero episcoporum catalogum valde auxit, ut lacunam illam inter Maternum et Agritium expleret et Ecclesiæ Treverensis antiquitatem certius vindicaret. Hæc nomina, quæ in antiquioribus catalogis desiderantur* (103), *fictitia esse, jam omnibus, nisi fallor, constat* (104); *major vero eorum pars in libro legebatur Methodii Paterensis nomine inscripto* (105); *quem ne revera huic auctori attribuas tum ipsius ætas tum aliæ rationes vetant* (106). *His receptis octo addebantur Tungrensis Ecclesiæ episcopi, de quibus noster Herigeri verba retinuit, sed quorum hic locum sepulturæ se nescire dicit, hos more consueto in sancti Eucharii ecclesia sepultos asserit. — Aliis locis quæ ex opere illo sumpta, quæ addita sint, jam indicari nequit, neque inde a quo tempore Gestorum scriptor proprio Marte narrationem continuaverit compertum habemus. Calmetus codicem non ultra Maximini tempora affert, Hillarius alterum in Basino desinere, alterum, quem Calmetianum habet, sanctorum primitivæ ecclesiæ compendiosam vitarum relationem exhibere dicit. Equidem inde a capite fere* 23 *auctorem hoc duce destitutum fuisse putarim; sed etiam quæ antea ex Gregorio et Fredegario sumpta, immo quæ de antiqua civitate Treverensi ex libris partim, partim ex traditione vulgari compilata sunt, monacho illi Sanmathiano tribuerim, qui sæculo* XII *ex breviori archiepiscoporum historia Gesta hæc composuerit, eo consilio ductus, ut patriæ et Ecclesiæ suæ gloriam quam maxime celebraret* (107).

NOTÆ.

(99) Cf. supra n. 51.

(100) Hoc nuper Sybel contendit, Die Advocaten des Trierer Rocks Fascs. III, p. 75 sqq., antiquam Gestorum formam restituere conatus. Sed quæ partim ex Hillario, partim ex Calmeto affert, inter se nullo modo cohærent, et utrum ex eodem codice sumpta sint valde dubito (v. supra p. 110 n. 59). Verba ab Hillario exscripta non Gesta vel Historiam sed martyrologium indicant (verba : *Treviris S. Eucharii, Treviris depositio S. Valerii* sine dierum indicatione nequeunt), et a Gestorum textu longe recedunt ; quocum codex Calmetianus plerumque satis convenit. Ipse vero Calmetus dicit : *Un manuscrit plus ancien et plus court, dont apparemment le moine Thierry s'étoit servi et qui est comme le fondement et la base de son histoire.* Theodericum, qui s. X ex., XI inc. vixit, Calmet *primum* Gestorum auctorem habet (..... *est probablement composé par Thierry*). Ideo non Gesta, sed Gestorum fontem illo codice contineri innuit. (Quod Hontheim *Hist.* I, pag. XXVI dicit, Eberhardianum exemplar Calmeto visum esse, neminem tenebit.) Gesta sæc XII antiquiora nulla fuisse, jam supra satis docui; codex vero Aureæ Wallis, quem Sybel huc revocavit, alio pertinet; v. infra. Denique quæ de Annalibus civitatis gesta antiquissima continentibus, quos Silvester papa revolvisse dicitur, in Vita S. Agritii leguntur (v. supra p. 112), gesta quædam Vita fuisse antiquiora, mihi persuadere nequeunt.

(101) I, p. VII.

(102) Ut pertinent quæ c. 25 de translatione S. Maximini, c. 25 et 28 de Hetti et Theoderico ibi sepultis, c. 27 de corpore S. Eucharii traduntur.

(103) V. catal. Gislenianum ap. Hontheim I, p. XXIV (Hillar. p. 71, 159), Prumiensem Prodr. I, p. 78. Quibus adde tertium usque ad Egbertum continuatum quem Bethmannus ex Lamberti Florido descripsit. Hontheim I, p. XXVII dicit : « Quod alius vir eximius et harum rerum prudentissimus simile Ms. Gestorum exemplar, in quo pariter nulla episcoporum nomina inter Maternum et Agritium media sunt, alio loco a se visum mihi retulerit. » Sed fortasse catalogus vel brevior historia intelligi debet.

(104) Quamvis Hillarius fortissime contra hanc dimicaverit sententiam.

(105) Cf. infra notam ad c. 16.

(106) Hontheim Hist. I, p. XXI. Acta SS. Sept. IV, p. 360. De vera Methodii ætate. v. ibidem Jun. IV, p. 5.

(107) Paucis sæpe verbis additis vel mutatis fontium testimonia in suum usum vertit; c. 22. Romanorum duces in Treverorum principes mutavit. S.

Neque tamen hoc libro omnium votis satisfecit. Nam paulo post Treverensis quidam eum continuandum et amplificandum suscepit, itaut initio singulas quasdam modo breviores modo longiores adderet notitias, nonnunquam etiam quæ scripta erant mutaret vel prorsus omitteret, postea vero novam archiepiscoporum historiam pleniorem et accuratiorem ordiretur, usque ad Adalberonis tempora (a.1132) continuatam. Primo libri intuitu diversum hujus scriptoris ingenium agnosces. Animo minus quieto, sermone uberiori Treverenses prosequitur, modo novis usus fontibus, modo traditionem secutus seniorumque relationem. Romana tempora ex Suetonio et Ausonio (108) *illustrat, semel ad Gallicam quoque historiam provocat* (109), *Cæsaris fortasse commentarios intelligens* (110), *præterea Galbam Viatorem disertis verbis auctorem laudat. Nam ubi de Christianæ religionis apud Treveros initiis sermo est* (111), *non solum longiorem Eucharii, Valerii et Materni historiam insertam videmus, sed etiam fabulosas illas urbis origines repetitas legimus, eodem fere tenore sed aliis verbis quam primis Gestorum capitulis. Quibus inter se comparatis, non ex Gestis sed ex Gestorum fontibus hæc sumta esse patet; sed an a continuatore illo confecta aut aliunde sint descripta dubitari potest. Quamvis vero hac parte eundem fere sermonem easdemque locutiones quæ in ipsa continuatione deprehendere mihi videar, hæc tamen perplacet sententia, tum quia non video cur easdem res uno libro bis ille enarraverit, tum quia hæc cum antecedente Eucharii Valerii et Materni historia arcte conjuncta esse puto, quam ex libro quodam ecclesiastico huc esse translatam, et toto narrationis tenore et singulis verbis* (112) *indicari videatur. Nisi fortasse dicas hoc alterius historiæ Treverensis esse initium, postea demum cum Gestis conjunctæ; id quod inscriptione hoc loco in quibusdam codicibus præmissa :* Incipit hystoria Treverorum *quodammodo confirmatur. Neque huic opinioni equidem obstiterim; sed pene is fui qui olim duos fuisse historiæ Treverensis libros postea demum in unum conglutinatos statuerem* (113). *Quam seponendam putavi sententiam, ne nimis conjecturis indulgere et has res magis involvere quam explicare dicar. — Postea secundus ille scriptor antiquum textum minus auxit neque ita amplificavit ut novum opus dicatur; sed pauca tantum adjecit ex Vitis sanctorum Martini* (114), *Severini* (115), *Gertrudis, fortasse etiam Basini, necnon ex chartis aliisve monumentis hausta. In sæc. X historia exponenda fontibus et ipse procul dubio destitutus erat; nullum enim præter narrationem de sanctis a Theoderico Mettensi reportatis adhibitum videmus librum* (116); *sed ex populi rumore sumta sunt quæ de Rotgero Ekberto aliisque pontificibus falsa plerumque traduntur, aut ad ecclesias ab ipsis exstructas vel donatas spectant, aut leviora sunt et nullius fere momenti. Etiam quæ de Poppone narrantur fabulis plena sunt, ex traditione quadam ecclesiastica hausta, alia ex Vita sancti Symeonis sumpta* (117). *Postea quædam ex passione sancti Cunonis descripta sunt* (118).

Jam vero ab hoc inde tempore auctor antiquum Gestorum textum nimis brevem prorsus rejecit, id agens ut plenius et copiosius narraret quæcumque tum ex seniorum relatione (119), *tum ex chartis* (120) *epistolisque* (121) *colligere potuerit. Plena igitur narratione Popponis et Engelberti tempora persequitur, animo candido sed erga imperatorem Heinricum IV nimis hostilis res exponit gravissimas, et ubi ad tempora venit suis propriora ea narrat quæ ipse vidit vel a præsentibus audivit* (122). *Hanc libri partem magnæ esse auctoritatis omnes concedent, sermonem satis cultum sed nimis sacræ Scripturæ et Patrum locis exornatum* (123) *judicabunt. Quis fuerit auctor non constat; sed non diu post a.* 1132, *quo narrationis telam abrupit, vixisse censendus est. Canonicum dixerim Treverensem, certe non Sancti Mathiæ monachum, quippe qui Sancti Petri ecclesiam a Poppone reædificatam accurate describat, nihil vero de hoc cœnobio restaurato, nihil de sancto Mathia repertodicat.*

Fuerunt vero qui etiam hanc Gestorum formam mutandam et augendam judicarent. Ut enim eos prætermittam codices, quibus antiquæ recensionis primæ parti hanc continuationem additam videmus : alius singulos locos mutavit (124), *scriptoris verba nonnun-*

NOTÆ.

Eucharii ecclesiam tum mira antiquitate tum reliquis pretiosis donavit. Episcopos Tungrenses audacter Treverenses fecit. Etiam falsum Silvestri diploma novis additionibus ab ipso auctum esse, ut tunicam Domini Treveros esse perlatam ostenderet, Sybel ostendit.

(108) Ad c. 13.

(109) Ad c. 14.

(110) Hos etiam aliis locis adhibuit, veterum Gestorum verbis mutatis; v. notas ad c. 9, 10, etc.

(111) C. 14.

(112) Verba sic : *sequens* LECTIO *demonstrat.*

(113) Fortasse idem scriptor qui Gesta continuavit talem composuit de originibus rei publicæ et ecclesiæ Treverensis libellum, quem postea ipsis inserendum judicavit. Antiquioris libri, ex quo Gesta partim descripta esse supra monui, hæc esse fragmenta genuina, fortasse quis dicat : cui assentire vix possim.

(114) Ad c. 20.

(115) Ad c. 24.

(116) Ad c. 29.

(117) Addit. c. 3. 4.

(118) Addit. c. 9.

(119) Addit. c. 1 : *quantum ad meam notitiam seniorum relatione devenit;* c. 16 : *seniorum relatione ad nostram noticiam devenerunt;* c. 25 : *sicut patrum nostrorum relatu didicimus.*

(120) C. 1. 7. 8. 17.

(121) C. 5. 12. 13. 19. Etiam ad Hincmari epistolam c. 23. provocat.

(122) C. 24 : *quæ et ipse ego vidi et aliorum certa relatione cognovi;* c. 19 : *quoddam memorabile cui me contigit interesse.*

(123) Augustinum c. 17. 20. 22, Gregorium M. c. 18. 22, Gelasii epistolam c. 14, canones ib. et c. 20. affert, sed iis plerumque locis ubi aliorum verba refert.

(124) C. 14. 15.

quam injusta et nimis acerba ratus; alius Godefridi archiepiscopi tempora ex actis genuinis latius exponenda sumsit (125); *alius denique novis additionibus textum auxit, chartis et diplomatibus, quæ in antiquis Gestis breviter indicata erant, aliisque multis plene descriptis, ita ut eorum mole genuinum textum nonnunquam prorsus obruere et chartularium potius quam chronicon Treverense exhibere videatur. Quod a Lamberto de Legia monacho Sanmathiano factum esse, sunt qui statuant* (126); *id quod neque confirmare neque negare ausim. Certe codex, nisi valde fallor, ab ipso auctore exaratus, in sæc.* XII *medio collocari debet, et olim in bibliotheca Sanmathiana fuit. Præterea etiam nota de ecclesia Sancti Eucharii reædificata et de sancto Mathia invento* (127) *hujus cœnobii scriptorem arguunt. Idem continuationem ab a.* 1132-1152, *ex Vita sancti Adalberonis magnam partem haustam, adjecisse putandus est, quam in codice illo eadem manu, quamvis non continuo calamo, scriptam videmus. Neque vero ultra hunc annum scriptor progressus est, sed alii postea alias continuationes adjecerunt, de quibus alibi accuratius agemus.*

Hoc loco antiquissima Treverorum Gesta usque ad a. 1101, *Gesta aucta et continuata usque ad a.* 1132, *denique additiones sæc.* XII *factas exhibemus. Quæ omnia codicum et recentiorum scriptorum auctoritate ducti Treverorum Gesta nominamus; sed ut singula discernantur opera, primum* a, *alterum* b, *tertium vero* c *nominamus. Continuationem brevem usque ad a.* 1152 *et quæ postea diversis temporibus de episcopis Treverensibus scripta sunt alio hujus collectionis volumine edemus.*

Nunc codices quotquot ad notitiam nostram venerunt breviter describemus, spe ducti fore ut hoc modo non solum editioni nostræ viam sternamus, sed ea quoque magis confirmentur atque illustrentur quæ iam exposuimus. Nam codices secuti, Trithemii errores deprehendere et non solum tres illas Gestorum formas secernere sed etiam leviores mutationes indicare potuimus.

(A) 1. *Codex* (128) *olim « monasterii Sancti Mathiæ apostoli extra muros Treverenses ord. sancti Benedicti, » nostris temporibus in bibliotheca viri doctissimi Fichard Francofurtensis asservatus. Liber foliis* 75 *minoris formæ constat, quorum* 69 *Gestis explentur, quæ sæculo* XII *inc. non una manu, partim in membranis quas dicunt palimpsestis scripta sunt, negligenter quidem et tam mendose ut scriba textum haud satis intellexisse sed quam fidelissimum alterius codicis exemplar fecisse videatur. In singulis verbis scribendis a vulgari sæpe recedit, quippe qui* c *pro* t, cc *pro* ct, cum *pro* com et *alia exhibeat peculiaria. Tam hæc quam menda illa graviora scribæ tribuenda esse puto; non paucos vero errores ipsi Gestorum auctori imputaverim. Brevis de archiepiscopis Adalberone, Godefrido et Meginhero notitia alia manu in codice, hujus ut videtur temporibus scripto, addita est. Hanc una cum Gestorum textu fideliter descripsit.*

(A) 1b. *Codex musei Britannici, Harlei. n.* 3775, *sæc.* XII, *quem ante annos aliquot jam Pertzius novæ huic Gestorum editioni adhibuerat, nunc vero his schedis Treveris deperditis iterum quam accuratissime V. cl. Œhler exscripsit. Quo comprobatum est, hunc librum codicis* 1 *esse exemplar, ita, nisi fallor, factum ut scriba magistri dictantis verba calamo exciperet; qua occasione hic textum in* 1 *depravatum conjecturis sanare conaretur, ille vero novos committeret errores antiquis graviores. Nam adeo jam verba sententiasque corrupta videmus, ut veræ lectionis etiam vestigia sæpe evanuerint. Recentior manus multa correxit, nonnunquam altero ut videtur codice adjuta, sæpius meris conjecturis indulgens. — In ultimis quatuor libri foliis libelli alius argumenti* (129) *scripti sunt.*

(A) 2. *Codex musei Britannici, Arundell. n.* 270, *sæc.* XIII, *ut videtur, in-4to scriptus, ubi fol.* 1-23 *Gesta Treverorum antiqua leguntur. Hunc librum, olim fortasse Moguntiæ vel in diœcesi Moguntina asservatum* (130), *primus cl. Lappenberg evolvit, nuper vero cl. Thorpe in usus nostros exscripsit. Hoc Gestorum exemplar, non ex* 1, *sed ex alio hujus recensionis codice sumptum, accurata præstat scribendi ratione, sed mendis minime caret, quippe quod modo verba omittat, modo alia addat vel correctionibus antiquum sermonem deformet* (131). *Brevissima in fine adjecta est continuatio eadem manu scripta.*

Cum hoc codice plures ita conveniunt, ut ex eodem fonte hausti esse debeant. Inter quos primo loco nominanda sunt duo codicum fragmenta, quæ utrum huic classi tribuenda sint necne jam intelligi nequit :

3a) *Codex Guelferbytanus sæc.* XII, *qui nunc uno tantum quaternione constat, quo Gestorum initium usque ad hæc cap.* 9 *verba :* in concilio habuit cir || *legitur, accurate satis et nitide scriptus.*

3b) *Codex viri cl. Leopoldi van Alstein, Gandensis,*

NOTÆ.

(125) Quæ vide infra edita.

(126) Wyttenbach p. XX. 68 not. (p. 172 n. eidem mutationes illas c. 14. 15. factas tribuit.) De Lamberto v. Mirac. S. Mathiæ in Append.

(127) C. 25.

(128) Cf. quæ de hoc aliisque codicibus jam Archiv. VII, p. 511 sqq., dixi.

(129) *Prima dedicatio quam constituit rex Salomon; De pœnitentia et liberatione Salomonis; Dissenantia Ambrosii et Jeronimi.*

(130) Nam archiepiscoporum Moguntinorum catalogum — a. 1250 in ultimo legi folio jam Archiv. VII, p. 512, notavi.

(131) E. gr. c. 9 *neque — volebant*, c. 10 *cum his — pervenerant, et qui — proficiscebantur* desunt; c. 23, pro *penus* scriptum est *penuria* et inde loci sensus deformatur.

antea Lammens (132), *sæc.* XII, *eleganter in membranis exaratus. Hujus quoque octo tantum folia supersunt, quæ usque ad c.* 12 *verba :* magistratus quæ *pertinent.*

Huc accedunt codices, quos cum antiquis Gestis (A.) *usque ad Eberhardi mortem* († *a.* 1066) *exscriptis continuationem illam usque ad a.* 1132 *conjunxisse et ita novum quodammodo opus effecisse, supra jam dixi. Nescio an codices* 3ª 3ᵇ *huc pertineant, reliqui vero sæculum* XIII *non superant, neque ætate, neque accurata lectione commendantur, quamvis cum* 2 *plerumque conveniant.*

4) *Codex V. cl. Thomæ Phillipps equitis, in cujus ditissima bibliotheca Middlehill asservatur, qui in foliis* 42 *membranaceis manu sæc.* XIII *Gesta continet, satis diligenter exarata. Præcipuas lectiones cl. Lappenberg enotavit.*

5ª) *Codex Hamburgensis Hist. eccl.*, 4°, *n. XXXI* (133), *olim Uffenbachii, postea Wolfii, chart., s. XV,* 4°, *qui foliis* 223 *varia opera continet historica, Joannis de Stabulaus Gesta pontificum Tungrensium, Gesta Treverensium necnon Eusebii et Prosperi Chronica Sigeberto præmissa. Gesta Treverorum* 70 *folia explent, olim seorsim numerata, nunc paginis* 159-278 *inscripta; sed inde a p.* 253 (*f.* 48) *continuatio legitur ad Wernherum usque archiepiscopum* (*a.* 1388) *deducta.*

5ᵇ) *Codex Hamburgensis Hist. Germ., fol., n.* 31ᵇ, *pluribus manibus sæc.* XIV-XVI *in-*4ᵗᵒ *maj. scriptus, amplam librorum historicorum collectionem continet* (134), *inter quæ tam Joannis de Stabulaus opus quam Treverorum Gesta leguntur, hæc f.* 175-190 *manu s.* XV, *ut videtur exarata. Lectiones cum* 5ª *plerumque conveniunt, continuatio f.* 186-190 *eadem est.*

5ᶜ) *Cadex Hamburgensis Hist. Germ. sing. region. fol., n.* 70 (135) *recentioris ætatis, qui foliis* 88 *eadem Historiæ Treverensis monumenta exhibet, quibus Gesta archiepiscoporum Coloniensium* (*ut* 5ᵇ) *addit. Hic liber manu satis eleganti scriptus fœdissimis scalet erroribus, qui scribam veteris scripturæ ignarum arguunt. Cum* 5ª *et* 5ᵇ *valde concordat, ex neutro tamen sumptus est; sed ad antiquius exemplar omnes referri debent. — Ejusdem generis.*

5ᵈ) *Codex musei Britannici, Cotton.* Titus *D. XXV, esse videtur, qui Gesta Treverorum usque ad a.* 1387, *necnon Gesta archiepiscoporum Coloniensium et Trajectensium aliaque continet* (136).

6ª) *Codex bibliothecæ regiæ Parisiensis n.* 5873, *olim I. A. Thuani, antea « ex libris Jo. Leferon Carlopolitani. » Uno volumine tres codices diversæ ætatis continentur. Tertium sæc.* XIII *inc. duabus columnis scriptum olim ad aliud pertinuisse volumen, quaternionum numeri XXXI-XXXIV ostendunt, notaque hac recentioris manus confirmatur :* In v[eteri] c[odice] præcedebant Gesta Francorum et Historiæ miscellæ Pauli Diaconi nomine libri XXIV. *Nunc nihil nisi Gesta Treverorum hic leguntur jam duobus foliis omissis manca. Sed hæc nuper Bethmannus noster Romæ reperit in cod. Vaticano Christ., n.* 1285, *ubi f.* 70, 71, *exstant.*

6ᵇ) *Codex Parisiensis* Saint-Germain, *n.* 77, *fol. maj., s.* XIII, *duabus columnis scriptus, qui ea continet quæ in* 6ª *jam desiderantur, partem historiæ Francorum ab Hugone Floriacensi scriptæ, Historiam miscellam, fragmenta quædam de historia Francorum, iisque Gesta Treverorum addit ad verbum ex* 6ª. *descripta, ut accurata codicum collatione mox intellexi.*

6ᵇ*) *Codex Parisiensis* Saint-Germain, *n.* 1079, *sæculo* XVI, *ex libro Joan. le Feron Carolopolitani, id est ex* 6ª *descriptus.*

6ᵇ**) *Codex Parisiensis* Baluze Armoire II, *pag.* 5. *n.* 2, *codicis* 6ª *apographum s.* XVII *factum continet.*

6ᶜ) *Codex Bruxellensis n.* 9178-9187, *s.* XIII, *fol., eadem opera continet quæ in* 6ª *olim legebantur, in* 6ᵇ *partim hodieque exstant. Quibuscum codicibus hujus lectiones a V. cl. Oehler diligentissime enotatæ ubique concordant.*

6ᵈ) *Codex Lugdunensis n.* 127, *s.* XIII *inc.*, 4°, *initio et fine mancus, Gesta enim his c.* 24 *verbis :* quod vocatur horreum *incipiunt. Sequuntur prima Historiæ miscellæ verba, reliqua hujus libri parte avulsa. Etiam hic liber a Bethmanno cum editis comparatus quam proxime ad alios hujus classis codices accedit; neque dubitari potest quin omnes ex uno fonte manarint, qui jam textum valde mutatum iis præbuerit. Nam quamvis multa sint cum* 4 *et* 5 *communia, plura tamen peculiaria hic leguntur, quæ scriptorem, ut orationem redderet faciliorem et elegantiorem, libere et audacter verba correxisse ostendunt.*

Integrum fere horum codicum varietatem adnotavi, præsertim eam in qua omnes vel singularum classium codices conveniebant. Hanc litteris 3, 5, 6, *indicavi.*

Libri sequuntur manuscripti, qui Gestorum textum multis additionibus auctum et usque ad a. 1132 *continuatum exhibent. Etiam hi in duas classes secernantur oportet, alteram quæ genuinam hujus operis formam præbeat, alteram novis interpolationibus hinc inde auctam. Alioquin vero inter se valde conveniunt, et quamvis nonnunquam etiam ad codices* 5 *et* 6 *accedant, plerumque tamen genuinam codicis* 1 *lectionem servant* (137).

Ad priorem classem pertinent :

NOTÆ.

(132) Cf. Archiv. VII, p. 522; VIII, p. 555. Minus recte Bethmannus noster hoc fragmentum partem esse codicis Lugdunensis dicit (p. 555, 97).

(133) De quo cf. Archiv. VI, p. 230.

(134) V. Archiv. VI, p. 240, et quæ vol. X dicturus sum.

(135) Archiv. VI, p. 244.

(136) Archiv. VII, p. 75.

(137) Exempla vide c. 9, 10, et aliis multis locis.

B 1) *Codex Vindobonensis Hist. prof. n.* 1069, *sæc.* XII, 8°, *cujus lectiones inde a Popponis temporibus cl. Chmel in usus nostros exscripsit. In fine Gesta Alberonis archiepiscopi metrica et versus de Romana avaritia leguntur. Hujus libri apographum in Lambecii usus factum in bibliotheca Vindobonensi S. II,* 361, *asservatur.*

B 2) *Codex Guelferbytanus* (138), *antea « liber beatorum apostolorum Petri et Pauli in Ylsineburg », sæc.* XII, 4°, *eleganti scriptura, textu perbono et singulari Godefridi archiepiscopi historia insignis.*

B 3) *Codex Schlettstadiensis, olim Marbacensis monasterii prope Columbariam, s.* XII *ex., fol., a Pertzio a.* 1841 *repertus, a Bethmanno nostro hoc anno perlectus et optimus hujus recensionis judicatus; cui tamen, quia nonnisi singulis locis lectionem enotatam haberem, primum locum tribuere non potui. Sex folia desunt, alia Justinum continent.*

Alii tres codices narrationem præbent hinc inde mutatam vel intervolatam; inter quos :

B 4) *Codex Stuttgardiensis sæc.* XII *præcipuus est, cæteris antiquior, diligenter exaratus, neque scriptoris arbitrio decurtatus, neque temporum injuria fine destitutus.*

B 5) *Codex Vindobonensis Hist. prof. n.* 686 *magnam Gestorum partem (Additam. c.* 10-14. 16 *init.* 17, 18 *fin.* 19 *sqq.) omittit.*

B 6) *Codex Treverensis n.* 30, *olim S. Mathiæ Treverensis, in fine mancus est (desinit c.* 30), *et tam mendose negligenterque scriptus* (139), *ut nonnisi ultimo loco nominari possit. Quæ codices* B. *c.* 14 *adjecerunt desunt, reliquæ vero additiones et interpolationes omnes hic leguntur, neque de sera codicis ætate parvaque fide dubitari potest. Eodem volumine historia martyrum Treverensium legitur, quam neque tunc quum V. cl. Wyttenbach hunc codicem Hannoveram transmisisset neque dum Treveri degerem* A *ditissimæ bibliothecæ libris usurus a me exscriptam esse doleo. Quamvis hoc opus recentioris ætatis esse videatur, singulos tamen locos Gestis lucem daturos esse putarim.*

Ad hanc codicum familiam referendus est :

B 7) *Codex Scriverianus, a Leibnitio editus, ipsoque teste in fine ita inscriptus :* Feliciter finiunt gesta Treberorum summa diligentia per manus Petri Wesalentini scripta, cujus anima post mortem hanc cum Christo requiescat in pace, Amen. *Leibnitius alio loco* (140) *tres laudat codices, præter Guelferbytanum supra nominatum, alterum a Migio professore Marpurgensi acceptum, alterum quem penes se habebat. Uter Scriverianus fuerit non constat. — Etiam Goldastus similem codicem possedit* (141), *aliique* B *fortasse fuerunt qui nunc latent. Certe codex Aureæ Vallis s.* XIII *a Martenio visus, quem frustra in bibliotheca Luxemburgensi quæsivi, incendio absumptus esse videtur. Cui quamvis addit. c.* 8. consentit Everhardus episcopus *finis esset, ut huc eum referam eo permovcor quod Martenius illum cum Leibnitiano textu convenire dicat* (142). *Brevis alia manu addita erat continuatio usque ad a.* 1258 *deducta, sed partim ex Sigeberti Gemblacensis chronica hausta* (143).

Codices denique recensendi sunt, quibus tertia Gestorum forma continetur. Omnium vero præstantissimus est.

C 1) *Codex Treverensis num.* 1341 (*XXXI*), *mbr., in-4° maj., hac inscriptione notatus :* Codex C sancti Eucharii episcopi sanctique Mathie apostoli. quicumque abstulerit. calicis Jude proditoris in perpetuum particeps fiat. amen. amen. *fiat* (144). *Hoc volumen duabus partibus constat, quarum altera s.* XII (*vel* XIII?), *altera s.* XIV *scripta est. Illa f.* 197. *Gesta pontificum Romanorum, f.* 98 *breves quædam notitiæ* (145), *f.* 99 *sqq.* (*fol.* 182)

NOTÆ.

(138) V. Archiv. VII, p. 515.

(139) V. Archiv. VII, p. 518. Idem esse videtur quem M 1 n. 13. inscriptum usque ad Nortmannorum invasionem pertinere, Hillarius dicit pag. 127; conf. pag. 66.

(140) Access. hist. 1, præf.

(141) Apologia, p, 41. 43.

(142) Martene Coll. IV, p. 141 : *Huic* (Hist. Trev. a Leibnitio editæ) *omnino consimilis est quam in ms. codice Aureæ Vallis, ante annos quingentos exarato, invenimus... Aut si quid inter utramque discriminis occurrit, levissimum illud est in eoque situm, quod codex Aureæ Vallis prima manu ad annum* 1047 *desinens, pauca de subsequentibus archiepiscopis ad Hillinum usque recentiori quidem sed antiqua manu subjicit.* Hanc p. 171 n. edidit.

(143) Hirsch de Vita Sigeberti p. 415. — Quibus et loco a. 1049 omissis, reliquam partem hic exscribere juvat : *Post hunc* (Popponem) *archiepiscopus extitit Engelbertus. Quo defuncto archiepiscopus ordinatur Bruno. Anno Domini* 1124, *Godefridus fuit archiepiscopus Trevirensis annis* 7. *A. D.* 1131. *Albero Metensis fit archiepiscopus per annos circiter* 20. *Hic dicendum est quod frater episcopi Heinrici Leodiensis, qui sepultus est in Hoio, comes Tullensis Fridericus duos habuit filios, comitem Renardum et comitem Petrum. Iste Petrus duas habuit filias. De una natus est iste Albero archiepiscopus, de alia episcopus Petrus Tullensis. De eodem Alberto fit mentio in Vita beati Florberti. A. D.* 1152 *fit archiepiscopus Hillinus; natus fuit in diocesi Leodiensi de Fallemannia prope Dinantium. De isto Hillino continetur in Vita beati Bernardi, quod ipse eum adduxit ad reconciliationem Metensium, petita venia in capitulo Claræ-* D *vallis. Sequitur Arnoldus archiepiscopus; inde Folmarus; contra quem tempore schismatis imperator posuit præpositum Rodulfum, et Folmarus fugit in Franciam et inde apud Turonum obiit. Post quem fit Johannes archiepiscopus a. D.* 1188. *per annos* 23. *Hic sepultus est in abbatia de Claustro. Post quem Theodericus de Wecla* (Weda?) *per annos fere* 30. *Hic sepultus est in ecclesia Sancti Petri apud Treverim. Inde nepos ejus Arnoldus* 1242. *Radulfus vero factus est magnus præpositus. Anno vero Domini* 1258, *post festum omnium sanctorum obiit Arnoldus Treverensis archiepiscopus in castro suo intestatus, Trevirimque relatus in ecclesia Sancti Petri sepultus est.*

(144) Olim M. I, n. 12. notatus; v. Hillar., p. 26, 64, 127.

(145) *Notandum. Gallorum fortissimi sunt Belgæ*, etc. (v. infra n. ad c. 16) et : *Videamus de auctoritate et usu pallii quid sit pallium*, etc.

Gesta Trevercrum continentur. Hæc scriptura majori et valde perspicua exarata, litteris initialibus et inscriptionibus rubris ornata, et plerumque accurate diligenterque scripta sunt. Narration m vero diplomatibus chartisque insertis, ut supra dixi, auctam videmus, necnon singula verba addita mutataque leguntur. Quod tamen plerumque correctoris manu factum est, quæ librum scriptum percensuit, alia addidit, alia transposuit vel emendavit. Quæ cum in omnes hujus classis codices, ne uno quidem excepto, transisse videamus, ex hoc tanquam fonte reliquos fluxisse non possumus quin statuamus; id quod libris accuratius inter se comparatis plane confirmatur. Ideo hunc librum omnium antiquissimum, multis coævæ manus correctionibus insignem, in eo monasterio quo hujus recensionis auctor vixit asservatum, ipsius esse autographum, verisimile est, et alia quoque ut hanc sententiam teneamus suadent. Nam historia etiam hoc codice usque ad a. 1132 tantum deducta erat; postea vero foliis quibusdam insertis eadem manus sed alio atramento Gesta usque ad a. 1152 continuavit, id est ex Balderici Vita Alberonis epitomen fecit eique brevem narrationem de monasterii S. Eucharii nova dedicatione ab Eugenio papa facta adjecit. Qui hæc calamo mandavit, non aliunde descripsit, sed primus hoc tenore composuit. Idem vero priorem Gestorum partem talem exaravit qualis nunc non solum in hoc codice sed in quam plurimis aliis legitur. Quæ cum ita sint, sive chartarum additionem eidem tribuas, sive alterum quemdam in hac libri parte eum secutum esse dicas, certe ejus Gestorum formæ quam reliqui codices C. *exhibent, hic habes originem atque fontem.*

Altera voluminis parte s. XIV *duabus columnis scripta, fol.* 83-144. *Gestorum continuatio* — 1259, *et Gesta Henrici Treverensis archiepiscopi et Theoderici abbatis S. Mathiæ continentur, de quibus alio loco dicemus. Hæc recentioris esse ætatis et aliunde descripta, nunc monuisse sufficiat.*

Ex reliquis codicibus breviter hi indicentur oportet :

C2) *Codex Venetus bibliothecæ S. Marci n.* 403, *mbr., s.* XIII-XIV, *olim* Codex Sancti Martini in Treviri, *a Kopkio nostro evolutus. Liber una manu usque ad a.* 1152 *exaratus, et procul dubio ex* C 1 *sumptus, postea continuationes habet pluribus calamis debitas* — 1190 — 1259.

C3) *Codex Francofurtensis mbr., s.* XIII, *fol., diversis manibus* — 1190 — 1259 — 1286 *scriptus. Prima pars* — 1152, *ex* C 1 *sumpta est; multa vero diplomata omittit, etiam ea quæ jam in codicibus* B. *legebantur. Historia Henrici a.* 1259-1286 *eadem est quæ in* C 1 *legitur, sed* C 3 *hoc loco antiquior.*

C4) *Codex Treverensis n.* 1343 (XXXIII), *mbr., s.* XIV, *fol., olim* Liber collegiatæ ecclesiæ Sancti Paulini, *postea ab Hontheimio possessus et bibliothecæ publicæ legatus. Textus usque ad a.* 1152 *ex* C 3 (*aut* C 2 ?) *descriptus est, a.* 1152-1159 *magis cum secunda* C 1 *parte convenit; postea brevia Heinrici archiepiscopi Gesta adduntur* — 1286, *ab Historia supra nominata plane diversa.*

C5) *Codex Treverensis n.* 1344 (LI), *mbr., s.* XIV, 4°, *olim* Liber monasterii sancte Agnetis Trever., *usque ad a.* 1259 *ex prima et secunda* C 1 *parte descriptus, postea f.* 79-83 *brevia habet Heinrici Gesta, f.* 83-101 *Gesta Boemundi archiepiscopi* (— 1300). *Foliis* 77, 78, *quæ vacua relicta erant, alia manus quædam de fundationibus Joannis archiepiscopi* (*ed. Wyttenbach c.* 102) *intulit.*

C6) *Codex Parisiensis n.* 6036, *chart., s.* XIV, *fol.* 1-244, *Gesta usque ad a.* 1259 *continuata, Gesta Heinrici, capitula de Joanne archiepiscopo, Gesta Boemundi, Gesta Balduini* (— 1354) *continet; quibus diplomata quædam et alia manu f.* 267 *sqq. altera illa Heinrici historia addita sunt.*

Ex his codicibus alii plures manarunt, longius vero textum prosecuti sunt codices S. Maximini ab Hontheimio et Martenio visi, qui nunc latent. De quibus omnibus alio loco accuratius dicturi, hic denique duos afferamus libros, qui vitam Popponis exhibent ex hac Gestorum editione descriptam (146) :

Codex Treverensis n. 1151 (963), *s.* XIII, *fol., ubi inter alias sanctorum Vitas f.* 140' *sqq.* Vita Popponis Trevirorum archiepiscopi cum miraculis ejus *legitur.*

Codex Treverensis n. 1383 (1200), *chart., rec. foliis* 14 *eamdem continet Vitam, necnon* Instrumentum erectum super apertione sepulchri ejusdem domini Popponis archipræsulis Trevirensis (*a.* 1516).

His codicibus inter se collatis, id effectum est ut tum Gestorum origines, mutationes, continuationes quam accuratissime perspici, tum omnes eorum formæ ex optimis et genuinis fontibus edi possint.

Hucusque enim tam a medii ævi scriptoribus quam a recentioribus modo unum, modo alterum adhibitum videmus Gestorum exemplar. Illi rarius quam in tanta librorum manuscriptorum copia exspectari posset hæc ad manus habuerunt; præter vitæ S. Meinwerci auctorem (147), *Albericum* (148), *Albertum Stadensem* (149) *et Belgicum chronographum* (150) *inter exteros rerum scriptores nemo, quod sciam,* **iis** *usus est; nam quæ apud Sigebertum* (151), *Ottonem Frisingensem* (152), *in codice Ekkehardi Zwifal-*

NOTÆ.

(146) De hac Vita cf. Acta SS. Jan. I, p. 88, 93 n. Honthcim III, p. 982.

(147) C. 41, Locus in codice autographo post additus est; ex textu B. sumtus.

(148) A. 52, 71, 91, 128, 143, 157, 174, 319, 345, 357, 368, 385, 397, 446, 450, 511, 546, 577, 592, 617, 647, 681, 723, (765), 784, 796, 810, 837, 851, 864, 884, 905, (921?), 923, 960, 966, 970, 995, 1003, (1007), 1015, (1016?), 1029, (1071 ?). Ex B.

(149) Ed. Kulpis, p. 128, 138, 139 156 (a. 47 sqq.), 161 (a. 314), 165 (a. 410).

(150) Magnum chron. Belgicum ap. Pistorium ed. Struve p. 1, 2, 4 sqq. omnibus fere paginis. Ex codice tali quales 4, 5, 6, exstant.

(151) A. 413, de urbe condita, 1071 de tabula inventa. Cf. Hirsch de Sigeb. p. 232 n.

(152) I, 8, de urbe condita, III, 15, de Euchario,

tensi (153) *et annalibus ex Mariano aliisque fontibus in S. Dysibodi monasterio confectis* (154) *de rebus Treverensibus leguntur, aliunde manasse videntur. Domestici vero scriptores omnes Gestis recentiores eorum fide nituntur, narrationes repetunt, verba ipsa sæpe retinent. Huc referendi sunt auctores passionis martyrum Treverensium ineditæ* (155), *Vitæ S. Mathiæ* (156) *et chronici Treverensis — a.* 1353 (157), *necnon Ægidius monachus Aureæ Vallis* (158) *et Johannes de Stabulaus* (159), *rerum Leodiensium scriptores, præterea vero qui sæc.* XVI *inc. nova Gesta sive historias Treverenses composuerunt, monachus Eberhardo-Clusanus* (160), *anonymus alter* (161), *Johannes Enen* (162), *quibus addi possunt Kyriander* (163) *et Johannes Linden* (164), *qui usque ad a.* 1629 *Gestorum narrationem continuavit. Sæculo* XVI *Trithemius Gestorum exemplar nactus quam plurima inde in opera sua historica transtulit atque libri famam per Germaniam dilatavit, ita ut mox plures de Gestis edendis cogitarent, C. Bruschius, Freherus, Lambecius* (165). *Cum nemo tamen hoc exsecutus esset consilium, neque Browerus librum tot locis adhibitum cum lectoribus communicasset, primus Dacherius Gesta edidit qualia in codice* 6b *invenit* (*a.* 1675, Spicileg. *XII*, *p.* 196, *ed. nova II*, *p.* 208). *Quod nesciens Leibnitius paulo post primo Accessionum historicarum volumini textum* B *ex tribus codicibus haustum inseruit* (*Lipsiæ* 1698). *Tum uno fere tempore Eccardus continuationem a.* 1132-1259 *publici juris fecit* (Corp. histor. *II*, *p.* 2197-2258, *Lipsiæ* 1723), *Calmetus, Leibnitianam editionem secutus, majorem libri partem exprimendam curavit, codicumque lectiones aliquot notavit* (Histoire de Lorraine *I*, *Preuves p.* 1-50. *Nancy* 1728, *ed.* 2. *ibid. a.* 1745, *p.* I-LXI), *denique Martenius et Durandus recensionem* C., *prioribus capitibus resectis, sed continuationibus — 1455 additis, exhibuerant* (Vett. Scriptt. et monum. ampl. Collectio *IV*, *p.* 145-452. *Paris.* 1729). *Ex hac editione fragmenta quædam in Scriptorum rerum Gallicarum collectionem transierunt* (*Bouquet cont. XI*, *p.* 194; *XVIII*, *p.* 670). *Post quos Honthei-*

A *mius tum recensionem* C, *sed initio destitutam, ex codice* C 1, *tum varias continuationes ex codicibus Treverensibus edidit* (Prodromus historiæ Trev. *II*, *p.* 746-948. *Augustæ Vind.* 1757). *Nostris vero temporibus V. cl. Wyttenbachius et Mullerus novam editionem curaturi multos quidem codices adhibuerunt uberemque rerum Treverensium collectionem ex libris et antiquioribus et recentioribus fecerunt* (3 *Voll. in-4to Augustæ Treverorum* 1836 *sqq.*); *sed codicem* C 1 *plerumque secuti, ut varias Gestorum formas discernerent minime studuerunt; eo tamen laudandi, quod ex codicibus ditissimæ bibliothecæ Treverensis, a Wyttenbachio magna diligentia collectis et servatis, plura ad Gestorum locos illustrandos attulerunt notatu digna.*

B *Novam hanc editionem paraturus partim iis usus sum quæ viri doctissimi, debita laude jam supra nominati, ex codicibus exscripserunt, partim vero codices præstantissimos ipse evolvi et qua potui diligentia pertractavi, Francofurtenses et Guelferbytanos Hannoveræ, Parisienses Parisiis, Treverenses in hujus urbis bibliotheca, Hamburgenses denique Kiliæ. Gesta antiquissima primo loco edidi; codicem* 1 *plerumque secutus, qui multis locis solus veram lectionem servavit* (166), *rariu: ex* 2-6 *emendandus erat. Subjeci quæ* B *et* C *addiderunt, lectione codicum* B 2 *et* C 1 *ubique fere expressa. Quæ in* B *inde a Popponis temporibus addita sunt* Additamentum et continuationem *nominavi eaque tanquam secundam*
C *Gestorum partem edidi, parvis codicum* B 46 *et* C *additionibus vel mutationibus infra indicatis. Satis uberem lectionis varietatem enotavi, neque in ipsa narratione illustranda parcus esse volui, iis præsertim temporibus quibus libri fontes indicari vel divinari possunt. Denique Appendicem monumentorum Treverensium subjeci, qua ea collegi quæ vel ad ipsa Gesta explicanda vel ad historiam antiquiorem Treverensem plenius cognoscendam facere videbantur.*

G. Waitz.

NOTÆ.

Valerio et Materno, III, 45, de Helena Treveri oriunda, IV, 8, de Maximino et Paulino.

(153) SS. V, p. 36, de urbe condita ex Ottone Frising. ut videtur.

(154) Hæc Methodio tribuuntur, de quo cf. supra col. 1078.

(155) Archiv. VII, p. 517.

(156) Acta SS. Febr. III, p. 442, 445.

(157) Archiv. VII, p. 693. Plures codices Treveri exstant.

(158) In Gestis epp. Leodiensium ap. Chapeaville I, p. 19, 21, 23.

(159) Cujus librum v. in codd. Hamburgensibus supra 5a, 5b, indicatis.

(160) Codex in bibliotheca Trever. No. 1350. (CXVIII) asservatur.

D 161) Codex Trever. No. 1346. (XXIX) — 1522. Aliæ Treverenses historiæ ibidem exstant N. 1391 (1347).—1537, N. 1392 (1346.—1569.

(162) De cujus libro a Scheckmanno in Latinum verso et Metis s. t. *Epitome alias Medulla Gestorum Trevirensium* edito v. Hontheim III, p. 989

(165) Hontheim l. l., p. 990.

(164) Hontheim l. l., p. 991. Wyttenbach I, prol. p. XL.

(165) V. Leibnitii Accessiones I, præf.

(166) Hoc pluribus c. 9, 10, locis cum Cæsare collatis patet; e. gr., *hortatusque, longe a, a Senonibus et Carnotibus, Quibus — habebantur* etc. Codd. 2 — 6 semper a Cæsare recedunt, B. C. vero nonnunquam cum ipso conveniunt, quia ipsius librum primus codicis B. scriptor adhibuerit.

GESTA TREVERORUM.

INCIPIT [12] DE ORIGINE GALLORUM TREBIRORUM.

1. Anno (167) ante urbem Romam conditam millesimo trecentesimo [13] Ninus rex Assiriorum primus, ut historici volunt, propagandæ dominationis libidine [14] arma foris extulit cruentamque vitam quinquaginta [15] annis [16] per totam Asiam bellis egit; a meridie atque mari Rubro surgens, sub ultimo septentrione Euxinum pontum vastando perdomuit, Scythyamque [17] barbaricam adhuc tunc inbellem et [18] innocentem, torpentem excitare sevitiam [19], vires suas nosse, et non lacte pecudum set sanguine hominum vivere, et ad postremum [20] vincere, dum [21] vincit [22], docuit. Novissime Zoroastrem Bactrianorum [23] regem, eundemque magicæ [24], ut ferunt [25], artis [26] repertorem, pugna oppressum interfecit. Post ipse dum deficientem a se [27] oppugnat civitatem, sagittæ ictu interiit, relictâ uxore Semirame cum (168) duobus filiis Trebeta et Nina [28]. Quorum primus, videlicet Trebetas [29], ex regina quadam Chaldeorum [30], quam ante Semiramem duxerat, Ninas [31] autem de Semirame natus erat. Occiso ergo [32] Nino, Semiramis privignum suum Trebetam maritum ducere voluit, eumque renitentem [33] et execrantem, invidia et libidine stimulata, tam diu persecuta est, donec cum patria pelleret [34] et regno. Pulsus igitur [35] dum [36] diu longeque [37] sedes vagando quæreret et non inveniret, cœpit ex diuturni [38] itineris fatigatione tædere, et ubinam sibi fata quiescendum consulerent, missione [39] sortis inquirere. Sors optulit [40] Europam, quæ est tertia A pars orbis, licet quidam secundam [41] diffiniant [42], et Affricam non per se partem esse set ad Europam pertinere contendant. Transfretato mari mediterraneo, quod ab Asia dividit Europam [43], per vasta solitudinum et invia saltuum [44] venit ad Mosellam, in cujus littore repperit vallem speciosam [45], aquis irriguam, silvis nemorosam, montibus undique circumseptam. Captus [46] amenitate loci, ibidem subsistere delegit, urbemque constituit [47], quam ex suo nomine Treberim appellavit [48].

2. Anno ante urbem Romam conditam [49] millesimo ducentesimo quinquagesimo [50] urbs Trebe-
ris [51] in Europa auctore [52] Trebeta [53] profugo, filio [54] Nini filii Belis [55], parvo adhuc nomine condita est anno septimo ætatis [56] Habrahæ [57] patriarchæ. B Originem gens quæ incoluit [58] de Gomer, filio Jafeth [59] filii Noe, duxit, et ex candore corporum Gallorum [60] nomen assumpsit (169), gens et urbs antiquissima, ante quam in Europa gentes [61] neque urbes fuere [62]; sed quæ sunt vel ex illa vel post illam esse cœperunt. Noe quippe tres filios habuit, Sem, Cham et Jafeth. De Sem nati sunt Hebrei, Chaldei et Greci; de Cham Affrici et Getuli [63]; de Jafeth [64] Itali, Galli et Ispani [65]. Sem possedit Indiam, Mesopotamiam, Siriam, Palestinam, Armeniam, et cæteras Asiæ provintias. Cham tenuit Ethyopiam [66], Numidiam et totam Affricam. Jafeth sortitus est Ispaniam, Betigam [67], Lusitaniam Aquitaniam Britanniam [68],

VARIÆ LECTIONES.

[12] Inc. *deest* 1[b]. I. liber de or. Tr. 2. I. historia (hyst. 3[b]. 6[a]) Treberorum (Treuer. 3[b].) 3. 6. De origine urbis Treverice et de gestis pontificum ejusdem civitatis 5[a]. Inc. libellus de constructione Treberis B 1. Incipiunt gesta Treberorum B 2. Inc. historia Trevirorum B 3. Inc. de or. Trev. B 6. In nomine domini nostri Jhesu Christi incipiunt gesta Trevirorum C 1. 3? 4. Inc. liber primus de gestis Trebirorum C 6. [13] CC°. 3[b]. 4? 5. 6. B 3. [14] *deest* 2 (*ubi* dom. suæ). 5[a]. p. causa 3[b]. 4. 5. p. fame causa 6. [15] LII. 5. [16] q. a. *desunt* 3[a]. [17] scytiamque 2. C 1. 3. scitiamque 3. B 2. scithiamque 6. scichiamque 5[a]. sichiamque 5[b]. sciticamque 4. [18] atque B 6. [19] sevictam 2. [20] extremum 5. [21] d. v. vincere 2. [22] vincitur *ex Orosio scribendum erat*. [23] bractianorum 5[b]. [24] maice B 2. [25] fertur 2? [26] artem 3[b]. [27] asie *e corr.*. 6[b]. [28] nino (nyno) 3[b]. 4. 5. 6. C 3. 4. 5. nino *superscr.* vel ninia C 1. 6. [29] trebeta 2. 3[a]. 4. 5. 6. [30] caldeorum 5. [31] ninus (nynus) 3[b]. 4. 5. 6. C 3. 4. 5. ninus *superscr.* vel ninias C 1. 6. [32] autem 5[a]. B 6. [33] renuentem 4. [34] e. pelleret p. 4. [35] ergo 3[a]. 4? 5. 6. i. diuque sedes B 6. [36] cum C 3. 4. [37] longe lateque v. s. 6. [38] diurni 5. [39] jussione 5[a]. *Ejusmodi errores ex hoc cod. postea non notavi.* [40] obtinuit 6[a]. [b]. [41] s. eam C 6. [42] *ita* 2. 6. affiniant *corr.* affirmant 1. affiniant 1[b]. 3[a]. affiniant *superscr.* vel di(ffiniant) 3[b]. afiniant C 1. *corr.* afirmant C 5. definiant C 3. 4. affirmant 5. B. [43] *deest* 3[a]. e. d. B 2. [44] s. loca 2. [45] spaciosam C 3. 4. [46] Captus itaque C. [47] construxit 1. [48] apell. 1. *sæpius*. [49] *deest* 3[a]. 4? 5. 6. [50] M°C°L° 6[a]. [51] treveris C 1. [52] ab a. 4? 5. 6. B. C. [53] tebeta *corr.* trebeta 1. trebeta 6[b]. [54] *deest* 1. *alia manu add.* 1[b]. f. n. *desunt* B. C. [55] beli C. (belis *corr.* beli C 1?). [56] etatis sue 1. etatis sue 1[b]. [57] *ita* 1. [58] incolunt 1. 1[b]. incoluit *e corr.* 3[b]. incolit Galliam B 2. incoluit eam 5. 6. B 3. C. gens que incoluit eam originem de 6[a]. [b]. [59] japhet 1[b]. 3. 5. 6. *et ita infra*; japhet B 2, *sed infra* japhet; jafet 2. *et infra*. [60] galli B 2 *deest* B 1? 3. 4. 6. C. [61] neque gentes n. 2. 3. 4? 5. 6. [62] fuerint *e corr. ut videtur* C 1. *et ita* C 3? C 4. fierent C 5. [63] getidi B 2. [64] i. vero C. [65] *ita* 1. 3[a]. hispani *vel* hyspani *rell. hic et infra*. [66] *ita* 1. ethiopiam *alii*. [67] beticam 4. betigam *corr.* beticam 5[a]. [68] britanniam 3. 5. 6. B 2.

NOTÆ.

(167) *Anno — ictu interiit*, paucis verbis mutatis ex Oros. 1, 4. descripta sunt.

(168) Quæ sequuntur genuina sunt, sed valde fabulosa. Confer quæ Brower satis superque hac de re disputavit, Antiquitatum et Annalium Trevirensium libro primo.

(169) Hæc ex Isidor. Origg. IX, 2. sumpta sunt; cf. Hier. prol. in l. II. comm. in epist. ad Galat.

Germaniam, Belgicam, Galliam togatam [69], bracatam, cisalpinam, transalpinam, Pannoniam, Italiam, Ruriam (170), Liguriam, Dalmatiam, Muricum (171), Bizemilia [70] cunctamque [71] Europam. — [72] Trebete [73] mortuo, Hero filius [74] in principatu [75] successit [76], qui patrem secundum ritum gentilitatis igne combustum in vertice Jurani [77] montis tumulavit; cui etiam [78] aras instituit, et sibi subjectis [79] ut deum adorare præcepit [80] : error magnus et a Nino, ipsius Heronis avo, adinventus, qui primus patris sui Belis [81] simulachrum [82] fudit et hominem pro deo venerari jussit. Hero patris sui merita [83] tabulæ marmoreæ inscripsit, quam ad [84] ejus memoriam pariter et futurorum notitiam cum eo recondidit ad instar hujuscemodi [85] (172).

Nini Semiramis, quæ tanto conjuge felix
Plurima possedit, set plura prioribus addit [86],
Non [87] *contenta suis, nec totis finibus* [88] *orbis,*
Expulit a patrio [89] *privignum Trebeta regno,*
Profugus insignem nostram qui condidit urbem,
Treberis [90] *huic nomen dans ob factoris amorem;*
Quæ capud Europæ cognoscitur anteritate.
Filius hujus Hero [91] *patris hæc epigramata* [92] *pono,*
Cujus ad inferias hic cum Jove Mars tenet aras
Sidere concordi, pax est non dissocianti.

3 [91]. Post Heronem Trebirorum [94] ex ipsa gente orti [95] principes [96] extiterunt et duces; jamque Treberenses [97] et numero aucti et opibus, urbem suam munire et modis omnibus decreverunt adornare. Primo itaque [98] ad aquilonarem [99] plagam A urbis ex quadris [100] lapidibus cum turribus magnis portam ædificaverunt [101], ipsa sui [102] magnitudine et minaci proceritate mirabilem [103] (173), eamque portam Nigram [104] portam Martis appellavere, [105] cujus lapides non cemento aliquo, set ferro conglutinabantur et plumbo Martis [106]; Martis [107], qui deus belli credebatur; et [108] per hanc portam bellum gesturi proficiscebantur; Nigram autem ob tristitiam, quia de bello fugientes per eandem [109] tristes revertebantur. Campus ante portam [110] longitudine et [111] latitudine spatiosus Martis vocabatur, ubi tyrones armis instruebantur. Secunda deinde porta ad ortum solis cum turribus speciosis est ædificata [112], ad quam victores de bello revertentes [113] tocius [114] civitatis occursu excipiebantur et lætitia, B et ob [115] hoc Alba porta nominata [116] (174). Tertia porta ad plagam meridianam cum turribus firmis et altis in medio est [117] urbis constructa [118], eaque de causa porta Media nuncupata [119] (175). Forum rerum [120] venalium maximum ante hanc portam constitutum habebatur, locus etiam quo mortui ad sepeliendum efferebantur. Quarta porta versus occidentem constructa est ad litus Mosellæ, quæ mira sui operositate et turrium incomparabili pulchritudine ceteras portas excelluit [121], et ob hoc portæ Inclitæ [122] vocabulum sumpsit. Hanc portam stellis ex auro factis mirabiliter pinxere, quæ portui navium proximum [123] nocte et die [124] luminis officium præbuere. Fecerunt ibidem et [125] capitolium maximum, templum quoque idolorum [126], in quo

VARIÆ LECTIONES.

[69] thogatam B 2. G. br. t. c. 5[b]. [70] bihemilia 1[b]. bize. milia 2. biremilia 5[a]. biremiliam 5[b]. byzemiliam B 2. bizemiliam C 4. 6. [71] totamque 5[b]. [72] *c.* III. *inc.* C. *Leibn.* [73] trebete *corr.* trebeta 1[b]. trebetæ 3[a]. B 6. trebetæ B 2. trebeta 3[b]. 5. 6. C. trebata 6[c]. [74] f. ejus 5. 6[a b]. B 4. [75] principatum 3[b]. 5. 6. [76] succedit B 2. [77] urani B 2. jurani *corr.* urani C 1. *et ita* C 3. 4. 5. turani 6[a]. *e corr.?* [78] et 5. [79] et s. s. *desunt* 5[a]. subditis 5[b]. [80] *deest* 5[b]. [81] beli 3[a]. C. (belis *corr.* beli 1?). [82] mulachrum fudit *incipit* 5[c]. fudit *deest* 5[b]. [83] merito 1. [84] ob 5[b]. [85] *add. rubram :* Epytaphium Heronis B 2. [86] *deest* 5[b]. [87] nec B. C. [88] civibus 5[b]. *qui erroribus similibus scatet.* [89] *e corr.* 1. patria *corr.* patrio B 2. patria 5[b]. [90] treveris B 6. *et ita sæpius.* [91] ejus ero 6[b]. [92] *ita* 1. 5[a]. B. 5. C 1. 3. epigrammata *alii.* [93] *c.* IV. C. *Leibn.* [94] *ita* 1. 1[b]. B 5. C 1. treberorum 2. *reliqui et ita semper fere.* [95] *deest* 6[a b]. [96] printipes 1. [97] trebirenses et mucro *corr.* numero 1[b]. [98] quidem B 6. [99] *ita* 2. 5[b]. 6. C 1 (*e corr. ut videtur*). aquilonem 1. 1[b]. 3[a]. 5[c]. ad quilonem 5[a]. aquilonalem B. [100] quadis *corr.* quadris 1. [101] construxerunt C. [102] sibi 3[a]. ipsa sui — mirabilem *desunt* 6. [103] mirabilis 3[b]. 5. [104] *deest* 5[a]. n. p. et p. m. 5[c]. [105] appellaverunt 5[c]. 6. a. martis qui deus belli credebatur 2. [106] 6. *hoc loco add. :* Ipsa sui magnitudine et minaci proceritate mirabilis. [107] Martis — credebatur *hoc loco desunt* 2. Mars deus b. c. 5. martis qui deus est b. cr. 6. a marte *add. in marg.* C 1. *et ita* C 2. *sequentes.* [108] Ii 2. *deest* 5. [109] e. portam B 6. [110] *deest* B 2. 3. C 1. Campus autem l. B 4. 6. C 2. [111] *deest* C. [112] constructa C. [113] revertebantur 5. 6. [114] totiusque c. o. et l. exc. 6. [115] ex 6. ab B 4. [116] nominatur 1. 1[b]. nominatam 3[b]. nominata est 5. 6. est nominata C 3. [117] *deest* 2. 3. 4? 5. 6. [118] constituta B 6. [119] n. est 6. est d. 5[c]. vocata est 5[b] nuncupatur B 6. [120] vero B. C. [121] excellebat 3. 5. 6. excellunt B 2. [122] i. p. C. [123] proximo *e corr.* C 1. *et ita* C 3 *sqq.* [124] d. et n. 5. 5[b.c]. 6[c]. d. ac n. 5[a]. 6[a.b]. [125] et i. 5[a.b]. B 2 etiam i. 5[c]. [126] *desst* B 6.

NOTÆ

(170) Etruriam?

(171) *Illiricum* scribere debuit.

(172) Hæc inscriptio fortasse narrationi præcedenti ansam præbuit. Ad hos versus respicit locus a Wyttenbachio ex codice vitæ S. Willibrordi auctore Thiotfrido allatus : *Urbs Treverica, ut moderno tempore in tumba quadam inventa declarant epygrammata, condita et Treberis nominata est a privignio Semiramis, Nini conjugis, Trebeta;* cf. Otto Frising. I, 8 : *Extant etiam ibi antiquæ nobilitatis, ut ipsi aiunt, monimentorum insigniu; e quibus nostris ibi temporibus repertum et in lapide sculptum infra posuimus epitaphium.*

(173) Exstat hodieque mirabile antiquitatis monumentum, medio ævo ecclesia S. Simeonis, a. 1817. C pristinæ formæ restitutum. Jam in charta Popponis (ap. Hontheim Hist. I, p. 379) dicitur *porta quæ apud gentiles Marti consecrata memoratur.*

(174) *Altthor* usque ad nostra tempora germanico idiomate appellata. Non erat antiquitus porta Romana, sed tractu temporis in thermarum Romanarum ruinis exstructa est. WYTT. Cf. ejusdem Neve Forschungen über die Römischen architecktonischen Alterthumer im Moselthale von Trier. 1855, p. 48. Cf. præterea Schmidt, Baudenkmäler der Römischen Periode und des Mittelalters in Trier und seiner Umgebung; præsertim V, 2. 1845.

(175) De cujus situ cf. Wyttenbach, Neve Beiträge zur Epigraphik, p. 13.

non minus quam 100 (176) statuta [127] idola generaliter ab omni populo colebantur, et per ea miseri responsis dæmonum ac variis præstigiis [128] deludebantur. Fecerunt (177) etiam [129] in honorem Mercurii, quem deum summum et [130] inter deos et homines quasi mediatorem [131] volare arbitrabantur, fornicem infinitæ [132] altitudinis, in qua ferream imaginem miræ magnitudinis ejusdem Mercurii volantis [133] in aere [134] pendere fecerunt, cum scriptura hujuscemodi :

Ferreus in vacuis pendet caducifer auris.

Erat autem [135] lapis magnes unus in summitate alterque unus in pavimento fornicis junctus, cujus naturalis vis e regione sibi ferrum ascivit [136], sicque ferrum ingens quasi dubitans in aere pependit. Non [137] longe abhinc super Mosellam ex magnis lapidibus ferro plumboque compactis pontem construxere, quem nulla vetustas labefactare [138], nulli fluctus possunt dissolvere (178). Fecerunt quoque per diversa urbis loca turres firmas et altas, capitolia, palatia, templa, statuas [139], thermas [140], lavacra, theatra [141]. Sub terra etiam intra urbem et extra et in omni sua potestate ignorantibus quidem veritatem incredibilia miracula multa fecere. Aquarum quoque habundantiam habere cupientes, rivulum qui a modernis Olevia [142] dicitur [143] (179) sub monte Jurano [144] (180) introduxere; qui divisus in partes vix mediæ [145] civitati ad usum [146] sufficere potuit (181). Tunc [147] rivulum nomine Ruoverias [148], miliario ab urbe secundo alterum [149] rivulum qui Ruovora [150] vocatur marmore habundans (182) influentem [151], primo super eandem [152] Ruovoram [153] lapideis [154] fornicibus, deinde per divexa [155] montium latera [156] et vallium profunda ducentes, universæ civitatis plateas viventibus aquis implevere (183). Quæ interdum pluvialibus aquis adauctæ cunctas platearum sordes in Mosellam vexere.

4. Hunc [157] autem rivulum posterius nominatum [158] introducendum simul et amphiteatrum construendum Catholdus [159] princeps sorte acceperat. Qui dum [160] hesitaret, quomodo illum tam longe per tot montes et valles circumduceret, servus domesticus sumpta fiducia spondet firmissime, sibi [161] datis inpensis, eum se in urbem præsentaturum, quocumque die dominus [162] amphiteatrum foret perfecturus. Reluctari graviter [163] dominus, et hoc eum nequaquam esse facturum asseverare [164]. Tandem hoc pacto finem dedere certamini [165], ut si die constituta servus quod promiserat minus inplesset, a domino capite plecteretur, si vero effectum demonstrasset, pari modo dominus a servo puniretur. Animaverat servum [166] ad hoc facinus uxor domini sui, quæ mentita fide maritali sæpius cum eo in adulterio miscebatur. Quid plura? Cœptum opus fervebat utrimque [167]. Servus interim contrariis conjugum [168] studiis sumptibus [169] juvabatur, dum maritus necem servi vitam sibi, mulier necem mariti vitam servi [170] conrivalis [171] operiebatur [172]. Die denominata perfecta erant amphiteatrum [173] et aquæductus; qui ex inscitia [174] artificis undique obstrusus [175], cum nulla in se [176] admitteret aurarum spiramina, impeditæ aquæ non pervenere ad destinata [177]. Anxium de hac re servum mulier incestuosa [178] nocte diem illam [179] præcedente occul-

VARIÆ LECTIONES.

[127] ydola st. 2. [128] prestigyis 1. [129] autem 6b. [130] *deest* B. [131] m. et arbitrum B. C. [132] magnæ B. C. [133] quasi v. B. C. [134] aeræ 1. [135] *deest* 5b. [136] asscivit 1. 1b. sibi a f. B2. [137] *c. V. inc. Leibn.* [138] labefactari 3. 5a.b. [139] statuas *superscripto* vel tuias C1. *superscr.* tuias C3. statuas vel tuias C6. [140] th. balnea calida .. 5. [141] ett. 5b. [142] olivia C. [143] *deest* 2. [144] urano 1b. *erasa littera* i. [145] dimidie 5. 6. [146] usus B 2. [147] *c. V. C.* [148] roverias 4. 5c. ruuerias 5a.b. 6. rowerias B2. [149] et a. 3b. 6. alt. — primo *desunt* 5. [150] růuora *corr.* růura 1b. růura 3a. růůra 3b. riuora 6a.b. rowora B2. ruovera B6. C1. 2. rovera C6. [151] fluentem C6. [152] eam B2. 6. [153] rǒnoram 1b. rouoram 5a. reuoram 5c. ruueriam 5b. rouuram *corr.* rouuoram B2. ruoveram C3. [154] *ita* 2? C (C1. *e corr.?*). lapides *corr.* lapideis 1b. lapides *reliqui codd. quos vidi omnes.* [155] diversa 1. 1b. B6. C6. deuera 5a. deuexa 3b. 5b.c. [156] *deest* 6. [157] Tunc 5a.c. [158] n. rouora 5. [159] chatholdus 3b. [160] cum B2. C1. 3. *deest* B6. cum *post suppl.* B3. [161] d. s. 5. 6. [162] *deest* 5b. [163] d. g. B2. C1. 3. [164] asseveravi. 5. 6. perfecturum a. 5b. [165] certa || certamine 1. [166] ad hoc serv. 2. [167] utriusque 5a. B 2. 3. utrumque 5b. 6a. *corr.* utrimque 6b. [168] conjugis 6b. conjugi B 3. 4. C. conjugium B 6. [169] i. sumptibus 5. [170] *deest* C 3. [171] *deest* 6; *in loco vacuo suppl.* 3b. [172] opper. 2. operabatur B 6. [173] amphitheatrum 1. *hoc loco.* [174] inscia 1. 1b. 3a. inscientia B. [175] ductus 1. obstructus 1b. [176] in se *desunt* 3a. 5. 6. [177] d. loca 1b. [178] i. videns 1b. [179] d. precedentem 1b.

NOTÆ.

(176) *Centun.* — *deludebantur* ex Vita S. Eucharii, Act. SS. Ian. I, p. 919 : *Treviros pervenerunt; ubi tantus gentilitatis error inerat, ut exceptis singulorum penatibus, in uno loco civitatis centum statuta idola a populo generaliter colerentur et per ea miseri responsis dæmonum ac præstigiis deluderentur.*

(177) Hæc ex relatione Galbæ Viatoris nescio cujus sumpta esse, locus alterius recensionis infra edendus ostendit.

(178) Hujus pontis etiamnum supersunt vestigia; cf. Wyttenbach, Historisch-antiquarische Forschung über das Alter der Moselbrucke zu Trier. 1826.

(179) Hodie Olewig vicus quidam nominatur.

(180) Mons intelligitur urbi ad plagam orientalem oppositus. WYTT. Postea mons S. Martini dictus; v. c. 24 not.

(181) Hujus aquæductus Romani vestigia, qui in thermas directus fuisse videtur, nostro tempora plura detecta sunt. WYTT. Conf. ejusdem Neue Forschungen, p. 95.

(182) *Marmore clarus Erubris*, Ausonii Mosella v. 359. Hodie Ruwer dictus; cf. Bocking ad Mosellam p. 89.

(183) Hocce loco sermo est de altero aquæductu Romano, qui ad amphitheatrum directus erat et cujus vestigia novissimo tempore detecta hinc inde satis clare conspiciuntur. WYTT.

tat sub lectulo, in quo ipsa cum marito ejusdem rei [180] habuit mentionem. *Eia*, inquit maritus, *servus ille noster, qui tam superbe gloriatus est, quam dejectus et confusus est! Ego autem* [181] *novi, qua arte posset sibi cito* [182] *consulere.* Tum [183] mulier virum aggreditur, rogat sibi artem indicari, pollicetur fidem silentii, illicit [184], persuadet; postrémo hoc ab eo responsum accepit: *Si*, inquit, *quibusdam* [185] *in locis quantum jactus est* [186] *lapidis* [*ab invicem distantibus* [187]] *parvo foramine aquæductum irrumperet, sine mora cursum suum aqua perageret.* Hoc avido auditu percepto, paulo post soporato domino [188] egreditur servus clanculo, accitisque [189] operariis celerrime quod doctus erat inplevit, et aquam secum pariter urbi [190] præsentavit. Quod ubi mane [191] Catholdus comperit, clamante servo: *Domine* [192], *ecce aqua*, volens dedecorosum servilis mucronis [193] jugulum prævenire, sceleratæ uxori funesta inprecatus, raptam eam secum ex amphiteatro præcipitavit, et æternum [194] loco vocabulum, id est Catholdi solarium (184), indidit.

5 [195]. Erat itaque civitas non solum humanis laboribus valde [196] munita, sed etiam naturaliter, fluminibus, silvis ac montibus arduum [197] et angustum iter [198] pandentibus [199], vix accessibilis, et munitissima montibus quoque Jure [200] et Cebenna, quorum alter castellum superpositum [201] ad tutelam urbis continebat. Successu deinde [202] temporum prosperoque eventu bellorum finitimis undique gentibus et urbibus devictis jugum imposuerunt; in quibus quinque urbes [203] nobilissimas in ripa Reni [204] fluminis constitutas [205], hoc est Basileam, Argentinam, Wangiam (185), Mogonciam [206], Coloniam, cum populis suis [207], subjugaverunt; a quibus et plurimum vectigal annualiter accipere et eo longe lateque dominari cœpere (186).

6 [208]. Post multos vero annos hæ quinque urbes libertatem sibi [209] propriam vendicare cupientes, rebellaverunt, et censum debitum triginta annis continuis persolvere noluerunt. Set grando de cœlo veniens cum maximo agrorum et vinearum detrimento eas [210] populabatur [211]. Hinc rumor et timor magnus increvit civibus illis, putantibus hanc tempestatem grandinis a diis Trebirorum [212] sibi propter retentum [213] vectigal inferri. Et ideirco inito consilio censum triginta annorum collectum [214] Treberis retulerunt, et deinceps se persolvturos quotannis [215] fideliter [216] spoponderunt. Tunc (187) Treberenses statuam preciosi [217] marmoris erexerunt, et super eam Jovem [218], scutulam [219] auream duorum pedum latitudinis in manu tenentem, hoc verborum ordine caraxatam [220]: *Jovi vindici* [221] *Trebirorum ex censu quinque urbium Reni per tria decennia denegato, set cœlesti igne et terrore extorto placabile holocaustum* [222]. Item [223]:

Ignibus haut [224] *mixtus, adolet tymiamata* [225] *discus.*

Hoc [226] arte mechanica factum erat, ut, thure [227] vel alia qualibet odorifera [228] specie scutellæ injecta, sine [229] igne [230] fumum odoriferum flagrans exhiberet, nec tamen species ipsa in aliquo [231] minuta [232] deficeret. In urbe etiam Lingonis, ad quam usque [233] suam potestatem extenderant [234], super portam in lapide scribi fecerunt [235]: *Huc usque jura Trebirorum.* Cum Remensibus [236] fœdus et amicitiam iniere, propter quod Remenses portam construxerunt [237] eamque Trebericam [238] appellaverunt.

7 [239]. Treberi et Remenses principales sunt in Gallia [240]. Gallia [241] trifaria [242] dividitur, Galliam [243]

VARIÆ LECTIONES.

[180] re 1. 1[b]. *deest* B. C. [181] a. inquit n. 5[b]. n. inquit 5. [182] *deest* 5[b]. c. p. s. 2. 6. c. s. B 2. [183] Tunc 5. 6. [184] allicit 5[b]. 5. 6. [185] in q. 6. [186] est i. 1. 1[b]. [187] a. i. d. *desunt* 1. 2. 3. 4? 5. 6. [188] c. s. clanculo soporato d. 2. 3. 4. 5. 6. d. suo 6. s. e. c. C. [189] Accitis 5[b]. [190] *deest* 5[c]. [191] *deest* 2. 3. 4? 5. 6. c. m. B. C. [192] *deest* 6. [193] i. m. 1[b]. [194] in æternum C5. [195] *c.* VI. *Leibn.* [196] v. m. *desunt* 5[a]. v. murata 5[b]. [197] *deest* C3. [198] tunc 5. [199] prebentibus 5[a]. 6. petentibus 5[b]. pendentibus 5[c]. [200] jurano 2. 3. 4? 5. 6. jure *corr.* jurano C1. *et ita* C3. munitissimum m. q. jure et jurano et c. B3. [201] suppositum 3[b]. 5[a.b]. [202] *deest, spatio vacuo relicto* 1. *deest* 1[b]. denique 6. deinde — undique *desunt* 5[c]. [203] *deest* B 3. [204] *deest* B 6. [205] positas 1. 1[b]. [206] moguntiam 2. *alii.* [207] *deest* B2. [208] *c.* VII. *Leibn.* [209] p. s. 6[a.b]. [210] eos 3[b]. 5. 6. C. [211] depopulabatur 1. 5[a]. [212] treberorum 2. 3. 5. 6. B2. trevirorum C. *et ita semper fere.* [213] *deest* 3. 5. 6. [214] *deest* 2. [215] quodannis 3[a]. *deest* 6. quotquot annis 5. omnibus annis 2. [216] *deest* 5[a.c]. B. C. [217] de precioso marmore 6. [218] i. et sc. 3[b]. 5. 6. [219] scittulam 2? scutellam 5. 6. B2. [220] exaratam 5[b]. — 6[a]. *alio atramento et fortasse alia manu super lineam add.:* id est caracteribus insignitam, *et ita* 6[b]. *in textu.* — 5[a]. *add.:* id est caracteribus inscriptam, 5[b]. *post* tenentem: caractibus inscriptam. [221] vincendi *corr.* vindici 1[b]. [222] hoc h. 5[b]. [223] *deest* 2. 3. 4? 5. 6. [224] haut — discus *alia manu in loco raso* 1. [225] timiamata 2. thimiamata 3. 5. C 1. 3. thinniamata 6[a] thymiamata B 2. [226] autem *add.* B. C. — Factum c. h. a. m. 1. 1[b]. [227] ture 1. [228] s. o. 6[a.b]. [229] sibine B2. [230] mora 5[b]. [231] *deest* 1. 1[b]. [232] munita 5[b]. 6. [233] ad usque quam B. C. [234] crexerant 5. [235] l. adhuc scriptum legitur B. C. [236] etiam *add.* C. [237] fecerunt 6. [238] trevericam 1. 1[b]. construxere — appellavere B6. [239] *c.* VIII. *Leibn.* [240] Belgica *add.* B. C. bellica B2. [241] galliam 5[a]. [242] trifariam 5[a.c]. 6. trifarie 5[b]. Nam G. trifariam B. C. in trifariam *superscripto* in C3 [243] in g. 2. 3. 4? 5. 6.

NOTÆ.

(184) Amphitheatrum Romanum et specialiter ejusdem porticum subterraneum, qui ducit ad arenam seu caveam, hodiernum vulgus appellat *Cas-Keller* (Caiicellam). WYTT., qui Wilthemii locum affert, quo hoc vocabulum a Gallica voce *kaio* seu *caio*, id est cohibeo, coerceo, derivat eo quod ibi feræ claustris suis cohiberentur.

(185) Wangiones sive Wormatia.

(186) In codice 6[d]. in une hi versus leguntur

Treberis innumeris bellorum compta triumphis,
Cum populis fortes sibi quinque subegerat urbes;
A quibus immensum convenit tollere censum
Quo locupletari cepit nimis et dominari.

(187) Hæc quoque ex testimonio Galbæ Viatoris pendent; v. infra.

comatam, bracatam [244] et togatam (188). Gallia comata postea dicta [245] est Gallia [246] Belgica [247] a Belgio [248] (189) Trebirorum duce [249]; a [250] cujus nomine Treberis dicitur Belgis [251] (190), qui alio nomine dicitur Olevia. Cum quo etiam [252] Belgio [253] portio maxima Gallorum [254] in Greciam transivit hoc modo. (JUSTIN. XXIV, 4; XX, 5; XXIV, 4, 5; XXV, 2.) Namque (191) Galli [255] cum tanta habundarent multitudine, ut eos non caperent terræ quæ genuerant [256], trecenta [257] milia hominum ad sedes novas quærendas emiserunt. Ex his portio in Italia [258] consedit, quæ sedibus propriis [259] Tuscos expulit, et civitates has, Mediolanum, Ariminum (192), Comum [260], Brixiam [261], Veronam, Pergamum, Tridentum [262] Vincentiamque condidit; et portio Illiricos sinus ducibus avibus — nam auguriandi [263] studio Galli præter ceteros callent — per strages barbarorum penetravit, et in Pannonia consedit; gens aspera, audax et [264] bellicosa, quæ prima post Herculem, cui res ea virtutis ammirationem et inmortalitatis fidem dedit, Alpium invicta juga et frigore intractabilia [265] loca transcendit [266]; ibique [267] domitis Pannoniis, per multos annos [268] cum finitimis varia bella gesserunt. Hortante deinde successu, divisis [269] agminibus, alii Greciam, alii Macedoniam, omnia prosternentes ferro, petivere, tantusque terror Gallici nominis erat, ut etiam reges [270] non lacessiti pacem ultro [271] ingenti pecunia mercarentur. Solus rex Macedoniæ Ptolomeus [272] adventum Gallorum intrepidus audivit, hisque [273] cum paucis et incompositis, furiis parricidiorum [274] agitatus occurrit. Igitur Galli duce Belgio ad temptandos Macedonum [275] animos legatos ad Ptolomeum [276] mittunt, offerentes pacem, si emere velint. Set Ptolomeus inter suos belli metu pacem [277] Gallos petere gloriatus est, nec minus ferociter se legatis quam inter inimicos [278] jactavit [279], aliter se [280] pacem daturum negando, nisi principes suos [281] obsides dederint et arma tradiderint; non enim se fidem [282] nisi inhermibus [283] habiturum [284]. Renunciata legatione, risere Galli, undique acclamantes, brevi sensurum, sibi an illi consulentes [285] pacem obtulerint. Interjectis diebus prælium conseritur; victi Macedones cæduntur, Ptolomeus multis vulneribus saucius [286] capitur, caput ejus amputatum et lancea [287] fixum tota acie [288] ad terrorem hostium circumfertur. Paucos ex Macedonibus fuga servavit, ceteri aut capti aut occisi [289]. Tantæ [290] fecunditatis ea tempestate Gallorum fuit juventus, ut Asiam omnem velut examine aliquo [291] inplerent. Denique neque reges Orientis sine mercennario Gallorum exercitu ulla bella gesserunt, neque pulsi regno ad alios quam ad Gallos confugerunt [292]. Tantus terror Gallici nominis et armorum invicta felicitas erat [293], ut aliter neque magestatem [294] suam tutam, neque amissam recuperare se posse sine Gallica virtute arbitrarentur [295]. Itaque in auxilium a rege Bithiniæ vocati, regnum cum eo parta victoria diviserunt, eamque regionem ex Gallis et Grecis composito nomine Gallo-Greciam cognominaverunt. Ibi (193) exercitus Trebirorum pars in patriam [296] remissa, et pars quæ remansit [297] Gallicum genus procreavit, et [298] duas linguas deinceps in usu habuit, id est [299] Gallicam et Grecam. Denique Galathæ [300], qui ex Gallo-Grecis [301] orti sunt, excepto (194) sermone Greco, quo omnis Oriens loquitur, eandem pene proprietatem sermonis [302] habent quam Treberi; nec refert si aliqua exinde corruerint, cum et [303] Afri [304] Fenicum [305] linguam nonnulla [306] parte mutaverint, et Latinitas ipsa et regionibus cottidie mutetur et tempore.

8 [307]. Igitur Trebirorum dominatus longe lateque dilatatus usque ad tempora [308] Romanorum mansit inviolatus. Deinde etiam cum Romani totum [309] orbem armis et prudentia [310] domuissent amicitias [311] cum Treberibus [312] et fœdus firmissimum iniere, et

VARIÆ LECTIONES.

[244] brachatam 1. bracatam et thogatam B 2. [245] est d. 6. [246] *deest* 1. 5b. [247] bellica B 2. [248] belgeo 5a. [249] d. t. C. [250] ex B. C. [251] B. rivus quidam qui 3b. 5. 6. qui — olevia *desunt* B. C. [252] *deest* 5b. 6. in 5a. [253] bellio *corr.* belgio 1b. [254] *deest* 5a.b. [255] c. g. 5. [256] caperet terra que genuerat 5b. [257] CCCtorum 2. [258] italiam 1. 1b. [259] *deest* 5b. [260] comium C. [261] brycxiam B 2. brixium C. [262] *in* 6a. *unum folium deest — c.* 9. noluisse quo facilius civita. [263] augurandi 2. 5. [264] *deest* 6. [265] intractabili 3a. 5a.b. [266] descendit C 3. [267] ubi 2. 3. 5. 6. ibi B. C. *cum Justino.* [268] dies 3. 5. 6. [269] divis *e corr.* 6b. [270] *deest* 5. reges ipsi B 2. [271] ultra 6b. u. pacem i. precio 1. 1b. [272] pholomeus 3b. 6. ptholomeus 2. 5b. B 2. [273] hisque *corr.* isque 2. isque 5. 6. [274] parricidorum 1. 1b. B 2. [275] a. m. 2. [276] ptholomeum 2. 3a. 5. B 2. C 1. 3. pholomeum 3b. 6. *et ita saepius.* [277] g. p. 6b. [278] inimicos *superscr.* vel a (micos) C 1. *et ita* C 3. [279] se i. 5. [280] se a. B 2. [281] *deest* 5b. [282] f. se 2. 3. 4? 5. 6. [283] *ita* 1. 1b. inermis 2. 3. 4? 5. 6c B. C. inermibus 6b. [284] h. fatetur C. [285] conludentes 2. colludentes 3a. 5. 6. [286] sauciatus 1b. [287] lancee infixum 2. [288] die 6b. [289] o.sunt B 2. [290] *c.* IX. *inc. Leibn.* [291] *deest* B 6. velut aquilo 3b. 5. 6. v. aliquo 3a. [292] tum conf. B4. [293] erat f. 2. 3. 4? 5. 6. B. C. [294] *ita* 1. B2. C1. majestatem *alii.* [295] arbitrabantur 2. 3a. B. C. [296] patria 3a. [297] remanserat 1. 1b [298] quod 2. [299] i. e. *desunt* B6. [300] et g. B6. [301] Gallis et Grecis 5b. [302] *deest* 2. 3a 5. 6. [303] *deest* 3b. 5. 6 (6c ?). [304] affri 3a. 5a b. B2. 6. [305] ph(o)enicem 5b. 6b. [306] n. ex p. 6. [307] *c.* X. *Leibn.* [308] r. t. 6b. [309] vel *ut videtur superscr.* C1. *et ita* C3. 4. [310] potentia 6b. [311] amicitiam B. C. [312] treberis 2. treverensibus B.

NOTÆ.

(188) Cf. Oros. VI, 7.

(189) Hæc sibi auctor excogitavit, Belgionis nomine apud Justinum lecto.

(190) Fluvius Belgis infra in textu B. nominatur, hodie *Kyll.* Cf. locum infra ad c. 16 not. editum.

(191) Quæ sequuntur ex Justino XXIV, 4 sqq. et XX, 5, etc., sumpta sunt.

(192) Ariminum Justinus omittit.

(193) Pergit jam auctoris nostri narratio.

(194) *Excepto — tempore* ex Hieronymi proœmio libri II Comment. in Epistolam ad Galatas, Opera ed. Martianæi IV, p. 255.

hanc urbem, propter antiquam nobilitatem et civium [313] sibi quodammodo parem dignitatem [314], secundam Romam (195) appellavere. Tunc etiam Treberi Romana jura et leges habere cœperunt, quas usque in hodiernum diem [315] tenere [316] noscuntur (196). Hisdem [317] (197) temporibus venit ad [318] Treberim [319] Arimaspes [320] urbis Romæ senator et rector, volens auditam sæpius [321] de Treberibus virtutum eminentiam ipsa suimet melius [322] experiri sententia. Cui Treberi idem [323] quod in Romana urbe administraverat rectoris officium commisere, et egregium virum tanta liberalitate et amicitia fovere, ut nequaquam ulterius [324] cuperet [325] ad patriam remeare. Adhuc autem [326] eo Romanum jus regente, contigit quendam [327] nomine Epten reum ab ipso Arimaspe [328] capite condempnari. Qui judicium fugiens, hac et illac [329] incertus vagabatur et [330] profugus. Hic ergo [331] ubi [332] fama volante [333] cognovit, qualibus honoribus Arimaspes [334] in Treberis floreret, invidit, et mortem sibi olim ab ipso [335] destinatam ulcisci desiderans, Treberim venit; ubi se nemine cognoscente et ob hoc nihil [336] in se sinistri suspicante, tandem post multas {insidias [337]} Arimaspem inventum occidit. Qui sentiens hoc se [338] vulnere mortem non posse effugere, in porta Martia se rogavit sepeliri et hoc [339] epitaphium [340] ad gratiam [341] Trebirorum, sepulcro suo super [342] inscribi [343]:

Exul Arimaspes hac Martis [344] *in arce quiesco*
Belgica [345]*; Roma mei non* [346] *mea digna* [347] *fuit.*
Jure bono, meritorum nobilitate, triumphis
Dii [348] *tueantur, ei* [349] *par nisi Roma nichil.*
Vulneror, Epte reo, consul primusque senatus [350].
Hic gaudete [351] *mei, sic meruisse mori.*

9 [352]. Anno (198) vero [353] ante incarnationem Domini quinquagesimo cum Julius Cæsar (Cæsar II, 24; II, 16; II, 24; V, 2, 3) ad Gallias de Roma fuisset [354] missus, Treberi, quorum in Gallos [355] opinio est [356] virtutis [357] singularis, auxilium equitum Cæsari miserunt; set cum apud [358] Attrabatas [359] et Viromandos [360] pugnandum [361] foret, et viderent Romanorum castra multitudine hostium compleri [362], legiones premi et pene circumventas teneri, calones [363], equites, funditores Numidas [364] diversos [365] dissipatosque in [366] omnes partes fugere vidissent, desperatis Romanis [367], domum contendere [368] voluerunt, Romanos pulsos superatosque, castris impedimentisque eorum hostes potitos [369], civitati renunciaverunt. Deinde inito [370] consilio, neque ad concilia [371] Cæsaris veniebant, neque imperio Romanorum parere volebant [372], Germanosque Transrenanos [373] contra Romanos [374] sollicitare cœ-

VARIÆ LECTIONES.

[313] *deest* 5b. 5. 6. [314] dignitate 1. 1b. 5b 5. 6c. nobilitate vel dignitate 6b. [315] *deest* 5b. [316] habere B. [317] Isdem 5. 6. B2. 6. [319] *deest* 6. [320] teberim *corr.* treberim 1. [320] armaspes 5. [321] *deest* 5. [322] *deest* 1. 1b. [323] i. (id est) 5a eo 5b. 5. 6. [324] *deest* 5. [325] *deest* 3b. ad p. remearet 5. 6. [326] *deest* 5. [327] reum q. n. e. (eptem 6b.) ab ipso 6. [328] armaspe 5. arismaspe 6b. [329] hac illacque 1. 1b. hac illac 5b. [330] *deest* 5b. [331] vero 3b 5. 6. B2. [332] ubi audivit f. 1. 1b. [333] volitante qual. 5. [334] armaspes 1b. 5. [335] eo 6b. [336] in se nichil 6b. [337] *ita* 2. 3. 5. 6. *post add.* C1. *et ita* C3. *seqq.* *deest* 1. 1b. B. multa B2. 4. [338] *deest* 5b. 5. h. u. m. se non 6b. [339] *deest* 5c. [340] epitaphio 2. [341] ad treberorum gratiam 6b. [342] *deest* 5b B2. 6. [343] i. fecit 3. 5. 6. — C1. 3. *add. rubram:* Epit. Arimasp. [344] martis — multo gravius hoc (*infra c.* 9.) *desunt* 1b. *folio amisso.* [345] bellica B3. 4. [346] in 2. [347] *deest* 5b. [348] Hii 3a. [349] tucantur eam 2. [350] senator B2. 3. [351] gaudere 5. [352] *c.* XI. *Leibn.* [353] *deest* 1. [354] m. f. 6. [355] gallios *corr.* galliis B2. q. inter quos gallicos 6b. [356] opinione 2? [357] u. est s. 6. [358] *deest* 3a contra 2. 3b. 5. 6. [359] attrebatas 5a. atreb. 5c. atrabatas 6b. B2. [360] vinamandos 2. [361] pugnatum 6. [362] impleri B. 2. [363] calon est lignum 5a. *in margine* [364] muradas 5. [365] divisos 2. B2. [366] et 3a. d. et et 5b. d. et 5c. [367] d. R. *desunt* 6. [368] contradicere 3b. 5. 6. [369] petitos 3b. 5. [370] D. c. i. 6. [371] consilia 3b. 5. 6b. *sæpius.* consilium 5b. cesaris c. 6. [372] neque — volebant *desunt* 1. 3a. 3b? 4? 5. 6. *in marg. add.* C1. p. v. R. B2. p. R. v. B6. C1. 3. [373] transrenicos 6. transrenacos (?) *corr.* transrenanos 5a. transrenatos 5b. transrhenanos 5c. transreninos B2. [374] c. R. *desunt* 6b.

NOTÆ.

(195) Ubi primum hoc legatur nomen, nescio; sed quosdam afferre juvat locos Gestis antiquiores: Vita S. Deicoli (*Acta SS.* Jan. I, p. 201): *magnam Treverim utpote secundam Romam magnos necesse fuit habere doctores;* Vita S. Conradi Trev. c. 2 (v. infra); Vita S. Agritii (*Acta SS.* Jan. I. p. 773): *Revolutis enim sanctus pontifex Silvester annalibus ejusdem civitatis gesta antiquissima continentibus, ejus excellentiæ nobilitatem et antiquissimam dignitatem sagaciter indagavit, eamque tam propter ædificiorum firmissimam præeminentiam quam propter civium nobiliorum omnibus Galliæ ac Germaniæ civitatibus adeo præstare didicit, ut merito nomen secundæ Romæ ipsorum judicio Romanorum susceperit;* de quo loco cf. præfationem nostram p. 112; ibidem p. 778; *Igitur sicut Treveris secunda Roma idcirco vocatur, quia materialis structuræ mirabili operositate illam quondam æmulabatur;* Historia martyrum Trever. apud Hontheim Prodr. I, p. 114: *non enim propter solam ædificiorum æqualitatem, sed etiam propter dignitatum æmulationem hæc urbs secunda Roma est vocata.* His adde Berengosi librum De inventione S. Crucis III, c. 1. (*Bibl. maxima Patrum* XII, p. 306): *Trevericam urbem famosissimam — quæ tunc temporis eo divitiis et rebus erat opulentior, quo armis et militibus videbatur esse potentior. Licet enim fortis esset ex provinciis et civitatibus undique adjacentibus, divina tamen gratia fortior erat a credentibus; maxime cum per beatum Eucharium ac socios ejus ita sterilis esset idololatria et fide fecunda, quod non immerito Roma vocabatur secunda.* Friderici I. vero diploma quod Wyttenbach affert spurium est. (?)

(196) Nota hunc locum sæc. XII incipiente scriptum.

(197) Unde hæc auctor sumpserit, equidem cum aliis nescio.

(198) Quæ sequuntur ad verbum plerumque ex Julii Cæsaris Commentariis descripta sunt.

perunt. Hac de causa Cæsar cum legionibus quatuor [375] et equitibus octingentis in fines Trebirorum [376] profectus est. Hæc [377] civitas longe plurimum totius Galliæ equitatu valebat, magnasque copias peditum habebat, Renum, ut supra (199) docuimus, tangens. In ea duo de principatu contendebant, Induciomarus [378] et Cingetorix [379]. Ex quibus alter [380], simul atque [381] de Cæsaris legionumque [382] adventu [383] cognitum est, ad eum venit, se suosque omnes in officio futuros confirmat, neque ab amicitia publicæ rei [384] defecturos confirmavit [385], quæque [386] in Treberis gerantur ostendit. At [387] Induciomarus [388] equitatum peditatumque [389] cogere [390], eisque qui per ætatem in armis esse non poterant in silvam Arduennam [391] abditis, quæ ingenti magnitudine per medios fines Trebirorum a flumine Reno [392] ad initium [393] Remorum pertinet [394], [quæ silva tocius Galliæ maxima est et *add.* B. C.] bellum parare instituit. Et [395] posteaquam nonnulli principes ex ea civitate, et [396] auctoritate [397] Cingetorigis [398] adducti, et adventu Romani exercitus perterriti, ad Cæsarem venerunt, et de suis privatis rebus [399] ab eo petere cœperunt, suæ [400] civitati consulere non possent: Induciomarus [401] veritus ne ab omnibus desereretur [402], legatos ad Cæsarem mittit, sese a suis ideirco [403] discedere atque ad eum venire noluisse, quo facilius civitatem [404] in officio contineret [405], ne omnis nobilitatis discessu plebs propter imprudentiam laberetur. Itaque civitatem in sua potestate esse [406], seque, si Cæsar permitteret, ad eum in castra venturum civitatisque fortunas ejus fidei permissurum [407]. Cæsar etsi intellegebat [408], qua de causa ea [409] dicebantur, quæque eum res ab [410] instituto consilio deterreret [411], tamen, ne æstatem in Treberis [412] consumere cogeretur, omnibus rebus ad Brittannicum [413] bellum comparatis [414], Induciomarum ad se cum ducentis obsidibus venire jussit. His adductis, filiis [415] propinquisque [416] ejus omnibus, quos Cæsar nominatim evocaverat, consolatus [417] Induciomarum [418] hortatusque [419] est ut in officio maneret [420]. Nichil tamen egit [421]; sed [422] principibus Trebirorum ad se convocatis, eos singillatim Cingetorigi [423] reconciliavit; quod cum merito ejus [424] ab [425] se fieri intelligebat, tamen magni [426] interesse arbitrabatur, ejus [427] auctoritatem et inter suos quam [428] plurimum valere, cujus egregiam voluntatem in se perspexisset [429]. Id graviter [430] tulit Induciomarus, suam gratiam inter suos minui, et qui jam ante [431] inimico animo in Romanos fuisset [432], multo gravius hoc dolore [433] exarsit. (Cæs. v, 24.) [434] Bello [435] Brittannico confecto, cum frumentum [436] Galliæ propter siccitates angustius [437] provenisset, coactus est Cæsar [438] aliter ac [439] superioribus annis exercitum [440] in hibernis [441] collocare, legionesque in plures civitates [442] distribuere. Ex quibus unam cum Tito Labieno in confinio Trebirorum et Remorum hiemare jussit, alteram cum Titurio Sabino et Cotta [443] in Eburonas, quorum pars maxima est inter [444] Renum et Mosam sub [445] imperio Ambiorigis, ad hiemandum misit. Induciomarus missis nunciis impulit [446] Ambiorigem, ut legiones [447] cum legatis in suis finibus [448] hiemantes occideret (cf. Cæs. v, 26). Quas cum Ambiorix [449], insidiis circumventos [450] funditus interfecisset, Induciomarus (200), magnas armatorum [451] copias habens, postquam etiam de consensu [452] totius Galliæ certior [453] factus est, Labienum legatum legionemque cui bis [454] præerat, quod facile factu [455]

VARIÆ LECTIONES.

[375] milibus *add.* 1. 3. 5. 6. [376] *ita hoc loco* 2. C. treberorum 1. *alii.* [377] Nec 6b. [378] inducimaris 5a. indicimaris 5b. inducimarus. 5c [379] cingetor 3b. 5. 6. cingetorix B2. [380] alteri 2. 3. 4? 5. 6. [381] alter ubi de B. C. [382] *deest* 2. 3. 4? 5. 6. adv. ces. 2. [383] *deest* 5. [384] publ. rei *desunt* 1. reipubl. 5. 6c. p. r. (populi romani) *scriptum fuisse videtur.* [385] promisit 6. *deest* B. C. [386] quæ treberis inque C3. 4. [387] Ac 5. 6b. [388] indiciomarus 5b. 6b. [389] equitatumque peditatumque 5. eqnitatumque *eraso* que 6b. (*deest* peditatum). [390] coegere 3b. 5a. [391] arduendam 6b. a. s. B. C. [392] rheno B2. usque *rec. man. add.* C1. [393] indicium 1. iniciorum 3a. victum B2. [394] pertinent 6. [395] set B. C. *cum Cæsare.* [396] e B2. [397] auctotate 1. [398] cingetoris 3. 5. 6. *et ita semper;* cyngetorigis B2. *sæpius;* cingetoriis B6. cingetoris *ut videtur corr.* cingetorigis C1. [399] privatis ab eo p. c. rebus 2. 3. 4? 5a. b. 6c. pr. ab eo c. p. r. 6b. p. de eo cep. rebus 5c. [400] et sue 3b. 5. 6. quod *ante* suæ *superscr.* C1. *et ita* C3. *sqq.* [401] Indiciomarus 5b. *sæpius.* [402] Ind. — desereretur *desunt* B2. deseretur 3b. [403] iccirco 1. idcirco a suis 3. 5. 6. B. C. *cum Cæsare.* [404] *pergit* 6a. [405] retineret B. C. [406] esse p. 1. [407] commissurum 6. [408] *ita* 1. [409] *deest* 6a-b. [410] *deest* 2. 3b. 4? 5. 6. [411] deterret B2. [412] treberim 5a c. est. treberi 5b. [413] britannicum 3a. 5. 6. B. 2. 6. *et ita deinceps sæpius.* [414] comparantis 6a. *corr.* comparatis 6b. [415] et *ante* filiis *superscr.* C. 1. *et ita* C3. [416] et p. 5b. [417] consulatus 3b. 5a. b [418] induciomarus 3a. [419] hortatus 2. 3. 4? 5. 6. B. C. [420] permaneret B. C. [421] e. aliud B. C. [422] sed etiam 1. [423] cingetori *hoc loco et deinceps etiam* 2. [424] *deest* B. 2. [425] ad 1. 2. 3a. 5. a. 6. [426] magna esse 5. [427] cujus 3a. 5. 6. [428] *deest* 6. [429] perrexisset 3a. [430] gr. factum 2. 3a. 5. 6. factum gr. B. C. *cum quibusdam Cæsaris codicibus.* [431] antea animo 5. [432] fuit 5. 6. [433] *pergit* 1b. [434] *c.* XII. *inc. Leibn.* [435] B. igitur B. C. [436] frumento 3a. frumenta 3b. 5. 6. [437] angustus 1. angustiis provenissent 1b. angustiis 2. 3a. B6. a. pervenisset 3a. siccitatis angustias defecissent 3b. 5. 6. [438] c. cæsar est B. C. cessare B6. [439] a 3b. 5. [440] *deest* 2. [441] hiberna 3. 5a. c. hibernia *vel* hybernia 5b. 6. B. C. [442] *deest* 5. [443] anta 5a. c. an 5b. coita 6a. [444] in B2. 6. in *corr* inter B. 3. [445] cum B6. [446] *deest* 5b. — ambiorigis *corr.* ambiorigim 5a. ambiorgiem inpulsit B 2. a. i. B.C. [447] legionem 5. [448] f. s. 1. 1b. [449] ambior 3b. 5. 6. abiorix C 1. [450] circumventos *postea corr.* circumventas 3a. C1. circumventas 3b. 5. 6. C3. [451] armorum 3. 5. 6. B. C. [452] *deest* 5b. [453] certius 1b. [454] *ita* 1. is *rell.* [455] factum 5.

NOTÆ.

(199) Hæc ex Cæsare auctor retinuit.

(200) Hæc neque apud Cæsarem neque apud Orosium ita leguntur; sed auctor addidisse videtur, ut Induciomari Treverensis laudes magis efferret.

arbitrabatur, delere statuit, ac deinde Eburonibus Nervisque [456] conjunctus [457] ad opprimendum Cæsarem pergere (cf. Cæs. v, 37, 38, 39; Oros, vi, 10). (Cæs. v, 47, 48, 49-52, 53, 55, 56, 57, 58.) Labienus, interitu Sabini, cæde [458] cohortium [459] cognita, cum omnes ad eum Trebirorum copiæ [460] convenissent, veritus, si ex hibernis fugæ similem profectionem fecisset, hostium [461] impetum sustinere non posset [462], præsertim quos recenti [463] victoria efferri sciret, litteras Cæsari mittit, quanto cum periculo legionem ex hibernis educturus esset; rem gestam in Eburonibus [464] perscribit [465], docet omnes equitatus peditesque [466] Trebirorum tribus milibus passuum longe [467] a suis castris consedisse. Cæsar ejus celeritate venit ad Nervios [468], ibi [469] copias Ambiorigis [470], Ciceronem legatum cum legione secunda delere meditantes, Ambiorige fugato [471], celeriter superavit [472], eaque de [473] victoria velocissimum nuncium Labieno [474] misit. Hac fama ad Trebiros perlata, Induciomarus, qui [475] postero [476] die castra Labieni [477] oppugnare decreverat, noctu profugit [47], omnesque copias in Trebiros reduxit. Deinde totius sequentis [479] hiemis [480] nullum [481] tempus intermiserunt, quin trans Renum legatos mitterent [482] civitates sollicitarent, pecunias pollicitarentur [483], magna [484] parte exercitus Romani [485] interfecta, minorem superesse dicerent [486]. Neque [487] tamen ulli civitati Germanorum, persuaderi potuit ut Renum [488] transiret, cum se his [489] expertos esse dicerent Ariovisti [490] bello, non esse amplius [491] fortunam temptandam. Hac spe lapsus Induciomarus, nichilominus copias cogere [492], exercere [493], a finitimis equos parare [494], exules dampnatosque [495], tota Gallia magnis præmiis ad se allicere [496] cœpit; ac tantam [497] sibi jam his rebus in Galliam auctoritatem comparaverat, ut undique [499] ad eum legationes concurrerent, gratiam amicitiamque [500] publice privatimque [501] peterent. Ubi intellexit ultro ad se veniri [502], altera [503] ex parte Senones Carnotesque [504] conscientiam facinoris [505] instigare, altera Nervios Attuaticosque [506] bellum Romanis parare, neque sibi voluntariorum copias defore, si ex [507] finibus suis [508] progredi cœpisset, armatum concilium [509] indicit. Hoc [510] more Gallorum est [511] initium belli, quod communi lege omnes puberes armati convenire coguntur; qui ex his novissimus venit [512], in conspectu multitudinis omnibus [513] cruciatibus afflictus necatur. In eo concilio [514] Cingetorigem [515], alterius [516] principem factionis [517], generum suum, quem supra demonstravimus Cæsaris fidem secutum [518] ab eo non cessisse, hostem judicandum curat, bona ejus publicat. His rebus confectis, in concilio pronunciat, accersitum se a [519] Senonibus et Carnotibus aliisque compluribus [520] Galliæ civitatibus, hoc iter [521] facturum per fines Remorum eorumque [522] populaturum [523] [agros [524]], ac priusquam id faciat, castra Labieni oppugnaturum; quæ fieri velit præcipit [525]. Labienus [526] cum et [527] loci natura et manu munitissimis [528] castris sese teneret, de suo ac legionis periculo nichil timebat; ne [529] quam [530] occasionem rei bene [531] gerendæ diuturniteret, cogitabat. Itaque a Cingetorige atque ejus [532] propinquis oratione [533] Induciomari cognita [534] quam in concilio habuit, circummittit [535] ad [536] finitimas civitates equitesque [537] undique evocat [538]; his certum diem [539] conveniendi dicit. Interim prope cottidie cum omni equitatu Induciomarus sub castris ejus vagabatur, alias ut situm castrorum cognosceret, alias colloquendi [540] aut [541] territandi [542] causa Equites plerumque omnes [543] tela [544] intra vallum

VARIÆ LECTIONES.

[456] nerviisque 2. 5a. 6. B. C. nerinisque 5b, c. [457] c. est 2. B. [458] et *arte* cede *superscr.* C1. *et ita* C3. [459] *deest* 6b. [460] copie treberorum 6. [461] quod *ante* hostium *superscr.* C1 *et ita* C3. [462] posse 3b. 5. 6. [463] recentia *corr.* recenti 6a. recentia 6c. [464] buronibus 3b. 5a, b. [465] perscripsit 6c. [466] peditatusque B. C. *cum Cæsare.* [467] l. a. *desunt* 2. 3. 4? 5. 6. longe *deest* B. C. [468] servos *corr.* nervios 6a. nervos B6. [469] ubi 2. 3. 4? 5. 6. [470] ambioris *corr.* ambiorigis 6a [471] superato 6. [472] s. c. 1. 1b. [473] *deest* 5b [474] labienum 5b. ad labienum 5. [475] *deest* 2. 3a. [476] postera 5. 6. [477] labienio 2. [478] perfugit 2. 3a. 5a. [479] frequentis 3a. B. 6. Deinde frequentius 2. [480] *deest* 6a, c. anni s. 6b [481] nullus 1. [482] miserunt 1. miserint 1b. [483] pollitarentur 6a. pollicerentur 6b. p. p. *desunt* 5c. [484] magnaque 5b. magnam partem — interfectam B2. [485] r. e. 6. [486] docerent B 6. [487] nec 2. 3a. 4? 5. 6. [488] rhenum 1. *hoc loco.* [489] hos 2. 3. 4? 5. 6. his *Cæsar.* [490] alio juste 2. alio juste 3a. atque injusto 3b. 5. 6. [491] *deest* 3. 5. 6. B. C. [492] ducere 6. [493] exercitus 1b. arma exercere B. C. [494] p. equos 1b. f. comparare B. C. [495] que *deest* 1. 1b. [496] p. illicere c. 1b. [497] tantum 3b. 5a. a tm 5b. [498] gallia 5. 6. B. C. [499] u. ad e. l. c. *desunt* 5b. [500] g. atque amicitiam 2. 3 4? 5. 6. *cum Cæsare;* ejus *add.* B. C. [501] p. et privatim 1. 1b. privatisque 5b. privatumque 6c. [502] venire 1b. 2. 3b. 4? 5. 6. [503] ex altera 1. 1b. [504] carnotosque 5. 6c. carnotasque B 2. seniores carnatosque B 6. [505] c. f. *desunt* 2. 3. 4? 5. 6. conscientia f. instigari B. C. *cum Cæsare.* [506] attauticosque 2. [507] si ex *deleta* 1. ex *deest.* 1b. [508] *deest* 2. 3. 4? 5. 6. [509] a. c. armatum 1. [510] *deest* 5b. more *deest* 1b. [511] i. est B. C. Quis sit mos Gallorum inicio belli 5a. *in margine,* Quod s. m. G. i. b. 5b. *in textu.* [512] venerit B 2. [513] m. diversis cruciat *superscr. sed iterum deleto* ibus, *deest* afflictus 1. diversis cruciatur modis et necatur 1b. [514] consilio 3. 5. *sæpius corr.* concilio 6a. 6b. [515] cingetoriem 1b. cingetorem 3b. 5. 6. *sæpius.* [516] *bis scripsit* 1. [517] factionum 1b. [518] secum 1b. [519] ab omnibus S. 2. 3. 4? 5. 6. B. C. [520] quam pluribus 2. 5a, b. [521] tunc 5. autem C6. [522] eosque 2. 3. 4? 5. 6. [523] publicaturum 3b. 5. 6. [524] *deest* 1—6. [525] preecepit 3. 5. 6. *corr.* precipit B 2. [526] *c.* XIII. *inc. Leibn.* [527] ex 2. [528] munitissimus 1. B2. [529] et ne B. C. [530] qua 1. [531] bone 5. [532] cingetore ejusque 6. [533] occasione C. [534] c. i. 1. [535] *litteris* cir *codicis* 3. *fragmentum finitur.* [536] *deest* 6c. [537] que *deest* 2. [538] convocat B. (2. 6.). C. equitatesque u. vocat 1b. [539] *deest* B 2. [540] collocandi 2. 3b. 4? 5. 6. [541] alias 5c. [542] terrendi C 1. 3? 4. [543] p. o. plerumque, *post deletis* p. o. C1; *itaque* omnes *deest* C3. [544] i. valla tela 2.

conjiciebant. Labienus suos intra munitiones [545] continebat, timorisque opinionem quibuscumque poterat rebus augebat. Cum majore in dies contemptione [546] Induciomarus accederet [547], nocte una intromissis equitibus omnium finitimarum civitatum quos accersiendos curaverat, tanta [548] diligentia omnes suos custodiis [549] intra [550] castra continuit, ut ea res nulla ratione enunciari aut ad Trebiros perferri posset. Interim Induciomarus ex consuetudine cottidiana ad castra accedit, atque ibi magnam partem [551] diei consumit. Equites tela conjiciunt et magna contumelia verborum Romanos ad pugnam evocant. Nullo a [552] Romanis responso dato, ubi visum est, sub vesperum [553] dispersi ac dissipati [554] discedunt. Subito Labienus duabus portis omnem equitatum emittit, præcipit [555] atque interdicit, perterritis hostibus atque [556] conjectis [557] — quod fore [558], sicut accidit, videbat — omnes unum petant, neu [559] quisquam alium prius [560] vulneret, quam illum interfectum videret; quod mora reliquorum spacium nactum [561] illum effugere nolebat; magna proponit hiis qui occiderint [562] præmia, submittit [563] equitibus cohortes subsidio. Comprobat hominis consilium fortuna, et cum unum omnes [564] peterent, in ipso fluminis vado deprehensus [565] Induciomarus interficitur, caputque [566] ejus refertur [567] in [568] castra. Redeuntes equites [569] quos possunt consectantur et occidunt. Hac re cognita, omnes Eburonum et Nerviorum quæ convenerant copiæ discedunt, pauloque habuit post id factum Cæsar Galliam quietiorem.

10. [570] (Cæs. vi, 2.) Interfecto [571] Induciomaro, ad ejus propinquos ad Treberim [572] imperium [573] defertur. Illi finitimos Germanos sollicitare [574] et pecuniam polliceri non desistunt. Cum a proximis impetrare non possent, ulteriores temptant. Inventis [575] nonnullis civitatibus, jurejurando inter se confirmant [576], obsidibusque [577] et de pecunia [578] cavent, Ambiorigem sibi societate et fœdere adjungunt. (Cæs. vi, 3, 5, 6, 7, 8, 11.) Quibus cognitis, Cæsar concilio habito, cum reliqui [579] præter Senones et Carnotas [580] Trebirosque venissent, totus et mente et animo in bellum Trebirorum et Ambiorigis [581] succensus [582], cum Senonibus Carnotisque paciscitur [583], acceptis eorum obsidibus. Erant Menapi propinqui Eburonum [584] finibus, perpetuis paludibus silvisque [585] muniti, qui [586] uni [587] ex Gallia de pace ad Cæsarem [588] non miserant. Cum [589] hiis erat hospitium Ambiorigis [590]; item per Trebiros in amicitiam Germanorum pervenerant. Hæc prius Ambiorigi et Treberis detrahenda auxilia existimabat [591], quam ipsos bello lacesseret [592]. Hoc inito consilio, totius exercitus impedimenta [593] ad Labienum in Trebiros mittit, duasque ad eum [594] legiones [595] proficisci jubet, ipse cum legionibus [596] expeditis quinque in Menapios proficiscitur. Illi, nulla [597] coacta manu, loci præsidio freti, in silvas paludesque confugiunt, suaque eodem conferunt. Cæsar partitis copiis cum Fabio [598] et M. [599] Crasso quæstore, celeriter effectis pontibus [600], adit [601] tripertito [602], ædificia vicosque incendit, magno pecoris [603] atque hominum numero potitur. Quibus rebus coacti Menapi, legatos ad eum pacis petendæ causa mittunt; ille obsidibus acceptis [604] hostium se in [605] numero eos habiturum [606] confirmat [607], si aut Ambiorigem [608] aut Trebiros aut eorum legatos finibus suis accepissent. His rebus confirmatis, Connium [609] Atrabatem cum [610] equitatu custodis [611] loco in Menapis relinquit [612]. Inter [613] hæc Trebiri [614], magnis coactis [615] peditatus equitatusque copiis, Labienum cum una [616] legione, qui in eorum finibus hiemabat [617], adoriri [618] parabant; jamque ab eo non longius via bidui aberant, cum duas venisse [619] legiones missu [620] Cæsaris cognoscunt. Positis castris a milibus [621] passuum 15, auxilia Germanorum expectare

VARIÆ LECTIONES.

[545] castra et m. 5. [546] contentione 2. 5c. B2. contemptatione B6. ind. cont. 5b. [547] accederat 1b [548] tota 1. [549] custodia B 2. [550] in 5. 6. in castris 2. [551] d. p. 1. 1b. 6. consumpsit 1b. [552] *deest* 2. [553] vespere 5b (vespre 5b). 6. vespero B. C. [554] d. dissipatique 1b. [555] precepit 1b. 5b. precepitque a. 5a.c. [556] et t. 1b. [557] convictis 3b. 5. 6. [558] *deest* 2. 3b. 4? 5. 6. quod sicut indixit jubebat omnes 3b. 5. quod sic indixit jubebat ut omnes 6. quod sicut accidere B2. 6. solet accidere C1. *e corr. et ita* C3. [559] nec 2. ne 6c. [560] rius 1. p. a. B. C. prius *deest* C6. [561] Quid m. r. spacium? Nactu n 2. [562] occiderent 3b. illum occiderent 5. 6. [563] *deest* C 3. [564] o. u. 2. 3b. 5. 6. B. C. [565] deprehenso 5a. [566] que *deest* 2? 3b. 4? 5. 6. B. C. [567] *add. sed delevit* induciomarus 1. [568] ad C. [569] *deest* 2. 3b. 4? 5. 6. cedentes quos 5c. [570] *c.* XIV. *Leibn.* [571] Igitur interfecto C. [572] a treberis B2. 3. 4. *Cæsar.* ad treveris B 6. ad treberis *corr.* treberis C 1. p. treberis 3b. 5. 6. C3. [573] impreperium 3b. 6. [574] s. cœperunt 1. [575] Inventisque 5a. [576] conjungunt 6. [577] et obsidibus 3b. 5. 6. et *post add.* C1. *et ita* C3. obsidibus 2. B2. 6. [578] et pecunia captant 3b. 5. 6. [579] requi *corr.* reliqui 1. [580] senonas carnotas 1b. senonas carnotesque 3b. 5b. senonas carnotosque 5a. s. carnotesque 5b. s. carnotesque et treberos 6. — trebiros 2. [581] amborigis 1. [582] successus 5. B2. 6. C6. [583] pascitur, *corr.* paciscitur, acceptisque 1b. [584] euburonum 1. 1b. heburonum 6b. [585] filiisque 6a. *corr.* silvisque 6b. et silvis 2. [586] Hii 1. 1b. [587] *deest* 5. 6. [588] ad c. de p. 1. 1b. non *deest* 1b. [589] Cum hiis — pervenerant *desunt* 2. 3b. 4? 5. 6. [590] amborigis 1. [591] existimabant 1b. existimat 3b. 5a.b. 6. existebat *corr.* existibat B2. [592] lacesserat 1b, lacessiat 6. [593] i. currus et plaustra et similia 3b. 5. 6. [594] eos 3b. 5. 6. [595] p. l. 6. [596] legio 1. 1b. l. V exped. 2. [597] milla *in* 1. *Legi videtur;* ille nulle 2. mille B. — manu c. 1b. [598] centurione Fabio 2. 3b. 4? 5. 6. B. C. [599] *deest* 1b. marco 2. 5a.c. B. C. marcho 5b. 6. [600] pon... || bus effectis 1. p. c. 1b. [601] addit 1. 1b. 2. 3b. 5. [602] exercitu B2. [603] pecorum 1. 1b. et h. 5b. [604] *deest* 6. [605] *deest* 2. B. C. *cum Cæsare.* [606] habituri 5. h. eos B2. eos *deest* B6. [607] *deest* 1. 1b. [608] si aut treberos aut a. 5a.b. 6. B. C. aut a. *desunt* 5c. [609] cum omni turba cum eq. custodes in loco m. 3b. 5. 6. [610] *deest* 1. 1b. [611] custodiunt 1b. [612] reliquit 2. 5. 6. reliquid B2. [613] *c.* XV *inc. Leibn.* [614] Treberim *corr.* Treberi 1. [615] coacti 1. 1b. 6b. B6. coactis *corr.* coacti 5b. [616] l. u. 6. [617] hiemaverat 1. 1b. [618] adiri p. Namque 5a. adiri p. Jamque 5b. adire p. Jamque 5c. [619] *deest* 1. 1b. leg. v. 2. [620] jussu 2. C. [621] *deest* 2.

constituunt. Labienus [621], cognito hostium consilio [622], sperans temeritate eorum aliquam fore dimicandi facultatem, quinque cohortibus præsidio impedimentis relicto, cum viginti quinque [624] cohortibus, magno equitatu contra Trebiros [625] proficiscitur, et mille passuum relicto [626] spatio castra communit [627]. Erat [628] inter eos et Labienum difficili transitu flumen ripisque præruptis. Hoc neque ipse [629] transire in animo [630] habebat, neque Trebiros transituros [631] existimabat. Augebatur auxiliorum [632] cottidie spes Treberis. Labienus loquitur in consilio [633] palam, quoniam Germani appropinquare [634] dicantur [635], sese [636] suas exercitusque fortunas in dubium non [637] devocaturum, et postero [638] die prima luce castra moturum. Celeriter hæc ad Trebiros deferuntur, et ex magno suorum equitatus numero nonnullos [639] Gallicis rebus favere natura cogebat. Labienus nocte tribunis militum [640] primisque ordinibus coactis, quid sit [641] sui consilii proponit, et quo facilius det [642] hostibus timoris [643] suspitionem, majore [644] strepitu at tumultu quam publicæ rei [645] fert consuetudo, castra moveri jubet. His [646] rebus fugæ [647] similem profectionem efficit [648]. Hæc quoque per exploratores ante lucem ad Trebiros deferuntur. Vix agmen novissimum extra munitiones [649] processerat [650], cum Galli cohortati inter se, ne [651] speratam prædam ex manibus dimitterent; longum esse, perterritis Romanis [652], Germanos expectare, neque suam pati dignitatem, ut tantis copiis tam exiguam manum præsertim fugientem atque [653] impeditam adoriri non audeant. Flumen transire et in loco iniquo [654] bellum committere non dubitant [655]. Quod fore suspicatus Labienus, ut omnes citra flumen eliceret, eadem usus simulatione itineris, placide progrediebatur [656]. Tum [657] premissis [658] paululum impedimentis atque in tumulo quodam [659] collocatis, cohortatus milites, simul signa ad Gallos converti aciemque dirigi jubet. Paucis turmis [660] præsidio [661] ad impedimenta dimissis, reliquos equites ad latera disponit. Romani celeriter clamore sublato, pila [662] in A Trebiros mittunt. Illi ubi præter [663] spem quos fugere credebant infestis signis ad se ire [664] videre, impetum modo ferre non potuerunt, ac primo concursu in fugam conjecti [665], proximas silvas petierunt. Quos Labienus equitatu consectatus [666], magno numero interfecto, compluribus captis, paucis post diebus civitatem recepit. Nam Germani qui auxilio venerant, percepta [667] Trebirorum fuga, sese domum [668] contulerunt. Cum hiis Induciomari propinqui, qui [669] defectionis [670] auctores fuerant [671], comitati eos ex civitate [672] excesserunt [673]. Cingetorigi [674], quem ab initio permansisse in [675] officio demonstravimus, principatus atque imperium [676] est traditum. Cæsar [677] vero postquam ex Menapiis in Trebiros [678] venit, duabus de [679] causis Renum transire voluit. Quarum [680] erat [681] altera, quod contra se auxilia Treberis miserant [682], altera ne Ambiorix receptum [683] ad eos haberet. Firmo in Treberis [684] præsidio ad pontem relicto, ne quis ab [685] his subito motus oriretur, cum reliquis copiis contra Suevos, qui auxilia Treberis miserant, Renum transivit.

B

11. (Cæs. vi, 11.) Non alienum videtur esse, de moribus Trebirorum (201) vel Gallorum proponere, quibus videlicet moribus ex parte fœdus est læsum, quod cum Romanis habuerant [686]. In Treberis [687] (201) non solum in omnibus pagis et partibus, sed [688] pene etiam [689] in singulis domibus [690] factiones, eorumque [691] factionum principes fuerunt, qui summam [692] auctoritatem eorum judicio habebant. Quorum ad arbitrium judiciumque [693] summa omnium rerum consiliorumque [694] rediebat [695], idque ejus rei [696] causa antiquitus institutum [697], ne quis [698] ex plebe contra potentiorem auxilii [699] egeret. Suos enim quisque opprimi et circumveniri [700] non patitur. Neque enim aliter [701] si faciant, ullam [702] inter suos habent [703] auctoritatem. Hæc eadem ratio [704] est in summa totius Galliæ (cf. v, 3). Namque hæc civitas ideo detrimentum sustinuit, quia alterius factionis erat Induciomarus, alterius Cingetorix [705]. In [706] ea [707] sicut et in omni Gallia eorum hominum qui in

C

VARIÆ LECTIONES.

[621] L. vero 5c. [622] c. h. C3. [624] v. q. *desunt* 1b. [625] treberis B2. [626] s. r. 6 [627] communiit B6. [628] Erat autem inter ipsos 5b. [629] i. n. C3. [630] in a. *desunt* 1. 1b. [631] transire 1. 1b. 5. [632] c. a. B. C. Aux. s. c. t. augebatur 5. 6. agebatur 6c. [633] concilio 2. 6. [634] appropinquarentur *e corr.* 1. [635] dicantur *deest* 1. 1b. dicuntur 5a. [636] se B2. [637] *deest* 2. [638] postera 5b. B2. *corr.* postero 6a. [639] nonnullis B2. [640] milites 1. tribunos milites 1b. millenis 2. 3b. 4. 5. 6. m. premissisque 5b. [641] sui sit B. C. [642] de 5a. [643] t. sui 5c. [644] majori 6. [645] res 1. publica res fieri 1b. — populi Romani *scribendum erat.* [646] Is. 1. jussit his 1b. [647] s. f. 5. [648] effecit 1. 6b. [649] munitionem B. C. [650] processerant 1. 1b. — cujus g. 1b. [651] *deest* B. 6. [652] hostibus 3b. 5. 6. [653] atque *deest* 5. 6. a. i. *desunt* B2. 4? C3. imp. *deest* B6. C1 (*ubi post* atque *deletum*). C6. [654] loco in quo b. 1b. 3b. 5b. c. locum in quo bellum 5a. l. quo illi steterant 6. [655] dubitabant 1b. [656] egrediebatur 2. 3b. 4? 5. 6. B. C. e. p. 6. [657] Tunc 5c. 6. [658] remissis B. C. [659] *deest* 1. 1b. [660] terminis 1b. [661] *deest* 2. 5. 6. B. C. [662] palam 3b. 5. 6. [663] *deest* 1b. [664] adire 1b. [665] versi 1b. conversi 2. [666] consecutus 1b. 5. 6. consequtus *superscr.* consectatus 3b. [667] per certa 1b. audita 6. [668] d. sese 5. 6. [669] *deest* B6. [670] factionis 2. [671] extiterant 1. 1b. [672] ex c. *desunt* 1. 1b. eos civitati 6. [673] excesserant 1. 1b. [674] cingetori 2. *hoc loco.* [675] d. in o. 1. 1b. [676] p. imperiumque 1. 1b. i. contraditum 1b. [677] *c.* XVI. *inc. Leibn.* [678] treveris . B6. [679] ex B. C. [680] quorum 1. C1. 3. [681] a. e. 5. 6. [682] m. treb. 1. 1b. miserint 2. [683] respectum 2. [684] trebiris *etiam hoc loco* 2. [685] ab ipso 1b. q. s. m. ab h. 6. [686] habuerat 3b. 5. [687] treberi 1. 1b. 3b. [688] *deest* 3b. 5. B. C. [689] *deest* 6. et 3b. 5. [690] *deest* 2. [691] *ita codices quos vidi omnes fere;* earumque 3b. 5. 6. [692] summa auctoritate 5a. [693] judicium summaque 5. [694] judiciorumque 6. [695] rediebat *corr.* redibat 1. rediebant *corr.* redibat 5a. C1. redibat 5c. 6. C3. [696] *deest* 2. 3b. 5. 6. B. C. [697] i. est B. C. [698] quid 1. 1b. [699] auxilio 2. — egerat 1b. — Suo 2. [700] circumvenire B2. [701] *deest* 2. 3b. 5. 6. [702] et illam 5b. [703] haberent 5a. b. 6. habere 5c. [704] ratione in 1b. [705] cingetor 3b. 5. 6. *ut aliis locis.* [706] *c.* XVII. *inc. Leibn.* [707] Interea 6.

NOTÆ.

(201) Treveros hoc loco non Cæsar sed scriptor Treverensis nominat.

aliquo numero [708] et honore [709] censentur genera erant duo. Nam plebes [710] pene servorum habebatur loco, quæ [711] per se nichil audebat [712], nulli adhibebatur consilio. Plerique cum ære alieno aut magnitudine tributorum aut injuria potentiorum premebantur, in servitutem se dicabant nobilibus. In hos omnia jura quæ domini in servos. Sed de [713] hiis duobus generibus alterum erat driuidum [714] [id est philosophorum *add.*, B. C.], alterum [715] equitum. Illi rebus divinis [716] intererant, sacrificia publica ac [717] privata procurabant, religionem [718] interpretabantur. Ad hos magnus adolescentium numerus disciplinæ causa concurrebat, magnoque hii erant [719] apud eos honore. Nam [720] fere de omnibus controversiis publicis privatisque constituebant, et si quod facinus admissum, si cædes facta, si de hereditate, de [721] finibus controversia erat, idem decernebant [722], præmia pœnasque constituebant. Si qui [723] aut privati [724] aut populus eorum decreto non obediebat [725], interdicebant. Hæc pœna apud eos gravissima [726]. Quibus [727] interdictum erat, in numero impiorum ac sceleratorum habebantur; ab his omnes [728] decedebant [729], aditum [730] eorum sermonemque diffugiebant, ne quid ex communione [731] incommodi [732] acciperent. Neque his petentibus jus reddebatur, neque honos ullus communicabatur [733]. Hiis autem omnibus driuidibus [734] præerat unus, qui summam inter eos habebat auctoritatem. Hoc mortuo, si quis ex reliquis excelluit dignitate, successit, aut [735] si erant pares plures, suffragio driuidum allegebatur [736]. Nonnumquam etiam armis de principatu contendebant. Hii certo tempore anni [737] in finibus Carnotum, quæ regio totius Galliæ media [738] habetur [739], considebant [740] in loco consecrato. Huc [741] omnes undique qui controversias habebant conveniebant, eorumque [742] decretis judiciisque parebant. Disciplina [743] in Brittannia reperta [744] atque inde in Galliam translata existimabatur [745]. Et [746] qui diligentius eam rem cognoscere volebant, plerumque illo discendi causa profiscebantur. (Cæs. VI, 14, 15.) Driuides a bello esse [747] consuerunt, neque tributa umquam cum reliquis pendebant, militiæ vacationem omniumque [748] rerum habebant [749] immunitatem. Tantis excitati præmiis, multi et sua [750] sponte in disciplinam veniebant, et a parentibus propinquisque mittebantur. Itaque annos nonnulli vicenos in disciplina permanebant; neque fas esse [751] existimabant, eam litteris mandare, cum in reliquis rebus [752] fere publicis privatisque rationibus Grecis uterentur litteris. Id nobis duabus ex magnis causis [753] instituisse [754] videntur, quod neque in vulgum [755] disciplinam efferri [756] vellent, neque eos [757] qui discebant, litteris confisos, minus memoriæ studere; quod plerisque accidit, ut præsidio litterarum diligentiam in perdiscendo [758] ac memoriam amittant. In primis hoc volebant persuadere [759], non interire animas, set [760] ab aliis post mortem transire ad alios, atque hoc ad virtutem exercitari [761] putabant, metu mortis neglecto. Multa præterea de sideribus [762] atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum [763] natura, de vi ac [764] potestate deorum disputabant, et juventuti tradebant. — Alterum genus erat equitum. Hii, cum erat usus, atque [765] aliquod bellum accidit [766], quod ante Cæsaris adventum fere [767] quotannis [768] accidere solebat, uti aut ipsi injurias inferrent aut [769] illatas propulsarent, omnes in bello versabantur; atque eorum, ut quisque [770] erat genere et copiis amplissimus [771], ita plurimos circa se ambactos [772] clientesque habebat [773]. Hanc unam gratiam potentiamque noverunt.

12. (Cæs. VI, 16, 17-20.) Natio erat omnis Gallorum adeo dedita [774] religionibus, atque ob eam causam, quo [775] erant affecti gravioribus morbis, quodque in periculis [776] prœliisque versabantur, aut; [777] pro victimis homines immolabant, aut se immolaturos vovebant [778]; ministrisque ad ea sacrificia driuidibus [779] utebantur, quod pro vita hominis, nisi [780] hominis vita [781] redderetur, non posse aliter numen [782] deorum immortalium placari arbi-

VARIÆ LECTIONES.

[708] munere 2. [709] et h. *desunt* 1. 1b. [710] *ita* 1. 1b. 2. 3b. 5a. b. [711] quæ—consilio *desunt* 5. [712] audiebat 6. [713] in 5b. [714] druudum 1b. drudum 6. *semper*, *hoc loco etiam* 3b. drudum *corr.* druidum 5a. drudum 5b. drundum 5c. *et ita postea*. driuitum B2. [715] a. erat 6. [716] r. de rebus *corr.* d. r. C1. d. r. 6. C3. [717] et 5a. c. [718] religione 1. [719] a. eos erant h. 2. 6. [720] Namque C6. [721] si. d. 6. [722] decernabant 6a. determinabant 5b. [723] quid 2. [724] privatim B2. C. [725] obediebant i. aditum 3b. 5. 6. [726] erat g. 5c. [727] Quibus—habebantur *desunt* 2. 3b. 4? 5. 6. B. C. [728] autem 6b. [729] discedebant 2. 3b. 5. 6. B. C. (descedebant *corr.* disc. C1.). [730] aditum *eadem manu corr.* aditum 1b. [731] q. excommunicationi 2. [732] comodi 5b, commodi 5c. 6. *corr.* incommodi 5a. [733] communicabat 2. [734] drundibus *hoc loco et infra etiam* 3b. [735] haut 1. si autem erant plures pares B2. [736] allegabatur 1. 1b. allegebantur 2. 3b. 5a. 6. allegabantur 5b. c. B. C. [737] *deest* 5b. [738] medio 1b. [739] habebatur 6b. [740] consedebant 2. B2. [741] Hucusque C3. [742] eorum 2. et eorum 6. [743] D. hec 6. — brittannia 1, [744] r. est 5b. [745] existimatur B. C. *cum Cæsare*. [746] Et qui — proficiscebantur *desunt* 2, 3b. 4? 5. 6. [747] D. bello adesse 6b. liberi *post add.* 5a. liberi *add.* C 1. *et ita* C3. *sqq.* [748] que *deest* 5b. [749] habebantur inm. 1b. [750] sp. sua 2. [751] *deest* 2. [752] f. r. 6. [753] *deest* 1. 1b. [754] instituere 1. instruere 1b. [755] vulgus e. d. 5. 6. B2. 4. C. [756] efferri (offerri B6. C 6.) d. 5. 6. B. C. [757] *deest* 5. 6. [758] discendo 1. 1b. perdocendo 5. 6. [759] persuaderi 2. 5a-b. 6. B (2. 6.). C. [760] sed et 5b. [761] exeputari 1, exceptari 1b. [762] sideriis 1b. [763] de n. r. 6. [764] atque 5a. [765] ad 5a. [766] accidebat 6b. [767] *deest* 6. [768] quod annis B2. C3. omnibus annis 2. [769] aut i. p. *desunt* B6. [770] quisquis 5a. [771] amplissimis 2. 5. 6. [772] abjectos 1b. abactos 2. 3b. 5a-b. 6. B. C. [773] habebant 2. 5. 6. [774] debita 1b. adeo *deest* 5b. [775] quod? q 5a. qua 3b. 5b-c. 6. quæ C6. [776] periculo 1b. [777] atque 5. [778] a *add. sed del.* C 1. [779] driodibus 5a-b. 6. driotibus *corr.* driodibus 3b. [780] ne 5a. *sed post deletum*; ubi 5b. [781] v. h. 5. B. C. [782] a. d. i. p. numen 2. 3b. 5. 6. a. d. i. p. numina (nomina B 2.) B. C.

trabantur; publiceque ejus generis habebant [783] instituta sacrificia. Alii magnitudine immani [784] simulacra [785], quorum contexta [786] viminibus membra [787] vivis hominibus [788] complebant, quibus [789] succensis [790] circumventi flamma [791] exanimabantur homines. Supplicia eorum qui in furto aut latrocinio aut aliqua noxa forent comprehensi [792] gratiora diis immortalibus esse [793] arbitrabantur. Set cum ejus generis copia deficeret, etiam ad innocentium [794] supplicia descendebant. Deum [795] maxime Mercurium colebant. Hujus erant plurima simulacra [796]. Hunc omnium [797] artium inventorem ferebant, hunc viarum atque itinerum ducem, hunc ad quæstus [798] pecuniæ mercaturasque habere vim maximam arbitrabantur. Post hunc Apollinem et Martem et Jovem et Minervam [799]. De hiis eandem quam reliquæ gentes habebant [800] opinionem, Apollinem morbos depellere, Minervam operam [801] atque sacrificiorum inicia tradere, Jovem imperium [802] cœleste tenere, Martem bella regere [803]. Huic, cum bello dimicandum foret, ea quæ bello cepissent [804] plerumque devovebant, quæ superassent animalia capta [805] immolabant, reliquas res [806] in unum locum conferebant [807]. Multis in civitatibus harum rerum extructos tumulos [808] consecratis locis olim (202) et adhuc conspicari licebat [809]. Neque [810] sæpe [811] accidit, ut neglecta quispiam religione, aut capta occultare aut posita tollere auderet, gravissimumque [812] supplicium ibi horum delictorum cum cruciatu constitutum erat. Treberi se [813] sicut omnes [814] Galli ab Dite patre [815] progeneratos [816] prædicabant, idque ex driuidibus [817] proditum [818] dicebant [819]. Ob eam [820] causam spacium omnis temporis non numero dierum set noctium finiebant; et dies natales et mensium et annorum inicia [821] sic observabant [822], ut noctem dies subsequeretur. In reliquis vitæ institutis hoc fere [823] a reliquis gentibus differebant, quod suos [824] liberos, nisi cum adolevissent, ut munus militiæ sustinere possent, palam ad se venire [825] non patiebantur, filiumque puerili [826] ætate in publico in conspectu patris assistere turpe ducebant [827]. Virique [828] quantas pecunias [829] ab uxoribus [830] dotis nomine accepissent, tanta [831] ex suis [832] bonis, existimatione facta, cum dotibus communicabant. Hujus omnis pecuniæ conjunctim [833] ratio habebatur, fructusque servabantur, ut cujus vita superavisset [834], ad eum pars utriusque [835] cum fructu [836] superiorum temporum perveniret. Viri in uxores sicut in [837] liberos vitæ necisque habebant potestatem [838]; et cum pater familiæ illustriore loco natus decessit [839], ejus propinqui conveniebant, et de morte si res
B in suspitionem venit, de uxoribus in servilem modum quæstionem habebant, et si compertum est [840], igne atque [841] omnibus tormentis excruciatas [842] interficiebant. Funera erant pro cultu [843] Gallorum magnifica et sumptuosa; omnia [844] quæ vivis cordi fuisse [845] arbitrabantur inferebant, etiam animalia; ac [846] paulo [847] supra hanc memoriam servi clientes, quos ab his dilectos esse constabat, justis [848] confectis [849], una cremabantur. Habebant et [850] hoc legibus sanctum [851]: si quid de re publica [852] a finitimis rumore accepissent, uti ad magistratum deferrent, neve [853] cum alio [854] aliquo communicarent, quod sæpe homines [855] temerarios atque inperitos falsis rumoribus terreri et [856] ad facinus inpelli et de
C summis rebus consilium capere cognitum est. Magistratus quæ [857] visa erant occultabant, quæ [858] esse utilia judicassent multitudini prodebant; de re publica nisi [859] per concilium loqui [860] non [861] concedebatur [862].

13. [863] Cæsar igitur [864], sicut supra diximus [865] (203), Cingetorigi [866] principatum Trebirorum [867]

VARIÆ LECTIONES.

[783] i. h. 5. 6. [784] inmanuC3. 4. [785] *deest* 2. s. habebant 5. 6. statuebant *post add.* C1. *et ita* C3. [786] contecta 3^b. 5^a. 6. contenta 5^b. c. fluminibus 1^b. [787] *deest* 2. [788] unius hominis 1. 1^b. m. v. h. membra 5^b. [789] *deest* 5^b. [790] succensi 1^b successis 5^b 6. *corr.* succenssis 5^a. [791] h. examinabant 1. 1^b. exurebantur 3^b 5. 6. hom. c. 1^b. [792] comprehendi 1. 1^b. [793] *deest* B2. [794] innocentum B2. [795] Deinde 6^c. — maxime *deest* 1^b. [796] sacrificia 2. [797] verum 2. [798] questum 1^b. [799] nervam 1^b. *et ita infra.* [800] *deest* 2. [801] *ita omnes fere quos vidi codd.* ad operam B6. opera *e corr.* C1, *et ita* C3. [802] celeste i. 6. [803] gerere 1^b. [804] concepissent 3^b 5^b. c. 6. *corr.* cepissent 5^a. [805] capta *ante* an. *post suppl.* C1. c. a. C3? 4. [806] *deest* 2. [807] congregabant 5. [808] *deest* 2. cruciatus c. cons. 3^b. 4. 5. 6. [809] licet B. C. *cum Cæsare.* [810] Namque 3^b 5^a. ^{b}. 6. Nam 5^c. [811] ut sepe B 2. [812] gratissimumque 6. [813] *deest* 5. [814] et omnes 2. 5^a. ^{c}. 6. B2. 4. C. [815] patre abdite 1. 1^b. abdite p. 2. abdito patre 3^b. 5. 6. ab. d. *corr.* a d. C1. [816] prognatos 2. [817] driodibus 3^b. 5. driopibus 6. [818] perditum 3^b. [819] dicebatur 1. 1^b. [820] hanc 6. [821] curricula 6. curricula *superscr. sec. manu* vel initia 6^c. [822] observabantur B2. [823] vere 1^b. [824] l. s. 2. [825] ire 3^b. 5. 6. B2. 6. C. [826] puerulum 2. 3^b. 5^a. ^{c}. 6, parvulum etate vel puerulum in 5^b. in puerili B. C. [827] ducebatur 1. 1^b. [828] viri B. C. *cum Cæs.* [829] *deest* C3. [830] uxore 5. ab u. *desunt* B. C. [831] tantas 3^b. 5. 6. [832] b. s. 2. [833] conjunctum 5^a. ^{b}. convictum 5^c. r. c. 6. [834] superavissent 1^b. [835] utraque 5. [836] c. f. *desunt* 1. 1^b. [837] et in 2. [838] potestates 1. 1^b. [839] discessit 5^b, decessisset p. e. 6. [840] et compertum igne 2. B. C. (*in* C 1. *recentior manus corr.* coopertum). et comperta igne 5^b. 5. 6. [841] et 5^a. 6. [842] excrucialis 6^a. ^{b}. [843] p. c. *desunt* 1. 1^b. [844] et o. B2. [845] esse 1. 1^b. [846] ad 1^b. [847] *deest* 2. 6. [848] ustis 5. 6. justis *corr.* hustis C1. [849] consectis 3^b. 6. confectisque 5^a. ^{b}, consectisque 5^c. [850] habebantque 5. [851] sancctum 2. sanccitum 5^a. 6. sanxitum 5^c. xancsitum 5^b, sanctum *e corr.* C1. sanctorum C3. 4. [852] de publico 5^a 6. de publica 5^b. ^{c}. [853] ne 5^a. [854] *deest* 1^b, aliquo alio 5^b. [855] *deest* 5. [856] aut 5^b. [857] *hoc vocabulo desinit cod.* 5^b. [858] *deest* 6^c. [859] non nisi 6. [860] *deest* 1. 1^b. 6. [861] *post suppl.* C1. [862] concedebantur 1^b. [863] *c.* XVIII. *Leibn.* [864] vero 1^b. ergo 2, 5^a. ^{b}. 6. [865] sicut prediximus 2. 5. 6. B. C. [866] cingetori 2. [867] trevirorum 1.

NOTÆ.

(202) *Olim et adhuc* addit scriptor Treverensis. (203) C. 9

concessit, civitati * pristinam [868] libertatem indulsit (204); ipse omni Gallia [869] ** pacata, Romam redire [870] disposuit. Sed cum intellexisset a Pompeio [871] et senatu [872] triumphum sibi [873] ob invidiam denegari, reversus in Galliam, Germanos et Gallos in amicitiam sibi [874] ascivit, et eorum auxilia magna [875] accepit; cui et Trebiri nichilominus solacia [876] contulere. Grata [877] fuit Gallis hæc belli administratio, videlicet gaudentibus, ad Romam bellum [878] referri, a qua sibi dudum per Cæsarem fuit [879] illatum. Qua multitudine fretus Cæsar Pompeium [880] et senatum Roma expulit, postea ad mortem coegit, Romanum regnum [881] solus obtinuit, post aliquot [882] annos a senatoribus occisus interiit. Huic [883] successit Octavianus, ejus [884] ex sorore [885] nepos, qui Claudium Tiberium [886] Neronem et Drusum privignos suos misit ad Gallias [887] rebellantes pacandas. Iste est Tiberius, qui post Augustum imperavit. Hic ergo cum Druso ad Renum in loco qui dicitur Bingis [888] contra [889] Gallos dimicavit. In quo conflictu Drusus occisus est. Tiberius [890] post magnam Drusiani exercitus stragem tandem cruentissime vicit. Ceciderunt in eo prælio omnes copiæ Trebirorum [891]; Galli usque [892] ad internitionem deleti sunt ***. Drusus Mogonciam [893] relatus [894] est, ibique sepultus ****. Igitur [895] anno imperii Augusti [896] Octaviani 42 [897], quo (205) firmissimam [898] verissimamque pacem ordinatione Dei [899] idem Cæsar composuerat, natus est Christus, cujus adventui [900] pax ista famulata est, in cujus ortu audientibus hominibus [901] exultantes angeli cecinerunt: *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Cæsare [902] defuncto, Tiberius [903] successit; cujus imperii anno 15 (206). Christus, jam 30 [904] annorum, a Johanne baptizatus est [905]. Deinde [906] 12 apostolos [907] elegit, et in eorum solacium 72 [908] discipulos postea designavit. Postquam (207) vero Dominus noster [909] passus, mortuus et sepultus, a mortuis resurrexit [910], et in cœlum ascendit, beatissimus [911] (208) Petrus apostolus Antiocenam ecclesiam primam [912] confessione [913] christiani nominis super [914] solidissimam petram fundavit, et [915] Pontum et [916] Galaciam, Cappadociam ac [917] Bithiniam [918] verbo prædicationis illustravit [919].

* B. C. *add.*: ob egregiam in se et bene meritam Cingetorigis fidem et societatem.

** B. C. *add.*: quæ (209) saltu Pyreneo Alpibusque et monte Gebenna [920], qui est ad occidentem urbis Treberensis, et fluminibus Reno [921] ac Rodano continetur [922], patetque in circuitu ad bis et tricies centum milia passuum, in provinciæ formam redacta, stipendii nomen imposuit, excepta, ut diximus, Treberorum [923] civitate propter ejus antiquissimam auctoritatem et Cingetorigis egregiam fidem, et sic R. r. d.

*** B. C. *add.*: Ibi, sicut Ausonius dicit (210): ...Æquavit Latias [924] Gallia Cannas, Infletæque [925] jacent inopes super [926] arva [927] catervæ.

**** B. C. *add.*: est. Dicit tamen Suetonius (211), cum Romam relatum Tiberiumque pedes funus ejus prosecutum.

14. Anno * vero [928] dominicæ incarnationis 47 [929]; regni autem Claudii Cæsaris anno 4 (212), superna (213) provisione ordinante Romam ingressus [930], salutarem cunctis credentibus fidem constantissima assertione prædicavit eandemque potentissimis signis [931] atque [932] virtutibus comprobavit et ejusdem urbis pontificatum 25 annis strenuissime [933] rexit. Fundata itaque et [934] ædificata Ro-

VARIÆ LECTIONES.

[868] perpr. 2. [869] gallia *corr.* galliæ C 1. *et ita* C3. [870] ire B. C. [871] pontio 1b. pompeo 5b. [872] senatuque 5a. [873] *deest* 1. 1b. ob. i. sibi d. 6. [874] *deest* B2. sibi in a. 2. 5. 6. [875] magna — solacia *desunt* B6. [876] auxilia B2. 4. C. [877] gratis B. C. [878] *deest* 2. [879] fuerat per c. c. B. C. [880] ponpeium 1b pompeum 5b. [881] imperium 5a 6. [882] aliquos 1b. aliquantos 2. 5. 6. B. C. [883] *c.* XIX. *inc. Leibn.* [884] *deest* 5. [885] ex s. ejus 1. 1b. [886] *deest* 2. [887] gallos—pacandos 5. B. C. ob rebellantes pacandos 6. [888] binga 5. 6. [889] cum gallis 5b. [890] et tib. 2. [891] trevirorum 1. treberorum 5. *ut alibi.* [892] *deest* 6c. [893] moguntiam 2. mogunciam 5a. B6. magontiam 4. 6. magunciam 5b. [894] est delatus et ibi est sepultus 5b. [895] Anno circiter C. *c.* XX. *inc. Leibn.* [896] *deest* 5. oct. a. 6. B. C. [897] XLIII. 1. XL. in 1b. [898] firmissim 1. [899] dei ord. 2. 5. 6. B. C. [900] adventu B2. *corr.* adventui 6a. [901] *deest* 2. [902] Cesare augusto 5b. augusto 6. [903] tyberius 1. *hoc loco*, 1b. 2. *sæpius.* [904] annorum triginta 5. [905] b. e. a. i. 1. 1b. [906] Deinde—illustravit *desunt* C. [907] discipulos B2. 3. 4. d. in eorum elegit sol. B6. [908] LXII. 6. [909] n. Jhesus Christus 5. 6. [910] surrexit 1b. [911] beatus 1. 1b. [912] prima 5. 6. [913] c. n. confessione 1. 1b. [914] supra 6. [915] *deest* 1b. ac 5. 6. [916] *deest* 5 B. [917] asidiam *corr.* asiam 6a. asiam 6b.c. atque B. [918] bytiniam 2. [919] Explicit *add.* 5b, *et una et dimidia pagina vacuis relictis pergit:* CHRONICA ARCHIEPISCOPORUM TREVERENSIUM. Anno dominicæ, *etc.*—Inc. lib. II. *add.* 6c. [920] cebenna C. [921] rheno B2. 3. C1. 3. [922] c. p. in c. ad bis *in marg. suppl.* C1. [923] trebirorum C. [924] infelix *post suppl.* C1. *et ita* C3. *sqq.* [925] inflecteque 6. [926] c. i. i. jacent 6. [927] arvas 6. [928] *deest* 2. 4. 5. 6. [929] XLVI. 1. 1b. [930] beatus Petrus *add.* 5c. [931] s. p. 5. 6. [932] et 1. 1b. [933] strennue 5. [934] f. atque edif. 2. 5. 6.

NOTÆ.

(204) Hæc de suo adjecit auctor; etiam sequentia ex quo fonte hauserit, frustra quæras; nisi quod Orosium ante oculos habuisse videatur.

(205) *Quo — voluntatis* ex Orosio VI, 22.

(206) Ita Regino.

(207) Cf. Oros., l. l.

(208) *Beatissimus — illustravit* ex Vita S. Eucharii, Valerii et Materni (Acta SS. Jan. I, p. 918) descripta sunt.

(209) *Quæ — imposuit,* ex Suetonii Vita Cæsaris c. 25; sed verba *qui est ad occid. urbis Trev.* noster adjecit, magno satis errore, qui montem illum Galliæ notissimum in finibus Treverensibus ponit, ubi alium ejusdem fere nominis fuisse, ex c. 5. discimus.

(210) Mosella v. 3, 4.

(211) Vita Tiberii c. 7.

(212) Cf. Reginonem h. a.

(213) *Superna — rexit,* ex Vita Eucharii l. l.

manæ urbis ecclesia supra [935] firmissimam petram, quæ [936] est Christus, fidelis nomine Petri, et cum jam per totam Italiam pulularent [937] germina vitæ, tandem (214) Spiritus Sancti præmonitus inspiratione, Germaniæ atque Galliæ [938] verbum salutis inferre ordinavit. Ad hoc denique opus eligitur [939] ex suis discipulis vir magnarum existens virtutum Eucharius, qui in [940] ordine [941] 72 [942] discipulorum Domini [943] fuit tercius, Valerius [944] et Maternus. Quorum (215) statim Eucharium episcopum ordinavit, Valerium diaconum, Maternum subdiaconum [945] consecravit. Quos statim in opus prædicationis direxit aliosque [946] cum eis idoneos viros, Clementem, Mansuetum, Memmium [947] aliosque plurimos. Qui (216) accepta benedictione magistri [948], ad Gallias properarunt [949], et multos ad soliditatem sacræ fidei signorum virtute perduxerunt. Cumque in Elegiam [950] (217) Aisaciæ [951] pervenissent ibique populis [952] verbum veritatis [953] prædicarent, unus (218) eorum nomine Maternus graviter ægrotare cœpit, et crescente eadem infirmitatis molestia [954], non post [955] multos dies vitam finivit; cujus corpus cum gemitu et luctu terræ commendans sanctus Eucharius, assumpto secum Valerio celeriter [956] Romam rediit, cuncta [957] quæ sibi acciderant in via [958], flebiliter magistro narravit per ordinem [959]. Quem ille clementer [960] consolatus, baculum suum [961] ei [962] tradidit, præcipiens eundem baculum [963] super corpus defuncti poni et in nomine Jhesu Christi ex suo præcepto resuscitari. Ille vero veloci cursu Elegiam quadragesimo die (219) mortis ejus [964] pervenit, et corpus fratris effodiens, baculum superposuit; dumque [965] verba apostoli [966] inplesset, statim Maternus [967] vivus et incolomis coram populi [968] multitudine de tumulo surrexit. In quo loco christiani populi ecclesiam construxerunt, et ex eo quod ibi [969] accíderat nomen resurrectionis inposuerunt [970]. Sanctus vero Eucharius postquam in Elegia multos ad fidem [971] Christi inbuit, jam ad alia loca migrare disponens, valedixit in Elegia fratribus, et cum Valerio et Materno profectus est; tandemque [972] perfecto itinere Treberim pervenit [973].

* *In* B. (*excepto cod.* 5 *ubi utraque deest narratio*) *et C.c.* 14 *omisso, fusior hæc legitur historia :*

INCIPIT HYSTORIA TREVERORUM [974].

Igitur (220) cum beatissimus Petrus, apostolorum [975] princeps ac universalis ecclesiæ pastor a Domino constitutus, Anthiocenam primitus fide, quæ in Deum est [976], catholicam fundasset ecclesiam, eamque 7 circiter continuis regeret annis, urbi, quæ sicut in gentilitate ita in christianismo meritis videlicet beati Petri totius orbis principatum sortita est [977], ejusdem fidei normam pastorali sollertia inferre ordinavit. Cujus rei gratia anno, sicut ab historiographis accepimus (221), regni Claudii Cæsaris 4° illuc ingressus, largiente Domino signis et virtutibus ac per verbum sacræ prædicationis non modica populorum fruge acquisita, civitates et nationes ubique locorum dæmoniorum, ne dicamus deorum, cultui deditas esse sæpius ingemiscens, ideoque, quod sine ulla ambiguitate credi potest, interpellato sæpius in oratione sua Domino, quatinus novellæ plantationi suæ provideret incrementa cœlestia, scilicet operarios mitteret in messem suam : tandem salubri deliberato consilio, beatum Eucharium suum condiscipulum, sanctitatem suam ab Jerusalem Romam usque prosecutum, qui sicut nomine indicat Græcus erat, pontificatus gratia sublimatum in hoc opus misit; cui ex discipulis suis quos per evangelium suum filios Dei genuit, probatæ sanctitatis viros cooperatores verbi conjunxit, qui populum a diaboli servitute eruerent, et ad Creatorem suum sacris eruditionibus converti persuaderent, beatum videlicet Valerium et Maternum, Synicium [978] et Mansuetum, Clementem et Felicem atque Memmium aliosque

VARIÆ LECTIONES.

[935] super ɔ. oª.ᵖ. [936] qui 6. [937] Pullurarent *corr.* pulularent 1. g. v. p. 2. 5. 6. [938] gallie atque germ. 6. [939] dirigitur 6ª ᵇ. [940] *deest* 2. [941] ordinatione 5. 6. [942] LXII. 6. [943] *deest* 5ᵇ. d. f. *desunt* 2. [944] et v. 2. v. quoque 6. [945] subdiacum *corr.* subdiaconum 1. [946] que *deest* 5ᵇ. [947] cælestem 1ᵇ. mennium 2. mennium 5ª. innocentium 5ᶜ. [948] magnt 1. a magistro 5. [949] properaverunt 2. 5. 6. [950] ingelenheim 2. [951] assatie 6ᶜ. [952] populo 5. 6. [953] v. p. v. 5ª. p. v. v. 2. 5ᵇ. [954] infirmitate m. n. 2. infirmate non 5. [955] p. non 6. [956] valerio *deest* 1? celeriter *deest* 2. 5. 6. B. [957] C.cunctaque que 2. et c. 5. 6. [958] in v. a. 5, 6. [959] p. o. n. 2. 5. 6. [960] clemens 5ª. [961] *deest* 5ᵇ. [962] eidem 5. 6.. [963] c. s. c. d. baculum 6. [964] *deest* 1ᵇ. sue 5ª. [965] Cumque 1ᵇ [966] verbi impl. 5ᵇ [967] mortuus 5ª. [968] omni 1ᵇ. populo de 5. 6. [969] *deest* 2. 5. 6. [970] ei. i. 6. [971] ad f. *suppl.* 1. [972] tandem 2. [973] pervenerunt 5ᵇ. [974] *ita* B2. Explicit liber primus de gestis Trebirorum in nomine domini nostri Jhesu Christi. Incipit liber secundus de gestis Trebirorum C1. *et ita fere sequentes.* [975] p. a. C. [976] *deest* C. [977] *deest* B2. [978] sinnicium B2.

NOTÆ.

(214) *Tandem—ordinavit* ex Vita l. I.

(215) *Quorum—consecravit* ex Vita l. l.

(216) *Qui—perduxerunt* ex Vita l. l.

(217) Etiam Vita hunc locum nominat. De quo Browerus Ann. Trevir. p. 143 : « Pervetus... hic Tribocorum vicus hodieque monstratur in Elli seu Ellæ fluminis ripa, et Romana antiquitate et religione Christiana visendus. » — Ilkirch? Cf. Acta SS. Sept. IV, p. 582.

(218) Reliqua usque ad hujus capituli finem ex Vita sumpta sunt, sed brevius reddita.

(219) *Quadragesimo die* Vita hoc loco non habet.

(220) Etiam hic scriptor Vitam S. Eucharii sequi videtur, sed recentiorem et valde fabulosam; cf. præfationem nostram, p. 121.

(221) Cf. Reginonem h. a.

(222) Cf. etiam Vitam S. Memmii, Acta SS. Aug. II, p. 15. Alia ab Almanno scripta inedita est.

quam plures (222). Quorum omnium ad episcopatus promovit dignitatem in pluribus Galliæ civitatibus, verbum Dei euangelizandum, beatum videlicet Eucharium, Clementem, Mansuetum, Synicium atque Memmium; quosdam autem ceterorum diaconatus sive subdiaconatus habere fecit officium.

Verum [979] tamen his omnibus, quod non sine remurmurante invidia dictum noverimus, beatum præfecit Eucharium tam copiosiore ministerio quam et dignitatis privilegio, quippe qui secum pariter ab ipso Domino in carne commorante, sicut a majoribus nostris traditum accepimus (223), sacræ fidei rudimenta percepit, qui et [980] in illa sacratissima cœna [981], qua discipulis suis Dominus pretiosa corporis et sanguinis sui misteria celebranda contradidit, convescentibus affuit, resurgentemque a mortuis ac in cœlos ascendentem cum apostolis beata visione videre promeruit, sanctum quoque Spiritum ac linguas omnium nationum in ignis apparitione percepit. Abierunt autem omnes hii sancti patres ad Galliarum populos verbo salutis Deo lucrifaciendos, pergentes per viam sanam doctrinam cunctis euangelizando. Tunc itaque divertit Clemens cum Felice Mediomatricum, Mansuetus Tullum, Synicius Remis, Memmius Catalaunum, ceterique in loca sibi a Deo præordinata; et prosperatum est verbum Dei in manibus eorum. Beatus vero Eucharius cum diacono suo, Valerio videlicet, Elegiæ, qui [982] est vicus grandis provinciæ Galliæ Materni commilitonis sui permaxima valitudine [983] desolatus, substitit; qui, crescente eadem infirmitatis molestia, animam reddidit; quod multorum salutis causa accidisse sequens lectio demonstrat.

Nam cum eum terræ commendassent, sancti viri pie pro depositione ejus lugentes, concito gressu Romam revertuntur, magistro suo supradicto beato Petro quæ in via gesta sunt nunciantes, hoc adjicientes, quod in populum duræ cervicis devenissent, in quo convertendo, nisi virtus domini nostri Jhesu Christi Materni resuscitatione manifestaretur, parum se profecturos. Quos [984] beatus Petrus consolatus [985] ait : *Nolite lugere, karissimi mei, quia mortem fratris vestri dominus Deus noster ad vitam multis providit. Confidite in Domino et nolite desperare; aderit enim divina clementia, quæ vos super tristicia vestra consoletur.* Dansque Euchario baculum, quo senilia sua [986] membra sustentabat, ita dixit : *Via qua venistis indubitanter recurrentes, hunc baculum meum deferte vobiscum, accedentesque ad locum sepulchri, effosso corpori* [987] *baculum superponite dicendo : « Materne, in nomine domini nostri Jhesu Christi surge. »* Denique accepta benedictione magistri, denuo ad Elegiam cum fiducia properabant. Quo cum pervenissent et accessissent ad sepulchrum, multa cum eis turba per voluntatem Dei concurrente videndi causa quid fieret, Eucharius nichil de se præsumens, set magis auctoritatem magistri commendans, præmissa oratione dicebat : *Materne frater, præcepit tibi magister meus Petrus apostolus, ut in nomine filii Dei domini nostri* [988] *Jhesu Christi a morte resurgas, et nobiscum populo huic qui circumstat Creatorem suum contesteris.* Et ille quasi de suavi somno evigilans, vivus et sanæ mentis nomini Christi assurrexit, habens jam in sepulchro dies 40. Quo viso miraculo, non solum omnes hii [989] qui aderant, set et multi longe positorum, ad quos fama hæc perlata est, eadem hora idolis abrenuntiantes, cœperunt ad sanctos Dei confluere, et ut cognitionem fidei Christi [990], et baptisma [991] ipsis darent postulare, confitentes clara voce, hunc esse verum et tremendum omnique nationi Deum adorandum, cujus invocato nomine servi ejus talia possent miracula facere. Et acceptis fidei rudimentis et regeneratione baptismatis, cum celeritate ipso in loco basilicam in honorem [992] et memoriam virtutis domini nostri Jhesu Christi construxerunt; cui ex resurrectione, quæ illic celebrata est, nomen imposuerunt, tam spiritualem animarum suarum quam corporalem Materni resurrectionem recolentes. Omnibus igitur per girum in confessione fidei solidatis, aliis etiam regionum gentibus beati viri verbum salutis impertitum ire disponebant, et commendatis omnibus ei cui se per fidem subdiderunt, abeuntes per viam semina vitæ serendo, tandem divino ductu Treberim, quæ magna civitas quondam fuit [993] metropolis Belgicæ Galliæ, pervenerunt.

Hoc [994] in loco, salva lectoris caritate, libet quædam de illius civitatis antiquitate ac situ commemorando aliquantisper immorari, quod series rerum inibi gestarum, quas dicere conamur, aliqua ex parte monstrabit non esse ab re.

Sicut [995] Gallica narrat historia (224), sub temporibus Habrahæ [996] patriarchæ Ninus rex potentissimus, qui ædificavit civitatem Niniven, de quo Jonas propheta perhibet testimonium quod (*Jon.* III, 3) magna sit itinere trium dierum, de regina quadam Caldeorum [997] filium Trebetam dictum procreavit. Cui reginæ, inquam, si dum adviveret nescio, uxorem aliam dictam Semiramim superduxit, quæ longo post tempore Nino defuncto eundem Trebetam voluit sibi in conjugio copulare. Cui cum juvenis noluisset in re nefaria consentire, illa, ut erat acris animi, multis eum dolis ac veneficiis aggreditur, demum innumeris bellorum persecutionibus fatigatum, a [998] totius regni finibus propulsavit. Qui pervagatis plerisque orbis partibus, nec invento in quo sibi remanere placuisset loco, tandem sorte ductus Belgicam Galliam elegit. Qua perlustrata, in eum qui nunc Treberis [999]

VARIÆ LECTIONES.

[979] *c.* XXI. *Leibn.* [980] quique C.1. *e corr et ita* C3. [981] *post suppl.* C. 1. [982] quæ C6. [983] invalitudine C. [984] Animos C6. [985] consolans C. [986] sui C. [987] corpore B2. [988] *deest* C. [989] hii *superscr.* C 1. hii omnes C 3. [990] *in marg. add.* C 1. [991] babtisma B2 *semper.* [992] honore et memoria C. [993] civitas est C. [994] Hocin loco — esse ab re *desunt* C. [995] *c.* XXII. *Leibn.* II, 2. C. [996] abrahæ C. [997] chaldeorum C. [998] ac *corr.* a C1. [999] treveris B2.

NOTÆ.

(223) De hac narratione fabulis plena cf. Acta SS. Sept. IV, p. 380.

(224) Quæ hæc sit historia, nemo dicere poterit, nisi ipsa Gesta Treverorum vel ipsorum fontem intelligere velis. Nam cum textu eorum præcedente hæc ab altero quodam auctore Treverensi scripta plerumque conveniunt. De Cæsaris commentariis, quos supra p. 121 attuli, cogitari nequit.

est locum devenit [1000], qui [1001] ad inhabitandum sub oculis ejus valde complacuit. Et digne. Erat enim, ut nunc est, visu delectabilis, nulla inhabitantibus aeris incommoditate nociva, planicie satis ampla, et ut paucis dicamus [1002], omni deliciarum spetiositate referta, natura munitissima, quoniam altis montibus quasi muris ac desuper nemoribus ex omni parte circumsepta, et secus eam versus occidentalem plagam in pede montis fluvius decurrens, cui Mosella nomen est, gustu dulcis ac lavationi salubris, locuples piscium et magnarum fertilis navium, in cujus ripa, ea videlicet quæ ad occidentalem est, fluviolus quidam quasi civitatem intuens Belgis (224 *bis*) nomine influit, a quo tota provincia nomen accepit. Hac in valle cum nobilis ille juvenis consedisset, et placuisset ei ut inhabitaret ibi, fretus auxilio non tam suorum qui secum venerant, quam et aliorum qui de diversis regionibus, tum ob auditam herilium [1003] advenarum nobilitatem ac fortiorum factorum, quæ de eis [1004] fama disperserat, patrationem [1005], tum et propter loci firmitatem, confluebant, cœpit ædificare civitatem, post in processu temporis civitatibus multis honore ac dignitate prominentem [1006], ita ut omnium diceretur caput regionum in Europa, tercia videlicet orbis parte, consistentium; quam in sui memoriam, eo quod primus eam cœpisset inhabitare, eamque moriens filio suo Hero nomine gubernandam dereliquit, Treberim [1007] appellavit ex nomine Trebetæ. Hoc nimirum quod multis totius Galliæ civitatibus eadem civitas fortitudine prælata sit, earumque gentes armis subegerit, testantur usque in hodiernum diem [1008] in pluribus locis earundem devictarum civitatum ab ipsis victoribus [1009] constructæ tunc munitiones firmæ, nunc autem veteres ruinæ, quæ hoc vel huic simile in suis superficiebus scriptum continent : *Huc usque jura Treberorum* [1010]. Namque ut ferunt id erat moris victoribus, ut si gentem vel regionem armis caperent, mox ipsis in finibus ad tutamen ditionis eorum municipia construerent, gentemque legibus suis [1011] cum traditionibus deservire cogerent. Crevit [1012] itaque civitas illa regia, omni ut dictum est excellentia sublimis, muris ac vallo circumdata, turribus altis et firmis munita, quatuor habens publicas portas, quatuor mundi climatibus obpositas, quarum prima, quæ ad septentrionem respicit, ex lapidibus quadratis non cemento sed ferro mirabili arte compaginatis constructa, Nigra porta vel Martis nomen accepit, Martis, eo quod inde viri civitatis ad bella processuri egrederentur, Nigra vero pro eo, quod cum non bene illis [1013] in bello succesA serat, per eam tristes regrederentur, vel quod per eam defunct. civitatis sepeliendi efferrentur. Secunda, quæ est ad orientem, porta Alba dicitur, quia [1014] cum de bello victores reverterentur [1015], apud illam bobus [1016] albis invecti cum laudibus ac triumphis a concivibus sollempniter excipiebantur. Tercia vero, quæ ad meridionalem spectat plagam, porta Media nominatur, quod [1017] per eam ingredientibus per medium civitatis iter pateat. Quarta autem, videlicet ad solis occubitum sita, ex lapidibus quadrangulis opere præclarissimo fuit instituta, cujus in exitibus statio vel portus erat navium, per alveum supra nominati fluminis secus decurrentis hinc et inde venientium, pro quibus per noctem illuminandis hæc eadem porta quasi sole et luna ac stellis erat auro ac lapidibus pretiosis artificiose fabricatis insignita, unde, ab operis dico præclaritate, Inclita porta dicta est ex [1018] nomine. Adhuc plura de ejusdem civitatis vel decore vel firmitate libet prosequendo commemorare, si te, o lector, non pigeat auscultare. Hæc utique civitas multo est Roma conditione antiquior; quæ cum fuisset, ut dictum est, muris, portis ac turribus circumquaque munita, unanimiter omnes [1019] inhabitantes, populus ac principes, ad ornatum illius animos converterunt. Et extruxerunt in parte occidentali templum, studiosissime intus et foris auro decoratum, multorum idolorum numinibus illud dedicantes, quorum effigies qui adhuc diligenter consideret, inscriptas ibi vel affixas parieti reperiet [1020], quod usque in hodiernum, quia innumeris fuerit dæmonibus consecratum, vulgus dicit centifanum appellatum. Hujus in vestibulo ex lapide quadro insignis arcus exsurgens habuit [1021] ferream Mercurii imaginem, dictu mirabile, in aere pendentem, seorsum autem Jovem marmoreum, scutellam auream manibus tenentem, cui thus immissum redolebat in naribus circumstantium tamquam si igni injiceretur, nec tamen urebatur. Quod ne forte nostris dictum verbis, tamquam a nobis confictum, credere quis detrectet, non nos, set potius audiat Galbam Viatorem Eucinio sophistæ hoc ipsum, inter cetera rerum stupendarum quas viderat et audierat, his verbis contestantem. Sic enim ait : *Audi præterea quod mireris : Treberis est civitas Galliæ nobilis, ubi Senetio quidam, cujus hospicio usus sum per 12 dies, in suburbio civitatis ferream imaginem* [1022] *Mercurii volantis magni ponderis ostendit in aere pendentem. Erat autem magnes, ut hospes idem michi ostendit, supra in fornice itemque in pavimento, quorum naturalis vis e regione sua* [*sibi ferrum ascivit, sicque* [1023]] *ferrum ingens quasi dubitans in aere remansit. Vidi etiam in eadem urbe ingenti et pretioso marmore Jovem scutellam auream duorum pedum latitudinis tenentem, ubi hoc inerat scriptum :* « *Jovi vindici Trebirorum* [1024] *ex censu quinque civitatum Reni per tria decennia denegato set fulmine et cœlesti terrore extorto,* » *factum arte mechanica. Nam thus quasi prunis impositum redolet, si immiseris, nec tamen deficit. Quod ita probavi esse.*

Hujus [1025] etenim opinatissimæ civitatis fama cum fuisset suo adhuc in tempore ubi-

VARIÆ LECTIONES.

[1000] *post supp.*. C1. [1001] qui etiam C. [1002] verbis *add.* C. [1003] herilis B2. [1004] ejus C3. [1005] patracione B2. [1006] præminentem C. [1007] treverim B2. [1008] *deest* C1 3. [1009] triumpatoribus B4? C. [1010] treberorum B2. [1011] s. l. B2. [1012] *c.* XXIII. *Leibn.* [1013] eis C6. [1014] idcirco quia C. [1015] revertebantur C1. [1016] bubus B2. [1017] ideo quod C. [1018] ex *ut videtur corr.* est C1. *ubi* usque huc *post add* – nomine *deest* C6. [1019] *deest* B2. [1020] reperiret B2. [1021] habet C. [1022] effigiem C. [1023] sibi f. a. sicque *desunt* B2. 4. (*etiam in aliis hujus recensionis codicibus, ut puto*); *ita etiam* C1. *corr. ut editum est, quem* C3. *reliqui secuti sunt.* [1024] treberorum B2. [1025] *c.* III. C. *c.* XXIV. *Leibn.*

NOTÆ.

(224) Kyll.

vis divulgata, quod esset inexpugnabilis inhabitantium fortitudine, quodque non esset ei similis jure bono, meritorum nobilitate, triumphis, longe post cum fuisset Roma condita, et [1026] viri potentes dominarentur in ea, quidam eorum nobilis Arimaspes nomine, consul primusque senatus, illo divertit videndi causa si vera sunt quæ de illa fama disperserat. Et ut vidit, non ultra Romam rediit, sed concesso sibi illic magnatorum collegio, secundum Romanas consuetudines cultum et officia ac diversa dignitatum nomina, consilium ducens instituit. Hoc equidem a veritate non discrepare, satis evidentia sunt testimonia, imagines et tituli, qui consulum aut senatorum vel patriciorum aliarumque dignitatum nominibus et gestis ad perpetuandam eorum memoriam lapidibus insculpti, per omnem fere civitatem sub collibus aut piramidibus vel acervis lapidum defossi inveniuntur. Itemque astruunt hoc ruinæ theatri adhuc superstites, quod ut diximus juxta Romanum ritum ad exercendos Circensium ludos et palestras institutum est.

Itaque [1027] modo quo diximus civitas illa Treberica [1028] se extulerat, ut post, cum Romani totam terram suo decreverunt subjugare imperio, subactis omnibus regionibus juxta vel procul consistentibus, sola hæc nimium confidens in viribus suis cum pertinentiis suis, tota videlicet Gallia, Francia et Germania, resistere præsumpsit [1029]: tempore illo quo [1030] Julius qui dicebatur Cæsar apud Romanos consulatus [1031] officium administrabat, simulque a senatu hoc in mandatis accepit, ut adversum Gallos aciem dirigeret et Romanis obedire compelleret. Venit ergo et obsedit Treberim, metropolim Gallicæ provinciæ; de cujus speciali prærogativa fortitudinis in toto ut præmisimus orbe fama pervolavit; ubi per totum fere decennium in pugnando frustra laboravit. Quamdiu namque unanimitatem et concordiam inhabitantes servaverunt in invicem, ab hostibus vinci non potuerunt; mox vero ut hanc præterierunt, non substiterunt. Tunc etenim magno quodam infortunio duo de optimatibus qui civitati principabantur, Induciomarus et Cingetorix, quorum alter patricia, alter consulatus dignitate pollebat, inter se de primatu contendebant, quis eorum videretur esse major. Cumque hujusce-modi dissensio inter eos ageretur, Cingetorix clam foras egressus, Julii castra adiit, et si ei principatus concederetur, dediturum se civitatem [1032] repromisit. Quod cum ad petitionem ejus firmatum fuisset, egit ut hostibus pateret ingressus; sicque regiæ illius civitatis fastus [1033] magna est ex parte attritus. Set quid confert ejusdem civitatis secularem gloriam et regiam nobilitatem commemorare? Utilius est [1034] namque et plus habet spiritalis læticiæ, si eam, qua ad meliorem vitam est per gratiam Dei provecta, conditionem, studeamus exponere.

5. [1035] Anno dominicæ incarnationis 54, regni [1036] autem Claudii Cæsaris [1037] 19 [1038], episcopatus vero [1039] beati Petri apostoli [1040] in Roma [1041] anno [1042] 8, sanctus [1043] Eucharius, tercius in ordine 72[orum] discipulorum Domini [1044], cum sociis suis [1045] Valerio et Materno ad prædicandum Gallicis gentibus [1046] demum Treberim [1047] pervenit. [1048] Cujus [1049] infidelitatis [1050] aciem devincens, veræ religionis arcem obtinuit et [1051] ejusdem urbis [1052] pontificatum 23 [1053] annis tenuit [1054] *1. Sepultus est [1055] in ecclesia beati [1056] Johannis evangelistæ [1057], quam ipse ante portam [1058] Mediam construxerat, et [1059] in circuitu ejus cimiterium benedixerat [1060] (225). Post (226) cujus obitum [1061] beatus Valerius in ministerium sacerdotale successit, illudque [1062] [1063] per 15 annos sancte vivendo et verbum vitæ prædicando probatissime [1064] rexit. Cujus prædicationis tanta fuit instantia, ut jam tunc per Galliam et [064] Germaniam christiani paganos et numero superarent et religione [1065]. Sepultus est et ipse in eadem ecclesia juxta corpus sancti Eucharii [1066] *2. Post (227) cujus decessum [1067] beatus [1068] Maternus [1069] pontificalem suscipiens apicem, 40 annis taler-

VARIÆ LECTIONES.

[1026] ucusque *vel* ususque *add. in marg. alia manu* C1. *et ita* ucusque C3. [1027] *c.* IV. C. *c.* XXV. *Leibn.* [1028] treverica C. *et infra.* [1029] præsumpsit *ut videtur corr.* præsumpserit C1. *et ita* C3. [1030] *deest* C. [1031] consolatus B2. [1032] c. se B2. [1033] factus C. [1034] *deest* B2. [1035] *c.* XXVI. *Leibn.* II, *c.* 5. C. [1036] imperii 6. [1037] *deest* C (*erasum in* C1). [1038] XV. *corr.* XVIIII. 2. IX. 5[b]. XI. B2. 6. C. — *Numeri hi cum aliis qui c.* 14 *leguntur non conveniunt.* [1039] epactis II. 1[b]. [1040] *deest* 1. 1[b]. [1041] urbe r. 6. [1042] *deest* 6. [1043] *deest* 2. [1044] *deest* 2. 5[a] E. in o. 72 disc. tercius cum 5[b].[c]. 6. [1045] *deest* B6. [1046] g. directus B. C. [1047] treverim C. *sæpius.* treberis 5[a] [1048] venit 1[b]. devenit 6. [1049] Cujus — Maternus, *pagina dimidia vacua relicta, desunt* 1. 1[b]. *Sed in* 1[b], *ubi etiam verba* pontificalem — multiplicavit *rubro obliterata sunt, manu sæc. XIII. hæc in margine scripta sunt:* Ubi cum plurimum populum ad fidem Christi perduxisset, ecclesiasticas res bene firmatas atque fundatas haberet, ipseque jam provecte etatis esset, XXIIII pontificatus sui anno triste seculum reliquit et ad gaudia superna transmigravit. Post cujus — probatissime predicando rexit. Quo defuncto beatus Maternus pont. s. ap., sicut 40 diebus in sepulchro jacuit, ita 40 annis cathedræ pontificali presedit et talentum s. c. f. m. [1050] infelicitatis 5 6. [1051] et — tenuit *desunt* 5[b]. [1052] *deest* 5. 6. [1053] XL. 5[b]. XIII. 6[a].[b]. [1054] B2. *in margine.* Eucharius obiit VI. Idus Decembris; B6. *addit:* obiit VI. Idus Decembris. [1055] *deest* B6. [1056] *deest* 2. sancti 5. 6. [1057] babtiste 5. [1058] m. c. p. 6[a b]. [1059] *deest* B 6. [1060] 5[b]. *in textu addit:* De hoc sancto Eucharo vide plura in principio cronicarum episcoporum Tongeren. [1061] obitum *superscripto* anno 76° C6. [1062] que *deest* 5[b]. [1063] perbeatissime 2. beatissime 5[a]. [b]. 6. utilissime 5[c]. [1064] et per 5[a]. [b]. [1065] B2. *in margine:* [Va]lerius obiit... I. Kal. Febr. — 5[b]. *addit in textu:* De hoc vide eciam antea in cronca Tongeren. [1066] B6. *addit:* obiit IV. Kal. Februarii. [1067] C6. *in margine:* anno 89°. [1068] *deest* 5[b]. [1069] martinus 6[b].

NOTÆ.

(225) Hæc fabulam redolere, etiam I. Pierius Act. SS. Sept. IV, p. 380 monuit.

(226) *Post—religione* ex Vita supra allata p. 291.

(227) *Post—avicem* et 40 *annis* ex Vita l. l.

tum [1070] sibi creditum fideliter multiplicavit. Hic Tungrenses [1071] et Colonienses [1072] ad fidem Christi convertit, et his [1073] tribus civitatibus pontificali jure [1074] præsedit, in quibus singulis fertur [1075] paschali [1076] die [1077] divinum officium celebrasse. In (228) hoc tempore fecerunt Treberi subterraneum viniductum [1078] (229) a Treberi usque [1079] Coloniam per pagum Bedonis [1080] (230) per quem magnam [1081] copiam [1082] vini Coloniensibus [1083] amicitiæ causa misere. Hisdem [1084] diebus venit Treberim sanctus Nazarius prædicans Christum [1085] seta civitatis infelicissimo principe Cornelio Domiciano imperatori delatus [1086] est (231).

*1 C. *addit* : felixque ad Dominum sexto Idus Decembris migravit et *supra var.* 1054.

*2 C. *addit* : quarto Kal. Februari. *Cf. supra var.* 1066.

16 [1087]. Igitur (232) sanctus Maternus [1088] apud [1089] Coloniam *1 obiit senex [1090], anno dominicæ incarnationis 128 [1091]. Cujus obitu Treberi comperto, mox Coloniam profecti sunt [1092], pastorem suum repetentes. Aderant et [1093] Tungrenses, qui simul cum [1094] Coloniis eum sibi retentare satagebant [1095]. Certatum diu [1096] ab utrisque [1097]. Interim venerandus quidam [1098] senex in urbe apparuit [1099], monens cives, ut a lite desistentes suis parent [1100] consiliis, et corpus pontificis in navi ponentes, deinde a litore fluctibus impellentes, quo Deus velit [1101] abire sinant [1102]. Mira res! Mox ut angelus consuluerat [1103] factum est [1104], navis sacro honusta corpore [1105], nullo se regente nauclero, angelico remigio contra fluctus dirigitur, et [1106] parvo horæ spacio miliario confecto, in loco qui ex tristicia Coloniensium Roze [1107] (233) tunc [1108] vocatus est litore [1109] applicatur. Tunc Treberi corpus sui pontificis a Deo sibi destinatum cum debita [1110] gratiarum actione suscipientes Treberim revexerunt, et in ecclesia [1111], non longe a corporibus sanctorum Eucharii et [1112] Valerii honorabiliter sepulturæ tradiderunt [1113].

*1 C *addit* : 18 Kal. Octobris. *Cf. infra var.* 1090.

Deinde [1114] (234) Auspicius quidam [1115] regimen [1116] tenuit [1117]. Dein [1118] insignes per legitimas successiones, sanctitate et gratia pollentes, extiterunt [1119] *2 Felix, Mansuetus, Clemens, Moyses, Martinus, Anastasius, Andreas [1120], Rusticus, Auctor [1121], Fauricius [1122]. Fortunatus [1123] *2, Cassianus, Marcus, Navitus, Marcellus, Metropolus, Severinus, Florentius, Martinus, Maximinus, Valentinus (235),

VARIÆ LECTIONES.

[1070] c. s. t. 6. [1071] tongrenses 5a. c. tongerenses 5b. [1072] Colienses 1b. et col. *aesunt* 2. agrippinenses B. C. [1073] *deest* 6. [1074] pr. i. 5. [1075] ferunt 5. [1076] uno eodemque p. B. C. [1077] penth. die 5a. pentecostes die 5c. die penthecostes 5b. f. die pentecostes c. d. o. 6. [1078] vini conductum B4. [1079] u. ad 6. [1080] pedonis 5a. 6. [1081] *deest* 5. [1082] vini cop. 2. 5. 6. copiam — *c.* 18. hæc sunt Maxentius *desunt folio deficiente* 6a. [1083] *e corr.* 1. [1084] His 1. 1b. 5b. [1085] *deest* 1b. [1086] *deest* 5b. [1087] II, *c.* VI. C. [1088] martinus *corr.* maternus 1. [1089] a. urbem col. 6 [1090] B6. *addit* : XVIII. Kal. Octobris; B2. *in marg.* : Maternus obiit VIII. Kal. Oct. [1091] CXXIIII. 1b. [1092] *deest* 5b. [1093] *deest* 1b. [1094] e coloniensibus 6. cum coloniensibus 5. C. [1095] cupiebant 1b. [1096] c. est d. 2. 5. 6. certamen tam diu *corr.* c. tum diu B2. certamen diu B4? 6. certamen tum C. [1097] utriusque *corr. alia manu* utrisque 1. u. habebatur B2. u. geritur C. [1098] venerandum *corr. al. manu* venerandus 1. [1099] aparuit 1. [1100] parerent 2. 5. 6. parent *corr.* pareant C1. *et ita* C3. [1101] *deest* B6. [1102] sinitant 1b. [1103] consulerat 2. [1104] *deest* 5. [1105] on. s. c. 2. corpore onusta B. C. [1106] *deest* 1b. [1107] roce *corr.* roze 1. rohe 1b. rouueza 5a. b. 6b. rouuesa *corr.* rouueza 6c. ronnesa 5c. rotkiriche C. 1. 3. royitkiriche C. 6. *In* 1b. *rec. manu adscriptum est* : Rucukirge. [1108] t. r. 5. *deest* B 4? 6. [1109] littori 5b. 6. B 6. littore *corr.* littori C 1. *et ita* C3. [1110] d. sibi 6b. [1111] e. predicta 5b. [1112] *deest* 6c. [1113] 5b. *addit* : De hoc sancto vide etiam alia multa in cronica Tungeren in principio. [1114] *c.* XXVII. *inc. Leibn.* [1115] *deest* 5. [1116] regnum 5a. c. regimen ecclesie treberice 5b. ecclesie r. B (r. eccesiæ B6). C. [1117] C6 : anno 129. [1118] De insignes *corr. alia manu* dein i. 1. deinde 1b. 2. 5. 6c. B6. — 5b. *hæc habet plane diversa* : Et Avitus ecclesie Colonien et Navitus ecclesie prefuit Tungeren. Hii tres viri discipuli fuere sancti Materni. In ecclesia Treberen XIII episcopi in XXI annis martirio coronati sunt quia post mortem sancti Materni plurima multitudo eorum ad ydolatriam prolapsi sunt; sed ita in brevi sublati sunt, quod de temporibus eorum nulla preferatur celsitudo (*l.* certitudo). Post. Auspicium Celsus. Deinde Felix, *etc.* [1119] Celsus *add.* 5. [1120] An *e corr. alia manu* [1121] victor 5b. [1122] mauricius 1b. 5. 6. [1123] *deest* 2.

NOTÆ.

(228) Hanc narrationem recentiori manu in cod. antiquo S. Mathiæ additam esse, Calmetus monet.

(229) Aquæductus vestigia nunc restant.

(230) De quo cf. Hontheim Hist. I, p. 61.

(231) Cf. passionem S. Nazarii Acta SS Jul. VI. p. 383.

(232) Hæc in quibusdam Vitæ codicibus leguntur, sed fortasse ex Gestis descripta; cf. Acta SS. Sept. IV, p. 392.

(233) *Roz* theotisce fletus dicebatur. — Rodenkirchen recentiores intelligunt; v. Act. SS. Sept. IV, p. 393.

(234) Quæ sequuntur in codice antiquo S. Mathiæ Treverensi, Gestorum fonte, deesse, Calmetus adnotat, et de altero quodam codice idem monet Hontheim Hist. I, p. XXVII. Idem l. l, p. XXIII sqq. c. I. Perierus, Acta SS. Sept. IV, p. 365, 373 hæc nomina ex aliarum Ecclesiarum catalogis descripta vel ex dubiæ fidei monumentis collecta esse, satis probarunt. Cf. etiam Rettberg Kirchengeschichte Deutschlands I, p. 180 sqq. — In vita S. Agritii ita legitur (Acta SS. Jun. I, p. 175) : *Sicut enim diligenti supputatione colegimus, ducentos et unum annum inter S. Materni ex hoc mundo gloriosum excessum et beati Agricii felicem in hanc urbem ingressum esse cognoscimus; quo temporis spatio intercurrente cessavit hujus sedis episcopatus, paganis ipsam civitatem obtinentibus.* Cf. locum supra col. 1073 ex codice S. Maximini editum. Neque Gestorum continuatio hos episcopos novit, sed Agritium quartum dicit (c. 18). — Sed eadem fere verba quæ hic leguntur Methodii nomine inscripta exhibet cod. Francofurtensis Mariani (ap. Pistorium ed. Struv. I, p. 563), ubi ea quoque leguntur, quæ infra ex C. edidi, alia vero desunt ex Herigero descripta. Denique in loco supra edito, Methodio teste 26 episcopos inter Maternum et Agritium sedisse narratur; in quo numero errorem latere puto. Inde vero patet, librum sæc. XII fuisse Methodio ascriptum, qui hæc Treverensium episcoporum nomina primus indicaverit; quem auctor secutus, alia ex Herigero addidisse videtur.

(235) Pseudo-Methodius l. l. hæc octo nomina

quorum 8 ultimi etiam Tungrensi ecclesiæ præfuisse noscuntur; qui omnes diversis temporibus non solum in propria provincia, set et [1124] in extimis [1125] et ultimis industres [1126] et inlustres non solum confessione quin [1127] et [1128] martirio existentes [1129], regna etiam tirannorum vicerunt. Qui (236) videlicet episcopi omnes [1130] in ecclesia sancti Eucharii sepulti esse [1131] creduntur. Quorum (237) autem imperatorum vel [1132] consulum [1133] claruerint [1134] singuli [1135] temporibus, quosque vita eorum habuerit [1136] exitus, quotque [1137] singuli annis amministraverint [1138] officium pontificatus, seu (238) quantum quisque ampliaverit [1139] ecclesiæ suæ reditus, quia (239) totius Galliæ ab Hunis et Nortmannis [1140] facta abolevit [1141] eversio, nec a nobis lectoris cujusquam [1142] requirat exactio; cum et ante [1143] diris 10 [1144] persecutionibus, sub quibus vixere, eorum memoriam [1145] fama scriptorum studio minus potuerit divulgando perpetuare. Primus [1146] (240) etenim christianos Nero [1147] persecutus est, secundus Domicianus, tercius Trajanus, quartus Marcus Antoninus [1148], quintus Severus Pertinax, sextus Maximinus, septimus Decius [1149], octavus Valerianus, nonus Aurelianus, decimus Diocletianus [1150] cum Maximiano. Horum [1150*] itaque [1151] persecutionum temporibus prædicti viri Trebirorum præsulatum nequaquam manifeste, set, sicut [1152] ait [1153] apostolus, in solitudinibus et montibus [1154] et speluncis et cavernis terræ peregisse probantur; ut merito [1155] eorum vita, tam fervente tunc [1156] ubique persecutione quam postea exterminata sæpius Trebirorum civitate, oblivioni tradita fuisse credatur [1157]. Auxit hoc infortunium humani generis adversarius. Postquam denique [1158] inseparabilis [1159] [Trinitas [1160]] tres evangelli sui operarios perpetim remunerandos, scilicet Eucharium Valerium [1161] et Maternum, vocavit ad superos, Treberi [1162] rectæ fidei credulitatem amiserunt et ad [1163] pristinum paganismi [1164] vomitum ex maxima parte redierunt.

*1 C 1. *add. in marg.* : Sanctissimus (241) scilicet nomine vel meritis [1165], Celsus, animo sublimis, set et genere clarus, non segnis [1166] patriæ, semper ubique vigens, affectu pio, honore actuque serenus, Felix; *quod* C 3. *rell. receperunt. In margine vero.* C 3. *legitur* : Hiis temporibus contigit quod novem reges in Treveri consederunt. Et hoc coram Taciano rege a mimis factum fuisse canitur in tempore quod erat inter Maternum et Agricium.

*2 C. *addit* : qui obiit quarto Idus Junii.

17. [1167] Igitur [1168] anno dominicæ [1169] incarnationis 291. [1170] Maximianus (242) imperator [1171] cognomento [1172] Herculius propter frequentes [1173] Gallorum tumultus Thebeos [1174] milites [1175] ab Oriente

VARIÆ LECTIONES.

[1124] *deest* 5[a c]. 6. B 2. 4? etiam 5[b]. [1125] eximiis 1[b]. externis 5[b]. extremis 6[c]. [1126] indrustes *corr.* industres 1. industrii 6. [1127] qui *corr* .quin 1. sed. 6[b]. [1128] etiam 2. 6. [1129] existens *corr.* existentes 1. [1130] o. ep. 2. Qui ep. ut plurimi in 5[b]. [1131] c. e. 6. [1132] et 1[b] aut 5[b]. [1133] cunsulum *corr.* cunsulum 1. [1134] claruerunt 5. [1135] *deest* 6. s. cl. B. C. [1136] habuerunt *corr.* habuerint B2. [1137] qotque 1. quotquot 5[b]. quique singulis B2. quodque singulis B6. quodque *ut videtur corr.* quotque C1. [1138] ammistraverint 1. [1139] applicaverit B6. q. e. s. r. ampl. 5. [1140] northmannis 5. normannis 6[b] northmannis B2. noremannis B6. [1141] ab eum conversio 1[b]. [1142] cujusque 5. c. l. 5[b]. [1143] antea 5. 6. B. C. [1144] *deest* 5[a]. [1145] memoria f. scriptoris minus 5[a]. [1146] primum C. [1147] p. est n. 2. 5. 6. [1148] antunnus *corr.* antoninus 1 *et ita* 1[b]. anthonius 5[a b]. antonius 5[c] B2. antonius *ut videtur corr.* antoninus C1. *et ita* C3. *rell.* [1149] *deest* B6. *e corr.* C1. [1150] dioclesianus 6[b] declesianus 5[b]. [1150*] *ita omnes fere quos vidi codd.* Harum 2. 5. 6. Hoc B6. [1151] utique 6[c]. [1152] ut 5[a]. [1153] *deest* 1[b] [1154] et in m. 2. 5[a]. [c]. 6. et in sp. 2. 5. in sp. 6. et in cav. 2. 5. [1155] e. m. 6[b]. [1156] *deest* 5[b]. [1157] credant 1[b] credantur 5[b]. [1158] autem 5. [1159] inseparabiles 1[b]. 5[c]. insuperabiles 6[b]. insuperabilis (?) 6[c]. [1160] *deest* 1. 2. 5. 6[b] tres *deest* 5[b]. [1161] et v. 5[b]. [1162] trebiri 1[b]. [1163] *deest* C3. [1164] paganismum v. 1[b]. paganismum ex 5. 6. [1165] *deest* C6. [1166] non signis *corr.* insignis C3. [1167] *c.* XXVIII. *Leibn.* II, *c.* VII. C. de Thebeis martiribus *add.* C3. [1168] Ig. d. i. anno 1[b]. Anno igitur B. C. [1169] *e corr.* 1. [1170] ducent XII. 5[c]. [1171] i. Romanus B. C. [1172] *deest* 5[b] 6. [1173] g. f. 5. 6. [1174] tebeos 2. *et ita postea.* [1175] *deest* 2.

NOTÆ.

omittit ita pergens : *Marcus cæterique quam plurimi, qui suis diversis temporibus non solum propria pr.*, etc. Ex Herigeri Gestis epp. Trajectens. c. 15. sumpta sunt.

(236) Reliqua desunt apud Pseudo-Methodium.

(237) *Quorum — pontificatus* ex Herigero c. 15.

(238) Horum loco Herigerus habet : *vel quis illorum sepulturæ sit locus;* quæ noster recipere non potuit, quia omnes in ecclesia S. Eucharii sepulti esse crederentur. Nota igitur locum ex codice C 1. fol. 1, descriptum, ubi eadem fere verba nequaquam ex hoc textu descripta legas : *Notandum. Gallorum fortissimi sunt Belgæ. Porro Trebirorum inter omnes Belgas singularis est opinio virtutis. Ante incarn. Domini anno* 50, *Labienus legatus Cæsaris Trebirorum copias, arte in bellum provocatus, antequam Germanis adventantibus jungerentur, prostravit, deinde ipsam civitatem quæ dicitur Belgas cœpit* (v. c. 10, 7). *Anno dom. inc.* 54, *accepit Eucharius episcopatum Treverensem, deinde Valerius, postea Maternus. Episcopi inter Maternum et Agricium, quorum imperatorum vel consulum claruerint temporibus, quosque vita singulorum habuerit exitus, quotque singuli annis administraverint officium pontificatus, vel ubi quorumque sit tumulus, seu quantum quisque ampliaverit æcclesiæ suæ statum, quia totius Galliæ ab Hunis et Nortmannis facta abolevit eversio, nec a nobis lectoris cujusque requirat exactio, cum et antea diris decem persecutionem temporibus, sub quibus vixere, eorum memoriam fama scriptorum studio minus potuerit divulgando perpetuare.*

(239) *Quia — exactio* ex Herigero, Northmannorum addito nomine.

(240) Hæc in Bedæ aliisve chronicis invenit.

(241) Hæc verba etiam ap. Pseudo-Methodium leguntur, sed ex Celsi epitaphio sæc. x. invento repetita esse videntur. Quod vide in Actis SS. Febr. III, p. 398. Cf. Hontheim Hist. I, p. XXI.

(242) Hæc narratio ex Historia martyrum Treverensium (Hontheim Prod. I, p. 111 seqq.) sumpta est.

in auxilium accersivit. Hi Thebei ab antistite Jerosolimitano fuerant baptizati, deinde a beato papa [1176] Marcellino Romano, qualiter sub armis Romanæ [1177] libertatis christianam innocentiam custodire deberent, instructi. Prælati sunt autem huic legioni duces duo, quorum unus Tyrsus [1178], alter Secundus [1179] vocabatur, et [1180] Mauricius ejusdem legionis primipilarius [1181] (245). Quorum (244) ordine et nomine Secundus apud [1182] Victimilium [1183] Italiæ castrum martirio vitam [1184] finivit, Mauricius vero [1185] apud Agaunum [1186] oppidum cum sociis suis [1187] pro Christo [1188] victimatus occubuit. Tyrsus autem * cum suis plurimis sociis et militibus in Treberim devenit [1189], ibique in campo [1190] Marcio castra posuit [1191]. Ubi (245) ab ejusdem civitatis christianissimis principibus [1192], christianitatis et pacis signa [1193] in ipsis cognoscentibus, christianiter [1194] et amice [1195], hospitaliter et honeste, summa quæ in Deo est ordinante hoc [1196] caritate, recepti sunt. His ergo principibus dum causam [1197] suæ ab Oriente profectionis suæque ad hunc [1198] locum perventionis [1199] flebiliter retulissent, eorumque consilium simul et auxilium humiliter [1200] postulassent, flagranti [1201] adeo [1202] Sancti Spiritus ardore corda omnium [1203] et civium et hospitum in Dei amore succensa sunt, ut ad [1204] mortis magis pro Christi amore susceptionem quam ad [1205] idolorum venerationem vel [1206] christianorum oppugnationem [1207] se animas præbere invicem [1208] exhortarentur. Vix dum [1209] igitur [1210] sanctæ exhortationis armis se invicem munierant, cum ecce Rictiovarus [1211] a Maximiano [1212] imperatore Trebirorum [1213] (246) præfectura donatus, eandem urbem cum [1214] maximo militum agmine stipatus intravit. Qui vocatos [1215] ad se inprimis, quorum causa præcipue venerat [1216], Thebææ legionis [1217] christianos interrogavit, utrum et [1218] ipsi Romanorum [1219] deos adorare eorumque detractores armis vellent subjugare. Cui cum [1220] dux legionis Tyrsus responderet se suosque [1221] omnes et socios [1222] et milites pro Christi amore malle mori quam hujusmodi [1223] sacrilegio pollui, Rictiovarus, diffusis per totum campum militibus, omnes (247) præcepit [1224] interfici et corpora eorum feris avibusque [1225] devoranda relinqui. Ex his innumeris tanta multitudo ad litus Mosellæ juxta capitolium martirizata est, ut (248) sanguinis rivuli defluentes [1226] in Mosellam aquæ permixti eam [1227] in suum colorem converterent [1228 **], ut, naturali claritate [1229] remota, peregrino magis [1230] quam proprio colore ruberent [1231]. Inhumatis [1232] etiam tunc sanctorum corporibus unda præbebat tumulum [1233], quo, redeunte grata [1234] compage membrorum, futuro eam [1235] repræsentaret [1236] judicio. Hoc idem capitolium postea in honorem [1237] Dei [1238] genitricis semperque [1239] virginis Mariæ est dedicatum, et [1240] ipse locus [1241] ob memoriam martirum Litus ad [1242] martires nomen accepit [1243] (249). Hanc (250) cædem Rictiovarus exercuit [1244],

VARIÆ LECTIONES.

[1176] m. p. 6. B. C. [1177] s. a. r. *e corr.* 1. I. r. 5. [1178] thyrsus B2. [1179] *deest* 5c s. v. et *desunt* 1b. [1180] *al. manu add.* 1. *deest* 5. [1181] primicerius 1b. — primipularius 5. 6. *qui hoc addunt glossema :* Pilam in signo constituisse fertur augustus. propter nationes sibi in cuncto orbe subjectas. ut malus figuram orbis ostenderet. et inde dicitur primipilarius quasi primus ferens pilam. [1182] *deest* 1. 1b. 5. [1183] victimi 1b. victimili (ructimili 5b.) italie castro 5. [1184] f. v. 6. [1185] *deest* 1b. [1186] agauium 1. agannium 2. aganium 5a. agitinum 5b. auganum 6b. augaunum B2. [1187] suis plurimis et militibus B2. *ceteris omissis.* [1188] p. c. *desunt* 5b 6. [1189] treveri venit B6. devenerunt C1. decreverunt C3. 4. [1190] canpo 1. m. c. 2. [1191]. posuerunt C. [1192] pr. ch. et *desunt* B2. [1193] signis 1b. ch. signa pacis 5a. b. ch. s. et p. 5c. [1194] christiane 6. [1195] amicitie 1. amicicie 1b. [1196] *deest* B2 h. ord. 5. [1197] causa 1. 1b. 5. 6. [1198] ad huc 1 1b. B6. [1199] *deest* 2. 5b. [1200] *deest* 2. [1201] flagrante 5. 6. flagrati B2. [1202] s. s. ardore. adeo c. 6. [1203] o. c. 5b. B2. [1204] a 1. 1b. [1205] ab i. veneratione 1b. [1206] *deest* 6c. [1207] o. quam ad idolorum inv. e. 6c. [1208] *deest* 5. [1209] *deest* C. ig. d. 1b [1210] ergo 5b. [1211] rictiovarius 1. 5b. *sæpius.* riccioυarus 1b. [1212] maximiano 1. [1213] treberim 1b [1214] *deest* 6. [1215] vocatis 2. 5a. b. vocatus 5c. vocans 6. [1216] uenerant 1b. *deest* 6. [1217] legiones 1b [1218] et *deest* 2. 5. et ipsi *desunt* 6. [1219] vellent r. d. a. e. (eorum 5b.) d. (detractatores 6b. detrectatores 6c.) a. s. 2. 5. 6. — armis *deest* 1b. [1220] dum legio rursus resp. 1b. [1221] omnesque suos 5a. [1222] sociis 1. 1b. [1223] hujuscemodi 6b *deest* B2. [1224] p. o. B2. [1225] et a. 6b. eorum avibus d. 5a. b. [1226] defluentis 5a-b. sanguis r. defluentis 5c. s. defluentis r. in m. aquis p. eas 6. [1227] eum 5. [1228] conuerterent *corr.* conuerteret C1. [1229] n. aque cl. 5b. [1230] pocius 5b. [1231] ruberetur B2. [1232] inhumatas 1. [1233] tumultum 6c. [1234] c. g. 6. [1235] ea 6c. B. C. [1236] representarent 5. [1237] honore B. C. [1238] g. d. 1b gen. *deest* B6. [1239] m. semper v. B. C. [1240] *deest* B6. [1241] *deest* 6c. [1242] ad litus 1. ad l. martyrum 1b. *cf. infra c.* 23. [1243] m. accepit vocabulum B. C. [1244] exercuit 1.

NOTÆ.

(245) Historia martyrum ita dicit l. l. : *Nomen vero primipilarii legionis ejusdem, sicut a nostris antecessoribus accepimus, erat Mauricius. Erant revera in legione illa alii quoque duces exercitus ac principes, pro quorum et nominum et meritorum oblivione antecessorum nostrorum negligentiam incusamus: quorum tamen diligentiam commendamus pro eis litterularum documentis, quæ de eorumdem sanctorum meritis aut plumbeis aut marmoreis tabulis aut vetustissimis scedulis inscripta reperimus.*

(244) Cf. Adonis martyr. Ed. Romæ, 1745, p. 427, 487.

(245) Deinde historiam illam martyrum ad verbum descripsit.

(246) *Trebir.præf. donatus* ex passione Fusciani et Victorici (Honth. Prodr. I, p. 95) sumpta esse videntur.

(247) Cf. passio Fusciani et Victorici l. l.

(248) *Ut — judicio* ex Historia c. 2, p. 116

(249) Vulgo Mergen dicta; cf. Hontheim Prodr. I. p. 89. Wyttenbach adnotat : « Originem fundamentorum hujus cœnobii utique ad Romanorum antiquam efferimus memoriam. — — Nostro tempore præclara operis Romani vestigia in ruderibus nostræ ecclesiæ detecta sunt. »

(250) Sequentia ex tabula descripta sunt, cujus mentionem fecit infra c. 27 ; integram exhibet Historia martyrum p. 119.

videlicet Tyrsi [1245], et [1246] sociorum ejus, die 4 Non. Octobr., sequenti autem [1247] die Palmacium [1248] consulem et patricium civitatis cum 11 principibus ejus [1249] occidit; quorum nomina hæc sunt: Maxentius [1250], Constantius [1251], Crescentius, Justinus [1252], Leander, Alexander [1253], Sother, Hormisda [1254], Papirius, Constans, Jovianus [1255]. Tercio nihilominus die Rictiovarus cædem exercuit in plebem utriusque sexus [1256] et ætatis, totamque [1257] urbem occisis innumerabilibus christianis implevit [1258]. Pauci [1259] (251) christiani, qui hujus persecutionis [1260] procellas fuga [1261] declinaverunt, postquam [1262] aliquantulum [1263] cessavit, horum martirum corpora partim sepulturæ tradiderunt, et quendam ingentis capacitatis puteum vetustate neglectum et aquis exaustum (252) eorundem [1264] ossibus sanctorum [1265] repleverunt [1266]. Quærit aliquis, quomodo Rictiovarus tantam multitudinem civium et [1267] peregrinorum occiderit [1268], vel quare Thebei [1269] vel [1270] Treberi sibi resistere non valuerint [1271]. Set notandum [1272], quod hæc legio Thebea [1273] primum juravit [1274] in sacramenta divina [1275], deinde in sacramenta regia. Hæc duo sacramenta se observasse demonstrat [1276], primum [1277] quod idolis immolare contempsit, secundum [1278] quod [1279] innocentiam suam dum bene potuit armis defendere noluit. Alioquin si juncti Thebei [1280] Treberensibus se defendere voluissent [1281], non solum Rictiovari set et [1282] Maximiani potentiæ [1283] resistere quivissent (253). Set servavit sacramentum [1284] suum pacienter mo- C riendo, et cives urbis potentissimæ secum ad contemptum mortis fideliter invitavit.

* et Bonefacius *add.* B 4. 6. C.

** B. C. *add.*, usque ad castrum quod Niumaga [Numaga C.] dicitur (254).

18 [1285]. Post Rictiovari [1286] cruentissimum dominatum [1287] tandem civile nobis Constantii [1288], primo cæsaris dehinc augusti, reparatur [1289] imperium. Hic multa clementia erga homines, erga Deum vero [1290] religione [1291] maxima utebatur, neque piorum [1292] sanguine regnum suum maculavit, neque orationum [1293] domos destruxit, set Dei [1294] cultores venerationi habuit et honori. Hic (255) non modo amabilis set venerabilis [1295] etiam Treberibus fuit, præcipue quod Diocletiani suspectam prudentiam B et Maximiani Rictiovarique sanguinariam temeritatem imperio ejus [1296] evaserant. Hic Alamannos, qui jam a temporibus Valeriani imperatoris Trebirorum confinia devastabant, in ipsis finibus Trebirorum aggressus, magna strage delevit. Circa (256) Lingonas [1297] die una adversam et secundam fortunam expertus est. Nam cum repente, barbaris ingruentibus, intra civitatem esset coactus tam præcipiti necessitate, ut clausis portis in murum funibus tolleretur, vix quinque [1298] horis [1299] mediis [1300] adventante exercita, 60 fere [1301] milia Alamannorum cecidit, captis (257) eorum regibus, quos etiam bestiis, cum magnificum spectaculum muneris parasset [1302], objecit. Anno (258) 16 [1303] imperii sui obiit in Brittannia Eboraci, et (259) inde Treberim relatus in campo Marcio honorifice sepelitur cum

VARIÆ LECTIONES.

[1245] tyasi 1. 1b. [1246] ac. 6. [1247] sequente aut 1. *post* sequenti *vocab. eras.* 1b. [1248] palmarium 5a·b. palmarem 5c. [1249] *deest* B. C. [1250] maxentus 1. [1251] *pergit* 6a. eonstantinus 6c. [1252] melinus 1. *deest* 1b. [1253] *deest* 2. 5 (*ubi infra post* iouianus *legitur*). i. lexander 5b. *In* 5c *hoc loco* crescentius. [1254] ormisda . papirus 1b. [1255] iovinianus 1b. C. [1256] s. utr. B. C. [1257] totam B6. [1258] conplevit 2. [1259] Pauci ergo B. C. [1260] cedis 6. *deest* 5. *sed in* 5a. *post suppletum.* [1261] *deest* 6a·b. [1262] p. a. c. *desunt* 6. al. persecucio c. 5. [1263] aliquantum B. C. [1264] eorum *corr.* eorumdem 1. [1265] scantorum 1. s. o. 6. *deest* B. C. [1266] impleuerunt 5. 6. [1267] *deest* B 6. c. et *desunt* 5. 6. [1268] *decst* 6. [1269] teberi *corr.* thebei 6a. [1270] sive t. illi 6. [1271] valuerunt 5. 6. [1272] n. est B6. [1273] thebeorum 2. [1274] iuvit 1. uiuit 1b. *deest* 5b. [1275] diuino d. in sacramento regio 1b. [1276] demonstrant 5. demonstravit B2. [1277] primo 5b. quod *deest* 2. [1278] secundo 5. 6. [1279] qui 1. [1280] t. i. 6. treberibus 5. aliqñ iuncti tr. thebei 5b. [1281] voluisset 1. [1282] s. et *desunt loco raso* 1. eciam 5b. etiam *post add.* 6a. *et ita* 6b·c. [1283] potenter r. quicuissent 1b. [1284] servavit moriendo s. s. p. et B2. [1285] *c.* XXIX. *Leibn.* II. *c.* VIII. C. [1286] rictiovarii 5a. *hoc loco*, 5b. *semper.* rictiovare 6a. [1287] imperium vel dominatum (dominium 5.) vel tandem c. bellum n. 2. 5. 6. [1288] constanti 5a. constantini 5b·c. [1289] reperiatur 1b (*ubi supra* ciuale). reperatur 5b. [1290] *deest* 2 vera 5a·b. [1291] religionem 1. [1292] priorum 5a. [1293] orationis 2. 5. 6. [1294] c. d. B. C. [1295] e. v. 6. [1296] eiusdem 6. e. i. 2. [1297] linganos 6c. [1298] toll. XIIII. 5. 6. [1299] homines 1b. [1300] diei 5a·c. 6. dei advēte exitu 5b. [1301] *deest* 2. 5. 6. [1302] mireris parassed 1b. paravisset 6. [1303] XIII. 1b. *cum Eutropio.* VII. 5a. VI. 5b·c. 6.

NOTÆ.

(251) *Pauci — declinaverunt* et *quendam — repleverunt* ex Vita S. Agritii (Acta SS. Jan. I, p. 775), ubi hæc præmittuntur: *sicut omnium relatione majorum nostrorum adusque nostram pervenit notitiam.*

(252) *Nunc vero pavimento tectum in ecclesia S. Mariæ ad Martyres*, addit Eberhardus (s. XVI), teste Wyttenbachio.

(253) Cf. Historia p. 113: *Resistere et etiam prævalere satis possent, præsertim cum ipsum Romanorum imperatorem Cæsarem, cum omnibus quas habere potuit militum copiis, a solis civibus Trevericis diu multumque fatigatum fuisse in Romanis ac Gallicis legamus historiis.*

(254) Neumagen. De hoc loco cf. Hontheim Prodr. D I, p. 95.

(255) *Hic — evaserant* ex Eutropio X, 1. vel Paulo Diac. sumpta sunt; sed pro Gallis noster ponit Treberos, Rictiovarique nomen addit.

(256) *Circa — cecidit* ex Eutropio IX, 23.

(257) *Captis — objecit* ex Eutropio X, 3, qui de Constantino loquitur.

(258) *Anno — Eboraci* ex Eutropio X, 1.

(259) Hic false confunditur imperator Constantius Chlorus cum illo comite Constantio, qui sub Honorio imperatoris titulum gessit et a. 421 e vivis decessit. Monumentum hujus Constantii, antiquis inscriptum litteris, in Pauliniana apud Treviros ecclesia conservabatur. Wytt. Cf. Brower Ann. Trev. p. 283, et quæ manus s. XVI in codice 1b.

epitaphio hujusmodi : *Elius Constantius* [1304], *vir consularis, comes et magister utriusque militiæ atque patricius, et secundo consul ordinarius* [1305]. Hic ex Helena Trebirorum nobilissima [1306] (260) Constantinum filium procreatum [1307] imperatorem [1308] Galliarum reliquit (261), qui etiam totius Romani [1309] regni monarchiam per bella [1310] maxima solus obtinuit. Beatissima vero mater ejus Helena cum magno exercitu [1311] Jerosolimam perrexit, ibique [1312] cum Dei adjutorio lignum sanctæ crucis invenit (262). Qua inventione celebrata (263), papam Silvestrum adiit, magnis precibus deposcens, ut sibi secundum carnem consanguineæ [1313] Trebericæ civitati [1314] misereatur, et ejus infidelitatis tenebras aliquo idoneo prædicatore illustrare dignetur [1315]. Magna ergo doctoris inquisitione [1316] habita, omnium fidelium consilio sanctus [1317] Agricius Anthiocenæ præsul [1318] civitatis evocatur, et ad Treberim cum preciosissimis reliquiis, quas inferius nominabimus [1319], a papa et regina destinatur, cum privilegio quod isdem [1320] papa Silvester ad honorem Treberensis ecclesiæ hoc modo noscitur conscripsisse (264).

A *Sicut* [1321] *in gentilitate propria virtute, sortire et nunc Trebii* [1322] *primas* [1323] *super Gallos et Germanos prioratum, quem tibi præ omnibus harum gentium episcopis in primitivis* [1324] *christianæ religionis doctoribus* [1325], *scilicet Euchario,* [1326] *Valerio et* [1327] *Materno, ac per baculum caput ecclesiæ Petrus signavit habendum, suam quodammodo minuens dignitatem, ut te* [1328] *participem faceret. Quem* [1329] *ego Silvester ejus servus successioneque indignus per patriarcham Anthiocenum* [1330] *Agricium renovans, confirmo* [1331] *ad honorem patriæ* [1332] *domnæ Helenæ augustæ, metropolis* [1333] *ejusdem indigenæ, quam ipsa felix per apostolum Mathiam* [1334] *Judea* [1335] *translatum cum* (265) *tunica et clavo Domini et dente sancti Petri et scandaliis* [1336] *sancti Andreæ apostoli, et capite Cornelii* B [1337] *papæ ceterisque* [1338] *reliquiis magnifice* [1339] *ditavit* [1340] *specialiterque* [1341] *provexit. Hujus* [1342] *privilegii conscii nocivi* [1343] *æmuli communione* [1344] *dirimantur, quoniam anathemate maculantur* [1345].

19 [1346]. Anno [1347] dominicæ incarnationis 368 (266) sanctus Agricius Trebirorum præsul efficitur [1348]. Hic populum ab antiquo [1349] errore idololatriæ [1350] velut alter Eucharius eripuit [1351] (267), et (268)

VARIÆ LECTIONES.

[1304] constantinus 2. 5. [1305] ordinatus 1b. [1306] nob. trebrcorum 5b. [1307] procreavit 5. 6. B2. *corr.* procreatum C1. [1308] imperatoremque 5. 6. [1309] *deest* 5. 6. [1310] m. b. 6. solus *deest* 5. 6. [1311] i. exercitu 5. [1312] beatique dei cum 2. [1313] consanguine 1. 1b. [1314] ciuitati *corr.* ciuitatis C1. *et ita* C3 *seqq.* [1315] dignaretur 1b. [1316] h. i. 2. 5. 6. [1317] *deest* B6. [1318] c. pr. 1b. [1319] nominauimus p. et r. destinant 1b. notabimus 2. 5. 6. [1320] *ita* 1. [1321] *c.* XXX. *Leibn.* [1322] treberis 5a. treberi 5b-c. [1323] primum 5. 6 prima B2. [1324] primitiis 1b. primiciis B6. [1325] *deest* 2. [1326] E. V. et M. 1. Eucharius Valerius et Maternus B4? Eucharium. Valerium et Maternum B6. [1327] *deest* 6a-b. [1328] *deest* 5a-b. [1329] Quam 2. 5. 6. [1330] antiochenum 1. 2. *alii, hoc loco.* [1331] *deest* 5. 6. [1332] *deest* 5. [1333] metropulis 1. [1334] mahtiam 1. [1335] de iudea 6 iudea *corr.* a iudea C3. *et ita* C4. C6. [1336] *ita* 1. sandaliis *alii.* et s. s. a. *desunt* 1b. [1337] sancti c. 2. 5. 6. [1338] que *deest* 5b. [1339] *deest* 1b. [1340] magnificauit 2. 5. 6. [1341] que *desst* 5. [1342] Hujus — maculantur *desunt* 1b. [1343] *e corr.* 1. nocui 5a-b. 6. *deest* 5c. [1344] cummunione 1. [1345] *e corr.* 1. [1346] *c.* XXXI. *Leibn.* II. *c.* VIIII. C. — de sancto Agricio *add.* C3. — 6c. *ita habet* : Expl. lib. II. Inc. lib. III. [1347] A. igitur incarnatione Domini 1b. [1348] *deest* 1b. XXVI in ordine epi coporum *add.* 5c. [1349] c. a. 2. 5. 6. [1350] idolatric 5. 6. *alii.* [1351] aripuit *corr.* eripuit 1.

NOTÆ.

adnotavit : « In ecclesia S. Paulini sita in campo Marcio reperitur hodierna die hujusmodi epitaphium. » Editum Gruter, Thes. inscr. 1051, 8.

(260) Hæc et quæ sequuntur fabulosa esse nunc omnibus constat. Helenam Treverensem primus fortasse Almannus dixit, qui S. IX. ex. vitam ipsius scripsit (Acta SS. Aug. III, pag. 583). Cf. quæ ibidem p. 549. I, Pinius de hac re disputavit. Almannum noster sequitur. Exhibeo Vitæ initium, quo de Treverensi urbe loquitur : *Beata igitur Helena, oriunda Treverensis, tantæ fuit nobilitatis secundum honestatem et dignitatem præsentis vitæ, ut pene tota ingentis magnitudinis civitas computaretur in agrum sui prædii. Quod usque hodie demonstrat domus ejus, facta ecclesiæ pars maxima in honore beati Petri apostolorum principis in sedem episcopalem metropolis dicata, adeo ut vocetur et sit prima sedes Galliæ Belgicæ necnon et cubile regiæ ambitionis factum in eadem urbe opere mirabili, siquidem pavimentum variis marmoribus, velut in regia Xerxis cognomento Assueri, Pario fuit lapide stratum, et parietes auro fulvo velut hyalino textu perlucidi fuerunt facti, sicut tempore Salomonis aula ejus de lignis Thyriis composita, et laquearia in modum cryptæ pretiosis marmoribus celata et anaglypha, necnon et cubile aureis zetis instructum atque insignitum fuit.* Conf. etiam Berengosum de inventione S. Crucis III, c. 2. (Bibl. maxima Patrum XII, p. 360) qui C hunc locum præ oculis habuit.

(261) *Hic ex H. Const.* — *reliquit* ex Almanno l. l. p. 584.

(262) Cf. Almannum l. l. p. 588. Berengosum II, c. 5 sqq.

(263) Sequentia ex Vita S. Agritii sumpta sunt (Acta SS. Jan. I, p. 775).

(264) Hoc privilegium certe falsum narrationi huic ansam præbuisse videtur. In Vita S. Agritii auctor illud reperit, sed paucis verbis auxit. Cf. de variis ejus formis Hontheim Hist. I, p. 17. Sybel, Der heilige Rock p. 25, 37, et Die Advocaten des heiligen Rocks, fasc. 2.

(265) *Cum clavo ceterisque reliquiis Domini magnifice d.*, Vita S. Agritii p. 774. In B 5. ubi hoc diploma contin. cap. 18 insertum est, ita legitur : *Translatum ceterisque reliquiis, scilicet tunica et clavo Domini et capite Cornelii papæ et dente sancti Petri et scandaliis Andree apostoli multisque aliis* D *donis m. d.*

(266) De hoc loco cf. notam supra p. 117 editam. Annus aperte falsus est. Agrœtius concilio Arelatensi a. 314 subscripsit; v. Rettberg Kirchengeschichte Deutschlands I, p. 180.

(267) Cf. Vitam S. Agritii p. 778.

(268) *Et — instituit* ex Vita S. Agritii p. 779, ubi ita legitur : *Quod usque hodie monstratur, dum domus beatæ imperatricis Helenæ, quæ rogatu ejus-*

domum beatissimæ [1352] Helenæ, exclusis ab ipsa [1353] cunctis paganismi [1354] spurcitiis, in honore [1355] sancti Petri dedicavit, et caput ecclesiæ Treberensis [1356] ut esset instituit [1357]. Eo (269) tempore Treberis [1358] jussu beatæ Helenæ ecclesia maximi ornatus et structuræ in honorem [1359] sanctæ crucis est ædificata [1360] in modum etiam crucis [1361]. Ipso [1362] etiam tempore apud Confluentiam [1363] monasterium in honore [1364] sancti [1365] Florini confessoris constructum est a nepte [1366] beatæ Helenæ Mathilda nomine. Ossa (270) Mathiæ apostoli juxta corpora sanctorum Eucharii [1367] sociorumque [1368] ejus collocata [1369] sunt, tunica [1370] Domini cum clavo et ceteris reliquiis in domo sancti Petri reconditæ sunt. Sanctus autem Agricius, officio sui pontificatus expleto, migravit ad Dominum, sepultusque [1371] (271) est juxta corpus sancti Eucharii (272). — Cui successit [1372] beatus Maximinus (273), discipulus ipsius [1373], qui Eufratan [1374] Coloniensem hereticum [1375] deposuit, et Severinum in loco ejus * subrogavit. Athanasium [1376] Alexandrinum episcopum, persecutionem Constantii imperatoris [1377] fugientem (*an.* 336-338), honorifice suscepit et [1378] intrepidus. Nam (274) antea toto orbe profugus vagabatur, nec [1379] ullus ad latendum [1380] ei supererat locus. Tribuni, præpositi, comites exercitusque ad investigandum cum [1381] edictis imperialibus [1382] moti [1383], totius [1384] regni viribus concertabant [1385], si quis vivum maxime, sin minus, certe [1386] caput [1387] detulissent [1388]. Verum [1389] Treberis (275) sex annis [1390] ita latuit in lacu cisternæ supra dictæ, non habentis [1391] aquam et plenæ ossibus sanctorum [1392] (276), ut solem numquam [1393] viderit, et (277) ibi fidem [1394] catholicam, hoc est [1395] *Quicumque vult* [1396], composuit. Set (278) cum per mulierem, quæ ei latebram [1397] præbere videbatur, sollicitatus [1398] fuisset, tamquam spiritu Dei admonente, nocte ipsa qua ad eum comprehendendum cum judicibus veniebatur [1399], post tot annos [1400] emigravit [1401] ad alium locum. Igitur (279) beatus Maximinus [1402] ad suos revisendos Aquitaniam [1403] perrexit, ibique Domino se vocante quievit in pace [1404]. — Successit [1405] in episcopatum Paulinus (*circa an.* 350), qui corpus magistri sui per beatum Lubentium [1406] (280) et populum Trebirorum ex Aquitania revexit, et in (281) cimiterio sancti Eucharii [1407] sepelivit. Beatus vero Lubentius** per [1408] revelationem Domini venit in Germaniam [1409], ibi-

B

C

VARIÆ LECTIONES.

[1352] *deest* 2. sancte 5. 6. [1353] ea 6. [1354] paganissimi 1. B6. *corr.* paganissmi 6[b]. paganissimis 1[b]. [1355] honorem 5. 6. B2. [1356] t. e. 6. B2. [1357] constituit 5[b]. B6. [1358] *deest* 2. t. urbs iussu 5. [1359] honore 2? B6. [1360] dedicata B6. [1361] et in m. 6. m. sancte cr. 5[b]. [1362] Ipso—mathilda nomine *desunt* B. C. [1363] in castro *add.* 5, 6. [1364] honorem 6. [1365] sancte virginis Marie (m. v. 5[b]. 6.) constructum 5. 6. constructum *deest* 5[b], *qui pergit:* et a. [1366] nepta 1. 1[b]. [1367] eucharium 1[b]. [1368] que *post add.* 1. et sociorum 5. B. C. [1369] collata 5[c] 6[b]. [1370] tunica — reconditæ sunt *desunt* 5. 6. [1371] que *deest* 5. [1372] successet 1. [1373] i. agricii 5[b]. [1374] eufraten 1[b]. eufratem 5. effrat[h]am 6. — coloniensium 1[b]. [1375] heticum *corr.* hereticum 1. Col. nec dicendum episcopum B. C. — 5[b]. *post* hereticum *addit:* cum aliis multis Gallie episcopis tempore sancti Servacii, qui Servacius primam suam sententiam in Eufratem promulgavit. [1376] athanasium *corr.* athanasiumque C1. *et ita* C3. *sqq.* [1377] 5[b]. *add.:* heretici persecutionem. [1378] *deest* C. [1379] ne 5[a. b]. [1380] ei ad l. 6. [1381] eum inductis i. 6[a]. [1382] inp. *e corr.* 1. imperatoribus 1[b]. [1383] moniti 5. 6. [1384] totis 1. 1[b]. [1385] concertauerunt 1[b]. [1386] *deest* 2. [1387] c. ejus 5. 6. [1388] adtulissent 5[c]. detulisset 5[a]. 6. detulissent *corr.* detulisset C1. *et ita* C3. *sqq.* [1389] Verumtamen 1[b]. [1390] sex continuis a. B. C. [1391] habens 1[b]. et h. 5[b]. [1392] mortuorum 5. 6 [1393] *deest* B6. [1394] ibi psalmum quicumque B. [1395] i. (id est) 5[b]. [1396] salvus esse *add.* 1[b]. 5[c]. salutis esse *add.* 6[b]. [1397] laternam 5[a]. lanternam 5[b. c]. 6. [1398] proditus 2. 6. [1399] ueniebat 1[b]. [1400] post annos 6; *in* 6[b]. sex *post additum.* [1401] migrauit 1[b]. 2. [1402] maximis 1. [1403] in A. 5[a. b]. in cisternam porrexit 5[c]. perrexit in A. 6. [1404] C6. *in margine:* 4 Kalend. Maii. [1405] S. ci in 5[c]. S. episcopus p. B6. [1406] iubentium B2. *et infra.* [1407] macharii 5[a]. [1408] p. r. d. *desunt* 5[b]. [1409] germanie 1. partes germaniæ 1[b].

NOTÆ.

dem mulieris sanctissimæ a beato patriarcha Agricio in honore principis apostolorum Petri in sedem episcopalem metropolis dicata, et incomparabilis meriti thesauro, clavo videlicet ac ceteris Domini reliquiis, est nobiliter ditata specialiterque honorata, prima nimirum Galliæ ac Germaniæ sedes est et vocatur.

(269) Sequentia unde auctor hauserit, nescio.

(270) *Ossa — collocata sunt* cf. Vitam S. Agritii p. 778. *Ossa — reconditæ sunt* in cod. antiquo Sanmathiano deesse, Calmetus monet.

(271) *Sepultusque est in ecclesia quæ est constructa in honore sancti Johannis apostoli et evangelistæ, in qua etiam corpore Trevirorum præsul Maximinus quiescit tumulatus juxta corpus ejusdem gloriosi pontificis. Beato itaque Agritio successit*, etc., cod. S. Math. ap. Calmetum, cujus narrationem Gestorum auctor mutavit. Vita Agritii p. 780, ubi episcopus sepultus sit non dicit.

(272) Cf. Brower p. 225, et præf. p. 120.

(273) Hæc ex Vita Maximini auctore Lupo c. 5, 4 hausta esse videntur.

(274) Quæ sequitur narratio ex Rufini Hist. eccl. X, c. 18 sumpta est.

(275) *Treberis* et *supra dictæ* et *plenæ ossibus sanctorum* auctor Rufini narrationi immiscuit, Vita S. Agritii auctore, qua in puteo illo, cujus supra c. 17 mentionem facit, Athanasius commoratus fuisse narratur, p. 775.

(276) Calmetus hoc loco ita dicit: *L'ancien mss. dit que ce puits étoit rempli d'os des martyrs de la légion Thébéenne, qu'on montre encore aujourdhui ce puits dans l'église souterraine, dédiée à la sainte Vierge dans la basilique de St. Maximin.* Utinam ipsa codicis verba edidisset.

(277) *Et — composuit* ex Vita Agritii l. l.

(278) *Sed — locum* ex Rufino l. l. Hæc desunt in cod. antiquo S. Mathiano, Calmeto teste.

(279) Sequentia — *revexit* in Vita S. Maximini c. 7, 8 fusius narrantur.

(280) Cf. Vita S. Lubentii, Act. SS. Octob. VI, p. 202.

(231) *Et in ecclesia beati Johannis euangelistæ,*

que [1410] super fluvium qui Longana [1411] (282) dicitur A ecclesiam ædificavit; in qua et [1412] requiescit. Præsul vero et martir Christi [1413] Paulinus a Constantio imperatore veræ fidei causa in Frigiam exul destinatur [1414] (*an.* 353-355), ibique pro nomine Christi decollatur et [1415] sepelitur (*an.* 358). Dum enim veram fidem instantius gentilibus [1416] prædicaret, accensis in iram paganis [1417], capite [1418] cæsus est [1419] (283). — Post quem [1420] Bonosius [1421]; deinde Brittonius [1422], de quo [1423] in tripertita historia legitur (284) Brittonius [1424] Romæ fuisse cum Damaso papa: qui (285) ipse [1425] Mars gentiliter appellatur, in nostro [1426] sermone sonat virginem dulcem. Horum temporibus (*circa an.* 380) Greci (286) cum magna manu Treberim [1427] invasere et cædibus et [1428] rapinis et incendiis graviter attrivere.

* B. C. *add.*: per electionem ecclesiæ

** B. C. *add.*: primo quidem in ecclesia super [supra *B4*? 6] montem sita secus oppidum Cuberna (287) vocatum, presbiterii honore præditus, Domino in populo ministravit, postmodum.

20 [1429]. Anno dominicæ incarnationis 406 Maximus (288) quidem [1430] strenuus et Augusto dignus, nisi contra sacramenti [1431] fidem per tirannidem emersisset, ab exercitu in Brittannia [1432] invitus imperator creatus, Treberim [1433] (289) sedem regni constituit. Eodem tempore Priscillianistarum heresis [1434] exorta est a Priscilliano, Habilæ [1435] Hispaniæ [1436] civitatis episcopo (290). Qui (291) mox apud Burdegallensem [1437] synodum condemnatus, Treberim ad Maximum [1438] imperatorem confugit. Ubi errore suo propalato, jussu Ma-

VARIÆ LECTIONES.

[1410] ubique 5[a]. ubi 5[b]. [1411] logona 2. logana 5[a-c]. 6. B. C. [1412] *deest* 5. quo postea defunctus translatus (tr. *deest* B2.) r. B. C. [1413] *deest* 5[b]. [1414] destinatus 1[b]. [1415] ac 6. [1416] gentibus *corr.* gentilibus 1. p. g. 2. 5. 6. [1417] *deest* 5. [1418] *deest* 5. 6. [1419] C6. *in margine*: 2 (5?): Kal. Augusti. [1420] Post Paulinum Bonosius episcopus Treberorum efficitur. Deinde 5[b]. [1421] episc[h]opus *add.* B. C. [1422] britonius 2. 5. 6. [1423] de quo *desunt* B. C. [1424] britonium 5. 6. brittonium 2. B2. C. [1425] *deest* B. C. et ipse 1[b]. [1426] n. vero s. C. [1427] tiberim 5[a]. [1428] *deest* B. C. [1429] *c.* XXXII. *Leibn.* II, c. X. C. [1430] quidam 2? 5. s. q. 6. vir q. s. B. C. *cum Orosio.* [1431] sacramenta 2. 5[b-c]. (s. fidei 5[c].) 6. sacram 5[a]. [1432] brittanni *corr.* brittania 1. [1433] treberi (treveri B6.) B. C. [1434] hereses 1. [1435] babile 4. 5[a-c]. (*corr.* abile 5[a].) 6. [1436] *deest* 2. 5. 6. [1437] *ita* 1. apud degallensem 1[b]. burdegalensem *alii*. [1438] maximinum 6[b].

NOTÆ.

quæ est in suburbio Trevirensi, ubi adhuc corpore B *quiescit, gloriosum præsulem honorifice sepelivit*, cod. S. Math. ap. Calmetum; id quod cum Vita S. Maximini convenit.

(282) Lahn. Ecclesiam Dietkirchen intelligit; cf. Brower p. 255. Vita S. Lubentii l. l. rem aliter narrat, non ipsum Lubentium, sed cadaver ejus huc venisse. Ipsa verba exhibere juvat (edita ex cod. Arnstein. a. 1170): Cadaver ejus quia in ecclesia Cabrunensi reponi haud potuit, in navi positum est et per Mosellam in Rhenum devectum. *Præteriens autem navicula Confluentiam et duos vicos Rheni prope positos, mox directa in flumen quod Logena est dictum et ab oriente in Rhenum influit, ad villam Loginstein, quæ super idem flumen extenditur, applicuit..... Tendens ergo prædicta navicula cum suo rectore absolute per solitudinem ad locum a Deo prædestinatum, acta felicibus austris, flumen Logenæ ascendit; quod adhuc tum temporis undique silvis et montuosis nemoribus obsitum feris et bestiis erat,* C *hominum vero parva frequentia colebatur. Necdum castella tyrannorum nec dura oppida prædonum nec varios usus negotiatorum illa regio habebat..... Est saxum in altum porrectum eminens contra orientem super littus præscripti fluminis, octo circiter miliaria habens a Rheno, super quod oraculum vocabulo Dietkirchen positum fuerat, a suo videlicet auctore Dietgero, ut fama est, nuncupatum. Hic dum olim paulo altius in eadem parte amnis in viculo Derna nuncupato dives pecoris habitaret et eundem collem petrosum, nemoribus obsitum, cælesti splendore sæpius illustrari et angelica visitatione terribilem, servorum relationibus immo experimento cognovisset, oratorium fecit ibidem, ibique quoad vixit Christi gratiam implorans feliciter requievit...* Huc relatus *idem noster patronus in præscripto oraculo humiliter depositus requievit.*

(285) Eadem verba I. Pinius affert ex florario ms. (Acta SS. Aug. VI, p. 672). In Vita ibidem edita D hæc non leguntur. Gestorum scriptor historiam martyrum Trever. præ oculis habuisse videtur, ubi c. 2 (ap. Hontheim Prodr. I, p. 117) Frideburga in monasterio S. Mariæ Horreensi visione monita sororem adiisse narratur, *quæ custos erat armarii, et inveniens..... eam ad armarium, cumulum discussura scedularum, perduxit; nec multa prius librorum volumina revolverant, quam liber unus ymnorum vetustissimus Scotice scriptus in manus veniebat; quo tandem exposito, occurrebat eis frequentius quidam ymnus de sancto Paulino satis magnus, in quo gesta sanctitatis ipsius præclara, etsi compositionis quandam rusticitatem habebant, rerum tamen non minima urbanitate florebant. Referebat enim*, etc.

(284) IX, 14, ubi epistola exstat Damaso, Brittonio aliisque episcopis inscripta. Cf. Rettberg I, p. 195.

(285) Quid hæc sibi velint, equidem divinare nequeo.

(286) Cf. infra c. 22. Codices S. Mathiæ et S. Gisleni Vitæ S. Eucharii Valerii et Materni clausulam addunt, ubi hæc leguntur (Hillar. Vind. hist. Trever. p. 57, 159): *Igitur omnipotens Deus tres plagas, maxime gladium gentilium venire permisit super* (*a*) *regnum christianorum et super* (*b*) *civitatem prædictam* (Trevirorum) *tribus vicibus; prima autem* (*c*) *plaga erat Græcorum sub imperatore Constante* (*d*) *filio Constantini, qui* (*e*) *Arianus effectus est catholicos in toto orbe persequens; secunda quando Wandali et Alemanni Galliarum* (*f*) *regiones sub imperatoribus Arcadio et Honorio Romanorum* (*g*) *vastaverunt; tertia Hunorum sub Attila* (*h*) *rege eorum et sub imperatore Theodosio minore.*

(287) Coverna, Kobern, ad Mosellam.

(288) *Maximus — creatus* ex Orosio VII, 34.

(289) *Treberim s. r. c.* dicit Gregorius Turon. I, 38.

(290) Cf. Sulpitii Severi Hist. sacram II, 47; neque tamen hanc auctori ad manus fuisse putarim.

(291) Hæc maximam partem ex Prosperi Chron. a. 385 sumpta sunt.

(*a*) supra S. *Math.* (*b*) insuper *S. Math.* (*c*) *deest S. Math.* (*d*) Constantio *S. Math.* (*e*) quia S. *Math.* (*f*) Galliæ *S. Math.* (*g*) Romanis *S. Math.* (*h*) Totila *S. Gisl.*

ximi [1438a] ab Evodio præfecto prætorii gladio [1439] addictus est (*an.* 383), cum [1440] Eutrochia Delfidi [1441] rectoris conjuge et Latroniano [1442], Felicissimo (292) et Juliano multisque aliis erroris sui [1443] consortibus. Ad hanc heresim condempnandam [1444] concilium episcoporum famosum jussu Maximi Trebe-
ris congregatum est; inter quos erant Martinus Turonensis [1445] et Ambrosius Mediolanensis*. Ambrosius quoque [1446] Mediolanensis cum (293) venisset Treberis [1447], posttridie [1448] accessit [1449] ad palacium. Postea cum videret eum [1450] Maximus abstinere [1451] ab episcopis qui communicabant ei, et [1452] qui aliquos [1453], devios licet a fide, id (294) est Priscillianistas hereticos, ad necem petebant, ubi et Martinus peccavit [1454], commotus [1455] eis, jussit Ambrosium sine mora regredi [1456]. Ipse vero libenter, etsi eum plerique [1457] insidias evasurum non crederent, iter [1458] ingressus [1459] est, hoc solo dolore [1460] percitus [1461], quod Iminium [1462] episcopum senem in exilium duci comperit. Maximus** imperator cum nollet flecti a sententia sua, mox (295) percussores [his [1463]] pro quibus [1464] Martinus [1465] rogaverat ad Ispanias [1466] direxit. Quod ubi Martinus [1467] comperit, nocte palacium irrupit [1468], spondet [1469] se communicaturum, si tribuni ad Ispanias [1470] missi revocarentur. Nec mora intercessit; Maximus indulget [1471] omnia. Posttridie [1472] Felicis episcopi Trebirorum (296) post Brittonem [1473] ordinatio [1474] parabatur [1475], sanctissimi sane viri et plane digni qui meliori tempore sacerdos [1476] fieret. Hujus [1477] dei communionem [1478] Martinus iniit, satius [1479] aestimans ad horam cedere, quam perituris non consulere. — Hæc [1480] itaque eo [1481] tempore apud Trebiros gerebantur [1482], et hoc ordine sanctus Felix episcopatum [1483] suscepit. Erant [1484] etiam eo [1485] tempore apud Trebiros multi [1486] nobiles et ecclesiastici viri, ille [1487] videlicet presbiter [1488] Iheronimus de Bethleem [1489] et Ausonius Burdegalensis aliique quam [1490] plurimi. Quorum Iheronimus prolixum (297) valde de synodis [1491] librum sancti Hilarii ibidem conscripsit [1492], Ausonius vero libellum [1493] qui dicitur Mosella metrice composuit, et [1494] postea reversus in [1495] patriam grande volumen composuit [1496] ad honorem hujus patriæ (298), quod qui scire voluerit in Burdegala [1497] reperire poterit [1498].

* B. C. *add.*: et Augustinus magnus (299). Quorum Martinus non solum tunc, verum et antea sepius Treberim verbis et signis illustraverat. Puellam [1499] (300) enim paraliticam rogatus a parentibus sanaverat; servum Tetradii consularis a dæmonio liberaverat, ipsumque Tetradium adhuc gentilitate sordentem Christi servum effecerat; patris cujusdam familias servum a diro dæmone [1500] mundaverat. Quodam quoque die dum de metu atque impetu barbarorum subita civitatem fama turbasset, dæmoniacum ad se exhiberi jussit, imperat, ut an verus esset hic nuncius fateretur. Tunc confessus est sedecim dæmonia fuisse quæ rumorem hunc per populum disseminassent ut hoc saltem metu ex illo Martinus oppido fugaretur, barbaros nichilominus [1501] irruptionem cogitare. Itaque cum hæc immundus spiritus media in ecclesia fateretur, metu et turbatione præsenti

VARIÆ LECTIONES.

[1438a] maximini 5b. 6b. [1439] *deest* 5b. [1440] *post suppl.* 1. [1441] perfidi 4. 5. 6. [1442] latiniano 2. latronia 4. 5. 6. — et f. 5. [1443] erroribus suis 1. 1b. 5. — consortitus 1b. [1444] dampnandam 2. 5. 6. plenius c. B. C. [1445] thur. 2. [1446] ergo cum 6. A. q. m. *desunt* 5b. [1447] trevereos B6. trebereos C. *deest* 6. [1448] *ita* 1. 2. *alii hic et infra, deest* 1b. [1449] ad p. a. 5. 6. [1450] m. e. 6. [1451] ab e. abstinere 2. 5. 6. [1452] *deest* 1b. [1453] alios 5. 6. — deviis 2. [1454] deliquit 6. [1455] communicans *e corr.* C. 1. *et ita* C. 3 *sqq.* [1456] regreduipsi *corr.* regredi ipse 1. ingredi 2. 4. 5. 6. [1457] plurimi 2. 5. 6. [1458] et *corr.* iter 1. et 1b. intus 4. 5. *deest* 6. [1459] inegressus 1. i. in hoc 5b. [1460] *e corr.* 1. [1461] percussus 6b. [1462] imineum 6. iumnum? 5a. martinum 5c. [1463] *deest* 1 1b. 2. 4? 5.6. [1464] *deest* 5b. [1465] *deest* 5. [1466] isspanias 1. hispanias 1b. 2 *cett.* ad i. *desunt* B. C. [1467] *deest* 1. 1b. [1468] intravit B. C. [1469] c. se s. 6. [1470] hi[y]spaniam 5. [1471] et i. B6. [1472] Post tridue 1b. Postpridie B. C. [1473] britonem 2. 5. B2. 6. britonum *corr.* britonium 6a. *et ita* 6b-c. [1474] oratio C3. oratio *superscr.* ordinatio C4. ordinatio vel oratio C6. [1475] peragabatur 1b. [1476] f. s. B. C. [1477] Huius — consulere *desunt* B2. [1478] communicationem 2. 5. [1479] satis 5. [1480] Sic 6. [1481] i. a. t. eo t. 2. 5. 6. [1482] *deest* 5. 6. [1483] e. s. f. 6. [1484] *c.* XXXIV. *inc. Leibn.* [1485] eo t. *desunt* 6. [1486] nob. m. 1b. [1487] *deest* 1b. [1488] *deest* B6. [1489] bethlehem 5c. C1. [1490] *deest* 5a-b. [1491] synodo 1b. [1492] conspricsit 1. [1493] libelum *corr.* libellum 1. libelum C5. [1494] et — voulmen *desunt* 5a. et — composuit *desunt* 6. [1495] *deest* 2. [1496] v. ad h. h. p. edidit B. C. [1497] b. civitate C. [1498] potuerit B2. *corr.* poterit C1. burdegala... e p. [re]perire 1b. [1499] puellam — indulget omnia *desunt* B2. *In codice quem sequitur folium defuisse videtur.* [1500] demonio C3. [1501] quam *postea add.* B4.

NOTÆ.

(292) Felicissimum Sulpitius nominat, Julianum neque hic neque Prosper.

(293) *Cum venisset — duci comperit* ex epistol. Ambrosii VII, 6. sumpta sunt.

(294) *Id est Pr. her* et *ubi et M. pecc.* auctor adjecit.

(295) *Mox — non consulere* ex Severi dial. III, c. 12, 13.

(296) *Tr. post Br.* addit auctor.

(297) *Prolixum — conscripsit* ex Hieronymi epistol. ad Florentium, Op. ed. Martianeau IV, 2, p. 6.

(298) Hanc notitiam ex versibus Ausonii male intellectis fluxisse, Wyttenbach putat; v. Mosella v. 394..... *cum facta viritim Belgarum patriosque canam, decora inclyta, mores.* Verbis *hujus patriæ* scriptor Treverensis Galliam Belgicam sive Treverensem intelligere videtur. Cf. Bocking ad Mosellam p. 93.

(299) Augustinum Treverim haud venisse, constat.

(300) Quæ sequuntur ex Sulpitii Severi Vita S. Martini c. 16—18 sumpta sunt.

civitas liberata est. Alio (301) die a Maximo A imperatore multis precibus ad convivium invitatus est. Ad medium fere convivium, ut mos est, pateram regi minister obtulit. Ille Martino pateram dari jussit, cupiens ab ejus dextera poculum sumere. Set episcopus ubi bibit, pateram presbitero suo tradidit, nullum scilicet existimans digniorem qui posset prior bibere. Quod factum imperator et sui mirati sunt, celebreque per palacium sonuit, fecisse Martinum in regis prandio [1502], quod in infirmorum [1503] judicum conviviis episcoporum nemo fecisset. Eundemque Maximum prædixit post aliquot annos in Italia interficiendum; quod et ita contigit. In (302) eadem urbe reginæ obsequiis multum honoratus est.

** B. C. *ita :* Congregati [1504] (303) itaque [1505] apud Trebiros episcopi tenebantur, qui cottidie communicantes Itachio et Achatio communem sibi causam fecerant. Itachius et Achatius episcopi erant, quorum factione Priscillianus [1506] et reliqui occisi fuerant, quorum etiam consilio Maximus tribunos cum summa potestate armatos ad Hispanias [1507] mittere decreverat, ceteros Priscillianistas inquirere, deprehensos bonis et vita privare. His ubi nuntiatum est advenire Martinum, ineunt cum imperatore consilium, ut missis obviam officialibus [1508] urbem illam propius vetaretur [1509] accedere, nisi se cum pace [1510] episcoporum ibi consistentium affore fateretur; quos ille callide est frustratus. Profitetur se cum pace Christi venturum. Postremo ingressus nocturno tempore adiit ecclesiam tantum orationis gratia, postpridie palacium petiit. Preter multas, quas evolvere longum est, has principales peticiones habebat, pro Narsete comite et Leochadio præside, qui C ambo fuerant partium Graciani, quem dux Maximi Andragathius occiderat; et ne tribuni ad Hispanias cum jure gladiorum mitterentur. Pia enim erat sollicitudo Martino, ut non solum christianos qui sub illa erant occasione vexandi, set ipsos quoque hereticos liberaret. Set primo die et altero Maximus distulit ejus preces admittere, cum interim episcopi, quibus Martinus communicare nolebat, cum fletibus Maximum implorant, ut uteretur adversum [1511] hominem vi sua. At ille vim quidem sancto viro noluit inferre, tamen secreto accersitum blande appellat, hereticos jure damnatos a judicibus publicis potius quam a sacerdotibus [1512] edicit, non esse causam, quod [1513] Itachii [1514] ceterorumque partis ejus communionem vitare deberet. Quibus cum Martinus parum moveretur, rex ira accenditur, ac se de conspectu ejus abripuit, et mox

21. Quadam die [1515] Maximus imperator ad spectandos ludos circenses ad amphiteatrum egressus est (304). Tunc quidam ex militantibus palacio [1516], nomine Pontianus [1517], cum aliis [1518] tribus contubernalibus suis exivit [1519] deambulatum in hortos [1520] muri [1521] contiguos. Illic forte uno [1522] eorum secum [1523] subsistente [1524], alii duo venerunt ad cellam sancti Eucharii, ubi habitabant servi Dei [1525] pauperes, qualium est regnum cœlorum, et invenerunt ibi [1526] codicem, in quo scripta erat vita Antonii [1527]. Quam unus eorum cœpit legere et mirari B et accendere [1528] repletus Spiritu sancto. Et [1529] mox elevatis oculis ad socium suum, ait illi [1530] : *Dic, quæso te, si non videtur tibi* [1531] *esse* [1532] *melius huic Deo servire, qui talem habet famulum, quam regi mortali inaniter militare.* Dixit [1533] et hoc turbidus parturitione novæ vitæ. Reddidit [1534] et oculos paginis [1535], et legebat, et mutabatur intus, et exuebatur mundo [1536] mens ejus. Nam dum [1537] legeret, infremuit , et ait amico suo : *Ego jam* [1538] *abrupi* [1539] *me ab illa spe nostra, et Deo servire statui, et hoc* [1540] *ex hac* [1541] *hora in hoc loco* [1542] *aggredior; te* [1543] *si piget imitari* [1544], *noli aversari* [1545]. Tunc ille respondit : *Adhærebo* [1546] *et ego tibi, nec ultra te in talem militiam* [1547] *deseram.* Tunc Pontianus [1548] et C qui cum eo erant per [1549] alias horti partes deambulabant, quærentes eos, deveneruntque [1550] in eundem locum, et ammonebant eos ut redirent, quod [1551] jam [1552] declinasset dies. At illi narraverunt eis [1553] qualis eis voluntas [1554] orta esset atque fortuna, [1555] et [1556] petierunt ne eis molesti essent. Tunc cœperunt flere, et [1557] pie illis congratulati [1558] sunt, et commendaverunt se orationibus eorum, et reversi sunt in [1559] palacium ; illi autem manserunt in eodem loco. Habebant enim [1560] ambo sponsas, quæ, posteaquam [1561] hoc audierunt, etiam ipsæ virginitatem suam Deo dicarunt [1562].

VARIÆ LECTIONES.

[1502] *deest* B6. *spacio vacuo relicto.* [1503] inferiorum B4. [1504] *c.* XXXIII. *Leibn.* II, c. XI. C. [1505] igitur C. [1506] princillianus B6. [1507] hyspaniam C. [1508] officionalibus B6. [1509] vitaretur B4. 6. *corr.* uetaretur C1. [1510] pacem B6. [1511] adversus C. [1512] debere puniri *in marg. add.* C1. *et ita* C3. *sqq.* [1513] qua C. [1514] ithacii B. 6. [1515] *deest* 5b. [1516] pacio *corr.* palacio 1. [1517] ponticianus 1. [1518] tr. a. 2. [1519] *deest* 2. [1520] hortus *corr.* hortos 1. ortos 5a·b. 6. [1521] muro 5a·c. muros *corr.* muro 6a. *et ita* 6b·c. muris 5b. B. C. *cum Augustino.* [1522] uni B2. Illi fore uno 1b. [1523] scũ 1b. *deest* 2. 5. 6. [1524] *e corr.* 1. C1. [1525] *deest* 1b. [1526] *deest* 5. 6. [1527] anthonii 5a·b. sancti A. B. C. [1528] *deest* 2. 5. 6. accendi B2. accendere *corr.* accendi C1. *et ita* C3. *seqq.* [1529] *deest* 5. 6. [1530] *deest* 5c. [1531] *e corr.* 1. [1532] m. c. B. C. [1533] Dixit ergo et 1. 1b. [1534] reddit 6. [1535] pagine 1b. 5. 6. [1536] *deest* B. C. [1537] cum B6. [1538] Eam 2. [1539] abripui B. C. [1540] *deest* 5. 6. [1541] *deest* B6. [1542] *deest* 5a·b. hora hoc ag. 6. — aggrediar 2. [1543] et si te puget 5b. [1544] immitari 1. [1545] adversari 5. 6. auersari *corr.* adversari C1. *et ita* C3. *sqq.* [1546] *deest* 5a. [1547] tali militia 5. 6. talem miliciam *corr.* tali milicia C1 *et ita* C3. *sqq.* [1548] pontitianus 1. [1549] perambulabant horti (orti 5a·b. 6.) partes q. 2. 5. 6. [1550] veneruntque 5. [1551] eo quod 5. 6. [1552] d. i. 6. [1553] *deest* 2. 6. ei 5. [1554] eis esset o. v. 2. 5. 6c. o. e. v. 6a·b. [1555] fortima 1. formata B. C. firmata *August.*, *quoa* 1. *depravasse videtur.* [1556] ac 1b. [1557] pie et 1b. [1558] gratulati 1. 1b. 5. [1559] a l 6. [1560] autem 6. [1561] postquam 1b. B2. hoc *deest* 5. [1562] dedicarunt 5a·b. dicaverunt B. C.

NOTÆ.

(301) Ibidem c. 20.

(302) Ei. dial. II, 6.

(303) Hæc omnia ex Severi dial. III, c. 11, 12 sumpta sunt.

D (304) Hæc narratio ex Augustini confessionum libr. VIII, c. 6, § 15 hausta est. Sed verba *ad amphitheatrum* et infra *cellam S. Eucharii* auctor de suo adjecit, alia paululum mutavit.

22 [1563]. Maximus [1564] (305) imperator de Treberi cum magno [1565] exercitu se [1566] movens, Victorem filium suum [1567] in infantili ætate imperatorem constituit, eique tutores Quintinum et Namneum [1568] principes Trebirorum [1569] reliquit. Ipse deinde a Theodosio in Italia peremptus est, filius quoque ejus gladio [1570] in gratiam Theodosii occisus est.—Jam nunc [1571] aliquid de sancto Felice dicamus [1572]. Hic fecit basilicam grandem [1573] in honore [1574] Dei genitricis in campo Martio 410 [1575] pedum longitudinis, 120 latitudinis (306), in qua corpora martirum a Rictiovaro [1576] passorum, ad [1577] usque sua tempora disjecta et incomposita, honorifice tumulavit. Corpus quoque sancti Paulini [1578], quod suo tempore populus [1579] Trebirorum cum copiis ex toto regno adunatis de Frigia detulerat, facta cripta in eodem monasterio, medio criptæ cum ferreis catenis suspendit (307). Ipse (308) quoque [1580] post annos 12 [1581] sacerdotii sui [1582] in dextro [1583] cornu ejusdem [1584] ecclesiæ sepultus est [1585]. --Eodem tempore sub Theodosio majore Franci (309) cum ducibus suis Sunnone et Gundebaudo in Germania [1586] prorumpentes pagosque [1587] depopulantes, etiam Coloniæ metum incussere [1588]. Quod cum Trebereos [1589] perlatum fuisset, Namneus [1590] et Quintinus, quos supra diximus, quibus infantiam [1591] filii et defensionem Galliarum Maximus commiserat, collecto exercitu Francos de Germania [1592] ejecerunt [1593], et apud Carbonariam silvam magna strage eos [1594] vicerunt. Hinc ortum est odium Francorum contra Trebiros [1595], et ex [1596] hoc deinceps Reno [1597] transmisso in (310) terra Trebirorum hiemare [1598] præsumpserunt [1599]. — Post hæc igitur [1600] temporibus Honorii imperatoris Crocus [1601] (311) rex Wandalorum cum Suevis [1602] et Alanis [1603] egressus [1604] de sedibus suis, Gallias appetens, consilium [1605] matris nequissimum utens, dum ei dixisset : *Si novam rem vis* [1606] *facere et nomen adquirere, quæ alii ædificaverunt cuncta destrue, et populum quem superas interfice. Nam nec ædificia meliora ac preciosiora facere potes* [1607], *neque plus rem magnam* [1608], *per quam* [1609] *nomen tuum eleres.* Qui Renum apud Mogonciam [1610] ponte ingenioso [1611] transiens, primum [1612] ipsam civitatem cum populo ejus delevit, deinde cunctas [1613] quasque [1614] civitates Germaniæ vallans [1615], Mettis [1616] pervenit; ubi murus [1617] civitatis divino nutu ruens, capta est civitas a Wandalis. Deinde (312) urbem Trebirorum, vix jam [1618] a persecutione Grecorum respirantem, pari obsidione vallatam cepit, et magna ejus ædificia [1619] ad solum dejecit. Civium [1620] pars aliquanta [1621] in harena civitatis, id est in amphiteatro [1622], quam munierant, liberata est. Post hæc cunctas civitates Galliarum Crocus [1623] pervagans, Arelatum [1624] obsedit, ubi a quodam milite Mario [1625] captus, et in vinculis constrictus, per cunctas civitates [1626] quas vastaverat ductus, impiam vitam digna morte finivit

VARIÆ LECTIONES.

[1563] *c.* XXXV. *Leibn.* II, c XII. C. [1564] *e corr.* 1. [1565] maximo 5. 6. B. [1566] *deest* (1?) B. C. se m. *desunt* 5b. victorem — tutores *desunt* 5. [1567] s. f. 6a. in *deest* 2. 6. [1568] mãneum 5. mammeum 6. [1569] *deest* 5c. [1570] in gr. t. gl. 1b. [1571] nunc ad superiora redeamus et aliquid C. [1572] *e corr.* 1. [1573] quandam 5a. [1574] honorem 2. 5. 6. g. d. 1b. [1575] CCCX. 6. [1576] rictiovario 5b. [1577] u. ad 6. tempora *deest* 5c. [1578] pauli 6c. [1579] treberorum p. 6. [1580] *deest* 5. 6. [1581] XII. a. 6. B. C. [1582] *deest* B. C. [1583] c. d. 6. sinistro B. C. — *In cod.* 1b. *gl. sec. man. addita est :* i. e. ad aquilonarem plagam chori. [1584] *deest* 2. [1585] *deest* 5. s. e. *desunt* 5b. est s. 6c. [1586] germaniam 5. 6. [1587] paganosque 1. 1b. pagos 5. 6. [1588] incusserunt B. C. [1589] treberis 2. 5. 6. B2. tr. cum. 2. 5. [1590] mãneus 5a b. mamneus 5c. B6. mammeus 6. nammeus B2. [1591] in franciam 5a b. infancia 5c. in faciem B2. q. maximus comm. i. f. et d. g. collecto C. [1592] de g. *desunt* B2. [1593] deiecerunt B2. fr. deiecerunt germ. B6. [1594] eos strage 6. B. C. [1595] treberos 1. *hoc loco.* [1596] de 5a. [1597] t. r. B. C. [1598] ihemare 1. hiemantes 1b. [1599] non p. 5. 6. ceperunt B. C. [1600] Hoc i. tempore 5b-c. anno domini CCCCXIII. *add.* 5a. scilicet anno domini IXcXIII. *post* imperatoris *add.* 5b. anno Domini CCCCXIIII *post.* sedibus suis *add.* 5c. [1601] crocius 6a. [1602] sweuis C. 1. [1603] lanis *corr.* alanis 1. alamannis 1b. 5. C. alemannis 6. [1604] e. est 6. [1605] consilio m. nequissimo 2. 5. 6. consilium m. nequissimum *corr.* consilio m. nequissimo C1. *et ita* C3. *sqq.* [1606] vis *post suppl.* 1. *et ita* 1b. 2. 5. 6. volueris B. C. [1607] poteris 1b. 5. [1608] m. r. B. C. [1609] *e corr.* 1. [1610] mogontiam 1. magunciam 5a-b. moguntiam 5c. 6. — ponto 1b. [1611] i. facto B2. [1612] primo 5a. C. [1613] cunctasque c. B6. [1614] quascunque 5. *deest* 6. [1615] vallens *corr.* vallans 1. [1616] metis 2. 5 (methis 5b.). B2. metus B6. [1617] muro c. n. d. ruente 6. [1618] *deest* 6b. [1619] *deest* 5. ejus *deest* 5b. magna ex parte ad 6. [1620] Cujus *post corr.* Ciuium 1b. [1621] aliquanto *corr.* aliquanta 1. [1622] amphiteatrum 1. amphiteatra q. munere (*sed post corr.*) 1b. [1623] crocius 6a. [1624] arelanum 5a. 6b. [1625] *deest* 5c. marcio B6. [1626] galliarum *add.* 2. 5. 6.

NOTÆ.

(305) *Maximus—occisus est* ex Orosio VII, 35 et Gregor. Turon. II, 19 noster conflavit; sed verba *principes Trebirorum* ipsius sunt.

(306) Ita Vita S. Felicis (Acta SS. Mart. III, p. 623) : *Ampla satis et magnifica in eadem civitate ecclesia, copiosis ab eo sumptibus in honore sanctæ Dei genitricis martyrumque Thebeæ legionis constructa; ..... quadringentos enim et decem pedes in longitudine, centum vero et viginti habere illam fecit in latitudine.*

(307) Quæ hic de S. Felice narrantur ex tabula illa plumbea a. 1071. inventa manarunt, quam etiam Vita S. Felicis secuta est; cf. etiam Vita S. Agritii Jan. I, p. 775, et quæ de hac narratione Hontheim Prodr. I, p. 91 sqq. dixit.—Ecclesia postea S. Paulini nominata est. Aliter vero res in Vita Paulini narratur (Act. SS. Mai. VI, p. 678) : *Exstat ergo non longe ab oratorio beati Maximini basilica in honore sanctæ Dei genitricis dedicata admodum præclara, in qua deponentes corpus sanctissimi pontificis, locum inibi decrevere fieri sepulchri exstruentesque cryptam, ossibus ejus satis habilem, in sarcophago cum catenis ferreis in cryptæ medio pendere fecerunt.*

(308) Hæc ex Vita S. Felicis sumpta esse videntur.

(309) *Franci — Quintinus* et *collecto — vicerunt* ex Fredegarii Hist. ep. c. 3.

(310) *In — præsumpserunt* ex Fred. l. l. c. 4.

(311) Hæc ex Fredegarii lib. III, c. 11 (ap. Canisium ed. Basnage II, 1. p. 191).

(312) *Deinde — dejecit* de suo auctor adjecit, et mox verba : *id est in amph.*

—Paulo (313) post [1627], regnante [1628] Theodosio minore [1629], Attila [1630] rex Hunorum civitatem Trebirorum bello optinuit, eamque [1631] graviter depopulatus est. Post mortem autem Valentiniani, qui post Theodosium cum Martiano imperavit, Avitus [1632] suscepit imperium; sub quo civitas Trebirorum ludibrio [1633] patuit Francorum. Erat (314) in urbe senator nomine Lucius, qui habuit uxorem pulcherrimam, in quam [1634] deperiit Avitus amore turpi [1635]. Simulans igitur infirmitatem, præcepit ut omnes senatrices urbis eum visitarent. Venit inter alias uxor Lucii, et ab eo stuprata, silenter domum [1636] revisit mariti. In crastino [1637] surgens de stratu [1638] Avitus, dixit ad Lucium [1639]: *Pulchras habes termas* [1640], *set frigido* [1641] *lavas*. Hinc Lucius indignatus, urbem prodidit [1642] Francis, a quibus directa est, multisque necatis et [1643] incensa. Treberi capta [1644], etiam Coloniam Franci cepere [1645] (315). Sic [1646] finitum est nomen [1647] et regnum Gallorum et Germanorum, et ortum est Francorum.

23 [1648]. Post obitum sancti Felicis, ut ad id redeamus a quo [1649] paululum recessimus, Mauricius Trebirorum præsul efficitur (316). Post quem sanctus Legontius [1650]; deinde sanctus [1651] Auctor (317); post quem sanctus [1652] Severus [1653]. Hic (318) apostolicis viris per omnia coæquandus, Germaniæ verbum Dei [1654] prædicavit, et cum beato [1655] Germano Parisiorum episcopo et Lupo Trecassino [1656] in Brittannia [1657] Pelagianam heresim destruxit. Cui successit beatus Cirillus. Hic cellam sancti [1658] Eucharii incensam et desertam reparavit, monasteriumque [1659] non longe a priori [1660] loco constituit, et illuc [1661] corpora sanctorum [1662] Eucharii et successorum [1663] ejus transtulit (319); juxta quos et ipse requiescit [1664]. Cirillum [1665] Jamnerius [1666] (320), Jamnerium Emerus [1667] subsecutus [1668], Marum post se constituit: qui monasterium sancti Paulini a barbaris cum prædictis urbis [1669] vastationibus desolatum reparavit; ubi et ipse sepultus [1670] requiescit [1671] (321). Cui successit Volusianus. Hic [1672] privilegium dudum a papa Silvestro huic urbi per beatum Agricium delegatum, set jam [1673] suo tempore Romæ deletum, Romano [1674] pontifici [1675] rescribi fecit (322), et honorem priscum suæ civitati renovavit [1676]. Post quem Miletus [1677] ecclesiam rexit; post [1678] Modestus; deinde Maximianus; post quem Fibicius [1679], cui successit Abrunculus [1680]; deinde Rusticus. Hic primo reprehensibilis, set postea [1681] per beatum

VARIÆ LECTIONES.

[1627] anno domini CCCCXXVII. *add.* 5ª. *post* Theodosio 5ᶜ. scilicet anno domini IXᶜXXVII. *post* minore 5ᶜ. [1628] imperante 6. [1629] *deest* 5ᵇ. [1630] attilla 1. attilia 5ᵇ. attila *superscr.* hezelo B2. — hun. rex 2. 5. 6. [1631] et 5ᵇ. [1632] proavitus 5. 6. *et ita infra.* [1633] p. l. 6. [1634] qua *corr.* quam 1ᵇ. [1635] *e corr.* 1. [1636] ad d. misit 5. [1637] crastina *corr.* crastino 1. [1638] s. suo B. C. de s. *desunt* 2. 5. 6. [1639] luciam *corr.* lucium 1. [1640] *e corr.* 1. t. (turmas B2.) h. B. C. [1641] in f. 5. [1642] f. p. 6ª·ᵇ. fr. tradidit 5. [1643] *e corr.* 1. *deest* B. C. [1644] incensa trebere captamque col. 5. inc. treberi captam etiam 6. captam *ut videtur corr.* capta C1. [1645] diripuere 6. ceperunt B. [1646] Sicque 5ᵇ. [1647] nomen et *desunt* 5ª·ᵇ. nomen *deest* 5ᶜ. [1648] *c.* XXXVI. *Leibn.* — Explicit lib. III, *quarto hoc loco incipiente* 6ᶜ. [1649] r. unde 6. [1650] leguntius 5. 6. leoncius B2. ligontius C. — Deinde post Mauricium efficitur presul Treberorum sanctus Leguntius. Deinde post illum Auctor. Post illum Severus 5ᵇ. [1651] *deest* 2. 5. 6. B. C. [1652] *deest* 2. 5. 6. [1653] *e corr.* 1. [1654] *deest* 1. [1655] *deest* 5. 6. [1656] trecassano 5ᵇ. trecasseno B2. trecaseno B4. 6. *corr.* trecassino C1. [1657] britanniam 5ª·ᶜ. [1658] beati 5ᵇ. [1659] m. quoque B2. [1660] priore 5ª·ᶜ. 6. [1661] illic B6. [1662] *deest* 5ᵇ. [1663] successorumque 6. [1664] requieuit 6ᵇ. [1665] Quirillum B2. 4. 6. Post cyrillum C. — Cirillum — requiescit *desunt* 5ᶜ. [1666] *deest* B2. lannerius. lannerium 2. 5ᶜ. lamnerius. lamnerium 5ª. 6. B6. et post iamnerium C. [1667] emerius 2. 5. 6. [1668] est s. 6. qui marum 5. 6. marium 2. [1669] urbem 1. vastatoribus 5. 6. vast. urbis 6. [1670] *deest* 5. [1671] quiescit 6. — Huic s. 5ᵇ. [1672] Qui B2. [1673] suo iam 5. 6. [1674] a. r. 6. [1675] pontifice 5. 6. — describi 5ᶜ. *ubi mox* pristinum. [1676] Post hunc Hildolphus (hildolfus 6.) deinde Severinus *add.* 5. 6. [1677] militus 5ᶜ. *ubi mox* maximinus. [1678] post illum 5ᵇ. post quem B. C. [1679] fibictus B2. [1680] arunculus 5ᵇ. aprunc. 5ᶜ. [1681] post 5ª·ᶜ. *deest* 2. 5ᵇ.

NOTÆ.

(313) Hæc unde sumpserit scriptor, nescio. Fortasse cum totam Galliam ab Hunis legeret esse eversam, hæc probabili satis conjectura etiam ad Trevirensem urbem referebat; cf. Brower p. 288.

(314) Hæc — *incensa* ex Fredeg. hist. ep. c. 7.— Browerus p. 296 ita dicit: « venere ..... in manus membranæ provinciarum Romanarum pervetustæ bibliothecæ Cusanæ, quæ hanc Lucii senatoris memoriam et Trevirorum catastrophen ad Hypatii veteris historici fidem relegabant, unde ..... alios sumpsisse credibile est. »

(315) Gesta Francorum, c. 8

(316) Cf. de his nominibus catalogos ab Hontheimio aliisque editos.

(317) S. Auctoris Vita post translationem corporis celeberrimam a. 1115 scripta (Act. SS. Aug. IV, p. 45. Gestorum scriptor uti non potuit.

(318) *Hic — destruxit* fortasse ex Bedæ Hist. eccl. Angl. I, c. 21 sumpta sunt; cf. Vitam S. Germani Antiss. Acta SS. Jul. VII, p. 216.

(319) Brower p. 297 perantiquos affert versus, quibus veteris basilicæ a Cyrillo reparatæ monumenta fuisse illustrata opinatur:

Quam bene concordes divina potentia jungit
Membra sacerdotum quæ ornat locus iste duorum,
Eucharium loquitur Valeriumque simul.
Sedem victuris gaudens componere membris,
Fratribus hoc sanctis ponens altare Cyrillus,
Corporis hospitium sanctus metator adornat.

(320) Fortasse idem ille Jamblichus quem Auspicius carmine laudavit; Hontheim Hist. I, p. 20.

(321) Cf. brevem narrationem de S. Maro ex cod. S. Maximini Act. SS. Jan. I, p. 730 editam, quam tamen Gestis nostris recentiorem putarim.—Brower, p. 299 inscriptionem sepulcralem exhibet, qua legitur: *Cuncta ejus Vitæ liber habet.* Sed Gestorum scriptori si Vita talis ad manus fuisset, certe plura ejus facta retulisset.

(322) Cf. diploma supra c. 18. In codice Virdunensi, quem Calmetus et Wilthemius viderunt, legitur: *Privilegium quod Volusianus archiepiscopus conscribi jussit;* v. Calmet Hist. de Lorraine I, p. 11 n. et Hontheim Hist. dipl. I, p. 17 n.

Goarem [1682] correctus, in ecclesia beatæ Mariæ quæ vocatur Litus ad [1683] martires 7 [1684] annis reclusus [1685] pœnitentiam gessit [1686] (323). Quo decedente, Aponoculus successit; cujus [1687] temporibus Arvernensis [1688] ecclesiæ Illidius sacerdos exstitit [1689]. Cujus (324) fama cum per diversos ecclesiæ evehitur [1690] ascensus, etiam vicinarum urbium fines penetravit. Unde factum est ut hæc gloria cum Trebirici imperatoris aures attingeret, cujus filia a [1691] spiritu immundo vexabatur, et non inveniebatur a quo posset erui, beatum Illidium fama detexit. Et dicto citius ab imperatore directi pueri sanctum senem Arvernis [1692] repertum Treberis regi repræsentant [1693]; a quo venerabiliter recipitur [1694]. Rex de exitu infelicis conqueritur filiæ. Ille vero confisus in Domino, orationi tota [1695] nocte incumbit [1696], deinde missis in os puellæ digitis, nequam spiritum a [1697] corpore abegit [1698] obsesso. Quod miraculum imperator cernens, immensos auri argentique [1699] cumulos sacro offert [1700] sacerdoti. Quos ille refutans, obtinuit hoc, ut Arverna [1701] civitas, quæ [1702] tributaria in specie triticea ac vinaria dependebat, in auro solveret, quia [1703] cum gravi labore penui [1704] inferebantur imperiali. Sanctus vero Illidius, impleto vitæ præsentis tempore, in ipso vitæ [1705] curriculo migravit ad Christum, a suisque delatus in urbe sua est sepultus [1706].

24 [1707]. Eo [1708] (325) tempore Theodericus [1709] rex ex civibus Arvernis [1710] clericos multos adduxit, quos Trebericæ ecclesiæ ad reddendum Domino famulatum jussit assistere. Beatum vero Gallum nequaquam passus est a se separari. Defuncto vero Aponoculo episcopo, congregati clerici [1711] Treberici ad Theodericum regem, sanctum Gallum petebant [1712] episcopum. Quibus ille ait: *Ite et alium requirite, Gallum enim diaconum alibi habeo destinatum.* Tunc eligentes [1713] sanctum Nicetium [1714] episcopum statuerunt, abbatem (326) urbis Lemovicinæ (*circa ann.* 530). — Cui (327) successit Magnericus (*circa ann.* 570), discipulus ejusdem Nicetii [1715]. Cujus (328) temporibus in parrochia [1716] Trebirorum magnæ sanctitatis viri [1717] claruerunt; videlicet Paulus super montem Cebennam [1718], qui ex [1719] ejus nomine hactenus Pauli mons [1720] vocatur (329), Ingobertus, Disibodus [1721], Wandelinus [1722], Carilelfus [1723], et quidam Longobardus [1724] nomine Vulfilaicus [1725], et presbiter [1726] Bantus, ejusque [1727] germanus nomine et opere Beatus, aliique quam [1728] plurimi heremiticam vitam ducebant. Hic (330) Magnericus episcopus templa [1729] antiqua Dei in priscum renovavit honorem, et in honorem [1730] beati Martini [1731] ecclesiam construxit, unam in monte in pago Vabrensi [1732] (331), alteram in villa quæ Carta [1733] domus dicitur (332), terciam * in ipsa

VARIÆ LECTIONES.

[1682] goarum 5b. 6a. gainem 5c. gnarem B2. [1683] super B6. [1684] IIIIor B6. [1685] clusus *corr.* reclusus 1. [1686] egit B2. — 5b. *addit :* Hec correctio ita accidit. Cum sanctus Goarus in cellula super littus Reni circa fluvium que Wocara dicitur morabatur, multas ibidem reliquias — bona [illegible] pace quievit *ex vita S. Goaris antiquiore ; et ita pergit :* Defuncto Rustico Apponoculus. [1687] cuius temporibus — *c.* 24. a se separari *desunt ap. Dach., leguntur vero in* 6a. *et* 6b. [1688] avernensi 2. 5. 6 arvernensi B 2. C 1. avernensis B 6. C 3. [1689] prefuit 6. sac. ext. ill. 5. [1690] evegitur B 2. [1691] ab B 2. [1692] avernis 2. 5. 6. [1693] presentant 6. [1694] excipitur 2? 5. 6. B. C. [1695] in tota B 6. [1696] incubuit 2. 5c. B 2. [1697] ab B 2. [1698] egit B 2. [1699] et argenti 6. [1700] offret 1. [1701] arvenna 5a.b. 6a. [1702] tributa que 6. [1703] que *corr. al. manu* quia 1. [1704] penurii 1. gravi penuria inferebantur (inferebatur 6.) i. 2. 5. 6. i. curie 6. [1705] v. presentis 1. 2. presentis v. 5a. b. anni 6. pr. t. in i. v. *desunt* 5b. [1706] s. est 5a. c. B 2. 4. C. del. est in u. s. s. 5b. [1707] *c.* XXXVII. *Leibn.* [1708] Eodem B6. [1709] theodricus 1. 5a. *sæpius.* [1710] aruennis *post corr.* 1b. avernis 2. 5. [1711] tr. cl. 6. [1712] pendebat 1. 1b. e. p. B. C. [1713] clientes 1. [1714] niceeium 1. 1b (*ubi mox* lemonicie). niceetum 2. [1715] niceetis 1b. niceeii 2. neeetii 5b. [1716] parrochiam 6c. [1717] *deest* 5b. [1718] eebenam 1. 1b. [1719] *deest* 5. 6. [1720] m. p. 6. B 2. [1721] disiobertus 2. disibocus 5a. disobocus 5b c. disigotus 6a. b. dissigodus 6c. disobodus B 4. 5.—B 2. *vero ita:* et sanctus Dysibodus. Cujus nomine et virtutibus nunc mons clarus habetur, in quo isdem Dei famulus heremiticam vitam peregisse noscitur, ubi et eius felices reliquie recondite sunt. [1722] uandelinus 1. wandalinus B. C. [1723] caritbelphus 5b. carileffus B (carilestus B 6.). C. [1724] langobardus 5c. 6. [1725] wolfil. 2. 5. 6. B. C. [1726] brebiter 1. et p. *desunt* 1b. — Vantus 5c. [1727] eiusdemque 2. [1728] *deest* B. C. [1729] a. d. t. 6. [1730] honore 2? B. C. [1731] marti 1. [1732] uaberensi 6c. [1733] cara 5. 6.

NOTÆ.

(323) Cf. Vitam S. Goaris c. 11. 12. ap. Mabillon Act. SS. ord. S. Ben. II, ubi Goar septennem pœnitentiam pro episcopo spopondisse narratur. De Rustici tempore cf. Rettberg I, p. 465.

(324) *Cujus — sepultus* ex Gregorii Tur. libro De Vita Patrum, c. 2.

(325) *Eo — Nicetium* ex Gregor. Tur. De Vita Patrum, c. 6.

(326) Cf. ibid., c. 17.

(327) Hæc ex vita S. Magnerici sumpta sunt, quam Eberwinus s. x. scripsit, Acta SS. Jul. VI, p. 285.

(328) V. Vitam l. l. p. 188 ubi hæc leguntur: *Paulum, Ingobertum, Disibodum, Wandalinum, Vosago in ejus episcopio comperimus militasse. Siquidem ipse saltus ab Alpibus et Jurano monte incipiens, ad Trevericæ urbis proximos pene usque fines pertingit, sed per extenta montium juga septemtrionens per decursum Rheni late protenditur..... Sed et in confiniis ejusdem Vosagi quæ Trevericæ adjacent civitati aliqui ex ipsa urbe vasta eremi, quæ tunc silvosa et inculta, nunc autem sarta videntur, expetentes.* Antea de Carileffo, nunc de Banto et Beato, post de Vulfilaico loquitur.

(329) Intelligendus esse videtur ille mons qui hodie dicitur partim S. Marci (Marcsberg), partim vere S. Pauli (Paulusberg, vulgo Pulsberg). Fortasse hæc regio montana a vico Zevene, Cevena (h. Zeben) ad radicem hujus montis sito, nomen suum accepit. Wytt.

(330) Ex Vita l. l. p. 191.

(331) Inter Mosam et Mosellam, *pays de Vaivre* Gallice dictus.

(332) Cardona, Carden ad Mosellam; cf. Vita S. Castoris Act. SS. Febr. II, p. 666: *Est enim locus, ut pluribus notum est, admodum angustus supra ripam Mosellæ situs, montibus inclusus ; unde, sicut in quibusdam scripturis legimus, Carta domus quasi coarta appellabatur antiquitus.*

urbe (333), in qua et [1734] ipse post expletum vitæ suæ [1735] cursum tumulatus est [1736]. — Cui successit Gaugericus, discipulus ejus (334), qui in castro Trebirorum ** fuerat educatus. Hoc [1737] quoque mortuo, Sabaudus [1738] pontificium [1739] subiit. Post quem Severinus ecclesiam rexit ***. — Deinde Modowaldus [1740] (335) episcopatum suscepit [1741] temporibus [1742] Dagoberti [1743] (*circa ann.* 620). Qui videlicet Dagobertus [1744] plurima beneficia Trebere nsi [1745] ecclesiæ contulit et beato Modowaldo *1 (336). Isdem enim pontifex in palacio [1746] Dagoberti [1747], quod [1748] vocatur Orreum [1749], ecclesiam [1750] in honorem beatæ Mariæ virginis construxit (337); ubi et [1751] congregationem virginum instituit [1752], quarum *2 matres fuerunt Irmina (338) et Modesta, filiæ [1753] Dagoberti. Itemque [1754] aliam in palacio antiquo [1755] in suburbio sito (339) congregationem constituit [1756], quibus matrem *3 Basilissam præfecit; et [1757] ecclesiam sancti Martini [1758] in pago Megine [1759] (340). Item *4 construxit ecclesiam sancti Simphoriani ad litus Mosellæ (341), ibique [1760] congregationem virginum constituit [1761], quarum matrem sororem [1762] suam Severam nomine instituit [1763]. Hujus [1764] temporibus Paulus inclusus supradictus migravit ad Theolegiam [1765] (342), quod præfatus [1766] Dagobertus [1767] rex in suo proprio A construxerat, et ibi [1768] aliquantulum mansit; postea vero ecclesiæ [1769] Virdunensis curam suscepit regendam [1770], ibique quievit. Sanctus quoque Modowaldus postquam sororem suam beatam Severam, cœlesti sponso eam [1771] vocante obeuntem, in ecclesia [1772] sancti Simphoriani [1773] tradidit sepulturæ [1774], paulo post et ipse migravit ad Dominum, et in eadem ecclesia juxta eam [1775] sepultus est (343). — Huic [1776] successit Numerianus; cui Basinus *5; post quem [1777] Liutwinus [1778], Basini [1779] ex sorore nepos. Hic (344) primo [1780] Belgicæ [1781] Galliæ dux, omnia monasteria hujus urbis largissimis [1782] honoravit donariis et [1783] prædiis [1784] auxit. Postea super fluvium Saroam [1785] (345) in proprio [1786] suo congregationem monachorum [1787] B instituit, ubi et ipse monasticæ [1788] vitæ habitum suscepit. Defuncto avunculo suo Basino [1789] episcopo successit [1790], electus etiam [1791] a [1792] Remensibus et Laudunensibus præfuit; in quibus duobus uno die, Deo præstante [1793], sacrorum [1794] ordinum consecrationem celebravit. Remis obiit, et a Milone filio [1795] et Treberensibus relatus, divino dato [1796] indicio, ad Mediolacum [1797] sepultus est. Post *6 quem Milo, filius ejus, sacerdotali functus est officio apud Trebiros et Remos, primo quidem imitator patris, deinde tirannus effectus est, nichilque in eodem

VARIÆ LECTIONES.

[1734] *deest* B 6. [1735] s. v. B. C. [1736] C 6. *in marg.. :* VIII. Kal. Julii. [1737] Mortuo quoque Gaugerico 5b. [1738] sabano 5 (sabario? 5b.) s. quoque p. 5b. [1739] pontificum 1. pontificatum 5. 6. [1740] modoaldus 6. *semper*. [1741] C 6. *in marg. :* anno 707. [1742] tempore 2. 5. 6. [1743] d. regis 2. 5. 6. B 2. regis Francorum C. [1744] d. rex C. [1745] e. t. e. B. C. [1746] placio 1. [1747] d. regis C. [1748] *hoc vocabulo incipit codex* 6d. [1749] *ita* 1. horreum *rell.* [1750] e. construxit in (*deest* 5b. 6a.) h. (honore 2.) b. marie. ubi 2. 5. 6. honore B. C. [1751] et ibi et B 6. [1752] constituit 1b. [1753] filia 5. — *In* 5b. Armina *et semper* Dogob. *legitur*. [1754] que *deest* 2. [1755] antiquos suburbio 1. antiquo s. 1b. [1756] instituit 2. 5. i. c. 5b. c. virginum instituit 6. q. m. constituit bas. 1b. [1757] et et 1. [1758] marti 1. martini construxit ecclesiamque sancti symphoriani 1b. [1759] m. construxit C. m. in meginuelt 5a. b. et e. — megine *desunt* 5c. *qui pergit :* Itemque. [1760] que *deest* 5b. [1761] instituit 5. 6. v. esse c. B. C. [1762] sorrorem 1. [1763] instuit 1. constituit 1b. 6. [1764] H. enim B. C. [1765] theologiam 5. theolegion 6. [1766] fatus 1. 1b. [1767] r. d. 5. 6. [1768] ibique 2. 5. 6. per *addit* 6d. [1769] v. e. 6. [1770] *deest* 2. 5. 6. r. s. B. C. [1771] iam eam 5b. etiam B 6. [1772] ecclesiam 1b. 5. [1773] sinphoriani 1. symphoriani B 2. *et supra*. [1774] s. t. B. C. [1775] ipsam B 2. [1776] *c.* XXXVIII. *Leibn.* [1777] hec 5b. [1778] lutiminus? 5a. liutiminus 5b. lintwinus 5c. lutwinus 6a-b. luthwinus B 2. *et infra*. [1779] ipsius b. B. C. [1780] primum 6. primus B 5. [1781] begice 1. [1782] datissimis 5a. [1783] in 5a. h. muneribus in p. 5b. [1784] diis 1. divitiis 1b. [1785] soraam 1. soroam B 2. *corr.* saroam 2. saroan 6a. [1786] s. p. 6. [1787] *deest* 2. 5. 6. [1788] monachicæ B. C. [1789] anno 1. bassino 5b. sancto basino e. ipse s. 1b. [1790] basinus *add.* 6b. [1791] Electus hinc etiam 5b-c. electus. Hic etiam 6. [1792] *deest* 2. 5. 6. [1793] predestinante 1b. [1794] sacrarum B 2. ordinem 5. [1795] f. suo 1b. — et a 5b. [1796] datus 5a-c. [1797] C 6. *in marg. :* III. Kal. Septembris.

NOTÆ.

(333) Celebre est monasterium S. Martini Trevirense, cujus brevem historiam ex Vita Magnerici infra edam.

(334) De Gaugerico, Magnerici discipulo, legit in Vita hujus l. l., p. 185. Sed hic fuit episcopus Cameracensis; Gundericum Treverensem dicunt catalogi; cf. Act. SS. Aug. II, p. 671.

(335) Cf. ejus Vita a Stephano Leodiensi paulo post a. 1107 scripta (Acta SS. Mai. III, p. 51), ubi Sebaudo episcopo successisse dicitur (p. 56).

(336) Diplomata quæ codices C. textui inseruerunt, alibi edenda et discutienda, omisimus. Hoc v ide ap. Hontheim Hist. I, p. 76.

(337) Antiquum Romanorum horreum, postea Francorum regum palatium, tum monasterium monialium, hodie est Trevirorum ptochotrophium et nosocomeum. WYTT.

(338) De fide diplomatis, a Dagoberto Horrensi cœnobio dati, quocum hæc conveniunt, cf. Hontheim C Hist. I, p. 87.

(339) Pfaltzel versus septentrionem urbis Treverensis; v. Hontheim Hist. I, p. 23.

(340) Meinfelt.

(341) Stetit hæc ecclesia infra S. Martinum. WYTT. Vitæ S. Modoaldi locum v. infra.

(342) Tholey; cf. Bertarii Gest. epp. Virdun. c. 8 SS. IV, p. 45.

(343) Postea in ecclesiam S. Paulini translatus, ubi tabula ex Pario marmore facta ejus laudes celebravit; quam Stephanus affert in Vita p. 56, 60, et Browerus p. 353.

(344) Hæc procul dubio ex Vita S. Liutwini inedita sumpta sunt, quam s. XI. Nithardus sive Nizo abbas Mediolacensis scripsit; de qua v. Acta SS. Mart. I, p. 514, 519. De Vita S. Basini v. præfationem p. 115.

(345) Saar. Monasterium hodie Metlach dictum est.

de [1798] clericali honore vel vita nisi sola tonsura A euituit *7..Eo [1799] enim [1800] tempore (*circa an.* 720 *sqq.*) bella (346) gravia [1801] et intestina parricidalia [1802] in hac provintia orta sunt, quando Karolus [1803] tirannus laicis episcopatus donavit [1804], et [1805] episcopos nullam potestatem habere permisit. Cum hoc Karolo Milo supradictus ad bellum profectus est, so'a tonsura jam [1806] clericus, habitu et moribus inreligiosus laicus [1807], et post victoriam episcopatibus Trebirorum et Remorum ab eodem Karolo donatus est. Cujus infelici tempore de his [1808] ecclesiis multa sunt ablata [1809], et res ab episcopiis divisæ, domus religiosorum destructæ, ecclesiastica disciplina dispertita [1810], adeo ut clerici, sacerdotes monachi et [1811] moniales sine lege ecclesiastica viverent et refugia indebita haberent. Patet hujus B calamitatis indicium in plurimis [1812] Treberensis parrochiæ [1813] ecclesiis, in quibus singulis singulæ fuerant [1814] olim congregationes, quæ tam a præfato Milone quam ab [1815] aliis tirannis, ne dicam episcopis, rebus spoliatæ [1816], vix unum presbiterum possunt sustentare [1817], sicut sunt [1818] ecclesia sancti Medardi quæ sita est prope cellam sancti Eucharii (347), ecclesia [1819] super Saroam [1820] quæ dicitur [1821] Tavena [1822] (348), ecclesia sancti Simphoriani a beato Modowaldo constructa (349), ecclesia [1823] in honore [1824] sanctæ Crucis jussu beatæ Helenæ condita [1825] (350), ecclesia *8 sancti Remigii ad litus Mosellæ, [ecclesia [1826] ad palacium, ecclesia super montem sancti Beati [1827], ecclesia] sancti C Stephani extra castrum [1828] Andernacum [1829]. Forum quoque, quod erat ante portam Mediam [1830] constitutum et frequentia comprovincialium [1831] satis celebre et famosum, orta inter cives et negotiatores [1832] gravi simultate [1833], ex eo loco in Wagasatiam [1834] (351) translatum est. Et de his actenus.

*B C. *add.*: in monte Jurano qui ex nomine sancti Martini dicitur (352), quartam

** Evosio (353) *add.* B. C.

*** B. C. *add.*: divina (354) dignus allocutione; cui dictum est a Domino, ut a sede sua Burdegolam [burdegalam B 6. burdegolam *corr.* burdegalam C 1. *et ita* C 3. *sqq.*] transmigraret ibique verbum Dei prædicaret. Quo tendenti beatus Amandus illius ecclesiæ episcopus nichilominus a Domino ammonitus [monitus B. 6] extra castra obviam venit, honorificeque introductum suscepit, ipseque loco cessit, Severino sede relicta, ibi sepultus requieseit.

*1 C. *add.*: sicuti in ejus præceptione potest cognosci, quod congruum hic duximus sub silentio non præterire:

Testamentum Dagoberti regis Francorum.

Dagobertus rex Francorum viris illustribus — Pippinus major domus.

*2 B. *ita*: quibus *,* præfecit matres primo Modestam vita et nomine quandam sacratissimam virginem, alumpnam cœnobii montis Romarici, quæ ab aliquibus soror beati Willibrordi fuisse putatur, contemporaneam beatæ virginis Gerdrudis [gertrhudis B2. gertrudis B5.] (355). Deinde nichilominus Deo dilectam virginem Yrminam, ipsius Dagoberti regis filiam, et post Anastasiam virginem; cui successit Basilissa.

, C. *ita*; q. p. m. primo: Deo'dilectam — filiam, deinde Modestam — Romarici, quæ fuit filia sororis beati Modowaldi, contemporanea b. v. G. Post Modestam successerunt ei Anastasia et Basilissa virgines sanctæ.

Predictus igitur pontifex præfato monasterio privilegium ab apostolico acquisivit [acquisivit de indempnitate et libertate illius æcclesiæ, *ipso diplomate omisso* C 3.] habens hunc modum:

Privilegium Leonis tertii papæ.

Ego Leo vicarius sancti Petri — privilegio. Fiat. Fiat. amen. amen.

Cap. XIII. Sepe-memoratus pontifex aliam *etc.*

*3 B. C. *ita*: matrem similiter Dagoberti regis filiam nomine Adelam [adhelam C.] præfecit (356).

VARIÆ LECTIONES.

[1798] *deest* 1. 1b. eo de 2. 5. 6. [1799] Oco 1. [1800] *deest* 5. B 5 [1801] graviora 6. [1802] parricidialia 5b. parricidia 6. parricolia 5c. [1803] karul. 1. [1804] dedit 5. 6. [1805] *deest* 1. 1b. [1806] *deest* B. C. i. t. 6. [1807] *deest* 5. 6. [1808] his de 2. bis de 5.b a-b. 6. [1809] a. s. B. [1810] disperdia 6 deperdita 6a-c-d dispersa B. C. [1811] *deest* 6. [1812] pluribus 5. 6. [1813] ecclesie parrochiis 5. [1814] fuerunt 5c. 6. ol. f. 6. [1815] et ab C. [1816] exspoliatæ B 6. [1817] s. p. 2. 5. 6. [1818] est 1b. 6 (*del.* 6a. *deest* 6b-d.). [1819] *deest* 5. 6. [1820] soroam 6a. [1821] de 5c. [1822] trauena 5b. 6a-b-d. rauenna 5a-c. [1823] ecclesiam B 6. (ecclīa 1. B 2). [1824] honorem 2. 6. B. C. [1825] conditam 1. B 2. 5. 6. [1826] *hæc desunt* 1. 1b. [1827] beati confessoris in Confluentia 5. 6. benedi B 4. 5. [1828] claustrum 1. 1b. [1829] andernachi 5. 6. [1830] *deest* 2. [1831] provincialium 1b. 5c. f. et provincialium B 4. 6. *corr.* comp. C 1. [1832] gegotiatores 1. [1833] simulatate 1. [1834] vaσasaciam 2.

NOTÆ.

(346) *Bella — donatus est* ex epistola Hincmari 6. D (ed. Busæus) p. 112 sumpta sunt, paucis verbis hinc inde additis. Hincmarum etiam auctor Vitæ S. Rigoberti (Acta SS. Jan. I, p. 177) et Flodoardus (Hist. Rem. II, 12) secuti sunt. Longiorem hujus temporis historiam in codice Treberensi No. XXX. legi, monui Archiv. VII, p. 517.

347) *Sancto Materno, cujus basilica ad Aquilonem basilicæ S. Eucharii confessoris prope constructa est*, charta Egberti archiep. ap. Hontheim Hist. I, p. 320.

(348) Taven, locus quatuor passuum millia a Saraburgo, ut Browerus inquit p. 565, qui hoc monasterium s. XI reædificatum esse monet. (Necrol. S. Maximini dicit: 8. *Id. Mai. Wickerus sacerdos et abbas nostre congregationis, qui monasterium apud Tavana construxit et prædia eidem loco delegavit* et 20 *fratres præbendarios ibidem constituit.*)

(349) V. supra hoc c.

(350) V. c. 19.

(351) Fortasse villa Wadegozzinga in chartis dicta, non procul a Sara eo loco ubi postero tempore erat monasterium Wadgassen (Wadegotia). Wytt.

(352) Germanice Mertesberg; monasterium a. 1287 in urbem translatum est. Wytt.

(353) Ivois sive Iwers. Ita etiam Vita S. Magnerici: *contigit ut ad castrum Ivosium nomine veniret.*

(354) Hæc ex Vita S. Severini sumpta sunt, de qua cf. Hontheim Hist. III, p. 975.

(355) V. Vitam S. Gertrudis ap. Mabillon Acta II.

(356) Cum hoc textu convenit diploma ap. Hontheim I, p. 88.

*4 B. C. *ita :* Item idem venerandus pontifex Modowaldus construxit

*5 B. C. *add. :* qui fuit abbas cellæ [1835] sancti Hilarii in territorio Treberensi (357).

*6 Post — effectus est *desunt* B. C. *ubi hæc leguntur :* Quo (358) defuncto, Clodolfo [elodofo B 6.] Metensi episcopo, sancti Arnolfi filio, ecclesia Treberensis regenda committitur. Quam dum regeret, Milo, jam dicti Liutwini episcopi filius, non ut quidam aiunt ecclesiastica electione set tirannica invasione occupavit, in quo nichil de el.

*7 B. C. *ita pergunt :* Ejus vero invasionis ratio hæc est. Eo enim tempore bella gravia in hac provincia orta sunt inter Karolum et Raginfredum de principatu contendentes, quem ut Karolus bello optineret, laicis ep.

*8 B. C. : ecclesia sancti Salvatoris in capitolio (*loco* c. s. r. ad l. m.)

25 [1836]. Zacharias [1837] papa beatum Bonifacium [1838], doctrina et operatione clarum, Treberensi et Remensi ecclesiis [1839] visitatorem [1840] et spiritualium negotiorum provisorem constituit [1841] (359), cum Milo tirannus res utrarumque teneret. Interea Karolus ecclesiarum destructor moritur (*an.* 741). De (360) quo nocte quadam revelatum est [1842] sancto Eucherio [1843] Aurelianensi episcopo, quia [1844] esset in [1845] inferno inferiori. Qui accito domno Bonifacio, A Romanæ sedis vicario [1846], aliisque boni testimonii [1847] viris, sepulchrum [1848] Karoli aperuit. Sublato autem lapide, serpens miræ magnitudinis exivit de sarcophago [1849], corpus autem Karoli non est ibi inventum [1850]. In his diebus domnus Zacharias papa audiens fidem et doctrinam domni Bonifacii, constituit eum archiepiscopum Mogontinæ ecclesiæ (361). Nam antea Mogontini episcopi et Colonienses [1851] suffraganei [1852] erant [1853] Wormaciensium [1854] episcoporum. Milo igitur tirannus, his ita [1855] peractis, venationi inserviens, ab apro percussus moritur in villa quæ dicitur Arno [1856] (362) primo a Treberi miliario [1857], ubi et sepelitur [1858] (363) (*an.* 753?) post 40 annos suæ tirannicæ [1859] invasionis [1860]. — Pipinus [1861] (364) vero rex suggestione cleri et plebis B Trevericæ Hildolfum [1862], claro Nerviorum [1863] genere ortum, in Regenesburch [1864] autem enutritum, Trevericæ metropoli [1865] constituit episcopum [1866]. Hic construxit ecclesiam [1867] in honore [1868] sancti Johannis [1869] evangelistæ, juxta cellam sancti Hilarii in campo Martio, in quam [1870] corpus sancti Maximini de cella sancti Eucharii transtulit (365) cum (366) aliis 300 [1871] martirum corporibus a Rictiovaro [1872] passorum. Quem [1873] (367) locum et sua [1874] suppellectile et fundis ditatum et cœnobitis [1875] re-

VARIÆ LECTIONES.

[1835] ecclesiæ B 6. [1836] *c.* XXXIX. *Leibn.* [1837] Z. igitur B. C. [1838] bonefacium 1. 1b. *hoc tantum loco; alii codices sibi non constant*, C. 1 *vero semper* Bonefatium *habet.* [1839] *deest* 2. ecclesie 5. 6. [1840] visatorem 1. et s. n. p. *desunt* 1b. [1841] c. p. 5. [1842] *deest* 2. [1843] euchario 5 a-c. [1844] quod 5a-c. C. [1845] *deest* 1. 1b. — esse 1b. *ubi mox* accepto. [1846] legato vel vicario B 2. [1847] testimoni 1. [1848] k. s. 6. [1849] sacrophago 1. sarcofago 6. sarchofago B 4. 5. 6. C. [1850] inventum ibi B. C. [1851] et Col. *desunt* B. C. [1852] suffragnii 5a. 6a-b-d. [1853] *deest* B 6. [1854] wormacensium 5. 6. C. [1855] hista 1. [1856] *ita* 1 1b. irane 2. 6. E 4. 5. 6. irane 5. yranch B 2. yranc B 3. ieranc C. [1857] milario B 2. a tr. *desunt* 1b. [1858] sepultus 5. ibi est sepultus 5b. sepultus est 6. [1859] tirancie 1. [1860] C 3. *rec. manu et* C 6. *in margine :* Anno 748. [1861] pippinus 1b. 6. B 6. [1862] hildulfum 1b. C. [1863] nerinorum 5b-c. *rec. manus in* C 1. *superscr. :* i. (id est) ducum Karinthie. [1864] regensburc 2. ratisbona 5b. [1865] civitati 6. [1866] *deest* 1b. — C 3. *rec. manu in marg. :* Anno 762. *et sæpius eiusmodi annotationes.* [1867] *deest* 6. monasterium B. C. [1868] honorem 6. [1869] iohanis 1. [1870] qua 5. 6. quod B. C. [1871] ecclesiasticorum 5c. CCCtis 6c. [1872] rictiouario 5a.b. rictouaro 5c. [1873] Quo loco — ditato — repleto C 1. *e corr. et ita* C 3. *sqq.* [1874] *deest* 5b. [1875] cenobiis 1b. 2. 6c.

NOTÆ.

(357) Cf. infra c. 25. In falso Dagoberti diplomate (ap. Hontheim p. 76) legitur : *cellam S. Hilarii, quæ nunc appellatur S. Maximini.* Sed in Vita S. Basini (Acta SS. Mart. I, p. 316) : « haud procul a Trevericis mœnibus ad S. Joannis evangelistæ monasterium, quod in præurbio fatæ civitatis ad aquilonarem plagam in campo Martio situm et beati Maximini nomine prætitulatum est» ingressus ibique abbas factus esse dicitur.

(358) Cf. Vitam S. Basini l. l. p. 318, ubi hæc iisdem fere verbis leguntur.

(359) Cf. Hincmari epist. l. l.

(360) V. epistolam synodi Carisiacensis ap. Baluzium Capit. ed. Chiniac II, p. 108, ex qua hanc narrationem plerique scriptores acceperunt. Cf. Acta SS. Febr. III, p. 211 sqq., ubi G. Henschenius fusius hac de re disseruit.

(361) Cf. Hincmari epist. l. l. Quæ de primatu Wormatiensium episcoporum addit auctor, dubito an ab alio mutuatus sit.

(362) Hanc lectionem retinui, quamvis Iranc sive Yranc a Treverensibus præferatur; de quo loco Wyttenbach ita monet : « Hodie Ehrang, vicus infra Treviros ad viam regiam quæ Witliacum ducit. »

(363) Wyttenbach ex dissertatione quadam Nelleri, a. 1779 Treveris impressa, p. 46 hæc affert : C « Stat etiamnum in via qua ab officina ferri fusoria quæ Quinta vocatur ascenditur juxta silvam a dextris sitam, quæ hodiedum dicitur *der Meilenwald* (Milonis silva) columna memorialis, lapidis operisque ruditate vetustatem indicans, ubi Milonem venatum apri dente percussum fuisse tradunt. »

(364) *Pipinus — episcopum* ex Vita S. Hildulfi, Acta SS. Jul. III, p. 222. De Hildulfo episcopo dubiæ fidei cf. Rettberg I, p. 468.

(365) Hæc cum aliis historiæ Treverensis monumentis non conveniunt; Vita S. Maximini antiquior (Acta SS. Mai. VI, p. 373) et altera auctore Lupo (ap. Surium III.) c. 10 Maximinum jam a Paulino in ecclesia S. Joannis sepultum esse narrant; adduntque, postea ab Hildulfo aliisque ex crypta ad locum, « ubi nunc adoratur », « ubi nunc sunt sita », esse translata; neque Vita Hildulfi aliter narrare videtur.

(366) Vita S. Hildulfi tertia (Acta SS. Jul. III, p. 231) similia tradit : *In quo pariter imposita sunt* D *trecentorum martyrum Thebeæ legionis corpora; quem locum sic nobilitavit supellectile ac fundis, replevit cœnobitis, ut ex nunc nullatenus inferior videatur episcopio ipsius urbis.*

(367) *Quem — constituit* ex Vita S. Agritii, Acta SS. Jan. I. p. 775, ibique etiam trecenta martyrum corpora translata dicuntur.

pletum [1876] centenum numerum monachorum constituit. Quæ videlicet cella [1877] in fundo sancti Petri [1878] constructa, episcoporum Treberensium multo tempore juri [1879] subjacuit (368), donec unus eorum [1880] adulatione [1881] damnabili cuidam reginæ ad nuptias eandem cellam, cum castello quod dicitur Sericum (369), dono [1882] dedit (370), et sic deinceps a regibus [1883] detenta est. Hic itaque [1884] post aliquod [1885] annos episcopatum suum relinquens, in saltu [1886] Vosagi *[1887] cellam [1888] sibi construxit, in qua et requievit [1889]. — Cui successit Wiomadus [1890]. Hic cellam sancti Goaris ad jus sancti Petri transferre conatus est (*circa an.* 760-791), set violentia Pipini [1891] regis conatus ejus impeditus est (371). Præceptum tamen regiæ auctoritatis ab eodem Pipino super cellam sancti Maximini et aliis rebus ecclesiæ Treberensis obtinuit, et [1892] a Karolo Magno, Pipini [1893] filio; quod [1894] qui scire voluerit invenire poterit **. — Eo mortuo [1895] Richbodus [1896] ordinatur episcopus; deinde Wazzo [1897] ***; post quem [1898] Hamularius [1899] Fortunatus cardinalis Romanus [1900] (*an.* 804-809), qui librum officiorum conscripsit [1901] (372). Hic (373) missus est [1902] a Karolo Magno Constantinopolim propter pacem cum Michahele [1903] imperatore firmandam. Qui etiam [1904] Karolus multum marmor [1905] et museum [1906] plurinum de Treberi [1907] ad [1908] Aquis palacium vexit, et beato Petro ad vicissitudinem munera [1909] dedit [1910] (374). — Post [1911] Fortunatum Trebirorum [1912] ecclesiæ Hetti præfuit (*an.* 814?), abbas Mediolacensis [1913]. Hic (375) ammonitus [1914] in visu a sancto Materno, in 23° anno Ludowici [1915] imperatoris asportavit corpus sancti Castoris de loco qui vocatur [1916] Cardena ad Confluentiam ad monasterium quod ipse construxerat, et 5 [1917] Idus Decembris consecravit in honore sancti Castoris [1918] et omnium confessorum, et post consecrationem sanctum corpus in ecclesia recondidit (376), ibique Ludowicus [1919] imperator multa dona præsentavit. Dicunt cum [1920] aliqui [1921] res ecclesiarum sancti Eucharii et sancti Liutwini [1922] (377) principibus suis in beneficium tradidisse. Post 30 [1923] annos sui sacerdotii obiit, et sepultus est [1924] in monasterio sancti Eucharii ante altare sancti Johannis baptistæ in absida [1925] aquilonali [1926]; ad cujus dexteram [1927] in altera absida requiescit vir magne [1928] in germinis nobilitate [1929] clarus ****, nomine Ruotgaudus [1930] (378).

* B. C. : Vosagi Tullensis parrochiæ cellas tres construxit, in quarum media monachus factus, Deo sub abbatis imperio militavit, ubi et requiescit; cui tamen quamdiu vixit alius in episcopatu non successit. Defuncto vero [vero Hildulfo C.] successit Weomadus [wio-

VARIÆ LECTIONES.

[1876] repletis 1. 1[b]. 2. B5. repletum *corr.* repletis B4. [1877] ecclesia 5. *deest* C3. [1878] *deest* B 2. 6. [1879] iure 1[b]. uiri 6[c]. [1880] *deest* 2. [1881] adulteratione 5. 6. [1882] dedit dono 2. 5. 6. [1883] regino' 1. [1884] denique 6. [1885] aliquot 2. 5[a]. [b]. 6[a].[b].[c]. B3. 4. 5. 6. aliquod *corr.* aliquot C1. aliquos 5[c]. 6[d]. B2. C6. [1886] saltum 5[a].[c]. [1887] vasogi 5[a].[b]. 6[a].[b].[d]. vasagi 5[c]. wosagi B2. [1888] callam 1. [1889] requiescit 2. 5. 6[a].[b]. [1890] wiemadus 5. 6. [1891] pippini 5[b]. 6. B 2. 6. *et infra.* — r. p. C. — regis *deest* 6. conatus eius *desunt* 1[b]. [1892] o. a. k. quoque m. 6[a].[b]. t. et a k. m. p. f. obtinuit C. — a karlomanno 1[b]. [1893] pipinis 1. [1894] qd d̄r (dicitur) qui 1. quod *deest* 1[b]. que B 2. [1895] Defuncto itaque Wiomado C. [1896] richbodo 1[b]. richboldus C. 3. 4. [1897] wazo 1[b]. 2. wiso 5[a].[c]. wizo 6. watto B2. [1898] quos B. C. [1899] amularius 5[a].[c]. 6. *alii.* amualarius 5[b]. [1900] *deest* 5[c]. [1901] composuit 6. [1902] *deest* 5. a karlimanno 1[b]. [1903] michaele 1. *alii.* i. michahele 6. [1904] et 2. 5[a]. [c]. *deest* 6. [1905] moarmor 2. [1906] muteum B2. *deest 4. spatio relicto.* [1907] treberis 2. 5[a].[b]. 6. treueris 5[c]. [1908] *deest* B 4. 5. — pal. a. 6. [1909] numera 1. [1910] C 6. *in marg. :* Obiit autem quartus Idus Iunii in sancto Paulino retro summum altare tumulatus. [1911] Post — Mediolacensis *desunt* B 2. [1912] treb. hecti 2. treb. hetto 5[a]. tr. hetti 5[b]. [c]. treberis prefuit hetti (herti) abbas 6. [1913] mediolanensis 1. 5. abba mediol...ensis 1[b]. [1914] amonitus 1. [1915] ludnuuci 1. 1[b]. lodowici B 2. ludouici 5[a].[c]. 6[a]. luduwici 5b. [1916] dicitur 2. 5. 6. — caderna 6[c]. [1917] II. 5. 6. [1918] *deest* B. C. (*in* C4. *spatio vacuo relicto;* C 6. *in margine habet*). [1919] lodewicus B 2. loduwicus 5[b]. [1920] enim 1[b]. 5[a].[c]. [1921] quidam 2. 5. 6. [1922] liutunii 5[a].[b]. lintunii 5[c]. luttuini 6[a]. liuttiuni 6[c]. luthwini B 2. [1923] XXXVII B. C. [1924] *deest* 5[b]. [1925] abside 2. 5. (abscide 5[b].). 6. absidia C. [1926] aquiloni 1[b]. aquilonari 2. 5. 6. [1927] dextram 1. *hoc loco.* [1928] r. magne gravitatis nob. cl. uir. 2. r. magni germinis nob. cl. uir. 5. 6. vir valde magnificus B. C. [1929] nobilitata 1. [1930] rotgardus 5[a]. rotgadus 5[b].[c]. 6. ruothgaudus B 2. C.

NOTÆ.

(368) Cf. Gesta episc. Adalberonis infra edenda.

(369) Sirck.

(370) Cf. Ottonis M. diploma a. 962. datum ap. Hontheim Hist. I, p. 292. et Zyllesii librum defensio S. Maximini.

(371) Cf. Wandelberti miracula S. Goaris c. 35.

(372) In codice annularii Treverensi s. IX, Wyttenbachio monente, hæc legitur inscriptio : *Hamelarius Fortunatus cardinalis Romanus Trebirorum metropolitanus, Tungrensis diocesis Dei gratia archiepiscopus, hoc venerabile compinxit opus, ecclesiasticis utile ordinibus, ut hoc ordine laudetur Dominus, quamdiu viget hoc mortale genus.* Sed alii rectius hoc opus Amalario Metensi ascribere videntur v. Rivet Hist. liter. IV, p. 537.

(373) *Hic — firmandam* ex Reginone a. 813 sumpta esse videntur.

(374) V. diploma ap. Hontheim Hist. I, p. 153.

(375) *Hic — præsentavit* ex Thegani appendice hausta sunt, quam vide SS. II, p. 605.

(376) De hac re v. etiam Vitam S. Castoris, Acta SS. Febr. II, p. 666 : *Post multum temporis cum Deo placeret ampliorem adhuc honoris gloriam Castori confessori suo tribuere in terris...., inspiravit archiepiscopo temporis illius aliisque terrarum principibus, ut reliquias sancti Castoris dividerent partemque unam apud Karadonum in præfata ecclesia, quæ antiquitus dicebatur sancti Paulini domus, reponerent, aliam vero ad Confluentiam, ubi Mosella fluvius Rheno confluit, unde etiam locus congruum sortitur nomen, transferrent. Ibi sane esset et locus latior et copia rerum uberior et accessus popularis frequentior. Quo in loco fabricata est regalibus impensis miri decoris basilica et omnipotenti Deo ad honorem sancti Castoris confessoris.*

(377) Id est Mediolacensis cœnobii.

(378) Cf. Brower Ann. I, p. 413.

madus C 3.], et hic fuit abbas cellæ [ecclesiæ B 6.] sancti Maximini. Hic cellam. s. G. quod qui scire v. in præsenti invenire poterit C 1. *sed post deleta, desunt* C 3 *sqq.* — C 1. 5. 6. *addunt diplomata, quæ in* C 3. 4. *haud leguntur:*

In nomine Domini Dei... Pippinus — Tulpiaco in Dei nomine feliciter (379).

In nomine Domini Dei... Karolus — Aristalio palatio in Dei nomine Amen (380).

*** B. C. *add.*: qui ambo, alter alteri succedens, abbates extiterunt Mediolacensis [mediolanensis B 6.] cœnobii (381).

**** B. C. *add.*: ejusdem Hetti germanus

26[1931]. Anno dominicæ incarnationis 851 [847][1932] (382) cathedram Hetti [1933] Tietgaudus [1934] obtinuit. Hic (383) simplex seductus est a Lothario [1935] imperatore et [1936] adultero et Guntero [1937] Coloniensi archiepiscopo [1938], et consensit in dejectione [1939] Tietbergæ [1940] uxoris [1941] ejusdem Lotharii falso accusatæ [1942]; immo definivit in sinodo, quod scilicet [1943] ipsa fuisset confessa [1944] semetipsam fratris [1945] germani incestuoso pollutam [1946] fuisse concubitu. Hanc enim falsam infamiam Lotharius cum his episcopis composuerat, cupiens hoc modo reginam abjicere et Waldradam * [1947], quam ipse adolescens concubinam habuerat, in regnum assumere. Quod cum judicio episcoporum adeptus fuisset, Tietgaudus [1948] et Gunterus a papa Nicolao [1949] Romam [1950] pro his causis evocati sunt, ibique omni ecclesiastica dignitate privati [1951] depositi sunt **. Cumque iterum atque [1952] tertio sedem apostolicam restitutionis gratia adissent (384) et non profecissent [1953], novissime Nicolao papa [1954] defuncto, Adrianus successit, cujus (385) liberalitate [1955] Tietgaudus in monasterio sancti Gregorii [1956] mansionem susccpit. Cui sanctus Gregorius in [1957] somnis apparens, monuit semel et iterum, ut recederet et mansionem sancti [1958] perturbare [1959], quod illicitum esse [1960] ipse Gregorius disposuit, desineret; et [cum [1961]] hoc facere Tietgaudus dissimularet. tertio correptus [1962] de inobedientia et de [1963] fatigatione apostolica — apparuerat enim sibi [1964] ductu *** dexteræ manus, levitico [1965] Petro præcunte [1966] cum lumine, beatus Andreas apostolus — responsum accepit, quod a momentanea quidem [1967] morte liberaretur [1968], set patria cum suis omnibus [1969] privaretur. Quod cum omnibus quibus potuit revelaret, et aliud ospitium [1970] a pontifice inpetrare non potuisset [1971], apud Sabinos concedens [1972], eodem anno cum (386) Guntero et [1973] suis omnibus [1974] vita privatus est (387). Lotharius [1975] imperator apud [1976] Placentiam [1977] divinitus percussus moritur (*an.* 869). Cum quo [1978] pariter totum regnum, quod ex ejus nomine Lotharium [1979] appellatur, corruit. Castellum (387*) etiam [1980] Lotharii non longe a Treberis [1981] super Saroam ex illo tempore [1982] desertum est. Anno [1983] 6° Tietgaudi Treberis visus est canis sedere [1984] super cathedram ejus (388).

* B. C. *add.*: sororem ejusdem Guntheri Coloniensis archiepiscopi [episcopi B 6.]

** B. C. *add. hoc loco*: Hujus quoque Tietgaudi episcopi anno 6. Treberis visus est canis sedere super cathedram ejus episcopalem. *Desunt in fine cap.*

*** B. C. *ita*: ducens dextera manu Andream apostolum [ap. andream B 2.], cujus nomini ipsa basilica constructa fuit, responsum.

VARIÆ LECTIONES.

[1931] *c.* XLI. *Leibn.* II, *c.* XIIII. C. De thiethgaudo *add.* C 3. [1932] DCCCCLI. 1. [1933] hecti 2. heti B 4. hethi B 6. [1934] tiethgaudus 2. thietgaudus 5[c]. B 2. ruotgaudus B 6. thiethgaudus C. [1935] *deest* 5[b]. *ubi* L. rege et imp. adultero. [1936] *deest* 6. rege et imp. ad 5. [1937] gunthero 5. 6. B. C. *et infra.* [1938] episcopo 5. B (2. 4. 5.) C. [1939] deictione B 5. [1940] tietherge 2. thietbergæ 5[b]. thietburge B 2. [1941] uoris 1. [1942] accidate inmo defininiu 1. testimonio mettis in 1[b]. diffiniuit 5[a]. 6. diffinitum 5[b]. primo definitum 5[c]. [1943] *deest* 5[b]. [1944] consa 1. confessa f. B. C. [1945] g. f. 6. [1946] polluta 1. 1[b]. [1947] w. in r. assumere quam — habuerat 5. 6. [1948] tietgandus 5[a]. [b]. *sæpius.* [1949] nicholao 2. *alii.* [1950] p. h. c. r. e. s. 6. [1951] *deest* 1[b]. d. atque p. 2. [1952] et 2. 5. 6. [1953] et n. p. *desunt* 1. 1[b]. [1954] *deest* 2. 5. 6. nicholao 1[b]. 6. *alii.* [1955] liberatate 1. liberata 1[b]. [1956] georgii 1[b]. [1957] a. in s. 5. 6. somnis semel et iterum app. m. ut B. G. [1958] suam 2. [1959] non perturbaret quod cum (quam 6.) i. esset i. g. exposuit ut d. 5. 6. [1960] esset B 5. [1961] *deest in omnibus quos vidi codd. præter* 5. 6. [1962] est c. 5. 6. [1963] *deest* B 6. [1964] huic 5. 6[a.b]. huc 6[c.d]. [1965] *ita* 2. leutio 1. manus petrus p. c. l. beato andrea apostolo et responsum 5. 6. *De* B. C. *v. supra.* [1966] pretereunte 1[b]. [1967] *deest* 2. 5. 6. [1968] leberaretur 1. libaretur 1[b]. liberarentur — privarentur 2. [1969] *deest* B. C. o. s. 5[b]. [1970] *ita* 1 a. p. *desunt* 2. [1971] posset B. C. [1972] secedens 2. 5. [1973] cum 5[b]. G. et *desunt* B. C. [1974] *deest* C. [1975] l. quoque 6. [1976] ad B. 5. [1977] pl. vel blesenze B 2. [1978] Cumque 1. 1[b]. [1979] lotharingium 5[a]. 6. B2. 4. 5. C. lothringia 5[b]. lotharingia 5[c]. lotaringum B 6. [1980] et 5[a]. [1981] treberis *corr.* treberi C 1 *et ita* C 3 *sqq.* [1982] t. sedere d. 1. [1983] Anno — ejus *desunt* B. C. [1984] c. super c. e. sedere 2. 5. 6.

NOTÆ.

(379) Diploma editum est ap. Hontheim I, p. 120.

(380) Ap. Hontheim, I, p. 132.

(381) Richbodum abbatem fuisse Laurishamensem, Chron. Laurish. ostendit (ed. Lemay I, p. 26), ubi annos decem menses octo ecclesiæ præsedisse dicitur.

(382) Ita ex quibusdam Reginonis codicibus; v. SS. I, p. 568 n. o.

(383) Hæc Reginonis auctoritate (a. 864. 865.) scripta sunt.

(384) Hucusque ex Regione.

(385) *Cujus — privatus est* ex Johannis vita Gregorii M. IV, 94, sermone hinc inde mutato.

(386) *Cum Guntero* ex Regin. a. 865. Quæ sequuntur ex eodem a. 869.

(387) Ipsum obiisse veteris memoriæ membranæ Cardonensis Ecclesiæ diserte testabantur a. D. 870 Brower., p. 423.

(387*) Fortasse Heribodesheim (Herbizheim), quod in divisione regni Lotharii (Legg. I, p. 517) nominatur.

(388) V. Ann. Corbei. a. 857 et cf. Ann. Bertin., qui eodem anno simile narrant prodigium.

27 [1985]. Anno dominicæ incarnationis [1986] 868, [1987] Bertolfus [1988] abbas Mediolacensis [1989] fit episcopus [1990] Treberis [1991] consanguineus Adventu [1992], tunc temporis Mettensis [1993] episcopi. Qui (389) Adventius cum Lotharium regem in Placentia [1994] mortuum cognovisset, Karolum fratrem ejus, qui in Provincia regnabat, Mettis [1995] evocatum, adjuncto sibi cum aliis episcopis [1996] Hincmaro Remensi archiepiscopo, regem Lotharingiæ et [1997] Provinciæ consecravit [1998] (*an.* 869) cognatoque suo Bertolfo [1999] ut daret archiepiscopatum [2000] obtinuit. Hic villam quæ Martia [2001] dicitur (390) de manu regia compa-
ravit. Anno 5 Bertolfi [2002] moritur Adventius Mettensis [2003] episcopus. Walo [2004] ei substituitur [2005]; cui ordinationis suæ [2006] anno 2 transmissum [2007] est pallium a Johanne papa cum litteris docentibus B quibus hoc festis foret usurus (391). Bertolfus vero metropolitanus [2008] audiens Walonem in die [2009] sancto paschæ cum pallio procedere, missis litteris Treberis [2010] evocatum percunctatus est, quando vel quomodo vel a quo procedere cum pallio sibi [2011] fuerit concessum. Walo lecto in auribus [2012] omnium qui [2013] aderant quod [2014] sibi a papa transmissum [2015] fuerit [2016] de usu pallii privilegium, asseruit (392), non se primum set quintum fuisse, quem apostolica [2017] sedes hoc [2018] honore dignata sit sublimare, salva tamen in [2019] omnibus metropolitano [2020] subjectione, primum [2021] Urbitium, secundum Pipini regis ex sorore nepotem Crodegangum [2022] tertium
Angelramnum, quartum Druogonem [2023], Karoli [2024] C nicati. Denique Nortmanni [2064], qui ante complure

A Magni [2025] imperatoris filium. Bertolfus [2026] his assertionibus non satisfactus [2027], capituio [2028] canonum lecto, quo asseritur [2029] nulli suffraganeorum novum et [2030] quod non ab omnibus in ecclesia sua prædecessoribus [2031] non [2032] habebatur [2033], absque [2034] metropolitani [2035] sui consilio et licentia præsumendum, interdixit ei, per sanctam [2036] quam [2037] in omnibus ecclesiasticis negotiis sibi [2038] deberet obedientiam, ne [2039] ulterius, nisi ab eo petita et concessa licentia, pallio uteretur. Cumque Walo [2040] apostolicam auctoritatem prætenderet, archiepiscopus [2041] metropolitanorum privilegia [2042] defenderet, grandis utrimque conflata [2043] est inimicitia. Hincmarus [2044] igitur reverentissimus Remorum archiepiscopus et eloquentia clarus [2045], audiens dissidentiam hanc [2046], epistolam Waloni transmisit (393) sapientiæ ac sani [2047] consilii sale [2048] conditam, per quam eum [2049] ad metropolitani sui instruxit obedientiam, et sic restituit concordiam. Fuit enim [2050] iste Bertolfus [2051] multum acer et inpatiens in [2052] talibus suffraganeorum suorum præsumptionibus, et suæ ecclesiæ privilegium [2053] non passus est in aliquo temerari [2054]. Nam litteras Romani pontificis pro eadem Walonis [2055] præsumptione necnon [2056] pro episcopi Virdunensis [2057] contra suam voluntatem ordinatione [2058] sibi [2059] transmissas suscipere noluit [2060]. — Anno episcopatus ejus 12 [2061] cœlestis vindicta venit super Lotharingiam [2062], regnum Lotharii [2063] supradicti regis adulteri et excommunicati. Denique Nortmanni [2064], qui ante complure

VARIÆ LECTIONES.

[1985] *c.* XLII. *Leibn.* II, *c.* XV. C. De bertelfo archiepiscopo *add.* C 3. [1986] A. Domini 5[b]. [1987] DCCCLXVI. 1[b]. DCCCLXXIII. 5. DCCCLXIIII. B. C. [1988] bertholfus 6. B 2. *semper fere.* [1989] mediolanensis 5[b.c]. medolacensis B 2. [1990] *deest* 6[c]. [1991] tberis 1. — cons. eius adv. 1[b]. [1992] adventicii 2. *et infra* adventicius. [1993] metensis 1. 2. *alii hoc loco.* [1994] placia 1. 1[b]. r. placentie 6. [1995] methtis B 2. metis (methis 5[b].) advocatum 5. 6. [1996] *deest* 5. — hicmaro 5[a.b]. [1997] *deest* B 4. 5. C. [1998] consecratum 1[b]. [1999] bertulfo 1. bertholpho 5[b.c]. *hoc loco.* barcolpho 5[b]. [2000] treberensem *add.* B (treberense B 2.). C. [2001] mariao 1. maritio 1[b]. dicitur marcia (martia) B. C. [2002] bertolfo mortuo 1[b]. bartolfi episcopi 5[b]. [2003] remensis B 6. [2004] et Walo C. [2005] substinuitur 1. [2006] *deest* C. [2007] transmissus 1. [2008] metopolitanus 1. [2009] secundo die p. 5. 6. [2010] et t. 6. [2011] *deest* 2. 5. 6. [2012] o. a. 5. [2013] que 1. audierant 2. 5. [2014] qui 1. que 1[b]. [2015] transmisum 1. [2016] fuerat 5[c]. 6. [2017] apostolicus 1. [2018] *deest* 6[c]. [2019] *deest* [b]1. [2020] metropolitanus 1. 1[b]. metropolitani 5. 6. *e corr.* C 1. metropolitana 2. B 2. [2021] Xriq̃? 1. *deest* 1[b]. [2022] crodegandum B 5. 6. trodegangum 2. chrodegangum C. [2023] drugonem 1[b]. 2. 5. 6. C. [2024] caroli 1. [2025] *deest* 6. [2026] bertulfus 1. *hoc loco.* [2027] flexus 6. satisfaciens B 2. [2028] capitula 1. [2029] assertur 1. asserunt 1[b]. [2030] *deest* B 6. [2031] prædecesso♱ribus 1. [2032] *deest* 6. *delevit* C 1. *et ideo deest* C 3 *seqq.* [2033] habeatur 5. [2034] absque 1. atque 5[c]. [2035] metropoli 1. 1[b]. 2. 5[a.b]. [2036] s. obedienciam B 2. *vocabulo infra omisso.* [2037] qua 1. 1[b]. [2038] *deest* B 6. [2039] ñ 1. [2040] wallo B 5. [2041] a. vero B. C. [2042] iura 6. [2043] grandes u. conflate sunt inimicitie 6. g. utrorumque est c. i. 5[b]. [2044] Hicmarus 5[a.b]. [2045] clarissimus B. C. [2046] *deest* 2. 5. 6. hanc d. B. C. [2047] salu *corr.* sani 1. salute 1[b]. [2048] sole B 2. [2049] *deest* 1. 1[b]. [2050] *deest* 2. 5. 6. [2051] bertoldus 1[b]. *hoc loco.* [2052] cum 1. 1[b]. [2053] privilegiis 5[a]. privilegia 5[c]. [2054] temperari 1[b]. [2055] waloni 2. [2056] nec 5. p. vel episcopi 6. [2057] wirdunensis B 2. [2058] *deest* 2. 5. 6. ordinaciones B 2. ordinationi B 6. [2059] sub 1. 1[b]. [2060] n. s. B. C. [2061] XIV. 1. 1[b]. [2062] lotharingam 1. 1[b]. lothringiam 5[b]. *sæpius.* [2063] lotharis 1. 1[b]. [2064] normanni 5. 6. northmanni B 2. C.

NOTÆ.

(389) Reginonem sequitur, qui hæc a. 869 narrat neque tamen Hincmarum nominat, a quo Carolum coronatum esse ex aliis libris et actis Mon. Legg. I, p. 512 editis satis constat.

(390) Marcetum juxta Saram, hodie Merzig. Wytt. Diploma deperditum esse videtur.

(391) Quam vide ap. Hontheim Hist. I, p. 217.

D (392) Similia apud Sigebertum in Vita Theoderici Metensis legi, Hirsch De Vita Sigeb. p. 230 jam monuit; Gesta Sigeberti opere recentiora sunt, sed alium sequuntur auctorem.

(393) Hujus epistolæ meminit etiam Flodoardus Hist. Rem. III, 23, quam Gestorum scriptori ad manus fuisse putarim.

annos exierant et civitatem Namnetis [2065] combusserant[2066], (394) episcopumque ejus sabbato [2067] sancto paschæ, dum fontes benediceret, cum clero [2068] suo trucidaverant, Andegavis, Turonis, Pictavis, Leodium (395), Trajectum [2069], Tungrim [2070], Coloniam, Bunnam [2071], Tulpiacum [2072], Juliacum [2073], Niusa [2074], Aquis, Hindam [2075], Malmundarium [2076], Stabulaus, Prumiam, Numago [2077], regium castrum, igne et ferro adnichilaverunt. Treberici (396) ergo [2078] inito cum sapientioribus consilio, quicquid in civitate ecclesiastici census vel ornatus fuerat, in subterraneis occulunt [2079] specubus, sarcophaga [2080] etiam sanctorum altius terræ immergunt [2081], ne sanctorum [2082] reliquiæ ludibrio essent barbarorum vesaniæ. Erat (397) itaque in monasterio sancti Paulini cripta, ubi circa ipsius sancti sarcophagum [2083] ferreis catenis suspensum [2084] 13 jacebant corpora martirum, quorum nomina [2085] aureis litteris in ejusdem criptæ parietibus erant descripta. Religiosi igitur [2086] qui tunc erant Christiani, timentes, ne per hujus scripturæ indicium ludibrio, ut dictum est, fierent hostibus sarcophaga [2087] vel ipsa [2088] ossa martirum, salubre iniere [2089] consilium, ut scilicet ablatis de parietibus litteris nomina eorundem martyrum, insuper qui fuerint, unde venerint, quando [2090] quomodo a quo occisi sunt [2091], in plumbea scriberetur tabula, ubi quandoque possent inveniri [2092], et horum nominum [2093] translationis causam [2094] et martirum nomina et merita. Taliter autem scripserunt in tabula [2095] plumbea (398) : *In hac cripta jacent* * *corpora sanctorum quorum nomina hæc sunt*, ***Palmacius***, ***Maxentius***, ***Constantius*** [2096], ***Crescentius***, ***Justinus***, ***Leander***, ***Alexander***, ***Sother***, ***Hormisda*** [2097], ***Papirius***, ***Constans***, ***Jovianus***. Corpus quoque sancti Eucharii et reliquorum [2098] ibidem sepultorum altius terræ infoderunt. Idem fecerunt [2099] de aliis circa urbem sepultis [2100].

* B 2. 4. 5. *ita :* jacent et reliqua. B 3. *vero et* C. *integram tabulam exhibent :* « In hac cripta jacent corpora sanctorum secundum seculi dignitatem nobilissimorum, secundum Dei autem voluntatem martyrum preciosorum.

Nam Rictiovarus Maximiani imperatoris [*deest* C.] præfectus legionem Thebeam jussu ipsius circumquaque persecutus, hanc etiam urbem propter ipsos est ingressus. Quorum innumeros cum hic occidisset, hos quoque hujus civitatis [c. h. C 6] principes fidei Cristianæ confessores cum ipsis occidit; quorum hic corpora [corp. hic C.] circumcirca [circumquaque B 3.] sunt collocata [c. et reliqua B 3.]. In medio vero ipsorum sancti Paulini clarissimi Trevirorum episcopi [archiepiscopi C.] corpus est ferreis catenis suspensum, quod ibi sanctus Felix hujus sedis episcopus [archiepiscopus C.] a Phrigia totius regni viribus translatum 3 Idus Maii honorifice suspendit. Qui et istud [hoc C.] monasterium [manasterium C 3.] in honore sanctæ Dei genitricis nec non eorundem martyrum construxit. Nam præter horum principum corpora innumerabilia ejusdem multitudinis corpora in hoc monasterio sunt comprehensa, quorum nomina sicut innumerabilis populi et peregrini non potuerunt reperiri, excepto uno ducis vocabulo, qui Thirsus vocabatur. Hujus itaque et eorum martyrum vocabula, quorum hic videri possunt sarchofaga, aureis litteris in hujus criptæ pariete conscripta fuerunt. Quæ inde devoti qui tunc erant Cristiani huc transtulerunt, quando Northmannos [h. u. n. C] hanc urbem sicut ceteras undique urbes depopulaturos esse præsciverunt. Is ergo qui in dextro sancti Paulini latere est repositus, Palmatius vocabatur, qui consul et patritius toti huic civitati principabatur. In sinistro autem latere ipsius qui jacet Thirsus vocatur [vocabatur C.] cujus nomen solius de tanta multitudine ideo est notatum, quia ipse ejusdem legionis gerebat ducatum. Ad caput autem hujus sancti Paulini septem jacent hujus urbis senatores nobilissimi, martirio [martyres C] cum ipsis Thebeis coronati ; quorum medicus vocatur [vocabatur C] Maxentius, juxta quem dextrorsum qui jacet proximus nomen habet Constantius, post quem est Crescentius, postea Justinus. In latere autem sinistro Maxentii qui jacent tres erant fratres germani, quorum major natu proxime Maxentium Leander, juxta quem Alexander, postea Sother. Ad pedes vero sancti Paulini altrinsecus positi sunt quatuor viri, genere et virtute clarissimi, qui, licet tempore pacis occulte Christum colebant, tempore tamen persecutionis aperte adeo et constanter fidem christianorum defendebant, adeo ipsi Rictiovaro in faciem [fa-

VARIÆ LECTIONES.

[2065] mettis *corr.* namnettis 1[a] mettensis 1[b]. nā metis 5[a]. B 5. mammetis 5[c]. namethis 5[b]. nāmmetis B 6. nā mettis *e corr.* C 1. *et ita* C 3. nāmmetis C 4. [2066] succenderant. episcopum 5. 6. [2067] *deest* 1[b]. [2068] cum omni c. 5. [2069] tracirectum 1. [2070] tungrensem 1[b]. tungerim 5[b]. tungrum C. [2071] *deest* B 6. [2072] tulpaicam 5[a]. tuspaicum 5[c]. tulpaicum 6. *deest* 2. 5[b]. [2073] uibacum B2. [2074] hiusa 2. nussam 6. [2075] indam 5. 6. [2076] malmumdarium 1. st. m. 6. 'st. pr. numago *desunt* 5[a]. [2077] prum inaumago 1. prumnuam 1[b]. niumago 5[b].[c]. neomagum regum 6. numagen C. [2078] vere B 6. [2079] subternenis sp. occult 1[b]. occultant 5[a]. ocultant 5[b]. occultare 5[c]. [2080] scarcophaga 1. [2081] ītere mergunt 1. altius mergunt 1[b] [2082] r. s. 5. 6. v. barb. 6. [2083] sacrofagum 6[c]. [2084] suspensi 1[b].— et in qua *add.* 2. in qua *add.* 5. in aqua jacebant XII c. m. 6. [2085] q. n. eorumdem 5. [2086] *deest* 1[b]. viri B 6. [2087] scarcofago 1. [2088] i. etiam B. C. [2089] uere 1. 1[b]. [2090] quomodo quando 5. 6. quando *deest* 5[b]. [2091] sint simul in 5[a]. sunt simul in 5[b]. o. simul in 5[c]. [2092] invenire 1. 1[b]. [2093] nomina vel translationes 1[b]. [2094] causa 6. causam *corr.* causa C 1. *et ita* C 3 *sqq.* [2095] p. t. 5. 6. [2096] constantinus 5. 6. [2097] ormista papirus 1[b]. [2098] reliqui quorum 1[b]. reliquiorum 2. [2099] fecere B 2. [2100] Explicit lib. IV. *add.* 6[c].

NOTÆ.

(394) Hæc ex Reginone a. 853.

(295) Pergit ex Reginone a. 881, 882.

(396) De vastatione Treverensi a Northmannis facta quædam monumentorum Treverensium testimonia in præfatione collegi. Cf. etiam Sigehardi mir. S. Maximini SS. IV, p. 234.

(397) Hæc narratio tabulæ nititur plumbeæ, quam ipse auctor affert.

(398) Legitur in Hist. martyrum Treverensium c. 2, p. 119, in Vita S. Felicis; Acta SS. Mart. III, p. 623; edita est etiam ap. Hontheim Hist. I, p. 221, — Vide ejusdem Prodr. Hist. Trev. I, p. 92.

tie C.] resistebant, quod eos quasi ad exemplum aliorum diversis tormentorum generibus multum afflictos, tandem in præsentia sua fecit decollari. Alter ergo duorum versus austrum positorum, interior scilicet, Hormisda, exterior autem Papirius vocatur. Alter [alter — Jovianus vocatur *infra suppl.* C1., *desunt* C6] autem eorum, quorum latera aquilonem respiciunt, interior item Constans, exterior Jovianus vocatur. Ingressus est autem Treberim Rictiovarus 4 Nonas Octobris, et eadem die occidit Thirsum cum sociis, sequenti autem die Palmatium cum aliis principibus civitatis. Tercia vero die cedem exercuit in plebem sexus utriusque. »

B. 3. *et Leibnitius addunt :* Cum autem terra de crypta, ubi hæc jacent sanctorum corpora, potaretur [portarentur *Leibn.*], os quoddam incaute projectum sanguinem fudit non modicum. Quod mox in præsentia abbatum, clericorum et laicorum in vasculum delatum, quoties effundebatur, toties cum magna cruoris inundatione replebatur. In hac autem inundatione a nona hora sabbati usque ad primam secundæ feriæ horam permansit. Et adhuc permanet sanguinolentum.

28 [2101]. Anno Dominicæ incarnationis 880 [882] [2102] (399) defuncto Ludowico [2103] imperatore, Nortmanni [2104] (400), audita ejus morte, cum omnibus viribus [2105] exeuntes, urbem Trebirorum Non. [2106] Aprilis, die sacratissimo [2107] cœnæ Domini, occupaverunt, Bertolfo episcopo cum quibusdam civibus fuga lapso [2108]. In (401) qua usque an sanctum [2109] diem Paschæ fessa ab itinere corpora recreantes, omne territorium urbis circumquaque usque ad solum demoliti sunt, omnes quoque [2110] quos intra et [2111] extra urbem reperierunt [2112] gladio occiderunt, ipsamque urbem et monasteria [2113] omnia igne succenderunt [2114]. Cumque (402) etiam [2115] monasterio sancti Paulini ignem multotiens injecissent, sed divinitus extingueretur, catenas ferreas quibus sarcophagum [2116] ejus pendebat [2117] confregerunt; set tamen sarcophagum catenis confractis [2118] nequaquam altius terræ insedit, set in aere pendens remansit, donec post multos annos a quibusdam infidelibus depressum subsedit, non sine vindicta in eos transfusa. Quicumque enim huic sacrilegio manibus [2119] deservierunt, singulas infirmitatum plagas susceperunt. Igitur Nortmanni, civitate [2120] omni exusta et desolata, Mettim [2121] (403) properare disponunt. Quod cum [2122] comperisset [2123] ejusdem [2124] urbis antistes Walo, adjuncto [2125] sibi Bertolfo [2126] episcopo Treberensi [2127] et Adalardo [2128] comite, ad [2129] Remiche (404) ultro illis obviam ad pugnam procedit [2130]. Inito certamine, Nortmanni [2131] viceruntWalo episcopus [2132] ibi cecidit, Bertolfus [2133] cum ceteris fugit. Eodem anno (883) Bertolfus archiepiscopus [2134] migravit [2135] ad Dominum. — Cui successit [2136] Radbodus [2137], abbas [2138] de Mediolaco [2139], venerabilis antistes [2140] (405), et [2141] eodem anno Robertum [2142] in [2143] Mettis [2144] episcopum consecravit. (*An.* 889†917.) Hic adquisivit abbatiam sancti Servatii quæ dicitur Mastreth [2145] ab Arnolfo imperatore *, deinde etiam [2146] a Ludowico [2147] imperatore hæc castella obtinuit [2148], Sericum et Orkosvels [2149] (406) cum villis sibi subjacentibus [2150].**

*1 C. *addit :* et præceptum de eadem abbatia ab eodem imperatore obtinuit habens hunc modum :

Testamentum Arnolfi regis de abbacia sancti Servatii confessoris Christi (407).

VARIÆ LECTIONES.

[2101] *c.* XLIII. *Leibn.* II, *c.* XVI. C. [2102] LXXXII. *e corr.* C 1. *et ita sqq.* [2103] lodowico 1. loduwico 5b. ludovico 5a.c. lothewico B 2. i. 1. B 2. 4. 5. C. [2104] nomanni 1. 5a·b. *alii.* northmanni 5c. B 2. C. *sæpius.* [2105] *deest* 5b. [2106] nono B 6. treveris VII nonas 5b. [2107] sacratissime 2. sacratissima 5. 6. [2108] elapso 2. [2109] d. s. 6. sanct. *deest* 5. sanctam B 6. [2110] omnesque quoque 1. omnesque 6a·b. [2111] vel B 6. [2112] *ita* 1. 1b. 2. repererunt *vel* reppererunt *rell.* [2113] o. m. 5a·b. *In* 5a. ipsumque — succ. *in margine suppleta sunt. Hæc desunt* 1b. [2114] s. igne (igni B 2. C.) B. C. [2115] m. e. 6. [2116] sacroph. 1. sarcophagus 2. *hoc loco*, 5. 6cd. sarcofagus 6a. *et ita infra.* [2117] pendebant B 5. [2118] s. cadens n. 2. [2119] *deest* 5. — et sing. 5b. [2120] civivitate 1. [2121] metim 2. metis 5a·c. methis 5b. methum B 2. metum B 4. [2122] dum 1? C. [2123] comperasset 1. compresset B 6. [2124] ejus 5. 6a. [2125] adjuncto 1. [2126] *deest* 5c. [2127] treberorum 2. treberis 5a·b. 6. treveris 5c. tr. e. B. tr. archiepiscopo C. [2128] adelhardo 1b. C. adalhardo 2. B 4. 5. adolardo 5b. adelrado B 2. [2129] de? 2. [2130] procedunt 5. 6. [2131] northmanni 2. *hoc loco.* [2132] epo 1. [2133] b. archiepiscopus C. [2134] episcopus 5b. B 2. *deest* C 6. [2135] migrat 5a·c. [2136] succedit 6. [2137] rabodus 1. 1b. raphodus 2. rathbodus 5a. C. rathbodo 5b·c. ratbodo 6. katbodus B 5. [2138] *deest* 5. [2139] medio-lacu 2. 5. 6. [2140] abbas 6. [2141] qui B. C. [2142] rubertum 2. rubertum 5a. 6c.d. ruothpertum B 2. ruotpertum B 4. ruotbertum C. ruthbertum C 6. [2143] *deest* 6. [2144] metis 2. 5a·c. methis 5b. B 2. [2145] masetricht 2. masetreh 4. 6. maserch 5a·b. maserth. 5c. mastreiz B 2. mastretz B 6. mastreit B 4. 5. C. [2146] *deest* 2. 5. 6. [2147] alii' dowico 1. alio ludowico 1b. a lohewico B 2. [2148] id est *add.* B 2. [2149] orkegiels? 2. horceshinvelt 4. orceshinvelt 6a·b·d, orcesbinvel 6c. orcesbruvelt 5. orkesveld B 2. orxvels C. [2150] adjacentibus 6. C.

NOTÆ.

(399) A. 882. Regino. Ita etiam, Wyttenbachio teste, in codice Hamelarii Treverensi s. IX ad marginem notatum est : *Anno* 882, *indictione* 15, *Nortmannorum gens Treverim incendio cremavit.*

(400) *Nortmannorum—occupaverunt* ex Reginone a. 882.

(401) *In qua — demoliti sunt* ex Regin. l. l.

(402) Cf. Vitam S. Paulini, Acta SS. Aug. VI, p. 678, ubi hæc aliter narrantur. Alteram fortasse Vitam Gestorum auctor adhibuit, de qua cf. ibid., p. 675.

(403) *Mettim — fugit* ex Regin. l. l.; sed verba *ad Remiche* Gesta adjiciunt. Qua de re cf. Mir. S. Glodesindis c. 29, SS. IV, p. 237

(404) Remich ad Mosellam.

(405) Hæc ex Regin. a. 883.

(406) Sick et Orsvels inter Mosam et Mosellam. Hoc diploma deperditum esse videtur.

(407) Diploma editum ap. Hontheim Hist. I, p. 229.

In nomine sanctæ et inaividuæ Trinitatis Arnulfus — — in Dei nomine, amen.

Testamentum [2151] Zvendeboldi regis de abbatia sancti Servatii (408).

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Zvendeboldus — — in ipso Trajecto.

Item aliud testamentum Zvendeboldi regis de abbatia sancti Servatii (409).

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Zvendeboldus — — Dei nomine amen.

Præfatus etiam episcopus a Ludowico imp. (410) B. C. *addunt :* Post *1 quem Ruotgerus [2152] episcopus præceptum regiæ auctoritatis super eandem abbaciam obtinuit. Iste bonæ conversationis existens, habito Treberi cum suffraganeis episcopis ac reliquo clero generali concilio, librum canonicorum decretorum sua industria compositum, in medium protulit atque firmavit *2.

*1 C. *ita* De cedente vero Rabadone successit Ruthkerus episcopus, qui præceptum regiæ auctoritatis super eandem abbatiam obtinuit; cujus exemplar hic inserere non videtur ab re :

Testamentum Karoli regis Francorum de abbatia sancti Servatii (409).

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Karolus — villa Theodonis.

Testamentum Karoli regis Francorum de abbatia sancti Servatii (411).

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Karolus — Eristail palatio.

Iste præfatus pontifex bonæ c.

*2 C. *ita* : confirmavit ac non multo post ad feliciorem vitam migravit.

29 [2153]. Deinde Rutpertus [2154] (412) extitit *1 (*an.* 931); qui *2 corpus sancti Severi, de quo in libro [2155] dialogorum (413) legitur, de Italia transtulit, quod per Mosellæ fluminis alveum, divino famulante nauclero, transvectum [2156], in loco qui Hattonis [2157] portus (414) dicitur appulit, ubi a fratribus a [2158] monasterio [2159] sancti Martini de pago nomine Megine (415) susceptus et in eodem monasterio honorifice [2160] conditus est. — Post Rutpertum [2161] Heinricus [2162] ecclesiæ præfuit (*an.* 956); qui regulares officinas [2163] et claustrum circa majorem ecclesiam construxit, et vigorem [2164] regularis conversationis ibidem exercere [2165] decrevit, forum in [2166] loco quo nunc [2167] esse videtur instituit (416). Affuit Romæ cum Ottone [2168] (*an.* 963) in damnando magum, non papam Johannem [2169]. Item [2170] Otto abbatiam supradictam potestate [2171] de hac ecclesia tulit, et aliam [2172] quæ dicitur Horrea, quasi [2173] sua, esset, pro Mastreth [2174] huic ecclesiæ delegavit (417), cum [2175] ad eum nichil pertinuerit. Heinricus *3 episcopus in Italia obiit [2176] (*an.* 964, *Jul.* 2). — Cui Theodericus [2177] successit *4; qui corpus decessoris [2178] sui Treberim relatum in cimiterio majoris ecclesiæ sepelivit; privilegia [2179] suæ ecclesiæ renovavit et auxit [2180] *5. *6. Romæ cellam [2181] quatuor Coronatorum cum omnibus appendiciis suis sibi suisque successoribus in perpetuum acquisivit [2182] *7. Sub eo regulares canonici in ecclesia sancti Petri esse desierunt. Sepultus *8 est [2183] in cimiterio sancti Eucharii (*an.* 977, *Jun.* 5). — Cui successit æternæ memoriæ Eckebertus [2184] *9, nobilitate et virtute insignis [2185]. Hic ecclesiam suam, paganorum et [2186] Christianorum rapina [2187] exinanitam, largissima liberalitate [2188] ditavit, aureis et argenteis crucibus, plenariis [2189], casulis, dalmaticis [2190], tunicis, palliis, cappis, velis cortinisque [2191] et possessionibus auxit; monasteria [2192] urbis, rapina comprovincialium [2193] prædiis exaustas [2194], recollectis ubique manu potestativa possessionibus, reparavit (418); abbatiam [2195] sancti Servatii dono [2196] secundi (419) Ottonis [2197] recepit. Jejunium *10 in sua parrochia [2198]

VARIÆ LECTIONES.

[2151] *Sequentia duo diplomata desunt* C 3. 4. [2152] rogerus B 2. rubertus B 6. [2153] *c.* XLIV. *Leibn.* rupertus 2. ruothpertus 4. rubertus 5a. 6c·d. B 3. 6. robertus 5b·c. ruobertus 6a. rothbertus B 2. rutpertus B 4. 5. — Post hunc rupertus C. — episcopus *add.* 4. B. C. *et post* extitit 5b. — extitit *deest* 2. [2154] rupertus 1b. [2155] primo l. 4. 5. leg. in l. d. 6. [2156] transvexit 1b. [2157] hartonis 5. — applicuit 5b. [2158] de 6. B. C. *deest* 1b. 5a. [2159] monaserii 1. f. monasterii 1b. [2160] *deest* 5. [2161] rutbertum 1. rubertum 1b. C. robertum 2. 5. 6. ruothpertum 4. rothbertum B 2. ruopertum B 4. ruobertum B 6. [2162] henricus 2. *hoc loco.* 5. 6. *semper.* [2163] *deest* 1b. [2164] rigorem 4. 5. 6. [2165] d. e. 2. 4. 5. 6. exerceri 6a·b·d. B. C. [2166] *deest* 2. [2167] non 1b. v. e. 2. 5. [2168] otthone 6a. *sæpius.* o. primo B. C. [2169] Joh. XII. 5a·c. XIII. 5b. [2170] idem 5. 6. item *superscr.* vel idem C 1. *et ita* C 3. [2171] potestative 5. p. regia B. C. [2172] liam 1. [2173] quæ B 4. 5. C. quæ *superscr.* vel quasi C1. *et ita* C 3. *ubi deest* sua. [2174] masetricht 2. masetrech 4. 5b. masetreh 5a. masetreht 5c. masethre 6. mastreht B5. mastreith C1. mastreit C3. mastret C4. maestrich C6. [2175] cum — pert. *desunt* 5a. [2176] moritur 4. [2177] theodricus 5a. s. t. B2. [2178] predecessoris 2. 4. 5b. c. *e corr.* 1b. *ubi mox* treberis. [2179] privilegium 5. 6. e. s. 6. [2180] exauxit 1. [2181] etiam cellam C. [2182] acquesivit 1. 5b. acquisivit in p. 6. [2183] *deest* 5b. [2184] ecb eckebertus 1. eketherus 5. eketbertus eterne memorie 6. ekeberdus B5. ekebertus C. [2185] insignitus 2. [2186] et chr. *desunt* 5a. [2187] rapinis 6c. [2188] leberalitate 1. [2189] planetis 6. [2190] dalmaciis 2. [2191] cortinis 4. 5. 6. [2192] monasterio B5. m. urbes 1b. [2193] provincialium 5c. et provincialium B. C. [2194] *ita codd., quos vidi omnes fere;* exhaustas C. exhausta 2. 5. 6. [2195] p. abb. rep. 5. abbatiam — recepit *desunt* C. [2196] *deest* 5c. [2197] O. s. B. [2198] porrochia 1.

NOTÆ

(408) ap. Hontheim p. 237.

(409) ap. Hontheim non legitur.

(410) De hac collectione cf. Wasserschleben ap. Richter Kritische Jahrbucher 1838, p. 485 et Beitrage p. 30. Albericus a. 905 addit : *ad episcopum Virdunensem Dadonem.*

(411) ap. Hontheim p. 281.

(412) Rotgero successit a. 931 · v. Ann. S. Maximini SS. III, p. 6.

(413) Greg. M. dial. I, 12.

(414) Hatzeport; cf. Brower., p. 459, qui etiam Translationem S. Severi affert.

(415) Meinfelt.

(416) In codice C3. alia manu in marg. additur · *In quo fecit erigere crucem, in cujus summitate repcritur hodie sculptum : « Ob memoriam signorum crucis que celitus super homines venerant anno dominice incarnationis* 968, *anno vero episcopatus nostri secundo, Henricus archiepiscopus me erexit. »*

(417) Diploma v. ap. Gunther, cod. dipl. Rheno-Mosell. I, p. 74.

(418) V. diplomata ejus ap. Hontheim p. 320, 321 et translationem S. Celsi infra editam.

(419) Tert.; v. dipl. infra col. 1167, n. *1. ex C. allat.

tercia post pascha ebdomada fieri præcepit (420), A corpus [2199] sancti Celsi confessoris in cimiterio sancti Eucharii [2200] repperit (421) *11. Adveniente quondam [2201] festivitate [2202] sancti Eucharii, ipse pro celebrando ibidem divino officio ad ejus monasterium perrexit. Cumque post [2203] expleta missarum [2204] sollempnia a fratribus obnixe [2205] peteretur cibi potusque [2206] karitatem sumere, ne eis onerosum fortasse existeret si tanta comitatus ambitione ibidem reficeretur [2207], cœpit oblatam [2208] a fratribus karitatem omnino [2209] refutare et reditum suum in [2210] urbem maturare. Cumque venisset ad fluvium [2211] Oleviam [2212], cœpit infirmitate gravi deficere, nec mora ad suam sedem [2213] veniens [2214], diem clausit extremum [2215]. (*an.* 993, *Dec.* 9) Sepultus est ibidem in [2216] parva ecclesia (422), quam ipse con- B struxerat [2217] in honore sancti Andreæ [2218] *12.

*1 C. *addit :* qui privilegium ab Ottone primo super abbatiam sancti Servatii obtinuit habens hunc modum :

Testamentum Ottonis regis Francorum de abbatia sancti Servatii (423).

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Otto — — in Thalahem.

*2 B. C. *omittunt* qui — conditus est, *et eorum loco hæc ponunt* : Iste [Rubertus archiepiscopus *add.* C.] primus, ut ferunt [2219], Treberensem ecclesiam regno quod Lotharingium vocatur adjecit, pro eo quod soror ejus imperatori in matrimonio juncta fuit (424), cum usque ad ejus tempora Francorum regno, quod [2220] a Karolo nomen habet, subjecta multis fuisset honoribus illustra Sancto Martino [2221] quædam bona abstulit Treberi. C

*3 B. C. *ita pergunt :* Ipse vero Heinricus 80 mansos [2222] de Sancto Martino tulit, et postea in Italia obiit.

*4 B. C. *pergunt :* vir nobilis et magnæ auctoritatis, præpositus Mogonciæ majoris ecclesiæ, qui privilegia, *etc.*

*5 C. *add.*. quorum exempla hic ponere curavimus :

C. 17. Privilegium Benedicti papæ quod dedit Theoderico episcopo Tr. (425).

Benedictus episcopus — indictione supradicta prima.

C. 18. [2223] Item privilegium Benedicti papæ quod dedit Theoderico episcopo Treverensi (425).

Benedictus episcopus — indictione suprascripta tercia.

C. 19. [De [2224] eodem Johannes[1] XIII papa (426).

Johannes episcopus — indictione 12. *Bene valete.*

Memoratus [2225] pontifex Theodericus ecclesiis, *etc., ut cod.* B.

*6 B. C. *add. :* ecclesiis sancti Martini, ubi sanctus Magnericus requiescit, et beati Paulini donaria [2226] multa dedit et collapsa [2227] vetustate renovavit (427).

*7 C. *pergit :* et privilegium a Benedicto papa super hanc obtinuit habens hunc modum.

C. 20. Privilegium Benedicti papæ quod dedit episcopo Theoderico Tr. [2228] (428).

Benedictus episcopus — indictione suprascripta tercia.

Sub eodem pontifice regulares, *etc.*

*8 B. C. *pergunt:* Mogontiæ defunctus sepultus est in basilica sancti Gangulfi [2229] martyris, quam ipse de proprio suo construxit ac 12 fratres [2230] ibi Deo famulaturos datis necessariis [2231] instituit.

*9 B. C. *pergunt :* Ekebertus episcopus [2232] (a). Hic de Brittannia ortus, patre Theoderico comite (429) et matre Hildegarda nomine, divitiis et nobilitate Anglorum primoribus, divinitus, ut credimus, huic sedi est prædestinatus. Nam ut primum, Christo Treberensibus consulente, hanc sedem conscendit, multifariam ejus inopiam karitate et mise-

VARIÆ LECTIONES.

[2199] Corpus insuper C. [2200] r. e. 6c. [2201] quadam 4. quodam 5c. 6c. quodam die B2. [2202] festo 5a. c. 6. festum 5b. [2203] *deest* 6c. [2204] misarum 1. [2205] p. o. B. C. [2206] cibi et potus B. C. [2207] *ita* 2. 4. 5. 6. reficeret 1. B. C. [2208] *deest* 2. 4. 5. 6. [2209] *deest* 5b. omnino caritatem 6. [2210] *deest* 1. [2211] flumen B. C. [2212] olevia 4. 5. oliviam B2. 6. C. olivam B5. obliviam C 6. [2213] sedem suam 5. [2214] perveniens B. C. [2215] C6. *in marg. :* 5. Idus Decembris. [2216] *deest* 2. [2217] ipse in hs. s. A. construxerat B. C. [2218] a. apostoli. [2219] fertur B 2. [2220] quod a *desunt* B 6. [2221] materno B 2. [2222] mansas B2. [2223] *Sequentia duo dipl. des.* C3. 4. [2224] *ita W.; desunt* C1. 6. [2225] cap. XVIII. *inc.* C3. [2226] donario B5. [2227] collapso B5. [2228] *rubra deest* C1. *ubi nonnisi* VI pp *legitur.* [2229] gyngulfi B2. [2230] fratribus i. d. famulantibus necessaria vitæ instituit C. [2231] necessaria B5. [2232] archiepiscopus C.

NOTÆ.

(420) Jejunium postea bannitum dictum esse, D Brower, p. 486 adnotat. — Cf. Hist. mart. Trev., c. 4. (Hontheim Prodr. I, p. 124), ubi hæc leguntur : *Postea quinto Kal. Maii, qua die juxta inductum Ekberti archiepiscopi plurimæ circamanentium villarum turbæ cum crucibus Treviros solent venire et monasteria civitatis illius omnia circuire.*

(421) Ex cujus translationis Historia a Theoderico scripta quædam infra edidi.

(422) Ecclesiæ metropolitanæ versus orientem.— Cod. Par. (C 6.) ejus epitaphium addidit, quod Browero monente (p. 493) jam ejus temporibus, loculi modo vestigiis apparentibus, excidit. Hoc est :

Epitavium Erberti (ita cod.).

Pontificum decus, ecclesiæ clarissima lampas,
Pax et amor populi, totius gratia cleri,
Hic jacet, Egbertus lucis regione repertus,
Præsul Trevericus, sed et aulæ conditor hujus,
Rexit et ecclesiam senos denosque per annos
. . . . . *novenis atque diebus.*
Omnes dilectum prece commendate patronum.

423) ap. Hontheim p. 264.

(424) Qua de re cf. quæ dixi Jahrbucher I, 1, p. 60. Rotbertum regum Saxonicorum fuisse propinquum, fratres Ballerini ex loco quodam Ratherii docere volunt, ubi dicere videtur, suæ consecrationis die Rotbertum nepotem Brunonem archiepiscopum ordinasse ; v. Opera Ratherii p. 208, n. 22.

(425) apud Hontheim non legitur.

(426) ap. Hontheim p. 305.

(427) Cf. diploma Theoderici in Hist. et comm. acad. Pal. III, p. 40, et Benedicti papæ ap. Hontheim p. 316, et quæ de hoc monasterio infra edidimus.

(428) ap. Hontheim. p. 314.

(429) Hollandiæ; cf. Adalberti diaconi Vitam, Egberti jussu, scriptam, Acta SS. Jun. V, p. 102;

ricordia, quæ in eo habundavit, sic in perpetuum relevavit, ut quamdiu hic mundus volvitur ejus memoria digne celebranda [2233] judicetur. Mox etenim omnibus suis secundum carnem et spiritum in Brittannia propinquis mandavit, ut ad se invisendum suæque generositatis indicium declarandum se præpararent [2234], et proximo natali Domini cum omni pompa et ambicione Treberim properarent. Quod cum [2235] ipsi studiose et strennue implessent, ipse, karitate mediante, omnes eis quas [2236] detulerunt rebus et pecunia spoliavit, eisdemque [2237] in patriam [2238] reversis, multoque plura remittentibus et preciosiora adjicientibus, ecclesiam suam p.

(a) C. *add.* : Hic præceptum de abbatia sancti Servatii ab Ottone imperatore secundo obtinuit hujusmodi [2239].

Testamentum Ottonis regis de abbatia sancti Servatii (430).

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Otto — Actum Ingilenheim feliciter. Amen.

Igitur [2240] præfatus pontifex de Brittannia, *etc.*

*10 B. C. *ita pergunt* : Jejunium [2241] pro siccitate terræ imminente et rogationes cruciumque et sanctarum [2242] reliquiarum gestaciones per circuitum vallis Treberici [2243] ab omnibus qui sunt in sua p.

*11 B. C. *add.* : Iste (431) namque Ekebertus [2244] et Theodericus Metensis [2245] episcopus anno Dominicæ incarnationis 970, cum Ottone magno et gloriosissimo imperatore augusto, cujus conjunx Theophanii (432) in [2246] Italia per triennium fere constituti, multa sanctorum corpora collegerunt, quæ ad sedes suas transmiserunt. Ekebertus (433) sanctum [2247] Severum presbiterum in Terentina valle sepultum, de quo sanctus Gregorius in libro dialogorum [2248], adjutorio regis supra nominati [2249] acquisivit, qui [2250] per Mosellæ fluminis alveum transvectus est [2251]. Acquisivit [2252] in Spoleto [2253] civitate ossa Gregorii martyris (434) et Ponciani martyris, in castro Turegum reliquias Felicis et Regulæ (435). Episcopus autem Corfinii Theoderico episcopo Metensi dedit corpus sanctæ Luciæ virginis, testificans, manu sua evangelio superposita, hanc ipsam esse Siracusanam, de qua responsoria [2254] et antiphonæ cum missa cantantur ubique, et eo loci per Foroardum quendam ducem Spoletinum [2255] translatam. Quod (436) dimidium idem Theodericus Ekeberto episcopo [2256] devotissime petenti tradidit. Hujus [2257] industria Treberensis ecclesia baculum sancti Petri jam diu amissum recepit. Quem qualiter amiserit [2258], breviter dicemus (437). Temporibus sancti Maximini Hunis Renum [2259] transire et Gallias invadere meditantibus, sanctus Servacius Trajectensis episcopus prævidens in spiritu cædes et incendia tociusque [2260] Galliæ futurum excidium, Romam causa orationis adiit, ut suffragio apostolici patrocinii mitigaret iram Domini. Ubi dum triduo precibus et lacrimis insisteret, responso didicit apostolico, nullo modo vindictam Domini præterituram, nilque in Gallia civitatum vel ecclesiarum inustum relinqui, nisi solum in Meti [2261] monasterium sancti Stephani (438). Inde ergo reversus Treberim, sancto Maximino quod audierat retulit, nec multo post apud Trajectum obiit. Quicquid igitur in civitate Treberica [2262] erat reliquiarum mobilium [2263] prædictæ hostilitatis metu ad Metim [2264] deferendum consilio sapientium [2265] est decretum. Porro ante [2266] Hunorum irruptionem Treberi Grecorum pertulerunt invasionem (439). Nec multo post ille omnium fama celebris Attila, rex Hunorum, miseriarum gurges et malorum, a Reno Aurelianis usque omnem Galliam captivavit, incendit et vastavit. Exin [2267] cum pace reddita cepissent urbes et vici secundum pristinum inhabitari, Treberi res suas a [2268] Metensibus repetentes, in vanum fuere laborantes. Placuit ergo [2269] tributum de civitate Treberi [2270] sancto Stephano Metensium patrono annuatim persolvi, quo per hanc exhibitam venerationem mererentur aliquam rerum suarum restitutionem. Quibus cum præter baculum alia [2271] redderentur, essetque pudor Treberorum [2272], victores quondam gentium tributarios esse Metensium, rupto fœdere altare in honore [2273] sancti Stephani super quatuor columpnas in curia erexerunt Treberica [2274], et prædictum censum annis

VARIÆ LECTIONES.

[2233] celebranda *corr.* celebrando B2. celebrando B3. 6. celebranda *e corr.* C1. [2234] preparent B5. [2235] *deest* B2. [2236] o. quos B4. 5. eis *deest* B 3. C. [2237] isdemque B2. 6. C6. isdem *corr.* hisdemque C1. *et ita* C3 *sqq.* [2238] patria B5. 6. [2239] *h. et ipsum dipl. deest* C3. 4. [2240] c. 19. *inc.* C3. [2241] i. etiam C. [2242] sanctorum B2. [2243] treberici *corr.* treberice C1. *et ita* C3 *sqq.* [2244] eckebertus B2. ek. archiepiscopus C. [2245] methensis B4. [2246] *deest* B5. C. [2247] sanctum—transvectus est *desunt* B6. [2248] in dialogo B2. meminit *post add.* C1. *et ita* C3 *sqq.* [2249] prenominati B2. [2250] qui — transvectus est *desunt* C. [2251] *deest* B4. 5. [2252] Obtinuit etiam in C. [2253] poleto B6. [2254] responsorio B5. [2255] poletinum B6. [2256] archiepiscopo C. [2257] *c.* XLV. *Leibn.* Hujus etiam C. [2258] amiserint B2. [2259] rhenum C1. *semper.* [2260] tocius B2. 6. [2261] methi B2. metti B3. C. meto B4. 5. [2262] treberi B2. [2263] nobilium B6. [2264] mehtthi B2. mett. B4. [2265] sapientum C. [2266] autem B4. [2267] exin *corr.* exinde C3. *et ita* C4. 6. [2268] jam B5. [2269] igitur B2. [2270] treveri C1. [2271] *deest* B2. [2272] trebirorum *corr.* trebiros C1. *et ita* C3 *sqq.* [2273] in h. *desunt* B6. [2274] treberici B2.

NOTÆ.

v. etiam Hontheim Prodr. I, p. 84. et Kluit Hist. comm. Hollandiæ.

(430) ap. Hontheim. p. 331.

(431) Hæc ex narratione illa de sanctis a Theoderico reportatis, quam v. SS. IV, p. 473 hausta sunt; sed narratio nullam Ekberti facit mentionem.

(432) l. l. rectius Adelheida nominatur..

(433) Cf. quæ supra in textu antiquo leguntur; scriptor fortasse translationis historiam vidit.

(434) Hæc narratio Theoderico tribuit.

(435) Hæc in narratione non leguntur, ex qua sequentia sumpta sunt.

(436) Addit hæc scriptor Treverensis.

(437) In Gestis epp. Tullensium baculus S. Petri Tullio Mettim sæc. x pervenisse narratur. De ipso Metti asservato v. Brower. I, p. 483. Cf. vero Vitam S. Agritii p. 778 : *Baculum quoque apostolorum principis Petri de manu ipsius in fraternæ mortis consolatione nec non apostolicæ dignitatis honore susceptum, huic loco beatus Eucharius intulisse non ignoratur. Quapropter, sicut privilegium in Romano armario repositum testatur, quod omnis ejusdem apostolorum principis in Romana sede successor baculi sustentatione non utitur.*

(438) Hucusque Herigerum c. 22, 23, SS. VII, p. 173 sequi videtur. Nunc addit narrationem valde fabulosam, ex libro nescio quo descriptam.

(439) V. supra c. 19, 22.

singulis illuc persolverunt. Deinde a Metensibus in curia regis orta querimonia, et dicentibus annuum tributum a Treberensibus sibi debitum aliquod [2275] jam annis sibi negatum, istis quoque negantibus umquam se alicui [2276] tributarios fuisse, Metenses in fidei et querelæ suæ testimonium rogant mitti et inspici, quod super columpnas erat in curia altare locatum. Quod cum utrorumque arbitrio definitum foret fieri debere, Treberici occulte celerrimum nuntium miserunt, et altare columpnis depositum in monasterio sancti Petri collocaverunt. Sic ergo cum res mota querimoniis probari non posset testimoniis, Treberenses hac potiti victoria, baculi tamen caruere præsentia, donec post supradictas et trium adhuc gentium gravissimas irruptiones, Wandalorum, Francorum et Nortmannorum, Ottone regnante, frater ejus [2277], potentissimus Coloniensis episcopus, hac etiam civitate donatus, a Treberensibus rogatus, baculum huic ecclesiæ restituendum a Metensibus extorsit, sed eum [2278], eadem qua clavum Domini perfidia subtrahere voluit (440), Coloniensi ecclesiæ dono dedit. Paucis hinc annis transeuntibus, Ekeberti episcopi [2279] instantia Warinus Coloniensis episcopus partem baculi cum apice secans, superiorem partem sibi [2280] retinuit, reliquam huc [2281] transmisit. — Feruntur hirundines ab hoc viro, scilicet Ekeberto episcopo, maledictæ, templum sancti Petri non involare, aut [2282] si involaverint, exanimari, quod [2283] sibi quodam [2284] die super altare sacra celebranti ex una earum caput contigisset fœdari.

*12 B. C. *add.* : in latere ecclesiæ [2285] dextro. Sinistrorsum vero depositus jacet Heinricus supra nominatus, hujus tercius antecessor [2286], quem in Italia defunctum huc relatum illic sepelivit.

30. [2287] Huic successit Liudolfus [2288] *. Eo [2289] pontificante, præfuit in monasterio [2290] sancti Paulini præpositus nomine Adelbero, de Lucelenburch [2291] ortus, vir potens et dives, habens castella A [2292] hæc : Sarburch [2293], Berencastel [2294] et [2295] Rutiche [2296] (441) ; qui inito [2297] cum Liudolfo archiepiscopo [2298] pravo consilio, ecclesiam [2299] sancti Simphoriani, quæ abbatibus sancti Martini subjacebat, partim vi, partim dolo [2300] sibi vendicavit, episcopo, proh dolor! sibi [2301] consentiente, et deinceps [2302] eam Sancto [2303] Paulino retinuit. Liudolfo [2304] autem defuncto [2305] (*an.* 1008, *Apr.* 7), ea fiducia qua [2306] sua [2307] soror Heinrico Claudo [2308] imperatori nupta fuerat, episcopatum invasit [2309], milites [2310] in sua sacramenta jurare coegit, palatium quod situm est in eadem [2311] urbe occupavit, pontem quoque Mosellæ turribus munivit. Heinricus [2312] autem imperator Meingaudo [2313] episcopatum [2314] dedit, præposito ecclesiæ [2315] Mogontinæ ; B qui cum pararet [2316] potentiæ Adelberonis resistere, 80 [2317] mansos de rebus Sancti Martini Ravengero [2318] de Madelberch [2319] (442) et [2320] Udelberto [2321] de Stalle [2322] in beneficium dedit, nec tamen prævaluit. Tunc (443) Heinricus [2323] imperator cum exercitu Treberim venit et palatium obsedit a Dominica post Albas usque ad Kal. Septembris (*an.* 1008, *Apr.* 4, *Sept.* 1). Qua obsidione non solum regio in circuitu urbis undique vastata est [2324] [set [2325]] ipsa quoque [2326] civitas, quæ jam [2327] post vastationem Nortmannicam ædibus exornata [2328] et [2329] aliquatenus fuerat inhabitata, in pristinam solitudinem est [2330] redacta. Non solum denique obsessores, set [2331] et ipsi palatini obsessi frequentibus eruptionibus [2332] ipsos obsessores et [2333] finitima palatii [2334] populabantur. Una die de vertice Jurani [2335] montis multitudo boum [2336] et ovium ad servitium imperatoris adducta [2337] cum præsidio militum [2338] descendit. Quod palatini ex [2339] arce prospicientes, eruptione [2340] subito facta, boves C et [2341] oves præsidio [2342] eorum fugato, ante se in

VARIÆ LECTIONES.

[2275] aliquot C1. *et ita seqq.* [2276] a. se B2. [2277] B4. *in margine* : Bruno [2278] cum B2. [2279] archiepiscopi C. [2280] *deest* C3. 4. [2281] huic B2. hunc B5. [2282] vel C. [2283] eo quod B2. [2284] quadam B 6 C. [2285] *deest* B6. [2286] antecessori B2. [2287] *c.* XLVI. *Leibn.* [2288] luitoldus B4 5. hildolfus B6. [2289] Quo B. C. [2290] ecclesia 5. 6. [2291] lenburch 1[b]. lutzelenburc 2. luzelēborch 5[b]. luzelembruch 6[c]. luzelenburc B4. 5. luzelenburch C1. lutzlenburg *e corr.* C3 *et ita* C6. [2292] castra 5. 6. [2293] sareburc 2. sareburch 4. 5. saremburch 6[a] saren (m) bruch 6[c.d]. [2294] herencastel 5[a.b]. herencastell 5[c]. berencastell 6. beronoasdel B2. [2295] *deest* 5[b]. [2296] rutche 1. ruteche 1[b]. ruthiche 5[a]. C6. ruthice 5[c]. rustiche 6[c]. rudiche B2. rhothiche C1. [2297] i consilio B4. 5. [2298] archipreshitero 2. episcopo B2. *deest* 5[c]. 6[a]. episcopo L. 6[c]. [2299] et e. 6. [2300] dono v. 5. 6. [2301] *deest* 5[b]. [2302] deindeps 1. [2303] eam obtinuit s. p. 2. 5[c] 6. eam obtinuit 5[a.b]. [2304] luodolfo 2. autem *deest* 5[b]. [2305] d. adelbero ea 5. [2306] quia 5[c]. quod 2? 6. [2307] *deest* B2. soror sua 2. 5. 6. [2308] *deest* 2. 4. 5. 6. heinrici 1[b]. [2309] invaserat B6. [2310] militesque 1. [2311] *deest* B. C. [2312] Neinricus 1. autem *deest* 5[c]. [2313] megingaudo B. C. meingādo 5[b]. meningaudo 5[c]. mangaudo 6[a]. [2314] ep. m. p. e. m. d. 5[a.c]. 6. m. p. e. m. ep. d. 5[b]. dedit *deest* 2. [2315] *deest* 1. 1[b]. 2. mogontiæ 2. [2316] pot. ad. r. pararet B. C. [2317] LX. B. C. [2318] ravengeo 5. 6. reuengoro B2. ravangero C3. [2319] madelburc 2. maldeberch 4. madelberg 5[a.c]. 6. madelberc B4. 5. mailberch B6. [2320] *deest* 5. 6. [2321] oldeberto 4. adelberto 1[b]. 5[c]. adalberto B2. uodelberto B4. 5. 6. C1. [2322] stale 5. 6. [2323] hinricus 1. henricus 2. *hoc loco*, 5. B6. *semper* ; i. henricus 6. [2324] *deest* B. C. [2325] *deest* 1. 1[b]. 2. 5. [2326] et ipsa 6. [2327] *deest* 2. 4. 5. 6. [2328] exornatam C3. 4. [2329] *deest* 5[a]. [2330] pene est B. C [2331] sed — obsessores *post suppletum* 1. sed ipsi 5. [2332] irruptionibus 5. B2. [2333] *deest* 1[b]. [2334] palacia populabant 2. [2335] urani B2. C6. [2336] bovum et avium 1[b]. [2337] deducta 4. adducto B5. [2338] multum 1. multo 1[b]. [2339] ex arce *desunt* 2. [2340] s. f. c. 6. [2341] *deest* 1[b]. [2342] fugato p. ante 6.

NOTÆ.

(440) Qua de re v. Vitam S. Agritii, Acta SS. Jan. I, pag. 777 ; cujus locum infra exhibendum duxi.

(441) Sarburg, Berncastel et Roussy.

(442) Malberg.

(443) Cf. Ann. Quedlimb. h. a. et Thietmarum VI, 25.

palatium compulerunt. Quos Cæsariani milites persecuti, apertis portis simul cum illis [2343] palatium irruperunt. Nec mora, palatini ex abdito portas clauserunt, [2344], omnesque qui irruperant, missis ex [2345] arce lapidibus, alios occiderunt, alios graviter sauciaverunt, reliquos ceperunt. Tunc imperator ex materia domorum urbanarum machinas circa palatium usque ad arces præcepit erigi, quo facilius posset palatinos ex ipsa machinarum æqua palatio altitudine angustare [2346]. Hæ [2347] quoque, palatinis fortiter [2348] repugnantibus, igne [2349] inmisso vel succensæ vel dirutæ [2350] sunt. Cæsar ergo [2351] cum nequaquam proficeret in ejus expugnatione, ad [2352] Kal. Septemb. [2353] profectus, pontem dejici jussit, quem custodiæ [2354] Adelberonis optinuerant, et Megingaudo [2355] episcopatum confirmavit. Qui usque ad finem vitæ suæ in castello Confluentia episcopatum administravit. Adelberone supradicto [2356] invasore maximam episcopii familiam retinente. Tandem circa finem Megingaudi [2357], gravi infirmitate depressus, omnia Megingaudo [2358] reddidit [2359], sed palatium sibi [2360] retinuit. — Obeunte Megingaudo [2361] (*an.* 1015, *Dec.* 23), Heinricus imperator Popponem [2362] in Babenberch [2363] educatum ad offensam Adelberonis præsulem constituit [2364], ita dicens : *Talem virum debeo dirigere, qui tuæ vesaniæ sufficiat resistere.* Igitur Adelbero [2365] tandem sera [2366] pœnitentia tactus, nec valens vires Popponis sufferre, suplex eidem factus, palatium et sua castella et omnia sua contradidit (444), et deinde in monasterio sancti Paulini usque ad [2367] finem vitæ [2368] permansit. Heinricus [2369] ** vero imperator ob ea [2370] quæ civitati patravit incommoda tabulam ex auro et argento et lapidibus preciosis metallizatam [2371] equalis [2372] secundum aitare [2373] sancti Petri magnitudinis [2374] ad satisfaciendum Sancto Petro direxit [2375].

* B. C. *add.* : natione Saxo. Hic muris ecclesiam sancti Petri ac fratrum habitacula [tabernacula C 6] circumcinxit, et ut ea quæ [*deest* B 4. 5. 6. *post suppl.* C 1] intra sunt usui canonicorum cedant, exceptis quæ ad episcopum [episcopium B 2.] pertinent, instituit, quatinus, quomodo religione, ita et [*deest* B 2] mansione (445) a plebe sequestrentur.

** Heinricus — direxit *desunt* B. C.

31. [2376] Anno Dominicæ incarnationis 1015 [2377] Poppo [2378] archiepiscopus [2379] Trebirorum ordinatur. Hic sæpius occupatus in expeditione et procinctu militum, quædam de Sancto Paulino tulit [2380], de palatio etiam 60 monialium præbendas militibus [2381] in beneficium distribuit [2382], Berencastel [2383] quondam Adelberonis prædonibus defensum destruxit, aliud quoque castellum Adelberti cujusdam tyranni [2384], quod [2385] dicebatur Sckiva [2386] (446) ad terram dejecit. Qui videlicet Adelbertus castellum Treberis quondam in honore [2387] sanctæ [2388] crucis constructum [2389] (447) possidebat. Inde [2390] frequenter cum multitudine militum erumpens ad curiam [2391] episcopi, quidquid ibi ad ejus obsequium parabatur [2392] violenter auferens abducebat. Cujus rei ignominia confusus episcopus, videlicet quod [2393] hostem cottidianum sibi tam proximum ob munitionem castelli non posse debellare, multis [2394] ad amicos suos habitis querimoniis, ad hujuscemodi [2395] infamiam depellendam [2396] consilium et auxilium cœpit inquirere. Erat [2397] in exercitu [2398] ejus vir potens divitiis et viribus [2399] fortis, nomine Sicko [2400], qui promisit se temptaturum, si quo modo [2401] posset [2402]

VARIÆ LECTIONES.

[2343] ipsis 6. [2344] *hic desinit cod.* B6. [2345] ab 2. 4. 5. 6. [2346] *deest* 5c. facilius palat. — angustaret (*deest* posset) 2. [2347] hec B2. [2348] fortibus 1. 5a·b. foribus pugn. 1b. [2349] i. succense immisso vel d. 6. [2350] diruptæ 1b. domite 2. 4. 5a·c. 6. deruite 5b. *ubi* sunt *deest*. [2351] vero 1b. [2352] *deest* 1b. [2353] semtb B2. — prof. *deest* 5. [2354] custodia — obtinuerat 5b. custodiæ *corr.* custodia a. obtinuerat C1. *et ita* C3. *sqq.* [2355] megingaudo 1. meingaudo 1b.5a.c. 6. *semper.* meingādo 5b. *semper.* [2356] supradicta 1. [2357] magengaudi 2. *et ita postea ; deest* 5. 6. vitæ 4. [2358] meingādo 5a. menigando 5c. *hoc loco et infra.* [2359] restituit C. [2360] *deest* 5. 6. [2361] minegando 5b. *hoc loco.* [2362] bopponem 2. B4. 5. *et ita deinceps.* poponem 5. B2. [2363] babenburc 2. haberich 5b. babenberg 6. babenbercth 4. *al. m. suppl.*, i. B. *desunt* B2. Regenesburc B4. 5. regenesburch C. [2364] instituit 6. c. p. B2. [2365] albero 1b. [2366] sero C. [2367] in 6. [2368] v. suæ 4. 5. 6. [2369] Hic 2? [2370] ea incommoda q. c. p. 6. [2371] metalli 2. *deest* 4. 5. 6. [2372] equalem 4. 5. 6. [2373] altaris 6. [2374] magnitudine 4. 5. magnitudinem 6. [2375] *deest* 1b. [2376] *c.* XLVII. *Leibn.* II, c. XXI. C1. — C3. *add. rubram :* De archiepiscopo Popone ; *deinceps vero capita haud numerantur.* [2377] mill. XVI. 2. B1. C. MXX. 5. mill. XV. *desunt* B2. 4. 5. [2378] boppo 2. [2379] t. a. 6. [2380] retulit B1. *deest* 5. [2381] *deest* 2. 5. 6. [2382] tradidit 2. [2383] berencastel B2. [2384] c. t. adelb. B. C. [2385] qui 5. 6. [2386] scriua (*vel* seruia) 2. siura 5a ? 6. suira 4c. suura 5b. skiva B1. 4? 5? C. sisiva B 2. *deest* C6. [2387] honorem 6. B2. 4? 5. C. [2388] *deest* 1. [2389] *deest* 2. [2390] unde 6c.d. B1. [2391] curam 1. ibi *deest* 1b. [2392] pertinebat 1b. [2393] qui 4. 5. 6.

[2394] multos 1b. [2395] hujusmodi 5. B1. C3. [2396] debellandam 2. [2397] E enim 5c. e. autem B1. C. [2398] ejus exercitu 6. [2399] f. v. 6. [2400] sikko B1. siko 6. C. *semper.* sicho 5. *semper.* [2401] q. h. m. inveniret 4. [2402] i. p. h. m. m. 6.

NOTÆ.

(444) Apud Hontheim I, p. 368 et 371 asservantur duo diplomata (a. 1036 et 1037), quibus varia donat monasterio S. Mathiæ. Possidet bibliotheca Trev. aliam chartam de a. 1037, nondum impressam, in qua et variis aliis ecclesiis (S. Martini, Prumiensi, S. Mariæ ad Martyres, etc.) iste Albero donationes villarum suarum fecit. WYTT.

(445) Cujus ruinas s. XVIII. ex. superfuisse, imo adhuc retro dnos vulgo auf dem Graben videri, Wytembach. adnotat.

(446) Wyttenbach ex recentiore quodam cod. Trever. affert verba : *Skiva quod Munclerum dicebatur.* Hodie Monclair.

(447) Nullæ amplius hodierno tempore hujus castri, olim prope Treverim siti supersunt, ruinæ. WYTT

hujus mali [2403] invenire medicamentum. Episcopo [2404] sibi satis congratulante [2405], egreditur ille [2406] cupiens quæ spoponderat adtemptare [2407]. Quadam die pergit [2307] ad portam castelli, pulsans [2408] fores [2409], rogat [2410] sibi ab [2411] Adelberto [2412] ad refocilandum poculum [2413] (448) mitti; quod cum [2414] celeriter allatum fuisset et ebibisset [2415], nuncium [2416] alloquitur [2417]: *Domino tuo*, ait [2418], *ex mea parte magnas gratias* [2419] *nunciato, pariter et hæc verba narrare curato, quod vita sospite hoc sibi* [2420] *poculum grata voluntate citissime* [2421] *rependere studebo.* Et his dictis abiit. Captato [2422] deinde oportuno [2423] tempore, 30 hamas [2424] præparat, in quibus singulis singulos milites electos loricatos [2425] et [2426] galeatos ensibusque præcinctos [2427] collocat, et [2428] desuper lintheis opertas [2429] funes [2430], quibus vectes [2431] ad portandum [2432] eas insererentur [2433], componit. Deinde 60 [2434] viros nichilominus electos et plebeia veste [2435] amictos, ensibusque [2436] eorum in hamas [2437] reconditis [2438], gestatores constituit, nulloque [2439] hominum hujus fraudis præter [2440] prædictos viros [2441] conscio, ipse Sicko [2442] cum his et aliis paucis militibus vallatus ad castellum tendit [2443]; fores [2444] pulsavit. Servo sciscitante quis sit et quid velit: *Dic*, ait, *domino tuo, me sibi vinum magnæ* [2445] *dilectionis gratia olim promissum deferre, quando ipsum non piguit mihi sitienti* [2446] *poculum dirigere.* Servo renuntiante [2447], Adelbertus jussit viros intromitti. Quibus ingressis et hamas coram Adelberto [2448] in terram simul ponentibus [2449], post eos Sicko subintrat [2450], jubet auferri linthearum [2451] velamina, rogat [2452] Adelbertum suscipere dilectionis munera. Portitores [2453], sicut erant docti, uno momento pariter omnia [2454] hamarum velamina dejiciunt, gladios suos [2455] diripiunt [2456]; insidiæ de hamis exiliunt [2457], gladios [2458] stringunt, fortiter undique feriunt, ipsumque [2459] Adelbertum obtruncant, ceteros ædi-

A tuos crudeliter mactant, castellum in solitudinem redigunt [2460]. Sicko a Poppone pro victoria [2461] beneficiis illustratus est [2462] *1.—Hic Poppo ecclesiam sancti Petri jam collapsam reparavit, et in honore sancti Martini [2463], translatis in eam [2464] partim [2465] reliquiis ejus, dedicavit, turrimque [2466] ibidem construxit (449); Sancto [2467] Euchario quædam bona delegavit, quædam ablata restituit. Sanctus Symeon [2468] solitarius super [2469] nigram portam Treberis claruit; ubi et requievit [2470]. Popo archiepiscopus ibi congregationem [clericorum [2471]] instituit (450); ubi et ipse ad pedes scilicet [2472] sancti Symeonis postmodum requievit (*an.* 1047).

B

C

*1 B. C. *pergunt:* Simili modo per alios principes suos multa [2473] castella partim vi, partim dolo cepit, tyrannorumque insaniam diu impune bachantem ex parte maxima refrenavit. Monasteriis sane eorum violentia pene exhaustis prout potuit misericorditer succurrit, quibusdam non habita dando, quibusdam ablata restituendo, exceptis dumtaxat, ut supra diximus, duabus congregationibus, sancti Paulini videlicet et sanctæ Mariæ de Palacio, ex quibus alteri propter Adalberonis insolenciam quædam subtrahendo minime pepercit, alteri propter maliciam ibidem habitantium, de quibus postea dicemus (451), cuncta quæ habuerant abstulit, ipsasque de loco eodem exterminavit. Hic (452) rogatus a quodam Danorum comite Ottone Daxiam [2474] venit, gentemque Danorum adhuc idolis servientem ad Christum convertit; ubi incredulis repugnantibus cyrothecam ferream fieri præcepit eamque igniri. Qua manu sua vestita nec læsa, lineoque panno cera infuso ad carnem indutus, fornacem candentem [2475] intravit, indeque panno conbusto illæsus exiens, Christum [2476] Dei Filium Deum esse verum, hoc indicio declaravit. Hoc usque hodie apud Danos celebri fama vulgatur, a quibus et Ansgarius [2477] vocatur. Quo nomine ejus [2478] memoria ab eis 5 Idus Septembr. celebratur. Sepulchrum [2479] ejus [2480] Treberi a Danis frequentatur. Sed quia tantisper ejus mentio-

VARIÆ LECTIONES.

[2403] *deest* 5. [2404] congratulanti B2. [2405] *deest* 5b. [2406] adimplere C. [1407] perrexit 1b. [2408] pulsansque 6. B2 [2409] foras 1. 1b. C 3. foris C4. [2410] rogans 5. [2411] *deest* 1. 1b. [2412] adelbertum 1b. alberto B1. [2413] m. p. 1b. [2414] dum B1. [3415] obedisset 6c. [2416] pincernam (pincernum B5.) n. B. C. [2417] alloquuntur 6c [2418] inquit 6a [2419] grates 2. 4. 5a-c. 6 [2420] scilicet 5a-c. [2421] *deest* 2. 4. 5. 6. [2422] *deest* 1b. [2423] oportuna 1. d. consilio oportuno (opportune 4.) XXX. 4. 5. 6. [2424] amas 5. *semper* [2425] laricatos 1. [2426] *deest* 6. [2427] præcinctos 1. precinctis 5b collocati 1. 1b [2428] et — componit *desunt* 6. [2429] opertos B2. apertas, funus 5c. [2430] fines 1. [2431] *deest* 5a. confectes 5c. [2432] portandas 4. 5a-c. [2433] inserantur 2. [2434] LXX. 1b. [2435] *deest* 1. plebeta a. 1b. [2436] ensibus 5b. 6. B2. 4. 5. [2437] hamis 2. 6. B2. amis 5. [2438] reconditas 1. 1b. [2439] nullosque (nulloque 5.) — conscios fecit 4. 5. 6. nullo B 1. [2440] nisi prædictis viris 2. [2441] *deest* B. C. [2442] Ille Sicho 5. [2443] tetendit 6. ad pallacium tendit 5b. [2444] foresque 4. 5. 6. [2445] *deest* 2. [2446] siciente 2. sciscienti 4. [2447] nunciante 2. pronuntiante 4. [2448] ad delberto 1. *duabus lineis.* [2449] potentibus 1. [2450] subintravit 2. simul s. B 2. [2451] lintearum 2. linteorum 4. 6. B1 linteum velamen 5c. [2452] rega 1. adelberum rogat 1b. [2453] portatores B1. *e corr.* C3. *et ita* C4. [2454] onera h, deponunt v. B1. [2455] *deest* 5. 6. [2456] eripiunt 5a. arripiunt (*corr.* accipiunt 6a.) 6c [2457] prosiliunt 6. [2458] g. suos B1. [245 ipsum B. C. [2460] dirigitur 1b [2461] pro vict. *desunt* 1b. [2462] illustratus 1. illustratur 1b. c. 5. 6. [2463] materni 4. [2464] ea 4. 5. 6. [2465] parum 5. [2466] turremque 1? [2567] *deest* 1. *qui* euchario—restituit *post supplevit.* [2468] simon 1. [2469] supra 5. 6. [2470] requiescit 4. 5c. 6. [2471] *deest* 2. 4. 5. 6. [2472] *deest* 5. 6. et ipse postm. ad p. s. r. 5b. [2473] permulta C3. [2474] danā B1. daxiam *corr.* daciam B2. 3. daciam *e corr.* C1. 6. datiam C3. [2475] candæntem B2. [2476] xpictum B2. [2477] ansgerius B1. [2478] *deest* B1. [2479] *cap.* XLVIII. *inc. Leibn.* [2480] *deest* B2. 3. C.

NOTÆ.

(448) I. e. dolia vinaria, germanice *Ohm.*
(449) V. infra Additamentum, c. 8.
(450) Ex portæ ruinis ecclesia facta est S. Simeonis, quæ usque ad nostra tempora stetit.
(451) V. infra Additamentum.
(452) Nimio sane errore Trevirensem archiepisco

nem fecimus, libet a principio quædam gestorum ejus breviter narrando [2481] commemorare.

Hujus textus continuationem additamenti nomine inscriptam infra edidi.

32. Cui Eberhardus [2482] successit. Hic privilegia [2483] suæ ecclesiæ apud papam renovavit (453), ipsum papam [2484] Treberis cum honore suscepit (*an.* 1049), multa prædia acquisivit, pro quibus redimendis amplius quam mille talenta de sacrario tulit. Hic aliquando dum diœceses [2485] circuiret, a Cunrado [2486] comite de Lucelenburch [2487] captus est, vestimenta sacerdotalia [2488] a militibus direpta, pallium discissum, corpus Dominicum violatum et in terram [2489] projectum, crisma unctionis effusum est, episcopus ad [2490] Lucelenburch [2491] in [2492] custodiam delatus est [2493]. Treberi nichil eorum quæ ad divinum officium pertinent [2494] celebrare voluerunt, donec Romanum pontificem de hac re per internuncios [2495] interpellarent. Interim Cunradus [2496] comes compulsus a plurimis episcopum dimisit [2497]. Romanus pontifex Cunradum excommunicavit et Eberhardo [2498] absolvendum [2499] commisit [2500]. Qui tandem penitens Treberim venit, et humiliter a summo [2501] pontifice absolutionem petiit et inpetravit, et ad satisfactionem quædam bona Sancto Petro contradidit [2502]. Eo [2503] tempore (*an.* 1053) Heinricus [2504] imperator corpus sancti Valerii de Treberis transtulit [2505] ad Goslar, et [2506] econtra [2507] curtim [2508] Vilmar [2509] Sancto Euchario tradidit [2510] (454). Eberhardus [2511] [episcopus [2512]] turrim a Poppone inceptam perfecit [2513]. Sabbato sancto [2514] Paschæ (*Apr.* 15, *an.* 1066) post expletum divinum [2515] officium in sacrario [2516], sicut paratus [2517] erat, obiit. Sepultus est [2518] in monasterio sancti Paulini.

33. Quo [2519] defuncto, Anno Coloniensis episcopus, quem tutorem regni et filii sui Heinrici [2520] Heinricus supradictus imperator constituerat, quendam clericum suum nomine Cuonem [2521] episcopum ordinans, Treberim direxit. Quod cum didicisset Trebirorum præses [2522] Theodericus [2523] nomine, congregata hostili manu, apud castrum quod Bideburch [2524] dicitur eum vinctum tenuit, ac non multo post probrosa morte occidit (*an.* 1066). Cujus [2525] passionem quisquis scire voluerit in promptu est (455) — His [2526] ita peractis [2527] Udo Suevus [2528] nobilis (456) episcopatum suscepit. Quo decedente Eilbertus [2529] omni [2530] bonæ memoriæ dignus subrogatur episcopus (*an.* 1077). Hic ecclesias undique in episcopio suo dirutas [2531] secundum suum posse reedificavit; ac [2532] non multo post de medio ablatus, Bruno successit episcopus (*an.* 1101)

Codex 1 *alia manu addit* [2533].

In cujus diebus multe clades ac dissensiones in toto regno contigerunt, de quibus ipse inmunis consilio et actibus non extitit. Cum hic autem decederet (*an.* 1124), Godefridus majoris ecclesie decanus subrogatur episcopus; sed postmodum a suis incusatus de Symonia ejectus est, et Meginero cedit episcopatus (*an.* 1127).

Codex 2 *addit:*

Post hunc Godefridus, qui de Symonia convictus depositus est. Huic successit Meginherus, qui Romam profectus a quodam Cunrado tyranno captus est et in captivitate diversis tormentis enecatus (*an.* 1129). Post hunc Adelbero Metensis successit ad episcopatum (*an.* 1130).

VARIÆ LECTIONES.

[2481] narrandum cummemore *corr. ut ed.* C 1. [2482] heberhardus 4. heberardus 5b·c. heberadus 5a. eberardus 6. *semper.* [2483] privilegio 1. c. s. 4. 6. [2484] *deest* 4. 5. 6. [2485] dioceseos 1. 1b. dioceseo 2? [2486] conrado 4. 5. 6. *semper.* [2487] luzcelenburch 1b. luzelenburch 2. 5a·c. 6. luzelēborch 5b. luzelemburch 4. [2488] s. v. 4. sac. dirupta 5b. [2489] terra 2. 4. 5. [2490] in 6. [2491] lucenlenburch 1. luscelenburch 1b. luzelenburc 2. luscelemburch 4. luzelenburch 5a·c. 6a. luzelenborch 5b. luzelenbruch 6c. [2492] ad 6. [2493] *deest* 2. 4. 6. [2494] pertinet 1. 1b. [2495] internoncios 1. [2496] comes c. 6. [2497] di. .istiti 1. [2498] heberado 5b. heberardo 5a.c. *hoc loco.* [2499] ad solvendum 5. 6. [2500] dimisit 5. [2501] *deest* 6. [2502] contradidō 1. c. dono 1b. tradidit 5a·c. [2503] Eodem 5c. [2504] heinericus 2. [2505] tanrsstulit 1. [2506] qui 4. *deest* 6c. [2507] contra 2. [2508] curiam quæ dicitur 1b. [2509] wilmar *al. manu* 1. uillmar 1b. [2510] contradidit 5b. [2511] Eberardus 5a·c. *hoc loco.* [2512] *deest* 2. 4. 5. 6. [2513] perfecit *alia manu* 1. perficit 2. [2514] sancte 1. [2515] sollempne *alia manu* 1. *et ita* 1b [2516] i. s. *alia manu sed loco vacuo* 1. *deest* 2. in s. unctus erat oleo et mortuo sepultus 1b. [2517] e. p. 6. [2518] sepultusque in 4. est *deest* 5b. [2519] *Quæ sequuntur ex codd.* 1. 1b. 2. — 4. 5. 6. *jam cum* B. C. *conveniunt, quorum textum v. infra.* [2520] *deest* 2. [2521] cunonem 1b. 2. [2522] comes 1b. [2523] n. th. 2. [2524] biedenburc 2. [2525] Quius 1. [2526] Is 1. 1b [2527] pactis 1. [2528] suevs 1. [2529] egilbertus 2. [2530] *deest* 2. [2531] dirotas *corr.* dirutas 1. [2532] Hac 1 2. [2533] 1b *eadem manu pergit.*

NOTÆ.

pum Popponem eum habet qui sæculo x Danis prædicavit. Ex Ottone rege fama comitem Danorum Ottonem fecit, denique ut errores cumularet etiam Ansgarium huc traxit.

(453) Cf. l. l. c. 9, et quæ ibi codex C. adjecit.

(454) Wilmar ad fluvium Lahn; v. Heinrici diploma ap. Hontheim I, p. 394.

(455) Quam vide infra editam.

(456) V. infra Additamentum.

ADDITAMENTUM ET CONTINUATIO PRIMA.

1. [2534] Regnante serenissimo Heinrico, rege quidem secundo, imperatore autem primo, anno regni ejus 14mo Megingaudo [2535] Trevericæ civitatis archiepiscopo de medio facto, domnus Poppo in gaudium

VARIÆ LECTIONES.

[2534] II, c. XXII. C 1. 6. [2535] meingaudo B 2.

et læticiam [2536] universæ civitatis cathedram episcopalem suscepit (*an.* 1015), vere, inquam, in gaudium, quia ut in ipsum scolastici cujusdam verbis utar :

Almum tutorem secum tulit huc Symeonem;

unde in sequentibus plenius, Deo largiente, tractabo. Primum autem quibus parentibus, quibus etiam partibus extiterit oriundus, quantum ad meam noticiam seniorum relatione devenit, referre curabo. Patri ejus Luopaldi [2537] nomen erat, qui regionis Austriæ marcam tenebat, mater autem ejus Richeza cujusdam ducis Germaniæ Franciæ (457) filia fuit, sed et frater ejus patris æquivocus (458), patre eorum defuncto, eandem marcam strennue gubernabat. Hii itaque filium suum, Popponem [2538] dico, ætate proficientem disciplina litterali erudiendum in Regenesburc [2539] civitate viris doctioribus tradiderunt, et post in processu temporis sciencia litterarum satis imbutum et in virile jam robur adultum noticiæ supradicti regis exhibuerunt. Cui in brevi tam dilectus factus tamque idoneus visus est, ut, sicut dixi, Megingaudo episcopo Trevericæ metropolis de medio facto, rex ipse Treberim festinato venerit — erat enim in Confluentia positus —, et impetrato tam cleri quam populi consensu, ipsum pontificali cathedra sublimaverit. Proinde ibidem ab episcopis, qui causa regis advenerant, consecratus est sub die Kal. Januar., anno Dominicæ incarnationis 1016. Consecratorum autem ejus [2540] unus erat Theodorus (459) secundus Metensis episcopus. Deinde diebus non multis interpositis, Romam oracionis causa profectus est, et ut quod sancta Romana mater ecclesia filiæ suæ, Treberensi videlicet ecclesiæ, ex institucione sanctorum apostolicorum honoris et gratiæ debuisset impendere, fieri sibi postularet [2541]. Quem domnus Benedictus [2542] VIII sacratissimæ apostolicæ sedi præsidens, magno cum honore suscepit, moramque ibi facienti omnem [2543] reverentiam et dilectionem exhibuit, ita ut [2544] pro eo missas faceret et cum ipso sæpius cibum caperet, volentemque inde transmigrare summopere de ejus quæ in Deum est fidei conservacione [2545], et de subditorum sibi eruditione atque de peccantium non furiosa sed paterna castigatione, sed et de mundicia animæ et corporis sollerter admonebat; et [2546] ut ipsa hæc [2547] ejus præcepta memoriæ ipsius non exciderent, dedit cyrographum hunc habentem modum : *Benedictus* [2548] *episcopus, servus servorum Dei, beatissimo confratri et*

A *episcopo Popponi, sanctæ Trevericæ sedis archiepiscopo venerabili, æternam in Domino salutem et apostolicam benedictionem. Apostolicæ sollicitudini convenit benignum erga fratres semper prebere affectum eorumque peticionibus quæ ratæ rationabilesque esse videntur commodare assensum* [2549]. *Proinde, dulcissime frater, quia postulasti a me uti juxta morem prædecessorum tuorum usum tibi pallii concederemus, libenter voto tuo annuimus, sollerter tuam commonentes fraternitatem, ut exterioris indumenti habitum morum probitate exornes, talemque te* [2550] *in omnibus exhibeas, ut creditæ dispensationis officium pastorali cura semper administrare studeas. Tunc enim veluti lucerna quæ in domo domini lucet cunctis, apparebis conspicuus, si uti exteriori habitu, ita et interiori fueris adornatus, crucem Christi, quam sub pallii specie gestas in*

B *corpore, intus decreveris portare, in mente clamans cum Apostolo : « Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo (Gal.* VI, 14), » *desideranter quoque et addens* [2551] *illud prophetæ : « Confige clavis* [2552] *a timore tuo carnes meas (Psal.* CXVIII, 20). » *Debita igitur karitate te admonentes, ab apostolica sede pallium tibi transmittimus, hujus privilegii nostri auctoritate statuentes, ut in celebracione missarum his tantummodo sollempnitatibus eo adornatus incedas, videlicet in Natale Domini, in Epiphania Domini, in Cœna Domini, in Pascha et* [2553] *Pentecosten, et* [2554] *in Ascen-*

C *sione Domini et in festivitatibus sanctæ Dei genitricis et perpetuæ virginis Mariæ, et in Nativitate* [2555] *sancti Johannis baptistæ, et in sollempnitatibus omnium apostolorum, et in sollempnitate* [2556] *Omnium Sanctorum, in festis quoque illorum sanctorum quorum corpora et reliquiæ in tuo episcopatu habentur, et in dedicatione tuæ ecclesiæ, et in die annuæ ordinacionis tuæ, et si quando sacros ordines competenter facere decreveris. Concedimus etiam tibi* [2557], *karissime fili,* [*licentiam* [2558]] *crucem ante te gestandi* [2559]. *Omnipotens Dominus fraternitatem tuam, dulcissime frater, hic et in futuro custodiat, sicque mentes nostras in servitio suo corroboret, ut pro bene administratæ pastoralis curæ officio in æterna beatitudine laborem nostrum remuneret. Bene valete* [2560]. *Data* 6 *Idus Aprilis mensis, per manus Benedicti episcopi apostolicæ*

D *sedis legati, anno Heinrici invictissimi regis Romanorum* 14, *imperii* [2561] *vero* [2562] *ejus* 3°, *indictione* 14 (*an.* 1016).

2. [2563] Inde vero annis aliquot transactis, cum sat-

VARIÆ LECTIONES.

[2536] ci *pro* ti *ex* B 2. *plerumque retinui.* [2537] liupaldi B 2. liupaldi C 1. 3. 4. [2538] bopponem B 4. 5. *semper.* poponem C. [2539] regenesburch B2. genesburch *post corr.* regenesburch C 1. 3. [2540] *deest* C 3. 4. [2541] postulasset B 1. [2542] b. papa B 1. [2543] omnemque C 3. 4. [2544] *deest* B 1. [2545] conversacione B 2. [2546] et ut — modum *totaque Benedicti constitutio desunt* C 3. 4. [2547] *deest* B 1. [2548] *c.* XLIX. *Leibn., c.* XXIII. C 1. 6. [2549] *deest* B 1. *vocabulo* videntur *iterum scripto sed deleto.* [2550] *deest* B 1. in o. te C 6. [2551] addens et B2. 3? 4? [2552] c. a. *desunt* B 1. claves B 5. [2553] In B. 4. 5. C 1. [2554] *deest* B 4. 5. [2555] natifitate B 2. natale C 1. [2556] solemnitatibus C 6. [2557] t. e. B 2. [2558] *deest* B 2. 4. 5. C 1. [2559] gestandi *superscr.* vel (gesta)ri C 1. [2560] vale C. [2561] imperio B 2. 4. 5. [2562] *deest* B 1. [2563] *c.* L. *Leibn.*

NOTÆ.

(457) Cujus fuerit nondum constat; cf. Moritz Hist. com. Sulzbac. I, p. 11.

(458) Fratres Popponis Heinricus et Albertus marchiones fuerunt, Luitpoldus II filius fuit Alberti, nepos Popponis.

(459) Theodericus. Cf. de hac re Thietmarum VII, 19.

ageret, ut juxta Dei voluntatem et secundum supra-scriptam Romani pontificis commonicionem animam suam inmaculatam Deo offerret (*Lev.* III, 1), ecce diabolus, qui, ut Scriptura [2564] dicit, seducit universum orbem (*Apoc.* XII, 9), sicut arte sua nequissima per mulierem Adam prothoplastum nosque omnes per eum inmortalitatis veste nudavit, ita quoque et hujus animum fraudis suæ in [2565] tegumentis a proposito castitatis subvertere laboravit, ne posset cum Apostolo dicere : *Gloria nostra hæc est, testimonium*[2566] *bonæ conscientiæ* (*II Cor.* I, 12), etc. Verbi causa. Est in suburbio Treverensi oppidum quoddam, quod vocatur Aula Palacii (460), ubi ex institutione unius filiarum Dagoberti regis preciosæ virginis Athalæ [2567] ibi quiescentis congregatio [2568] erat puellarum canonicam vitam profitentium. Accidit itaque ut episcopus uni earum commissuram pallii mitteret, ut ipse ei exinde caligas [2569] quibus, cum ad missarum sollempnia celebranda procederet, indueretur, aptaret. Quas illa suscipiens, et inpudicitiæ suæ participem fieri concupiscens, arte sua nescio qua venifica infecit, sutas remisit. Quibus mox episcopus [2570] indutis, mirum dictu, non visum est ei ultra id [2571] debere sospite vita procedere, nisi ad præsens haberet rem cum muliere. Attonitus de tam subita mentis mutacione tamque inopinata carnis titillacione, quippe qui disposuerat carnalibus desideriis non consentire, cum festinacione exuit, ac uni, ut ita dicam, de principibus sacerdotum, qui forte illic aderat, indutum dedit ; qui mox ut induit, et ipse festinanter exuit, secum mirans, nichil tamen dicens. Tunc reliqui qui astabant, quid id miraculi esset admirati, unus post unum easdem caligas secreto capientes induerunt, et similia passi sunt ; nullus tamen quid pateretur audebat pro [2572] pudore fateri. Novissime ventum est ad urbis præfectum ; qui ut ab episcopo jussus induit, furore incredibili infremuit, et se incantatum esse proclamavit [2573], sciscitantique quis iniquitatis hujus auctor exstiterit, episcopus aperuit. Tunc omnes in unum sententias suas proferentes dicebant maximum hoc esse dedecus ecclesiæ, quod qui canonica vel etiam [2574] ecclesiastica censerentur professione tali polleret [2575] iniquitate; eam quidem quæ rem hanc fecisset ab ordine sanctimoniæ projici dignum esse, ceteras vero ibi manentium, ne ab eis quodammodo tam infame [2576] procederet, mutatis A vestibus ac pro albis nigris indutis, artiori vitæ debere operam dare ; quod si perpeti noluissent, melius esse ut locus ille careret in habitacione, quam ibi tales degerent personæ, quæ hujusmodi nequiciam gestarent sub religionis specie. Et ita factum est. Illa ejecta est; sed et ceteræ nolentes nec habitum nec conversationem [2577] mutare, similiter sunt ejectæ, et aliæ in monasterium puellarum quod Horreum dicitur, aliæ autem ad alia sui habitus migraverunt loca, vacavitque locus [2578] aliquamdiu a divinis laudibus. Cujus rei gratia episcopus postea summa ductus penitentia, veritus ne hujus causa injuriæ extrema divini [2579] judicii ultione dampnaretur, annuente domno Johanne tunc Romano pontifice, commissa sub ipsius testimonio comprovincialibus episcopis, suis videlicet suffraganeis, Treverensi ecclesia, Jerusalem [2580] ire disposuit ; unde rediens in B loco supradicto ad laudes Dei celebrandas clericos religiosos mancipavit. Euntis itaque Jerusalem quamque efficax quamque Deo exstitit penitentia grata, prudens quisque liquido potest advertere, cum didicerit quod divina respectus clementia virum sanctum beatum [2581] Symeonem sibi conjunxerit secumque adduxerit. Cujus quia mentio se intulit, licet de illo prolixior tractatus habeatur (461), et me libet vel ad modicum, ut si memoria ejus in benedictione qui adduxit eum [2582], Domino adjuvante, sanctitatem ejus perstringere.

3. [2583] Interea domnus Poppo, de quo sermo est, C Trevericæ hujus metropolis strennuus provisor, Jerosolimam tendens (*an.* 1028), ibi loci quo Symeon morabatur applicuit, eumque ut secum venire vellet exoravit. Qui annuens, cum Antiochiam [2584] simul devenissent, Symeon [2585] a primoribus, quibus pridem ibi se notum fecerat, remoratus substitit, donec Poppo Jerosolima rediens secus eam [2586] civitatem [2587] iter reflexit. Tunc admonitus in sompnis, præfato se præsuli commendavit, et secum Treverim venit (462), ubi prout ipse petiit [2588] in turri quadam deserta a Poppone reclusus, sicut quondam in vertice montis Synai, ita nunc hic quoque graves malignorum spirituum insidias perpetiit [2589], quos Domino auxiliante superavit. Postremo cum ibi reclusus transegisset septem annos, ei qui dedit animam reddidit Kal. Junii anno Dominicæ incarnatio- D nis 1035 [2590]. Deus autem eum [2591] multis virtutum

VARIÆ LECTIONES.

[2564] sacra s. C (sacra *e corr.* C1.). [2565] *deest* B1. [2566] *deest* C6. [2567] athele B2. 5. C. [2568] congregationis B2. 4. 5. *corr. ut videtur* congregatio C1. *et ita* C 3 *sqq.* [2569] c. exinde C3. [2570] epō B2. 4. 5. *corr.* eps C1. *et ita* C3. *sqq.* [2571] id *deest* B1. [2572] pro *post corr.* pre C1. [2573] p. esse C. [2574] *deest* 1. C3. [2575] *ita omnes codices* B. polleret *corr.* pollerent C1. pollerent *post corr.* pollueretur C3. *et ita* C4. [2576] infamie B1. [2577] conversionem B1. [2578] locus iste B1 [2579] *deest* B1. [2580] iherusalem C. *sæpius.* [2581] *deest* C3. [2582] cum B2. 5. [2583] *c.* LI. *Leibn.;* II, *c.* XXIIII. C1. 6. [2584] anthiochiam C1. [2585] simeon B1. [2586] *deest* C. [2587] *deest* B1. [2588] peciit B2. *sæpius, et ita etiam,* frequencius, sentencia *et alia hujusmodi, sed non omnibus locis.* [2589] perpetiit quos *corr.* perpessus est quas C1. *et ita* C3. *sqq.* [2590] XXXV. *corr.* XXXVI. C3. [2591] cum B2. *deest* C.

NOTÆ.

(460) Palatiolum sive Pfalzel; v. supra c. 24.

(461) Ex hac Vita ab Eberwino infra in Append. fragmenta quædam exhibui.

(462) Aliter Eberwinus hæc narrat, v. infra.

indiciis magnificavit, ita ut erectis manibus nostris sursum ad Deum ac[2592] cordibus nostris, evangelicum illud exultantes decantare possimus, quia *visitavit Deus plebem suam* (*Luc.* I, 68). Itaque pro miraculorum frequenti ostensione populus totius hujus provinciæ sæpe dictum Popponem deprecabantur episcopum, uti ad honorem Dei et sancti illius viri vel per se vel per epistolam suam Romanum pontificem consuleret, et eventum rei nunciaret, peteretque quatinus auctoritatis[2593] præcepto, quem Deus evidentibus miraculis commendaret, hunc[2594] etiam fidelium populus digno sanctis obsequio frequentaret, et annuam depositionis ejus diem sollempniter[2595] celebraret. Super cujus rei negocio archiepiscopus habito conprovincialium episcoporum consilio, quod subditus sibi populus pie petiit implere decrevit (463).

4. [2596] Verum ut ad[2597] ordinem narrationis accedam, libet ad superiora parumper respicere. Poppone in prælibati itineris negocio occupato necdum reverso, Giselbertus[2598] quidam comes de castello Lucelenburc[2599] nominato cum filio suo Cuonrado[2600], non sic[2601] aliter quam solet lupus in oves insanire si quando contigerit pastorem deesse, alius hoc, alius illud sibi vendicare, ille quoscumque capere, iste[2602] autem deprædari, sicque mala inenarrabilia non cessabant perpetrare. Quod episcopus reversus conversus conperiens — nec enim ipso præsente a malicia sua se poterant continere, — cum non potuisset ullo modo illis resistere, quippe quibus tocius hujus provinciæ valentiores, qui hanc in eos debuissent injuriam[2603] vindicare, confœderati erant hominii[2604] conjunctione, persæpe apud imperatorem Cuonradum[2605] se proclamavit de illorum tyrannide, nichilque potuit proficere, sicut subscripta ejus epistola commemorat. Unde quam plures et regi et papæ mittebat[2606] epistolas, quas quia pro multitudine tædiosum erat singulas ponere[2607], verum etiam quia non omnes contigit ad meam noticiam devenire, unam hanc tantum sufficiat pro omnibus posuisse.

EPISTOLA POPPONIS EPISCOPI[2608].

Reverentissimo patri patrum gratia et nomine Benedicto, Poppo, licet indignus, divina tamen largiente clementia, sanctæ Treverensis ecclesiæ minister, cum totius affectus dilectione debitam subjectionem. Superiori anno cum annuente venerandæ memoriæ domno Johanne in hac sancta sede apostolica prædecessore vestro amore visionis sepulcri Dei hominis Jhesu Christi Jerusalem peregre profectus fuissem, in regione nostra pravorum hominum supercrevit iniquitas, ita ut nec adhuc manus ab incepta possint retrahere nequicia[2609], *omnia per circuitum diripientes et devastantes. Super quo sæpissime deprecatus faciem domini mei regis, quatinus manum michi porrigeret suæ*[2610] *animadversionis, nichilque*[2611] *profeci, sæpe etiam supra nominato prædecessori vestro pro eodem supplicavi, nec quicquam usque adhuc consolationis impetravi. Quamobrem desidero ut vel nunc solgcietur michi Deo amabilis paternitas vestra, mittatque virum de honoratioribus vestris ac prudentioribus, qui michi in necessitatibus meis consilio simul et auxilio suffragetur, auxilietur dico de adversis, consilietur autem de his quæ latere non credo aures vestræ sanctitatis. At vero si hactenus vos latuerunt, jam nunc obsecro uti benignum litteris meis accommodare velitis auditum. Vir quidam vitæ sanctitate laudabilis apud nos diebus istis ex hac luce migravit, quem si signis et virtutibus quæ per eum Dominus operatur credere debeamus, procul dubio eum cum sanctis æternæ beatitudinis habere consorcium non dubitamus. Sed non tam signa quæ fidelibus et infidelibus communia sunt, quam fidei virtus, qua fideles ab infidelibus sequestrati sunt, qua ipse dum adhuc in corpore maneret plurimum viguit, de ejus nos sanctitate certos reddit*[2612]. *Proinde accersivit nos tam clerus quam populus ecclesiæ nostræ, obsecrantes, uti litteris nostris ad hanc apostolicam sedem, cui vos auctore Deo præsidetis, cum illius viri sancti vita*[2613] *et miraculis missis peteremus, quod peticione dignum credimus, quatinus, si ita vobis cautum videatur, dato nobis vestri apostolatus decreto, nomen ejus liceat cum sanctorum nominibus conscribi ceteraque honoris sanctis debiti ipsi impendi. Itaque quid solacii, quid consilii super allevatione angustiarum nostrarum hinc et inde obortarum prudencia vestra michi incundum*[2614] *decreverit, sine longa temporis dilatione dignemini insinuare. Honor vester et meritum apud Deum semper et homines augeatur.*

Sed quid papa ad hæc responderit, quamque benigne litteras ejus super decursas acceperit, mea non est opus præfatione. Ipsum audi, quid dicat.

EPISTOLA DOMNI PAPÆ[2615] (464).

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, Pop-

VARIÆ LECTIONES.

[2592] a B5. [2593] a. ejus B1. ejus *ante* auct. *post add.* C1. *et ita* C3. *sqq.* [2594] et hunc etiam C. (*deleto* t C1.). [2595] *deest* B1. [2596] *c.* LII. *Leibn.*; II, *c.* XXV. C1. 6. [2597] *deest* B4. 5. [2598] gisilbertus B4. 5. [2599] lucelenburch B2. luzelenburc B4. 5. luzelenburch C. [2600] cunrado C. *semper.* [2601] sicut B2. sicut *del.* C1. *deest* C3. *sqq.* [2602] ipse B1. [2603] *deest* B1. [2604] homini B2. 3. homines B 4. 5. hominii *e corr.* C1. *et ita sqq.* [2605] cunradum C. [2606] mittebant B2. C6. *corr.* mittebat C1. [2607] nere verum — intermissa sunt (*infra c.* 8) *desunt* B3, *foliis tribus excisis.* [2608] *deest rubra* B2. 4. 5. C3. Popponis ad papam C 1. 6, *ubi incipit c.* XXVI. [2609] nequucia B2. [2610] *deest* B1. [2611] nichilque *corr.* nichil C1. *et ita* C3. *sqq.* [2612] reddidit B4. reddidit B5. [2613] *deest* B1. [2614] in eundem B2. 5. C6. [2615] *deest rubra* B2. 4. 5. C3. Benedictus papa Popponi C1. 6. *In* C5. *in margine alia manu scriptum legitur :* canonizacio sancti Symeonis. — *c.* LIII. *inc. Leibn. c.* XXVII. C1. 6.

NOTÆ.

(463) V. epistolam c. 4.

(464) Ex codice quodam ecclesiæ S. Simeonis edita est Acta SS. Jun. I, p. 96, cujus lectiones hinc inde attuli.

poni[2616] *tam suis meritis quam divino karismate Treverorum*[2617] *archiepiscopo*[2618] *salutem*[2619] *karissimam cum apostolica benedictione. Sumptis reverentiæ vestræ litteris et lectis*[2620] *atque relectis, in imo cordis arum vim reposuimus, ut vobis petentibus desiderata oncederemus. Nam illius regulam magistri nos oportet*[2621] *in quantum possumus imitari, qui se bene petentibus non est obstinatus, se in veritate quærentibus non est prolongatus, nec ad fores suas perseveranter pulsantibus ad aperiendum retardatur. At nos, licet tardius quam cupivimus*[2622], *ad sonum tamen paginæ vestræ, ut debemus, pro affectu respondemus. Neque enim facimus quod volumus, cum*[2623] *volumus, sed cum divinitus ut faciamus accipimus, quæque suis temporibus superna disposicio coaptavit. Quod igitur meministis, sedem apostolicam, cui ex divina dignacione præsidemus, totius ecclesiasticæ pastoralitatis esse refugium, ut votis vestris ad eam confugientibus annueremus, meritis amplexibus hæc ipsa verba donavimus; quippe cum sit origo et fundamentum ecclesiarum, Domino confessionem Petri taliter conpensante : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam (Matth. XVI, 18) » : dignum plane videtur, ut omnis christiana fidelitas ad eam concursum habeat, et ipsa omnibus manum solacii porrigat*[2624]. *Vobis vero in congressu positis, ad iniquitates pravorum hominum debellandas ac spirituali*[2625] *gladio puniendas, quoniam in rebus divinitus vobis commissæ vicis coadjutorem præsulem a nobis poposcistis, en*[2626] *dirigimus. Quem* (465) *quidem et honestas morum, sicut nomine indicat, et sagax animi pulchritudo decorat; quem huic negocio aptissimum censuimus, quia Dei fidelem servum et prudentem cognovimus; cui*[2627] *et astucia serpentis est et columbæ simplicitas; de cujus quodammodo labiis fluunt mella pro captu audientium cœlestis ambrosiæ plena; quem*[2628] *a corpore nostro velud dextrum separavimus brachium, imprecantes ei salutem et gaudium. Dirigimus ergo illum, ut solacietur vobis in necessitatibus vestris, tam scilicet in opere consecrationis, quam et in unctione confirmationis, et si quid in necessitatibus aliis, Deo favente, valebit pro libitu sanctæ*[2629] *vestræ fraternitatis. Ut*[2630] *illum tractare*[2631] *uti decet non detractetis*[2632] *vel dissimuletis, nulla credimus admonitione indigetis, cum vestra benignitas inde sit*[2633] *profusior, unde est sanctior. De cetero ad virum illum Symeonem veniendum, quem numerosis*[2634] *choruscantem miraculis, divinis præfulgentem virtutibus ostenditis. Ex quo liquet eum in fragili corpore thesaurum bajulasse spiritualis gratiæ, ut non solum sibi providerit ad salutem, sed aliis quoque atque aliis ad multiplicem sanitatem. Quia igitur ad illam æternam beatitudinem illamque summæ felicitatis perpetuitatem ac cœleste consorcium pervenisse creditur, sicut opere signorum frequentius panditur, nostræ apostolicæ auctoritatis sententia, judicium divini arbitrii secuta et*[2635] *[consensu*[2636]*] complurium fratrum nostrorum suffulta, decernit, eundem virum Dei Symeonem posthac semper et ubique sanctum debere nominari, ejusque natalem sicut aliorum sanctornm reverentissime singulis annis celebrari. Non enim qui se ipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat (II Cor. X, 18), dicit apostolus, glorietur*[2637], *laudetur, vigeat, placeat, celebretur, ametur et colatur, nomenque illius martyrologio inseratur. Ipse intercedat pro peccatis et neglegenciis nostris et commissorum nobis apud clementissimam divini numinis majestatem, ut mirabilia, quæ visibiliter exhibet circa infirmorum corpora, in animabus nostris occulta virtute dignanter exhibeat*[2638]. *Benedicti* (466) *VIIII pape* (*an.* 1042?).

5.[2639] Congruum duxi rem quandam dignam valde memoria, quam circa tempora illa[2640] accidisse comperi, sub silentio non præterire. Sicut, inquam, supra significatum est, ipso Poppone videlicet Jerusalem profecto, et per tres fere annos demorato — Babiloniam enim usque videndi[2641] nominatissimæ illius civitatis gratia processerat, ubi et[2642] tentus aliquamdiu in captivitate laborabat —, si recte memini, quidam Mettensium episcopus vice quadam in jejunio Junii mensis Treverim pro eo ordines facere veniebat. Hoc enim ipse priusquam de provincia exiret deprecatus fuerat, ut cui conprovincialium[2643], suorum videlicet suffraganeorum, episcoporum demandatum fuisset, Treverim veniret et vicem ejus adimpleret. Hic autem quo Treveri ceteris vicinior, eo ibi in hoc opus[2644] frequentior.

VARIÆ LECTIONES.

[2616] poponi 2.—p. patri *Act.* [2617] trevirorum C. [2618] episcopo B2. [2619] s. et apostolicam benedictionem C. [2620] et l. *desunt* B1. [2621] m. r. op. nos B1. [2622] concupivimus B2. [2623] c. v. *desunt Act.* [2624] o. p. m. s. B1. [2625] spiritali C. [2626] *deest Act. Fortasse* N. *pro ipsius nomine scriptum erat.* [2627] ut cui *Act.* [2628] quare et eum *Act.* [2629] *deest* B1. [2630] ut autem *Act.* [2631] tractetis B2. tractaretis B4. 5. [2632] detrectetis B1. *Act.* [2633] fit B2. 4. 5. *Act.* [2634] innumerosis B1. [2635] *deest* C 3. [2636] *ita ex Act. recepi;* assensu *infra post* nostrorum *alia manu add.* C. 1. *quod* C 3 *sqq. receperunt. Codd.* B. *hoc vocabulum omiserunt.* [2637] ergo *Act.* [2638] e. Vale Benedictus IX papa C. (Ben. VIII. papa *alia manu post addita sunt* C 1). [2639] *c.* LIV. *Leibn.*; II, *c.* XXVIII. C 1. 6. *In* C 3. *rubra legitur :* De clavo domini. [2640] *deest* B 2. 4. 5. ejus *post add.* C. 1. *et ita* C 3 *sqq.* [2641] videndi *corr.* vidende C 1. *et ita* C 3 *sqq.* [2642] *deest* C. [2643] provincialium B 1. [2644] erat *post add.* C 1. *et ita* C 3 *sqq.*

NOTÆ.

(465) Gratianum intelligit Papebroch., Act. SS. Jun. I, p. 97.

(466) Papebroch. Act. SS. l. l. p. 97 hæc monet: In ecgrapho nostro appensum repræsentatur sigillum, cui altera quidem facie, alias vacua, circumductum in orbem fuerit nomen † BENEDICTI, altera impressum caput S. Petri, cui semper † incumbat, unde in orbem circumductæ tres litteræ P P E idem valent quod PAPÆ. Unde hæc verba a Gestorum scriptore sumpta esse patet. Ibidem ejusdem papæ bulla canonizationis edita est.

Verum (467) ut dixi ordines facturus sub die 15 Kal. Julii petiit, sicut assidue faciebat, mitti coram eo in altari clavum Domini, qui ibi loci ex collatione domnæ Helenæ augustæ habetur, quique, si dæmonis testimonio credi debebat [2645], cum (468) quidam a dæmone vexaretur, et clavus hic ad effugandum illum cum aliis sanctorum reliquiis illo [2646] delatus fuisset [2647], a maligno illo perhibitus est, ipse esse [2648], qui pendentis in cruce Domini pro salute generis humani fuisset [2649] in dextro pede confixus; cujus nimia virtute compelli se exire. Ante enim nulla certitudo, sed tantum opinio erat, quantæ virtutis idem clavus haberetur. Porro misso eo in altari, astitit ille [2650] prælibatus episcopus, clam circumspiciens et quærens locum, si forte ea sibi oportunitas accidere potuisset, quo corriperet et in sinum suum deponeret, alium [2651] autem, quem [2652] hujus gratia fieri jusserat et sub ascella sua occultaverat, hoc erepto [2653] inpingeret. Quid multa? ut concupierat correptum in sinu suo recondidit et actionem cui institit lætus peregit. Proinde cum post confecta misteria exutum duceretur, sicut Domino placuit, clavus ille sanguinem habundantius fudit, qui guttatim de sinu ejus in terram emanare cœpit. Quod videntes ministri ejus, qui circumdabant eum, ut velocius incederet et exui festinaret, urgebant eum, cujuspiam mali causam accidisse ei arbitrati. Denique cum cœpisset sacerdotalia vestimenta deponere, totumque vidisset sinum albæ repletum sanguine, diriguit primum; et ultra quam credi potest, quid secum ageretur, admirans, tandem cum redisset in se, delictum quod patrarat confessus, veniam impetravit, et post exutas vestes convolvit in unum, deditque consilium ut summa cum veneratione servarentur; quod et factum est.

6. [2654] Illo itaque [2655] tempore cum adhuc famulus Dei Symeon supra nominatus vitales carperet auras [2656] (cf. VIRG. *Æn.* I, 388), Popponem sæpe dictum archiepiscopum ducem suum [2657] et hospitem idem vir sanctus [2658] secreta frequenter collocutione dignos futuræ vitæ actus agere persuasit, quatinus in hac luce positus cum Dei adjutorio hoc elaborare niteretur, ut post obitum in consorcium beatitudinis eorum transiret, quorum nunc vicem gerere videretur [2659]. Fuit autem fames valida in omni terra ista, ita ut multi morerentur inedia; hiemalium pluviarum enim inundantia, sed et fluminis secus civitatem decurrentis verno tempore inæstimabilis [2660] superhabundantia diutina stacione et nimia sui limositate omnes fere segetes absorbuerat [2661]. Cujus causam mali insipiens vulgus Simeoni, sicut in Vita ipsius [2662] legitur (469), imputabat. Tunc episcopus multam egentibus exhibebat humanitatem, illud sæpius ante mentis suæ oculos [2663] ducens, quod dicit sermo divinus : *Qui viderit fratrem suum necessitatem patientem et clauserit viscera sua ab eo, karitas Dei non manet in eo* (*I Joan.* III, 17). Etenim die quadam in albis paschalibus cum ad unam ecclesiarum in civitate [2664] consistentium, divinum celebraturus officium [2665], equo nobili vectus incederet, obviam habuit in campo pauperum multitudinem copiosam, qui deprecabantur eum ut solita [2666] miseratione aliquid [2667] ipsis inpenderet vitæ subsidium. Qui accito mox ad se [2668] cubiculario suo, jussit exhiberi [2669] sibi festinato thesauri non modicam quantitatem ad dispertiendum illis. Omnibus ergo [2670] qui secum erant eum inpellentibus et dicentibus, ut primum cujus gratia venerat adimpleret indeque revertens expeditius quantam voluisset pauperibus misericordiam inpenderet, ipse respondit : *Nolite, karissimi, hoc persuadere michi, quia sicut illud, ita et hoc Deo est obsequium. Nempe sic oracio nostra apud majestatem Dei acceptior erit, si, antequam eo veniamus, karitas ista præcesserit. Credo nimirum et securus sum quod sine ambiguitate sacrificium nostrum divinis conspectibus præsentabitur, si tantæ*

VARIÆ LECTIONES.

[2645] debat B 4. 5. debebat *corr.* debeat C 1. *et ita* C 3 *sqq.* verus Domini clavus esse comprobatur C 1. *in marg. post add., ex quo* C 3 *sqq. receperunt.* [2646] *deest* B 2. [2647] fuisse B 1. [2648] *deest* B 5. [2649] *deest* B 1. [2650] *deest* B 1. [2651] et alium a. C 6. [2652] a. q. *desunt* B 1. [2653] erepta B 5. [2654] *c.* LV. *Leibn.* II, *c.* XXIX. C 1. 6. *ubi additur rubra:* De conpassione popponis erga pauperes. [2655] Itaque illo B 1. [2656] aures B 1. [2657] *deest* B 1. [2658] dei B 4? 5? [2659] videtur B 2. 5. C 6. *corr.* videretur C 1. [2660] inæstimabili B 1. 2. 4. 5. [2661] obsorbuerat B 4. [2662] sua B 1? [2663] o. s. m. B 2. [2664] civitatem B 5. in c. *e corr.* C 1. [2665] *post suppl.* C 1. [2666] solito B 5. [2667] aliquid *corr.* aliquod C 1. *et ita* C 3 *sqq.* [2668] ad se *desunt* B 4. 5. [2669] exhibere B 2. [2670] igitur B 1? 4? 5?

NOTÆ.

(467) Eamdem rem de Brunone archiepiscopo Vita S. Agritii narrat; cujus locum hoc exhibere juvat : *Unum tamen quod dedit idem clavus Domini suæ pretiositatis insigne silentio nolumus præterire. Nam cum frater imperatoris Ottonis — tres enim fuerunt — Bruno vocatus, meliores Lotharingiæ episcopatus, Treverensem scilicet et Coloniensem, nec non maximam regni hujus partem in sua haberet potestate, non bono ut patet spiritu instinctus, hunc ipsum de quo loquimur festivæ memoriæ ac salutis nostræ clavum, quo nescitur transferre clam, ne dicam furtim, volebat. Corrupto siquidem hujus Dominici thesauri custode, alium huic tam simillimum fecit parari, ut vix aut minime verus a falso per aliquam ambos intuentium diligentiam valeat separari. Hunc ergo dum pretio ductus custos de manu episcopi prænominati suscepisset, dumque opportunum nefando furto tempus se invenisse putaret, machinatum diu dolum tandem perficere frustra conatur..... Dies quoque ipsa, in qua hæc miserationum Dei nobiscum sunt divinitus celebrata, in martyrologiis statim est notata, 12 videlicet Kal. Julii. Huic autem inaudito licet Domini miraculo si quis, quod absit, aurem credulitatis dubitat præbere, potest adhuc et eundem sanguinis notas habentem pannum et eundem adulterinum clavum in domo sancti Petri, si permittitur, videre.*

(468) Etiam hanc rem Vita S. Agritii (Acta SS. Jan. I, p. 777) narrat, sed Winibergam, de civitate oriundam quæ vulgo Reginsburch vocatur, hæc expertam esse dicit.

(469) Cujus locum v. nira.

multitudinis fusa prece commendetur. Interea cubicularius postulatum obtulit censum, quem acceptum ut [2671] cœpit in pauperes expendere, una omnes cœperunt voce clamare, nummis sibi opus non esse; de nummo enim aut nichil aut parum quisque sibi valentis comparare posse, quia, sicut ipse nosset, modius unus frumenti appenderetur solidis 25. Quibus ille respondit, aliud quid sibi præ [2672] manibus non esse, quo potuisset illorum [2673] necessitatibus communicare. Quo contra illi: *Si*, inquiunt, *ad præsens aliud quid dare nobis non habes* [2674], *da saltem de pinguibus equis tuis, ut vel ad modicum compescatur esuries nostra edulio carnis*. At ille, licet invitus, recordatus tamen verbi illius quod vulgo in proverbium vertitur:

Carum quisque dabit, qui cara recipere quærit [2675],

primum dedit suum, deinde aliorum non equidem omnium, sed eorum tantum quos ad hoc pietatis opus sua potuit exhortatione instigare; et laniati atque devorati sunt in [2676] momento coram eo. Post hæc ad locum destinatum processit.

7. [2677] Denique inerat ei permaxima sollicitudo aut de [2678] construendis ecclesiis aut de reparandis [2679] dirutarum vetustate ruinis, quorum alteri evidens perhibet testimonium ecclesia beati Petri apostoli quæ domus et episcopalis sedes dicitur. Hæc, ut ferunt [2680](470), antiquitus fuit domus domnæ Helenæ, cujus rogatu a beato Agricio primitus dedicata est in honorem principis apostolorum, quattuor marmoreis magnæ altitudinis fulta columpnis, in quibus tota illa structura novem arcubus hac et illac distortis consistebat. Sed (471) superioribus annis non paucis una columpnarum illarum longitudine sui fatigata et oneris magnitudine prægravata, in præceps ceciderat, ita ut nullus timore ruinæ divinum ibi celebraret officium. Nullus quoque qui tecta reficeret audebat ascendere, propter quod diutino neglectu [2681] ad id rerum devenerat, ut jam domus oracionis non diceretur, sed a pastoribus pecus ibi pastum minaretur. Hanc ipse labore magno et inpensa, eisdem columpnis quasi circumamictis [2682] basibus, quas usualis locutio pilares (472) nuncupat [2683], itemque arcubus prioribus laudabili arte substratis novis aliis, resolidavit, ita ut non inconvenienter in ejus laude libri [2684] Sapientiæ illud debeat personare: *Ecce sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit* [2685] *domum, et in diebus suis corroboravit templum* (*Eccli.* L, 1), etc. [2686] Resolidatam itaque et [2687] in pristinum reformatam statum, preciosis beati Materni [2688] reliquiis a loco sepulchri, cum conprovincialium episcoporum coram positorum ac totius diocesis suæ cleri et populi, utpote sinodus [2689] gratia, jam [2690], ut ita dicam, perendie heri et hodie celebratæ (473), ibi, id [2691] est Treveri [2692], congregatorum, annisu, 12 Kal. Novembris translatis [2693], illustravit atque dedicavit, dedicatam donativis pluribus, quibus ab imperatoribus, videlicet Heinrico secundo et Conrado [2694] similiter secundo itemque Heinrico rege quidem tercio imperatore autem secundo, sicut in præceptis illorum de Treverim [2695] continetur, honoratus fuerat, magnifice ditavit. Postmodum autem placuit ei eandem ecclesiam ampliorem reddere, fecitque ut nunc tercia tantum quantum prius ambitus ejus parte sit major. Cujus structuræ, ut audivi, tantam fundamenti jussit fieri [2696] profunditatem, quantam nunc vides terræ supereminentem. Huic etenim operi cum studiosius insisteret, opusque jam ad hastæ longitudinem super terram eductum fuisset, die quadam cum sederet ubi fiebat, sol, ut erat solito ferventior, refulsit in capud ejus — erat enim calvus — et incanduit cerebrum ejus, et sicut solet febre correptus, de die in diem ingravescente eadem valitudine, fortiter ægrotare cœpit; nec multo post ad ultima ductus spiritum reddidit sub die [2697] 16 Kal. Julii anno Dominicæ incarnationis 1067 [2698] (474). Cujus exequias Treverici digne procurantes, deposuerunt eum in porta civitatis quæ cognomento Nigra vocabatur, in qua et ipse beatum Symeonem, cujus supra mentio [2699] est, terræ commendaverat [2700]; ubi a religiosis clericis, in eodem loco ab ipso ob honorem Dei et beati illius viri mancipatis (475), pro ejus requie die ac nocte preces funduntur ad Deum, cui est honor et gloria in secula seculorum [2701]. Sedit autem in episcopatu annos 30, menses 5, dies 10.

8 [2702]. Cui defuncto successit in sacerdotali mini-

VARIÆ LECTIONES.

[2671] *deest* C 6. [2672] *post suppl.* C 1. [2673] illo C 3. 4. [2674] n. h. *desunt* B 2. potes B 4? 5. [2675] velit B 1. [2676] in—eo *desunt* B 4. 5. C. [2677] *c.* LVI. *Leibn.*; II, *c.* XXX. C 1. 6. — C 1. *add. rubr.*: De Popp. episcopo. [2678] *deest* B 2. 4. 5. *post add.* C 1. [2679] raparandis *corr.* reparandis C 1. [2680] fertur B 5. [2681] neglecto B 5. [2682] circumactis B1. [2683] vocat B1. [2684] libris B5. [2685] suffulcivit B1. [2686] etc. *deest* C6. [2687] *in marg. suppl.* C1. [2688] *e corr.* C1. [2689] synodus *corr.* synodi C1. *et ita* C3 *sqq.* [2690] *deest* B1. [2691] ibidem Tr. B4. 5. C. [2692] truere B2. *corr.* treueri C1. [2693] translato B2. 4. 5. [2694] cunrado s. s. *in marg. suppl.* C1. [2695] treueri B1? 4? treuerim *corr.* treueri C1. *et ita* C3 *sqq.* [2696] facere B1? [2697] s. d. *desunt* B1 [2698] MVII. *postea corr.* MXLVII. B1. LXVII. *corr.* XLVII. C1. 3. 4. [2699] m. facta B1? 3? [2700] commendavit C. [2701] s. Amen B2. [2702] *c.* LVII. *Leibn. In* C3. *rubra legitur:* de Everhardo archiepiscopo; *in* C1. *nulla distinctio.*

NOTÆ.

(470) V. supra c. 19.

(471) Cf. de hoc loco Steininger, Bemerkungen zur Geschichte des Domes zu Trier 1839. 4. p. 1.

(472) Pfeiler.

(473) De synodo quadam a Poppone mense Junio 1036 celebrata v. Hontheim Prodr. I, p. 318. Cf. Brower. I, p. 518.

(474) Ita auctorem scripsisse puto pro 1047.

(475) Qua de re v. Popponis chartam a. 1042 datam ap. Hontheim Hist. I, p. 379: *In porta quæ apud gentiles Marti consecrata memoratur, ecclesiam ædificantes in honore Domini nostri Jesu Christi et*

sterio cum [2702] cleri plebisque consensu Everhardus episcopus [2704]. Iste natus patre Hizelino comite Alamanniæ [2705] (476), cum in virum fuisset adultus, pro ingenuitate sui, quam magna morum probitas consilium atque [2706] prudencia decorabat, præpositus majoris [2707] ecclesiæ Wormaciensis [2708] sub præsule N. (477), qui subditos suos satis idonee gubernabat. Dedit autem Deus ei invenire gratiam in oculis supra nominati Heinrici imperatoris et principum ejus, ita ut in regiis et aliis quibusque magnis [2709] consiliis non ultimus nec [2710] spernendus auctor haberetur. Unde contigit ut, Treveri [2711] orbata [2712] suo antistite, eis ad quos electio pertinebat peticioni regis coniventibus [2713], jam dictæ metropoli subrogaretur episcopus. Hic vir magnificus et ecclesiæ Treberensis prudentissimus rector fuit, B cujus et possessiones auxit et privilegia renovavit *1. Cujus etiam tam studiosus provisor fuit, ut [2714] abbacias sancti Servacii et sancti Maximini decessoribus [2715] suis ablatas dono Heinrici imperatoris receperit [2716] (478). Romam ad apostolorum limina visitanda frequenter adiit; unde cum honore magno reversus Leonem papam, qui et Bruno [2717], in sede suscepit (479). Hic dum quadam vice dioceses circuiret, a comite Cuonrado de Lucelenburch [2718] captus est, vestimenta sacerdotalia direpta, pallium discissum, crisma [2719] unctionis effusum, magnumque nefas a perversis hominibus patratum est. Quo nuncio Treberi perlato, omnia [2720] divini misterii [2721] jura celebrari intermissa sunt, donec [2722] Romanus papa quid de hoc diffiniret [2723] interrogaretur. Qui C eundem Cuonradum omnesque ejus complices facto generali concilio excommunicavit, sed ejus absolutionem penitentis [2724] episcopo commisit, palliumque illi pro eo quod hostes conciderant misit. Interim vero episcopus a captivitate datis obsidibus rediit, nec multo post comitem penitentem suscepit, cui pro penitentia peregrinationem Jerosolimitanam injunxit; in qua et obiit. — Dein [2725] Judæis persecutionem indixit, eosque, nisi proximo sabbato paschæ [2726] Christiani efficerentur, civitate pellendos esse decrevit. Hinc igitur ejusdem nefandæ gentis quidam ad similitudinem episcopi ceream imaginem lichnis [2727] interpositam facientes, quendam clericum de cœnobio sancti Paulini, Christianum nomine non opere, ut eam baptizaret, pecunia corruperunt; quam ipso sabbato, episcopo jam ad baptismi sollempnia celebranda præparato, accenderunt. Qua ex parte jam media [2728] consumpta, episcopus super fontem [2729] sacris instans officiis cœpit graviter infirmari, et secedens in sacrarium [2730] cum adjutorio ministrorum genibusque [2731] *2 in [2732] oratione flexis, in sacris vestibus obiit 17 [2733] Kal. Maii (*an.* 1006), et sepultus est in basilica sancti Paulini [2734].

*1 C. *add.*: Quæ si quis scire voluerit in præsenti invenire poterit.

31. Privilegium Leonis pape Eberhardo archiepiscopo T. [*rubra deest* C3 *sqq.*] (480)

Leo [*Sequentia duo diplomata desunt* C3. 4.] *episcopus servus — Data XV. Kal. Maias — Leo episcopus servus — Data Idibus Aprilis — indictione secunda.*

32. De L.

indictione secunda.

33. De Victore papa (481).

Victor episcopus servus — die vicesimo quinto. [C1. *ad rubram*: Alia ratio hoc in loco. C3: De scissura palii.] Præfatus etiam pontifex tam studiosus, *etc.*

*2 B 4. 5. *et* C. *add.*: ante crucem que ibi picta est.

9. [2735] Quo mortuo [2736], Anno [2737] Coloniensis episcopus, quem provisorem regni et tutorem filii sui [2738] Heinrici Heinricus imperator moriens reliquerat, spreto Treberorum [2739] consilio et electione, adhibita regis adhuc pueri investitura et confirmatione, nepotem suum Cuononem [2740] cum magna ambitione et manu militari, si sic necesse foret, versus [2741] Treberim direxit [2742]. Quæ inconsiderata provectio sicut illi beato [2743] mortis occasio martyrii [2744] fuit, sic Treberensibus [2745] exercendæ [2746] crudelitatis audaciam et materiam præbuit [2747] (482). Nec mora, denique [2748] præsidem suum Theodericum [2749] cum aliis principibus [2750] evocatum ad ulciscendam tanti contemptus injuriam clamosis vocibus [2751] instigant: si Colonienses hac molitione [2752]

VARIÆ LECTIONES.

[2702] *deest* B1. [2704] *Hic desinit cod. Auræ vallis.* [2705] alamanniæ *a. rec manu superscr.* id est swevie C1. *et ita* C6. [2706] et C6. [2707] fuit *post add.* C1. *et ita* C3 *sqq.* [2708] e. w. æcclesiæ B4. [2709] q. negotiis magnisque B1. [2710] n. sp. *e corr.* C1 [2711] treverici C3. [2712] orbate B1. 2. 4. (5?) *corr.* orbata C1. *et ita* C3 *sqq.* [2713] conuentibus B2. coniuentibus *e corr.* C1. [2714] et B1. [2715] prædecessoribus C6. [2716] recepit B1. [2717] vocabatur B1. [2718] lucelenburc B1. C. luzelenburc B 4. 5. [2719] krisma B4. 5. [2720] *deest* C6. [2721] ministerii C6. [2722] *pergit* B3. [2723] fieret B1. definiret B4. 5. C. [2724] et penitentiam B1. [2725] deinde i. C1. 6. deindeis C3. de judeis C4. [2726] pasce C1. [2727] lignis *corr.* licnis B4. licinis B5. [2728] medio B5. media jam - C. [2729] altare B2. [2730] sacrario C. [2731] flexis *hoc loco add.* C. [2732] in or. *desunt* B3. [2733] VII 2. [2734] paulini de canone C6. [2735] *c.* LVIII. *Leibn. Inde ab hoc loco etiam codices* 4. 5. 6. *cum* B. C. *conveniunt.* [2736] defuncto 4. 5a. c. 6. [2737] Suno 5c. c. archiepiscopus 5b. [2738] *deest* 5. 6. [2739] treberi B. C. *quod fortasse recipiendum erat.* [2740] cononem 5. 6. *semper.* [2741] intronizandum v. B4. 5. C. [2742] misit 6. [2743] beatæ 4. C6. [2744] et m. B4. 5. C. [2745] trebirensibus C. [2746] exerendæ 4. [2747] dedit 4. 5. 6. [2748] Nam sine mora p. 6. [2749] theodricum 5a. *semper.* [2750] p. suis 4. 5. 6. [2751] i. v. 5. 6. [2752] violacione 5.

NOTÆ.

matris ejus gloriosæ et perpetuæ virginis Mariæ, et beati Simeonis, qui ibidem requiescens innumeras virtutes et miracula in medium nostrum operatur, omniamque sanctorum consecravimus.

(476) Browerus, p. 524, hæc ex Necrologio Treverensi affert: 18 *Kal. Maii obiit Heinricus pater Eberhardi archiep. Trevir.* Comitum genus adhuc ignotum esse videtur.

(477) Arnoldo.

(478) Diplomata hac de re data frustra quæsivi, neque Browerus ea vidit (v. Ann., p. 539).

(479) Hæc et quæ sequuntur ex antiquiore Gestorum textu c. 32, supra col. 1177 descripta sunt.

(480) Ap. Hontheim I, p. 386.

(481) Ap. Gunther I, p. 134.

(482) Cf. Vitam Conradi infra in Append.

prævaleant, actum hoc omniam successorum [2753] suorum esse [2754] dedecus et [2755] infamiam. Quid multa? coacto [2756] quippe exercitu, frondesque [2756] arborum, ne arma proderentur [2757], præferentes [2758], nocte clara * obviam pergunt, eosque in pago Bedonico quiescentes nichilque tale suspicantes subito [2759] circumveniunt. Qui conturbati advenientis sonitu multitudinis, postquam hostes adesse [2760] senserunt, fugam in pedum celeritate saltuumque densitate prout quisque potuit sibi elegit. Sic eos discurrentes hostes invaserunt, multisque captis, compluribus sauciatis, omnibus eorum rebus ingentique [2761] præda potiti sunt. Ipse [2762] domnus Cuono incidit in manus hominum impiorum, qui [2763] eum nequioribus custodiendum, donec viderent quo res vergeret, commiserunt; qui eum paulo post, ne videlicet [2764] B regis adhuc juvenis temerarium prævaleret arbitrium, de rupe præcipitantes, in Kal. Junii [2765] miserabili morte peremerunt. Qua de causa rege valde commoto civitatemque [2766] Trebericam se desolaturum comminante, tandem Deo donante a sapientibus [2767-77] ejus [2778] furore sedato, electione cleri et populi Uodo [2779] intronizatur episcopus. Hic ex Alamannorum [2780] prosapia oriundus [2781], patre Everhardo [2782] comite (483), matre [2783] Ita [2784], eisdemque [2785] cœnobii [2786] quod dicitur Scafuse [2787] constructoribus [2788], vir valde venerabilis fuit, facie venustus, ore facundus, statura procerus, cujus merito humeris [2789] sustentari posset tanti [2790] moles regiminis. Hic opera a decessoribus suis [2791] incepta, scilicet monasterii sancti Petri amplificationem, perfecit [2792], conprovincialium militum audaciam et [2793] tirannidem compescuit. Hic [2794] in expeditione regis in obsidione castri Alamannorum [2795] quod Tuingia [2796] (484) vocatur [2797] obiit (*an.* 1078 *Nov.* 13), relatusque a Treberensibus, in monasterio [2798] sancti Petri sepultus est [2799]. Cui successit Egilbertus [2800]; de cujus electionis occasione libet altius parumper edicere.

* Mai mensis *add.* B 4. 5. C.

10 [2801]. Tempore illo cum [2802] Gregorius, qui et A Hildebrand [2803], Romani pontificatus jura disponeret, hoc decretum antiquitus quidem promulgatum, nunc autem innovatum est, ut videlicet omnes in sacris ordinibus constituti, presbiteri [2804] scilicet et diaconi, a cohabitationibus feminarum se ut decet cohiberent [2805], aut ab [2806] officio cessarent [2807]. Simul etiam [2808] ne quis cujuscumque ordinis, laicus videlicet sive [2809] clericus, episcopatus, abbacias seu alias quaslibet spiritualium donorum dignitates, vel [2810] per se vel per [2811] interpositam personam, emere sive [2812] vendere præsumeret; quodque [2813] si quis infringeret, honorem quemcumque haberet amitteret. Ubi hoc verbum palam factum est, in cordibus eorum qui non secundum Deum incedebant magnam suscitavit invidiam. Propterea inter regnum et sacerdocium partes exortæ sunt, et hinc inde permaximæ inimicitiæ [2814] succrevcrunt [2815], et eo usque dissensionis hujus et inimicitiarum in invicem fomes invaluit, ut si cui cæsarianorum occurrisset quispiam ecclesiasticorum, qui forsitan pro amore patriæ cœlestis seculum reliquisset, carnem macerasset, quemque aliqua [2816] corporis molestia attenuasset, sive qui, ut tunc moris erat, barbam quasi in signum religionis enutrisset, quasi regii honoris [2817] proditores contumeliis afficiebant, insultanter eos ecclesianos appellantes. Nullus enim tunc in subrogandis pontificibus vel aliis ecclesiasticis dignitatibus canonicæ sanctionis ordo servabatur, sed qui tantum regis [2818] vel principis manum im- C plesset seu aliud qualecumque obsequium sibi placitum inpendisset, regia præficiebatur violentia ubi voluisset. At vero ubi [2819] rex ejusque consentanei principes non eo minus omittebant, sed vetitam venditionem magis et [2820] magis instituebant, præfatus papa non veritus sententia anathematis omnes conclusit [2821], et quicumque voluisset in catholicorum consortio numerari, faciebat sibi hujusmodi verba conscribi : *Anathematizo omnem heresim Heinrici dicti regis et omnium* [2822] *complicium* [2823] *ejus et omnem qui eum regio nomine vel* [2824] *honore* [2825] *veneratur*, Heinricum inquam nominis [2826] hujus quartum [2827]

VARIÆ LECTIONES.

[2753] *deest* 5b. [2754] *deest* 5b. 6. [2755] et ad i. 4. 5. 6. [2756] que *deest* 6. [2757] viderentur 6c.d. [2758] ferentes 4. præ se ferentes B2. 4. 5. C. [2759] *deest* 5b. [2760] adesse — hostes *desunt* 5a. [2761] que *deest* 5. 6c. [2762] i. vero B4. 5. C. [2763] qui — commiserunt *desunt* B1. [2764] *deest* 4. 5. 6. [2765] julii 5a. [2766] que *deest* 5b. [2767-77] a. s. *desunt* B1. 3. [2778] furoreejus 5. [2779] udo 5. 6. B1 ? 5. [2780] *rec. manu in* C1. *superscr.* : i. (id est) swevorum. [2781] ortus 5.a [2782] hebrardo 5a. heberardo 5c. heberhardo 5b. eberhardo 6. [2783] *superscr.* C1. [2784] ida 4. 6. B1. 2. yda 5a. b. vda 5c. [2785] ejusdem 6. B1. 3. ejusdemque 5. B2. [2786] monasterii 5. 6. [2787] scaphuse B1. scafhusen B4. 5. scafhuse C. schafhuse C6. [2788] fundatoribus 4. 5. 6. [2789] *deest* 5b. [2790] *deest* 6. [2791] a suis predec. 5b. [2792] fecit 4. 5. 6. [2793] et t. *desunt* 4. 5. 6. [2794] *deest* 5. 6. [2795] *alia manu corr.* suevorum 5a. *rec. manu in* C1. *superscr.* : i. swevorum. [2796] turingia 4. tuvigia *corr.* tuuingia 5a. Mingia 5c. tumgia 6c. tuingia B4. 5. twingia C. [2797] dicitur 5. 6. quod *deest* 5b. [2798] monasterium 5a. c. [2799] *deest* 5b. [2800] engilbertus 5. engelbertus B1. *et ita deinceps*, egelbertus B2. 3. e. s. 5. 6. [2801] *c.* LIX. *Leibn. In* C1. 6. *rubra legitur* : Item alia ratio notab. ; *in* C3 : de electione egilberti. *Cap.* 10-14. *desunt* B5. [2802] quo 5. [2803] hildebranth 4. [2804] *deest* B1. [2805] distribuerent *corr.* abstinerent 6a. *et ita* 6b. c. astinerent 6b. [2806] *deest* 4. 5. 6. [2807] vacarent 6. [2808] Similiter ne 5a. [2809] *deest* 5c. [2810] *deest* 5a. [2811] *deest* 6c. [2812] vel 4. 5. 6. [2813] quod 5. 6. [2814] invidiæ 5. 6. [2815] succreverint 6c. succurrerunt B1. [2816] alia C. [2817] h. r. C3. [2818] regis — sibi *desunt* B2. [2819] *deest* 4. [2820] ac 6. [2821] concludit 5. 6. [2822] *deest* 6. [2823] complicum 5. [2824] et 6. [2825] v. h. *desunt* B1. [2826] h. n. 5. B4. [2827] r. q. 6.

NOTÆ.

(483) De Nellenburg, cf. Stalin Hist. Wirtemb. I, p. 555; diploma ib., p. 554. n. 11 allatum, et Ann. Scafhusenses SS. V, p. 388.

(484) Tubingen; cf. Bruno De bello Sax. c. 61, 103, Ekkeh. a. 1077 et Stenzel. I, p. 437 n.

regem. Quam excommunicationem ubi fama [2828] ad aures imperatoris [2829] detulit, ægre admodum ferens et peccatum peccato superadjiciens, convocato suæ partis episcoporum abbatum et aliorum graduum concilio, statuit, ut Gregorius [2830] nulli eorum deinceps apostolicus esset, nec decreta ejus quisquam reciperet. Et hoc facto, ipse [2831] sub omni celeritate Italiam adiit, Wicbertum [2832] quendam [2833] Ravennæ civitatis episcopum in una civitatum [2834] Italiæ (485) pro Gregorio papam fecit (*an.* 1080); quem et Clementem nominavit. Porro si quando Gregorius causa cujuslibet rei agendæ Romam [2835] fuisset egressus, iste [2836] subintrabat; illo revertente, iste fugiebat. Illi ecclesiastica [2837], major videlicet [2838] pars, isti [2839] cæsariana pars [2840] præsidio erat. Sed quid ad nos ista pertinent? pocius [2841] in sua loca abeant [2842]. Nos autem propositi nostri seriem prosequamur.

11 [2843]. Per idem tempus fuit in civitate Batavia [2844] (486) de optimatibus Bajoariæ [2845] ex clero quidam præpositus majoris ecclesiæ et scholasticus nomine Egilbertus [2846], qui vice quadam, cum episcopus loci illius, sicut et aliarum civitatum episcopi, ex præcepto Romani pontificis supra memoratum decretum in ecclesia sua pronunciaret [2847], ausu temerario illi in faciem restitit, palam dans cunctis intelligere [2848], quoniam [2849] et ipse cum Heinricianis vinculo teneretur anathematis. Constat enim [2850], testimonium [2851] perhibente apostolo, de malefactoribus [2852], quia facientes et consentientes una sunt sententia plectendi (*Rom.* 1, 32). Ille vero [2853] consentit, qui etsi renuere non valeat, favendo tamen, quantum in ipso est, malefacientis operibus communicat. Dicebat autem imperatori licere, nec idcirco ecclesiæ [2854] consorcium amittere [2855], si non spiritualia sed regalia sua gratis preciove cui voluerit inpendat. Quæ utique non sua, sed juxta Romanam consuetudinem regalia beati Petri vel ecclesiæ pociori jure possunt appellari. Sed utinam qui ad ecclesiasticæ dignitatis culmen [2856] venire desiderant, non ambiciose, quod minime decet, se ingerant, neque artificiosi colore commenti symoniacæ hereseos sibi machinamenta confingant [2857], asserentes se non spiritualia sed terrena terrenis acquirere, cum sicut temdeinde quod [2858] spirituale, et non [tam [2859]] appetant curam pastoralem quam honorem temporalem! Multis itaque sermonibus pro [2860] hujusmodi ad invicem collatis, cum vidisset [2861] eum episcopus incorrigibiliter symoniacæ parti et nil penitus ecclesiasticæ assentire, jussit eum a communione ecclesiæ alienum existere, usque dum universali papæ præsentatus, unitati ecclesiæ per ipsum meruerit sociari. Proinde cum diutius intra se hæsitasset, demum voluntas [2862] ei Romam proficiscendi incidit, verumptamen rege inconsulto ire illo noluit; a quo rege, inquam [2863], accepta ad eum, quem superpositum [2864] papæ diximus, mandata detulit, et ab universali penitus declinavit. Et factum est, dum rediret adimpletis negociis pro quibus a rege missus fuerat, in redeundo audivit Uodonem, fideli dignum memoria Treverensem [2865] archiepiscopum [2866], vita decessisse, et ob hoc [2867] regem Treverim adivisse [2868], ut alium in locum [2869] ejus debuisset substituere. Et hac [2870] fama comperta, quam plurimum iter [2871] acceleravit, intra se cogitans, si forte eo maturius potuisset [2872] pervenire, pro inpensa sæpius regi servitute hunc ei honorem posse succedere [2873]; quod et [2874] factum est. Sed qualiter ad id ventum fuerit [2875], ignaros docebimus. Porro cum imperator jussisset ut quem sibi placere cognoscerent hunc episcopum eligerent, et clerus unum post unum ex ipso eorum collegio [2876], hoc utique honore dignissimos, exhiberent, rex autem, quotquot nominassent, nullum eorum [2877] sibi placere dixisset [2878] — nullus enim eorum [2879] benivolentiam ejus digna taxatione prævenerat, — jamque [2880] in eligendo tribus diebus transactis [2881], et quarto nichilominus die iterum [2882] ad idem congregatis omnibus: tamquam a Deo missus — si tamen dici potest a Deo dirigi via [2883] hominis qui culpa sui [7884] meruit [2885] ab [2886] ecclesiæ communione suspendi — venit, et facta oracione sua [2887], locutus est regi de his quæ habebat in mandatis. Quibus finitis dixit rex: *Quia* [2888] *jam diu in eligendo episcopo concordare non possumus* [2889], *saltem in hunc conveniamus.* Et consensit ei ex episcopis qui electionis [2890] causa advenerant solus Theodericus [2891] Virdunensis [2892]

VARIÆ LECTIONES.

[2828] *deest* 4. 5. [2829] d. i. 5. 6. [2830] n. e. g. 6. [2831] *deest* B4? [2832] wichbertum 5. et w. B1. [2833] *deest* 5c. [2834] civitate B4. C3. [2835] roma 5c. romam f. ingressus *corr.* roma f. egressus 6a. ingressus 6c. [2836] ille 4. [2837] *deest* B1. [2838] *deest* C. [2839] i. vero 6. [2840] *deest* 6. B1. [2841] pocius — prosequamur *desunt* C6. [2842] habeant B2. 3. [2843] c. LX. *Leibn.* [2844] barama 5b. *post corr.* battavia 5a. baramia 5c. batana B1. 3. bathanya B2. batava *corr.* batavia C1. [2845] bajoriæ 4. 5. B3. 4. bawoariæ B2. [2846] engelbertus B1. *semper.* [2847] recitaret 6. [2848] intelligere C1. [2849] quam B1. [2850] *deest* C6. [2851] testimonio 5a. [2852] fautoribus 4. factoribus 5. [2853] *deest* C6. [2854] c. c. 6. [2855] c. non a. B1. [2856] *deest* 6. honorem *superscr.* 6a. [2857] configant B2. [2858] *deest* B2. [2859] *deest in omnibus fere codicibus; nescio an in 4. et* B4. *legatur.* [2860] *deest* 5a. [2861] videret 6c. [2862] ei v. 6. [2863] *deest* 6. [2864] superpositi 4. suppositum 6a. subpositum B2. [2865] treberensium 6. [2866] episcopum B2. [2867] *deest* 6. [2868] treberim advenisse 5. 6. [2869] loco 5. [2870] Hec f. 5b. [2871] tunc 5. [2872] posset 5. [2873] subsistere 6. [2874] *deest* 5. [2875] est 5. [2876] consortio 4. 5. 6. [2877] *deest* 5. C6. [2878] dixit 5. [2879] *deest* 6. [2880] jam 6. [2881] exactis 6. [2882] *deest* 6. B1. [2883] viam B1. [2884] sua 5. 6. [2885] meruerit B1. 2. 4. [2886] ab ecclesia et ecclesie c. 5a. [2887] *deest* 6. [2888] O 5a. quamdiu 5b. c. B2. 3. 4. C. quoniam 6. [2889] possimus 6c. [2890] c. c. 5 6. devotionis c. C. [2891] theodricus 5a. b. [2892] wirdunensis B2.

NOTÆ.

(485) Brixiæ.

(486) Passau.

episcopus, qui cognomento Magnus vocabatur, et pars aliqua [2893] populi Treverensis. Rex ergo [2894] nil moratus investivit eum, dans ei anulum et baculum sub die octavo [2895] Idus Januarii anno [2896] dominicæ incarnationis 1078 (487). Pontifices vero Herimannus [2897] Mettensis et Bibo [2898] Tullensis et residuus clerus et populus, quantum in ipsis erat, non assenserunt, quoniam ipsi tam idoneas [2899] personas exhibuerunt [2900]; resistere tamen regis voluntati non potuerunt. Verumptamen clerus et populus [2901] multum moleste ferentes irrogari [2902] sibi violentiam, deprecabantur eos qui præsto erant episcopos, et cum interminacione auctoritatis apostolicæ interdixerunt, ne ipsum consecrarent antistitem [2903], commonentes eos canonici illius decreti, quo præcipitur ut nullus in episcopum nisi canonice electus consecretur. Quocirca episcopis in sua redeuntibus, Egilbertus benedictione non percepta remansit, et erat cupiens [2904] consecrari, nec potuit ab aliquo episcoporum ecclesiasticorum [2905], qui ingressum ejus audisset [2906], diebus quam plurimis impetrare (488). Tribus (489) igitur annis fere [2907] transactis, cum res regi innotuisset, qui sub ipso tempore Roma [2908] rediens, multa [2909] ibi cæde patrata et papa Gregorio fugato, quo certe nichil in [2910] diebus illis [2911] (*ap.* 1084) celebriori fama ora omnium adimplebat, secus Alpes moram [2912] faciebat, directis epistolis [2913] ad supradictum Virdunensem episcopum, qui ei summa familiaritate adhærebat, petivit [2914], quatinus Treverensem metropolitanum [2915] quantocius consecrare studeret. Quarum epistolarum exemplar [2916] hic inserere non videtur [2917] ab re, quæ habent hunc modum :

12 [2918]. *Rex Heinricus Dei gratia Romanorum imperator et* [2919] *augustus* [2920] *Theoderico episcopo dilectionem nulli majorem. Inprimis te scire volumus, quia nulli melius quam tibi confidimus, nec episcopum Trajectensem fidei monitorem, sed ad* [2921] *honorem regni tractandum tibi misisse cooperatorem. Deinde ad singula quæ mandasti negocia singula damus responsa, sed brevissima, quia infinita tibi reservamus ore ad os dicenda. Siquidem hoc quod in margine epistolæ tuæ de Romano negocio nobis mandasti, inprimis dicimus tibi* [2922]. *Romam in die sancti Benedicti intravimus; qualiter* [2923] *autem a Romanis recepti simus* [2924], *qualiter cum Romanis steterimus, qualiter a Romanis recesserimus, ab aliis multis te audisse credimus, tum etiam litteris nostris tibi indicavimus* [2925], *quas te nondum vidisse putamus* [2926], *sed et mallemus alio quam nostro ore te* [2927] *rescisse quæ nobis fecit Dominus. Incredibile enim videtur, quod verissimum probatur, quod factum* [2928] *est in Roma* [2929]; *ut ita dicam, cum decem hominibus in nobis* [2930] *operatus est Dominus, quod* [2931] *antecessores nostri si fecissent cum decem milibus, miraculum esset omnibus. Nam cum in Theutonicas partes, de acquirenda Roma jam* [2932] *desperantes, redire vellemus, ecce Romani missis legatis ut Romam intraremus rogaverunt, seque* [2933] *in omnibus nobis obedituros promiserunt; quod et fecerunt. Summo namque gaudio nos intrantes receperunt* [2934], *summo studio secum manentes adjuverunt, summo triumpho et fide ab eis recedentes prosecuti sunt nos* [2935], *in tantum ut* [2936] *in Domino fiducialiter dicamus quia tota Roma in manu nostra* [2937] *est, excepto illo castello* [2938], *in quo inclusus est* [2939] *Hildebrant* [2940], *scilicet in domo Crescentii. Quem Hildebrandum legali omnium cardinalium ac totius populi Romani* [2941] *judicio scias abjectum, et electum papam* [2942] *nostrum Clementem in sede apostolica sublimatum omnium Romanorum acclamatione, nosque a papa Clemente ordinatum et* [2943] *consensu omnium Romanorum consecratum in die sancto* [2944] *paschæ in* [2945] *imperatorem totius populi Romani exultatione* [2946]. *His ita* [2947] *factis benedictione Dei et sancti Petri omnium gaudio a Roma recessimus, et quanto citius* [2948] *possumus* [2949] *ad has partes* [2950] *properamus* [2951], *et in via reditus invenit nos tuus nuntius. Gaudeant qui velint* [2952], *doleant qui velint, nos Deo propicio assumus. Domnus ille quid agat, scire non curamus, sed quod tu monuisti* [2953], *libenter ne nobis dampnum* [2954] *faciat providebimus. De Saxonibus vero, de Salzburgense* [2955] *ar-*

VARIÆ LECTIONES.

[2893] *deest* C. [2894] igitur B2. vero 5. 6. [2895] *deest* C. [2896] *deest* B2. [2897] hermannus 5. B1. C6. heremannus B2. [2898] bybo B2. [2899] idoneos *corr.* idoneas C1. [2900] exhibuerant 5. [2901] et p. *desunt* B1. 2. [2902] tantum sibi i. v. 6. [2903] episcopum B4? [2904] *deest* 5b. [2905] catholicorum 5. 6. [2906] audissent 4. 5. 6. [2907] *deest* C6. [2908] romam 5. B2. C. [2909] multa — si ita sumus ex (*infra c.* 17.) *desunt* B3, *tribus foliis amissis.* [2910] *deest* 5. 6. certe d. i. n. c. f, omnium ora 6. [2911] *deest* C6. [2912] moras B2. [2913] epis 6. [2914] petiit quo 6. [2915] episcopum m. B1. [2916] *deest* C6. [2917] ab re v. 6. [2918] *c.* LX. *Leibn. In* C1. 6. *legitur rubra :* Incipiunt litteræ quas imperator Heinricus misit T. [2919] *deest* 6. [2920] semper augustus B1. [2921] ad hoc honorem 5b. [2922] t d. B1. [2923] qualiter — simus *desunt* C6. [2924] sumus 6a. [2925] indicamus B1. 2. 4. C. [2926] credimus 5. 6. [2927] *deest* C6. [2928] *deest* 5b. [2929] est rome 6. urbe r. B4? [2930] in nobis *desunt* C6. [2931] quæ C6. [2932] *deest* 6. [2933] se quoque 6. [2934] susceperunt 6a. [2935] *deest* 6. B1. [2936] *deest* C6. [2937] n. manu C3. [2938] *deest* 5. [2939] est *deest* 5. reclusus habitat h. 6. conclusus C. [2940] hildebranth 4. [2941] *deest* B1. [2942] n. p. 6. [2943] et in B2. [2944] sancte 5a. c. [2945] *deest* 5a. B1. 2. [2946] in e. C. [2947] itaque 5a-b. B1. [2948] quantocius 5c. B1. 2. C. [2949] possimus B2. [2950] *deest* 5ab. prop. partes 5c. [2951] properantes B2. [2952] gaude autem C6. [2953] innotuisti C6. [2954] damnum n. f. 6. [2955] Salebergensi 5a. Saleburgensi 5b. Saleburgense 5c.

NOTÆ.

(487) Annus 1079 intelligendus videtur, cum certe anni 22, menses 8, dies 3, quos (c. 17) Egilberti regimini attributos legimus, ab a. 1079 octavo Id. Jan. ad Non. Sept. explentur. Antiquus Trevirorum mos scribendi annum a 25 Martii inchoabat. V. dissertationem a. 1815 Treviris impressam s. t. Chronologisch-diplomatische Bemerkungen uber die Zeitrechnung der Trierer im Mittelalter. Wytt. Cf. etiam Stenzel. I, p. 437 n. Stalin Hist. Wirtemb. I, p. 510.

(488) Cf. Theoderici episcopi Vird. epistolam Egilberto scriptam ex cod. Udalriceo ap. Hontheim I, p. 426.

(489) Sex dicere debebat.

chiepiscopo, de comite Adalberto, et de aliis ad nos redire volentibus id tibi respondemus, quia consiliis tuis libenter acquiescimus, ut tantummodo pax vera [2956] *fiat in nostris temporibus* [2957], *videlicet ut fideles sint, cum ad nos redierint. Tu autem si non gravaris facere quod volumus, Augustam ad nos venire post festum apostolorum Petri et Pauli rogamus* [2958], *quia,* [2959] *Deo favente, in festivitate* [2960] *eorum Radisponæ* [2961] *erimus. Studeas ergo ad nos venire, ut tuo nos adventu possis* [2962] *lætificare. Insuper mandat tibi* [2963] *apostolicus Clemens et imperator* [2964] *Heinricus, ut sicut nos diligas* [2965], *ita archiepiscopum Trevirensem velociter consecrare properes* [2966]. *Vale* [2967].

13. [2968] Has igitur epistolas [2969] cum præfatus Theodericus acceptas legisset, noluit [2970] quidem quod petebatur libenter adimplere, sed attonitus rerum magnitudine, non posuit [2971] in corde suo credere, ita se omnia habere sicut scriptura referente [2972] cognoverat. Sed et recordatus, quod a clero Treverensi ne id faceret apostolica auctoritate sibi interdictum fuisset, ne forte adversus [2973] eum exinde potuissent quandoque idoneæ [2974] accusationes consurgere, congruum duxit super hoc litteras mittere Romano pontifici, in quibus et meminit depulsionis ab episcopatu Herimanni [2975] supradicti Mettensis [2976] ac sibi injunctæ reconciliationis, ut videlicet ipsius interventione Herimannus loco suo restitueretur; quod, licet satis laboraverit, non tamen tunc sed postea obtinere potuit [2977]. Litterarum autem [2978] quas mittebat hic erat modus [2979] (490).

(An. 1080?) *Gregorio summo pontifici karissimo domino reverentissimo* [2980] *patri Theodericus Virdunensis episcopus qualiscumque tamen suus, dilectionem quam patri filius, subjectionem quam prælato subditus, servitutem quam domino servus. Posse tibi obedire maxima est* [2981] *michi jocunditas, posse servire non parva hilaritas; in quo enim venerabor te, in eo beatum Petrum* [2982]; *in quo obediendo serviendo te michi conciliabo* [2983], *in eo beatum apostolum* [2984]. *Monitus a te suscepi confratrem meum Mettensem ut te ipsum, attendens illud dominicum : « Qui vos recipit, me recipit (Matth. x, 40) », causam ejus meam feci, negocium* [2985] *meum existimavi, eadem nobis adversitas* [2986], *eadem fuit prosperitas. Ad hoc me invitavit mutua fraternitas, debita caritas, sed præcipue jussio tua, benivolentia tua et habita in me fiducia. Præterea* [2987] *Treverensis ecclesia cum gravi dolore pedibus paternis* [2988] *advolvitur* [2989], *filia dominum pulsat, inconsolabile* [2790] *sui detrimentum his* [2991] *temporibus me mediante deplorat. Vidua per* [2992] *biennium fere quanta passa est et patitur! quantum afflicta est et affligitur! Foris pugnæ* [2993], *intus timores. Elegit virum de plebe dignum sacerdotem, ideneum patrem, communi assensu, teste conscientia mea coram Deo et coram te, quod nichil symoniacum contra ejus ecclesiasticum intercurrerit, quod nichil symoniacum etiam peticione remota interveneril. Consecrationem ejus miramur differri* [2994], *dilationem* [2995] *tam gravem miramur potuisse tibi inculcari* [2996], *illud maxime, quod pateris hac desolatione nos adeo gravari. Gravissimum onus est michi, solum* [2997] *esse in medio nationis pravæ et* [2998] *perversæ; solum, patre* [2999] *et fratre illo expulso, alio non consecrato. Si ecclesiam, si statum christianitatis curas* [3000], *locum nostrum respicias, et cum vita* [3001] *patris in omnibus spectata ordinacionem mereatur, Mettensem* [3002] *et me tuo exaudito, nullius detractione ulterius remoretur* [3003]. *Persolvet* [3004] *tibi quod patri filius, quod prælato subditus.* Deinde quibusdam interpositis, in fine ita concludit : *Quomodo rex sit* [3005] *tecum et tu* [3006] *cum rege, modo* [3007] *michi rescribas tuo.*

14 [3008]. (*An.* 1084) Denique his quæ decursa sunt Romam directis, appropinquante tempore [3009] quo se rex venturum per epistolam suprascriptam ipsi mandaverat, sicut jussus fuerat [3010], venire ei obviam parabat, veniensque Mogontiam [3011], ibi forte [3012] complures episcoporum in occursum regis euntium repperit; ad quos facta oracione, quoniam confratres sui, suffraganei videlicet ecclesiæ [3013] Treverensis, supra nominati episcopi Herimannus Mettensis et Bibo [3014] Tullensis, ob invidiam regis metropolitani sui consecrationi noluissent interesse, petivit ex [3015] ipsis causa karitatis sibi [3016] cooperatores fieri, et obtinuit. Itaque [3017] assumptis secum [3018] qui plus ecte-

VARIÆ LECTIONES.

[2956] *deest* 6a. [2957] partibus C6. [2958] te r. 6. [2959] q. erimus d. f. i. f. e. r. 5. [2960] festo 5. 6. [2961] ratisponæ B2. r. villa 5. [2962] t. a. p. nos 5. C. [2963] t. m. 6a. [2964] h. i. 6. [2965] diligas *corr.* diligis 6d. diligis 6b. [2966] festines 5. 6. [2967] valete 5. [2968] *c.* LXII. *Leibn.* [2969] litteras 6. [2970] voluit 5. C. [2971] non potuit 5c. 6. B3. n. posuit in corde s. non credere B1. [2972] ref. s. 5. [2973] adversum 5a. b. [2974] a. ydonee 5. [2975] heremanni B2. *et ita deinceps;* hermanni 5. C. [2976] m. episcopi 4. metensis C. *sæpius.* [2977] obtinuit 6. [2978] *deest* 5bc. [2979] C1. 6. *add. rubram :* Littere Theoderici Virdunensis episcopi quas misit Gregorio pape. [2980] ac r. C. [2981] mihi e. 6. [2982] p. apostolum C6. [2983] reconciliabo C6. [2984] b. petrum a. 5b. C. [2985] n. ejus 6d. ejus C1. *in marg. add. et ita* C3 *sqq.* [2986] prosperitas e. f. adversitas 6. [2987] Propterea 6c. [2988] vestris 4. 5. 6. [2989] provolvitur 6. [2990] p. in consolatione 4. 5. 6. [2991] in hiis 5b. [2992] *deest* 5. fere biennio 6. [2993] *deest* 5b. [2994] differri — miramur *desunt* 5c. [2995] desolationem 5ab. [2996] intorculari C. [2997] *deest* 5c. [2998] atque 6. [2999] R. *post add.* 6a. *et ita* 6b. patre ex 6c. [3000] cures 5. [3001] et cura p. 4. 5. 6. [3002] *ita* 5. B1. 2. 3. mettense 6. metensem *corr.* metense C1. *et ita* C3. *sqq.* metensem — remoretur *desunt* C6. [3003] rememoretur 6. demoretur B1. [3004] persolvit 4. 5. 6. [3005] *deest* B1. [3006] tui 6c [3007] *deest* 5. 6. [3008] *c.* LXIII. *Leibn.* [3009] termino 5. 6. [3010] i. ei f. 5b. [3011] in m. B2. [3012] *deest* B4? [3013] *deest* C. tr. ec. 5. [3014] bybo B2. et *deest* 5b. [3015] ab 5. 6. [3016] s. cos 6. [3017] Ita 5a. [3018] s. his 6.

NOTÆ.

(490) Hanc epistolam pluribus annis ante Heinrici litteras scriptam esse inde patet, quod dicit. per biennium fere Ecclesiam Treverensem esse viduam.

ris erga ipsum benigni[3019] videbantur, connivente [3020] eju dem sedis archipræsule, Egilbertum[3021] conseeravit [3022] episcopum. Porro cum fuisset ordinatus, paucis interjectis diebus, Treverim venit, et cœpit cum his qui, ut ita dicam, ipsum [3023] noluerunt [3024] regnare super se, tyrannico more agere, ut deinceps ab ejus impugnatione desisterent; majoribus, quibus plus nocere non potuit, ex rege timorem incutere; invalidæ vero plebis, quæ se adversus ipsum [3025] defendere non potuit, bona quacumque occasione diripere. Tunc hii qui plus ceteris ei ausi [3026] sunt resistere, dixerunt: *Quoniam ad hunc* [3027] *pontificatus honorem* [3028] *et tunc et nunc ingratis* [3029] *nobis accessisti, sed et quia ab homine excommunicato et laico episcopalia suscepisti, episcopalia inquam anulum et baculum, præsertim cum* [3030] *in canonibus decretis* [3031] *laicis quantumvis religiosis nulla* [3032] *de ecclesiasticis rebus aliquid* [3033] *disponendi sit tributa facultas, idcirco non poteris episcopari* [3034], *nec nos tibi communicare. At vero si insuper debes in gradu* [3035] *suscepti honoris consistere* [3036], *oportet te Gregorio catholicæ ecclesiæ* [3037] *summo pontifici obsequi et obedire, et heretico* [3038] *illi superpositio penitus abrenunciare, heretico inquam juxta illud quod beatus* [3039] *Gelasius papa et martyr in epistola quadam, universis orientalibus episcopis directa, de hujusmodi superpositis scribens ait: « Quid ergo facimus de* [3040] *tantis totque civitatibus, ex quibus catholici pontifices rejecti sunt? si catholici subrogati sunt* [3041], *cur catholici sunt rejecti* [3042]*? Sed evidenter apparet quia* [3043], *cum catholici sunt rejecti, non catholici fuerunt qui subrogati sunt* [3044]. *Restat* [3045] *igitur ut* [3046] *non sint catholici sed heretici quicumque successerunt. » Item: « Quis non videat, illos esse catholicos et ab omni heretica peste prorsus alienos, qui a propriis urbibus detrusi* [3047] *et in exiliis sunt reducti, et eos qui superstitibus catholicis successores fieri ausi sunt, catholicos omnino non esse* [3048]. *His* [3049] *adde et illos* [3050] *qui se prius talium communioni junxerunt. »* Quo contra Egilbertus respondit, velle se prius vitam dare, quam illi qui eum ad hunc honorem provexisset [3051] infidelis existere. A nunquam velle Gregorio obedire, quamdiu ipse [3052] nollet amicitiam regis inire [3053]. Interea dum hæc et his similia inter se contendentes tractarent, appropinquabat jejunium quattuor temporum, quo consuetudo est ecclesiæ, promoveri eos in ordinem clericatus qui sunt promovendi [3054]; et hoc [3055] iste omni nisu [3056] affectabat facere, non amore justiciæ, sed ut potuisset majorum quempiam sibi advincire [3057], ut videlicet ab ipso consecrati postea ipsi essent obnoxii, et quomodo suam ab ordine suspensionem, ita pertimescerent ejus ab episcopatu depositionem. Cujus intentionem cum rescissent, dixerunt: *Quia pallium* [3058], *quod* [3059] *a Romana ecclesia metropoli nostræ debetur, nondum es adeptus, impositionem manus a te percipere* [3060] *nolumus,* B *maxime cum in canonibus decretum sit* [3061]: « *Si quis episcopus* [3062] *metropolitanus sine pallio consecrare præsumpserit, et consecrator et consecratus gravi ordinis sui periculo subjacebit. » Quod utique si debes acquirere, necessarium* [3063] *habes erga papam* [3064] *quem adeo despicis, Gregorium te* [3065] *humiliare, ut merearis accipere.* Quid [3066] multa? Expositis ei [3067] idoneis causis pro quibus non debuerit [3068] ordines facere [3069], abstinuit, et paucis diebus interpositis, quendam * consectaneum suum nomine Theodericum, arte nigromanticum [3070], professione monachum, scientia litterarum valde præditum, misit quæsitum Clementem [3071] suum apostolicum [3072], et [3073] inventum transmittere [3074] sibi expeteret [3075] C pallium. At ille Clemens inquam [3076] gavisus quod aliquis [3077] ipsum pro accipienda benedictione respiceret, quod petebat transmisit, cum litteris docentibus [3078] quibus temporibus hoc foret [3079] usurus; quas quia auctor [3080] non roborat, magis vero infirmat — hereticorum enim [3081] et excommunicatorum decreta fidelis quisque non recip t —, idcirco commendare [3082] memoriæ non curavimus (491). Hic [3083] autem quem jam nominavimus [3084] Theodericus de sæpe dicto [3085] Gregorio papa libros duos edidit (492), in quibus mendaciis [3086] multis compilatis, quæ non ipso melius concinnare [3087] quis novit, Gregorium infamem fecit, regis vero et sui papæ

VARIÆ LECTIONES.

[3019] b. esse 6. [3020] connivente archipresulem B1. 4. annuente — archipresule C. convenit e. s. archipræsulem 4. 5. 6. [3021] et e. 5a. b. d. [3022] c. eum 4. [3023] his, ut i. d. qui eum 4. [3024] r. n. 6. [3025] eum B.4. C. [3026] a. s. ei r. 6. [3027] adhuc 6. [3028] ordinem 5. 6c. [3029] ingratus B2. 4. C. [3030] *deest* 5c. [3031] et d. 6. [3032] et 5. *deest* 6. de e. r. a. d. nulla 5. 6. [3033] aliqua B2. [3034] episcopare B1. 2. C. [3035] gradum 5a.b. [3036] persistere 6. [3037] apostolicæ C3. 4. [3038] heretico illi — abrenunciare *desunt* 5a. 6. [3039] *deest* 5. [3040] de tot tantisque 6. de tantis — *c.* 40. jus libere transirent *desunt* 6a. *folio deficiente quod nunc codici Vaticano Christ No.* 1283. *f.* 70. *insertum esse supra dixi.* [3041] *deest* B4? sunt s. sunt 5a.b (cur — qui subrogati *desunt* 5a.). subrogati *deest* 5c. sunt subr. 6. [3042] r. s. B2. [3043] *deest* 5b.c. [3044] sunt subr. 5b. [3045] Restat — successerunt *desunt hoc loco* 6. [3046] cum C6. [3047] extrusi 4. 5. 6. [3048] Restat igitur quod non — successerunt *hoc loco add.* 6. [3049] *deest* B1. has C3. 4. [3050] eos 4. [3051] provexit B 2. [3052] *deest* 5c. [3053] preire 5. 6. [3054] movendi B1. 2. [3055] *deest* 5b. [3056] visu 6b.c. [3057] advincere 6c. advi. . . . . 5b. [3058] paululum 6c. [3059] *deest* B 2. [3060] recipere 5. suscipere 6. [3061] est 5. [3062] *deest* 5. 6c. [3063] n. h. *desunt* 6. [3064] pape — Gregorio B2. [3065] te convenit 6. [3066] Quid multa *desunt* 4. 5. 6. [3067] *deest* 5b. [3068] deberet 4. [3069] ministrare 5b. [3070] nichromaticum 6b.c. nichromanticum 6a.d. B2. [3071] s. c. 4. [3072] papam suum B1. [3073] ut 4. C? [3074] s. tr. 6. transmiteret c. 6b. transmitti 5b. [3075] peteret 5a. 6c. [3076] *deest* 5. 6. [3077] aliquid 6b. ipsum *deest* 5b. [3078] dicentibus C. [3079] f. h. 4. [3080] auctoritas auctor 6b. [3081] vero 5. et *deest* 5b. [3082] m. c. 6. [3083] *c.* LXIV. *inc. Leibn.* [3084] *corr.* C1. [3085] *deest* B2. [3086] multis m. 5. 6. [3087] continuare 5.

NOTÆ.

(491) Neque alibi exstant.

(492) Hontheim et Wyttenbach putant eum esse

innocentiam et sanctitatem commendavit. Pro quibus editis iste de quo loquimur Egilbertus [3088] abbaciam sancti Martini [3089] super litus Mosellæ, defuncto beatæ memoriæ Sigiberto [3090] abbate, eadem [3091] die illi retributionem [3092] dedit; ** quo utique malo si majus non fecisset, ad perpetuam sui [3093] dampnationem sufficere potuisset. Nam ipsa abbacia prius quidem [3094] erat admodum in rebus sufficiens, at nunc ab [3095] hoc est adeo adnichilata, ut monachi quoque qui divinis ibidem erant [3096] mancipati serviciis, nisi aliunde conquirerent, nec necessaria vitæ haberent.

* q. subditorum suorum nomine Theodericum virum probum scolasticum monachum B 4 C.

** B 4. C. *ita pergunt:* quam ipse felix abbas quantum potuit rexit, et ecclesiam ipsam reparavit. Nam ipsa — sufficiens; sed peccatis exigentibus ejus temporibus ita est destituta, quod monachi qui ibi Deo serviebant, nisi *etc.*

15. Est [3097] et aliud quiddam [3098] gestorum ejusdem [3099] Egilberti, quod * pro facti similitudine istic libet inserere [3100]. In monasterio puellarum Horrei defuncta Imiza [3101], summæ strennuitatis ancilla Dei, matre cœnobii, renitentibus [3102] omnibus ibi loci [3103] Deo famulantibus, præposuit quandam neptem suam [3104] fratris filiam nomine Liucardam [3105] ** — quod cum pace salvo honore professionis sanctimoniæ dixerim; Deus scit [3106] quia non mentior — arte magam [3107], veneficam, incantatricem, blasphemam [3108]. De qua cum episcopus modis omnibus [3109] niteretur ut ibi eam præficeret, sanctimonialibus omnibus pusillis et [3110] C majoribus sine cessatione tam die quam nocte Deum et sanctam ejus [3111] genitricem cui serviunt ne hoc fieret orantibus, cuidam ex earum collegio, quæ ceteris frequentior oracioni incumbebat, inter verba oracionis, ut divinæ erat voluntatis, obdormienti, talis ostensa est [3112] visio. Vidit sanctam Dei genitricem [3113] in medio angelorum [3114] stantem et beatas virgines Irminam [3115], Modestam, Anastasiam, quæ in diebus suis ipsi loco præerant [3116], coram ea [3117] consistentes et vultus quasi mœstos exhibentes, et sanctam Dei matrem ita [3118] se alloquentem: *Ausculta*, inquid [3119], *filia, cum* [3120] *illuxerit dies*, — erat [3121] enim hora matutina, — *indica sororibus tuis ex me, quia peccatis vestris exigentibus* [3122] *decrevit Deus, ut ipsa, de qua petitis absolvi, flagelli vobis loco proveniat, et tamdiu maneat* [3123], *quousque pro afflictionibus ab* [3124] *ipsa vobis irrogandis de* [3125] *diuturnitate* [3126] *vitæ ipsius vos pigeat. Verumptamen noveritis, noveritis, ipsam* [3127] *ex prælatione iram Dei in se provocare, vobis vero* [3128] *non plus officere, nisi quod super destitucione hujus* [3129] *loci nostri videbimini sufferendo laborare.* Itaque cum fuisset intronizata, cœpit *** de [3130] bonis ecclesiæ juxta illud libri Machabeorum diabolum [3131] magnum exercere (*1 Macch.* I, 38), et ut veram fa- B tear [3132], licet impudenter [3133] loquar, alia concubitoribus suis distribuere, alia vendere, postremo, ut breviter concludam, paucis ecclesiæ derelictis, omnia in usus suos convertere, ut posses liquido perpendere veridicam Dei genitricis supradictam sententiam [3134] existere, ipsam ex prælatione iram Dei in se provocare.

* quod successoribus nostris volumus narrare. B 4. 5. C.

** B 3. 4. C. *pergunt:* L. corpore quidem valde juvenculam et speciosam et secundum suam etatem litteris eruditam, moribus honestam. De qua *etc.*

*** B. 4. 5. C. *ita pergunt:* cœpit Deo servire, sorores ecclesiæ procurare, et rexit locum illum annis usque ad tempora domni archiepiscopi Adelberonis, qui primo Metensis primicerius, postea Trevirorum [fuit *post add.* C 1. *et ita* C 3 *sqq.*] archiepiscopus et Romanæ sedis legatus. Hujus [Cujus C.] temporibus abbatissa Liugardis [Iiutcardis C 3.] felicis memoriæ obiit, et ante ecclesiam [e. ipsam C.] in pace quiescit.

16. Denique [3135] aliquantis transactis annis [3136], Egilbertus cœpit se [3137] satis admodum officio dignum exhibere [3138], nisi solum quod [3139] ab excommunicatorum, regis videlicet et Clementis, se noluit communione sequestrare. Propter quod [3140] Bruno [3141], qui ei in episcopatu proximo [3142] loco

VARIÆ LECTIONES.

[3088] engilbertus B4. [3089] *dees* 5a.b. sanctæ Mariæ 4. 5c. [3090] sigeberto 6. sigiberno B2. C. sigeberno B4. [3091] eodem 6b. [3092] regendam B4. C. [3093] sibi 6b. [3094] *deest* 5b. [3095] adeo est ab hoc adn. 5. [3096] m. c. 6. [3097] *pergit* B5. [3098] quoddam 5. 6. [3099] eg. e. 5. [3100] inferre 5b. B1. 2. [3101] uniza 4. imaza B2. [3102] renitentibus — famulantibus *desunt* C. [3103] *deest* 6. [3104] *deest* C6. q. n. s. preposuit f. sui filiam 6. [3105] liutgardem 4. lugardam B 1. liuchardam B 2. liugardam B 4. [3106] quia s. 5a. qui s. 5c. [3107] magicam 5. [3108] et bl. 6c. [3109] *deest* B1. 2. o. m. sB4. 5. C. [3110] cum 6. [3111] g. e. 5. 6. s. dei g. e. 5b. [3112] est o. B4. 5. [3113] g. Mariam 6. [3114] sanctorum a. B 1. [3115] hiriminam 4. [3116] prefuerant 6. [3117] ei 6b. ea *e corr.* C 1. [3118] *deest* 5b. m. sic all. 5a.c. [3119] f. inquit 6. [3120] eras cum C. [3121] e. e. *desunt* 5. 6. [3122] *deest* C6. [3123] manet 5b. *corr.* maneat 5a. [3124] vobis ab ea 6. [3125] *deest* C6. [3126] de d. *desunt* 6. diurnitate C3. *corr.* diuturnitate B 2. [3127] eam 6b. [3128] *deest* 5b. [3129] *deest* B 1. l. n. h. B2. h. vestri l. C. [3130] *deest* 5a. [3131] diabolicum 6. dyabolicum 5a.b. diabolicam magiam 5b. [3132] fuerat 5. [3133] inprudenter B1. [3134] e. s. 5. 6. [3135] Deinde C. *Quæ sequuntur* — et similibus perseveraret *desunt* B5. [3136] *deest* 5b. [3137] d. gerere 45 exhibere 5c. [3138] *deest* 5a. [3139] *deest* B1. C6. [3140] *deest* 5b. [3141] et b. 6a. b. [3142] proximus 5. 6.

NOTÆ.

librum, quem Henrico Sigebertus tribuit, de SS. eccl., c. 160. *Henricus*, inquit, *ex scholastico Treverensi episcopus Vercellensis scripsit librum sub persona Theoderici Virdunensis episcopi ad Hildebrandum sive Gregorium papam de discordia regni et sacerdotii.* Sed addit: *Non eum increpans, sed ut seniorem obsecrans et patrem, et amicabili inductione quasi affectu dolentis suggerens ei omnia quæ contra ius legum et fas religionis eum fecisse et dixisse divulgabat loquax fama.* Neque liber a Martenio editus cum his dictis convenit. Cf. Stenzel. I, p. 510, n.

successit, omnes quos ille ordinavit, iste ab officio suspendit, nec remotos ad pristinum gradum admisit, nisi qui se legitimo Romanæ [3143] ecclesiæ pontifici obediturum super sanctum [3144] evangelium fidem fecit. Complura memoria [3145] digna de hujus Egilberti probis actibus [3146], quæ per ipsum vel sub ipsius temporibus gesta sunt, seniorum relatione ad nostram noticiam devenerunt [3147], quorum aliqua, siquidem [3148] vel aliquam ejus memoriam cum pace ecclesiæ [3149] fieri liceat in benedictione, curabimus [3150] insinuare. Quædam [3151] præpotens [3152] matrona comitissa (493) de castello [3153] quod Aralunæ (494) dicitur, mater videlicet comitum Walramni [3154] et Folconis [3155], marito suo [3156] (495) defuncto, astipulantibus filiis [3157] et filiabus suis, bona proprietatis suæ in ecclesia Treveris [3158] beato Petro tradidit, et amplius recepit sub condicione quam precariam nominant, ita [3159] videlicet, ut cum ipsa de hac luce migraret, utraque data simul [3160] et accepta in beati Petri et episcopi jus libere transirent, et [3161] quod episcopo ex his facere [3162] placuisset, liberam potestatem haberet. Hujus comitissæ neptem, filii filiam, Heinricus quidam dux [3163], cujus dicionis [3164] erat castellum quod vulgo Lempurch [3165] nominatur, duxit in matrimonium ; qui decurso aliquanti temporis spacio, eadem bona ecclesiæ tollere et in suos usus vendicare [nitebatur [3166]]. Propter quod cum fuisset sæpius ab episcopo ad satisfactionem vocatus et nollet desistere, sequestratus est a communione ecclesiæ ; cumque nec ideo manus suas ab incepta malicia [3167] contineret, immo magis et alia episcopatus bona devastaret, episcopus maledixit ei anathemate maranatha. Cui nec sic quidem ab impugnacione desistenti, sed et [3168] adversus ipsam civitatem Treverim cum magna armatorum manu venienti, episcopus, convocata ad se liberorum et ministerialium ecclesiæ [3169] multitudine [3170] gravi, statuto die occurrit, et adjutorio Dei et [3171] beati Petri, istius partis [3172] satisadmodum modico [3173], illius vero permaximo detrimento et confusione [3174], ad [3175] propria redire coegit. Post multum vero temporis cum idem dux inflictum sibi anathema parvipenderet, et in malis supradictis [3176] et similibus perseveraret, accidit [3177] ut quidam de militibus ejus die quadam in domum ejus advenisset, et facta hora prandii apposita mensa coram ipso panem comedere [3178] debuisset, et [3179] dux illi illudens [3180] : *Surge*, ait, *et foras egredere, coram me comessurus* [3181] *non es ; excommunicatus enim es.* Et ille : *Ubi.* inquit, *et quis me præter eum qui et* [3182] *te excommunicavit?* Cui dux ait : *Ecce nunc vide, jam parebit* [3183], *si ita sumus excommunicati* [3184], *ut* [3185] *aliquid nobis* [3186] *exinde molestiæ possit accidere. Si hic canis* — qui forte illis edentibus aderat — *buccellam* [3187] *quam* [3188] *illi dedero comederit, non pertimesco, sin autem, timenda est nobis* [3189] *excommunicatio et petenda reconciliatio.* Et hoc dicto, misit buccellam ; quam canis ut naribus adhibuit, ultra contingere non curavit. Et ne quis hoc canis saturitati [3190] potuerit [3191] inputare, cum alius illi [3192] buccellam mitteret, festinus arripuit [3193]. Unde omnes qui aderant summa admiracione ducti [3194], una voce dixerunt oportere eos ad satisfactionem venire. Et ita fecerunt. Sit ergo nomen Domini benedictum in secula (*Ps.* CXII, 2), qui sacerdotum licet peccatorum tamen in multitudine clementiæ suæ preces exaudit, et quod nostra parvitas in terris ligat, apud ipsum quoque ligatum [3195] esse confirmat, juxta quod ipse [3196] beato Petro et per ipsum ecclesiæ [3197] promisit, dicens : *Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis* (*Matth.* XVI, 19), et reliqua [3198].

17. [3199] Ea tempestate (*an.* 1096) populus multus utriusque sexus ex [3200] omni terra et natione Jerusalem ire intenderunt [3201], et totis desideriis anhelabant [3202] pro Dei et fidei [3203] amore aut ipsi mortem suscipere aut incredulorum colla fidei subjugare, et hac mentis intentione incitati decreverunt primum [3204] Judæos in civitatibus et castellis ubicumque habitarent persequi, et cogere illos [3205] aut [3206] dominum Jhesum Christum Deum credere, aut sub ipsa hora vitæ [3207] periculis subjacere (496). Cumque

VARIÆ LECTIONES.

[3143] romano 5a b. [3144] *deest* 5. 6. [3145] memoriæ B2. C. [3146] rebus C3. 4. [3147] pervenerunt 6c. [3148] *deest* B1. [3149] e. p. 6b. [3150] posteritati *alia manu add.* B1. [3151] *c.* LXV. *Leibn.* [3152] m. p. 6. [3153] cometissa de castello B2. [3154] walrammi B1. waleranni 4. 6. [3155] fulconis 6b. [3156] *deest* 4. [3157] f. suis et filiabus 6. [3158] treberis 5. treverensi 6. [3159] *deest* C. [3160] sit 5a. scilicet 5c. s. d. 5. 6. [3161] *pergit* 6a. [3162] *deest* 5b. fieri B1. [3163] *deest* 5. [3164] condicionis B1. [3165] lemburch 4. 5. 6. limpurch B4? C. (*in* C1. *super* p *al. manu* b *scriptum est*).—vocatur 1. 6. [3166] *ita* C. conatus est vendicare 4. studuit tollere et in s. usus convertere 6. v. studebat B4? *Leibn.* [3167] manus malicia B2. [3168] *deest* 5. 6. C. [3169] *deest* 5c [3170] non adeo m. B1. 2. [3171] ac 6. — petri *deest* 5b. [3172] parti 5. p. i. 6. satis *deest* 6c. [3173] parvo 5. 6. [3174] d. confusioneque 5a. [3175] cum ad 6. [3176] predictis 5a. [3177] *pergit codd.* B5. [3178] commedere C1. *et ita infra.* [3179] *deest* C. [3180] illudens illi B2. C. [3181] commessurus B2. C1. [3182] *deest* 5a. [3183] parebit *corr.* patebit 5a. apparebit B2. patebit C6. [3184] communicavit *pergit* B5. [3185] aut 5a. c. [3186] e. n. B1. 2. [3187] bucellam 6. *et alii fortasse.* [3188] *deest* 5a. b. [3189] vobis 6a. [3190] saturitati canis 6. C. quis cani saturato 5c. [3191] possit 5c. posset 6. [3192] sibi C6. [3193] apparuit B1. [3194] *deest* B1. [3195] ligata B2. 5. C. [3196] *deest* 4. 5. 6. [3197] universe e. 6. [3198] et rel *desunt* 5b. cetera B4. 5. et quodcumque s. s. t. e. s. et in celis 6. a. b. d. [3199] *c.* LXVI. *Leibn., totum caput deest* B5. De nece Judeorum *add.* B1. [3200] *deest* 5c. [3201] contenderunt B1. [3202] hanelabant 6a. b. [3203] dei fideique 5b. [3204] *deest* C. [3205] eos 4. [3206] ad 6a. [3207] mortis periculo 6.

NOTÆ.

(493) Adelheidis sive Adela.
(494) Arlon.
(495) Walrammo ; cf. diplomata Eberhardi a. 1052 data apud Hontheim Hist. I, p. 352, 354.
(496) Cf. Ekkehardum a. 1096.

eodem fervore [3208] civitati Treverorum appropinquassent [3209], Judæi qui ibi habitabant similia sibi arbitrantes fieri, quidam ex eis accipientes parvulos suos, defixerunt cultros in ventribus eorum, dicentes, ne forte christianorum vesaniæ ludibrio fierent, debere eos [3210] in sinum Habrahæ transmittere. Quædam autem [3211] ex mulieribus eorum, ascendentes super pontem fluminis et adimpletis [3212] sinibus earum [3213] et manicis lapidibus, præcipitaverunt se in profundum. Reliqui vero, quibus adhuc vivere [3214] cordi erat, assumptis secum rebus suis et liberis, in palacium (497), quod est asyle [3215] Treverorum, ubi ipsa hora Egilbertus manebat, confugerunt, et cœperunt lacrymis flagitare suffragium. Ille vero nacta oportunitate, super conversione [3216] eos admonens, ita exorsus est : *Miseri, nunc venerunt super vos peccata vestra quæ operati estis, filium Dei blasphemando et sanctissimæ genitrici ejus detrahendo, ipsum quidem in carne venisse negando, et* [3217] *matri ejus superfluitatibus verborum vestrorum derogando. Ecce jam hujus rei causa ad summam vitæ* [3218] *vestræ desperationem devenistis ; et vobis* [3219] *ego dico, si in hac infidelitate vestra perseveraveritis* [3220], *corpore simul et anima peribitis. Vos pro* [3218] *similitudine patrum vestrorum, qui* [3221] *ante Christi adventum ipsum venturum* [3222] *in carne crediderunt, vobismet ipsis blandientes promittitis* [3223]. *Profecto* [3224] *nisi jam ipsum venisse, et quæ redemptionis* [3225] *humani generis ipsum acturum scripturæ* [3226] *referunt, adimpleta esse cognoveritis* [3227], *ipsi vos fallitis. Quæ vos stulticia vel magis duricia coartat, ut, cum prophetica scripta legatis, non retractetis, vobiscum cogitantes, quam brevis temporis spacium adventus ejus in carne* [3228] *Daniel* [3229] *propheta commemorat, et quot* [3230] *exinde anni defluxerunt* [3231] ? « *Septuaginta, inquid, ebdomadæ abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam* [3232] *tuam, ut consummetur* [3233] *prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio prophetæ* [3234], *et ungatur sanctus sanctorum* (*Dan.* IX, 24). » *Nonne scientiam litterarum vestrarum* [3235] *bonam habetis? Utique magnum vobis posset existere gaudium et fidei incitamentum de assumptione generis vestri in* [3236] *Deum.* Hoc autem dicebat [3237], quia, ut quidam sanctorum [3238] dicit, *Infidelibus est* [3239] *blandiendum, ut ad fidem convertantur, et ipsi* [3240] *de generis sui nobilitate gloriantur.* Et adjunxit : *Nunc itaque acquiescite peticionibus meis et consiliis, et* [3241] *convertimini et baptizemini* [3242], *et ego restituam vos cum pace et salute possessionibus* [3243] *vestris, et deinceps ab adversantibus tuebor vos.* Cum hæc et his [3244] similia ad illos diceret, unus ex illis legis doctor, cui [3245] nomen erat Micheas, cœpit dicere : *Vere, sicut dixisti, necessarium est* [3246] *nobis, magis* [3247] *christianorum fidei nos jungere, quam de die in diem taliter* [3248] *vitæ nostræ et possessionum periculis* [3249] *subjacere. Age ergo, quomodo credere debeamus edissere et adjuva quatinus liberemur de manibus eorum qui foris* [3250] *sunt, quærentium nos perdere* [3251]. Et ait episcopus : *Hæc est fides catholica, sine qua nemo salvari* [3252] *potest : ut credatis* [3253] *in Deum patrem omnipotentem creatorem omnium creaturarum, et in* [3254] *Jhesum Christum filium ejus, qui cum patre unius est substantiæ, quem Deus pater ante omnia tempora* [3255] *genuit nativitate illa ineffabili, de* [3256] *qua dicit Esayas* [3257] *propheta : « Generationem ejus quis enarrabit? »* [3258] (*Isai.* LVIII, 8.) » *Qui quidem cum homines per multimoda vicia incedentes ad tantam devenissent insipientiam, ut neglecto creatore suo debitum Deo idolis manu factis honorem impenderent, sicut* [3258*] *est infinitæ misericordiæ, condoluit perdicioni eorum, et* [3259] *ut eos ab errore et perdicione, quæ de hac vita decedentes* [3260] *excipiebat, liberaret : manens quod erat, suscepit quod non erat, ex voluntate Patris, cooperante Spiritu* [3261] *sancto, homo verus per immaculatæ virginis uterum sine viri* [3262] *semine natus est ; quem, quia filium Dei se esse dicebat* [3263], *patres vestri crucifixerunt et vos ipsorum* [3264] *maledicto devinxerunt dicentes : « Sanguis ejus super nos et super filios nostros* (*Matth.* XXV, 25) ». *Verumptamen vos hoc maledictum* [3265] *evadere potestis, si in* [3266] *ipsum firmo corde credideritis et de peccatis vestris ipsum vobis propicium* [3267] *fieri ro-*

VARIÆ LECTIONES.

[3208] f. incitati c. 4. 5. 6. B4? [3209] appropinquarent 6. [3210] se eos 4. se *post add.* C1. *et ita* C3. *sqq.* [3211] etiam C6. [3212] fl. impletis 4. [3213] eorum 5b. suis 6. [3214] a viv. *desunt* B1. *ubi alia manu* aliquid cordis *corr. est.* [3215] asylum 6. asile *corr.* asilium 5a. asilum 5b. [3216] c. eorum eos C. [3217] matri vero e. superfluitate 6. [3218] *deest* 5b. [3219] et e. v. 6. [3220] perseveratis C. [3221] *deest* B2. [3222] in c. v. 4? 6. B1? 3? [3223] promitto 5. [3224] p. (proficto 6a. b. d.) ipsum jam v. 6. [3225] ad redemtionem 6. quem pro r. 4. ipsum venturum in carne C6. [3226] r. s. 6. [3227] noveritis 4. cognoscitis 6. [3228] in c. *desunt* 4. [3229] dd. *corr.* daniel 5a. david *corr.* daniel 5b. david 5c. B. C5. propheta *deest* 4. 5. 6. [3230] quod B2. *corr.* quot 6a. [3231] fluxerunt 4. 5. 6. [3232] sanctam civitatem B4? [3233] consumatur 5. B1. consummatur B2. 4. *corr.* consummetur C1. [3234] et prophetiæ 4. [3235] *deest* 5. [3236] *deest* C3. 4. [3237] *deest* 5. a. ideo dixit 6. [3238] *deest* 5. [3239] esse B1. [3240] judei 6a. ipsi judei 6c. d. [3241] *deest* B2. [3242] baptizamini 6. baptizemini *corr.* baptizamini C1. *et ita* C3. *sqq.* baptizabimini C6. [3243] et p. 5b. [3244] *deest* 5b. [3245] micheas nomine 6. [3246] *deest* 6. [3247] *deest* 5. 6. [3248] *deest* 5. B1. [3249] periculo C. [3250] pro foribus B1. 4? q. pro foris *corr.* q. p. foribus C1. qui foribus C3. 4. præ foribus C6. [3251] *deest* 4. 5. 6. [3252] s. n. C. [3253] credamus 4. [3254] et chr. jhesum 5. [3255] secula 4. [3256] *deest* C3. [3257] ysai 5a. ysayas 5b. ysaias 6. C. [3258] ennarravit 5a. *corr.* enarrabit 5c. [3258*] sicut C. [3259] *deest* 5b. [3260] discedentes 4. 5. 6. [3261] sancto sp. 6. [3262] virili C. [3263] esse se d. B. se d. esse C. [3264] suo 6. [3265] h. m. vos C. [3266] *deest* 5a. [3267] f. p. 6.

NOTÆ.

(497) Palatium, prius grande Romanorum monumentum, postea regum Francorum palatium, tractu temporis archiepiscoporum Trevirensium habitatio, nostro tempore in mansionem militum transformatum est. WYTT.

gaveritis [3268]; *qui post passionem suam effracto infer-* **A** *no, et his* [3269] *qui in adventu* [3270] *ejus crediderunt inde erutis, die tercia Deus* [3271] *verus et homo resurgens a mortuis, abhinc die* 40, *videntibus* [3272] *qui digni erant, ad* [3273] *cœlos ascendit, ubi sedet in dextera Dei patris sui, æqualis ei* [3274] *et coæternus in divinitate* [3275], *inde venturus ad* [3276] *judicium in novissimo dierum, Deus verus et homo, reddere unicuique prout gessit in corpore sive bonum sive malum. Nec minus credendum est in* [3277] *Spiritum sanctum, qui ex Patre et Filio procedens, universa condita vivificat, æqualis et consubstantialis per omnia in divinitate* [3278] *Deo Patri et Filio, propter* [3279] *quod et fides christiana* [3280] *trium deitatem* [3281] *personarum unam* [3282] *prædicat esse* [3283] *essentiam, æqualem majestatem. Hanc fidem catholicam per* [3284] *orbem confitetur ecclesia, in qua unum* [3285] *datur baptisma in remissionem peccatorum credentibus, in qua juste et pie viventes post hujus vitæ decursum, corporibus nostris hisdem quibus nunc paremus immortalitate vestitis, speramus communionem sanctorum percipere et fruituros* [3286] *æterna beatitudine, male vero operantes, non confessos et inemendatos in æterno arsuros incendio.* Tunc Micheas, his [3287] videlicet quo hortante [3288] hanc [3289] fidei edicionem episcopus exorsus est, ait : *Testificor tibi per Deum, quia quæ locutus es credo, et ecce jam judaismo abrenuncio, et quæ nunc michi non satis plene* [3290] *sunt intellecta, cum nobis tempus pacis et tranquillitatis* [3291] *adveniet* [3292], *perquirere curabo. Tantum nunc* [3293] *accelera* [3294] *nos baptizare* [3295], *ut possimus manus quærentium nos evadere.* Similiter et alii [3296] omnes dixerunt. Tunc episcopus baptizavit illum [3297], nomen suum inponens ei, alios autem presbiteri qui aderant baptizabant. Sed ut de cetero [3298] taceam, aliis omnibus in sequenti anno apostatantibus [3299], iste [3300] adhærens episcopo in fide permansit. Non ergo audebo nunc dicere, quod istius conversio [3301] sit animæ convertentis salvatio, cum scriptum sit, quia *qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus* [3302] *a morte* (*Jac.* v, 20), ejus **A** inquam, id est suam et conversi. Cum ad Ezechielem [3303] Dominus dixerit, quod [3304] si annunciaverit impio viam suam malam et ille conversus non fuerit, ipse tamen mercedem suam [3305] non amiserit. Sic enim dicit : *Si autem tu annunciaveris impio et ille non fuerit conversus* [3306] *a via sua mala, ipse* [3307] *quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti* (*Ezech.* III, 19).— Præterea [3308] multa alia bona [3309] operatus est, quæ enumerare longum est. Hoc tantum [3310] sciendum, quod elemosinas pauperibus largas faciebat et ecclesiis bona plurima conferebat, sed et [3311] ab antecessoribus suis aliquibus [3312] ablata reconsignavit [3313], quorum testamenta in ejus memoriam in bibliothecis usque hodie [3314] sunt recondita [3315]; quæ omnia ego pusillus qui **B** hæc scribo ad redemptionem animæ ejus profutura sperarem, sed sententiæ beati Augustini non audeo præjudicare. Dicit enim : *Omni homini, qui ecclesiæ catholicæ non tenet unitatem, neque baptismus neque elemosina quamlibet copiosa neque mors pro Christi nomine suscepta proficere poterit ad salutem, quando in eo vel hæretica vel scismatica pravitas perseverat* [3316], *quæ ducit ad mortem.* — Mortuus est autem anno dominicæ incarnationis 1101, die Nonarum Septembrium (497 *), et sepultus est in ecclesia majori, domo videlicet sancti Petri apostoli [3317]. Sedit in episcopatu annos [3318] viginti duos, menses octo [3319], dies tres, et vacavit episcopatus fere [3320] menses quattuor.

18 [3321]. In diebus illis fuerunt [3322] ex copioso **C** Trevericæ civitatis clero quam plures hac [3323] sacerdocii successione dignissimi; inter quos erat quidam Bruno nomine [3324], Francus natione, insignis nobilitate, utpote quem pater Arnoldus comes (498) ex nobilissima Adeleyda [3325] matre genuerat, forma præstantissimus, litteris satis [3326] eruditus, consilio cautus, plus quam dici potest munificus [3327]. Quibus rebus ita [3328] erga se principes devinxerat, ut non solum præposituris [3329] majorum ecclesiarum in Treveri et Spira, verum etiam beati Florini [3330] in Confluentia et [3331] archidiaconatus cum dignita-

VARIÆ LECTIONES.

[3268] postulaveritis 4. 5. 6. [3269] *deest* C6. [3270] adventum B2. [3271] v. d. et verus h. 6. [3272] v. his 6. [3273] ascendit ad c. 6a. [3274] *deest* 5c. [3275] deitate 5b. [3276] ad i. *desunt* 5b. [3277] in *deest* 5b. et in B2. 4. C. [3278] deitate 5a-c. [3279] propter — majestatem *desunt* 6a. et propterea fides 5a propter et fides 5b. propter hoc fides 6c-d. [3280] christianorum 4. 5. 6c-d. [3281] deitates 5a. divinitates 5b. deitate B1. deitatis B2, 4. C. [3282] eandem 6c-d. [3283] *deest* 4. 5. 6c-d. [3284] c. sancta per 6. [3285] mundatur in r. credentibus 5. [3286] f. nos 6. [3287] his *corr.* is C1. is 5. 6. [3288] v. cohoortante B1. [3289] *deest* 5. [3290] plane 5a-b. 6. [3291] tranquillitas B2. [3292] advenerit 4. 5. 6. [3293] *deest* 4. 5. 6. [3294] festina 4. [3295] babtizare B2. [3296] o. alii 5. [3297] eos 5a. eum 5b-c. 6. [3298] ceteris 5b de c. de his t. 6. [3299] apostantibus 6a. [3300] i. solus C. [3301] anime c. sit c. s. 6. [3302] suam C3. 4. [3303] ihezechihelem 6. hiezechielem C. [3304] *deest* 5c. [3305] *deest* 5. 6. [3306] c. n. f. C. [3307] non 5a. [3308] *Novum caput incipit* C. [3309] b. idem Egilbertus C. [3310] autem 6a. etiam 6c. tamen B 1. [3311] *deest* 5a. [3312] ablata al. restituebat 6. [3313] resignavit q. in ejus m. test. in b. 5. [3314] *deest* C6. [3315] reposita 6. [3316] pers. pr. C. [3317] *deest* C3. 4. [3318] annis XXII. 5b. annis v. duobus 6a. [3319] VII. 5. [3320] *deest* 5c. C. quasi 5b. [3321] *c.* LXVII. *Leibn.* [3322] *deest hoc loco* 5. [3323] h. d. successione fuerunt 5a,b. d. fuerunt 5c. [3324] n. br. 5. [3325] adelaida 5a,b. m. adeleida 5c. 6. adeleida B1. adelheida B 4. 5. C. [3326] sacris C. [3327] magnificus 6. [3328] *deest* 5b,c. ergo p. ita se d. 5. [3329] prepositus C. [3330] floZ *corr.* florini 5a. florum 5b. flori 5c. Lorencii 6. [3331] sub *post add.* 6a.

NOTÆ.

(497 *) 3. *Non. Sept.* Necrol. S. Maximini.

(498) A. Bretten et Laufen. Wytt.

te [3332] sublimassent. De hoc suggestum [3333] imperatori, ut eum Trevericæ præficeret ecclesiæ. Eo siquidem anno Heinricus rex quartus, imperator [3334] tercius, habita curia natalem [3335] Domini celebravit in Mogontia (499), ubi eum adeuntes cives Treverici [3336] petierunt sibi episcopum dari. Quibus mox petentibus, principibus et civibus [3337] consentientibus, Brunonem eis [3338] consecrari jussit. Denique ibidem ordinatus est [3339] Idus Januarii (*an.* 1102) ab [3340] Adalberone [3341] Mettensis ecclesiæ episcopo, oleum sacræ benedictionis inponente, Johanne Spirensi, Richero Virdunensi [3342] cooperantibus, assistentibus quoque [3343] archiepiscopis Ruothardo [3344] Mogontiensi et Frederico [3345] Coloniensi et aliis quam pluribus [3346] episcopis. Itaque ordinatus venit Treverim die [3347] purificationis sanctæ [3348] Dei genitricis, et cum magno populi [3349] gaudio susceptus est. Anno [3350] igitur [3351] ordinationis suæ [3352] tercio mense Marcio Romam profectus [3353] (500) apostolorum gratia et percipiendæ [3354] benedictionis magistri sui [3355] causa, invenit domnum Pascalem [3356] universali sinodo præsidentem, papatus [3357] sui jam annum octavum [3358] agentem. A quo honorifice susceptus [3359] — utpote Belgicæ Galliæ primæ metropolis præsul magnificus; ad cujus præsulatum ex [3360] permissione beati Petri apostoli [3361] suorumque successorum apostolicorum, quos enumerare longum est, inviolabilium testamentorum roboratione totius Galliæ atque Germaniæ pertinet primatus; ita enim sanctus Silvester beato Agricio quarto episcoporum Treberensium [3362], quorum nomina cognita habemus, scribit [3363] inter cetera dicens (501)

Sume prioratum post Alpes Trebir [3364] *ubique,*
Quem tibi lege nova Roma dat et veteri; —

honorifice inquam susceptus [3365], sed quoniam episcopalia, anulum videlicet et baculum, per manum laicam suscepisset, atque quia [3366] ecclesias dedicasset et clericos necdum pallium consecutus promovisset, multum aspere correptus [3367] est, et decernente episcoporum ibi congregatorum concilio, pontificatus officium deposuit, quod [3368] tamen eisdem [3369] intervenientibus, quia [3370] discrecio ejus et prudentia officio et tempori conveniens [3371] erat, post triduum non sine admissorum penitentia recuperavit. Injuncta est autem [3372] ei penitentia, ut quociens in spacio trium proximorum [3373] annorum missarum sollempnia celebraret, dalmatica non uteretur; quod ipse humiliter inplevit [3374]. Deinde accepta tam apostolici [3375] quam totius sinodi benedictione, pallii honore donatus, atque de regula fidei firmiter [3376] observanda instructus, atque [3377] de instructione commissi sibi [3378] gregis diligenter admonitus, in sua cum gaudio remeavit [3379]. Tum [3380] vero juxta magistri institutionem [3381] magis quam ante operibus justiciæ cœpit [3382] insistere et verbum sacræ exhortationis quasi mensuram [3383] evangelici tritici dominicæ familiæ fideliter [3384] erogare, et quod prædicavit ore, studuit operum executione confirmare, attentius illud [3385] beati Gregorii mente [3386] pertractans: *Cujus vita despicitur, restat ut et* [3387] *prædicatio ejus* [3388] *contempnatur*. Fuit enim constans in oracione, devotus in elemosinarum largitione, pius in viduarum et pupillorum defensione, excidia domorum Dei nulla sumptus [3389] magnitudine motus reparabat, et si quispiam Deo famulantibus aliquid intulisset injuriæ, inpune præterire non sinebat. Verum, ut breviter concludam, talem se omnimodis exhibebat, ut in [3390] administrandis quoque regni negociis ex omnibus principibus consilio [3391] et sapientia et auctoritate nullus eo sublimior haberetur, adeo ut imperator patrem suum eum vocaverit et majorem ceteris ei [3392] honorem inpenderit [3393]. Sed et [3394] ab omnibus episcopis, quacumque se conventui eorum [3395] ingessisset, ut par quidem diligebatur, sed ut [3396] major venerabatur.

19. Igitur quoniam [3397] in rebus sibi [3398] commissis strenuissimus exstitit [3399], defuncto imperatore (*an.* 1106), communi consilio principum vicedominus [3400] regiæ curiæ effectus est, et regnum regnique heres, Heinricus videlicet nominis [3401] hujus

VARIÆ LECTIONES.

[3332] honore 6. [3333] gestum est 6. s. est B1? C. [3334] imperio 4. 5. [3335] natale C. [3336] tr. c. 5. [3337] cons. civibus 6. [3338] *deest* 6. [3339] C6. *in margine*: a. d. i. 1101. [3340] *deest* B 4. 5. C. [3341] adelberone 4. edelberone 5b.c. 6. C. edelbrione 5a. [3342] v. episcopis 4. [3343] et a. 5b. 6. assistentibusque B 5. [3344] ruthardo 4. 6. rurardo 5a.b. rurardi 5c. ruotardo B. 1. ruothardo *corr.* rothardo B 2. ruotardo C1. rutardo C. 6. [3345] fritherico B 2. friderico C1. [3346] plurimis 5. 6a. C. [3347] in die 5b. [3348] beatæ ac sanctæ C6. sanctæ Mariæ 4? B 1. 4. 5? [3349] *deest* B 1. g. p. C. [3350] *Novum incipit caput* C. [3351] autem 6. [3352] ejus 4. [3353] p. est 5b. [3354] perceptionis percipiendæ C6. [3355] *deest* 4. 5. 6. m. s. c. *desunt* 5b. [3356] paschalem papam 6. [3357] papæ 4. [3358] nonum B 1. [3359] s. est 4. 6. C. [3360] *deest* 4. [3361] *deest* 5c. [3362] trever. 5. [3363] scripsit 5. 6. B5, *qui hoc loco Silvestri diploma addit* (*v. Gesta c.* 18.). [3364] trevir 5c. trebur 5b. [3365] s. est 4. 5. [3366] ita 4. [3367] correctus 5. [3368] et quod 5a.b. et quia 5c. [3369] ipsis 4. 5. 6. [3370] et 5. [3371] congruens 6. [3372] *deest* 4. 5. 6. ei *deest* C. [3373] *deest* B1. a. p. 5. 6. [3374] adimplevit 4. [3375] apostolice B2. [3376] *deest* 5. [3377] sive 6. [3378] *deest* B 4. 5. g. s. c. 5. 6. [3379] *Hic, paucis lineis infra ex c.* 25. *additis, desinit* B 5. [3380] tunc 5c. B1. [3381] preceptionem C. [3382] *deest* C. [3383] e. m. 6. [3384] *deest* B1. f. et prudenter 6. [3385] *deest* 5c. [3386] *deest* 5b. [3387] *deest* 5. B 1. C6. [3388] *deest* 6. [3389] sumptuum motus magn. 6. [3390] *deest* B1. [3391] consiliis 5. 6. [3392] c. h. ei 6. ei c. h. 5b. B2. [3393] impendit 5. [3394] *deest* 5b.c. C 6. [3395] *deest* 5b. [3396] sed et ut C6. [3397] quia 4. [3398] c. s. 6a. [3399] erat 6. [3400] v. c. r. 5. c. r. vicedominus 6. [3401] h. n. 5b. 6c.

NOTÆ.

(499) Cf. Ekkehardum h. a.

(500) Nescio an errorem scriptoris notem. Certe Bruno a. 1106 ab Heinrico V ad papam missus est, quem concilio Guastallensi præsidentum invenit; cf. Ekkehardum a. 1106 et Translationem S. Modoaldi, Act. SS. Mai III, p. 67. Huic anno convenit annus Paschalis octavus, quippe qui a. 1099 sit electus.

(501) Cf. Gesta c. 18.

quintus rex, adhuc [3402] adolescens circiter [3403] annos 20; ei committitur, ut et [3404] regnum sua prudentia [3405] disponeret et heredem regni morum suorum honestate et disciplina, qua ipse præ omnibus pollebat, informaret, quousque in virum perfectum ætate et sapientia educatus succrevisset [3406]. Quem susceptum tam diu educavit [3407], usque dum Adalberti [3408], tunc cancellarii postea [3409] vero Mogontiensis [3410] episcopi, detractionibus exasperatus, regni et heredis providentiam proceribus reconsignavit. Quantæ autem pietatis exstiterit, exinde quis [3411] colligere poterit, qui noverit quod, quantumlibet ei [3412] quispiam molestiæ [3413] irrogasset, si revertens veniam postulavit [3414], facillime ad misericordiam motus indulsit. Unde factum est ut, cum [3415] idem Adalbertus, cujus supra [3416] memini, Mogontiensium [3417] jam [3418] novus electus, ob illatas regi molestias [3419], a rege captus et in carcerem retrusus, non inde prius exire [3420] potuisset, quam iste, Bruno inquam, fidem faciendo, numquam illum regi [3421] nociturum, pro ipso se obsidem regiæ custodiæ dedit. Quid multis moror [3422]? Denique cum tanta sollercia ac sapientia ab ipso res acta est, ut cum in diebus illis de venalitate sanctæ ecclesiæ [3423], scilicet de contradictione vendicionis episcopatuum abbaciarum et aliarum quarumcumque [3424] ecclesiasticarum dignitatum, inter regnum et sacerdotium, sicut superiori sermone [3425] decursum est (502), ageretur [3426] invidiosa dissensio, ita catholicorum [3427] amplexus est [3428] consorcium, ut imperatori debitum non denegaret [3429] obsequium, neque ita se cæsarianorum communione contaminaverit, ut [3430] catholicorum offensas [3431] incurreret [3432]. Propter quod contigit ut novissime [3433] sua prudenti mediatione [3434] imperator [3435] apostolico obtemperaret, et deinceps desinerent [3436] esse discordes. Quod ut facere non omitteret, quoniam omnibus præminebat [3437] auctoritate, multorum episcoporum exhortatoriæ [3438] ad ipsum [3439] directæ sunt epistolæ. Nunc [3440] autem superest ut gestorum ejus [3441] quoddam memorabile, cui me [3442] contigit interesse [3443], debeam declarare.

20. Ivodii [3444], quod Trevericæ diœcesis appendicium est, fuerunt eo tempore heretici, qui substanciam panis et vini, quæ in altari per sacerdotes benedicitur, in corpus Christi et sanguinem [3445] veraciter transmutari negabant, nec baptismi sacramentum parvulis ad salvacionem proficere dicebant, et alia perplura varii [3446] profitebantur erroris [3447], quæ memoriæ tradere nefas duxi. De his quattuor oblati sunt ei, quorum duo presbiteri, reliqui vero duo erant laici. Presbiterorum [3448] unus Frederi-

B cus [3449], alter duobus vocabatur nominibus Dominicus Guillelmus [3450], laicorum vero alter Durandus, alter dicebatur Hamelricus [3451]. Quos [3452] dum [3453] discuteret et regula christiani dogmatis imbueret, Hamelricus [3452] fuga lapsus est, Durandus vero hactenus quidem se sceleris hujus assentatorem [3454] esse ultro confessus est, sed deinceps in ea assentacione nolle persistere, adhibitis sibi [3455] sanctorum reliquiis juramento verbis fidem fecit. Vocatus autem [3456] alter presbiterorum Fredericus [3457] ad audientiam, non solum non negavit, verum etiam bene et recte se credere id profitendo asseruit. Cui Bruno episcopus ait : *Oportebat, ut tu, qui doctor fidelium esse* [3458] *debuisti, sanam doctrinam cunctis evangelizares, omittens infidelitatis asserciones, in* [3459] *quibus mentiri te cunctis credentibus* [3460] *luce clarius constat* [3461], *cum beatus Augu-*

C *stinus dicat : « Quoniam Christum* [3462] *vorari fas dentibus non est, voluit ipse* [3463] *Christus hunc panem et hoc vinum in* [3464] *misterio* [3465] *carnem vere* [3466] *suam et sanguinem consecratione Spiritus sancti potentialiter creari et cottidie pro mundi vita mistice immolari, ut sicut de virgine per Spiritum sanctum vera caro sine coitu creabatur, ita per eundem ex substancia panis et vini mistice idem* [3467] *Christi corpus consecretur* [3468]. » *In epistola quoque* [3469] *de fide catholica item beatus Augustinus dicit : « Firmissime tene et nullatenus dubites, parvulos* [3470], *qui*

VARIÆ LECTIONES.

[3402] *deest* B1. [3403] circa 5. 6. C. [3404] *deest* C6. [3405] prouidentia 5c. 6a. [3406] s. succresceret educauit B 1. educ. *deest* B4. C. [3407] *deest* B 1. 2. [3408] u. ad alberti B. 1. [3409] post 5. vero *deest* 5b. [3410] mogociensis C1. [3411] *deest* 6. [3412] quispiam ei 6. [3413] *deest* B 1. [3414] postulauerit 5b. postulasset B1. [3415] *deest* 5b. [3416] ante 6. [3417] moguntiacensium 4. [3418] *decst* C6. [3419] injurias vel molestias B1. [3420] exire pr. 5b.c. [3421] n. r. 5. [3422] immoror 5. morer B1. [3423] s. dei e. C. [3424] quarumque C3. [3425] *deest* B 1. [3426] *post add.* 6a. i. d. *desunt* 6. [3427] ita in c. 6a. [3428] sit 6. [3429] denegarit B1. negarit B4. negaret C3. [3430] *deest* C6. [3431] offensus B2. [3432] incurrerit 5. 6c. [3433] *deest* 6. [3434] meditatione 4. 5. B2. C. consilio *add. secunda manus* B 1. [3435] imperatori 6c. persuasus *add. secunda manus* B1. [3436] sinerent 6c. [3437] preeminebat 5. supereminebat 6. [3438] exhortarie B1. [3439] ad. i. *desunt* 4. [3440] *c.* LXVIII *Leibn.* [3441] e. 5a. est 5b. *ubi mox* mirabile. [3442] *deest* 6c. [3443] interfuisse 6. [3444] yodii B2. [3445] e. et s. Christi B 2. C. [3446] *deest* 5. 6. [3447] erronea 6. [3448] quorum C. [3449] frithericus B 2. fridericus C1. [3450] guilhelmus 5b. evilhelmus 6a. guilelmus 6c. wuillelmus 4. willehelmus B1. guillehelmus B4. guuilhelmus C1. 3. [3451] amelricus 6a. [3452] quos — Hamelricus *desunt* B 2. [3453] cum 5a. [3454] assentitorem C3. 4. assertorem C6. [3455] scilicet 5a. [3456] est 5b. [3457] fridericus B 2. C. *semper.* [3458] *deest* B 2. [3459] in q. *desunt* 5b. [3460] fidelibus 5. 6. [3461] patet 6. lucet clarius 5. [3462] c. n. e. f. v. d. voluit 6. [3463] *deest* C6. [3464] *post suppl.* C1. [3465] v. ministerio B2. [3466] vero 5a.b. [3467] *deest* 4. [3468] consecratur C3. 4. [3469] *deest* 5b.c. [3470] *post corr.* parvulis C1. c. v. n. e. f. d. oluit 5.

NOTÆ.

(502) C. 10.

nec [3471] *propria voluntate credere nec penitentiam pro peccato, quod originaliter trahunt, agere possunt, sacramentum fidei et penitentiæ, quod sanctum est* [3472] *baptisma, quamdiu rationis eorum ætas capax esse non potest, sufficere ad salutem.* » In [3473] capitulo epistolæ 27. His atque aliis hujuscemodi [3474] scripturæ sacræ eulogiis [3475] in medium prolatis, cumque [3476] ab astantibus fidelibus nunc singulariter nunc communiter increpatus atque ad christianam veritatem [3477] incitatus nollet aquiescere, sed magis in infidelitate delegisset [3478] obstinata mente persistere, acclamabatur [3479] ab omnibus dominicæ vocis sententia : *Quoniam ecclesiam non audit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (*Matth.* XVIII, 17), adjeceruntque : *Gradu moveatur atque dampnetur.* Quod ut fieret omnibus accurantibus [3480], ille nacta fugiendi oportunitate se inter astantes subduxit, sicque evasit. Proinde cum requisitus non esset inventus [3481], juxta canonum sanctiones, *qui noluerit ad audientiam venire vocatus, eadem paciatur* [3482] *absens*, ut breviter comprehendam, dampnatus est. Inquisitus autem et [3483] alter, ille videlicet qui ob hujus nequiciæ infamiam obumbrandam duobus vocabatur nominibus, an et ipse prælibatæ [3484] heresis assertor existeret [3485], testificatus est numquam se professum esse vel profiteri velle; delatoribus econtra [3486] affirmantibus et dicentibus, se quadam vice insperato conventiculis [3487] eorumdem hereticorum supervenisse, ipsumque illis communicantem [3488]; quocontra ille timens, ne forte [3489] convictus presbiterii [3490] privaretur honore, respondit, se [3491] ob hujus suspicionis [culpam [3492]] abolendam libenter velle summæ examinationis subire sententiam [3493]. Quod dictum cum [3494] placuisset omnibus, jussus est missam celebrare et sacrum canonem, qui secreta vel actio dicitur (503), sicut cetera excelsa voce decantare, ut qui misterio preciosi corporis et sanguinis Christi præsumpsisset detrahere, ipsius probaretur virtute. Missa itaque decursa, ubi ad communicandum perventum est, episcopus verba inprecationis hujusmodi [3495] intulit dicens : *Si vivificum hoc salutis nostræ sacramentum, quod manibus tenes, non vere corpus Christi* [3496] *et sanguinem esse* [3497] *cusus es impio ore garrire, una ipsius misterii contestatione interdico ne quo-*

A *modo præsumas accipere ; si vero non ita sed catholice profiteris, accipe;* et accepit. Verumptamen qualiter idem redemptionis munus ad dampnationem sui in os ejus intraverit, referre supervacuum non [3498] judicavi. Cum enim esset in examinationis anxietate constitutus, omnipotenti Deo de admissis penitentiam, de futuris custodiam pollicens, corde contrito supplicavit, et obtinuit ab instanti confusione liberari. Inde vero [3499] ubi in sua rediit, pollicita fallere non expavit, et abdicatam heresim majori quam antea pertinacia roboravit, non recolens quod, cum [3500] sit Deus judex justus [3501] fortis et paciens, tanto delinquentium culpas districtius judicat, quanto æquanimiter [3502] portat. Contigit ergo, ut de vicio in vicium corrueret, sicut scriptum est : *Qui sordidus* [3503] *est, sordescat adhuc* (*Apoc.* XXII, 11), et spiritu fornicationis seductus, non multo post in adulterio deprehensus est et digna iniquitatis suæ morte peremptus

B

21. Sæpedictus etiam pontifex crebris infirmitatibus, nunc pedum dolore quod podagram Græci [3504] vocant, nunc ventris fluxu quod cyliacam nuncupant [3505], vexabatur; propter [3506] quod exquisitissimos [3507] semper [3508] secum solebat [3509] habere medicos. Habebat autem inter eos Judæum quendam Josuæ nomine, phisicæ artis eruditissimum, computistam [3510] peroptimum, Hebraicarum litterarum et totius judaismi scientia perfectissimum, quem circumdabat militaris habitus. Hunc majori præ [3511] ceteris familiaritate et dilectione idem [3512] Bruno sibi annectebat [3513], satagens ut [3514], quomodo ille ipsum carnaliter medicaretur, ita ipse illi salutem animæ operaretur. Cum hoc sapissime de divinis disputabat voluminibus [3515], semper illum ad conversionem deprecans et exhortans; in quo tandem, Domino largiente, optatum tenuit effectum. Nam consiliis ejus acquievit et ab ipso baptizatus est. Cui Bruno suum nomen [3516] inposuit, et in cunctis bonis adjuvit, cunctis fidelibus suis [3517] ipsum commendans, et petens, quia genus illud hominum multum [3518] est in fide instabile semperque desiderat in [3519] vitæ necessariis habundare, quatinus ubicumque [3520] ille ipsis manentibus superveniret, providerent ei necessaria cum caritate.

C

22 [3521]. Nunc [3522] iterum ad ordinem, unde digres-

VARIÆ LECTIONES.

[3471] *superscr.* C 1. [3472] e. s. 6. C. [3473] Hoc continetur in 4. In — XXVII. *desunt* C. [3474] hujusmodi B 4. [3475] elogiis 6[a]. [3476] cum 4. 5[a.c]. 6. et cum 5[b]. [3477] fidem vel ueritatem B1. [3478] destinasset 6. [3479] acclamatur C. [3480] acclamantibus 6. accurrentibus 5[b]. C. [3481] reinventus 4. 5. 6. [3482] pacietur B 2. [3483] *deest* 4. 5[b]. et alter *desunt* C6. [3484] publicatæ 4. 5. 6. [3485] exstiterit 4. *deest* B 2. [3486] contra 5c. [3487] conventiculo 5[a.b]. quæstiunculis 5[c]. [3488] c. invenisse 6. [3489] f. c. *desunt* 5. 6. [3490] prbri B 2. [3491] *deest* 6. [3492] *ita* B 1. notam 6. *deest* B2. susp. abolende 4. 5[a.b]. B 4. C1. *ubi post* gratiam *additum est*, *quod* C3 *sqq.* receperunt. — ob hanc suspicionem abolendam 5[c]. [3493] sententia B2. [3494] ut cum C6. [3495] hujuscemodi 5. 6. [3496] *deest* 5[a]. [3497] eciam 5[a]. *deest* C6. [3498] n. s. B1. [3499] *deest* 4. 5. 6. [3500] *deest* 5[b]. [3501] *deest* 5. [3502] equanimis 5[a.b]. equanimius 6. [3503] qui in sordibus 4. 5. 6. [3504] g. p. 4. [3505] vocant C. [3506] *deest* 6[a]. [3507] exquisitos C. [3508] *deest* 4. [3509] habere solitus erat 6. [3510] et tocius c. 5. 6. [3511] præ c. *desunt* 5[b]. [3512] B. i. 6[a]. [3513] adnectabat 5[a.b]. annectabat B 1. [3514] *deest* 5[b]. *ubi* q. illum c. [3515] voluminibus C1. [3516] *deest* B1. n. s. 5. 6. C. [3517] *deest* 5[b]. s. eum 7. [3518] est m. i. in fide 5[a]. [3519] *deest* C. [3520] i. u. 6. [3521] c. LXIX *Leibn.* [3522] Tunc 6 5. Nunc ordine i. ad o 5.

NOTÆ.

(503) V. Ducangii glossarium s. v., ed. Henschel I, p. 62, VI, p. 148.

sus sum [3523], oracionis verba convertam. Cum [3524], A ut dictum est, Bruno omni [3525] probitatis actione [3526] 12 annis serenus exstitisset, auctoris omnium prævaricationum diaboli, qui [3527] felicibus ejus actibus invidebat, instigatione retro [3528] conversus, religiosi itineris limitem excessit; et incentivis viciorum, avaritiæ videlicet [3529] et cenodoxiæ, plus justo inhiavit. Ut enim militum [3530] interminatæ habendi [3531] cupidini muneribus et [3532] beneficiis potuisset satisfacere, non solum clericorum et laicorum bona diripiebat, verum etiam ecclesiarum villas et curtes Deo et sanctis ejus vespere et [3533] mane et meridie famulantium victui deputatas, sed et ornamenta preciosa [3534] et vasa concupiscibilia tam aurea quam argentea in suos usus redigebat, et exinde expensas faciens, humanos in se favores concitabat. Nichil enim laude [3535] fuit ei in vita dulcius. Inde est quod villæ duæ, una Dei genitrici loci qui Orgium [3536] dicitur nuncupata [3537] Machara [3538] (504), distansia Treveri versus aquilonem circiter tria miliaria, altera beato Paulino dicta Lesura [3539] (505), et aliæ quam plures, quas omnes enumerare [3540] propter multitudinem distuli [3540], a prioribus quoque pontificibus [3541] ad tempus [3542] quidem [3543] sublatæ, sed frequenter ab omnibus reconsignatæ [3544], nunc autem ab hoc subtractæ nec restitutæ, episcopalibus sunt addictæ reditibus. Quarum priorem Dagobertus rex Francorum inter cetera quæ ecclesiis Dei legitur contulisse [3545] beneficia, sanctæ Dei genitrici ob amorem sanctissimæ virginis Irminæ [3546] filiæ suæ, tunc ibi degentis, nunc vero quiescentis, cum aliis quam pluribus contulit (506); alteram autem [3547] quam diximus Lesuram beato [3548] Paulino Liudulfus [3549] Treverorum archiepiscopus perdonavit [3550] et sacerdocii sui auctoritate obsignavit, inprecans ut si quis Lesuram in succedentibus annis usui fratrum in beati Paulini basilica ministrantium sustollere [3551] conaretur, disperderet [3552] eum Deus [3553] de terra viventium (507). Ubi vero in hunc ejusdem pontificatus [3554] auctoritas collata est, iniquorum seductus consilio, ut diximus, eam cum aliis aliquibus in usus [3555] suos redigebat, dicens, non licere cuiquam episcoporum quicquam episcopalium redituum [3556] alicui sanctorum loco assignare, et quoniam prænominatus Liudulfus [3557] hoc [3558] fecerit, ratum non esse. Quod utrumne [3559] illi licuerit, vos [3560] discernite [3561]. Æstimo namque, quoniam [3562] episcoporum est, summam Deo famulantibus diligentiam adhibere necessaria ministrando, ne, dum pro necessariis conquirendis negociantur, a sancto proposito discedere [3563] compellantur — ad hoc enim [3564] deputati sunt ecclesiastici reditus, ut ex eis subveniatur Christi pauperibus —, quod ille exsequens melius usui ministrorum Dei [3565] assignaverit, quam iste in usum superbæ gloriacionis [3566] absumpserit [3567]. B Hac accedit quod cum Egilbertus [3568], proximus hujus Brunonis antecessor, adhuc viveret, inito consilio cum optimatibus suis, ex quibus [3569] iste Bruno unus erat, hujusmodi verbis eos compellebat [3570]: *Obsecro vos per misericordiam Dei, dilectissimi filii mei* [3571] *et fratres, quicquid ego et antecessores mei episcopi sanctorum locis injuriæ violentia magis quam ratione irrogavimus* [3572], *vos me commonefacite et ego restituam, ut et* [3573] *meam et eorum animas ab inferis redimam.* Quod cum placuisset omnibus, discretis cuique loco reditibus, banni constrictione [3574] firmavit [3575] ut qui deinceps inde [3576] subtraheret, Deum præsumptionis suæ ultorem [3577] sentiret. Et responderunt omnes: *Amen.* Ubi vero Egilbertus spiritum reddidit et C Bruno ei in episcopatu [3578] successit, universa [3579] quæ ille reconsignavit, iste resumpsit, dicens, nichil exinde ratum esse, quod ille [3580] infirmus et jam [3579] suimet inpotens in novissima vitæ suæ [3581] hora constitutus [3582] fecerit; cum beatus Gregorius dicat, ultimam [3583] penitentiam nulli negandam, beatus vero Augustinus dicat, se non diffinire [3584], quod qui seram tantum egerit penitentiam, liberetur per eam [3585]. Ego equidem [3586] puto, si audeam dicere, quod qui [3587] utrum [3588] temporanea sive [3589] serotina penitentia male tantum parta [3590] restituerit,

VARIÆ LECTIONES.

[3523] *deest* C6. [3524] Cum igitur 6. [3525] omnis 5a-c. omnia 5b. B2. 4. [3526] actu 6. auctor 5. [3527] q. videlicet f. a. e. i. 6. [3528] r. c. *desunt* 5b. [3529] scilicet 6. [3530] multum 5. 6c [3531] *deest* 4. [3532] et b. *desunt* 5b. [3533] *deest* 6a. manc et vespere 5. [3534] *deest* 4. 5. 6. [3535] l. in vita f. ei d. 5. 6. [3536] orgium *superscr.* vel horreum C1. *et ita* C3. horreorgium C4. quæ horreum C6. [3537] nunccupata B2. [3538] machra 6c. [3539] lisura C 3. 4. [3540] e. longum est a B1. [3541] principibus C 3. [3542] episcopos C6. [3543] quoque 5. [3544] restitute vel reconsignate B1. [3545] *deest* 6c. beneficia c. ben. 6. [3546] vrmine B2. [3547] vero 6. [3548] beato — lesuram *desunt* 5. [3549] *ita* B2. ludolfus *alii*. [3550] donavit 6a. [3551] tollere 6. [3552] disperdet C. [3553] dominus 5. 6. [3554] episcopatus 6. [3555] s. u. 6. [3556] redditumm 5. *alii*. [3557] *ita* B 2. liutoldus B4. liudolfus C. ludolfus *alii*. [3558] id. 6. [3559] utrum 4. [3560] *deest* C. [3561] decernite 5b.c. 6. B 1. 4. C. [3562] quod 6. [3563] discere B4. recedere C. [3564] *deest* 4. [3565] deo 4. [3566] cionis absumpserit — in ecclesia ad (*infra c.* 24.) *desunt* 6a. *folio deficiente, quod in cod. Vatic. Christ. N.* 1283. *f.* 71. *exstat.* [3567] assumpserit 4. 5. 6. [3568] egelbertus B 2. [3569] *deest* 5b. s. quorum 6. [3570] compellabat 4? B1? 4? compellebat *corr.* compellabat C. [3571] *deest* 6c. [3572] irrogamus B2. [3573] *deest* 4. et ut B1. 2. [3574] contrictione 4. districtione 5. [3575] ligavit B4? [3576] *deest* C6. [3577] vindicem 6. [3578] episcopatum 4. 5a. [3579] *deest* 5b. [3580] *deest* 6b. [3581] s. v. 5. C. [3582] *deest* 6. [3583] ultimam — dicat *desunt* B2. [3584] se definire B2. [3585] pen. libenter ego per eam equidem C. [3586] siquidem 5a. quidem 5b c. [3587] si C. [3588] *deest* B1? [3589] vel 5b. et C3. [3590] parte B 2.

NOTÆ.

(504) Macheren.
(505) Liser ad Mosellam.
(506) Cf. Dagoberti dipl. ap. Hontheim Hist. 1, p. 86.
(507) Hæc charta deperdita esse videtur.

etsi propterea non liberabitur, qui ea postmodum in [3591] indebitos usus [3592] usurpaverit, non minus judicium sustinebit.

23 [3593]. Anno igitur [3594] ordinationis suæ [3595] 19 (1119) [3596] placuit ei [3597] Romam tendere, ut renovaret privilegia sedis suæ, indignatus super protervia præfati Adalberti Mogontiensis [3598] episcopi, de legatione Romanæ sedis sibi concessa superbe [3599] se efferentis, maxime cum ex concessione priorum apostolicorum episcopus Treverorum nulli nisi soli apostolico vel a latere ejus ad præsens [3600] misso debeat obedire, sicut Hincmarus [3601] Remorum archiepiscopus in epistola sua Nicholao papæ [3602] directa commemorat (508), dicens : *Remensis ecclesia numquam, excepto Romano pontifice primatem* [3603] *habuit, nisi quamdiu, ejecto* [3604] *ab ea* [3605] *sine ullo crimine suo pontifice violentia* [3606] *tyranni Milonis tempore Karoli principis, pastore vacans, Bonifacio apostolicæ sedis legato aliquamdiu sicut et Treverensis ecclesia* [3607] *commissa fuit.* Sed et in tempore illo præfuit ecclesiæ Mettensi quidam [3608] Stephanus, Calixti [3609] papæ ex sorore nepos, cui [3610] jam dictus avunculus ejus concesserat in celebrationibus missarum pallio indutum procedere [3611], integra Trevericæ metropolis potestate [3612]. Qui de pallii honore exhilaratus, velut confidens gratiæ consanguinitatis supra memoratæ, ultra quam oportuit se extulit, omnimodis nitens, si quomodo potuisset, Trebericam [3613] ecclesiam deprimeret, suam autem anteferret [3614] et [3615] metropolim faceret, sperans quod quidcumque [3616] inchoasset Calixtus [3617] assentiret. Quod exinde perpendimus, quia [3618] quotiescumque a metropolitano vocatus fuisset, ut, sicut consuetudo est suffraganeis episcopis, metropoli obedientiam et subjectionem subscriberet, venire contempsit, dicens [3619] suos quoque antecessores quandoque [3620] fuisse archiepiscopos [3621]; quod nullarum scripturarum auctoritas firmat et [3622] pronunciat. Solummodo quippe [3623] Mettensium episcoporum quinque [3624] numero pallio usi referuntur (509), quibus iste sextus asscribitur, servata tamen in omnibus metropolitano subjectione. Sed non omnes qui palliis [3625] utuntur archiepiscopi sunt, nisi quorum sedes metropolis subjectis sibi aliis civitatibus et episcopis principatur. Cum igitur propter supra memoratas [3626] causas sæpedictus Bruno Romam [3627] versus iter faceret et Augustidunum [3628] (510) usque processisset, Calixtus [3629] papa ibi ei occurrit et amice [3630] suscepit et cum eo in eodem loco natalem Domini celebravit (*an.* 1119). Transactis autem diebus sollempnibus, pariter iter Cluniacum dirigunt, ubi Bruno causas adventus sui aperuit, prolatisque [3631] coram sedis suæ privilegiis [3632], eadem sibi et ecclesiæ suæ apostolicæ subscriptionis firmamento stabiliri postulavit; quod [3633] et obtinuit. Nam facta ei [3634] peccatorum suorum indulgentia, remisit [3635] ad propria, dans ei cyrographum hunc modum continens :

Calixtus [3636] *episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Brunoni Treberensi* [3637] *archiepiscopo salutem et apostolicam benedictionem. Et* [3638] *consuetudo sedis* [3639] *apostolicæ persuadet et ipse rationis ordo exposcit, ut sapientes religiosasque personas* [3640] *et in Romanæ ecclesiæ unitate atque* [3641] *obedientia* [3642] *devotas* [3643] *existentes honorare amplius ac diligere debeamus. Proinde, frater dulcissime, postulationi tuæ clementer annuimus et personam tuam* [3644] *dilectionis brachiis amplectentes* [3645], *eam a cujuslibet legati potestate* [3646] *absolvimus, nisi forte a nostro latere dirigatur. Confidimus enim in Domino, quia de sapientia et religione tua et Deo et ecclesiæ honor magnus utilitasque proveniet. Data Cluniaci 3 Nonas* [3646] *Januarii* (an. 1120).

24. Denique non multo post tempore, viribus corporis ejus senio simul et infirmitate ad occasum vergentibus, in [3647] omni fere circa regione cœpeperunt viri nequam consurgere, et res ecclesiæ, quæ ipsorum defensioni et ut ita dicam advocatiæ [3648] commissæ fuerunt, barbarico more depopulari, quodam comite Willehelmo [3649], filio Cuonradi supra memorati [3650] (511) comitis de castello quod vulgo [3651] Lucelenburch vocatur [3652], ducatum illis præbente. Quos cum sæpius ad correctionem invitasset et non

VARIÆ LECTIONES.

[3591] ut B2. [3592] u. non us. minus tamen jud. s. 4. [3593] *c.* LXX. *Leibn.* [3594] ergo B1. [3595] *deest* 5b. [3596] XXX. B1. VIIIInо B2. nonagesimo *erasum* C1. *deest* C3. *ubi alia manu* XX *suppletur; spatium vacuum* C4. XL. C6. [3597] *deest* 5. 6. [3598] mogociensis C. *sæpius.* — episcopi *deest* 5b. [3599] superbeque 5c. [3600] m. ad p. 4. 5. 6. [3601] hicmarus 5a-b. [3602] pape *corr.* papa 5a. papa B4. *corr.* papæ C1. [3603] primatum B2. C6. [3604] abjecto 5. 6. [3605] eo 6. [3606] t. violentiam 6b. [3607] e. c. *desunt* 6. [3608] q. nomine 6. [3609] kalixti 5b. 6. calisti B2. kalisti B4. *et ita deinceps.* [3610] cui cum jam 5. [3611] incedere 6b. [3612] p. remanente 5c. [3613] trever. 5. ut trevericam 6. [3614] deprimere — anteferre — facere 4. [3615] et in m. 5b. [3616] quodcumque 5. B2. C6. [3617] c. papa 4. [3618] ut quotienscumque 6. [3619] *deest* C. [3620] quandocumque C. [3621] a. dicens C. [3622] *deest* B2. firma p. B1. [3623] *deest* 5b. [3624] *deest* 5a. [3625] pallio 5. 6. [3626] c. s. m. 6. [3627] v. r. 5. 6. [3628] augustudinum 5b. augustudunum 5c. B1. 2. 4. [3629] kalistus B2. *et ita deinceps.* [3630] et eum a. 6. [3631] prolatis B 2. [3632] p. e. s. et eccl. suæ *desunt* 5c. [3633] *deest* 6. [3634] est ei 5c. ei p. *e corr.* C1. [3635] r. eum 6. [3636] kalixtus 5b. 6. B1. *semper* C1. 3? 4. — *c.* LXXI. *inc. Leibn.* [3637] trever. 5. treberensis ecclesiæ B4? [3638] *deest* 4. 5. 6. [3639] a. s. 5. [3640] sapientes — personas et *desunt* C. que *deest* 5b. [3641] u. a. *desunt* 6. [3642] obedientias 6b. [3643] devotos C. [3644] *deest* 5b. [3645] amplectimur et eam 4. 5. 6. [3646] ydus 5b. [3647] et in C6. [3648] advocassie 6b. [3649] vilhelmo 5. C. wilelmo 6c. gillehelmo B1. [3650] comitis supra m. 6. [3651] *deest* 5. 6. [3652] dicitur 4. 5. vocatur Luzel. 6.

NOTÆ.

(508) In epistola supra, Gest. c. 24., laudata.
(509) Cf. Gesta c. 27.
(510) Autun.
(511) C. 8.

profecisset, tandem cum non[3653] haberet qui illorum vesaniam armata manu posset reprimere, — ipsi enim, si barbari provinciam hanc inpeterent, illis debuissent[3654] resistere, — utebatur in illos[3655] anathematis ultione, die quadam dominica 8 Idus Decemb. anno dominicæ incarnationis 1122, pontificatus[3656] sui anno 21. Cujus[3657] anathematis verborum[3658] series hunc habet modum (512).

Propter continuas oppressiones quas ecclesia nostra patitur, decernimus et Spiritus[3659] *sancti judicio et auctoritate nobis*[3660] *concessa*[3661] *confirmamus*[3662], *ut quicumque sive*[3663] *in rapinis rerum ecclesiasticarum, sive in combustione alicujus ecclesiæ, sive in captione alicujus clerici, vel in quacumque indebita exactione, sive in generalis vel*[3664] *specialis*[3665] *pacis violacione, hactenus nos conturbavit*[3666], *ad satisfactionem canonice vocetur, passurus sententiam secundum merita, obediens judicium cum misericordia, rebellis*[3667] *judicium sine misericordia. Ab hac autem*[3668] *ulterius quicumque supradictorum violator*[3669] *inventus fuerit*[3670], *hodierna excommunicatione prædampnamus, et præcipimus ut ab omnibus ut sacrilegus devitetur, suspenso ejus nomine in ecclesia ad indicium*[3671] *excommunicationis jam super eo factæ et singulis dominicis*[3672] *diebus repetendæ, ita ut quicumque ei communicaverit, si laicus, eodem anathemate feriatur, si clericus, ab ordine deponatur. Spolia quoque emens vel dono*[3673] *accipiens, ei cui et spoliator dampnationi subjaceat. Congregationibus autem*[3674] *licentiam damus, ut quicumque eos in bonis stipendiorum suorum læserit, eum cottidiana*[3675] *excommunicatione prosequantur. Porro*[3676] *archidiaconis concedo ut, ubi*[3677] *aliis negociis inpeditus adesse non potero, penitentes ecclesiæ reconcilient, servato ordine in compositionibus et ceteris ecclesiasticis consuetudinibus* (513).

Multa[3678] quidem et alia probitatis fecit[3679] insignia, quæ et ipse[3680] ego vidi et aliorum recta relatione cognovi, quæ enumerare per singula gratia vitandæ prolixitatis omisi. Hoc tantum scire sufficiat, quod appropinquantem vitæ ejus[3681] terminum laudabilibus admodum operibus antevenit[3682]. Etenim per nocturnam quietem solitus erat sanctorum memorias silenter circuire illicque[3683] in oracione diucius persistere[3684] et Dei propiciationem cum[3685] eorum intercessione profusis lacrimis exorare. Sed et loca ubi servi Dei et ancillæ in clausulis degebant, uno tantum comite contentus, frequentabat, et quæcumque habuissent necessaria tam in victu quam in[3686] vestitu ministrabat, atque eorum oracionibus se devotius[3687] commendabat.

25. Nec prætereundum quoque, quod[3688] in Moguntina[3689] diocesi, in prædio suo quod Odenheim dicitur, monasterium exstruxit[3690], ubi Deo famulantes monasticæ professionis cœnobitas adunavit, tantumque [de[3691]] rebus prædiorum suorum delegavit[3692], quantum posset[3693] illic commorantibus ad cottidianum victum sufficere (514). Sed nec[3694] hoc silendum, quod in Confluentia quoque[3695] basilicam beati Florini vetustate consumptam meliori scemate et ampliori ambitu ex lapidibus thophis[3696] (515) sectis et politis, sicut usque[3697] in hodiernum diem conspicuum est, construxit (516). Sed et[3698] in Treveri (517), ecclesiam, in qua[3699] beati Paulini et aliorum confessorum pontificum Treverensium[3700] necnon et corpora plurima martyrum Thebeorum sub Rictiovaro[3701] passorum requiescunt, quam, sicut[3702] patrum nostrorum relatu didicimus (518), sanctus Felix Treverorum[3703] episcopus, qui in ipsa requiescit, magno et spacioso[3704] ambitu primus fundavit, postmodum vero[3705] vetustate consumptam beatus Marus[3706], et ipse ejusdem[3707] civitatis episcopus, quique ibidem quiescit[3708], in pristinum statum reparavit, iste quoque nostris[3709] temporibus ignis concremacione

VARIÆ LECTIONES.

[3653] *superscr.* C1. [3654] r. d. 6. [3655] eos 6. [3656] p. s. a. 21. *desunt* 5b. [3657] *cap.* LXXII. *inc. Leibn.* [3658] *deest* 6. [3659] s. sp. 6. B. et s. s. i. *desunt* B1. [3660] *deest* C6. [3661] commissa 6. [3662] firmamus *Mart.* [3663] *deest* 5. [3664] sive 5a. [3665] in sp. B1. [3666] conturbaverit C. [3667] r. i. s. m. *desunt* C6. [3668] id est 4 Idus Decembris *add. Mart.* [3669] violatorum 6. [3670] id est MCXXII dominico *add. Mart.* [3671] *pergit* 6a. judicium 5a. 6c. [3672] diebus dom. 5b 6. [3673] *deest* B4? in dono 5b. *ubi mox*: a. ritui ut. [3674] etiam *Mart.* [3675] cottidie C. [3676] *Reliqua desunt Mart.* [3677] nisi 5a.b. si 5c. [3678] *c.* LXXIII. *inc. Leibn.* [3679] f. i. *desunt* 5b. [3680] ego i. 6. [3681] sue B1. [3682] antecedit *corr.* antecessit 6a. antecedit 6c.d. [3683] illisque B1. 2. C. [3684] insistere B1. [3685] *deest* 4. 5. 6. [3686] *deest* 4? B1? 4? [3687] devotus 5. 6. [3688] *deest* 5a. [3689] mogonciacensi B2. spirensi 4. 5. 6. B4. C. *quod correctoris esse videtur.* [3690] construxit B4. C. [3691] *deest* B1. 2. 3. *add. in marg.* C1. *et ita* C3. de rebus *desunt* 5. [3692] *deest* 5a. [3693] possit illis 5a. [3694] neque 6a. [3695] *deest* B4? [3696] tophis 5. 6c. B1. [3697] *deest* C. [3698] *deest* 5. [3699] in qua *desunt* B1. [3700] trebirensium C1. [3701] rictiouario 4. s. r. p. r. *desunt* 5c. [3702] s. relatu seniorum nostrorum 6. [3703] treverensis B2. trebirorum C1. [3704] spatio C3. [3705] *deest* C3. [3706] maurus 6c. [3707] c. c. ep. 5. 6. [3708] requiescit C3. 4. [3709] rep. nostris quoque B1.

NOTÆ.

(512) Ex codice Epternacensi ediderunt Martene et Durand Coll. I, p. 677, ubi ita inscriptum est: *Hoc decretum sanxit Bruno archiepiscopus, XXI archiepiscopatus sui anno.*

(513) Cf. Wilhelmi comitis epistolam hac occasione scriptam, ap. Hontheim Hist. I, p. 507.

(514) V. diploma Heinrici V ap. Hontheim I, p. 485 n.

(515) Germanice *Tufsteine.*

(516) Cf. Brunonis dipl. de hospitali ibidem fundato, Günther I, p. 166.

(517) In pervetusto rituali quondam ecclesiæ metropolitanæ legitur: *Anno Domini* 1121, *indict.* 15, 10 *Kal. Nov. dedicata est hujus domus nova pars, quæ est ad occidentem, cum altari sancti Nicolai confessoris in ea sito, a domino Brunone venerabili Trevirorum archiepiscopo, pontificatus sui anno* 20, *in honore sanctæ et individuæ Trinitatis sanctique Nicolai episc. et conf., cujus reliquiæ in eo continentur.*

(518) Gesta c. 20, 23.

dirutam (519), Adalberti et Ruodolfi [3710] ejusdem ecclesiæ præpositorum industria, datis eis [3711] sumptibus, non juxta primæ quantitatis amplitudinem sed secundum facultatis suæ modicitatem [3712], reformavit. — Anno [3713] autem Dominicæ incarnationis 1124, qui est annus [3714] episcopatus ejus 23 [3715], 7 Kal. Maii die [3716] 6 feria [3717], hora prima, animam reddidit. Cujus exequiis celebrandis affuerunt Trebericæ diocesεos episcopi Heinricus Virdunensis, Cuonradus [3718] Tullensis, et eum non longe ab antecessoris sui Egilberti sepulchro magno cum honore et totius cleri ac populi mœrore deposuerunt. Sedit [3719] in episcopatu annis [3720] 23 [3721], diebus [3722] 24 [3723], et vacavit episcopatus [3724] menses 2, dies [3725] 8 [3726].

* *C addit :* Hisdem quoque temporibus sancti Eucharii cenobium religione rebusque jam pene conlapsum per Eberhardum abbatem Kambergensem strennuæ [3727] religionis virum reparavit. Qui vetus monasterium, novum inchoans edificare, dejecit, ejusque temporibus prefati Eberhardi sanctus Domini Mathias apostolus inventus est (520). Quantum autem ipsum locum Deus per multorum miraculorum signa provexerit, testis est omnis Trebirorum urbs, quæ etiam per meritum beati Mathiæ meliorationis suæ plurima indicia monstrat.

26 [3728]. Post decessum vero [3729] Brunonis episcopi Godefridus [3730], majoris ecclesiæ decanus, in episcopatum successit. Hic de Leodiensi [3731] parrochia extitit oriundus, Arnulfum [3732] vero consanguineum suum, et majoris ecclesiæ, domus videlicet beati [3733] Petri, præpositum, virum videlicet [3734] religiosum et morum honestate præclarum, qui ecclesiam in honore [3735] sanctæ Crucis juxta Albam portam sitam constituit, Treverim [3736] secutus, ab Eberhardo [3737] Treverorum archiepiscopo clericus est designatus. Hic vero [3738], sicut et [3739] antecessor ejus, prædictus inquam præpositus, morum dignitate et animi liberalitate insignis, prius [3740] a Treverensibus, clero scilicet et populo, dilectus, et ab episcopis ejusdem civitatis Egilberto et Brunone multis ecclesiasticis honoribus ditatus [3741], ad ultimum decedente domno Brunone, sicut prædiximus, in episcopatum [3742] est sublimatus [3743]. Peracto vero anno episcopatus sui, insurgentibus contra [3744] eum quibusdam de clericis suis et introitum ipsius calumpniantibus [*an.* 1125-1126] — quorum calumpnia si justa aut injusta fuerit, Deus scit, ego nescio [3745] — tandem ab hoc causa est [3746] perducta, quod sentiens suam infirmitatem ad hoc [3747] onus non sufficere — jam enim ad decrepitam venerat ætatem, — videns etiam [3748], quod [3749] pro eo in ecclesia fraterna scindebatur caritas, quibusdam sibi adhærentibus, aliis resistentibus [3750], ne causa esset hujus scismatis, circa finem tercii anni ab episcopatu est absolutus. Obtinuit [3751] autem sedem [3752] annis 2, mensibus 10, diebus 11. Supervixit autem [3753] postea annum unum, menses 5, dies 16 [3754], obiitque 18 [3755] Kal. Decembris die [3756], quinta feria [3757] (521), hora noctis 3 (*an.* 1128, *Nov.* 14). Quem sepelivit successor ejus [3758] in basilica sancti Petri majoris ecclesiæ sub arcu qui est ad meridionalem plagam.

27 [3759]. Hic autem successor ejus nomine Meginherus [3760], eadem qua decessor [3761] parrochia nobilibus et ipse parentibus [3762] procreatus, et a puericia in Treverensi ecclesia educatus, morum honestate et personæ maturitate ad præsulatus honorem dignus profecto ascendisset, si antedictum Godefridum [3763] vel parcius inpugnasset vel suæ rigiditati et indiscrecioni modum imposuisset. Mense Junio (*an.* 1127) electus, sequenti autumno collecta milicia Treverensi castellum novum quod dicitur Bumaggen [3764] (522) primo inpetu cepit, Willehelmum [3765] comitem ad condicionem pacis venire coegit, pacemque [3766] patriæ in brevi reformavit. Veniente quadragesima (*an.* 1128), iter suum Romam direxit, ubi a papa Honorio ordinatus [3767] et pallio dignitatis [3768] est decoratus (523); unde [3769] reversus a clero et populo Treverensi [3770] honorifice est susceptus. Deinde dum nimio zelo rectitudinis de incontinentia clericorum multa sæve [3771] dis-

VARIÆ LECTIONES.

[3710] rodolphi 5a. rudolfi 4. 6. B1? C. rudolphi 5b. [3711] ei 5 a,c. [3712] modum 5. 6. B4. C. [3713] *Novum caput incipit* C. — autem *deest* 5b. [3714] *deest* C3. 4. [3715] XXVIIII. B4? qui — 23. *desunt* 5b. [3716] *deest* 6. [3717] *deest* 5. [3718] conradus 5. *alii.* [3719] s. autem C. [3720] annos 6. B1. C. [3721] XX 6c. menses tres *add.* 6a,b,d. [3722] dies 6. B1. 3. 4. C. [3723] XXIII. 6a. XVIII. 5b,c. XXIIII — duos dies *desunt* 5a. [3724] *deest* C6. [3725] et dies C6. [3726] C6. *add.* : et cætera. [3727] strennuæ C1. [3728] *c.* LXXIV. *Leibn. Hujus capitis loco in cod.* B2. *narratio uberior exstat, quam infra edimus.* [3729] *deest* 6. C6. [3730] godefridus B1. [3731] leodicensi 4. 6a. [3732] arnoldum 5. 6. B4. C. [3733] sancti 6. [3734] *deest* 6. scilicet 5. C. [3735] honorem B4. [3736] treberim 5. 6. [3737] eberardo 6. [3738] *deest* 5b. [3739] *deest* 6. [3740] primo 5. [3741] est d. 5b. [3742] in episcopatu B1. [3743] sublevatus 4. [3744] in B4? [3745] n. e. d. s. C. [3746] *deest* 5b. [3747] *deest* 5. 6. [3748] *deest* C. [3749] q. in e. f. pro eo 6. [3750] sibi r. 6. [3751] Occupavit autem *pergit* B2. *cum hoc textu.* [3752] episcopatus C. [3753] vero annum 6. [3754] VI. 4. 5. 6. — Obiit autem 5b. [3755] VIII. C. [3756] die — 5. *desunt* 6. [3757] *deest* 5b. f. V. B1. [3758] *deest* 4. [3759] *c.* LXXV. *Leibn.* — C1. *add, rubram:* De Meginhero. [3760] meynerus 4. megenheres B1. *semper.* [3761] d. ejus 4. B4. [3762] *deest* 5a. petentibus 6c. [3763] gotefridum B4. [3764] bumage 5. 5a,c. 6. bunniage B4. bunnage C. humage 5b. huniage C 6. novum de quo ante jam dictum est, pr. B2. [3765] wilhelmum 5. C. *alii.* wilelmum 6a. [3766] que *deest* 5b. [3767] est o. et p. d. d. 6. [3768] pallii dignitate 4. 5. 6. [3769] Inde 5. [3770] treverico C. [3771] *deest* 5. 6.

NOTÆ

(519) A. 1092, Kal. Aug., Ann. S. Eucharii, SS V, p. 10. Cf. hac de re locum ex Miraculis S. Modoaldi infra editum.

(520) V. hujus rei narrationem infra editam.

(521) Nov. 14. feria quarta a. 1128. fuit.

(522) De hujus loci situ non constat, neque de Numagen cogitandum est.

(523) Cf. Honorii diploma, Günther I, p. 209.

poneret sine condimento discrecionis, magnam sibi comparavit invidiam, et quam nec dici fas est acquisivit infamiam. Et [3772] forte [3773] eodem tempore Francorum res publica valde turbabatur. Nam paucos ante annos Heinrico imperatore hujus nominis rege quinto sine prole defuncto (*an.* 1125), proceres Francorum apud Mogontiam Leodegarium [3774] ducem Saxonum in regnum elevaverant [3775], eorumque decretum Romani laudaverant, cum ecce Fredericus [3776] dux Alamannorum, ejusdem Heinrici imperatoris [3777] ex sorore nepos, facta conspiracione [3778] cum quibusdam justiciæ inimicis, fratrem suum Cuonradum [3779] regno substituit, magnamque belli materiam et contentionis fomitem hac de re [3780] suscitavit (*an.* 1127-1128). Quod ubi Honorius papa comperit, Cuonradum omnesque sibi faventes excommunicationis vinculo colligavit, et Meginhero [3781] archiepiscopo ordinato jam reversuro, ut in sede [3782] sua eundem Cuonradum excommunicaret per obedientiam præcepit. Quod [3783] ille quoque [3784] sine mora perfecit.

28 [3785]. Anno igitur ordinacionis suæ 2 (1129), mense Novembrio, cum jam [3786] erga multorum animos [3787] ea qua [3788] dixi causa esset odiosus, Romam ire disposuit, ut consilio apostolici vel auxilio ea quæ se gravabant alleviaret. Quo tempore prædictus Cuonradus minus [3789] in Theutonico [3790] prosperatus, regnum Italicum tamquam et illud sibi deberetur, invadere cupidus, ibidem in Italia moratur, ubi Meginherum episcopum [3791] per exploratores proditum [3792] cepit, eumque [3793] apud Parmam civitatem custodiæ deputavit, ubi sequenti anno (1130), jam [3794] oculorum lumine ex afflictione amisso, Kal. Octobris obiit. Episcopus [3795] Parmensis vestibus, quas sibi ipsi [3796] morituro paraverat, corpus [3797] indutum in majori ecclesia sepelivit.

29. [3798] Post hunc Treveri [3799] Brunonem, ecclesiæ Treverensis [3800] canonicum, Brunonis quondam archiepiscopi nepotem, elegerunt 7 Idus Decemb. Quod ille omni [3801] nisu, maxime causa inopiæ hujus ecclesiæ [3802] renitebat, re autem [3803] vera, ut post [3804] claruit, majoris episcopatus gloriam affectabat; et hoc cum gratia apostolici Innocentii [3805] faciebat, qui eo tempore in Galliis commanens, diversis in locis concilia celebrabat [3806]. Nam quando Meginherus [3807] episcopus [3808] Romam [3809] pergens captus et custodiæ traditus fuit, bellum quoque [3810] inter Romanos conflatum est de loco Innocentii et Anacleti, Honorio papa defuncto. Quorum prior electione auctentica [3811] cleri et populi intronizatus et consecratus defuncto successerat, alter autem [3812] factione nobilium Romanorum, quorum ipse propinquitate pollebat, papatus sibimet [3813] honorem assumpserat. Maximo autem motu horum gratia [3814] concitato, Innocentius papa [3815] templum sancti Petri fugiens intravit, quem Anacletus obsessum, tormentis quoque [3816] machinisque adhibitis, de templo et urbe fugavit. Pulsus Roma, Gallias [3817] Innocentius petiit [3818], ubi eum legati Treverensium [3819] adeuntes, ut electionem suam [3820] firmare [3821] et perficere non differret postulabant. Quibus ipse respondit, ut alium ad hoc idoneum quem vellent eligerent [3822]; nam Brunonem nec ipsi nec alterius ecclesiæ filii episcopum habere possent [3823]. Hoc responsum apud Leodium in quadragesima acceperunt [3824]. (*An.* 1131, *Mart.*) Sequenti pascha (*Apr.* 19) cum rex Lotharius [3825] omnesque principes Treverenses [3826] Treveri [3827] convenissent, pars cleri primicerium Mettensem [3828] Adalberonem [3829] eligebat [3830], principes tamen et populus acriter repugnabant. Qua dissensione per continuum annum [3831] protracta [3832], tandem jussu apostolici et imperio regali sedata, altero pascha intronizatus est Adalbero [3833] anno dominicæ incarnationis 1132 [3834] (*Apr.* 10).

VARIÆ LECTIONES.

[3772] *c.* LXXVI. *inc. Leibn.* [3773] fere 5. [3774] lotharium 4. 5. 6. B4. C. [3775] elevaverunt B2. [3776] frithericus B2. frid. C. [3777] *deest* 5[c]. B1. C. [3778] nepos inito consilio cum quibusdam faventibus sibi fratrem C1. *e corr. sec. manus et ita* C5. 6. [3779] conradum 5. cunradum 6. *semper.* [3780] *deest*, causa *post addito*, C1. *et ita* C3 *sqq.* [3781] megih. 5[a.b]. *et ita infra.*—episcopo trever. ordinato 5[b]. [3783] sua sede 5. [3783] Quod—perfecit *desunt* 6[a]. [3784] *deest* 4. 5[b]. [3785] *Wytt. plura ex opere Lind. et cod. Eberh. Clus. inseruit, quæ s. XV. XVI. conscripta ut nullius pretii omisimus.* [3786] *deest* 5[b]. [3787] annos 6[a]. [3788] que B1. C6. [3789] minor C. [3790] theuthonico 5[a.c]. teutonico C. teuthonico regno 6. [3791] archiepiscopum 5[b]. [3792] p̄dictum 5[a.b]. dictum *corr.* prædictum 5[c]. [3793] eundemque 5[a]. [3794] *deest* 5[b]. [3795] Ep. vero B1. [3796] *deest* B1. [3797] c. ejus B1. [3798] *c.* LXXVII. *Leibn.* [3799] treverici 4. treverenses B1. treviri C1. [3800] *deest* 5. tr. eccl. 6. B1. trevericæ C. [3801] maximo nisu causa 6. [3802] *vocabulum erasum* C1. [3803] *deest* 5[a]. [3804] postea 5. [3805] g. i. pape 6. *deest* B 1. [3806] celebrat C3. [3807] megiherus 5[a]. meginerus 6[c]. migeherus 5[b]. meinherus B2. [3808] *deest* 5. 6. [3809] roma C. [3810] q. conflatum est i. r. de 6. [3811] autentica 5[a]. 6. [3812] vero 6. [3813] sibi 6. [3814] h. g. *desunt* B1. [3815] *deest* 6. [3816] et t. 6. q. t. B2. [3817] i. g. 5. 6. [3818] adiit 4. 6. adivit 5. [3819] tr[orum] 5[a]. treverorum 4. 5[c]. 6. trevirorum B4. C. treverenses B2. canonicorum 5[b]. [3820] *deest* 4. 5. 6. [3821] firmaret (confirmaret 6[c].) et perficeret post 6. [3822] el. q. v. 5. a. eligerent quem idoneum scirent 6. [3823] potuissent 5. B4. C. h. non potuissent 4. [3824] receperunt 5. [3825] lotarius B2. [3826] *deest* 5[b]. B2. 3. R[orum] 5[a]. treberorum 5[c]. tr. 6[a]. treberenses B1. trevirorum B4. C. [3827] treverim 6. treberi 5[b]. B1. 2. *alii.* [3828] *deest* B2. [3829] alberonem 4. 5. 6. [3830] eligebant 4. 5. 6. [3831] *deest* C. [3832] protractata 5. [3833] albero 4. 5. 6. adelbero B1. C1. [3834] millesimo C. vicesimo secundo 6[c]. B2. trigesimo tercio B3.— *Addit:* 6[c]: Explicit liber in historia Treberorum; 6[d]: Explicit hystoria Treberorum; B2: Expliciunt gesta Treverorum. — *Codices* 5. *continuationem recentiorem addunt*

GESTA GODEFRIDI ARCHIEPISCOPI[3835].

1. Igitur post excessum Brunonis episcopi Gothfridus [3836] in episcopatum successit. Hic de Leodicensi parrochia progenitoribus admodum nobilibus, patre Rutfrido, matre Fridesinda nomine, ex vico qui Falmanies dicitur extitit oriundus [3837]. Arnoldum avunculum suum, majoris æcclesiæ, domus videlicet beati Petri apostoli prepositum, Treberim secutus, ab Everhardo Treberorum episcopo clericus est designatus. Verum ubi inmatura libertate potitus est, continuo per cocquevos, quibus luxus et desidia cordi est, amare vicia, corruptæ viæ tramitem incedere perdocetur, ac velud equus infrenis, rectore contempto, recti itineris [3838] lineam dereliquid. Propterea enim ab Arnoldo supra memorato in ministerium Heinrici quarti regis delegatus est, ut, quia de morum ejus irreligiositate regulariter non speraret ullum ecclesiasticum honorem contingere, si facultas subpeteret, videlicet si ecclesiarcharum quisquam vita decederet, si nequiret canonice, regia saltem intruderetur potestate. Contigit itaque temporum labente curriculo, decanum domus Treberensis diem extremum claudere, et non multo post archidiaconatus officium, alio quoque ibi obeunte, vacare; quod ut regi innotuit, directis mox ad Egilbertum episcopum litteris, mandavit, ut supra memoratum Gothfridum illis honoribus sublimaret, quod nisi faceret, regem offenderet. Jam vero adeptus, si debuisset quempiam claustralis stipendii vel altaris dono investire, non faciebat sine muneris assecucione; more diabolico non passus se solum interire, quin et alios satagebat secum precipitare, presertim cum ex decretis pontificum Romanorum tam vendentes quam ementes honores æcclesiæ sint dampnati anathemate. Cum autem nec sic satis libere sibi videretur canonicas posse venundare — prior enim decano prepositus debet investire — affectavit et ipse, [3839] si quas posset preposituras acquirere. Igitur congregationi beati Symeonis super portam civitatis preerat quidam Uodelricus nomine, natus de finibus Aquileiæ, quem idem Gothfridus [3840] per Martinum quendam capellanum suum ita circumvenit, ut, si Aquileiam remeare voluisset, preposituræ suæ eum heredem substitueret; cum utique non dignitates æcclesiasticæ jure hereditario, sed probatis vitæ sanctitate sint conferendæ, quorum vita subditis sit vivendi norma.

2. Itaque corrasa hinc et inde thesauri magna congerie, cum Bruno obisset (*an.* 1124), cepit totis A desideriis anhelare, ut in locum ejus potuisset assurgere. Misit ergo per secretarios suos Heinrico regi mille centum et ultra, ut dicitur, marcas argenti, et ita eum sibi conciliavit, ut, cum Treberenses venirent et dari sibi episcopum expeterent, et quidam illius ineptiam pretenderent, rex non eo minus omitteret quin eum episcopum constitueret. Erat enim senilis desipientiæ, plenus furore iracundiæ, discretionis permodicæ, qui nec domui [3841] suæ bene noverat preesse. Pro hujusmodi eligere eum episcopum formidabant. Set tamen [3842], vellent, nollent, intronizatus est die 6 Nonas Julii. Statimque missa legacione mandavit episcopis æcclesiarum subjectarum Trevericæ metropolis, quatinus Treberim convenientes ipsum consecrarent antistitem. Quam videB licet consecrationem sui licet ipse voluisset accelerari, tamen diversis causarum intercidentium [3843] prepediebatur obstaculis. Ecce enim Stephanus Metensis episcopus, ut audivit quod prefato ordine intraverit, illo venire dissimulavit; venisset tamen, si pallio quo avunculus suus Calistus papa eum honoravit, in consecratione metropolitani permissus fuisset indui. Non enim nisi pallio indutus voluit interesse consecracioni. Quare autem eo non sit permissus indui, causa hæc est: quoniam quasi in [3844] injuriam metropolis æcclesiæ eo gloriabatur se indui, nec in ejus [3845] usu ullum voluit in metropolitano habere respectum. Est et alia causa, quare consecracioni premissæ noluerit interesse. Inter ipsum Stephanum et Heinricum Virdunensem episcopum C facta est contencio, quis eorum metropolitanum consecraturus esset episcopum, Stephano pretendente sedis suæ principatum, Heinrico autem ordinationis suæ prioratum. Set uter eorum justiorem proposuerit causam, edisserat, maxime cum Stephanus quodam fastu superbiæ, Heinricus vero ratione voluerit consecrator existere; nisi si forte æcclesia Metensis in privilegiis habeat, quod suus episcopus sit metropolitanum consecraturus. Interea dum hec agerentur supervenit forte quidam cardinalis, Willehelmus nomine, Prenestinus episcopus, dicens se ab apostolica auctoritate directum, ut quocumque in loco episcopos non consecratos vel aliud quodlibet hujusmodi negocii inperfectum invenisset, adimpleret. Quem ut Stephanus Metensis TreD berim venisse comperit, directis ad eum litteris, primum quidem per karitatem rogavit, et postea ex apostolica auctoritate interdixit, ne quid [3846] sui or-

VARIÆ LECTIONES.

[3835] *Hæc in cod.* B 2. *fol.* 43'. *leguntur.* [3836] guothfridus *erasa littera* u *cod.* [3837] oriūdus *erasalittera* u *cod.* [3838] iteneris *corr.* itineris *c.* [3839] *post suppl. c.* [3840] guthfr. *c.* [3841] domue *corr.* domui *c.* [3842] *post suppl. c.* [3843] intercidencium *c. quem ad litteram fere secutus sum, Scripsi tamen in verborum fine* æ *pro* e. [3844] *deest c.* [3845] eis *c.* [3846] quod *legendum, aut post* quid *supplendum est P.*

dinis esset, ipse facere presumeret. Quo contra ille apostolicæ auctoritatis litteras in hoc opus sibi datas protulit [3847], hunc modum continentes :

Kalistus episcopus, servus servorum Dei, carissimis nobis in Christo fratribus archiepiscopis ceterisque ecclesiasticis ordinibus per Galliam, Germaniam et Franciam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem. Mittimus ad vos fratrem nostrum Willehelmum Prenestinum episcopum, dantes ei cum vestra caritate licenciam, ut si qui sint in vobis episcopi non consecrati, consecret, et, si qua sunt alia hujusmodi ecclesiasticorum negociorum minus perfecta [3848], *in omnibus inoffensa fraternitate consummet. Pax vobis.*

Has itaque cum in auribus omnium qui aderant exposuisset, adjecit : *Si frater noster Metensis consecracioni metropolitanæ voluerit interesse, ego vita comite ero ei adjutorio, si vero venire non maturaverit, prout dominus permiserit, ego vicem ejus adimplebo.* Denique illi propter supra memoratas causas Treverim venire nolenti, prefatus cardinalis, cooperantibus episcopis Heinrico Virdunensi et Cuonrado Tullensi, premissum Guodefridum consecravit episcopum, die dominica 7 Idus Septembris.

3. Ita demum ordinacionis suæ compos effectus, quadam vice, cum debuisset, ut moris est, in ambone fidelibus verba salutis adnunciare, et quomodo de sancta trinitate senciendum esset elucidare, ita irracionabiliter et inordinate disserebat, ut hii quos docere debuerat pocius eum hereticum quam catholicum estimare potuissent, si non magis, ut erat, ejus eloquenciæ inscientiæ, quam pravitati hereticæ addixissent. Verum namque est, quod beatus Hieronimus ait : *Stulti sunt, qui, cum loqui nesciant, tacere non possunt.* Ut enim unum de multis locucionis suæ erratibus exponamus, cum, ut diximus, in ambone constitutus fidei verba explanare voluisset : *Credite*, inquid, *quia tres domini unus dominus est*, personas dominos interpretans, cum ab orthodoxis tres Deos aut dominos dicere prohibeamur, ut beatus Athanasius Alexandrinus in edicione fidei catholicæ proposuit dicens : *Sicut singillatim unamquamque personam Deum ac dominum confiteri christiana veritate compellimur, ita tres Deos aut dominos dicere catholica religione prohibemur.* Proinde ne corrumperentur — testante enim apostolo *corrumpunt mores bonos colloquia mala* (*1 Cor.* xv, 33) — unus in viam suam disputans inter se, istum quasi novæ fidei verba inaudita set heretica proferre, numquam doctorum suorum quempiam hujusmodi protulisse. Et quidem de simplicioribus aliqui exinde scandalizati et seducti fuissent, nisi industris cleri predicacione viæ restituti atque secundum christianæ veritatis professionem instructi audissent, quod unus et idem Deus indivisus et inscissus trinus sit in personarum distinctione, unus in deitate substanciæ.

4. Porro paucis adhuc innotuerat, quod episcopatum precio comparaverat, cum ecce insurrexerunt in eum ex equestri ordine viri iniqui, exigentes, dari sibi promissa beneficia, mercedem videlicet favoris, quoniam ipsi eum magis favore suo quam ecclesiastica electione constituissent. Quibus cum ille plurima episcopalium redituum concederet, nec tamen satis eis ad placitum impertiret, calumpniato eo abscedebant [3849], et aliqui ex eis in ejus injuriam castra instituebant, alii predaciones, alii concremaciones exercebant, adeo ut nostris quoque temporibus, sicut antiquitus factas legimus, devastaciones hujus Trebericæ civitatis deploremus. Denique si qui de [3850] clero, aut etiam de reliquo populo, ad opus suum de civitate exeuntes, hac sive illuc habuissent divertere, capiebantur, calumpniabantur, et omnia sua eis tollebantur. Tocius autem hujus interitus auctor et predux Willehelmus, cujus proximo sermone mentio est (524), comes, et filius ejus Cuonradus, qui sicut patriæ possessionis, ita quoque heres et imitator tocius exstitit iniquitatis; et si quo modo non per omnia equalis patri in malicia erat, magis illum scelerum immensitate quam ulla preivit diminucione. Horum cooperatores exstiterunt ipsorum tam ministri quam liberi — si tamen quis liber [3851] dicitur qui servus est iniquitatis et esse convincitur — æcclesias diruentes, et lapidibus inde sumptis, cum alii pro manibus non erant, castra sua, quod dictu quoque nefas est, construentes. Ex quibus quidam Brunicho in cacumine cujusdam montis, miliario ab urbe plus minus secundo, turrim exstruxit, quæ bis igne de celo veniente conflagravit; nec tamen ille ab injusticia vertit. Mirum est quod referam, et fortasse paucorum auditui credibile; verumptamen noverint, quod, et me super hoc opstupescente et pro rei novitate fidem adhibere nolente, relator eorum quæ dicturus sum, testificans in Deo vera esse et vidisse se simul et audisse quæ diceret, aiebat, quod supra nominatus Brunicho idem hoc castrum suum, quod utique circumjacentis provinciæ plaga et destructio erat, ut ita dicam, fidei et custodiæ satanæ commendasset; qui videlicet sathan mira et incredibili familiaritate circa ipsum castrum discurrebat, ac ne longius idem sathanas quasi a castro declinaret, porcionem stipendii trium hominum ad opus ejus in secreta parte domus cottidie hora prandii deferre jussit; quod quam cito depositum, absumptum est in momento coram eo qui detulit; nec tamen ille devorantem vidit, sed sonum, quasi voces canum certantium audivit.

5. His igitur et hujuscemodi tribulacionibus multis et malis afflicti Treberici, ad eum, cujus causa

VARIÆ LECTIONES.

[3847] pretulit *c.* [3848] perfecta quam in *c.* [3849] abcedebant *c.* [3850] *deest c.* [3851] quis libet *c.*

NOTÆ.

(524) Gest. addit. c. 24.

hec omnia illis inferebatur, Guotfridum inquam dictum episcopum, congregabantur, et ita ipsum compellarunt : *Quamdiu ista passuri sumus?* Qui ait : *Vos scitis perfidiam et maliciam tocius cognationis illius pessimæ, quæ de castello Lucelenburch dicto* [3852] *oriunda est, quantis adversitatibus antecessores meos, mei utique respectu apostolicos viros, afecerunt; ut prophetæ verbis utar :* « *Non enim melior sum quam patres mei* (*III Reg.* XIX, 4)*;* » *nempe qui nos impugnant, ipsi nostri protecturi erant.* At illi responderunt : *Num si materiali gladio defendere nos non potes, quare saltim spirituali nos non defendis?* Et ille : *Numquid*, ait, *audistis, quomodo illi auctoritatem episcopalem parvipendunt, dicentes, non posse me quemquam vinculo spirituali vel ligare vel absolvere, quoniam predecessorum meorum in hac sede archiepiscoporum pallii videlicet non fungor honore, pro quo acquirendo, vos videtis, quod corporis infirmitate prepeditus domnum papam adire non possum. Set sicut sæpius, ita iterum et nunc obsecro : vos segregate michi de vobis prudentes utriusque ordinis vivos, qui tanta legacione digni habeantur, et ego eis viæ subsidia ministrabo.* Responsumque est ei : *Ex parte quæ loqueris vera sunt, sed aliud nobis insinuatur ab his qui nos persequuntur, comminantibus, non ante nos pacem habituros, quam munera quæ ipsis pro electione tui spopondisti persolveris. Verumptamen ut omnibus pateat* [3853] *quod in nobis non obsistat, nos domnum papam in nomine tuo adhibimus, et tribulacionem loci nostri exponemus, dicemusque, si tibi visum fuerit, quod quia pallium metropolis nostra non habeat, hanc esse causam, quare non possis impugnatores hujus æcclesiæ nostræ conprimere, addemusque, ut pro Dei namine meminerit tribulationis nostræ, debitum honorem æcclesiæ nostræ concedendo.* Itaque in hec verba accinguntur viæ honoraciores viri [3854] utriusque ordinis.

6. Cumque Romam pervenissent, illic fama rei seriem deduxerat omnem. Cum ergo causam sui adventus in auribus domni Honorii, tunc Romani pontificis, exposuissent, [3855] ipse, narrato eo quod audierat super ingressu hominis illius — ita enim ipsum nominavit — Guothfridum dico, perquisivit, si rerum harum innoxium voluissent illum juramento comprobare, et negantibus, ait : *Homo ille sanctam Dei æcclesiam, non habentem maculam aut rugam, symoniacæ pravitatis decoloravit infamia* [3856]*; unde nisi expurgatus fuerit, cum pace ecclesiæ episcopare non poterit. Ecce ego ultra Alpes missurus sum fratrem nostrum Petrum, cardinalem diaconum tituli sanctæ Mariæ in via lata, sapientem utique et discretum virum, pro disponendis in partibus illis ecclesiasticis utilitatibus. Qui cum ad vos venerit, obedite illi sicut et michi, statuaturque dies et locus, ubi loci in provincia vestra competens visum fuerit, ibique sedente hoc loco judicis, et advocatis circumjacentis provinciæ episcopis et aliis qui busque religiosis personis, homo ille conveniatur; si innocens inventus fuerit, dimittatur, sin autem, amoveatur. Nos vero æcclesiæ vestræ, antiquæ illi et nobili Trebericæ metropoli, propicio Deo, debitum non abnegamus honorem, verumptamen cum eadem æcclesia ad priorem fuerit restituta decorem.* Et responso accepto, hii [3857] qui missi fuerant absoluti, in sua sunt restituti.

7. Denique cum jam fere ad omnium per circuitum noticiam devenisset, omnesque ejus detestarentur ingressum, eos, quos supra memoravi pro se Romam directos, sepius lacessivit, quod tam infamis de eo rumor processerit, ipsorum culpæ esse dicens. Set ex eis quendam Theodericum nomine, diaconum domus, virum acrem ingenio et ambiciosum valde, per supra memoratum presbiterum suum Martinum et Bolsonem quendam, quem hic archidiaconatus officio sublimaverat, quia cum jam dicto Martino ipsi episcopatum emptum ierat, aliis insciis, data et promissa pecunia corrupit, ut contra alios ipse defensor ejus fieret. Nam præ ceteris majoris erat eloquenciæ et auctoritatis, set et animi duplicis, qui utrimque manu firmaverat, hic, quod æcclesiæ causam ageret, illic, quod adjutor ejus fidelis existeret. Qui demum cum crebro adversus eum factos conatus evacuasset, persepe etiam incitaret, justo Dei judicio, illo genere morbi quem Græci lienteriam [3858] nominant infirmatus, insperato, cum surrexisset ut ventrem purgaret, simul cum egestione exspiravit.

8. Proinde cum definitus concilii super hac re futuri terminus appropinquaret, indicitur Tulli concilium 3 Idus Martii, mediante quadragesima (*an.* 1127, *Mart.* 13). Ubi presidente prelibato Petro cardinali, cum episcopis Stephano Metensi Heinrico Tullensi et Gerhardo Trecasino, et abbatibus quam pluribus et obtimatibus regionis, primo omnium Petrus, prolatis coram litteris domni papæ, continentibus relatam ad apostolicam sedem de hujus intronizacione infamiam, legit; deinde consedentes ex ordine commonuit obediencia Romanæ æcclesiæ, quam prevaricari nefarium est, ut quod super hoc scirent edicere non omitterent. Quanta tunc audiret, explicare non sufficio, maxime cum plerique vidisse se, alii audisse se conclamarent, hoc itaque certum se habere, quod si quis diffideret, voluissent jurejurando fidem facere. At ille ut vidit prope modum confusum, aliud quod diffugii non habens, dicebat : quia conparium suorum, episcoporum videlicet, nullus illic conpareret, qui hujus eum facti accusaret, justum sibi videri, quod de sola infamia solius sui manu ei [3859] se expurgare licuisset. Quod negantibus et dicentibus accusatum utcumque a

VARIÆ LECTIONES.

[3852] dicta *corr.* dicto *c.* [3853] pareat *c.* [3854] loci *c.* [3855] ipso *corr.* ipse *c.* [3856] infimia *corr.* infamia *c.* [3857] his *e.* [3858] liemeriam *c.*?—*i. e.* λειεντερίαν. [3859] *post* suum *c.*

catholicis et veracibus personis, quin et, cum liceat cuicumque personæ, ut aiunt scorto, in veritate compertam symoniam dumtaxat zelo Dei accusare, debere eum religiosorum se fratrum testimonio expurgare; lectisque super hoc in commune plerisque sanctorum decretis, inter legendum venit quidam bajulus litterarum subscriptarum Mogonciensis episcopi, in quibus se legatum apostolicæ sedis nominat; quod quam indigne omnes acceperint, noverunt qui presentes audierunt. Quæ dum lectæ coram omnibus fuissent, ita Petrus Guothfridum alloquitur : *Querebaris prius, frater, irrogari tibi violentiam, eo quod non esset qui coepiscoporum te accusaret; ecce audis, qualia iste adversum te testificatur!*

9. Cum ergo non haberet idoneum quid obtendere, indicitur aliud concilium Wormaciæ, illique injungitur, ut eo conveniens cum episcopis sex ipseque septimus se expurget. Humanius autem decreverunt, petentibus pro eo omnibus misericordiam Dei et clementiam domni Honorii summi pontificis, ut episcopis tribus, abbatibus duobus, presbiteris similiter duobus boni testimonii se debeat expurgare die ab hinc 64°, quod est Idus Maii, dominica proxima ante pentecosten. Quo videlicet induciarum spacio decurso, ubi Wormaciam ventum est, non habuit de injunctis personis qui adjuvarent eum. Erant autem ibi supradictorum episcoporum duo, Virdunensis et Tullensis, nec non et alii tres, Bucko ipsius civitatis et Sigefridus Spirensis et Uodalricus Constantiensis, vir valde religiosus. Quibus consedentibus, Heinricus Virdunensis, qui et Tullo, de judicio interrogatus hoc edixit : quod, quia antedictas personas [3860] ad expurgandum se non produceret, justum esse, ut depositis episcopalibus ab officio cessaret. Unde ille indignatus et iracundiæ spiritu repletus, cepit exortari eos qui secum erant, ut egressi foras [3861] arma corriperent; et regressi intro partem eorum quæ sibi adversa fuerat trucidare pararent. Quod qualiter gratia Dei interveniente omiserint facere, referre non est ab re. Nempe ille peccatum peccato adjiciens, sumpto sacro ewangelio, juravit in eo de inposito sibi crimine innocuum se esse. Quo facto, sui summa cum festinacione accurrentes, et ad manus illum trahentes, eduxerunt de concilio, et quasi voluntatis suæ compos effectus fuerit et obtinuerit suum honorem, per viam incedebant cum cantico; sicque ille conventus impiorum evasit manus. Tunc cardinalis, habito super hoc episcoporum et tocius cleri consilio, decrevit, ipsum cum [3862] omnibus qui eum de medio sustulerant excommunicare in crastinum. Quod ut audierunt, omnes se de illius contubernio subtraxerunt, ita ut qui pridie turba multa comitatus de concilio exierat, sequenti die cum vocatus adveniret, vix unum qui eum sequeretur habebat. Unde conterritus in faciem se prostravit, omniumque miserationi expositus, tantum vitæ necessaria concedi sibi impetravit; nichilque moratus, licet invitus, quia obtinere non potuit, pontificalia deposuit die 16 Kal. Junii (*an.* 1127).

APPENDIX
MONUMENTORUM TREVERENSIUM

EX TRANSLATIONE SANCTI CELSI
AUCTORE THEODERICO.

Theodericus, qui a. 1006 *monasterium S. Mathiæ Treverense ingressus est, ab abbate Richardo rogatus, libellum de translatione et miraculis S. Celsi scripsit, sermone quidem tumido, sed quo multa de Egberti rebus aliaque notatu digna memoriæ tradidit, præfatione ad Richardum abbatem præmissa. Quæ ex Actis SS. Febr. III,* 396, *ubi ex codicibus Budecensi et Treverensi edita sunt, repetuntur.*

Excellentissimo Christi operario patrique permagnifico Richardo suus ille suorum ultimus Theodericus, quo inter monachos nihil habetur vilius, monastici tamen haud immemor propositi, omni apologiæ dimota ambage, veræ obedientiæ obsequelam. Rogat namque paterna pietas vestra, immo [3863] inevitabiliter imperando injungit, quatenus inventionem sacratissimæ glebæ beati confessoris Christi Celsi, cujus præclara merita ejusdem vocaminis produntur etymologia, nec non qua occasione,

VARIÆ LECTIONES.

[3860] personis *corr.* personas *c.* [3861] *f.* e. *corr.* f. *c.* [3862] *post suppl. c.* [3863] imo *ed. Scribendi rationem hinc inde correxi.*

Divinitati quidem ante temporis motum cognita, A nostris autem fæcelentis diebus, piæ memoriæ Egberto Trevericæ urbis hierarcha, ob enormem quandam ecclesiæ utilitatem solemniter nacta beata ejus ipsana mortalibus sint tandem detecta, sed et insigni meritorum illius indicio, quæ ob tanti thesauri catenus occultati optabilem ostensionem luce clarius acta esse noscuntur, mea pusillitas qualicumque relatu stylo memoriæque, posteritati prospiciens, mandare non differat. Neque enim æquum fore censetis, ut tanta miraculorum tanti viri coruscatio, ob multorum salutis augmentum cœlitus profusa, inerti remaneat taciturnitate abstrusa. Ad quod ego : Miror, inquam, admodum tantæ prudentiæ virum, ac vehementi stupore percellor, quidnam vobis animi sit, quod omissis et quasi vilipensis tot vernulis domi militiæque insugillabiliter agentibus, quos in beati Eucharii spiritali gymnasio dogmate fovetis sacro, inexperti adventitii imbecilles humeros tanti mole mandaminis caricare malitis. Testem enim omniscium adhibeo Deum — non quod ejusmodi mentis sim, quod vestræ præceptioni, quod fas non est, vel muscitando recalcitrare velim —, plures vestris in laboribus promotioris ingenii expertus sum fratres, quibus si id ipsum onus duce obedientiæ ratione imponeretur, impertæsis ut verum fatear humeris portare, ac vestris per omnia votis ad plenum satisfacere quivissent. Sed quid pluribus opus est? Destinatum est quidem monachis quadam specialitate præ ceteris, quatenus moram nesciant in explendis priorum suorum præceptis; et quamquam illis injungantur impossibilia, de Domini semper miseratione confidentes, sciant sibi omnia fore explebilia. Quapropter experiar votis quæ injungitis, certo certius credens, quod beatus Celsus suis mihi precibus possit obtinere, quatenus hoc glaucum pelagus merear salvis mercibus enatare atque ad optabilem portum illæsus valeam pervenire.

1. Cum omnibus divinæ atque humanæ philosophiæ sectatoribus liquido constet, quod Treverica metropolis tum mundanæ dignitatis antiquitate, tum etiam catholicæ fidei cardinali majestate, jure meritoque totius Galliæ archisterium (525) sit hactenus vocitata atque apostolicæ auctoritatis quadam particularitate ceteris undiquessecus ecclesiis eminentius sublimata; ob hoc scilicet lætabile accidens, quod eam universitatis conditrix personalis trinitas atque essentialis unitas Deus primitivo sancti evangelii fulgore per trium operariorum suorum perpetim remunerandum laborem deifice visitare atque illuminare dignata est : satis revera inconsequens visitur, si ea quæ tam [3864] clementi respectu in calce temporum apud ejusdem urbis ariopagum ostendere censuit, silentii torpore fumaliter in auras evanescant.....

2. Anno dominicæ incarnationis 978, quando divinæ memoriæ Otto secundus, maximi augusti Ottonis relativus, Romanæ monarchiæ apicem strenue gubernando princeps agebat in sceptro, sanctæ Trevirensi a Deo conservandæ ecclesiæ præfuit beatæ recordationis vir virtutum Egbertus archimandrita lampabilis, clarus quidem parentelæ generositate (526), sed clarior totius probitatis impretiabili dote. Et revera, quia ipsa gemina claritudine pollucibiliter viguit, uti nonor debitus poposcit, totius regni pontificibus atque optimatibus ipsa sui reverentia præcelluit. Denique statura procerus, vultus autem rutila formositate præ omnibus tunc temporis primatibus enituit venustius. Erat enim monachorum præcipuus tutor ac nutritor ac regu- B laris disciplinæ specialis amator, quippe qui sub habitu episcopi humile pectus occultavit devotissimi monachi, sicque cum Martha foras profudit ad explendum frequens ministerium Domini, ut tamen cum Maria totum se conferret ad studium verbi divini, faciens se divinitati gratam hostiam, in practica videlicet columbam, in rhetorica autem turturem. De liberalitate vero ejus, qua unice opimatus extitit, quid condignum eloquar? Novum quippe in illo Johannem quem Eleimonem vocant videres, quia, opes quas ei Deus profusius largitus est, pleno ut ita dixerim cornu per manus egentium transmisit in cœlum.

3. Monasteria namque, quæ Trevericæ subjacent C exedræ, ante ipsius sane tempora ultra communem Deo servientium modum erant indiga atque asperrima victualium nec non utensilium confecta inopia, et ob hoc religio monastica non minimum passa est deliquium. Sicque rarescente morum perfectorum ventilatore, ignis ille divini amoris, quem Veritas misit in terram et voluit vehementer accendi, jam abundante quoquo locorum iniquitate, non modo frigescere, verum quod periculosius est, modis omnibus cœpit extingui. Nam venerandæ memoriæ antecessor ejus Theodericus doctor quidem extitit facundissimus atque familiæ Domini procurator industrius; sed quia temporis angustia ob multiplices rei publicæ exactiones totiens totiensque erat coartatus, minus monasteriorum necessitudinibus D consuluit; quia nec unde, obvium sibi fuit. At iste summo veneramine nominandus regiam viam a dextris et a sinistris incedens, militum ambitionem refrenare non timuit, conprovincialium tyrannidem æquus arbiter auctoritate compressit, et omnia quæ monasteriis hostili fuerant invasione subtracta manu potestativa undecumque recollegit ac monasteriorum partibus sub magna vigilantia reconsignavit, et ut pius paterfamilias neglecta atque ætate consumpta resarcire tantopere curavit.

4. Cumque paterna lumina et ad septa beati Eu-

VARIÆ LECTIONES.

[3864] jam *ed.*

NOTÆ.

(525) Idem vocabulum in Vita S. Antonii et Deicoli legi Henschen notavit.
(526) De qua cf. supra Gesta c. 29.

charii contorqueret monachorumque illius pauper- tatulæ nimium condoleret, sapienti usus consilio, primum monasterio dignum delegit dispensatorem, abbatem videlicet nomine Gotherium, unice apud Gandense cœnobium disciplinatum. Cui tantum supplementi sumptuum in agris vineisque, exceptis aliis perplurimis donariis ornamento monasterii conducibilibus, contulit, ut quamdiu firmamenti sphæra volvitur ejus perenne meritum proinde capiat incrementum. Quanta autem aliis monasteriis, suæ pastoralitati æque subactis et agente inopiæ pressura pene collapsis, ad restaurationis gratiam larga manu concesserit, qualiterve monasticæ religioni, quæ tunc temporis ubique pessumdari videbatur, utpote favorabilis animarum languentium archiater, auctorali antidoto succurrerit, modum atque calculum excedunt, ideoque ad narrandum sermo succumbit. Adeo denique virtutum pædagoga caritas in ejus pectore vigorabili imperio sceptrum obtinuit, quatenus cum beato Job haud injuria dicere posset, quia *ex utero matris meæ egressa est caritas mecum* (*Job.* XXXI, 18).

5. Doluit siquidem frequenter udisque luminibus alta multoties suspiria traxit, quod sacellum, in quo pretiosus Domini archipræsul Eucharius una cum beatissimis commanipularibus suis in pace pausitat et adventum Redemptoris expectat, humili nimis atque paupertino, tot labentibus annis, duraret instrumento; secum anxius in archivo mentis volvens, quatenus vitam sospitate comitante, condigno quantum ad hominum æstimationem apparatu, jactato novo fundamine, tantis patronis omnigeno uti decuerit [3865] ornatu dominicalem ungue tenus perpoliret ecclesiam; nauci pendens istam nostram veteranam et ex obliquo vocans eam redituum repositorium.

6. Cumque tam spiritali voto crebra intentione esset occupatus, accidit quadam vice, ut præfato principi, qui eum apostolici honoris prærogativa dignatus est, præ ceteris ecclesiarum vatibus morali affatu coesset, eique inter alia ecclesiasticæ utilitatis consilia hujusce voluntatis januas aperiret. Imperator vero, uti catholicissimus mundialis aulæ rector, tanto tanti pontificis conjubilans voto præ nimia mentis alacritate in hæc prosiliit orsa : *Benedictus Deus super thronum æternæ majestatis suæ, qui nobis tam gratam sibi inspirare dignatus est voluntatem! Et benedictus beati Eucharii monachorum unanimus cœtus, per cujus necessarias orationes totius imperii nostri a Domino reguntur sortes. Et si divina sors in diebus nostris hoc propositum perduxerit ad affectum, lætus jam posthac viam universæ carnis ingrediar, tantum ut apud Jesum Christum judicem justum beatum Eucharium, primum Trevericæ urbis doctorem pium pro excessibus meis merear invenire patronum.* Et post hæc : *Ite*, inquit, *quantocius et omni conamine spirituali instate tam pio labori. Potens enim est Deus, qui vobis præstitit velle, subministrare et posse. Hoc autem nolo vos lateat, quia si fervida voluntate ad jaciendum fundamentum insudare satagitis, postquam mihi compertum fuerit, quod tantum in altum consurgat quatenus unius cubiti mensuram super terram ostendat, tales vobis de fisco nostro suppetias præbebo, ut parvo aliquantorum interstitio annorum usque adeo profectum læto sudore capiat, qui citra spem communem ad summum usque pertingat.*

7. Quo cæsareo gloriosus pontifex animatus promisso, divino comitatus auxilio mentis conceptum opere tenus implere gestiens, quam plurimis strenue accersitis et corrasis cæmentariis atque fossoribus, ad locum tetendit. Cumque jam per dies aliquot fodiendo laboratum fuisset, repente fossores inopinis ictibus in ter quaterque beati Celsi, uti Divinitati placuit, polyandrum (527) impegerunt. . . . . Erat autem sarcophagus ipse, in quo resurrectionis nudum granum maturandi gratia per tot tempora latuit, miri candoris petra, quam vulgus cretam vocat; et tabula desuper marmorea, in qua sanctitatis ejus index titulus fuit caraxatus hunc modum continens :

Sollicitus quicumque cupis cognoscere tumbam,
Præclarus jacet hic nomine vel meritis
Celsus, quem Dominus vero insignivit honore,
Non segnis patriæ semper ubique vigens;
Qui genus atque ortum claro de stemmate traxit,
Affectuque pio conditur hoc tumulo.

8. Operarius autem qui primus omnium in tumulum offendit, rusticus erat et totius pene rationis, uti id hominum genus noscitur, incapax. Non enim sciebat beatum Job dixisse : *Causam quam nesciebam diligentissime investigabam* (*Job.* v, 6); sed præcipitationi manum incautus dedit tabulamque bipenni rapit, ut vix a doctis viris titulus legi inerrato quivisset.....

9. Cumque tam lætus rumor sub cursili festinantia ad pii pontificis notitiam pervenisset, multilauda gratiarum actione omnium datorem largitionum benedixit Deum; sicque impiger, moræ nescius, ad divinum spectaculum proruit, clero circumstipatus. Sed quamvis incepti operis esset avidissimus, hanc tamen interruptionem sustinuit lætissimus, vera fide ex tituli assertione certificatus, quod in diebus suis super urbem Trevericam divinitatis dignanter delapsus esset respectus. Omnibus igitur quæ acciderant prudentiæ scalpello diligenter rimatis, beati pignoris taphum de loco depositioni movere nequaquam præsumpsit, sed tantum auctoritatis suæ sigillo sub vigilum excubiis signare curavit; psalmicines interim monachos ibidem consti-

VARIÆ LECTIONES.

[3865] decreverit *Bud.*

NOTÆ.

(527) Cœmeterium aut sepulcrum.

tvens, qui ob merita tanti justi inintermissibiles persolverent laudes divinitati, quoad ipse coepiscoporum suorum consultu plenius perdisceret, quid de re tanta fieri oporteret; sicque transcripto tituli tomo, episcopii delegavit claviculario.

10. Cumque secundum tanti pastoris intemerabile statutum die noctuque fratres in pausatorio justorum, nunc sub divo nunc sub tecto, divinum frequentarent officium, summumque importunis precibus compellarent solem, qui voluntatem timentium se procul dubio facit et deprecationem illorum exaudire solet : non multo post corrogata est imperiali edicto sollempnis synodus quam plurium episcoporum atque abbatum, patrum videlicet Belgicæ nec non Germaniæ, apud regale palatium quod barbarico vocabulo Engilenheim vocitatur (528), in qua nonnulla ecclesiasticæ utilitati necessaria, sanctorum canonum prævіante auctoritate, dulciter sunt promulgata atque successuræ posteritati inviolabiliter observanda indicta. Cui necessario interfuit Trevericæ ecclesiæ metropolitanus bene meritus Egbertus, cujus memoria, quamdiu *hodie* dicitur, semper est in benedictione habenda, quia piis ejus studiis asscribitur, quod suæ ecclesiæ clerus scientia ac religione nobilitatur. Discussis sane inibi multis quæ synodica postulat rubrica, postquam tantus archipræsul, qui inter omnes illos primatum tenuit, vacuum sibi fore ad loquendum pervidit, arrepto pitaciolo cui erat inscriptus beati Celsi titulus, ordine quo oportuit, qualia apud urbem suam divina dignatio præ manibus revelaverit, Tulliana facundia coram peroravit, titulumque ipse recitavit. Quibus auditis imperator immenso perfusus gaudimonio, sacrum et Deo decibilem his verbis affatus est conventum : *Gaudete, fratres et patres in Domino, et laudate ex intimis visceribus dominum Deum nostrum, qui mira æternæ suæ bonitatis gratia respicere dignatus est ad tempora nostra, dando ecclesiæ suæ apud Trevericam metropolim novum patronum beatum Celsum, quem virtutibus perplumem* (529) *plenumque dierum a tempore exitus sui de Ægypto hactenus in supernis sedibus concivilitavit frequentiis angelorum. Iterum rogo, gaudete, quia ut verum fatear non solum exinde nobis salus aucta est, verum etiam pii pastoris probitas ejusdem urbis, quem inpræsentiarum cernitis, enucleatim patefacta est.* Quod cum audissent utriusque ordinis sacerdotes Domini, qui eidem sacræ interfuerunt synodo, expansis ad cœlum manibus pias præ gaudio fuderunt lacrimas, immensas Conditori referentes grates, qui tam gloriosum pignus non passus est subterrari diutius, sed cujus apud ipsum esset meriti, miraculis coruscantibus censuit palificari. Neque enim fas fuit, ut illi deesset in terris obsequium ecclesiasticæ militiæ, cui jam in cœlis a Domino reddita erat corona justiciæ. Post hæc sacro placuit concilio, quatenus angusti prostagmate (530) præeunte atque episcoporum indisgregabili consensu comitante, Trevericus vates naviter sedem suam revisere debuisset, et glebam beati Celsi una cum subice clero de tumulo proprio levare atque sublimiter in arcella quasi in quodam divinarum opum gazophylacio collocare, sicque totius sanctitatis cultu acsi summi regis non qualecumque membrum sacro altari imponere.

11. Tali quippe mandato atque consilio percepto, beatus archipræsul Egbertus, uti prudens animal, tot patrum se benedictionibus atque orationibus munivit, nec non imperiali gratiæ tenacius junxit, sicque prospero successu iter maturavit, divina vallatus tutela comitumque lateratus caterva. Cumque semetipsum in propria sede recepisset, pauculis intercapedinantibus diebus, convocavit ad se omnes sapientia præditos abbates et monachos, presbyteros quoque et clericos ad suam diocesim pertinentes; rem gestam palam omnibus retulit. Quos cum omnes synodali decreto consentaneos inveniret, processionem festivam ilico construxit, cum crucibus et cereis, thuribulis quoque textibusque evangelii gemmatis, omnique ecclesiastico apparatu, combinatis fratribus hymnum Domini dulce canentibus, asylum beati Eucharii lætitiæ lacrimis plenus pedetentim adiit. . . . . .

MIRACULA.

Expeditis tandem, sermone licet impolito calamoque silvestri, quæ narrationis series poscebat de inventione corporis sancti Celsi confessoris Christi pretiosi, hinc jam stylum vertamus oportet ad dilucidanda ejus inclita miracula. . . . . .

Servatis igitur sacris reliquiis beati Celsi super altare sancti Eucharii post inventionem per mensem integrum, placuit ejusdem cœnobii patri Gunderado nomine cunctisque fratribus, quatenus arcam sancti Celsi deferre debuissent in navim ecclesiæ et ponere super sanctæ Crucis altare quod est in introitu propitiatorii . . . . . Nam in eodem monasterio sancti Eucharii fuit quidam pauperculus nomine Richolfus. . . . . Peracta denique missarum celebratione omnibusque rite consummatis, pontifex dona dedit beato Celso, et ipsum sanatum, qui omnibus prodigio extitit, monachico habitu contexit — erat enim de familia episcopii —, et quamdiu adviveret ne ab ecclesiæ servitio pedem retrahere præsumeret, præfixo mandat præcepto. Isdem autem renovatus pauper plurimis annis, uti jussus fuit, in monasterio deservivit, et post cura-

NOTÆ.

(528) De qua nihil alibi legitur. Sed post a. 977, quo Egbertus archiepiscopus factus est, Otto II Ingilenheim anno demum 980 venit.

(529) *Emplumé.*

(530) πρόσταγμα i. e. edictum.

tionem tanta corpulentia viguit et viribus habundavit, ut inter omnes monasterii servitores parem invenire sibi non posset. Unde factum est, ut ad majorem utilitatem fratrum consensu accedere debuisset, id est ad officium fullonis, quo per plures annos inreprehensibiliter desudavit atque omnibus amabilis permansit.

Sed neque hoc silentio occulere debeo, quod in præsentia nostra ante paucos contigit annos. In eodem quidem sancti Eucharii cœnobio crevit quidam monachilis indolis parvulus nomine Martinus, qui ab ipsis maternis sinibus beato Eucharío fuit oblatus . . . . . Cumque puerorum pædagogus nomine Dominicus bonæ spei adolescens . . . . . .

In ejusdem quippe monasterii suburbio ante hoc fere quinquennium quidam adolescens Thiezo nomine, qui adhuc superest, ea peste percussus quam elephantiam medici vocant, ad extrema venit . . . Sed quamquam lues ipsa eodem anno nimium grassaretur et non minimam stragem populi christiani dedisset. . . . . .

Illud quoque nequaquam in ultimo loco ponendum esse judico, quod in diebus Liutolfi hujus Trevericæ urbis archiepiscopi pius ac misericors mundi redemptor Christus . . . exercere dignatus est. Nam ejusdem monasterii quidam ministerialis subulcum habuit nomine Petrum. . . .

Ante hoc sane quadriennium crevit in eodem monasterio quidam septennis puer nomine Azelinus, qui adhuc incolumis spirat, quem pene fratres nostri omnes noverunt. . . .

Anno vero d. i. 1007, indictione 5, quædam arreptitia femina de contigua monasterii villa . . . adducta est. Cumque sancti Valerii confessoris Christi annua festivitas adesset et ad tantum patronum plebs Treverica certatim properaret. . . . .

Quia vero beati viri miracula quæ a veriloquis nobis comperta sunt relatoribus, quam verius potuimus, aliquanta jam stylo commendavimus, modis omnibus indecens fore censemus, si ea quæ nostra ætate per eumdem patrem Divinitatis velle exercuit, torpenti silentio obtumescant. In sæpedicto quippe beati Eucharii cœnobio quidam singularis indolis adolescens conversatus est Burchardus nomine, qui ab ipsis pene cunabulis Deo omnipotenti nutriendus ibidem a parentibus fuerat delegatus, quique adhuc superest ac diaconi fungitur officio nec non et mira utilitate præ multis honori est monasterio. . . . . abbas monasterii, beatæ videlicet recordationis Gunderadus. . . . .

Hactenus de his egimus quæ domestica et familiari relatione de sancti virtutibus viri comperimus, hoc est de his dumtaxat quæ vel in beati Eucharii septulis vel in ejusdem monasterii appendiciis congruis temporibus contigisse referuntur; jam ordo flagitat necessarius, ut de medioximis atque extimis ad nostram notitiam usque perlata disseramus aliqua. . . . Est namque in eadem Treverica urbe quoddam monasterium situm, quod antiquitus Horrei vocabulum accepit, reginæ cœli consecratum; in quo a tempore orthodoxi regis Dagoberti sanctimoniales semper feminæ Deo consueverant devotius deservire. Illic denique quædam sanctimonialis femina de claro stemmate progenita, cui vocamen erat Henza, non minimæ, ut aiunt, utilitatis extitit. . . . .

Alio quoque tempore in eodem semper virginis Mariæ monasterio quædam sanctimonialis femina extitit, quæ generoso sanguine procreata, haud ultimo in loco ibidem est habita, nomine Geila. . . .

Sed neque hoc silentio præterire fas esse censemus, quod tam recenti memoria in eodem monasterio Divinitatis benigna dignatio per beati Celsi inclita merita ostendere disposuit. Quædam namque magnæ parentelæ nonna ab cunabulis versabatur quæ Glismoda vocabatur. . . .

Hactenus pro parvitate igniculi divinitus mihi collati audita tantum qualicumque dictatu notavi, nunc jam in calce opusculi aliquid libet depromere, quod in me virtus divina per beatum Celsum dignata est ostendere; sed opportunius hoc, ut opinor, recitatur, si semotim proprio capitulo utatur. Nam sicut ad divinæ cumulum laudis aliorum commoda veracissimis gestis inserere magnæ mercedis esse dinoscitur, ita propria reticere non minimæ damnationis creditur. Dominicæ incarnationis anno 1006, qui est ultimus 25 decennovennalis cycli in secunda serie magni anni qui paschalis dicitur, undosum hujus mundi salum Christo gubernante nudus evasi, et ad tutissimum beati Eucharii portum hospitalitatis gratia confugi. Cumque ab ejusdem monasterii patre summæ venerationis viro nomine Richardo germanitus satis essem susceptus et omni monachili devotione tractatus, fratrum me conventui immeritum jussit adunari, nec quasi hospitem jam sed sicut familiarissimum affatus est grativenam. Postquam autem pusillitatem meam monastici ordinis non minimam persensit habere notitiam, cum ex ipsa sui columbina simplicitate, tum et pro annositatis meæ grandævitate sciolum me esse autumans, cum nec primis, ut ita dicam, litteris ad plenum fuissem instructus, paterna mihi persuasit auctoritate, quatenus aliqua in laudibus Redemptoris, de sancti Celsi inclitis virtutibus ac miraculis noviter exhibitis, calamo licet rusticano, scriptitare nullo pacto differrem. Cui sane persuasioni nequaquam refragandum fore ratus, partim tanti patris imperatu, partim communi fratrum compulsus rogatu, nuper in diebus quadragesimæ tantillum studui fabricare. Cumque, ut verum fatear, per tres fuissem continuos annos ita podagræ intricatus tumore atque crurium exulceratione, ut vix baculo sustentari possem, laus Deo! tantisper de sancto Celso quod didici peracto, tam perfecte tanto patrono intercedente restitutus sum, quatenus me Asahelem potius quam claudicantem monachum existimare possis.

DE ABBATIA SANCTI MARTINI

EX VITA SANCTI MAGNERICI AUCTORE EBERWINO

Eberwinus, abbas S. Martini Treverensis, sæculo XI *ineunte S. Magnerici archiepiscopi, qui monasterium cui ipse præerat fundaverat, Vitam, editam ex cod. S. Martini Act. SS. Jul. VI, 183, sive primus scripsit sive novam editionem curavit, ibique de illius sepulcro et de fatis cœnobii hæc in fine addidit:*

Corpus ejus (*Magnerici*) in ecclesia quam diximus (*S. Martini Trevirensi*) est tumulatum; ubi et condigno nunc honore veneratur. Quod cum aliquibus ab altari pedibus esset humatum, nostris temporibus cuidam honesto viro nomine Berengario, ejusdem ecclesiæ monacho, per visionem sanctus sacerdos apparuit et ut sepulchro altarium aptaret præcepit. Quod ille velut somnii deliramenta parvipendens neglexit, sed iterum secunda est vice admonitus, tertia a sacerdote increpatus, reverentissimo domino Roberto episcopo quæ viderat retulit. Tunc episcopus ad ecclesiam veniens et videns quo modo se res haberet, secundum jussionem sancti sacerdotis sepulchro altarium sanctum jussit aptari, et desuper, ut moris est, fastigium componi.

Ecclesia autem illa longo ante tempore cum senio esset lapsa et vastatione Normannica cum ipsa civitate succensa, a Rabbodo Trevirensi episcopo Reginoni abbati (531), religioso cuidam et ecclesiastico viro, est commissa (*an.* 883-917), et ab eo in pristinum statum reparata; et sicut in antiquissimis ecclesiæ cujusdam privilegiis reperimus, locus ille semper sub abbatibus erat, quia ibi, ut in aliis præcipuis urbis ecclesiis, statio sedes et domus erat pontificis, et ex traditione beati Magnerici abbates illius loci pontificalibus infulis utebantur et vices pontificis ad divinum officium tantum illo absente exsequebantur.

Defuncto autem Reginone abbate, laicis est in beneficium data, et primum Bertoaldo, fratri Rotgeri episcopi, deinde aliis atque aliis abbatiola illa divisa. Sicque post hæc tempore Alberti (532) ducis sive Conradi, cum sæpe maxima esset regnorum turbatio atque seditio, ab invasoribus sanctæ ecclesiæ episcopium omne ita prædatum est, ut nihil infra et extra civitatem esset quod non sibi maligni invasores vendicarent sive diriperent [3866]. Nullus tunc in sacerdotem Dei erat respectus, nulla ecclesiæ A reverentia, ubique rapinæ, ubique incendia; mœnia destruebantur, ecclesiæ violabantur. Tunc quoque et ipse locus ab inimicis Dei velut a rabidis canibus et lupis invasus, ita destructus est, ut præter parietes ecclesiæ, non dicam ædificia, sed nec ipsa remanerent fundamentorum indicia. Ecclesia quoque eadem detecta atque deserta bestiis nonnumquam erat pervia.

Unde tandem miseratione summa ductus venerabilis Theodericus episcopus (533) cum jam suo tempore locum regia auctoritate recuperasset (534), cuidam religioso abbati Angilberto, servo Dei, ad regendum tradidit, concessis ei nonnullis quæ ad eundem locum pertinent possessionibus, scilicet ut B regularem ibi vitam instituendo monachorum deinceps esset commoratio, nec jam in beneficium concederetur, ut hac quasi occasione locus periclitaretur, sed Deo sanctisque ejus serviens, episcopi, non tyrannorum dominio subderetur. Qui videlicet abbas monasterialem ibi habitationem faciens, modicam quidem sed honestam Deo servientium monachorum illic adunavit congregationem, ejusque industriæ bonisque studiis episcopus congaudens, cum Romam pergeret, testamentum inde apostolicum (535) detulit, per quod locus ille nuper restauratus privilegio præfatæ traditionis subnixus sua deinceps firmitate maneret, monachisque concessus episcopi non alterius potestati pareret, ipsique monachi regulariter vivendo secundum constitutionem C sancti Benedicti electionem quoque haberent. Sicque locum apostolica præceptione munitum cum per aliquod tempus prædictus vir gubernasset, ab hac luce feliciter discessit.

Post quem eandem cellam, annuente episcopo cum fratrum electione, nos qui hæc scribimus, licet indigni, regendam suscepimus, et usque nunc prout possumus in vinea Domini, servi quamvis inutiles, laboramus. . . . .

VARIÆ LECTIONES.

[3866] deriperent *ed.*

NOTÆ.

(531) Cum Browero Annal. Treverens. I, p. 440 et I Boschio Act. SS. l. l., p. 175 putarim, Reginonem Prumiensem esse intelligendum, qui Prumia expulsus Treveri vixit, ibique Ratbodi jussu libros De disciplina ecclesiastica scripsit.

(532) Fortasse idem quem Sigehardus Mirac. S. Maximini c. 16, SS. IV, 233 nominat; neque tamen hic dux fuit. Conradus gener Ottonis I intelligi videtur. Nam de præliis Conradi et Adalberti s. x. inc. vix sermo esse potest.

(533) A. 964-975.

(534) Cf. Ottonis II diploma ap. Hontheim Hist. I, 310.

(535) Benedicti VII. Editum est Act SS. l. l., p. 176 et Hontheim Hist. 1, p. 316, ibique Vita Magnerici affertur (*ut in ipsius Vita legitur*). Certe alia intelligenda est quam hæc ab Eberwino post Theoderici et Benedicti papæ tempore scripta, nisi dicere velis, Vitæ antiquiori hæc tantum de S. Martini monasterio postea ab Eberwino addita esse. Cf. supra.

EX MIRACULIS SANCTI SYMEONIS

AUCTORE EBERWINO.

Eberwino abbati, qui cum Richardo Virdunense abbate, ex terra sancta redux, Symeonem monachum comitatus erat, eumdem postea in monasterio suo exceperat et usque ad mortem familiaritate ipsi junctus erat, Poppo archiepiscopus vitam sancti ut videbatur hominis scribendam injunxit. Quod munus ille modesto animo suscepit et ita executus est, ut breviter simpliciter que narraret quæ ab ipso audierat vel præsens viderat. Vitæ nonnulla post mortem facta miracula adjecit, totumque opus Popponi inscripsit hac epistola præmissa :

Domino et venerabili Popponi archiepiscopo frater Eberwinus, abbatis nomine indignus, devotus utriusque hominis famulatus. Mones immo jubes, sanctissime pater, ut impar ingenio, stultus eloquio, aliquid de vita et conversatione et obitu viri Dei Symeonis et de miraculis quæ per eum Dominus operatus est edisseram multisque ad laudem et gloriam Domini desiderantibus scire notum faciam. Fateor grande onus mihi infirmo imponis, maxime cum toto corpore debilis tremendum Dei judicium pertimescam, si aliquid falsitatis confingam. Confisus igitur de Dei adjutorio, tuis jussionibus quamvis tremens obtempero; plano brevi et simplici sermone describens quæ vel ipse ex ejus ore audivi vel a fidelibus viris ab ipso audita sive de miraculis visa didici. Tui igitur examinis est judicare, si istud tantillum opus jubeas in publicum venire, sive tuis scolasticis ad corrigendum exornandum dilatandumve tribuere. Quidquid enim in me reprehendetur, tibi potius præcipienti quam mihi obedienti necessario imputabitur.

Vita hæc, quæ in multis exstat codicibus, quorum et ipse plures vidi neque tamen exscripsi, edita est Act. SS. Jun. I, p. 89, Mabillon. Act. ord. S. Benedicti VI, p. 372. Quædam excerpta exhibet Hontheim Prodr. I, p. 665.

Symeonem ex monasterio montis Sinai in occidentem missum ut pecunias a Richardo Nortmannorum duce promissas colligeret, Antiochiæ Eberwinus invenit qui ita narrat :

Ea igitur tempestate contingit Richardum abbatem, virum perfectis viris imitabilem, piæ devotionis gratia sancta Hierosolymæ velle invisere loca. Dum ergo per Antiochiam iter habuissemus ibique necessitate itineris cogente aliquamdiu moraremur, famulus Dei Symeon junctus est nobis in amicitia, prædictum abbatem Richardum adoptans sibi in patrem; cui cum exposuisset per ordinem quæ sibi injuncta essent vel quæ contigissent, addidit, nullis periculis vel angustiis se retineri posse quin abbatis sui mandata impleret pro posse. Imus ergo et redimus, eumque nobiscum venire paratum invenimus. Cumque in comitatu nostro esset frequenter injuriatus atque flagellatus, quasi mitissima ovis patienter portavit. Pervenientes itaque usque ad civitatem Bellegradam, quæ est in confinio Bulgariorum atque Ungariorum, a civitatis infelicissimo principe prohibitus est nobiscum transire. Igitur flens et Deo gratias agens, reliquit nos tristes atque flentes. Post [3867] multas denique angustias et latronum insidias revertitur usque ad mare; quo transacto prosperumque iter faciens, per Romam pervenit in Franciam. A quodam igitur sibi noto comite Wilhelmo benigne suscipitur et apud eum aliquamdiu moratur. . . . . venit Rothomagum, quæ est civitas Nortmannorum nobilissima, sancti Audoeni confessoris corpore et meritis valde præclara. Ubi cum Richardum comitem jam mortuum reperisset et de pecunia et censu, qui de terra illius pro elemosina suo monasterio debebatur, nullus sibi responsa daret, mœstificatus aliquantulum. . . quid ageret quærit consilium. Occurrit autem animo, ut suum carissimum patrem, Richardum scilicet abbatem, nosque suos comites inviseret; quod et fecit. Per longum autem tempus moratus est nobiscum, et ut breviter [3868] concludam, quamdiu apud nos mansit, irreprehensibiliter vixit.

Interea dominus Poppo archiepiscopus, sanctæ Trevirensis ecclesiæ strenuus provisor, audiens devote prophetam de Christo dicentem : *Et erit sepulcrum ejus gloriosum* (*Isai.* II, 10), gratia orationis Hierosolimam ivit, hunc que famulum Dei eundo et redeundo secum comitatorem ac conviatorem habuit; eique post reditum in suo episcopatu quocumque vellet manendi facultatem obtulit et libentissime concessit. Ex revelatione igitur Dei prospectans sibi locum Symeon famulus Christi, ubi solus posset vacare orationi, in turri quæ antea Nigra porta vocabatur, parvum tugurium expetiit; ubi domnus præsul Poppo, præsente clero et populo, in festivitate sancti Andreæ illum reclusit. . . . . .

Tunc siquidem temporis, peccatis nostris promerentibus, nimia aquarum inundantia increvit sæculis. Causa periculi hujus Symeon imputabatur ab omnibus, hunc maleficum esse, pro suis sceleribus hoc malum mundo imminere; ut deponatur a pontifice, populus acclamat quotidie. Ex urbe tandem occursus agitur, ad cellulam viri Dei properatur; saxa in altum projiciunt, tugurii fenestras obruunt, Symeonem lapidare contendunt. Vidimus

VARIÆ LECTIONES.

[3867] Per *ed.* [3868] leviter *ed.*

fatcor fenestram fractam; sed athleta Christi Symeon, fundatus supra firmam petram immobilis persistebat, atque Deo gratias reddens pro persecutoribus gaudens orabat. . . . . .

Interea volventibus annis vir Deo Symeon resolutionem sui prævidit corporis (*an.* 1035). Denique domnum episcopum rogat ut expensas et operarios qui sibi lectum componant mittat, ipse in parte sui diversorii locum sepulturæ parat: *Hæc*, inquiens, *requies mea in sæculum sæculi. Hic expectabo diem Domini; hic habitabo quoniam elegi eam.* Paucis postmodum transactis diebus ipsum ego humilis adii vocatus, et qui pedum illius osculo eram indignus, in cellulam ab eo sum intromissus. Post orationem, amplexus, oscula et fletus consedimus. . . . . . Interpositis ergo centum et quinque diebus, in octavis pentecostes (536) infirmatus, Stephano, qui ei serviebat, injungit, ut sibi per aliquot dies requiem daret, quatenus plus solito contemplationi vacare posset. Ille unum diem expectat. In tertia feria ad vesperam signum facit, corbem cum pane ad fenestram suspendit. Mane facto sicut dimiserat intactum reperit multumque anxius ad eum ascendit. Interrogatus hoc solum respondit: *Quid vis? vade in pace.* Ille timens, Gozeloni clerico, qui viro Dei satis familiaris extitit, per ordinem pandit, quia domnus Symeon valde infirmaretur nec sibi sicut solitus erat loqueretur. Clericus in quinta feria illum visitat. Famulus Dei nullum responsum dat sed tamen de manu ejus potum suscipit seque in lectum suum recolligit. In die octava dum revisit illum valde diluculo, in extremis reperit mihique notum facit. Concitus cucurri. Infirmus toto corpore et maxime debilis pedum invalitudine, quasi sanus ascendi sine dolore. Reperi adhuc viventem et jam ultimum spiritum trahentem. Exequias quæ pro absolutione animæ debebantur cum solis duobus fratribus, Anselmo scilicet et Roberto, qui mecum advenerant, prout potuimus expendimus. Sicque anno dominicæ incarnationis 1035, animam sanctam, hora tertia dominicæ diei in Kalendis Junii, benignissimo cui semper servierat reddidit Creatori.

Subito fit concursus omnium. Monachi, clerici, Deo sacratæ virgines, vulgus promiscui sexus et quicumque audire poterant ad tanti viri funus properabant. Ideo sicut ipse disposuerat immo prælixerat, corpusculum more suæ patriæ componimus et cum psalmis et laudibus Dei in sepulcro collocamus. Quod apertum dimittentes, qui vigiliis et obsequiis deservirent deputamus. In crastino tota civitas quasi vir unus congregatur; interior domus ornamentis ecclesiasticis decoratur. Dum ergo exequiæ communiter celebrantur. . . . . visum est omnibus, ut illud tanti viri corpus non negligeretur sed a clericis per proximos triginta dies deputatis vicissim custodiretur. Igitur post horam nonam sepulcrum diligenter clauditur, cumque clerici vice sua in cellula ubi humatum erat corpus viri Dei, psalmos caneret, unus. . . . . .

In tricesima itaque obitus viri Dei Symeonis die multus populus cum cereis et aliis donis ad sepulcrum cœpit confluere. Quædam ergo anus. . . . . Ex tunc sepulcrum viri Dei a populo frequentatur ac veneratur. Cum ergo commodus ascensus in ædificio turris pararetur, quoddam lignum a multis trahebatur, et cum jam in altitudinem elevaretur, rupto fune cœpit multitudini quæ convenerat et subtus stabat mortem minari. . . . . .

Hic quoque [3869] miracula libet inserere quæ iidem ipsi qui sanati sunt testificantur in ejus vita contigisse. Cum per longum tempus quædem femina Cæcilia dicta. . . . . Dictum est a quodam Gozelone clerico. . . . . Quidam puerulus nomine Bezelinus. . . . . Quædam mulier de Mettensi pago progenita. . . . . Alius. . cujusdam Adelardi presbyteri puerulus. . . . .

In alia Dominica die quædam mulier de villa fratrum quæ vocatur Mandiricium (537)..... subito parentes illius mulieris et ministeriales de villa adveniunt..... Quidam Adalmannus presbyter civis Treverensis iter faciens..... Quædam mulier de pago Treverensi..... Quidam servus palatini comitis habuit ancillam..... Quidam miles nomine Bertramnus quandam in servitio habuit ancillam.....

In Kalendis Novembribus cum placuisset domno episcopo in ædificio turris, ubi corpus viri Dei sepultum erat, unum altare in honore omnium sanctorum consecrare, multus undique populus cœpit confluere. Dum ergo fit apparatus et domnus præsul expectatur.....

Quidam rusticus Godefridus nomine.....

Ea tempestate cum Trevirorum civitas tantis polleret miraculis..... Forte erat apud nos de Alemannia monachus, non mediocriter liberalibus institutus disciplinis.....

EX VITA SANCTI AGRITII.

Hanc sancti Agritii Vitam, quæ inter pretiosa historiæ Treverensis monumenta referri debet, medio sæculo XI *esse compositam, supra exposui. Pleraque quæ hic narrantur ad antiquiora tempora pertinent, ex quibus ea in notis infra exhibui quæ ad Gestorum narrationem illustrandum facere videbantur. Nunc unum addam locum, quo res narrat sæculo* X *vel* XI *ineunte gestas, editionem secutus quam ex codice S. Maximini Bollandus curavit* (Act. SS. *Jan. I, p.* 773).

VARIÆ LECTIONES.

[3869] Quo *ed.*

NOTÆ.

(536) I. e. Maii 25.

(537) Fortasse Manderen, 4 leucas ab urbe versus euro-africum. HENSCHEN.

Ceterum quod alias quoque Domini reliquias, non minus quam clavum ipsum venerandas, portaret, et privilegium prælictum testatur (538), et ecclesia in urbe Treverica in honore principis apostolorum ab ipso dedicata pro ipsis in sui thesauri gazophylacio servatis in Domino gloriatur. Quibus quam stupenda reverentiæ magnitudo debeatur, patenter ut æstimo declaratur, si unum quod suæ sanctitatis dederunt indicium ad memoriam revocetur. Verissima namque majorum relatione didicimus, quid quidam religiosus multum, ejusdem metropolis episcopus, dum diversas hominum æstimationes de istis Domini reliquiis audiret, dicentibus aliis tunicam Domini esse inconsutilem, aliis autem purpuream vestem qua erat tempore passionis indutus, quibusdam vero putantibus illud pignus amoris caligas esse mundi Salvatoris, dum has inquam opiniones veritatis exquisitione plurimum desideraret dissolvere : communicato tam populi quam cleri nec non ordinis monachici consilio, triduanum per totam civitatem indixit jejunium, rogans omnes humiliter, quatenus a Deo peterent unanimiter, ut per suam pacem et licentiam alicui ex ipsis tanti sacramenti concederet intuentiam. Peracto igitur jejunio, clerus et populus convocantur in domum sancti Petri, quæ hujus est conservatrix thesauri, ubi unus de tota multitudine præcipuæ religionis et devotionis monachus electus, occultum Domini visurus et præsuli manifestaturus, arcam in quam beatus Agricius hunc reposuerat thesaurum reseravit. Sed mox ut opertorium introspecturus levavit, occultum Dei judicium, contra quod nullum est consilium, visum ei clausit oculorum. Unde factum est ut omnes qui prudentioris consilii et acrioris apud ipsos erant ingenii per inductam tanto viro cæcitatem in hoc Dei judicarent esse voluntatem, ut numquam ad hoc contuendum peccator admitteretur, cujus aspectus nec justo concederetur. Post illius itaque horæ transitionem nemo attemptavit hujus arcæ apertionem.....

Unum tamen quod dedit idem clavus Domini suæ pretiositatis insigne silentio nolumus præterire. Nam cum frater imperatoris Ottonis I — tres enim fuerunt — Bruno vocatus, meliores Lotharingiæ episcopatus, Treverensem (539) scilicet et Coloniensem, nec non maximam regni hujus partem in sua haberet potestate, non bono ut patet spiritu instinctus, hunc ipsum de quo loquimur festivæ memoriæ ac salutis nostræ clavum, quo nescitur, transferre clam, ne dicam furtim, volebat. Corrupto siquidem hujus dominici thesauri custode, alium huic tam simillimum fecit parari, ut vix aut minime verus, a falso per aliquam ambos intuentium diligentiam valeat separari. Hunc ergo dum pretio ductus custos de manu episcopi prænominati suscepisset, dumque opportunum nefando furto tempus se invenisse putaret, machinatum diu dolum tandem perficere frustra conatur. Transposito namque hoc adulterino clavo in venerabilissimi dominici clavi sacello, ipsum pretiosum nostræ redemptionis testamentum in syndonem mundam diligenter convolvit; quo in sinu suo collocato, adire parat dominum suum calle citato. Sed ut aperte intelligi daretur, quam speciali amoris privilegio Trevericam ecclesiam per beatum Agricium sponsatam Christo amplecteretur, miraculum in primis Domini miraculis mento ferendum ac toti mundo stupendum in ipso redemptionis nostræ clavo a Domino exhibetur. Dum enim custos ille perfidissimus tam quam transfuga vilissimus, pretio iniquitatis corruptus, terga fidei dedisset ejusque pretiosam arrham de gremio sponsæ Trevericæ asportare pararet, mira res! sanguis non modicus de clavo ipso in syndonem profusus, item inde in sinum camisiæ tam multus manavit, ut omnia illius miserrimi portitoris sui viscera pavore frigescerent. Qua de re confusus, et reatum suum et episcopi publice confiteri coactus, facto mox omnium conventu, quos diuturnus campanarum sonitus tantique miraculi rumor insolitus nec auditus a seculo poterat avocare, statuto in medio eodem fure nefando, extenso coram omnibus sanguinolento panno ipsoque fusore hujus sanguinis sacratissimo clavo, una vox omnium laudantium elevatur. Quæ cum repetita sæpius iteratione diu multumque fuisset frequentata, communi omnium qui ibi aderant consilio prudentiorum, competens tam præcipuo sacrilegio pœnitentiæ sententia in illum miserum, ne dicam custodem, est dictata. Dies quoque ipsa in qua hæc miserationum Dei nobiscum sunt divinitus celebrata, in martyrologiis statim est notata, 12 videlicet Kal. Julii. Huic autem inaudito licet Domini miraculo si quis, quod absit, aurem credulitatis dubitat præbere, potest adhuc et eundem sanguinis notas habentem pannum et eundem adulterinum clavum in domo sancti Petri, si permittitur, videre.

Illud etiam festivitatis præcelsæ præconium de hoc verissimo infirmitatis nostræ remedio, quamvis a teste nequissimo salutis nostræ hoste per os mulieris ab ipso possessæ suscepimus, silendum esse non putamus. Nam mulier quædam nomine Winiberga de civitate oriunda quæ vulgo Reginsburch vocatur.....

NOTÆ.

(538) De diplomate a Silvestro papa, ut dicebatur, dato loquitur; vid. supra.

(539) Brunonem non episcopatum quidem Treverensem tenuisse, sed summa in toto Lotharingiæ regno præditum fuisse potestate, satis constat. Similem narrationem alii de Theoderico Metensi tradunt; v. supra Gest. addit. c. 5.

VITA ET PASSIO CONRADI ARCHIEPISCOPI AUCTORE THEODERICO.

Vitam Conradi, qui a. 1066 *archiepiscopus Treverensis a rege Heinrico quarto promotus, sed a Treverensibus antequam urbem ingrederetur occisus est, monachus scripsit Theolegiensis, Theodericus nomine. Corpus enim viri mox inter martyres Ecclesiæ relati Theodericus episcopus Virdunensis in Theolegiense monasterium (Tholey) transferendum curavit, ubi postea miracula ad sepulcrum ejus facta dicebantur. Hæc et ipsa passionis series ne hominum memoria intercideret abbas et fratres monasterii cavere voluerunt; quorum jussu* (540) *Theodericus ea scripsit, nec non Conradi Vitam paucis exponere suum esse duxit. Sed de hac nihil certi compertum habuit ideoque pauca tantum eaque leviora calamo tradidit. Ipse enim peregrinus* (541) *post a.* 1066 *demum Theolegiense monasterium ingressus esse videtur* (542), *ibique post a.* 1073 (543) *hoc suscepit opus, fratrum relatione quidem adjutus* (544), *sed accuratiore rerum notitia, imo linguæ Germanicæ cognitione* (545) *destitutus. Sermone utitur initio præsertim tumidiore, Scripturæ sacræ locis nimis exornato, miracula vero quæ ipse viderat simplicius exponit. Theodericum episcopum, cui librum inscripsit, laudibus extollit, sed in Gregorium VII papam, quem ille inimicum habuit* (546), *valde hostili animo præditus est* (547). *Nihilominus medio ævo plures rerum scriptores hunc secuti sunt auctorem, non solum Sigebertus Gemblacensis* (548), *et ipse Gregorio infensus, sed etiam alter Gestorum Treverensium scriptor* (549) *ecclesiasticæ parti addictus.*

Vitæ edendæ fuerunt subsidia :

1) *Codex Treverensis N.* 1384 (*CXVI*), *mbr. 4, olim S. Martini, pluribus constat partibus, ubi tertio loco etiam hæc Vita integra et diligenter s.* XIII *scripta legitur* (550).

1ª) *Codex Vindobonensis N.* 541 (*Hist. eccl.* III) *s.* XII—XIII. 4. *eandem Vitam continet f.* 1—4, *una cum miraculis f.* 5 *sqq. Hæc tantum V. Cl. Chmel enotavit.*

1ᵇ) *Codex S. Maximini Treverensis, ab Henschenio laudatus, his similis fuit, sed prologo caruit.*

2) *Codex Parisiensis Suppl. Lat. N.* 870, *fol. min., f.* 78' — 81'. *hanc Vitam sine prologo manu s.* XIII *scriptam continet* (*v. Archiv. VIII, p.* 311).

3) *Henschenius primus Theoderici opus edidit* (*Act. SS. Jun. I, p.* 127), *ex pervetusto ut dicit codice, ipsi donato* (3ª.), *qui vero prologum omiserat, genuinum textum non uno loco mutaverat et ultimam præsertim partem multis interpolationibus auxerat. Vidit editor etiam codicem S. Maximini et alterum a Wilthemio descriptum, qui nunc Bruxellis asservatur* (*Arch. VIII, p.* 503), *nec non compendium quod subministravit codex Carthusiæ Coloniensis. Ex hac editione Hontheimius sumpsit quæ in scriptorum Treverensium collectionem recepit* (*Prodr. I, p.* 670).

Summa [3870] cum veneratione excolendo Domini exercituum angelo [3871] Deoderico, advena ejusdem nominis, minimus cuculligeri agminis, inestimabiles divicias Dei gloriæ supereminentis. Sit benedictum nomen Domini altissimi, cujus vos, o presulum decus, juramento impœnitenti æternaliter decore æterni estis decoratus sacerdotii, non impar utique Melchisedech Dei filio assimilati, immo consimilis eique coæqualis secundum ordinem pontificalis officii. Quia enim semper decorem dilexisti domus Domini, non inmerito effici meruistis sacrarium Spiritus sancti; cujus unctio docet vos de [3872] omnibus, qualiter sublimibus se æquiperare et infimis vestra sublimitas norit condescendere. Inde est, pater sanctissime, quod opprobrium ego hominum et abjectio plebis ausum sumpsi vestræ innotesci [3873] celsitudini, et insulsum hoc et agreste vulmentum a sale vestræ nulli modernorum compa- A rabili scientiæ offerre condiri, et ab auctoritate, si placet, roborari, si displicet, cassari. In quantum unum cum Deo estis, sapientia nobis et justicia ab ipso factus estis. Sapientia, ut insipientiam corrigatis; justicia, ut æqua lance [3874] justa et injusta pensetis; ut ait philosophus Plato, beatas res publicas fore, si has vel studiosi regerent sapientiæ, vel earum rectores studere contigisset sapientiæ; qualium vos unum non adulatio, cui nescimus deservire, sed ipsa fateri docet veritas, quam nostri est ordinis corde et ore proferre. Inter hos, qui pro posse suo diversas in tabernaculo Dei offerunt species munerum, non vacua manu apparere [3875] conatus sum. Arbitratus etiam vobis [3876] præstare obsequium, si non diucius paterer obliteratum, B illius Mantuani comici [3877] stilo dignum, martyrem vestrum. Vestrum, inquam, vestrum, quia omnis gloriæ, quam habet in terris, vos Dei cooperator

VARIÆ LECTIONES.

[3870] Cum summa 3. *Præfatio deest* 1ᵇ. 2. 3ª. [3871] angelorum 3. [3872] præ 3. [3873] ignotesci 1. [3874] equilance 1. [3875] aparere 1. [3876] nobis 1. [3877] concini 3.

NOTÆ.

(540) *Aboatis fratrumque constrictus imperio*, præf.

(541) Advenam se bis dicit præf.

(542) *Cum me noviter desolatum est destitutum — in sui dignati sunt collegium aggregare*, præf. De Sancti passione et translatione nusquam ita loquitur, ut hæc ipse vidisse dicendus sit.

(543) C. 4, 8. Ante a. 1090, quo Theodericus episcopus obiit. Cf. c. 8, ubi Folcardus miles vivus dicitur.

(544) C. 1. 7.

(545) Præf. in.

(546) Cf. Gesta Trever. addit. c. 11 sqq. et Laurentii Leod. Gesta epp. Virdun.

(547) C. 4.

(548) Cf. Hirsch de Sigeberto p. 113, qui hac de re dubitavit, et Bethmann SS. VI, p. 361, n. 36.

(549) C. 9.

(550) Initio voluminis Conradi et Simeonis imagines habentur, illa hac inscriptione notata :

Ter stetit is sanus de montis vertice trusus,
Jungitur acceptus et sanctis ense peremptus.

catis, vestræque ascribitur caritati, quod saltim sedem habet sepulcri in episcopatu [3878] olim commisso sibi. Egi [3879] hoc non aliquo supercilio, sed abbatis [3880] et fratrum constrictus imperio; quibus etiam ultra vires debitor sum in omnibus parere, cum me noviter desolatum et destitutum pro Christi nomine et respectu regulæ in sui dignati sunt collegium aggregare. Igitur, o et præsidium et dulce decus nostrum (Hor. *Carm.* I, 1, 2½,) — qui et in katalogo sanctæ Virdunensis ecclesiæ pontificum per decalogi observantiam et angelicam in terris vitam in æternæ quietis et libertatis filiorum Dei jubileo divinæ remunerationis denarium et ultimo die bravium octo suspiratis beatitudinum —, hoc munusculum spirituale vestri advenæ æquivoci gratanter suscipite; et quia in mystico rationali pectoris vestri mirifice fulget doctrina et veritas, secundum datam vobis a Deo sapientiam spiritualia spiritualibus comparando discutite, et ubi quantis vigiliis et sudore hoc nobis constiterit perpenderitis, si non est obliterandum, superflua recidite, hiantia supplete, minus lucentia clarificate, incompta comite; ac si magis hoc idoneum judicatis tineas quam mentes pascere, aliud tantæ sanctitatis viri [3881] meritis condignum opus dignemini procudere; quia non magnopere super insumpto inani labore dolemus, si sub tam justo et incorrupto judice causam perdimus, si pretiosa pro vilibus, si pro cocti lateris munere mundum aurum recipimus.

Merito omnium sententia reprehensibilis judicatur, cujus inertia non habetur, quod habitum honori et utilitati prodesset plurimorum. Unde et nequam servus ille divino [3882] examine dominica gratia privatus [3883], qui talentum sibi commissum maluit terra occultare, quam eo ad lucrum dato tum conservis prodesse, tum dominicis usibus deservire. At nos cum habeamus in promtu inde torpendo similiter iram, unde rursus operando mereri valeamus gratiam; si ille dignetur adesse, sine quo nichil possumus facere, a quo est omnis sapientia et omne donum perfectum, qui disertas fecit linguas infantium et cum voluit animal brutum fecit facundum; si, inquam, ille apertum os nostrum dignetur implere, et suum, qui ubi vult et quando vult spirat, Spiritum cordi nostro inspirare: optamus non pigrum servum male ociando imitari, sed pocius aliquantulum nos exercitando cum æmulari, qui dupplicatum in negocio talentum suo [3884] domino retulit et bonum gradum adquisivit et majora adipisci promeruit. Ad hoc etiam sapientissimus ecclesiastes, omnium saluti consulens, quasi uni loquens, in uno omnes hortatur dicens: « Quodcumque valet manus tua agere, instanter operare, quia nec opus nec ratio nec scientia erit apud inferos, quo tu properas (*Ec.* IX, 10). » Quo ne umquam nos contingat properare, beati Cuonradi patroni nostri succurramur interventione; ad cujus laudem et honorem posteris laboramus mittere, qualiter martyrii passione coronavit eum Dominus gloria et honore; ubi lector cupidus novorum non requirat faleras verborum, quia vulgari et aperto sermone ex industria quæ scribimus studuimus reddere lucida et aperta; interdum et — quod non erubescimus fateri — interveniente inperitia, consimilibus nobis idiotis condescendit latinitas inculta et inpolita. Sed de nominis ejus varietate primo congruum videtur multis dissidentibus satisfacere, si non et ipsi teneremur eadem scrupuli dubietate (551). Alii enim eum Cuonrandum nominant, alii, et præcipue sui patriotæ et consanguinei, Cuononem appellant, alii utriusque nominis quasi binomium fuisse autumant. Nos vero diversorum opinioni cedentes Deique illud noticiæ relinquentes, dum cujuscumque sit nominis non diffidimus scriptum in cœlis, tandem in nomine Domini aggrediamur textum narrationis.

INCIPIT VITA ET PASSIO.

1. Beatus martyr Cuonradus [3885], ex nobili prosapia oriundus extitit, ex Suevia oppido [3886] Pulinga (552), patre Eilolfo [3887], matre Hazzecha [3888]. Qui cum essent secundum seculi dignitatem non infimi, rebus et divitiis opulenti et amplissimis prædiis dilatati, in hoc dabatur intelligi, quod hic eorum filius vas dilectionis [3889] esset futurus, quia non ad ipsa sæcularia, quæ licet temporaliter, tamen libere, utpote tantorum patrimoniorum heres, uti potuisset, sed ad ecclesiastica divina prædestinatione deputatus est; tamquam ipsis parentibus ejus a Domino discerctur: *Ego sum pars hereditatis ejus* (*Psal.* XV. 5). Itaque datur [3890] sanctæ litterarum doctrinæ prima ætas illa; quo plus crepitantibus sub ferulis flebat, eo amplius de die in diem ibat de virtute in virtutem [3891], visurus quandoque [3892] Deum deorum in Syon cælestem. Cujus etiam mensuræ philosofia mater se aliquando cohibebat, hunc- que suis laribus obversantem [3893] lacte et alimentis usque ad virilis animi robur enutrire gestiebat. Quem Dei gratia ita redidit sapientem, ut de his minime esset de quibus dicitur: *Ubi scriba, ubi*

VARIÆ LECTIONES.

[3878] epischopatu 1. [3879] Ego h. n. a. s. sectabor, sed 3. [3880] a. et *desunt* 3. [3881] *hæc in* 3. *mire corrupta sunt*: caute sectantes vestris. [3882] divine *corr.* divino 1. [3883] privatus 1. [3884] cum. 1. [3885] conradus 2. 3. qui et cuno *addit* 3. [3886] opido 1. [3887] eibolfo 2. eylolfo 3. [3888] exizecha 2. azecha 3. [3889] electionis 2. [3890] datus 1. a genitoribus *add.* 3. [3891] cum processu ætatis ad incrementum probitatis *add.* 3. [3892] qm 2. *deest* 3. [3893] observantem 2.

NOTÆ.

(551) Auctorem peregrinum hæc aperte demonstrant.

(552) Pfullingen; cf. Stalin Hist. Wirtemb. I, p. 566.

sapiens, ubi conquisitor hujus seculi? nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? (*I Cor.* I, 20.) sed ex his quos docet apostolus, dicens : *Volo vos sapientes quidem esse in bono, simplices autem* [3894] *in malo* (*Rom.* XVI, 19). Inde bivium Pytagoræ ingressus, sinistrum ramum cavens, dextro incedens; cum matura ætate potitus sui juris esset effectus, quare natale solum reliquerit, qualiterque metropolim Germaniæ Coloniam Aggripinam expetierit, sicut a diversis diversa comperimus, diversa referre censuimus. Ferunt quidam, quod studio majoris exercitii, ut illa minor assolet ætas, apud eandem urbem peregrinari voluerit; quidam, quod amore beati Annonis ejusdem sedis antistitis, qui affinitate et [3895] propinquitate sibi proximus putatur, illo advenerit; quidam, quod isdem antistes tempore suscepti honoris secum hunc advexerit; nam et ipse Suevus erat natione. Quid tamen horum verius sit, ipse melius novit qui eum præscivit et prædestinavit conformem fieri passionis filii sui; et quem prædestinavit, vocavit; et quem vocavit, justificavit et [3896], ut hodie cunctis liquet, magnificavit. Unde nulla inest dubietas cordibus nostris, quin, qualiscumque fuerit causa a patria digressionis, portenderet auspicium beatæ passionis. Et quis diffidat huic a Domino, etsi non aperte, dictum tamen in cor missum illud : *Exi de terra et de cognatione tua, et veni in terram quam monstravero tibi, et benedicens benedicam tibi* (*Gen.* XII, 2). Ipsam utique terram sibi omnipotens Deus monstravit, in qua et non parum gratiæ ei dedit, sicut laus testatur quæ nunc in fine canitur. Nam prædictus præsul sanctissimus Anno — cujus laudabilia opera etsi quorumdam invidorum siluerit lingua, multa tamen lapidum clamabunt ædificia [3897], quibus ædificavit et ædificata auxit episcopii [3898] sui monasteria — beatum hunc advenam ipse advena, sed exaltatus Dei dextera, benigne collegit, humane tractavit, et cum libuit et dignum judicavit, majori gradu evectum et assumptum extulit, propius stare jubens ordine proximo, honoreque presbyterii sublimatum, secundo loco post se statutum, majorem præpositum majoris domus suæ sedis, hoc est Sancti Petri, collocavit. Prima hæc cura credita est sibi, quamquam strennue et idonee in conspectu Dei et hominum administraverit, tot testes adhuc existunt, quot eum nosse potuerunt.

2 [3899]. Sub eodem tempore quartus Heinricus [3900], patris æquivocus, teneris sub annis, noviter patre augusto de medio facto, strennue in sceptris agebat; quem sæpedictus pontifex sanctus Anno, veluti vir tocius prudentiæ et aulicæ nutrituræ, rogatus ab augusta vidua matre (553), educandum susceperat; huncque liberalibus litterarum studiis traditum, in divinis et humanis imbuebat, utque [3901] regiam prolem decebat, decenter educabat. Cujus occasione magisterii aliquando et regni negotia procurabat, et ubi res exigebat, discipulo manum consilii porrigebat; quantoque illud quod scriptum est : *Ad magistrum respicit, quidquid a discipulo delinquitur*, metuebat, tanto, ne quid sinistrum, quod sibi esset imputandum, rei publicæ eveniret, cavebat; recolensque illius Salomoniaci [3902] : *Diligite justiciam qui judicatis terram* (*Sap.* I, 1), recto legum moderamine frenos nobilium urbium juvabat regere, jus civile bonis reddere, reos terrere, sua quique recte dispensare. Quapropter rectos et sapientes quosque ad regimen ecclesiarum provehi suadebat, quia scriptum sciebat * : *Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum* (*Sap.* VI, 16). Inde est, quod cum, ut [3903] sibi visum est, rei utilitas ita poposcisset et urbs Treverica suo pastore viduata esset (554), memoratum virum Cuonradum, quem quidem ad hoc aptum noverat et idoneum, censuit subrogandum. Et licet inscrutabili Divinitatis archano talis viri Dei promotio sui martyrii esset occasio, tamen nulli dubium, quin si, ut dicitur, hunc desideravit episcopatum, desideravit opus bonum; quia hoc esse moribus affectabat, quod esse debere ipsum nomen [3904] indicat. Itaque sæpedicti præsulis sui instinctu et consilio, martyr Christi, ante futurus quam episcopus, adductus in medio et dignus acclamatus, suscepit a manu regia pontificatus [3905] insignia, scilicet pastoralem [3906] baculum et sponsalem ecclesiæ anulum, interim dum sacri crismatis unctione ordinaretur sponsus ecclesiæ. Nec mora, commissus ipsius regis legatario, venerabili scilicet Spirensis urbis episcopo Eilardo [3907], sedi commissæ, id est urbi Trevericæ, dirigitur. Quæ licet sanctissimis et nusquam terrarum majoribus episcopis dudum a Deo fuerit insignita, ut non immerito secunda diceretur Roma, suis tamen peccatis exigentibus, indignam fuisse his ultimis temporibus tali pontifice credimus; quod et rei probat eventus. Nam audito ejus adventu [3908], unde infelix in hac parte in melius proficere debuit, inde in deterius male consulta ruit. Mox quippe ab inicio homicida diabolus, cujus invidia mors intravit in orbem terrarum, quem imitantur qui sunt ex parte ejus, quos in ea suæ partis scivit, vesaniæ suæ [3909] furore inflammatus, ad sui imitationem, id est ad homicidium, incitavit. Et ubi urbs post Romam in toto orbe, in qua plures quam ibi olim habuerit ipse diabolus et sui cultores et suæ nequiciæ satellites? Et licet

VARIÆ LECTIONES.

[3894] esse 2. [3895] vel 2. [3896] *deest* 2. [3897] edifficia q. edificavit 1. [3898] episcopatui 2. [3899] *Hanc capitum divisionem ipse institui.* [3900] henricus 2. 3. [3901] ut *corr.* et ut 1. [3902] solomoniaci 1. [3903] sibi ut 2. [3904] n, i, 2, 3. [3905] pontificatus 1. [3906] ferulam regiminis indicem 3a. [3907] Einhardo 3. [3908] auditu 2. [3909] suo 2.

NOTÆ.

(553) Hæc a vero valde discrepare, non est quod moneam.

(554) Eberhardus archiepiscopus obiit d. 15 April., a. 1066.

quæ fuerat magistra erroris, jam sit discipula veritatis, tamen, pro [3910] dolor! adhuc in ea repperit de suis membris, quæ ad persequenda et perimenda Christi membra commovit. Similia passionis dominicæ in hujus quoque sancti viri passione videmus evenisse. Sicut enim Judæorum sacerdotes et pontifices, docti lege et prophetis, indoctum populum ad necem Salvatoris incitabant, ita et, quod dictu nefas est, quidam de clero laicum populum, quem debuerant compescere, magis ad tale flagitium studebant provocare. Nam et Theodericum [3911] urbis præfectum (555) convenientes, cum multis suasoriis verbis, tum [3912] diversis assertionibus verisimilibus, ad extinguendum beatum virum animabant. Hinc tumultuantes vulgarique more perstrepentes, episcopum, non electum, non recte statutum, numquam suam urbem intraturum, numquam sui dominaturum, modo sacramentis, modo contestationibus, modo maledictis [3913] jurabant; eundem præfectum defensorem urbis et patronum, nec talia pati debere inclamantes adulatorie. Hunc aiebant perimi debere, hoc [3914] sui honoris esse, id [3915] sanctis loci gratum fore, non [3914] hoc criminis, sed esse zelum justitiæ et rectæ defensionis; insuper inquiunt [3916]: *Peccatum hoc portabimus; nobis adhereat, nobis reputetur.* Quod quasi aperte dictum videtur: *Sanguis ejus super nos et super filios nostros* (*Matth.* XXVII, 25). Vir gloria temporali suffultus, his et hujusmodi malis adhortationibus et ineptis sponsionibus illectus, milites inquirit, arma corripit; et præcone clamante: *Quicumque non affuerit, præsidem offendit*, omnis civitas concurrit [3917]. Majus etiam signum, ad concitandum vulgus sonatum, quod debuit esse ad completionem divini officii, extitit ad incitationem [3918] tocius mali. Erat siquidem tardior hora, cum debuerant servi Dei diurna complere [3919] officia secundum canonica [3920] instituta. Tunc hi, quibus erant in corde peccati nox et tenebræ, eadem hora cum armorum apparatu concurrunt [3921], ascensisque equis, venienti pastori, non ut oves, sed ut lupi rapaces, ad devorandum obviam exeunt. Qui quarto ab urbe miliario habita mansione in villa quæ Bithyburch [3922] (556) dicitur, cum ipso venerabili episcopo cui eum diximus commissum, nichil tale suspicatus, pernoctabat; futurum mane, ut putabatur, ut ab eodem domno regis vice urbi præsentaretur et, ut est consuetudinis, a clero et [3923] populo sollempniter exciperetur. Sed frustra pietas omnipotentis Dei viduæ et destitutæ urbi pium rectorem procurabat; frustra ei paterna voce dicebat: *Noli timere, filia Syon, ecce rex tuus venit tibi mansuetus* (*Joan.* XII, 15); cum mallet ipsa ejus sanguine pollui, quam ab eo saltem ad horam regi. Facto mane, data 15 Kalendarum Junii die (*Mai.* 18), jam sole illucescente, clientulorum turba accelerat surgere, se invicem ad eundum convocare, accurate, ut illud nobile collegium solet, ornare, equos sternere et quicquid hujusmodi est decenter parare; cum subito insperate et improviso ab hostibus se non tam circumventos quam et obsessos viderit. Quid agerent? Qui nil morte dignum in eos deliquerant, cur ab eis mori habebant? Tandem et ipsi ad arma concurrunt [3924]; pro vita, si possit fieri, decertare disponunt. Sed quomodo persequeretur unus mille, et duo fugarent decem milia? (*Deut.* XXXII, 30.) Prævaluerunt multi, ubi obstabant pauci; effractisque januis, non tamen sine utriusque partis sanguine, atrium domus introgressi, cubiculum quo uterque senior quiescebat proruperunt. Qui eorum strepitu jam ante expergefacti, post judicium, quod adesse cernebant, misericordiam Dei exspectabant. Quam ipse, permittens modo ad dampnationem horum fieri quod nolebat, ideo ut credimus differebat, quia majorem gloriam servo suo Cuonrado reservabat. Cuncta ergo quæ manibus occurrebant, equos, vasa, vestes reliquamque supellectilem [3925] eorum diripientes, memoratum Spirensem episcopum non sine injuria, utpote suis rebus spoliatum, abire siverunt. Beatum vero Cuonradum captum et vinctum, inmisericorditer et inhumane cum cachinno [3926] et exprobratione ad castrum [3927] cui nomen Urcich [3928] (557) pertrahentes, custodiæ mancipaverunt; fortassis dum apud se tractarent [3929], quam exiciali morte eum perderent.

3 [3930]. Sed interim hic reor supersedendum, ut cum eis, qui canino dente garriunt, hunc non canonice electum [3931], et quia non electum, ideo non canonice promotum, de modo promotionis habeamus conflictum. Non ab hominibus solum et non a Deo, sed non [3932] a Deo pariter et ab hominibus eligi debere, non solum affirmamus, sed et contradicentibus, non debere, frontem defensionis opponimus. Dicit in amoris [3933] cantico sponsa de sponso Christo, id est ecclesia de episcopo Christi sponsi sui vicario: *Dilectus meus electus ex milibus* (*Cant.* V, 10); aperte dans intelligi, non qualemcumque facile assumi, sed a multitudine ex multitudine eligi, qui boni sit testimonii. Et in [3934] initio nascentis ecclesiæ Mathias

VARIÆ LECTIONES.

[3910] proh 2. [3911] treuericum 2. *corr.* theodericum 1. [3912] cum 2. [3913] malectis 2. [3914] h. s. *et infra* non hoc *desunt* 2. *spatio vacante.* [3915] hoc 1. [3916] inquit 2. *deest* 3. *ubi*, quod in hoc peccabitur nobis. [3917] cucurrit 2. occurrit 3. [3918] imitationem 1. 2. [3919] implere 2. celebrare 3. [3920] canonicha 1. [3921] cucurrunt 2. [3922] bithburch 2. bideburch 3. [3923] et a 2. [3924] cucurrunt 2. [3925] superlectilem 2. [3926] chachinno 1. [3927] municipium super amnem Mosellam situm 3. *ex* 3[a]. [3928] urcich 1. urtich 1[b]. urzich 2. 3. [3929] tractassent 1. [3930] *hoc cap. deest* 3[a]. [3931] electum et *desunt* 2. [3932] *ita* 1. 2. *sed rectius deesse videtur* 3. [3933] ameris 2. [3934] *deest* 2.

NOTÆ.

(555) De quo cf. Hontheim Hist., I, pag. 341. *comes et procurator noster* in charta Eberhardi archiepiscopi a. 1065 appellatur, ibidem pag. 407.

(556) Bittburg.

(557) Hoc castrum sæc. XIII a Wirico de Dure firmatum, ab Arnoldo archiepiscopo destructum referunt Gesta Trev. (contin.) Hontn.

ad apostolatum divina electus est sorte; Stephanus [3935] quoque ad diaconatum apostolorum, immo sancti [3936] Spiritus, electione. Et quid prodest mille testimoniis paginam nostram occupare? Qui ergo hunc a sancto viro [3937] Annone divinitus inspirato promotum, a Deo non credunt electum, eadem mentis amentia non credant electos [3938] a Deo, quos a sanctis apostolis divinitus inspiratis diximus constitutos. Sed et sancti patres, sacrorum [3939] canonum auctores, cum viderent, habundante iniquitate et refrigescente caritate, in sancta ecclesia tales per symoniacam heresim subintrare, qualium unl clamat beatus Augustinus : *O episcope, nisi centum* [3940] *dedisses, hodie episcopus non fuisses*, sanxerunt in ipsis sententiis canonum, ut eorum verbis utar : *Ubicumque inveniri possit dignus, statuatur ubicumque fuerit opus.* Hoc ex ipsis canonibus, hoc ex pontificum [3941] decretis, hoc est registro beati papæ Gregorii, multis lectionibus approbamus. Multos quoque tales in cronicis regia potestate constitutos ostendemus, quorum constitutionem Deo placuisse, post patuit in eorum operatione; qualis exstitit ipse, cujus sanctitatis sonus jam in omnem terram exivit auditus, a quo patrem nostrum Cuonradum promotum supra diximus; quem si Agripina, utpote sibi antea ignotum [3942], nescivit eligere, modo tamen digna fuisse tanto gloriatur præsule. Sed fortassis obiciunt qui illorum partis fautores sunt, quia ex suis elegerunt quem dignum æstimaverunt. Sed cavendum ne eis occurrat illud propheticum : *Væ* [3943] *qui dicunt bonum malum, et malum bonum* (*Isa.* v, 20). Nam si ex Deo et cum Deo et in Deo et qui elegerunt et quem elegerunt essent, numquam sanguinem innocentem invidia et concupiscentia inflammati condempnassent. Quisquis ergo sapientiæ moribus institutus, studiis improborum haberis dissimillimus [3944], nichil est quod ammireris, si in hoc vitæ salo sancti circumflantibus agitantur procellis, quibus hoc maxime propositum est, pessimis displicere [3945], quorum quidem tametsi [3946] est numerosus exercitus, spernendus tamen est, quia [3947] nullo duce regitur, sicut de hujus sancti persecutoribus post suo in loco dicemus. Jam redeamus ad propositum, et nobilem martyris triumphum noticiæ tradamus fidelium.

4. Diebus quatuordecim athleta Christi apud memoratum castrum custodiæ fuit deditus; non quia dies mortis ejus pietatis gratia ab his esset dilatus, quorum interim crudelitatis non erat modus; sed quia nondum venerat hora qua erat vocandus, a quo est et in utero formatus. Die vero quintodecimo, cum prædicto Theoderico præsidi sacrilego et christiani nomine prorsus indigno profanæ crudelitatis rabies aspirasset, ut jam innocentis sanguine saciari cuperet, a custodia eductum, quatuor filiis nequam, qui suæ rabiei satisfacerent, tradidit illudendum; hoc eis sub mandato interminans [3948], quia si ejus vitam levi cruciatu auferrent, se sua gratia privandos scirent. Qui optatam [3949] sibi occasionem in eum cessisse [3950] sæviendi suoque posse domino officio tam [3951] levi placere gavisi, demonico [3952] spiritu exagitati, ad supercilium eum montis duxere propinqui; qui tantæ erat densitatis [3953], ut ab hoc præcipitatus [3954], ante membratim divulsus quam putaretur mortuus. In hujus ergo cacuminis vertice veste nudatum, sola interula tectum, facie velatum, ligatis manibus post tergum [3955], statuere. *En*, inquiunt, *experiri habemus, an ad episcopatum te elegerit Deus; quod tunc liquebit, cum incolomitate ruina hæc* [3956] *stabilierit.* Cumque cum hujusmodi derisione non timuissent reverendum virum præcipitare, divinæ pietati libuit manifestare, hunc quidem se elegisse, sed eos eo indignos esse. Nam ab alto deorsum ruens, non sólum vivus, sed et toto stetit corpore illæsus; non sine ammiratione, qui velit attendere, membra collisa fuisse [3957], nisi revera Dominum constiterit manum supposuisse [3958]. Visa hac virtute, saxeum pectus impiorum non est motum pietate; sed assumptum denuo : *Hoc ipsum*, inquiunt, *experiemur iterato.* Secundo experti, tertio eciam sunt temptare ausi. Jam ter probatum, ter a Deo glorificatum, ter ab ipso servatum illæsum, parvipendit obcæcata mens perfidorum, corde inpœnitenti thesaurizans iram sibi in die furoris Domini. Quisquis signa et miracula requiris, quibus hunc sanctum fuisse jure fatearis, perpende, an fuerit virtutis divinæ, molem gravis corporis ter, ut ita dicam, avolare, vel ab alto solo tenus ruere, aut certe per devexa scabrosi [3959] montis interpositis ubique scopulis deviare [3960], salva sui integritate; cum nec quid haberet indumenti, quo vel sentium aculeis posset tueri. Quod si non invidum, immo fidelem habes oculum, non inconvenienter illud Davitici cum hujus in laude fateberis cantandum : *Angelis suis mandavit de te, ut* [3961] *in manibus tollant te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum* (*Psal.* xc, 12). Simili etiam præcipicio [3962] fratrem Domini Jacobum legimus ludibrio habitum; sed quod semel ille [3963], ter subiit iste, quia fortassis minoris adhuc meriti, majori habebat supplicio augmentari. Sed tanto ambo feliciores, quanto et illius dominici verbi non immemores : *Non est servus major domino suo* (*Joan.* xiii, 16); quem videlicet adhuc juvenem per susceptæ carnis infirmitatem

VARIÆ LECTIONES.

[3935] stepanus 1. [3936] sp. s. 2. [3937] a. v. 2. [3938] a d. e. 2. 3. [3939] sanctorum 2. 3. [3940] solidos *add.* 3. [3941] pontifficum 1. [3942] incognitum 1. *e corr.* [3943] ne 2. [3944] dissimilimus 2. [3945] dispicere 1. [3946] tametsi 1. [3947] quoniam 2. 3. [3948] interminatus 2. 3. [3949] obtatam 1. [3950] cecidisse 1. [3951] pl. t. l. 1. [3952] demoniaco 2. [3953] et altitudinis *add.* 3. [3954] precippitatus 1. [3955] postergum 1. [3956] *ita* 1. 2. incolumem te e ruina hac st. 3. [3957] fuise 1. [3958] subposuisse 2. [3959] scrabrosi 1. [3960] derivare 1. [3961] et in m. tollent 2. [3962] precipio 2. [3963] iste 2.

diabolus altius assumptum, ortatus est ad præcipicium; quem et postmodum ejusdem diaboli membra duxere ad montis supercilium, ut præcipitarent eum. Nondum de pœna saciati carnifices crudelis tyranni : *Quia*, inquiunt, *non bene saliens substitisti*[3964], *gladius noster dominabitur tuæ carni.* Hinc ad cumulum[3965] dampnationis suæ gladiis eum appetiere, sicque decollatum collegio martirum martirem sociaverunt. Ita ille ter beatus, ludibria et verbera expertus, insuper et vincula et carceres, in occisione gladii mortuus est. Cujus spiritus assumptus ab[3966] angelis, cum multiplicibus triumphis vultui præsentatus est Omnipotentis; ejusque odore suavitatis innovata est curia cælestis, dum hinc lilia ex stola sacerdotali candentia, hinc redolent[3967] rosæ vernantes ex passionis sanguine. Corpus exanime vepribus et frutectis operuere, suoque domino tale nuntiare gaudium abiere. A quo requisiti, ubinam esset episcopus, illi inquiunt : *Pontificalem*[3968] *mitram inposuimus, sed Treverim ultra non venturus, nec pontificalem*[3969] *kathedram est recturus.* Tali derogatione sancto viro insultantes, forsitan ignorabant, quod sit futura dies, in qua præ angustia spiritus gementes, dicent inter se pœnitentiam agentes : *Hic est quem aliquando habuimus in derisum et in similitudinem improperii; nos insensati vitam ejus æstimabamus insaniam et finem illius sine honore. Quomodo ergo computatus est inter filios Dei, et inter sanctos sors illius est?* Quia ejusdem tyranni timore membra Christi hostiæ nemo audebat terræ[3970] mandare, diebus fere 40 inhumata jacuere, instar beati Stephani prothomartiris, avibus cæli et bestiis agri exposita; sed Dei providentia a nullo horum fuere contacta. Inde ea proximæ villæ, hoc est Loncscet[3971] (558), convicanei, pietate moti, tandem clam elevavere, et apud eandem villam 8 Idus Julii ante fores ecclesiæ honore quo potuerunt sepeliere. Passus est itaque anno millesimo sexagesimo sexto incarnationis Dominicæ, quarta indictione, data prima Kalendarum Junii[3972] die. Paulo antequam pateretur cælitus missa cometes[3973] in occidentali parte multis noctibus apparuisse[3974] visa est (559), divinæ nimirum ultionis index. Nam vox ejus innocentis sanguinis, a Deo vindictam postulantis, tantum clamorem intulit cælis, ut adhuc de manu tocius orbis ultionem videatur expetere ira superni judicis. Siquidem nec differendo responsum est ei : *Modicum tempus sustine;* sed statim eodem anno eodemque tempore sancta ecclesia[3975] tanto[3976] dissensionum et perturbationum cœpit agitari turbine, ut diutina bellorum per civile bellum fluctuatione, quid sit pax, videatur ignorare. Statim[3977] enim secundum illud prophetiæ[3978] judicium. *A sanctuario meo incipite* (*Ezech.* IX, 6), vita decessit sedis apostolicæ venerabilis pontifex Alexander; cui succedens Hildebrandus pestifer in diebus officii sui calicem iræ Dei universo propinavit orbi, cujus amarissimo sapore adhuc et in posterum dentes filiorum obstupescere habent[3979], nisi tribuat miserendi tempus, cujus[3980] populus et oves pascuæ (*Psal.* XCIX, 3) sumus, quem confitemur Deum et Dominum, quem laudamus in secula seculorum. Amen.

5. Juxta quod scriptum est : *Justus qua morte præoccupatus*[3981] *fuerit, in refrigerio erit, quia gratia et misericordia Dei*[3982] *est in sancto*[3983] *ejus et respectus in electo*[3984] *illius* (*Sap.* IV, 7), beneplacitum fuit Deo memoriam martiris et sacerdotis sui honestiori decorare sepulchro, et Theologiense cœnobium tali augere patrono; qui videlicet uno ex latere Mauricio astaret et ex alio pauperculæ congregationi manum conferret. Et quia, qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet (*Matth.* X, 41), hujus æternæ mercedis non erit expers Deodericus venerabilis antistes[3985], cujus pio favente studio utraque provenit exhibitio martiris, scilicet et de loco viliori elevatio et ad decentiorem translatio. Unde mirabilis Deus in sanctis suis, qui fideli suo Cuonrado[3986] a duobus, unius nominis, sed diversæ qualitatis, diversa exhiberi tribuit dona honoris, a Deoderico[3987] crudeli[3987*] tyranne coronam martirii, ab ejus æquivoco præsule dignissime honesti quietem sepulchri. Sed quia ipse retributor bonorum et ultor malorum diversa utrisque inferet stipendia meritorum, jam post passionis textum martiris ad nos scribamus adventum.

Isdem honestissimus sanctæ Virdunensis ecclesiæ præsul Deodericus cum eodem anno apud Novallis[3988] suæ dicionis castrum curas agens, die[3989] quadam sollempnia celebraret missarum, tempore sacrificii[3990], recordatione martiris animæ tanto lacrimarum perfusus est imbre, ut eum subito in contemplatione raptum nemo ambigeret circumastantium. Cumque, finitis eisdem sollempniis, subucula (560) compuncti sacerdotis loco pectorali non parvis maderet distillata guttis, cunctis mirantibus nec veritem rei sciscitari audentibus, ipse domnus[3991], cui

VARIÆ LECTIONES.

[3964] subtisti 2. [3965] tumulum 2. 3. [3966] ab ang ass. 1. [h] [3967] redolerent 2. [3968] m. pontifficalem 1. [3969] pontifficalem 1. [3970] *deest* 1. [3971] *ita* 1[b]. 2. loncsceit 1. lonseti 3. [3972] III N II. 2. [3973] commetes 1. [3974] aparuisse 1. [3975] et maxime metropolis Treverica *add.* 3. [3976] tanta 1. [3977] Statim — habent *desunt* 3. [3978] prophete 2. [3979] h. ob. 2. [3980] Cujus sumus p. et o. p. quem 2. [3981] preocupatus 1. [3982] *superscr.* 1. *deest* 3. [3983] sanctos 1? 3. [3984] electos 3. [3985] theodericus a. ven. 2. [3986] cunrado 1. *hoc loco.* [3987] deo clerico 2. [3987*] t. cr. 1. [3988] novrillis 1. novellis 3. navelis 3[a]. s. d. *desunt* 1. [3989] in festo S. Apollinaris s. 3. [3990] 3. *hoc loco addit :* repente spiritus beati, de quo diximus, quasi avis circumvolitantis per altaris circulum, turbatur visione. Qui infra actionem defunctorum deductus ad memoriam hujus, cujus audierat cædem. [3991] doanus 1. dompnus 2.

NOTÆ.

(558) Lonset ex altera parte Mosellæ. HONTH.

(559) Cf. Lambertum et Bernoldum h. a.

(560) Videtur intelligere casulam, phrasi satis incongrua. HENSCHEN.

adhuc inerat lacrimosus vultus, non tam fatu linguæ quam ipse cœpit opere clamare [3992], illud divinitus reductum ante oculos mentis suæ : *Quia justus perit, et nemo percipit corde, cum sit memoria ejus in pace* (*Isai.* LVII, 1). Mox enim convocata domesticorum et clientulorum multitudine, hos sacramentis, illos precatoriis astringebat verbis, ut quis eorum recens occisum ostenderet, locum projecti cadaveris designaret, sua gratia, suo deinceps beneficio non careret. Putasne lætus exstitit, qui hac in re sui senioris votis satisfacere valuit, cum cunctis luce clarius patesceret, id mandati, dum sacramenta offerret [3993], a Deo, qui ea acceptaverat, accepisse, ex cujus præsentia illa gratiosa lacrimarum inundatio profluxisset? Nec mora, quibus nota erat res propius accedentes, plus nitebantur fideles [3994] apparere, qui veriora episcopo anticipassent narrare. *Domine* [3995], inquiunt, *hæc et hæc passus, tali in vico habetur humatus* [3996]. De his ergo certificatus, tractabat apud se vir pius, qualiter occultum thesaurum suæ inferret ecclesiæ, ubi locus orationis martiri pateret quandoque. Sed quia difficultas longe remotæ regionis effectum denegabat suis desideriis, volvebat rursus animo conari saltim alicubi transferre, ubi sub sua esset ditione [3997] et congruo sibi quiesceret honore. Tandem salubri reperto consilio, ad Theologiæ cœnobium, quia sui juris propius nullum, disposuit advehendum; ubi nobilium colitur memoria martyrum, Mauricii videlicet ejusque sociorum. Missaque legatione [3998] Abboni ejusdem monasterii patri, hoc ipsum studuit intimare, celeriterque in vico Lonescet, quo sanctum tumulatum audierat, sibi cum his quæ exequiis conveniunt obviare [3999] mandat. Qui parere promtus, donum cæleste suscipere gavisus, adhibitis secum de fratribus cum hujusmodi apparatu, constituta die constitutum properavit ad locum. At venerabilis episcopus dubius quos eventus inventionis haberet exitus, cum militari manu advenerat; sed non facile ab incolis quæsita obtinere valebat, quia sæpedicti tyranni metu nec hunc se scire nec tumulatum [4000] apud se fateri audebant [4001]. Sed quaqua versum [4002] esset, optatis tamen, Deo volente et aliquo [4003] prodente, potitus est; elevatamque de absconso lucernam attulit super candelabrum hujus ecclesiæ, ubi nunc intrantibus domum Domini claro refulget lumine.

6. Inpediente [4004] nostri sensus tenuitate [4005], minus valemus proferre, quam decoro et sollempni missarum officio pontifex nobilis exsequias dexuo viri celebraverit nobilis; sed inibi est videre, si quid deest vicio linguæ. Hoc memoriale sui nominis fecit idem pontifex in diebus suis, quod in memoria [4006] ante Deum manet in æternum.

7. Octavo Kalendas Augusti auctum [4007] est hoc domicilium cælibe tali; qui cujus meriti sit in cælis, ejus caro mortua testatur in terris. Nam ad ipsius tumulum cum adveniunt ægri, sanitate recepta compotes redeunt sui voti. Unde ab ymnidicis angelorum choris gloria laus et honor sit nomini Omnipotentis, qui beatum hunc assiduis coruscare [4008] facit virtutibus [4009] et miraculis. De quibus ad utilitatem fidelium pauca referemus [4010], sed plurima omittimus, quæ priorum nostrorum desidia silentio præterita, nobis manent incognita, sed Deo sunt nota. Hæc sunt ergo, quæ vidimus [4011] vel diligentius investigare potuimus.

Curvati duarum mulierum digiti ejus nominis invocatione sunt erecti. Duo denique claudi in anniversario sepulturæ suæ ad sepulchrum ejus sunt erecti. — Materia ejus sepulchri quadam die funditus est mota, eademque hora candela cælitus apparuit accensa (561). — Mulier quoque cæca et para-

VARIÆ LECTIONES.

[3992] præfati spiritu visione *add.* 3. [3993] in illa Spiritus visione *add.* 3. [3994] nitebatur fidelis (f. n. 3.)—anticipasset 2. 3. [3995] Domine domine 1. [3996] Vicum quidem et viam qua aditur scimus, locum vero sepulturæ penitus ignoramus. At qui curam ipsius, spiritus sui admonitione, avis, ut dicis, specie, tibi intimavit, non dubium, quin et exuvias corporis quocumque indicio revelabit *add.* 3. *uncis inclusa.* [3997] devotione 1b. [3998] lagatione abdoni 1. [3999] obviari 2. 3. [4000] a se t. 1. [4001] Sed qui sanioris apud eos erant consilii, comperta ejusdem martyris sanctitate, quam per duodecim, quibus apud eos detinebatur, dies multis signis et prodigiis fuerant experti, quibus tam fuerant ingrati quam et laude Dei indocti; quia ut asportaretur non acquiescebant, armis rusticum illud vulgus illata vi deterrebat *add.* 3. [4002] ibat, nemo indicabat ubinam *add.* 3. [4003] a. vim passo 3. [4004] 3. *ita pergit :* Tunc vestitum fuit sacrum corpus veste sacerdotali — officio enim presbyteratus eum functum, quod nos superiori textu retulimus, asserebant, — compositisque ordinatim membris et missarum solemniis completis, sanctum funus illud cum canora processione deduxerunt ad locum sepulcri, et cum congruenti obsequio sarcophago imposuerunt. Quomodo autem illud ipse dominus episcopus pretiosi epitaphio a se edito exarati lapidis ornaverit operculo operosique operis metallo, nulla nostri styli facultas suppetit revolvere. Scilicet ibidem est videre, si quid deest imperitiori linguæ. Hoc memoriale *etc.* [4005] tenuite 1. 2. [4006] memoriam 1. [4007] actum 2. [4008] coruschare 2. [4009] v. et *desunt* 2. 3. [4010] referimus 2. [4011] quæ per eum operatus est Dominus, nobis partim videntibus, et partim seniorum relatione didicimus 3. *qui ita pergit :* Cum vas illud, quod vulgo tonnus nominatur, in quo videlicet sacrum fuerat corpus allatum, decreto pontificis ipsius ingesto esset igne cremandum, ne quid forte cruoris *etc. etc.* (*cf. infra n.* 37). *Cetera quoque miracula interpolationibus auxit et alio ordine disposuit* 3. (*ex* 3a.). *Nos ex* 2. *edimus, quocum* 1. *convenit.*

NOTÆ.

(561) Hæc fusius in cod. 3 loco supra allato narrantur; sed alium eumque recentiorem scriptorem hæc arguunt verba : *Hoc unum fideli relatione a fratribus ejusdem monasterii accepimus, et ab oppidanis illis prædicatur, quia in lucis crepusculo solotenus reperiebantur. Quos cum nullus ad ullos usus suos auderet contingere, communi consilio ad testimonium tanti miraculi appensi ante fores sunt ecclesiæ; ubi tamdiu pependere, quoadusque frustatim ab infirmantibus, quos hujus miraculi fama acciverat, ob medelæ remedium asportati, in variis eorum usibus consumpti, utilius ad honorem et gloriam Dei quam flammis defecerunt usti.*

litica sanitati est reddita. Quidam etiam puer a calculi liberatus est molestia.

Dicendum hic, cujus fuerit pietatis, cum quidam Folcardo militi, qui unus fuit ex hostibus suis, reddiderit bona pro malis. Qui videlicet cum divina ultione multo langueret tempore, tandem rediens ad se, et in sanctum Dei se clamans et confitens peccasse, juxta cordis veram pœnitentiam ejus meruit indulgentiam. Qui ut convaluit, non ingratus collati beneficii, vota veniens solvit, gratias egit, et nunc usque singulis annis cessum suæ liberationis solvere non desinit. In eo tamen signum insanabilis apparet infirmitatis, ut quamdiu vivat peccatum in servo Dei commissum luat. Eundem denique ab hostibus captum et compedibus vinctum ejus nominis invocatione constat liberatum.

Mulier contracta in sollempnitate apostolorum Petri et Pauli ad ejus sepulchrum sospitati est reddita, puto quasi pro quadam recompensatione diem natalitium eorum tali honorans miraculi decore, quorum in Agripina dum lum filius fuerat ipse et vicarius fieri debuerat in Treverica urbe.

Filia cujusdam noti Reginfridi utroque orbata lumine, sed et ancilla cujusdam similiter noti militis languore detenta, mulier nichilominus alia, cujus fuerat remota a suo loco maxilla, pariter consecutæ sunt ad ejus sepulchrum sanitatis optata gaudia, illa lumen oculorum, istæ incolomitatem membrorum.

Tria in uno homine sua ostendit beneficia; qui cum esset a demone obsessus et careret officio linguæ et auditus, ad tumulum ejus hæc utraque est adeptus et ab hoste maligno liberatus. — Rustici sex, quorum pariter pedes culpa insolentiæ cippo stricti erant ab exactore, sancti nominis ejus invocatione, nullo manum apponente, solvi meruere. — Puer deinde lunaticus et alius cujusdam militis Wigerici puer domesticus, cujus jam per annum panem fastidiebat stomachus, pari voto advenere, suique recuperatione pariter sancti virtutem persensere. — Sed et ex familia beati Willebrordi adveniens cæcus, sui illuminatione similia est expertus; cui licet facile isdem beatus confessor hoc ipsum valuerit conferre, tamen in hoc martiris non invidit gloriæ.

Non exspectet quisquam a me tam multa audire quæ ad indicium sanctitatis suæ divina gratia voluit declarare, quia, ut superius me memini dixisse, superiorum nostrorum desidia multa manent oblitterata, plura etiam nos omittimus ex industria, partim multorum invidiæ, partim incredulorum condescendentes miseriæ, qui nec scriptis nec verbis præbent assensum, nisi viderint oculo ad oculum. Credant saltim ex suis uni, id est Folcardo comiti, cujus in præsentia cæcus alius amissa recepit lumina.

8. Det certe frontem qui vult in parietem, quia non reticebimus de ejus persecutore Theoderico, quæ sunt nota universo orbi. Hic [4012] denique auditis tot miraculorum præconiis, nequaquam fidem accommodans asserentium verbis, incredulo corde, an hæc vera essent, temeravit experiri per se. Qui dum adveniens non sine fastu superbiæ valvas appropiaret basilicæ, qua sacra pullulant pignera martirizati a se, non sine sui persensit verecundia [4013], quanta intro haberetur virtus divina. Nam repente invisibili obstaculo sacras ingredi ædes prohibebatur immeritus homo, cui [4014] nec martiris tumulum videre, nec sui oratorii limina concedebatur attingere. Cumque iteratis conatibus ingredi niteretur sæpius, huicque ex adverso resisteret eadem virtus, tandem quæ experiri advenerat cum nimia confusione abiit expertus. Quem dum, ut suæ consuleret saluti, hortarentur fideles et propinqui, sancto scilicet satisfaciendo et aliquid prædiorum pro elemosina suæ pauperi ecclesiæ conferendo, surda aure floccipendit vir vanus audire, cui imminebat respectus iræ supernæ. Non post multum temporis (562), nescio quo spiritu, tendens Iherosolimis, naufragium passus, motus incurrit maris; et ad ima descendens profundi, inrevocabili fato [4015], Deo judice, solvit pœnam sui sceleris. De quatuor his, qui eo jubente eum peremere, potius quam loqui maluimus silere. Hoc tantum sufficiat dicere, diversis pœnis et evidentibus malis ab hac substractos luce (563).

9. Sibi famulantes tardius his aliquando correxit signorum increpationibus beatus pater Conradus. Semel natalis Domini die, cum ex custodum negligentia coram se posita non arderet candela, repente divinitus est accensa. Simili modo, ut superius diximus, cum vice altera eadem culpa inibi deesset lucerna, subito fabrica totius sepulchri mota, eadem virtute cereus, qui forte aderat, luce enituit clara. Non dissimile et illud exstitit, quod non coram se firmius hærens cereus, dum super sarcofagum velamine opertum corruit, diutius ardendo jacens et jacendo ardens, ipsum velamen inustum servavit.

Jam avidis auditoribus modum de his imponat stilus, quia, ut ait beatus Gregorius, signa infidelibus monstranda sunt, non fidelibus; quibus ad salutem sufficere posset, etiam si minus dicta essent. Si fides non desit petentium, numquam [4016] deest ejus suffragium; quia quod sibi adhuc carnis infirmitate circumdatus fieri noluit, utique aliis facere non refugit. Cujus assidua interventio nos commendet omnipotenti Deo deorum; cui sit laus in secula seculorum; amen [4017].

VARIÆ LECTIONES.

[4012] Hoc 2. [4013] verecondia 2. [4014] sui 2. [4015] satis 2. [4016] nonquam 2. [4017] *In cod.* 1. 1ª. (*alia manu*) *et* 1ᵇ *hæc* . *addita sunt :* Kal. Junii passio sancti Cunonis episcop et martyris. 8 Idus Julii . inventio corporis s. Cun. episc. et m. ad rupem ubi decollatus est. 8 Kal. Aug. translatio corporis s. Cunonis episcopi et martyris in basilica(m) beati Mauricii et s. ejus.

NOTÆ.

(562) a. 1073; v. Bernoldum Constant. h. a. Minus recte Sigebertus a. 1068 indicare videtur.

(563) Cf. Bernoldum a. 1066.

EPITAPHIUM (564).

Dux gregis et portus et flos feliciter ortus,
Post incrementum fructus subit hoc monumentum,
Hoc transplantatus claustro flos prememoratus.
Trevir erat natu, Sigebergensis (565) monachatu;
Attulit huc secum venerabile fratribus equum,
Doctrinam, mores, virtutum quosque colores.
Quem quia servorum fraus conspirata malorum
Insontem stravit, gladius Christo sociavit:
Ergo quod obtabas martyr modo, qui prius abbas,
In monacho Christi testis, Chounrade, fuisti.

EX HISTORIA MARTYRUM TREVERENSIUM.

Anno 1072 tabula de martyribus a Rictiovaro cæsis Treveri sepultis inventa, tum sanctorum illorum passionem tum inventionis ordinem tum miracula quædam ibidem facta clericus Treverensis narravit, prologo præmisso, quo nihil de se ipso vel de operis consilio tradidit. Sed pleraque ipsum vidisse ex tota narratione abunde patet, neque diu post scripsisse putandus est, quippe qui miraculorum narrationem non ultra a. 1072 prosequatur. Eidem et vitam Felicis deberi, supra monui; sed etiam hæc auctoris nomen silet. Historia martyrum ap. Hontheim Prodr. I, p. 109 ex cod. Treverensi, postea collato cod. S. Maximini Act. SS. Octob. II, p. 575 edita est. Codicem Sanmathianum Hillarius vidit (p. 27, 67), alios procul dubio bibliotheca continet Treverensis. Hæc vero fragmenta ex Hontheimiana editione repeto.

1. . . . . Illud vero qualicumque scribendi modulo posteritati transmittere debemus necessario, quali divinæ prædestinationis ordinatione hac sanctorum lætificati simus manifestatione.

2. Erant nempe in illa sancti Paulini canonicorum congregatione fratres aliqui sanctæ religionis studio venerabiliter accensi. Hi ergo, dum inter alia pietatis opera sacræ Scripturæ legendi paginam operam non minimam præberent, solebant frequentius corporis et mentis aspectibus illa repræsentare, quæ videbantur ad honorem ecclesiæ Trevericæ, matris scilicet suæ, spectare; illius forsitan, quin immo revera, non immemores præcepti quod ait: *Honora patrem tuum et matrem* (*Deut*, v, 16) et aliorum ad hunc modum justam conversationem suadentium. Inter multimoda itaque loci hujus præconia passio sanctorum martyrum Gentiani et Victorici frequentius eis occurrebat. Quæ quotiens auribus eorum corporeis innumerabilem christianorum stragem in urbe Treverica a Rictiovaro factam insonuit, totiens cor eorum mœrore simul et gaudio contremuit; mœrore quidem propter ignoratum tantum tamque preciosum sanctorum corporum thesaurum; gaudio autem propter rerum veritatem, quam per tantam Scripturæ sacræ didicerant auctoritatem. Referebat enim istorum passio sanctorum, quod ingresso Trevirim Rictiovaro, tanta ab eo sit facta ibi sanctorum sanguinis effusio, ut rivi cruoris aquæ, juxta quam occisi sunt, permixti et in Musellam deducti, eam in suum colorem converterent; ut, naturali claritate remota, peregrino magis quam proprio colore ruberet. Ubi et sequitur: *Inhumatis etiam tum sanctorum corporibus unda præbebat tumulum, quo, redintegrata compage membrorum, futuro ea representaret judicio.* — In hac ergo positi mentis anxietate, indictis sibi aliquando biduanis, aliquando triduanis jejuniorum disciplinis, a divina postulabant pietate, ut aliquod tam sancti depositi indicium eis monstrare dignaretur, per quod benedictum nomen ejus a sæculo in sæculum benediceretur ac laudaretur. Ut ergo promissio Dei immota permaneret, quæ dicit: *Ubi duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum* (*Matth.* XVIII, 20) — tres quippe intentionis hujus fratres — fuerunt — auxilium Dei sibi ad hanc intentionem præberi, cito senserunt. Prius enim quam triduanum jejunium tertia vice complevissent, misit eis Deus in adjutorium quendam sanctæ conversationis laicum nomine Folbertum, privatum eundem visu oculorum, quem unus ex tribus præfatis fratribus, Cuono videlicet, custos monasterii sancti Paulini, studio sanctæ hospitalitatis in domum suam recipiens, sufficienti ac placita illi officiositate sustentabat. Hujus autem cibus vespertinus erat panis perparvus medietatem palmæ non vincens in latitudine, duas partes farinæ, tertiam partem habens ex cinere, cum aliquo genere herbarum aut crudarum aut non bene coctarum et insalsarum, cum haustu etiam aquæ minimæ mensuræ, certe neque modulum suum excessuræ. Tali vero adjutorii divini consolatione non modicum lætificati, et ad speranda potiora Dei munera nimirum animati, huic fratri consilium, quod de hac re conceperant, manifestabant, ejusque devotionis impensius studium sibi ad hanc rem suppeditari postulabant. At ille, ut erat paratus ad omnia virium suarum supplementa omnibus præbenda, juxta illud videlicet doctoris gentium exemplum, quando dixit, se omnibus omnia factum fuisse, solitum jejunandi modum hac de causa adeo intendebat, quod per continuum tunc triduum nullum penitus corporis alimentum suscipiebat; sed interdiu omnibus urbis hujus monasteriis, nudis, ut solitus erat incedere, pedibus perlustrans, noctes eorundem dierum in monasterio sæpedicti patris Paulini pervigil in oratione ducebat. Unde factum est, ut in tertia nocte post primum, sicut ipse nobis referebat, galli cantum, dum facie lacrimis ubertim

NOTÆ.

(564) Legitur in cod. Vindob. N. 791 (Lunælac. N. 8.). s. XII fol. 115.

(565) Alia manu in marg.: *Sigenbergensis quod situm est ab Nerdelige tria miliaria.*

perfusa intente et quasi cum aliqua, ut ait, precum importunitate Dominum interpellaret, in mentis extasi subito correptus, se in aliquo quasi subterraneo monasterio, spatioso multum et pulchro, stare putaret. Ubi dum multitudinem, quam dinumerare non poterat, occisorum diversas membrorum truncationes ostendentium deambulantem oculis mentis videret, collectis per aliquod tempus animi, quas amiserat, viribus, quibusdam eorum velut ad hoc tantum ut ab eo interrogarentur se illi offerentibus dixit : *Qui estis vos, domini, aut a quo fuistis trucidati?* Cui unus, qui senior inter eos apparuit, respondit : *Nos fugimus huc paganorum persecutiones, et ab ipsis ad pœnas requisiti, istas quas vides suscepimus passiones.* Nec pluribus ab eo verbis auditis, in priorem statum rediit sobriæ mentis. Totis denique animi viribus ad agendas Deo gratiarum actiones succinctus, ab ipso postulabat attentius, ut, si ab ipso esset hæc visio, monstrare eam sibi dignaretur tertio. Quod etiam obtinuit. Nam duabus ante diem vicibus obdormiens in oratione, eadem lætificatus est visione. Mane itaque facto, vocatis ad se tribus fratribus, visionem suam per ordinem eis narravit, eisque cum magna exhortatione hoc persuadere laboravit, ne abcepto orationis studio prius desisterent, quam divinæ solatium misericordiæ sibi adesse cognoscerent, promittens eis ex ejus parte qui amat longanimes in spe, infra unius anni spacium divinum eis adfuturum, esse in hac inquisitione solatium. Hac facta exhortatione, gratias Deo pro fraterno quem apud eos invenerat hospitalitatis receptu referens, eos humiliter rogavit, ne quas diutius in hoc loco manendi occasiones tunc ei innecterent, quia destinatum diu iter ad Sanctum Jacobum perficere libenter vellet. Et ita ipse quidem ab eis discessit. — Illi vero pro sanctæ inquisitionis studio majori in dies æstuant desiderio. Quapropter et a monachis et a canonicis et a sanctimonialibus [1018] feminis religiosis auxilio petito, jejuniis et orationibus et elemosinarum quoque largitionibus insistebant plus quam in principio. Unde contigit, ut alicui religiosæ hujus communionis sorori, nomine Frideburgæ, in monasterio Sanctæ Mariæ (566) matris Domini tempore meridiano in subsellio suo quiescenti, vox clara supervenerit, quæ diceret : *Vade, quære in vetustissimis scedulis aureis litteris in testimonium illis.* Cujus vocis altisonæ strepitu expergefacta, dum capite de subsellio levato circumspiciens neminem videret, caput iterum in eundem quiescendi modum vix reposuit, cum denuo vox eadem apertius quam prius auribus ejus insonuit. Iterum ergo erecta et signo sanctæ crucis munita, dum nullum vocis hujus auctorem in prospectu haberet, non dormitura, sed tertium vocis hujus adventum præstolatura, caput iterum reclinavit. Tunc vero, sicut ipsa retulit nobis, vox eadem, quasi cum quadam imperiositatis austeritate ad illam venit eamque non jam dormientem sed vigilantem non modicum perterrefecit. Surgensque igitur, terrore magis quam angustia repleta, sororem, quæ custos erat librarii, cum magna festinantia quærens et inveniens, facto ei anxietatis suæ signo, eam ad armarium, cumulum discussura scedularum, perduxit; nec multa prius librorum volumina revolverant, quam liber unus ymnorum vetustissimus Scotice (567) scriptus eis in manus veniebat; quo tandem exposito, occurrebat eis frequentius quidam ymnus de sancto Paulino satis magnus, in quo gesta sanctitatis ipsius præclara, etsi compositionis quandam rusticitatem habebant, rerum tamen non minima urbanitate florebant. Referebat enim, quale pro fide catholica bellum contra Arrianos sanctus ille pertulerit, qualiter in exilium ab ipsis fidei catholicæ inimicis missus fuerit; qualiter etiam ipsos, apud quos exulabat, Frigios [1019] ad fidem Christi, factis coram regibus terræ illius signis et miraculis, converterit, idem ymnus continuit; item post decursum viriliter vitæ hujus stadium, cum retributionis æternæ ibidem a Domino susceperit bravium, preciosum corporis ipsius thesaurum, nutu divino et miraculorum adminiculo a Treviris esse receptum, ibidem fuit intextum. De cujus veneranda sepulturæ positione, quæ in ejus gloriosa celebrata est receptione, hæc inibi verba sunt posita : *Posuerunt eum*

juxta prolem clarissimam Trevirensem et inclitam,
ubi dormiunt corpora peregrinorum plurima,
resurgentes ad præmia die mundi novissima,
occurrent in æthera Domino cum lætitia.

Hæc itaque inaudita prius Scripturæ sacræ testimonia cum gratiarum Deo actione ac sancta mentis exultatione lectitabant; utrum vero monita visionis in eis resonarent, aut utrum aliquod per se quærendum esse hæc verba significarent, necdum intelligebant. — Quapropter vocato ad se uno de tribus quos prædiximus fratribus, ei et admonitionem vocis procul dubio angelicæ, quam præfata soror acceperat, narraverunt, et librum ymnorum, quem instinctu vocis ejusdem inter vetustissima, ut ita dixerimus, veterum volumina repererant, monstraverunt. Qui simul ac communem eorum orationis intentionem auditamque et visam divinæ visionis consolationem in mente retractavit, voluntatem miserationis Dei in hoc esse æstimavit. Ut hunc ideo libellum, memoriam facientem peregrinorum, eis accommodaret, quo nobis amplius eorundem quærendi desiderium hoc modo inspiraret [rogavit [1020]]; quod et factum est. — Nam mox ut liber iste ymnorum in conventum fratrum delatus et ymnus ille ibidem est recitatus, ita corda omnium ibi præsentium fratrum ad inquirenda plura sunt accensa, ut una omnium prudentiorum apud ipsos esset sententia de frangenda propter hanc inquisi-

VARIÆ LECTIONES.

[1018] sanctis monialibus *ed.* [1019] frigies *ed.* [1020] *deest ed.*

NOTÆ.

(566) Ad Horrea.

(567) Id est littera Scotica.

tionem sancti Paulini cripta. Qua de re, communicato cum principibus civitatis consilio, licentiam hujus rei a domno archiepiscopo Udone postulabant, et vix nimirum impetrabant. Ita namque ex industria eadem cripta fuit munita, ut nisi moto principali ejusdem monasterii altari nullus locus daretur eam confringendi. Unde non indebito gravitati suæ consilio non facilis erat domnus archiepiscopus, tanti sanctuarii frangendi licentiam differendo. — Fracta igitur cripta, inventa sunt circa sarcofagum sancti Paulini sex sarcofaga, quorum duo lateribus ejus apposita fuerunt, quatuor vero pedibus ejus ita altrinsecus adhæserunt, quod utrimque duo ex eis steterint; item ad caput ejusdem sancti patris nostri septem sarcofaga sanctorum martyrum, totidem corporibus aromatizantia, fuerunt locata. Hæc vero omnia sic colligaverat locantium industria, ut factis fornicibus singulis super sarcofagis binis, nullus, ut dictum est, locus daretur eis movendis, nisi moto prius altari præcipuo monasterii. Fecerat præterea non hujus criptæ conditor operosus, sed hujus loci et eorum quæ ibi sunt sanctorum corporum aliquis studiosus, altare quoddam non magnum ad pedes sancti patris nostri sarcofago ejus compactum. Hujus denuo remotio et aliqua sub ipso terræ effossio plena fuit nostræ expectationis consolatio. Inventa est siquidem ibi tabula marmorea; qua sublata, apparuit ejusdem latitudinis tabula plumbea. Hæc item levata multaque aquæ infusione multaque setæ porcinæ confricatione tandem purgata, retulit nobis et istorum martyrum vocabula et martyrum tempora, persecutorum quoque nomina, aliaque perplura summa festivitatis præconia hujus plumbi cecinit nobis sculptura. Hujus ergo textum sculpturæ hic voluimus pleniter inserere. *In ac cripta* (568). . . . . .

3. Lecta est igitur hæc epistola et in plurimas mox cartas cum magno omnium Dei fidelium hanc audientium tripudio transcripta; nec tamen defuit in ipso fidelium Dei collegio ecclesiæ malignantis dissensio, quæ hæc divinæ miserationis beneficia non quanta debebat reverentia suscipiebat. Sed spiritu instigata maligno, dentibus ea lividis laniare præsumebat. Ceterum dentes eorum, utpote peccatorum, Dominus conterere curavit, dum signa, quæ juxta Pauli verba non fidelibus, sed infidelibus (*I Cor.* XIV, 22) data sunt, in conspectu eorum per merita martirum pretiosorum, quorum inventioni non congaudebant, multiplicavit. Ex his igitur aliqua, ut dictis apostolicis in hoc consentiamus, non tantum propter fideles Christi instruendos, quantum propter eosdem infidelitatis ministros ad fidem rectam et reverentiam sanctis Dei debitam commonendos, breviter notamus.

Quorum primum adeo notabile, adeo memorabile, adeo etiam fuit mirabile, ut non solum, si quæ fuerunt mentes infidelium, inde nimirum contabuissent, sed et ipsa fidelium Christi corda non minimum inde contremuissent. Nam cum, sicut prædiximus, facta per misericordiam Dei hac sanctorum revelatione, domno nostro archiepiscopo Udoni hujusque pricipibus placuissent, ut cripta sanctorum corporum collocationi competenter amplificaretur, necesse fuit, ut plurimum terræ ex eodem loco purgando portaretur. Erat autem ante id ipsum sæpedicti patris Paulini monasterium ex parte occidentali palus quædam, ita viantibus nocua, ut monasterium illud petentibus aut inde per hanc viam repedare volentibus vix angustissima relicta fuisset per illam semita. Qua de re plerisque loci illius fratribus complacuit, ut eadem terra, quæ ob prædictam parandæ criptæ necessitatem de monasterio portaretur, ad exsiccationem paludis ejusdem locaretur. Quod cum fieret et terra per sex jam dies ibi deposita fuisset, accidit, ut in die septimo unus aliquis ex loci illius canonicis, ante cujus portam palus eadem maximam inundationem faciebat, studio complanandæ terræ ibidem positæ, de domo sua egrederetur; cumque terram discutiendo frusta quædam ossium inibi jacere videret, unum ex illis suscipiens, in manu sua in domum illud portavit. Accepta etiam aqua diligenter illud purgavit, et purgatum cuidam mulieri ad conservandum, donec in monasterium referendi locum haberet, commendavit. Quod illa despective suscipiens, et cur illud reverentia dignum esse judicaret inquirens, posuit tamen illud in scrinio suo inter panniculosos aliosque muliebris supellectilis usus diversos; pigmentorum quoque species aliquæ in eodem fuerunt scrinio repositæ. Cum autem vespertinali officio, sicut quadragesimalis temporis ratio poscebat, frater ille cum suis in eadem domo reficere vellet, cœpit illa, cui os commissum fuerat, puella nimio cordis dolore cruciari, cœpit corporis et sanguinis dominici communionem, ut [4021] exitus vicini præparationem, quibus poterat verborum signis, quia ipsis nequivit verbis, humiliter ac devote precari. Cui frater ille : *Fac tibi*, ait, *scrinium tuum deferri, et si qua sit ibi species pigmentaria, dolori cordis profutura, require.* Hoc dixit, et scrinium hac de causa recludendum illi accommodare non distulit. Hoc itaque vixdum recluso et cooperculo tenuiter levato, mira res! tanta sanguinis exundan-

VARIÆ LECTIONES.

[4021] aut ut *ed.*

NOTÆ.

(568) Hanc tabulam vide supra col. 1161, n. ' ex Gestorum codicibus B editam. Quam post Northmannorum tempora fictam esse, Hontheim (Nellerus?) l. l. p. 100, probare voluit : in contrariam vero sententiam I. Bueus Act. SS. Oct. II, p. 336 sqq. disputavit.

tia ab osse illo valde parvo est effusa, ut facies mulieris ejusdem tota atque pellicea ejus manica dextra mirabiliter sit inde perfusa. Ipsa quoque in eadem hora a cordis dolore est absoluta. Qua de re nimio percussi terrore, lacrimosis precibus a divina misericordia postulabant continuo, quatenus tam inmenso divinitatis suæ præconio nullo eos corporis aut animæ damnaret judicio. Quo facto, frater idem currens curriculo ad aliquem fratrum, quem sibi expertus erat esse fideliorem, ad hujus rei eum perduxit demonstrationem. Qui veniens, dum scrinii ejusdem opereulum introspecturus levaret, nullus, sicut ipse ait, qui hoc non videret, credere non valeret, qualiter adhuc sanguis ex eodem osse ipsum scrinii operculum totumque quod ipso scrinio erat muliebris disciplinæ instrumentum respergendo bulliret. Unde et ipse non minimo repletus stupore, cum omnibus quæ in ipso erant, non jam deinceps muliebribus armamentis, sed potius aliquibus tam pretiosi sanguinis aspersione factis sacramentis, in monasterium festinanter portavit, illudque convocatis illico prioribus loci illius omnibus demonstravit. Ipsi vero, missis mox per omnia totius civitatis monasteria hujus rei nuntiis, omnes abbates et præpositos, corepiscopos et decanos ceterosque boni testimonii fratres non paucos ad se in eadem hora faciunt venire. Dominus autem archiepiscopus non erat tunc in illa civitate. Alii autem omnes loci hujus priores in claustrum sancti Paulini celeriter congregati, magnifico miraculi hujus ostento non modico sunt lætificati. Delato namque in præsentiam eorum scrinio, cum osse sanguinem sine cessatione fundente, accepit aliquis ex ipsis fratribus os sanguinolentum in manus, cumque illud sanguine in scrinium transfuso sæpius evacuasset, dicto semper citius majori sanguinis inundatione replebatur. Facta igitur inter prudentiores quæstione, ex qua videlicet occasione tanti miraculi, qui ibi convenerant, hujus miraculi spiculo a divino fuissent percussi consilio, hæc una omnibus ex hac re surrexit sententia, de adhibenda scilicet majori propter hoc signum reverentia et ipsis sociorum ossibus et eorum cineribus. Ad cujus augmentum reverentiæ dicebant pertinere, ut terra, quæ circa sarcofaga eorum posita in locum, ut dictum est, cœnosum antea proiciebatur, deinceps in aliquem mundum locum venerabiliter collocaretur; cujus acervus dum Galaath, hoc est acervus testimonii, non immerito vocaretur, factum in osse, quod huic suppositum fuerat terræ, miraculum omni posteritati loqueretur. Hoc itaque consilio dato et collaudato, illud etiam eidem fratrum collegio complacuit, ut scrinio in monasterium relato et super altare locato, communi cordis et oris necnon campanarum consonantia divina ab eis laudaretur prudentia, quæ nihil facit nisi in magna, ut par est, sapientia. Ad hanc ergo laudem Dei ex tota civitate cujuslibet ordinis et ætatis viri ac feminæ, juvenes et virgines, senes cum junioribus, hilariter convenientes, finita laude, in sua redierunt, dominum de tam inauditi miraculi stupore benedicentes. Contigit autem istud miraculum quinta Nonas Martii, et sabbatum erat (569). Hora vero nona cruor ille ex osse cœpit manare, qui non ante tertiam secundæ feriæ horam visus est cessare. Fama ergo hujus miraculi longe lateque volando plurimorum salutis facta est occasio, dum innumeri diversis languorum fatigationibus oppressi, ad hujus famam miraculi undecumque exciti, venirent ad hunc locum humiles et devoti. Cumque coram hoc positi sacramento propter peccata, quibus aliquatenus multati erant, planxissent, aquamque ossis hujus intinctione sacratam sibi datam aliquatenus gustassent, non est nisi Christi fidelibus credibile, quam citissime, a quacumque peste gravalantur, liberati fuissent. Si quis autem numerum et ordinem istorum a nobis curiose quæsierit, per hæc verba Porphyrii sibi credat satisfieri : *In numero sunt. sed non in finito.*

t. 4. Facta sunt præterea miracula non pauca in illa scilicet cripta ubi sanctorum martirum reposita sunt corpora. E quibus aliqua nostræ nunc memoriæ succurrentia breviter sunt designanda. Ex his erat hoc primum, quod licet ad plurimas sanctorum contingat memorias, nolumus tamen in his quoque miraculis locum ei negare, quem divinæ pietatis ordinatio ei dignata est accommodare. Nam cum domnus archiepiscopus post auditam de ossis miraculi famam primum in illud sancti Paulini monasterium orationis causa venisset, venit cum eo quidam de partibus Aquitaniæ pœnitens, cujus brachium dextrum ferro fuit ligatum. Hic itaque cum domno antistite fossam illam, ne dicam criptam, quæ nondum ibi fuerat, intravit. . . . . .

Post hæc in die palmarum, quæ tunc erat proxima, quædam femina . . . . . Est autem consuetudo loci illius congregationum, ut in die Palmarum in id ipsum sancti Paulini monasterium ad laudem Dei omnes cum magna populorum multitudine omni anno conveniant. Cum ergo juxta hunc ritum eadem die maximus et clerus et populus illuc convenissent et consuetudinarias ibi laudes Domino dixissent. . . . . .

Postea 5 Kalendas Maii, qua die juxta inductum Ekberti archiepiscopi plurimæ circamanentium villarum turbæ cum crucibus Treviros solent venire et monasteria civitatis illius omnia circuire, delatus est a parentibus puer quidam parvus in monasterium sæpe prædicti patris Paulini, quod amodo sanctorum quoque martyrum non immerito potest vocari . . . Erat vero eadem hora domnus archiepiscopus cum omnibus loci illius canonicorum congregationibus in eodem monasterio orationis deditus officio . . .

NOTÆ.

(569 Hoc ita a. 1072 fuit.

Deinde non multo temporis interjecto spatio apportatur illuc quædam puella . . . . .

Huic miraculo illud successit in ordine proximum [4022], quod quidam rusticus de villa quæ dicitur Sanctæ Aldegundis oriundus, cui visus oculorum omnino defecerat, cum suo presbitero civiumque suorum numero non modico eodem deductus est. Presbiter vero idem, assumptis secum duobus in A loco illo fratribus, deduxit cæcum illum in locum sanctorum corporibus consecratum, ibique cum fecit unum denarium censu annuali sanctis illis persolvendum super unum vadiare sarcofagum. Deposito itaque ad præsens ibi uno denario . . . .

Dehinc alius quidam villanus de villa quæ vulgo Inda vocatur . . . . .

EX MIRACULIS S. MODOALDI

AUCTORE STEPHANO.

S. Modoaldi corpore a. 1103 *Treveri in monasterium Helmwardeshusense translato, hujus cœnobii monachus, qui diu vitam sancti illius frustra quæsierat, Stephanum abbatem S. Jacobi Leodiensis, virum doctrina et operibus præcluum* (570), *precibus adiit, ut hanc expleret lacunam. Ipse, præfatione ad Thietmarum abbatem scripta:* Qui, *inquit* (571), corpore quidem ad tempus vobis absens, spiritu autem semper præsens, dum pro investiganda patroni sui generositate ordinis nostri loca plurima inviseret, et quasi apis argumentosa florum dulcedinem in mellis liquorem comportans, tam gesta pontificum quam annales regum Francorum famamque antiquiorum sapientium diligenti inquisitione percurreret : tandem ad nos omnium ultimos divertit, obsecrans non perfunctorie sed infatigabiliter et instantissime, ut de vita et miraculis beati Modoaldi in lectionibus et responsoriis aliquod ingenioli nostri xenium domum deferendum a nobis mereretur accipere. Cujus precibus opportune importunis cum hinc humilitas professionis nostræ ob declinandam præsumptionis notam obviare persuaderet, illinc caritas internæ obdurationis in proximum nos argueret : supereminentioris viæ latitudinem timore abjecto considerantes, quoniam id quod sumus, quod vivimus, quod sapimus, totum Deo et proximo debemus, tandem amici pio desiderio acquievimus satisfacere. *Fontibus se destitutum auctor luget* (572), *sed nihilominus valde copioso sermone Modoaldi genus et res ab ipso gestas exponit. Quibus omissis, pauca ex miraculis exhibuimus, editionem secuti, quam post Surium ope codicis Corsendoncani curavit Henschenius* (*Act. SS. Mai. III, p.* 51). — *Eidem Stephano translationis historiam emendandam transmisit Thietmarus abbas Helmwardeshusensis, quæ alii collectionis nostræ volumini inserenda est atque accuratius etiam de Stephani scriptis agendi occasionem dabit.*

VITÆ LIBER III.

Quoniam, adspirante Deo, nobilem beati Modoaldi prosapiam, altissima regii sanguinis linea productam, in primo hujus operis libello dilucidavimus, in secundo vitam ejus laudabilem paucisque imitabilem, qua Deo caras hominibusque venerandus extitit, omni regiæ nobilitati prætulimus, transitumque ejus gloriosum angelicis choris gaudium intulisse peroravimus : nunc jam in tertio non ab re judicavimus perpaucis explicare ipsius sanctitatis indicia, qualia videlicet miraculorum primordia, omnipotentis Dei gratia, post quietam famuli sui dormitionem, ex illius reliquiis in urbe Treverensi voluit ostendere . . . . . B turi sumus. Ibi enim commemoravimus barbaras nationes generaliter per omnes Galliarum fines furoris sui frena laxasse, hic vero inducimus Nortmannorum gentem indomitam, de vagina suæ crudelitatis eductam, quasdam Galliæ et Germaniæ partes occupasse. Quæ immanitate sui sceleris grassata, in cervices fidelium velut ursa raptis catulis efferata, nulli sexui, nulli ætati parcere, senes reverendos necare, juvenes et adolescentes pro viribus vel tempore se defendentes confodere, parvulos matrum uberibus avulsos excerebrare, matronas castas, virgines pudicas dehonestare, urbes nobilissimas flammis edacibus concremare, sanctuaria Dei aut subvertere aut profanare, divina et humana pari contemptu pessumdare . . . . . .

1. Verum ex quanta barbarorum crudelitate, ex quanta præfatæ urbis desolatione occasio illa suborta fuerit, qua viri Dei merita fidelibus primum innotuerint, paucis libet perstringere ; quia quod in præfatiuncula hujus opusculi de simili calamitate, alio inducta tempore, disseruimus (573), argumentum cognitionis esse valet his quæ hoc in loco dic- C

Hujus horrendæ tempestatis procella urbem invadente Treverensem (*an.* 882), omnes pavere, trepidare; neque fugæ, quam non paraverant, neque præsidii ullam spem habere; præ oculis omnium imago mortis volitare, jucundæ populi urbanitates

VARIÆ LECTIONES.

[4022] proximo *ed.*

NOTÆ.

(570) Cf. Hist. litter. IX, p. 522 sqq.
(571) P. 51.
(572) Cf. locos supra p. 112, n. 1 et p. 115, n. 42 allatos.
(573) V. locum partim supra p. 112, n. 1 adscriptum.

in planctum, chori psallentium in luctum, choreæ puellarum in lamentationes migrare. Totius civitatis faciem immutatam videres, divinæ religionis vix aliquas tenues reliquias remanere. Porro Deo dicatæ virgines, quas in oratorio beati Symphoriani martyris cœnobiali conversatione Deo servire supra exposuimus (574), inter tot mortis genera ad consueta orationum arma confugientes, pro castitate servanda, quam devoverant, non pro vita præsenti tuenda, quam despexerant, supernum cœpere auxilium ardentissima spiritus contritione invocare; ac beati Modoaldi sepulcro omnes advolutæ, ut ejus patrocinio ab imminenti eriperentur periculo, talibus vel talium similibus cœlum precibus feruntur penetrasse : *Domine Jesu Christe* . . . . . Hujusmodi precibus cum magna spiritus contritione, cum magno lacrimarum imbre profusis, non defuit operatio supernæ exauditionis, non defuit exhibitio miraculorum beati confessoris. Ne ergo Deo sacratæ virgines mala viderent, quæ pro sexus fragilitate metuebant, neve bona amitterent, quæ pro castitatis observantia promeruerant, mirabile auditu, mirabilius visu! in pace lecto decubantes, intra dies triginta omnes præsenti decesserunt vita; tantoque feliciter, quanto perenniter victuræ, cum ornatis lampadibus sponso cœlesti occurrentes, sempiternæ jucunditatis thalamum cum illo ingressæ sunt. Quarum corpora in eodem sunt oratorio recondita, in quo beati Modoaldi pignora; ut cujus patrocinantibus meritis animæ illarum cœlum cum suo possidebant patrono, ipsius exigentibus reliquiis corpora in eodem humarentur loco; ubi florent orationes earum, et exuberant Dei beneficia ad memoriam virginum ex tunc et modo et usque in seculum.

2. Cum igitur ejusdem tempestatis adhuc residerent vestigia longaque solitudo pleraque sanctorum cohiberet loca, fiebat nimirum, ut illæ sancti familiaris angulus pro sui quidem dignitate parum obtineret reverentiæ, neglectu vero civium omni custodia destitutus etiam pateret injuriæ. Sed ea mortalium incuria nostro pontifici auctioris gloriæ facta est materia. Quidam enim viri, genere Franci, suæ gentis haud ignobiles, animo et corpore quam maxime valentes, sanctæ devotionis gratia urbem Treveris accesserant; quam suorum sanctorum numero superbam, tum vetustatis dignitate celebratam, omni Gallia magis clarere compererant. Ejus aliquamdiu laribus obversati, religione delectati, sacra terebant limina, ex ignotis pene notissimi; cum interea viros natura sagaces flamma subiit pulcherrimi facinoris, ut quocumque modo precibus aut pretio tot sanctorum pignoribus cum maximo Trevirorum participarent beneficio..... Itaque simulata devotione ecclesiam sancti Symphoriani subintrantes ejusque omnia quæ sibi mox usui forent explorantes, vident domum incultam, injuriæ opportunam, ministris civibusque neglectam, merito quidem sui Croesi divitiis nobiliorem, sed rei familiaris inopia longe ceteris obscuriorem..... cum matutina plebs ad orandum cœpisset ex more concurrere..... (575) Ceterum hujus facinoris castigandi gratia, ne quid simile deinceps perniciosa crearet licentia, decernunt in commune, corpus sancti in propatulo positum, ab ecclesia transferre, cœlestemque thesaurum firmioribus apothecis et tutiori ærario commendare. Itaque arcam ligneam, firmissimis tabulis compactam ferreisque nexibus circumquaque munitam accelerant; eoque translata confessoris pignora, in oratorium sancti Paulini super altare sanctæ Crucis summa cum veneratione deportant; consulte scilicet, ut par pari, sacerdos sacerdoti jungeretur, illoque adventantes duplici patrocinio solatiarentur. His additur ex Pario marmore tabula, ad extremam manum decoris mira sculptoris arte perducta, quæ propter sepulcrum ejus reperta, sepulti nomen et meritum præferebat, hac serie exarata : *Hoc est sanctuarium Deo dilecti Trevcrorum archiepiscopi Modoaldi, cujus rex Dagobertus sanctitatem, sicuti in ejus præcepto de Treveri continetur, intra Ligerim et Rhenum magnifice extulit et dilatavit* (576). Quod etiam in superioribus memoratum est.

3. Igitur sancti Paulini ecclesia novo illustrata hospite, in quantum brevi claritudinem pervenerit, quanto fidelium studio priorem neglectum correxerit, dum pauper cum divite eo suas necessitudines maturat deplorare, memoratu est incredibile. Sed postquam diuturna quies otium, otii vero securitas corruptos mores pepererat, totamque urbis faciem immutatam pro religione divinorum contemptus incesserat : sustinenda erat necessario supernæ correctionis sententia, quæ pollutam licentiam sub freno districtionis coerceret. Itaque juxta sententiam prophetæ : *A sanctuario meo incipite* (*Ezech.* IX, 6), intempestæ noctis silentio idem oratorium subito conflagravit incendio (577), id scilicet agente divina censura, quo ne per diem accensum facili concurrentium restingueretur industria. Ferebantur undique globi ignium ventis urgentibus, totisque habenis regnabat flammarum impetus; cum interea expergefacti custodes vident res suas in extremo sitas, opes ad subveniendum ubivis imparatas. Itaque quod in tanto constrictis licebat articulo, festinare, concurrere, ingenti metu trepidare, nec contra niti nec posse quiescere, postremo manerent an fugerent

NOTÆ.

(574) Lib. II : *Interea . . . super ripam Mosellæ oratorium in honore beati Symphoriani martyris extraxit, opere quidem exiguum et artificiosi schematis decore minus ambitiosum . . . Ibi quippe congregationem sanctarum virginum . . . . . instituit. . . . . Quibus etiam ad regularis vigorem disciplinæ servandum sororem suam præfecit nomine Severam.* Cf. Gesta, c. 24.

(575) Corperis partem ablaturi sanguine fuso deteguntur. Hist. I, p. 76.

(576) Quo tempore factum non constat.

(577) V. falsum hoc diploma ap. Hontheim.

incerti, malum improvisum, anceps periculum clamore testari. Quorum vocibus exciti licet admodum pauci, si qui tamen sub obscura nocte confluxerant, aurum et argentum, quæ prima mortales putant, variamque sacri ministerii supellectilem summa ope tueri satagebant; de sanctorum vero pignoribus eruendis immemores, nulli rerum minorem operam impendebant. Unde et contigit, ut ignis edax, dum nulli locorum parceret, non solum arentem lignorum materiam penitus absumeret, sed tabulas quoque marmoreas, operis dignitate mirandas, circumquaque corrumperet. In tanta rerum difficultate quis tuas, sancte, reliquias non æstimaret uri perditum? Ruebat undique moles ædificiorum, dissiliebat vi caloris soliditas marmorum, totaque sacrarum ædium facies una favillarum erat congeries. Et quis omnium apothecam lignearn, contra vim ignis tenerrimam, quæ media templi testudine in edito posita omnem ruentis fabricæ excipiebat impetum, crederet periculum evasisse? Sed quod actu difficillimum ægris videbatur mortalibus, summo Procuratori facillimum rerum probavit exitus.....

4. Sed quia majorum ingressi vestigiis, qualiter beatus confessor suarum reliquiarum defensioni semper affuerit, monstravimus, libet cetera ejus carptim attingere, utque suorum supplicum post id derum numquam saluti defuerit paucis absolvere. Mausoleum illud lapideum, quod a quibusdam temerariis effractum, latenter expoliatum, sicut ex præmissis claruit, veterum memoria testabatur, postquam majoris cautelæ gratia, omnibus id consulentibus, pretioso thesauro vacuatum est, pari nihilominus atque dudum reverentia in eadem ecclesia compositum, sancte admodum reservabatur. Hujus superficiem docta manus artificis tabulis undique marmoreis a fronte præcinxerat, eisque solide ad invicem compactis, decorem operi, usum decori addiderat. His vero ex vicinitate sancti corporis tantum virtutis tantumque gratiæ salutaris divinitus accesserat, ut credi vix possit, quantis mortalium incommodis, patrocinante sancti beneficio, salus exinde procurata sit. Quicumque enim longis febribus usque ad ossa depastus, quisquis morbo diuturno confectus, huc cum fidei integritate suarum A ærumnarum querimoniam detulerat, rasura ejusdem marmoris aquæ mixta et in potum sumpta, celerrimum languoris remedium certissima curatione obtinebat. Hujus opis capessendæ gratia cum hodieque innumeros ex diversis mundi partibus videamus concurrere nullumque frustra pii intercessoris suffragium desiderasse, unum tamen fide et religione præstantissimum silentio præterire non est consilium. Moguntia, civitas totius Germaniæ celeberrima, Rheni imminet littoribus, commerciis patens egestatis insolens, agrorum et vinearum fertilis, nulliusque necessariæ rei indigens, viris et ædificiis satis exornata, sed multo beatius, quod pretiosissimum religionis genus est, reverendo monachorum ordini illustrata. Horum in uno monasterio, quod longe B ceteris nobilius Sancti Albani dicitur, nostra memoria quidam præpositus, Severendus nomine, cœlesti philosophia exercebatur, vir optimis artibus a tenero ungue imbutus Deoque et hominibus ob multa ingenii bona carus et acceptus. Sed hos tam lætos successus præpediebat ægritudo continua, lentisque febrium vaporibus non lente viri eminentis premebatur industria. Qua peste acerrima jam per triennium exhaustis viribus, nihil postremo credidit salubrius, quam, inutili medicorum opera cessante, cœlestis manus suffragium quæritasse. Nam edoctus claritudinem Treverensis ecclesiæ, eo profectus intendit; parsque factus supplicantis populi, humilis precator, sed celeberrimus beneficiorum impetrator, C tumulum sancti accessit, potum abrasi marmoris sincere participavit; nec fideli desiderio frustratus, brevi ex infirmo sanissimus, pallorem redivivo colore mutavit. Is non immemor beneficii, cum sanctis omnibus pure deserviret, tum suo curatori familiarius inhærebat, eoque devotionis circa illum profecerat, ut locum nostrum (578), quo ejus reliquias nuper translatas didicerat, speciali affectu multus et frequens expeteret, et ante fraternitati nostræ acceptus, tum vero ex assiduitate commanendi acceptissimus fieret. Hujus relatu virtutem, quam expertus fuerat, fratribus sui studiosis compertam, haud injuria nostræ narrationi credidimus inserendam nihil verentes debili falsitatis calumnia pulsari, quæ tam veracis viri patrocinio facile poterit enervari.....

EX INVENTIONE ET MIRACULIS S. MATHIÆ.

Lambertum a Legia (579) *libros de Vita et miraculis S. Mathiæ apostoli scripsisse jam Trithemius retulit* (580); *id quod etiam Browerus* (581), *Hillarius* (582) *aliique testati sunt. Ideo Henschenius cum duas*

NOTÆ.

(578) S. Jacobi monasterium vix intelligere potest. Num hæc Helmwardicensis monachus addidit?

(579) Quem cave ne eumdem putes qui Vitam S. Heriberti scripsit s. XI, v. Hist. litter. VIII, p. 6, Mon. SS. IV, p. 739; Hist. S. Laur. Leod. ap. Martene IV, p. 1067.

(580) Ann. Hirsaug. p. 174. De illust. viris Germ. Op. I, p. 133, ubi ita loquitur. *Lampertus de Legia, monachus cœnobii sanctorum Eucharii et Matthiæ apostoli..., vir undecunque doctissimus, philosophus, rhetor, musicus et poeta clarissimus, ingenio subtilis et comptus eloquio. Scripsit tam metro quam prosa quædam præclara opuscula, de quibus ego tantum repperi subjecta: De miraculis sancti Matthiæ apostoli magnum opus metrice compositum lib.* 5 (Ann. Hirsaug. l. l.: *de miraculis sanctorum lib.* 5); *de sancto quoque Agricio lib.* 1 (cf. supra p. 114); *ad Lampertum* (lege: Ludovicum; v. Hillar. p. 85) *abbatem suum vitam sancti Matthiæ apostoli edidit lib.* 1; *sermones etiam varios in honorem sanctorum lib.* 1; *epistolas quoque multas ad diversos; carmina diversi generis elegantissima et multa et varia composuit, et alia complura nobis incognita.*

(581) II, p. 22.

(582) P. 85.

die S. Mathia Treveri sepulto et invento narrationes ederet (Act. SS. *Februar. III, p. 441 et p. 448*), *quin altera Lamberto tribuenda esset non dubitavit* (583); *et eam quidem illius nomine inscripsit quam ex codice Sanmathiano recepit quamque paulo post sancti inventionem confectam esse primo patet aspectu. Hillarius vero alteram Lamberti esse, eo docuit, quod præfatio huic præmissa in codice Treverensi Lamberti continet nomen. Qua in re ipsum falsum esse* (584), *equidem non putarim, neque video quid nos impedire possit quo minus hanc amplectamur sententiam. In Lamberti ætate indicanda Trithemius consueto more errat* (585), *neque aliunde certi quidquam de tempore quo vixerit compertum habemus* (586), *præfatione illa excepta, quæ ad abbatem L., id est Ludowicum, qui post medium sæc.* XII (587) *monasterium S. Mathiæ regebat, missa est* (588). *Cognomen Lambertus inde accepit, quod Legiæ sive Leodii natus fuit* (589); *vixit vero in S. Mathiæ monasterio, ibique sancti laudes tum carmine tum pedestri sermone celebravit. Illud ineditum neque a me in codice Treverensi lectum est, hic liber primo Vitam sancti Mathiæ exponit, ex Hebræo codice, ut dicitur, translatam* (590), *postea inventionem et miracula narrat s.* XII *facta, sed ex antiquiore illa relatione maximam partem descripta, hinc inde singulis quibusdam iisque fabulosis notitiis aucta* (591).

Hæc omnia tanquam nullius pretii omisi, sed priorem illum auctorem sequi malui, qui diligenter ea exposuit quæ a majoribus acceperat vel præsens viderat (592). *Miracula quæ additum iri in fine dicitur nunc desiderantur; neque libros de S. Mathiæ miraculis a Lamberto metrice scriptos* (593), *qui in bibliotheca Treverensi etiamnum exstare videntur* (594), *ad manus habui; alia vero cum Lamberti vita edita sunt* (595), *alia ex codicibus Erlangensi s.* XII, *qui Vitam S. Ottonis Bambergensis aliaque continet* (596), *et Treverensi* (*N.* 547) *s.* XIII *exscripsi, quæ quamvis partim recentioris temporis sint huic monumentorum Treverensium collectioni inserenda duxi.*

NOTÆ.

(583) Cum Henschenio facit Hist. litter. XII, p. 531 sqq.

(584) Quod Sybel. contendit, die Advokaten II, p. 43 n.

(585) Lambertum a. 1038—1047 vixisse uno loco dicit (Ann. Hirs. l. l.) altero : *Claruit*, inquit, *sub Henrico quarto a. D.* 1080.

(586) Unum est quod Brower. l. l. dicit Lambertum se ope d. Matthiæ hoc ævo a febribus scribere liberatum (v. n. 67). Sed ne hæc quidem cum nostra pugnant sententia.

(587) Inde ab a. c. 1169—1182, ap. Hontheimium in chartis occurrit.

(588) Hæc ex Lazii editione ab Henschenio descripta nominibus caret, quæ Hillarius ex codice Trev. adjecit : *Reverentissimo domino suo ecclesiæ sancti Eucharii Treviris abbati vere dignissimo L. humilis levita Lampertus, omnium fratrum illi commissorum ultimus, debitæ subjectionis devotum obsequium. Cum verbo simul et opera præpolleas, pater beatissime, plurimos a levitate seculari retractos theoricæ claustro (societati?) ex quibus in specialius illud tuæ sollicitudinis studium impendisti. Attestantur iis tua instantia cotidiana ammonitio, correptio; quam licet ex juvenili levitate non satis libenter excipiam, ex qua tamen pietate prodeat, cum mentem a vanitate recolligo, non ignoro. Illud quoque præterire non debeo, quod me lectioni instare jugiter præcipis et hortaris, ne scilicet otiosum inimicus inveniat, ne murmurando mentem occupet, ne detractio in lingua deserviat, ne manus operi quod ad rem non attinet insistat. Præcipit igitur beatitudo tua, ut vitam beati Mathiæ apostoli, ad cujus ossa digne præsides, ab Hebraico volumine, qui Damnatorum liber intitulatur, quod in eo contra legem agentium judicia contineantur, exceptam latius exponerem secundum indagatam avido vel potius extortam omnem rei veritatem. Quod ego, licet audaciæ merito denoter, feci tamen ut potui. Proinde licebit alii latius tum eloquentius explanare stylumque rusticum lima urbana decentius expolire. Dominus te incolumem nobis custodiat, pater carissime. Amen.*

(589) Hi versus ap. Hillar. l. l. et Wyttenbach, t. I, præf. p. XX ex cod. nunc bibl. publicæ Treverensis N. 80 exhibentur :

Legia me genuit, fovet altera Treberis, in qua
Parvus ego, parvo modulatus, parva repono.

(590) V. epist. n. 62 relatam et prologum hunc libro præmissum : *Cum multo studio et sollicitudine flagrarem, quomodo gesta beati Mathiæ apostoli, quæ apud nullum ecclesiasticorum interpretum habentur, invenirem : quidam presbyter nomine Theodericus fluctuantem me ac tristem videns, causas a me tristitiæ requisivit et accepit. Unde summa exultatione perfusus, quia hoc in me studium invenerat, dixit, quod si eorundem gestorum interpres esse vellem, cum quodam Judæo familiari suo se acturum, ut mihi librum quem ipse Damnatorum intitulat pro eo quod in ipso contra legem agentium damnatio contineatur, Mathiæ scilicet, Jacobi utriusque et Stephani, idem Judæus præsentaret. Didiceram eo tempore a quodam ex Judæis litteras Hebraicas. Venit ergo libellum, deferens; cujus cum ego titulum legerem, Sir Hasirim, hoc est Cantica canticorum, scriptum inveni; tantaque indignatione commotus sum, ut vix ab illo manus continuerim. Nam ille sibi in christianos odio ingenito decipere me gestiebat. « Et tu, inquam, leno spurcissime, clericumne fallere temptas, qui Hebraicarum, Græcarum et Latinarum historiarum plenissimam acceperit scientiam? Nihil est certe in vestra bibliotheca, sive Græca sive Latina, quod nesciam. » Timore ergo correptus, maxime ne ei apud principem, in cujus gratia tunc fui, nocerem, jurejurando se mihi satisfacturum promisit: quod et fecit. Lecto namque titulo libri quem postmodum detulit, Ay Mathay, hoc est Vita Mathiæ, scriptum deprehendi. Denique opinatus omnia me intelligere quæ infra scripta erant, licet invitus, omnem tamen ex ordine veritatem mihi aperuit, accepto a nobis pretio viginti trium solidorum. Post hunc anno sequente dominus meus archiepiscopus ab alio Judæo, in periculo rerum suarum constituto, ita se omnia habere deprehendit, excepto quod ad nomen suum allusisse dixit versiculo psalmi. Postea cuidam inclusæ pro hoc ipso triduanum jejunium agenti idem revelatum est. Legatur itaque absque omni dubitationis scrupulo, quod tam certis argumentis verum esse deprehensum est, quia omne ambiguum Spiritus sanctus abolevit. Quomodo autem de Judæa in Treverim venerit, sicut in historia Trevirica et in monumentis Silvestri papæ legi, miracula quoque ejus subsequenter edisseram.*

(591) Pauca in notis retuli.

(592) C. 6. — Primo cap. Gesta sequitur.

(593) De quibus cf. Trithemium l. l. Huc etiam pertinere videntur quæ Brower. l. l. monuit : *Ipseque adeo Lambertus cœnobita non illiteratus qui opera ibi divinitus patrata scripto etiam libro est persecutus, ope se divi Mathiæ a molestis acutisque febribus hoc ævo scribit liberatum.*

(594) V. Wyttenbach l. l.

(595) Nescio an eidem brevis de S. Mathiæ ecclesia ab Eugenio papa a. 1140 dedicata relatio (Act. SS. l. l. p 453) tribuenda sit (Hontheim, Hist. I, p. 552, n. h.)

(596) De quo alibi accuratius agam.

EX INVENTIONIS HISTORIA.

Dignum et justum quidem necnon credimus displicere, si in gloriam et honorem beati Mathiæ apostoli Domini præter illam reverentiam, quæ ei in toto orbe terrarum sub die 6 Kalendarum Martiarum a Christi fidelibus exhibetur, civitas Trevirorum, quæ felicia ejus ossa continet, alium quoque diem solennizet (597). Re etenim vera pium est atque conveniens, ut quibus gratia datum est domini Dei nostri præ ceteris gentibus familiarius ejus quasi perfrui allocutione atque cotidiana confoveri benedictione, illum propensiori quam quibus hæc gratia non contigit revereantur honore. Hoc autem maxime congruum judicavimus die salutiferæ revelationis ejus. De cujus lætabunda translatione simul et inventione necnon et revelatione sed et qualium quantorumque miraculorum glorificatione lætificati simus, Domino adjuvante, prout possumus dicemus ex ordine. Sed ipsum beatum Mathiam in omnium primordiis necesse est per dominum Jesum deprecemur, quatenus ejus intercessione non alia quam quæ sibi digna ac Deo sunt placita, nostra ducti insipientia, proferamus.

1. Igitur (598) anno incarnati verbi Dei 368, Constantino Magno, patre augustorum, christianissimo imperatore, Romani nominis sceptra feliciter regente, beata Helena, mater ejus, imperatrix augusta, et ipsa nihilominus christiana in professione firmata, dominica cruce inventa, hujus patriæ suæ — erat enim indigena civitatis Trevericæ — piæ memoriæ beatum Mathiam apostolum a Judæa translatum cum aliis magnificis reliquiis, de quibus modo non est sermo, per patriarcham Antiochenum Agricium cum benedictione beati Silvestri tunc Romani pontificis huc destinavit. Quod nimirum exempla ipsius beati Silvestri eidem Agricio data legendo cognovimus. Quem videlicet beatum Mathiam non longe post fideles populi qui tunc erant Treviri, in gaudium et lætitiam venturis retro filiis, cauta consideratione propter ingruentes quas Ariani et pagani concitabant ecclesiarum persecutiones, juxta corpora sanctorum Eucharii Valerii et Materni terræ altius infossum venerabiliter collocaverunt; cujus nos nunc revelati gaudii participatione Dei nostri gratia perfruimur.

2. Perinde multum temporis fluxerat, annorum (*an.* 1047-1066) propemodum sexcentorum, et Eberhardus archiepiscopus vir industrius Trevirorum ecclesiam gubernabat (599). Hic efflagitatus est a rege, qui regnavit in illo tempore, Henrico scilicet, Conradi secundi imperatoris filio, quatenus ad illustrandum templum suum, quod Goslariæ faciebat, impertiretur ei de reliquiis sancti Mathiæ apostoli necnon et de corporibus aliorum sanctorum, quorum fama esset ecclesiam suam Trevirensem plus omnibus Cisalpinis abundare. Episcopus autem reliquias petenti denegabat, quoniam an illic essent dubitabat, immo, etsi sibi essent, ignorabat ubi essent. Inter hæc quadam vice, cum, ut sæpe faciebat, venisset Romam, sive orationis gratia, sive alia qualibet exigente causa, forte reperit librum illic, continentem quibus in locis singuli apostolorum prædicaverint, ubi et quomodo passi sint et quieverint; cognovitque legendo, sanctum Mathiam in Judæa prædicasse et quievisse, ac postmodum ab Helena Constantini matre a Judæa translatum, et per patriarcham Antiochenum Agricium Trevirim fuisse transmissum, ibique juxta corpora discipulorum Christi filii Dei in sinistro latere inter aquilonem et austrum fuisse depositum. Quod videns gaudio gavisus est, et assistentibus sibi quibusdam Trevericæ huic ecclesiæ non satis fidelibus causa congratulationis ostendit. Qui post regi propter quod prælibavimus non quiescenti, sed magis magisque de die in diem ut desiderium ejus compleretur instanti, ad gratiam regis adulantes, magnifici et pretiosi atque sacrosancti illius ecclesiæ thesauri delatores effecti, aperiunt, quid legendo cognoverint. Itaque cum rex audierat, quod juxta corpora, ut diximus, discipulorum Christi — nec dubitandum, quin beati Eucharii ac sociorum ejus — ossa illius fuerint antiquitus deposita, petiit cum interminatione gratiæ ac dilectionis suæ, simul cum illius reliquiis quantumlibet modicis dari sibi corpus sancti Valerii episcopi, pollicens, quod et fecit (600) ad honorem Dei et quasi conciliationem patrifamilias monasterii illius, beato supranominato Eucharío, quatenus frater et commilitonem suum a se separari permitteret, daturum se de redditibus suis magnifica beneficia. Igitur persuasu suffraganeorum episcoporum, Adalberonis vocabulo Sancti, Metensis, et Theoderici cognomento Magni, Virdunensis, aliorumque quos illo tempore Treviri contigit esse, effodi de profundissima terræ altitudine, licet invitus, tamen permisit archiepiscopus. Denique cum prædicti pontifices aliique e clero sepulchrum aperuissent, tanta ex eo repente odoris suavitas emanavit, quod omnes admiratione et metu perculsi et ut credimus divinitus inspirati, tanto thesauro regionem hanc nequa-

NOTÆ.

(597) Kalendis Septembris; quem diem, inquit Browerus, *sancti apostoli inventioni cœnobitæ posteri in divinis officiis habent feriatum.* HENSCHEN.

(598) Hoc caput ex Gestis c. 19, 18 sumptum est.

(599) Minus recte hæc in altera relatione (Lamberti) narrantur: *Anno ab inc. Domini* 1127 *regnante Henrico Romanorum imperatore secundo hujus nominis, Eberhardus archiepiscopus sedem Trevericam qubernavit. Huic Henricus imperator totique ecclesiæ Treverensi sacrum suam direxit legationem*, etc.

(600) Diplomate a. 1155 dato, ap. Hontheim I, p. 395; cf. Gesta c. 32. — Sed a. 1151 Heinricus Treveri fuit.

quam fraudare, sed cooperculo sepulchrum citissime claudere deliberaverunt. Ibi Theodericus Virdunensis episcopus extremitatem cappæ, qua eo die solemniter erat indutus, amisit; quia dum ipse sanctis reliquiis curiosius intendit, ut, si posset, aliquid ex eis subriperet, clauso cum celeritate sepulchro, partem cappæ intus claudi contigit, quam, eo invito et renitente, statim ferro incidi oportuit. Venerabilis vero presbyter, qui ossa apostoli tractare meruit, tali testimonio omni reliquo vitæ suæ tempore claruit, ut, quotiescumque cum aliquo carundem reliquiarum mentionem habuisset, statim mirum in modum digiti manus ejus dexteræ, sanctorum ossium tactu sacratæ, quasi oleo imbuti stillare cœpissent (601). Porro prædictorum corporum totiusque ecclesiæ petitione atque consultu, beati Mathiæ apostoli ossa sacratissima non deinceps sunt terræ infossa, sed desuper terram, verumtamen, ne forte furto surriperentur, in parietibus vel in altariis sunt recondita, vel infra ejusdem basilicæ septa, ubi a fidelibus illis deferrentur piæ devotionis obsequia, nec tamen auferri facile possent cujusquam personæ violentia, sicque fieret, ut civitas, hoc munita patrono, perpetuo ejus non defraudaretur beneficio. Ubi vero sacra illa pignora tunc fuerint deposita, senibus populis de medio factis, succedentibus filiis incognitum fuit (602-3).

3. Verum decursis abhinc fere octoginta annis; placuit domino Eberhardo, ejusdem, sanctorum videlicet confessorum Eucharii ac sociorum, cœnobii patri, quatenus veteres monasterii muros destrueret et novos ædificaret (604). Quacumque occasione opus istud inceptum sit, factum non est absque divina dispensatione, maxime cum nulla veterum ædificiorum urgente ruina tale sit opus exorsum, quod tam sumptuosum tamque inæstimabile postularit impendium (605)..... secus altare quod fuit ibi seorsum contra pedes confessorum, in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ consecratum..... Interea crescebat illa nova structura ædificii, et deducebatur magna admodum cum festinatione, priori tabernaculo adhuc habente statum. Contigit itaque æstate peracta, autumno inchoante, ut altari majorum arcuum, qui sunt in conspectu sanctuarii, machinas præstruentes, altare sanctæ Dei genitricis, quod supra diximus, opportunum judicarent esse amovendum..... Ibi invenerunt (606) locellum in modum arcæ plumbeæ majora corporis ossa Mathiæ apostoli continentem, sed et marmor latum ad modum palmi, in quo caraxatum fuit : S. *Mathias apostolus*, simul cum reliquiis intrinsecus positum. Quid plura? Nimirum ædes illa una omnium exultatione et laudantium Dominum voce personuit. Arca autem sacras habens reliquias in medio delata; theca lignea pro tempore apparata, ferro firmissime compacta, aliaque, propter quod supra paucis intimavimus, cautissima custodia obseratum esse [4023], donec, perfecto, quod præ manibus erat, opere novo, communi deliberaretur consilio, ubi condecenti mitteretur in loco. Paucis deinde transactis diebus, cœperunt multi infirmi confluere, et precibus apostoli subsecuta est gratia Domini. Benedixit enim Dominus terram suam, avertit captivitatem Jacob; quia post longos annos sterilitatis inediæ et famis terra dedit fructum suum, et Dominus præparavit mensam populo suo; et depulsa violentia tyrannorum et prædonum, jucunda tempora pacis et quietis successerunt, ut vere dicere exultantes possimus : *Benedictus dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ* (*Luc.* I, 68). Contigit autem hæc inventio anno dominicæ incarnationis millesimo centesimo vicesimo septimo, indictione quinta, regnante serenissimo et Dei cultore Lothario Saxone, sub pontificatu martyris Christi Meginheri episcopi, die Kal. Septembris (*an.* 1127), prima hora diei, ad laudem et gloriam Christi.

4. Sed sicut nullis præcedentibus meritis operum bonorum, sed gratuita potius Dei miseratione de hujus sanctissimi apostoli insperata inventione magnifice lætati provecti et consolati sumus, ita peccatis nostris merentibus, causisque quas supra memoravimus [4024] impellentibus, graviter post hæc contristati et periclitati sumus. Anno denique abhinc quinto, qui est dominicæ incarnationis millesimus centesimus tricesimus primus, cum jam veteris sancti Eucharii structura monasterii in novum studiosissime repararetur statum, quæque ex parte sanctuarii perfecta stabiliter cooperta trabibus tegulisque fuisset, 18 [4025] Kalend. Junii, cum fratres, meridiana transacta hora, jam nonam more solito

VARIÆ LECTIONES.

[4023] *locus correptus esse videtur.* [4024] supermemoravimus *ed.* [4025] *in numero aut mense fortasse vitium latet; nam d. 18 Kal. Jun. idem esset qui Idus Mai.*

NOTÆ.

(601) Lambertus addit : *Narravit mihi quidam senex religiosus cum lacrimis, se in compresbytero suo sæpius hoc vidisse cum admiratione multorum.*

(602-3) Aliter l. l. : *Hic* (presbyter)..... *Mathiam apostolum in tres portiones divisit, tribusque altaribus diligenter et secrete reposuit, paucissimis fidelibus consciis, ne postmodum alicujus violentia civitas Treverica proprio privaretur patrono.*

(604) Qua de re conferatur quod in altera Gestorum continuatione, postea edenda, legitur.

(605) Narrat quomodo pluribus in somnis S. Mathiæ corpus revelatum sit. Alia habet Lamberti relatio, ubi etiam hæc leguntur : *Post hæc in episcopatu Tungrensi quondam nunc vero Leodiensi locus quidam est Sustris nomine, pro eo quod sanctimoniales inibi degunt, quas vulgo sorores vocant. Erat in eodem loco mater monasterii religioni operam dans quæ, sicuti moris esse solet, sorte candelarum unum ex apostolis sibi patronum eligere decrevit. Inscripsit igitur duodecim candelis nomina duodecim apostolorum altarique superponens*, etc.

(606) Quomodo hoc factum sit, fabulose exponit Lambertus.

inchoassent, subito et insperate in ædificio sacrarii, quod versus aquilonem eidem monasterio adhærebat, maximus ignis accensus, minaces in altum flammas extulit, et correpto citius tecto sanctuarii, exitialem omnibus minabatur interitum. Mox dicto citius universa civitas commota simulque in unum conglobata, ad sedandum occurrunt ignem; cui se undique ascenso ipso ædificio opponentes, incendium divina, ut postmodum rei exitus docuit, voluntate sæviens frustra conabantur extinguere. Igne autem super capita illorum cadente — nec enim ardentia poterant scandere tecta – ingressuque, per quod intraverant, jam prope obstructo, cum evasionis nullus pateret egressus et ex imminenti periculo undique coartarentur : licet inviti, sævientibus cessere flammis, et aliqui per fenestras super inferiora proxima delapsi tecta, aliqui vero per funes se summittendo vix incolumes evaserunt. Rursus certatim concurrentes tecta dormitorii et claustri citissime destruunt, ne ignis de monasterio decidens, locum omnino inhabitabilem redderet. Quod utique factum esset, nisi clemens miseratio Dei affuisset. Nam ex oborto incendio monasterii longissime in extremitate villæ domus incensa est, quanto magis proxima ædificio tecta, nisi Dei protectio affuisset, pene consumpta fuissent. Unde merito proclamare possumus : *Nisi Dominus adjuvisset , forsitan obortus ignis vivos nos absorbuisset.* Quantum inibi lacrimarum fusum sit, quanti fletus, quanta suspiria, quis digne valeat enarrare, cum amantissimum certe locum in toto regno, per gratiam Dei ex inventione et ex miraculis beati Mathiæ nominatissimum, putarent ab exitialibus flammis exterminandum. Sed quid Dominus misericordiæ et consolationis ostendere dignatus sit, justissime videtur insinuandum.

5. Primum ante omnia incumbebat nobis sollicitudo de reliquiis sanctorum, et maxime de pignoribus sancti Mathiæ apostoli, quibus Dominus locum illustrare dignatus est, ne malevolæ mentis homines aliqua machinando consiliarent, ex quibus locus esset ludibrio deinceps et despectui subdendus. Quod ita etiam per omnia evenisset, nisi, ut paullo ante dixeram, miseratio Dei affuisset. Cum etenim ignis, ut prædiximus, contigua circumquaque lambendo consumeret, et ædiculæ, qua majus altare cum sarcophago sancti continebatur, ignis jam immineret, quidam malignæ mentis in unum congregati, communi tractabant consilio, qualiter idem sarcophago foras extractum arte qua possent laborarent ut inde subtractum urbi inferrent; dicentes, manifestis indiciis declarasse, non esse ipsius voluntatis amplius ibi commorari, cujus protectionis omnimodis monachi indigni fuissent (607). Circumdatum ergo sarcophagum longissimo fune ad exteriorem portam usque tendente, omni conamine de incendio eruere conabantur; sed qua intentione id facerent, evidens rei declaravit eventus. Nam centum et eo plures nunc brachiis, nunc fustibus impingentes, de loco vix movere potuerunt, donec venientes sanioris consilii et majoris auctoritatis viri, adnihilato eorum consilio, sic tandem cum ingenti labore foras extractum ante ipsius fores oraculi posuerunt. Quod tamen postmodum finito incendio in locum pristinum referentes, levissimi inventum est oneris, ut, quod paullo ante a centum viris non potuit moveri, nunc a duodecim facillime referretur.

6. Ex qua autem causa ortum sit vel cur permiserit Deus hoc prævaluisse incendium, scire volentibus pro posse pandamus; nam silentio res supprimenda non est, quia causa incendii major ipso incendio fuit. Erat ibi quidam monachus, ex aliunde adveniens (608), ibi jam ex multo tempore susceptus, qui non ibi secundum regulam promissæ obedientiæ, sed absque subjectione morabatur, et tantum falsissimæ utique fidelitatis ubique demonstrabat, ut non solum ei minima quæque committerentur, verum etiam cellarii indigne injungeretur obedientia. Qua tandem, licet invitus, amissa, quia inquietissimæ vitæ fuerat, maligno utique suadente diabolo, rursum custodis arripuit non jussus officium, quo et spontaneo quod præbebat adjutorio ad hanc quoque obedientiam aptus esse judicaretur. Quid plura? Ut suæ voluntatis erat, custodis adjutor deputatus, confestim contra voluntatem fratrum et etiam sæpe contradicentium in monasterio sibi lectulum collocabat, quo aptius perficiendæ suæ dementiæ locum inveniret. Inerat autem ei discedendi desiderium, ob quod omnimodis satagebat, licet furtive, sanctorum reliquias acquirere, cum quibus in alium locum veniens honorabilius susciperetur. Remanserat autem ibi de veteris monasterii structura turris admodum magna, ingredientibus templum pandens introitum, studiosissime quondam a venerabili Bertulfo abbate constructa; in cujus ascensu altare statuerat, quod licet, ex eo quod nuper ab his quos supra notavimus (609) violatum et reliquiis in summitate sui fuerat vacuatum, negligeretur, tamen, ut postmodum patuit, ex ossibus et cineribus sancti Agricii Antiochensis patriarchæ et Trevirorum archiepiscopi copiosissime fuerat insignitum. Qui licet per tot tempora nullo sciente inibi servaretur, tamen hoc a senioribus memoriæ traditum audivimus, quod prædictus venerabilis abbas interdum clanculo ascensa ipsa turre, orationi ibi per totum vacaret diem, sæpissime etiam pervigilem ante memoratum altare prostratus duxerit noctem. Forte igitur sic operis ratio postulaverat, ut eadem turris destrueretur, quatenus locus novæ daretur structuræ. Cumque ædificia ejus et laquearia jam pene ablata fuissent, prædictus monachus, nescio quo instinctus

NOTÆ.

(607) *Monachos sicut veste ita etiam moribus nigros, indignos esse Mathia*, Lambertus.

(608) *Quidam Suevus hypocrita* in Lamberti dicitur relatione.

(609) Hæc in editis non leguntur; ad eadem vero c. 3 respicere videtur.

spiritu, cum jam cœnandi horam præteriisset, operariis ab opere suo domum discedentibus, arrepto ferramento, prædictum altare confringere aggressus est. Et cum aliquantum in frangendo laborasset, invenit scrinium diligentissime sigillo superposito reconditum; quod sigillum, quia litteras non noverat, cujus esset, scire non poterat, sed primam tantum litteram se cognovisse nobis retulit, quæ est in capite supradicti abbatis Bertulfi, et ideo ipsius fuisse judicatur, qui ædificata ipsa turre altare pariter statuerat. Foras ergo prolatum scrinium, rejecto sigillo, temeraria non verebatur aperire manu; brevemque titulum marmori inscriptum ipsis ossibus superpositum auferens, quia aperte erat scriptus, utcumque potuit legendo cognovit (610), *Sanctus Agricius archiepiscopus* scriptum esse. Lætus ergo effectus, scrinium descendens secum detulit; et quia illud secure servandi locum non habuit, in cimiterio inter ossa mortuorum in cripta reposuit, donec tandem aptum sibi locum provideret, quo illud sine timore, nullo sibi conscio, servare posset. Quod et triduo ibi absconditum latuit, quoadusque in sacrario, quia, ut diximus, custodis adjutor erat, locum aptum servandarum reliquiarum cautissime provideret. Est autem sacraria domus inferior lapidibus camerata, superior autem lignis adoperta, ad quam de inferiori per cochleam ascenditur. In hac ergo superiori locum inter trabes et tectum præparavit, ibique sacra ossa de cripta reportata locavit, magnamque struem lignorum veteris ædificii circumposuit, sæpiusque illic eundo, interdum etiam ibi dormiendo, locum frequentare non destitit. Interea iter suum licentia acquisita parat, nunciumque fideli suo cuidam amico direxit, rogans eum obnixe ad se venire, adiciens quod rei quam vellet cum illo tractare nullum omnino alium vellet interesse. Reliquiarum igitur parte de scrinio pannis quos præparaverat imposita, studiosissime satagebat quatenus nil suæ obstaret profectioni, ut omnibus rite præparatis, quacumque die sibi placeret, liber posset discedere. Talia miser, divinam non recogitans animadversionem, tractaverat; sed Deus omnipotens, qui sanctum Agricium noluit separare a sanctissimo suo apostolo, cujus quondam per tanta terrarum spatia vector exstiterat, impiam ejus dispositionem manifestavit et cassavit. Cum etenim, ut prædiximus, locum eundem aliquandiu jugi sollicitudine frequentasset, die ante prædicta inde descendens more sibi solito, alias nescio quo ire paravit; cum subito ipsa domus, incertum unde exorto incendio, cum reliquiis et monasterio combusta est; licet aliqui ad honorem reliquiarum eum lumen ibi habuisse affirment, quod ipse ex toto negavit; vel rursum alii dicant, ab igne, quo candelæ ibi parabantur, hoc evenisse; quod incredibile videtur, quia ante triduum ignis ex toto ibi defecerat; re autem vera divina voluntate hoc decretum fuerat. Igne autem flammas in altum jaciente, ille miserrimus anxius de reliquiis, festinus accurrens, domum ascendit, pannum cum reliquiis jam incendio proximum apprehendit, quem secum trahere cupiens, omnino non potuit; nec ultra iniquis manibus tractanda cessit, sed potius ibidem comburenda remansit. Qui cum in trahendo frustra diu laborasset, desperans scrinium aperuit, ut saltem aliquod membrum inde acciperet, quod suæ voluntati incombustum servare posset. At cum introspexisset, subito ignis, quasi fulgor de sacris ossibus jaculatum, ita faciem ejus inflammavit, ut resupinus corruens pene exanimatus esset. Sed nec tunc quidem os aperuit, ut alicui ex accurrentibus cum armis et aqua rem panderet; quod si fecisset, jam illæsæ incendio reliquiæ ereptæ fuissent. Ita Deo disponente, Agricii ossa et pulvis in loco permanserunt, quæ inique furanda de loco requietionis sublata fuerant. Quæ postea minutatim inter carbones diligentissime requisita, magna ex parte inventa sunt, ut majorem ipsius corporis partem nos non dubitemus habere. Pulvis vero cum cineribus cautissime cribro purgatus, ibidem in unum locum servandus repositus est, quibusdam suadentibus ut in honorem ejusdem sancti Agricii altare ibi statueretur, et dedicaretur ecclesia. Per omnia benedictus Deus, qui nos, licet indignos, noluit privare patrono tali, cujus nos auxilio ubique gaudemus perfrui! Postquam autem hæc acta sunt, videns auctor hujus sceleris non posse celari quod Deus voluit manifestari, cuncta quæ gesserat vel cogitaverat protulit in medium; monstravit quoque locum ubi reliquias collocaverat. Quem fratres diligenter perscrutantes, sicut jam diximus, quantum potuerunt, semiusta ossa coadunaverunt, et honorifice in reliquum habenda conservaverunt. Ille autem miser, dictante omnium sententia, cum licentia discessit, quia nempe sibi nec loco huic habitare ulterius commodum nobis visum fuit.....

7. . . . . Mihi hoc satis mirum videtur, quod in tanto periculo ignis et incendii, in tanto concursu et multitudine utriusque sexus populi nemo prorsus vitæ vel salutis suæ debilitatem incurrit, nullus omnino nostrum rerum suarum aliquid perdidit.

Hæc utcumque dicta sufficiant; nunc aliqua miraculorum beati Mathiæ dicamus, quæ ante inventionem ejus contigisse multi adhuc in corpore manentes religiosi prædicant, a quibus nos hæc contigit audisse. . . . . .

Hæc miracula in editione desunt.

NOTÆ.

(610) Hæc Lambertus explicare volens ita dicit: *Cum non intelligeret penitus ipsam scripturam, scrutari cœpit si quid uspiam simile reperiret. Quod et fecit. Nam simile quid in codice Vitæ ejus scriptum inveniens, crebra inquisitione ad notitiam hujus neminis accessit.*

EX MIRACULIS.

1. *E codice Erlangensi* (611).

1. Interea (612) dum opinio beati Mathie multis signis cresceret, plurimi ex diversis orbis partibus fama virtutum ejus exciti [4026] veniebant et curabantur ab infirmitatibus suis. Quadam igitur die cum religiosi viri vota ferentes ad ipsum locum properarent, alius cuneus inde digressus illis occurrit. Cumque curiosius, ut assolet, de miraculis apostoli, an vere ita se haberent ut auditu perceperant, inquirerent, quidam maligne mentis, diabolo ut post patuit instigante : *Quidnam*, inquit, *anilibus fabulis creditis? Nescitis clericos monachosque ad fingendum talia plurimum callere, questus gratia, suisque prestigiis marsupiis nostris et apothecis laqueos ponere? Nimirum ut epulis vacent illi, jejunandum nobis erit; ut illi superhabundent, nos egebimus. Quod nobis bis ydola proponunt, nunc Martini, nunc Nicolai reliquorumque, non salati nostræ consulentes sed substantie inhiantes faciunt. Quasi vero hæc non sufficiant, novum bis quodammodo de Mathia deuaculum faciunt, ut patrium fundum penitus emungant. Redite itaque ad cor et videte, quia deliramenta sunt hæc anilia magis quam vera miracula.* Hec et alia multa, que brevitatis causa obmisi, eo dicente, uxor ejus ac filii aliique sanioris consilii viri rogabant eum ne sancto apostolo detraheret, dicentes hæc divina opera esse, non humana figmenta. Sed cum infelix ille non solum tacere renueret, sed multo deteriora proferret, subito traditus hosti antiquo, cujus hæc instinctu loquebatur, clamidem suam ac tunicam ad pedes usque scidit, et caballo suo insiliens per montes et valles ac devia queque se cum clamore valido proripuit. Quesitus igitur per biduum nec inventus est; post diem autem tertiam in palude quadam caballus quidem ejus apparuit, verum ille penitus inveniri non potuit. Cujus exemplo multi correcti et devociores effecti sunt.

Eodem (613) tempore quidam paraliticus de Arduenna silva que maxima est tocius Gallie. . . . .

Est autem quarto Kal. Julii solempnis consuetudo Gallorum, ut, in unum diocesi qualibet coadunata, cum reliquiis et letaniis ad urbem Trevericam properent, ut communi leticia beatorum apostolorum Petri et Pauli natalicia celebrent. Ab inventione tamen sancti Mathie maxime hic mos inolevit; unde et ipse sepius in cantu vulgari replicatur. Qua specie cum quidam laudes sancti Mathie, quas vulgo leysos vocant, canerent, unus [4027] eorum levitate juvenili actus, cepit jocari temere et pro laude simillima laudi decantare, ut risum sui similibus excitaret. . . .

Sequenti anno cum quidam rusticus Mosellam [4028] in vigilia sancti Johannis baptistæ naviculam ingressus cum uxore et filio ad limina beati apostoli per flumen Mosellam venire decrevisset, in ipso itinere a quodam tiranno captus, et cathenatus in carcerem mittitur, ceteris fuga elapsis. . . . .

In civitate Argentina provinciæ Alsaciæ quidam clericus. . . .

Alius vir, cum esset pastor ovium, beato Symeoni, qui Treveri in porta Marcia, que et Nigra vocatur, requiescit, ovem de paupere ovili vovit. . . . .

Duo viri de vico Logostein (614) nominato Renum transituri naviculam piscatoriam ingressi sunt. . . . .

. . . . . Judeorum quoque auxilia ac vetularum carmina consuluit. . . . .

Item puerulus matrem secuturus precuntem, de ponte Attile in aquas subjectas cecidit. . . . .

Juxta fornicem Attile triumphalem (615), qui duo millia passuum a Treverensi civitate distat ad meridiem, quidam adolescens, dum media estate Moselam transvadere vellet. . . . .

Miles quidam Treverensi territorio genitus non infimi generis sed pauperis erat substantie. Quapropter pudore actus natale solum reliquit, peregrinaturus ubicumque se obtulisset oportunitas. Devenit ergo Coloniam Agrippinam, ubi, cum et status et leges urbis placerent, subsistere delegit. Adscivit itaque sibi potentissimos quosque in dominos, ut, cum illis fidelitatem ac servicium fecisset, eorum auxilio et consilio tucior degeret. Cumque multo tempore prospere ageret nullaque agitaretur molestia, causa quadam obveniente unus dominorum ejus dissimulato odio domui sue illum ascivit correptumque in vincula conjecit. Novem denique dies in quadam arce jacuit. . . . .

Purgensis quidam ejusdem civitatis. . . . .

Puer quidam vidue filius morbo tactus ad extrema perductus est. Cumque dies 15 egrotasset, extinctus est. Compositus igitur feretro, media locatur domo, ubi more Gallorum vigiliis ac ludis solempniter frequentatur. Ludebant alii, sed mater flebat uberrime. . . . .

VARIÆ LECTIONES.

[4026] exciti *corr.* excitati *c.* [4027] usus *c.* [4028] mosellã *c.*

NOTÆ.

(611) Quædam cum his conveniunt quæ apud Lambertum (Acta S. S. l. l.) leguntur. Sed Lambertus hoc fonte usus esse videtur.

(612) Cf. Act. SS. l. l. n. 15. Antea etiam in codice historiæ legitur, qualis ibid., n. 9 exstat : *Fuit eo tempore quidam molendinarius nomine Lampertus civis Trevericus*, etc.

(615) Cf. Acta SS. l. l., n. 12

(614) Lahmstein.

(615) De monumento in vico Igel exstante sermo esse videtur.

Quinquagenarius homo quidam Pulcri-montis (616) accola, quod est Arduenne silve. . . . . quidam ingenuus vir ejusdem castelli municeps. . . . .

Suburbano rure quod Treveri adjacet versus aquilonem circa portam Marciam. . . . .

Apud Fuldam, que est Francie Teutonicæ, mulier quedam pontem fluminis transitura. . . . .

Erat quidam maligne mentis, sicut diviciis sic habundans etiam viciis; qui cedibus et rapinis in vicinos suos grassatus, violenter omnia depopulabatur. Quidam autem illorum quos injuste afflixerat, domum illius igni succendit et aufugit. At ille sicut erat mentis perverse, in quendam pauperem crimen injecit et pro tribunali judici illum detulit. Quod cum per advocatum suum pauper se fecisse negaret, ad hoc tandem causa devenit, ut duello determinaretur. Hoc tyrannus, sicut erat sanguinis avidissimus, leto suscepit animo; pauper autem se suaque dominio illius submittere volebat ut quiesceret. Sed ille renuit. Die igitur dicta venerunt ambo locumque duelli intrantes congressi sunt, pari certamine viribus impares. Attrivit [4029] enim tyrannus pauperem pene usque ad dedicionem, donec compulsus a suis nomen sancti Mathie invocaret pauper, divitem uno ictu deiceret, et occideret. Et salvatus est sanguis innoxius meritis beati Mathiæ.

. . . . . .

Juxta pontem Moselle quidam puerulus navicula excidens submersus est. Quod videns quidam juvenis vestibus abjectis aquæ insiluit, et inventum extrahere volens, maligno spiritu retrahente, quem Neptunum vocant, semel et secundo perdidit. . . . .

2. *Ex codice Treverensi.*

1. Anno verbi incarnati 1226, primo anno domini Gregorii pape noni, regnante glorioso imperatore Friderico, favente Deo, qui omnia quc vult facit in celo et in terra, in mari et in omnibus abyssis, qui producit nubes ab extremis terre (*Psal.* CXXXIV, 7), predicatores videlicet sancte Crucis, qui ubique terrarum discurrentes et crucis gloriam predicantes ex omnibus gentibus et populis et tribubus et linguis signaverunt servos Dei et milites Christi in frontibus eorum. Sensus enim et cogitacio humani cordis, que ad malum prona est omni tempore, ab adolescentia sua promptissima reddita est in gloriam Christi et ad reverentiam sancte Crucis, dum in remissionem omnium peccatorum populorum multitudines signarentur et in milicia celi boni milites Christi conscriberentur. Unde et gloriosus inperator Fridericus signum salutis suscipiens, nonnisi in cruce domini nostri Jhesu Christi gloriari voluit; pro cujus fide et devocione universi cruce signati gavisi sunt gaudio magno valde. Cor pravum hominis et inscrutabile de abysso dedit vocem suam, et altitudo terrene dignitatis manus suas ad celum levavit. Ex istorum igitur numero predicatorum predicator unus Cunradus nomine nacione Hallensis — que civitas inperatoris est in Suevia — venit ad abbatem Cystercii ordinis in Walrebach (617) — que abbacia sita est in episcopatu Radesbonensi in confinio regni Boemie; — qui vices suas et auctenticum domini pape predicto magistro Cunrado in predicanda cruce commisit et litteris suis et sygillo confirmavit. Veniente autem jam dicto Cunrado in civitatem que Cubitus (618) dicitur Pragensis episcopatus spectantem ad cameram regis Boemie [4030] et crucem predicante, tot milia militum et multitudines populorum signum crucis acceperunt, ut idem rex Boemie, cum proponeret bellum inire cum duce Austrie, nec posset ei resistere, quia magna pars militum suorum a predicto Cunrado signata erat, nec vires suas bellis inanibus regis expendere vellet; furore nimio commotus et spiritu maligno exagitatus, totam iram suam in ipsum Cunradum effundere voluit, utpote qui causa fuerit tante discessionis sui exercitus, et inminuta milicia regis minuisset honorem. Igitur accensis animis, notarium suum ascivit munera ingencia promisit, et eum in necem Cunradi armavit. Quia ergo pecunie obediunt omnia et munera excecant eciam oculos sapientum (*Deut.* XVI, 19), excecatus promissis, obtulit se in decollacionem innocentis. Multitudine ergo instar corone circumstante, stabat ille regis notarius evaginato gladio, et predicator crucis propter verbum crucis in modum crucis totus jacebat porrectus in terra. O spectaculum nefarium! o iniquitas que egreditur a facie terre! Fons turbatus pede, justus cadens ante faciem peccatoris. Stat inpius, jacet justus; et ut caput justi amputet, ferus gladiator adest. Prostratus itaque et morti proximus, orat et precatur, ut tantillum ei daretur spacium, quo confessionem facere et corpus Domini sumere posset. Dum ille preces funderet, et timore regis — sermo enim regis urgebat — nemo illi subvenire presumeret: ecce filia ipsius regis, irrupta undique circumstancium multitudine, nudato capite advenit, dolens et flens super inpietate patris. Prostratum levavit, et in capellam, que proxima erat, secum adduxit, et confessores ei pie providit. Respirans aliquantulum Cunradus, ante confessionem rogavit sacerdotes quatenus nomina duodecim apostolorum scriberent, et singulis cereis singula nomina adponerent, ut cujus nomen volente Deo assumeret, ipsum patronum et advocatum in tam horrende mortis discrimine et in future examine propicium haberet. Fa-

VARIÆ LECTIONES.

[4029] Atrivi. *c.* [4030] boecic *c*

NOTÆ.

(616) Beaumont.
(617) Walderbach.
(618) Elbogen.

cta confessione surrexit, accessit, tulit et legit, et nomen Mathie apostoli gloriosi scriptum invenit. Stans autem attonitus, et utraque manu tenens breviculam, in qua [4031] nomen sanctum sancti apostoli scriptum erat, toto corde et animo se totum devovens apostolo, rogat et deposcit sibi auxiliari et adjutorem celerem in tanta tribulacione fieri. Adest subito benignissimi benignitas apostoli, et facta est repente mutacio dextere Excelsi. Ira enim regis, que fuerat nuncius mortis, apostolo sancto interveniente et protegente conversa est in clemenciam, furor in misericordiam, tempestas magna in tranquillitatem maximam. Confestim ergo immutatum est cor regis, et eum sui penituit sceleris. Festinus itaque et cum ingenti tumultu militum se circumstipancium accurrit, ut idem Cuonradus terrore nimio tumultuantis turbe turbatus iterum se ad mortem pertrahi metueret. Veniens autem rex, ad pedes magistri Cuonradi cecidit, et toto corpore in modum crucis in terram prostratus, indulgenciam sibi dari humillime et devotissime expeciit. Cuonradus vero admirans gratiam Dei et auxilium celeberrimum beati Mathie apostoli, factus est quasi in exthasi in eo quod contigerat sibi. Regem prostratum de terra levat, et indulgens sibi vitam, reatum criminis letus relaxat. Venit et ille gladiator, notarius scilicet regis, pallens et tremens, et facti sui penitens, veniam peciit et accepit. Cuonradus continuo a rege assumitur, presente rege et omni multitudine in alto statuitur, et ut verbum Dei predicaret a rege jubetur. Erant illo die nundine et forum rerum venalium, quo e diversis locis mercandi gratia convenire solent populorum examina. Ipsa die Deo favente et rege gaudente maxima principum et militum et diverse etatis et sexus hominum signata est multitudo, et facta est leticia magna in populo . . . . . Iste idem Cuonradus predicator Treverim venit, et in ecclesia sancti Eucharii fuit, et in cimiterio ejusdem ecclesie predicavit coram tumba beati apostoli; Deo et beato apostolo liberatori suo immensas gratias reddidit, et hec omnia que in eo facta sunt enarrans, ad gloriam Dei et beati apostoli ea litteris mandari rogavit. Acta sunt hec in civitate que Cubitus appellatur sita in episcopatu Pragensi ad honorem gloriosi apostoli et gloriam domini nostri Jhesu Christi.

2. In episcopatu Spirensi est civitas quedam domini regis, que vocatur Gruoninge (619), spectans ad imperium; in qua civitatis habitatores [4032] in fraternitate beati Mathie apostoli ex antiquo fratres conscripti et associati sunt . . . . . Universi ergo elegerunt magistrum fraternitatis scultetum ipsius civitatis, Godefridum nomine, virum strennuum et industrium, qui quidem ad opera et negocia regis aptus et stremuus erat et ad collectas faciendas et oblaciones colligendas diligens et sollicitus, sed ad dirigendas et transmittendas oblaciones beato apostolo negligens et remissus . . . . .

3. Comes palatinus Henricus nomine a duobus suis clericis spiritu maligno repletis circumventus, ad hoc inductus est ut villam quandam Vilmar dictam super Logenam fluvium sitam, quam pie memorie Henricus imperator cum omnibus appendiciis suis pro remedio anime sue beato Mathie apostolo et sancto Euchario sollempniter donaverat (620), in proprietatem sui juris conaretur adtrahere. Idem enim duo clerici, ut favorem ipsius comitis magis magisque sibi conciliarent, promittebant ei privilegia et sigilla tali arte facturos, quibus intuentium oculi deluderentur et quasi ante multorum annorum curricula facta vetusta et antiquissima viderentur. His dolis et versuciis clericorum animus comitis abstractus et illectus, quia vir nobilis et potens erat nec ei ecclesia resistere poterat, predictam villam suam esse dicebat. Fama hec ad aures ecclesie pervenit et tamquam sonitu magni tonitrui omnes illius ecclesie fratres nimio terrore perculit. Abbas conventum ingressus et universos intuens animo valde consternatos, consolatus est eos in Domino dicens : *Quia prepositorum dominus potens est et comitem adtrectare et vobis propria restituere. Fidelis est*, inquit, *Deus , qui non patietur vos temptari supra id quod potestis, sed faciet cum temptatione proventum ut possitis sustinere.* Hec dicens comitem adiit, et accidit ut apprehenderet eum in equo sedentem et cum magno comitatu iter agentem. Abbas comiti appropinquans, causam et necessitatem ecclesie apperuit, pro ecclesia preces supplicationesque obtulit, orans et obsecrans quatinus intuitu Dei et beati Mathie apostoli et sancti Eucharii, quorum reliquiis et miraculis eadem [4033] ecclesia insignis haberetur, res ecclesie[4034] usurpare non presumeret, quia iram Dei et sanctorum ejus, qui illius loci sunt domini et protectores fidelissimi, effugere nullatenus posset. Comes itaque fastu temporalis glorie elatus, preces abbatis sprevit et abnuit, secundum illud: *Simplicitas justi quasi lampas contempta ante fatiem peccatoris parata est tempus statutum* (*Job* XII, 4). Et abbas quidem pro ecclesia legatione fungebatur et contempnebatur; oratio autem [4035] fiebat pro eo sine intermissione ab ecclesia ad Deum. Et Deus, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, de excelso sancto suo respexit in orationem humilium, et non sprevit preces [4036] eorum. Nam cum ad primas preces comes abbatem sperneret, manum Dei super se paululum adgravatam comes sensit ; equus [4037] enim ejus totus contremuit et casum minatus aliquantulum timoris

VARIÆ LECTIONES.

[4031] quo *c.?* [4032] habitores *cod.* [4033] *bis scriptum c.* [4034] *bis scriptum c* [4035] aũ::: *c.* [4036] *deest c, ubi* spete *in litura.* [4037] equs *c.*

NOTÆ.

(619) Grüningen.

(620) V. supra Gesta. c. 32.

comiti incussit; sed ipsam lenem castigationem, quia a Deo fieret, nemo eorum qui aderant advertere potuit. Comite itaque progrediente, iterum abbas comiti adjungitur, et preces precibus addens, ut ante contempnitur. Et equus [4037] comitis secunda vice majori terrore concussus ad genua corruit et sessorem suum gravi timore conterruit. Tunc amici comitis. . . . . tes [4038] et timentes ne forte hec visitatio Dei et sanctorum ejus esset indignatio, ceperunt unanimiter comitem exorare, ut ab injusticia sua dignaretur desistere, quia ire Dei et sanctorum ejus non posset resistere. Comes ergo corde obdurato preces omnium et consilia sprevit, et idcirco acrius castigari meruit, correctionem habens sue vesanie, quia tantummodo sola vexatio intellectum dare solet auditui. Tertia vice cum idem abbas, quem sollicitudo major stimulabat et sollicitabat, comitem interpellaret et multam patiens repulsam [4039] nichil proficeret : ecce repente in conspectu omnium manifeste dignam pro meritis iram Dei et sanctorum ejus comes expertus est, et sicut locusta violenter ex equo excussus, cum equo cecidit, et gravi allisione corporis adtritus, premortuus et ex sensu factus quasi amens in terra porrectus jacuit. Tandem a terra levatus et alias delatus, cum ad se redisset, intelligens plagas quas circa eum Deus et sancti ejus ecce jam tercio fecerant, timens ne pejora prioribus pateretur, amicorum quoque et nobilium blanda ammonitione ammonitus, protestatus est publice coram abbate et aliis quam plurimis [4040], injuste res ecclesie usurpare sibi voluisse et nichil juris in rebus ecclesie se habere confessus, ad iniquitatem prosequendam periculose inductum fuisse. Hec mutacio dextere Excelsi, qui dominatur potestati [4041] maris, motum autem fluctuum ejus (*Ps.* LXXXVIII, 10) pro voluntate sua et qualitate hominum aut mitigat aut exasperat. Itaque comes castigatus et humiliatus, versa vice abbatem petit et obsecrat ut errori suo clementer indulgeat, libertatem ville quam injuste rapere adtemptaverat libere et absolute cum omnibus appendiciis [4042] suis possideat, et cum fratribus ecclesie ut pro eo orent humiliter exorat. Grates quoque et gratias plurimas Deo et sanctis ejus egit, quod sic pie castigari meruit, nec cum sanctorum pietas morti presenti tradiderit. Preterea duo illi nec nominandi clerici fabricatores mendatii, qui adversus innocentem ecclesiam dolos tam nefandos continuaverant et comitem ad hanc iniquitatem adduxerant [4043], tesaurizantes iram, in die ire iram Dei et sanctorum horrende experti sunt, et ambo simul subitanea morte mortui sunt . . . . . .

4. Dominus castri de Merenberch, Hardradus nomine, quodam tempore ab adversariis suis impugnabatur, et adversarii ejus circumquaque discurrentes cuncta que sui juris erant prout poterant rapinis et incendiis devastabant. Venerunt ergo ad quandam villam que Duorlar dicitur non longe a predicto castro positam, et ad eundem Hardradum dominum castri pertinentem, eadem facturi que in aliis locis faciebant. Erat autem in eadem villa curtis quedam et horreum frumento plenum, collectum et aggregatum de quadam arabili terra, quam senior Hardradus, avus videlicet istius junioris Hardradi, beato Mathie apostolo in elemosinam pro remedio anime sue legaverat, quam in eadem villa colonus quidam Ludowicus nomine strennue excolebat et censum annuum de eadem elemosina ecclesie beati Mathie solvebat. Igitur hostes et adversarii eandem villam ingressi, ceperunt predas agere, ignem iniecre et villam exurere. . . . .

VARIÆ LECTIONES.

[4038] : : : : : gntes *c.* [4039] multa p. repusam *c.* [4040] pluris : : : : : *c.* [4041] potestatis *c.* [4042] appeneiis *c.* [4043] aduxerant *c.*

GESTA ALBERONIS ARCHIEPISCOPI.

Cum archiepiscoporum Treverensium historia Gestorum continuatione usque ad Meginheri obitum descripta esset, Alberonis viri illustris, fortis atque ingeniosi tempora secuta sunt, quæ ecclesiam penuria depressam nova gloria extulerunt, et Treverensibus magnas in rebus publicis imperii Germanici gerendis partes contulerunt. Ideo mirum esse nequit, quod plures in ejus laude canenda et scribenda versati sunt, alter episcopo nisi fallor vivo, alter sub Hillino Alberonis successore (621). *Primus carmine hexametro archiepiscopi Vitam usque ad* A. C. 1145 *descripsit, mox strictius, mox uberius de rebus publicis et ecclesiasticis locutus, sed ubique eorum quæ narranda duxit bene gnarus, quippe qui in urbe Treverensi vixisse et plerague suis oculis auribusve percepisse videatur. Etiam chartas quasdam adhibuit* (622) *totamque narrationem Gestis antiquis quasi breve supplementum addidit* (623).

Altius Baldericus rem aggressus est, cum aliquot post Alberonis mortem annis hujus Vitam narranaam susciperet. Ipse tunc magister erat scholarum, ab ipso Alberone a. 1147 *in hoc munus evocatus. Natus enim in diœcesi Leodiensi, villa Florinensi, ad papæ Eugenii curiam se applicuerat. Quem cum, papa in Galliam profecto, in urbe Parisiensi « causas dicentem et sæpe apposite perorantem », ut ipse narrat, Albero audivisset, secum Treverim adduxit, et scholæ ecclesiæ S. Petri præfecit* (624). *Inde ab hoc tempore archiepiscopo familiaris fuit eumque in itineribus nonnunquam comitatus est* (625), *ita ut res ab illo postea gestas bene perspectas haberet, et tam veritatis studio quam Alberonis amore ut eas posterorum memoriæ commendaret induci posset. Vixit pluribus annis post sub Hillino archiepiscopo, et, vel ipsius vel aliorum chartis,*

NOTÆ.

(621) V. Bald. c. 11
(622) v. 126, 136, 158.
(623) Quæ enim supra dicta esse monet v. 19, 82, in Gestis continuatis, non in ipso carmine leguntur.
(624) c. 22.
(625) c. 26.

annis 1152, 1154, 1156 *et* 1157 *nominatur; a.* 1156 *ecclesiæ S. Simeonis vrævositus erat* (626). *Postea vero nemo ejus mentionem fecit* (627)

Insigne vero scientiæ et ingenii testimonium Wibaldus abbas Stabulensis Balderico dedit, cum hic scholam Treverensem regere cœpisset (628); *neque Baldericus opere suscepto et finito bonam opinionem fefellisse judicandus est. Sermonem magis floridum quam siccum judicaveris, hinc inde poetarum Horatii et Ovidii locis exornatum* (629), *et ipse auctor se veterum scriptorum laudes æmulari apertis verbis dicit* (630). *Neque tamen fines rerum scriptori constitutos egressus esse videtur, sed plerumque apte et simpliciter quæ gesta sunt enarravit. Præfatione brevi sed concinna lectoribus veri amorem probavit, et quamvis archiepiscopi laudes non tacere sed viri egregii res admiratione dignas celebrare voluerit, nextiquam tamen partium studio se abripi passus est. Primis, nisi fallor, annis Friderici imperatoris pacificis et quietis de lite regni et ecclesiæ, qua Albero valde implicatus fuerat, integre judicavit, et regis Alberoni infensi epistolam narrationi inseruit* (631); *postea quæ minus comperta habuit aperte professus* (632), *ubi vero monumenta fide digna recipere potuit* (633) *hæc secutus est. Pluribus locis Balderici narratio cum Gestis illis metricis ita convenit, ut alter altero usus esse videatur* (634). *Sed uterque semper etiam propria habet, et quum poeta ille jam ante Balderici adventum libro finem dederit, Baldericus vero multo sit uberior et copiosior* (635), *hunc illius carmen vidisse quidem sed nonnisi paucis locis adhibuisse putarim. Post a.* 1145 *hic scriptos fontes nullos habuit, et hac potissimum libri parte propter rerum copiam et fidem magni est faciendus.*

Utrumque librum poetæ et Balderici scriptor ille Trevirensis penes se habuit, qui in cod. S. Mathiæ, Trever. n. 1344 *supra* C1 *nominato, Gestis brevem continuationem usque ad a.* 1152 *adjecit, sed præcipue Baldericum presso pede secutus est. Postea poeta diu latuit, Baldericus vero a Browero aliisque lectus, ab Hontheimio* (636) (*Prodr. II, p.* 767) *et Wyttenbachio* (637) (*tom. I, p.* 217 *sqq.*) *editus est.*

Gesta metrica in cod. Vindobonensi Hist. prof. N. 1069, *supra* B1., *primus Pertzius invenit, eoque flagitante V. cl. Chmel descripsit; cujus exemplar huic editioni parandæ fundamentum fuit.*

Codex Trevirensis n. 1387 (*IV*), *olim fortasse S. Mariæ ad Martyres* (638) *membr., s.* XII *ex., qui octo quaternionibus et* 3 *foliis constat, et elegantius quam diligentius scriptus est, Balderici Gesta Alberonis continet. Quem a.* 1840 *in bibliotheca Trevirensi cum editis accurate contuli, et nunc erroribus correctis* (639) *quam fidelissime exprimendum curavi. Singulari quodam folio voluminis initio archiepiscopi imago cernitur, hac inscriptione addita :* Domnus Albero archiepiscopus Trevirorum. *Ex hoc codice descriptus est alter chartaceus sæc.* XVI, *nunc N.* 1388 (1281) *indicatus, quem in libro edendo prorsus sevonendum duxi.*

Kiliæ pridie Kalendas Maias a. 1847.

G. WAITZ.

GESTA METRICA AUCTORE ANONYMO.

Non valeo lingua gestis depromere digna
Hujus pontificis; sed pauca rogatus amicis
Digero sermone ceu vir quo justiciore.
Musa fave, mendosa cave, cum plura revolvas.
Pastor age, dic presul ave, cum pauca resolvas.

NOTÆ.

(626) Hontheim Hist. I, p. 568 (*magister scolaris*); Gunther cod. dipl. Rheno-Mosell. I, p. 348 (*magister scolarum*); p. 353 (*scolasticus*); Hontheim I, p. 577 (*majoris domus scholasticus et S. Simeonis præpositus*); p. 588 (*magister scholarum*).

(627) Jam a. 1158 in Hillini charta, Hontheim I, p. 586, Balderici nomen desideratur. Legitur ibi Walterus decanus S. Simeonis, nullus præpositus, neque in charta a. 1162 ecclesiæ S. Simeonis data hic memoratur.

(628) Martene Coll. II, p. 247 et inde Hontheim I, p. 557 : *Frater Wibaldus, Dei gratia id quod est in catholica ecclesia, dilecto fratri et amico suo Baldrico magistro benedictionem et vitam usque in sæculum. Expediti tandem ab his occupationibus maximis, quæ nos, ut ipse nosti, ultro citroque implicitos diu tenuerant, posse cœpimus aliquando amicos nostros salutare et aliquid teneriοris affectus depulsa animi angore exhibere. Salutantes igitur tuam industriam, paterno et intimo affectu regamus et exhortamur in Domino, ut illud tuum nobile et acutissimum ingenium, quod tibi præstante Deo a natura insitum est et optimis artibus in juventute tua sublimiter cœptum, torpere per otium non sinas, ne honos, qui tibi quasi quidam laboris fructus ob scientiæ claritudinem collatus est, optimis disciplinis tuis quendam obscuritatis situm inferre prævaleat. Sane et acumen ingenii et facundiæ gloriam et adeptas dignitates humilitate quasi quodam gemmarum splendore ornabis, et memineris honores eisdem artibus esse servandos quibus eos es assecutus. Fortunatum enim, ut sæculariter dicamus, esse potuit quod ascendisti : sed regere A te ipsum in alto equidem industriæ est. Præsentia tua tuis auditoribus disciplina sit; raro siquidem castigabis, si assiduus fueris. Plus habet locus tuus quam docendi officium; nam et censoriam debes exhibere severitatem, quoniam et corrigendis moribus præfectum te esse noveris, quæ disciplina et exercitatio omnibus est subtilior et in fructu cunctis propensior. Scienti pauca sufficiant, non ut doctorem doceamus, sed ne officium prætereamus.*

(629) c. 3, 12.

(630) c. 16.

(631) c. 3.

(632) c. 4.

(633) c. 10. epistola cleri Trevirensis de Alberonis electione Innocentio papæ scripta.

(634) cf. c. 4 et v. 26 sqq.; c. 15 et v. 61 sqq.; c. 17 et v. 140 sqq.

(635) Etiam poeta quædam fusius et accuratius narravit; v. 86 de Conradi regis unctione, v. 110 de abbatia S. Maximini, v. 211 sqq. de expugnatione B castri Rudolfsberg.

(636) Cf. excerpta in SS. R. Gallicarum collectione t. XIV, p. 549 — 560.

(637) Sed hic suo more non solum quæ in Continuatione adjecta sunt, sed etiam posterioris ævi additiones textui immiscuit.

(638) Ex tali Hontheim l. l. editionem paravit. In codice nunc hujus patriæ vestigium nullum est.

(639) In scribendi ratione eo tantum a codice recessi quod in verborum fine ubique *ae* pro *e* scripsi Codex sibi non constat.

Ortus erat celebri vir de regione Metensi;
Post et in ecclesia puer est nutritus in illa
Inque inventute per regni climata late
Claruit. Et Romæ jam tunc diffusus ubique
Error magnus erat, quia papam cesar habeba
Fraude dolo captum, sic juramenta coactum,
Ut nunquam sese banniret, iniqua dedisse.
Sed fedus ruptum, cogentibus ecclesiarum
Principibus, grande belli succenderat ignem.
Paxque negata bonis fuit omnibus ecclesianis,
Ecclesiæ nati fuerant qui sic vocitati;
Cedibus ac predis intentis Heinriciadis,
Sic appellatis Heinrici nomine regis.
Hec jam de parte quadam perstrinximus ante (640);
Quare non esse liquet hec replicare necesse.
Tunc de quo loquimur velut insuperabile robur
Creverat Albero, cepitque patescere clero;
Primum cesarianis, post magnatibus ipsis
Innotuit, crebro contraria multa gerendo.
Nec non pontificem propria de sede Metensem
Adelberonem, non equa sibi sapientem,
Officioque suo fecitque carere sepulchro.
Cui successorem sanctum primo Theogerum,
Hinc Stephanum fieri, spreto satis imperiali
Obtinuit jure. Qua causa rege furente,
Mandatum multis ejus de funere mortis;
Quod multis gratum fuit, et satis insidiatum
Romam pergenti seu per regnum gradienti.
Evasit vero mortis vicinia crebro.
Sepe per infestos veluti paraliticus hostes,
Impositus carro, juncto protractus asello,
Transiit inmunis, sibi preduce paupere quovis.
Nam commentato facies superoblita fuco
Hunc abscondebat; agapes quoque suscipiebat
Illorum qui se meditabantur jugulare.
Sic Romam, sic ibat eo quocumque volebat.
Et contempnentes papæ decreta Metenses
Taliter agebat, quod nullus eos sepelibat
Defunctos, donec se plebs vesana novisset
Romanæ sedi numquam debere reniti.
Hic igitur nactus Trevirorum pontificatus
Sedem (641), jam dictum Stephanum nunc ante [Metensem,
Hactenus adversum tribus his metropolitanis
Nostris, Brunoni, Godefrido vel Meginhero,
Forte resistentem, sibi nec parere volentem,
Ut voluit tandem parere coegit eundem.
Ceperat inde rei propriæ sic consiliari,
Banno refrenans a predis compatriotas;
Et per episcopium tendens acies oculorum,
Undique corrasit sibi quod mens utile suasit.

Vers. 55.

A Et nec cenobiis propriis hac parte pepercit;
Et minus Eucharii dicto de nomine Christi,
Quod nimis attrivit nimium nimiumque gravavit.
Hinc ad cenobium Maximini repetendum
Intendens animum, magnarum pondera rerum
Aggreditur, et regis ad Italiam properantis
Lotarii comitatur iter, totumque per annum
Illius obsequium numquam defessus agebat (642).
Tam papæ quam regis ibi fit carus honori,
Cisalpinarum legatus et ecclesiarum
Efficitur, redituque suo corpus Megenheri
Quondam pontificis et decessoris abinde
Transtulit, inque domo sancti Petri tumulavit.
Mox nimium duræ subeunt discrimina curæ.
B Quippe suum castrum quod nomine dicitur Ara- [rum (643),
Dum fuerat peregre, pervasum fraude latronum;
Mors quoque Lotarii (644) regis diffusa per urbes.
His consternatus, tacitus paulisper agebat;
Sed confortatus animum viresque trahebat,
Miliciamque suam populum cives Trevirorum
Aggregat in castrum, circumdedit obsidione,
Post paucosque dies, sed non sine sanguine, cepit;
Et sibi vicinum Nanterum (645) nomine clarum.
Preterea missis hic circumquaque ministris,
Pontifices et primores collegit in unum (646)
Quo fuit in Renum Mosella decus fluviorum,
Et quem predixi (647) Counradum nomine regem
Constituitque suis hunc rebus honorificavit
C Et sumptu; mox hunc ad Aquis castrum properan- [tem,
Ut, ceu mos veterum constat, benediceret illum,
Prosequitur; sed non quequam procedere quivit
Hac re velle suum, quia presul Coloniensis
Hoc interrupit, proprii dicens fore juris
Ungeret ut regem. Cujus si quis rationem
Considerare velit, citius cognoscere quibit,
Quod rationis [4044] inops numquam subsistere possit.
Claret enim cunctis, quoniam [4045] primas Trebe- [rensis
Omnibus ecclesiis Gallorum Germaniæque
Presideat jure, quo summa negotia quæque
Disponat. Sicut legimus, cum mortuus esset
Lotharius, quondam rex falso, sed verus adulter
D Existens, Treberis cum nullus episcopus esset,
Thietgaudus quoniam presul peregrinus obisset:
Qui tunc presul erat Adventius ille Metensis
In vice primatis Karolum — quasi tercius illo
Nomine pollebat — statuit regemque sacravit (648).
Sed forsan dicent, quod eorum presul obisset
Tunc, etiam quod nos verum fore non reprobamus·

Vers. 103.

VARIÆ LECTIONES.

[4044] vel veritatis *superscr. c.* [4045] *ita emendandum est P.* — quam *c.*

NOTÆ.

(640) V. Gesta addit. c. 10, 19.
(641) An. 1152.
(642) An. 1136-1137.
(643) Arraz ap. Baldericum c. 15.
(644) An. 1137.
(645) Nantersburch ap. Baldericum l. l.
(646) An. 1138.
(647) Hunc auctor nequiquam nominavit, sed is Gestis Cont. c. 27, 28 appellatur.
(648) V. Reginonem a. 869.

At sibi subjectis vicis ejus jura licebat
Omnia implere, sibi lex si prisca favisset,
Quam modo divitiis calcant fastuque moderni,
Ut, quia pauperior est hec sedes Treberensis,
Propterea sit et inferior locupletibus illis.
Hec modo sufficiant. Albero tamen satagebat
Regis ad obsequium pre cunctis esse paratus
Rex quoque pre reliquis hunc semper honore co-
[lebat,
Ejus consiliis crebro feliciter usus,
Precipue quando Saxones arma movendo
Viribus immensis hunc infestare parabant.
Quo sumptu magno veniens et milite multo,
Obtinuit laudis palmamque suæ probitatis.
Hoc mediante tamen per pacis condicionem
Omissum bellum, populusque domum remeavit.
Pro quibus ac aliis ab eodem tam bene gestis,
Et quia non juste subtracta fuit Treberensi
Ecclesiæ, quondam de cujus proprietate
Et fundo vere legitur constructa fuisse,
Ut testamenta (649) referunt sub nomine regum
Qui Dagobertus Pipinus Karolusque fuerunt,
Hanc abbatiam Maximini nomine dictam
Rex sibi restituit, Petro per eumque beato (650).
Sed monachi, pulso paucis abbate Gerhardo
Ante diebus, ei mox quendam substituerunt,
Ignotum prorsus persona, religione;
Hunc et distracto templi duxere metallo
Vestibus atque sacris, Romanis hisque coemptis,
Hunc ab apostolico mercedibus obtinuerunt
Abbatem fieri de more sibique sacrari.
Et confirmatum banno metropolitani
Exemptum juri libertatemque tueri,
Acriter exposcunt (651), exultantesque reducunt,
Huncque suæ sedi superimposuere latenter.
His certaminibus pertransiit integer annus.
Quo grandis facto crevit metropolitano
Cura, quod hec tanta sibi vis illata fuisset
Contemptusque gravis ab eis quos semper amavit
Romanis, quorum sese virtute putavit
Omnes qui vellent se ledere vincere posse.
Sed quid ad hec ageret? Ne castrum rumperet illud,
Quæ sibi detulerant papæ mandata vetabant;
Introitusque suisque sibi non jure negatus.
Ipse tamen cives ad talia bella furentes
Crebro minis precibusque suis ab eis revocavit.
Motus preterea sua quod legatio spreta
Esset ab ecclesiis hic presulibusque quibusdam,
Omnibus impensis Romam festinus adivit,
Expositisque viæ causis, papaque favente,
Obtinuit quæ tunc voluit, victorque redivit.

Vers. 153.

A Atque sui voti compos effectus, ut illud
Cenobium semper sibi successoribus atque
Esset subjectum, per apostolicumque sigillum
Hac re firmatam referens pro munere cartam (652).
Sed graviora malis sunt orta prioribus exin.
Nam monachis factum fuerat presentibus istud.
Iis et apostolicus jussit metropolitani
Dictis parere, simul abbati per eosdem
Ecclesiæ donum demandans suscipiendum
Nutu pontificis sedisque manu Treberensis.
Sed cum decreto Romano presule spreto,
Rursum conspirant huic introitumque negabant;
Ob cujus meriti rem sunt anathematizati.
Sed querens veniam de banno solvitur abbas.
At monachi magnum super hoc fecere tumultum,
B Et comitem castri Lucelenburhc antea dicti,
Qui defensoris nomen susceperat horum
Pontificique fidem juraverat auxiliumque,
Cum septingentis corruptum pene talentis,
Fraude doloque fide prima vel federe rupto,
Efficiunt promtum quo bella moveret et arma
Qui veluti nostis ut crudelissimus hostis,
Cedibus ac predis capturis pluribus actis,
Sacra profanavit, villas ac templa cremavit.
Heu pudet armatas acies hostemque superbum
Ad portam Martis sanctique fores Symeonis
Clavigero celi contraria signa tulisse!
Non locus hic muro sed vili prelia vallo,
Hostilemque manum perpauci sustinuere.
C Non tamen immunis de clade superfuit hostis,
Sed majore sui dampno multatus adivit.
Vidimus ad pontem vesani presulis agmen
Igne furens, in tecta ruens, et fana profanans.
Aula Dei matris, quam quondam rex Dagobertus
Condidit, irrupta flammisque voracibus usta,
Sanctorum thecas, quas reperit hic super [4046] aras,
Districto gladio miles occidit avarus,
Par habuitque solum factorem reliquiasque.
Vidimus impleri quod ab Ezechiele refertur,
Quod violaturus hoc emissarius esset
Archanum Domini (*Ezech.* VII, 22). Sed non im-
[pune patratum
Hoc scelus. Ut villas aliquantas ecclesiasque
Hostis combussit et plures urere jussit,
D Presul cum cum milicia post terga secutus
Occupat, et multis ex ejus agmine captis,
Pluribus occisis, aliquantis debilitatis,
Accelerare fugam Domino miserante coegit (653).
Jam fuerat quintus hujus certaminis annus,
Expulsique loco sunt illi maximi juste,
Suffectique sibi monachi sunt religiosi;

Vers. 203.

VARIÆ LECTIONES.

[4046] supra *c.*?

NOTÆ.

(649) V. chartas regum ap. Hontheim Hist. I, p. 76, 120, 132, omnes dubiæ fidei.
(650) V. regis diploma ib., p. 541.
(651) V. Innocentii chartam ib., p. 543.
(652) V. Innocentii bullam alteram ap. Hontheim I, p. 547.
(653) Cf. Baldericum c. 20.

Quis a pontifice preponitur abba Sigerus (654)
Qui prius electus ab apostolicoque sacratus,
Post anatematizatus estque reconciliatus.
Ista sub autumpno sunt prelia gesta bienni;
Quos hiemes validi venti pluviæque fuere
Cum magno plebis dampno gemituque secuti;
Jamque putabatur pax parta quiesque futura.
Sed secus hoc cessit, quia castrum forte re- [mansit
Predicti comitis, quod abest tria milia nobis,
Nomine Butolicum [1047] (655) quod presulis agmine [dudum
Obsessum fuerat, sed ab obsidione solutum,
Cum presul comitis premeret tergum fugientis (656).
Sed castellani dederant se vel sua paci;
Inque fuga belli comes hanc laudare coactus.
Ut vero patuit paulo post fraude doloque
Rupit, eamque sui violarunt cedibus, igni.
Sic vulgus miserum patrio de limite pulsum,
Profugus atque vagus perit in diversa rotatus;
Quique remanserunt operi nullo studuerunt;
Tantum cura fuit illis ut ab hoste laterent.
Jam pecus abductum regio vastataque circum,
Agricolæ raptis annum flevere juvencis;
Cessit cultura terræ per Belgica rura.
Hoste malum faciente, minus Deus est operatus;
Namque pecus, quod ab hoste metus vel terror ab- [egit,
Nocte lupus laniando ferus vastator ademit.
Qui prope nos fluvius est Kylia (657) nomine di- [ctus
Teque Mosella petit, momenti tempore crevit,
Imbribus effusis tectis domibusque solutis,
Omne genus pecoris vel alitis intro repertum
Cumque viris pueros mulieres atque puellas
Pertulit, absorptos famæ majoris in amnem.
Interea Treveri curarum pondere pressi,
Talibus insueti bellis intendere nisi,
Aggrediuntur opus sine muro. Namque patebat
Urbs, nisi pontificis quam quondam cura Brunonis
Fecit ad australem longo munimine plagam.
Vallo circumdant vel muro menia firmant,
Custodes vigilesque locant vel lapsa restaurant;
Arma parant, sociosque vocant, hostemque fatigant.
Qui nimis elatus spoliis rebusque secundis
Jam sibi cessuram gentem speraverat omnem.
Sed facies rerum conversa vices dedit illis;
Cum Treveri crebris excursibus hoc repetentes,
Nobilibus horum captis gladioque peremptis,
Acceptas clades his cladibus equiparabant.
Mox ubi temperie prodibant gramen et herbæ,
Presul, corraso quod in ecclesiis fuit auro

Vers. 251.

A Preterea quicquid tunc reperit in cruce magna
Quam quondam felix Ekebertus contulit illic (658),
Rursum Butolicum toto conamine castrum
Aggreditur; sed difficile cepit licet illud,
Quod non fida sibi sociorum pectora sensit,
Qui castellanos, jam quos angustia panis
Dedere cogebat, clam pane dato retinebant;
Et cui tormenti quod vulgo manga vocatur
Credita cura fuit, jaciendi cessit ab arte,
Quod seductus erat mercedibus accipiendis.
Tandem cum cura, cum sollicitudine summa,
Post mortes hominum multas fusosque cruores,
Undique conclusi, vetiti dandis alimentis,
Jam desperati meditantur deditionem,
Egressumque petunt cum rebus sospite vita.
B Annuit his presul et conductum dedit illis.
Tum vero quidam de principibus Trevirorum,
Qui modicæ fidei multum prius impediebant
Pontificem, sed clam castellanosque juvabant,
Orant ut salvum donetur hoc sibi castrum.
Cumque notum Treviris foret hoc sermonibus istis,
Infremuere nimis, et vociferatio grandis
In castris oritur passim magnusque tumultus,
Armaque diripiunt. *Hoc si castrum*, modo dicunt,
Permaneat salvum, cur nos obsedimus illud?
Cur tocies domibus nostris natisque relictis
Nocte dieque vias transivimus atque timores?
Esuriemque, sitim, pluvias solisque calores,
Vulnera, livores, et mille pericula, mortes,
C *Impensas, studium, curas estusque laborum*
Incassum tulimus, nichil hac si parte lucramur.
Hoc manet effugium cuivis de gente latronum
Exulat hic tutus qui grassator populorum.
Hoc urbi nostræ fuit, hoc patribus inimicum,
Hoc vetuitque viam tam nobis quam peregrinis.
Hic fusus sanguis noster, nostrique propinqui
Et socii pariter hic mortibus occubuerunt.
Sed magis ite viri, jam solvite vincula colli,
Dum vacat, a cervice jugum deponite durum!
Quod quantum premat ignotum, quia venit in usum;
Sed mox depositum concedet grande leramen.
Nec quid quisque comes dicat vel quid velit aut dux
Cernite; sed vestræ faciem cognoscite turbæ.
Sunt multo plures qui nos et nostra sequentur
D *Signa, vel adversos qui fortiter ense repellent.*
Est rerum dominus presul, qui nostra juvabit
Vota suo nutu, si lingua forte tacebit.
Sic exhortati scandunt fastigia montis
Agmine condenso, victisque viam tribuentes,
Portarum cunctos aditus et muros occupavere.
Nec mora, subjecto clam lato menibus igne,

Vers. 302.

VARIÆ LECTIONES.

[1047] *ita codex; fortasse* Rutolicum *legendum est.*

NOTÆ.

(654) An. 1142.
(655) Idem esse debet quod apud Baldericum c. 20 Rodolfi mons, alibi Roulmont audit, quod ab episcopo bis esse obsessum et tunc demum captum ille breviter narrat.
(656) V. Baldericum l. l.
(657) Kyll.
(658) V. Gesta c. 29

Exultat presul, gemit hostis, fumigat omnis
Mons, unaque die capit hec contentio finem.
Octobri mense medio fere pretereunte (659),
Autumni causa diffusis civibus extra,
Hi castellani pulsi munimine tali,
Cum duce prelato spargunt ignes iterato,
Nec piget infestis ad pontem currere signis.
Protinus intenta bellis urbana juventa;
Sed non consulte sine consilio sapiente
Obvia ferratis fit nuda pedesque tyrannis.
Precipiti cursu vesani presidis agmen
In raros agitur cuneos sternitque fugatque.
Hic equites pauci fuerant primoque fugati,
Et pedites miseri mortes et vulnera passi
Sunt, reliqui portis fugere pericula clausis.
Mane sequens totum valdeque fuit nebulosum;
Custos non aderat pontis, portæque patebant.
Vers. 319.

A Hostis tum letus de prosperitate priori,
Advolat, et portis urbem cepisset apertis,
Ni de canonicis quidam foret obvius illi;
Qui clamore suo paucis sibi consociatis,
Hunc celeri cursu foribus clausis repulisset.
Sed spargens ignes, cunctas ibi subruit edes,
Hincque secutus eos quos diximus antea cives,
Hos confiscavit villamque solotenus ussit.
Presul enim regem conduxit in hanc regionem (660),
Et turres et castra petit, comitemque coartat,
Et sibi commissa privavit cum comitiva;
Quam de principibus regnique fidelibus uni
Subdidit, haut [1048] quia nec diu multo post obit [ille,
Et redeunt rursum beneficia grata priori.
B Sed tamen hec presul concessit corde benigno,
Letus in hoc bellum jam finivisse cruentum.
Vers. 385.

EXPLICIT [1049].

VARIÆ LECTIONES.

[1048] haut quia *quid sibi velint nescio.* [1049] *bis scriptum est.*

NOTÆ.

(659) An. 1144?

(660) V. Contin. Sigiberti Gemblac. a. 1145, SS. VI, p. 389.

GESTA ALBERONIS ARCHIEPISCOPI
AUCTORE BALDERICO.

Alberonis Trevirorum archiepiscopi facta et dicta memorabilia narraturus, rem aggredior apud posteros minus fidei habituram quam miraculi. In qua re, scias, lector, nec laudi nec vituperationi me studere, sed veritati.

1. Ammiramur quosdam magna fecisse, sed multorum favore et auxilio atque cooperatione; quemadmodum principes gentium, qui existentes paternorum regnorum heredes et successores, subditarum gentium armis suum dilataverunt imperium, ut Alexander, Julius, Augustus, Karolus et plerique alii, qui materiam magnam suis factis prebuerunt antiquis hystoriarum scriptoribus. Hic autem singulariter in hoc exstat ammirandus, quod solus homo atque privatus, immo etiam adhuc pauper, maximas res perfecit. Cum enim adhuc in prima juventute nulla fulgeret dignitate æcclesiastica vel seculari, pro libertate æcclesiæ, solus inter omnes Metenses, imperialis majestatis culmini se opposuit. Ea tempestate, qua regnum et sacerdotium gravissimo dissidebant scismate — quod in diebus Gregorii papæ septimi, qui priori nomine Hildebrandus dicebatur, atque Heinrici tercii imperatoris ceptum, per tempora Urbani Paschalis apostolicorum usque ad tempora Calixti papæ perduravit — iste homo novus cepit miles mirabilibus ingenii atque consilii sui armis esse æcclesiæ sanctæ C defensor. Ut autem plenius atque planius intelligas quæ et qualia et qualiter et ad quid homo iste perfecerit in defensione æcclesiæ contra imperatoris injuriam, predicendum michi videtur, quæ et qualis fuerit causa hujus scismatis. A tempore Karoli imperatoris usque ad tempora Heinrici imperatoris tercii reges ob sua merita, quia suis beneficiis ampliabant et defensabant æcclesias, ex concessione Romanorum pontificum investituras episcopatuum dabant et ecclesiarum providentiam gerebant; Heinricus autem tercius, cujus, ut speramus, propter pleraque bona opera valde magna, tecta sunt peccata, nimis fuit infamatus de venditione episcopatuum. Unde prædictus papa septimus Gregorius inves- D tituras episcopatuum eidem regi conabatur auferre (661). Quod cum perficere non posset, coegit tamen eum firmiter promittere quod eos omnes expelleret a suis sedibus episcopos quos precio sciret intrasse, et de cetero precio nulli episcopatum dare. Quam rem cum predictus imperator aggrederetur, tantum incurrit fere omnium odium episcoporum, quod contra ipsum regem Gregorio papæ adheserunt et eum cum domino papa excommunicaverunt. Multi autem ex cardinalibus regi adheserunt, et de clero Romanorum atque de populo. Quorum contra pa-

NOTÆ.

(661) Scriptoris errores cuique facile patebunt. Certe Heinricum III et IV non satis distinxit.

pam Hildebrandum plurima exstant scripta mordacia (662). Hic autem Henricus filius erat Conradi imperatoris. Cujus filius Henricus, qui dicebatur senior, paternæ heres discordiæ cum Romanis pontificibus, imitando patrem gravabat in tantum quosdam episcopos, quod eorum machinatione et Romani pontificis auctoritate a filio suo Henrico regno pulsus est, LIIII° regni sui anno, et paulo post Leodii defunctus est. Cui cum in regnum successisset Henricus filius ejus junior, jam post Gregorium, Urbano papa defuncto, sedebat apostolicæ memoriæ Pascalis papa, qui quod dominus Gregorius VII^us^ ceperat zelo Dei succensus perficere volebat. Cum enim Henricus junior ad consecrationem imperialem Romam venisset, unctionem ei papa denegabat, nisi cederet a jure quod in vestituris episcopatuum videbatur habere. Quæ res quem eventum habuerit, ex epistola a rege Heinrico Roma redeunte per universum regnum transmissa (*an.* 1111) perpendi potest.

2. *Heinricus* (663) *Dei gratia Romanorum imperator augustus, omnibus Christi et ecclesiæ fidelibus. Notum esse volumus dilectioni et discrecioni vestræ, ea quæ inter nos et dominum illum Paschalem erant, quomodo incepta, tractata ac peracta sint; scilicet de convention inter me et ipsum, de traditione Romanorum in me et meos, ut audita intelligat, intellecta examinet, examinata dijudicet. Igitur cum in eo totus essem ut me ad ecclesiæ utilitatem et ipsius vo-tum, si justum esset, componerem* [4050], *cepit dilatationem et exaltationem regni supra omnes antecessores meos studiose promittere, subdole tamen quomodo regnum et ecclesiam a statu suo scinderet tractare. Quod facere sic aggressus est. Regno nostro* [4051], *jam a Karolo* 300 *et eo amplius annis et sub sexaginta tribus apostolicis investituras episcopatuum et abbatiarum eorundem auctoritate et privilegiorum confirmatione tenenti, absque audientia auferre volebat; et cum per nuncios nostros quereretur, quid de nobis fieret omnibus his ablatis, in quo regnum nostrum constaret, quoniam fere omnia antecessores nostri ecclesiis concesserunt et tradiderunt, subjunxit: « Fratres æcclesiæ decimis et oblationibus suis contenti sint; rex vero omnia predia et regalia, quæ a Karolo et Lodoyco, Ottone et Heinrico æcclesiis collata sunt, sibi et successoribus suis recipiat et detineat. » Ad hæc cum nostri responderent: nos quidem nolle violentiam ecclesiis inferre, ne ista subtrahendo tot sacrilegia incurrerem* [4052], *et sui sacramento pro ipso firmarerunt, dominica* Esto mihi in Deum, *se omnia hæc cum justicia et auctoritate sub anathemate confirmare et corroborare; nostris itidem firmantibus, si hoc, uti premissum est, complesset — et quod tamen nullo modo posse fieri sciebant —, me quoque investituras ecclesiarum, uti querebat, refutaturum, sicut in carta conventionis plenius poteritis videre. De traditione vero in nos et in nostros sic res se habet. Vix portas civitatis ingressi sumus, cum nostris infra menia secure vagantibus, quidam vulnerati, alii vero interfecti, omnes vero spoliati aut capti sunt. Ego tamen quasi pro levi causa non motus, bona et tranquilla mente usque ad januas beati Petri cum processione perveni. Ubi, ut ostenderem nullam Dei* [4053] *disturbationem ex velle nostro procedere, in cunctorum astantium oculis et auribus hoc decretum promulgavi: « Ego Heinricus* [4054] *Dei gratia Romanorum imperator augustus, confirmo Deo et sancto Petro, omnibus episcopis, abbatibus et omnibus ecclesiis, omnia quæ antecessores mei reges et imperatores eis concesserunt vel tradiderunt; et quæ illi pro spe æternæ retributionis obtulerunt Deo, ego peccator pro timore terribilis judicii ullo modo subtrahere recuso. » Hoc decreto* [4055] *et subscripto, petii ab eo, ut sicut in carta conventionis ejus scriptum est mihi adimpleret. Hæc carta* [4056] *conventionis ejus ad me* [4057]*: « Domnus papa precipiet episcopis presentibus in die coronationis regis, ut dimittant regalia regi, et regno quæ ad regnum pertinebant tempore Karoli, Lodoyci, Ottonis et Heinrici, et aliorum predecessorum ejus, et scripto firmabit sub anathemate, ne eorum presentium vel absentium quisquam vel successores eorum intromittant se vel invadant eadem regalia, id est civitates, ducatus, marchias, comitatus, monetas, theloneum, marchatum* [4058]*, advocatias, omnia jura centurionum, id* (664) *est villicorum, curtes et villas quæ regni erant, cum omnibus pertinentiis suis, miliciam et castra; nec ipse regem et regnum super his ulterius inquietabit, et privilegio sub anathemate confirmabit ne posteri sui amplius inquietare presumant Regem benigne et honorifice suscipiet, et more predecessorum ejus catholicorum scienter non subtracto, coronabit; et ad tenendum* [4059] *cum his omnibus officii sui auxilio juvabit. Si domnus papa hæc regi non adimpleverit, ego Petrus Leonis juro, quod cum tota potentia mea tenebo me ad dominum regem. Obsides autem, nisi effugerint, reddemus altera die post coronationem regis. Si per papam remanserit ut non coronetur, similiter reddemus. Die dominico cum rex ad processionem venerit, obsides dabo Gracianum filium meum, et filium Wizonis filii mei, vel filium sororis meæ, si eum habere potuero. » Hæc*

VARIÆ LECTIONES.

[4050] coponerem *c.* [4051] quod *c.* [4052] *hoc loco quædam desunt;* fiducialiter promisit *epist.* [4053] ecclesiarum dei *epist.* [4054] H. *c.* [4055] a me lecto et *epist.* [4056] H. est *ep.* [4057] Si rex adimpleverit domno papæ, sicut in alia conventionis cartula scriptum est, domnus p. *ep. ed. Legg. II, p.* 67. [4058] mercatum *ed.* [4059] t. regnum officii *ed.*

NOTÆ.

(662) Præsertim Bennonis librum intelligere videtur.

(663) Hæc epistola encyclica ex Udalrico Babenbergensi et Annalibus S. Disibodi jam Legg. Vol II, p. 70 edita est. In singulis verbis hic textus ab edito recedit.

(664) *i. e. v.* scriptor Treverensis addidisse videtur.

sunt sacramenta : « Ego Petrus Leonis juro vobis, quia domnus papa proximo die dominico adimplebit regi, quod in carta conventionis scriptum est. » Hec sunt sacramenta ex nostra parte : « Ego comes Herimannus. Ego comes Godefridus. Ego comes Fridericus. Ego Folmarus. Ego Adalbertus cancellarius juro vobis, quia domnus rex proxima quarta vel quinta feria ita principes jurare faciet et obsides dabit, sicut in carta conventionis scriptum est. » Cum ergo supradictæ postulationi insisterem, scilicet ut cum justicia et auctoritate promissam michi conventionem firmaret, universis in faciem ejus resistentibus et decreto suo planam heresim inclamantibus, scilicet episcopis, abbatibus, tam suis quam nostris, et omnibus ecclesiæ filiis, hoc, si salva pace ecclesiæ dici potest, privilegium proferre voluit : « Paschalis episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Heinrico regi ejusque successoribus. Et divinæ legis institutione sanctitum est et sacris canonibus interdictum, ne sacerdotes curis secularibus occupentur, neve ad comitatum, nisi dampnatis [4060] eruendis aut pro aliis qui injuriam patiuntur, accedant. Unde et apostolus Paulus : « Secularia, inquit, judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in æcclesia illos constituite ad judicandum. » In regni autem vestri partibus episcopi vel abbates adeo curis secularibus occupantur, ut comitatum assidue frequentare et miliciam exercere cogantur; quæ nimirum aut vix aut nullo modo sine rapinis, sacrilegiis, incendiis, aut homicidiis exhibentur. Ministri enim altaris ministri curiæ sunt facti, quia civitates, ducatus, marchias, monetas, theloneum, curtes et cetera ad regni servicium pertinentia a regibus acceperunt. Unde etiam mos æcclesiæ intolerabilis inolevit, ut electi episcopi nullo modo consecrationem acciperent, nisi prius per manum regiam investirentur. Qua ex causa et symoniacæ heresis pravitas et ambitio nonnumquam tanta prevaluit, ut nulla electione premissa episcopales cathedræ invaderentur, aliquando etiam vivis episcopis investiti sunt. His et aliis plurimis malis, quæ per investituram plerumque contingerent, predecessores nostri, Gregorius VII^us^ et Urbanus II^us^, felicis memoriæ pontifices, excitati, collectis frequenter conciliis episcopalibus, investituras illas manus laicæ dampnaverunt; et si qui clericorum per eam obtinuissent ecclesias, deponendos, datores quoque earum communione privandos percensuerunt, juxta illud apostolicorum canonum capitulum, quod ita se habet : « Si quis episcopus, seculi potestatibus usus, ecclesiam per ipsos [4061] optineat, deponatur et segregetur, omnesque qui illi communicant. » Quorum vestigia subsequentes, et nos eorum sententiam episcopali concilio confirmavimus. Tibi itaque, fili karissime, Heinrice rex, et nunc per officium nostrum Dei gratia Romanorum imperator, et regno regalia dimittenda precipimus, quæ ad regnum pertinebant manifeste tempore Karoli, Lodoyci et ceterorum predecessorum tuorum. Interdicimus etiam et sub anathematis [4062] districtione prohibemus, ne quis episcoporum vel abbatum, presentium vel futurorum, eadem regalia [4063] invadat, id est civitates, ducatus, marchias, comitatus, monetas, theloneum, mercatum, advocatias, jura centurionum, et curtes quæ regni erant, cum pertinentiis suis, miliciam et castra, nec se deinceps, nisi per gratiam regis, de ipsius regalibus intromittat. Sed nec posteris nostris liceat, qui post nos in apostolica sede successerint [4064], aut te aut regnum super hoc inquietare negotio. Porro æcclesias cum oblationibus Dei, hereditariis possessionibus, quæ ad regnum manifeste non [4065] pertinebant, liberas manere decernimus, sicut in die coronationis tuæ omnipotenti Domino in conspectu totius æcclesiæ promisisti. Oportet episcopos curis secularibus expeditos curam suorum agere populorum, nec ecclesiis suis abesse diutius. Ipsi enim pervigilant juxta apostolum Paulum, quasi racionem pro animabus eorum reddituri. »

3. Ut autem ex tenore epistolæ perpendere potes, o lector, res ista ad finem non est perducta, sed efficientibus his qui cum rege erant tanta ex hac re discrevit discordia, quod inter regis exercitum et Romanos acriter ad gradus Sancti Petri pugnatum est, et rex papam captivum usque Viterbum adduxit et quosdam cardinales. Ubi rex, ut dicitur, cum in æcclesia respiceret picturas, videns Jacob luctantem cum angelo, domino papæ eandem quoque demonstravit picturam, dicens exemplo Jacob : *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi* (*Gen.* XXXII, 26) (663). Tandemque a coacto domino papa non solum unctionem imperialem extorsit (*Apr.* 13), immo etiam juramenta, quod numquam in eum excommunicationis sententiam proferret. Quod cum ipse dominus papa, ut vir Dei timorem habens, firmiter observaret, prelati tamen ecclesiarum, vicem pii patris dolentes, a communione imperatoris abstinuerunt. Hinc imperator contra æcclesias, hinc æcclesiæ contra imperatorem. — Sed fortassis, o lector ! verbis me deridebis Horatii, dicendo :

Amphora cepit
Institui; vergente rota, cur urceus exit ?
(*De art. poet.* v. 21.)

hoc significans, quod cum Alberonis promiserim gesta narrare, ad Romanorum pontificum atque regum facta me transtulerim. Sed ego tibi ejusdem verbis Horatii facile respondeo :

Nec primum medio, medium nec discrepat imo.
(*Ib.*, v. 152.)

Tunc enim dominus Albero, Metensis clericus, solus inter omnes, immo contra omnes Metenses, domino papæ astitit, vivacique arte et consilio multa ad ho-

VARIÆ LECTIONES.

[4060] pro d. *ed.* [4061] illos *superscr.* vel ipsos *c.* [4062] anathemate *c.* [4063] *bis scriptum c.* [4064] succeserint *c.* [4065] *deest ed. Legg. II, p.* 69.

NOTÆ.

(663) V. Ekkehardum a. 1111.

norem et utilitatem domini papæ et ad libertatem universalis æcclesiæ intrepidus peregit. Unde et regiæ indignationis severissimos motus contra se incitavit, quos mirandis artibus sæpissime evasit (666).

4. Cum enim rex nullam ecclesiis eligendi pontifices permitteret libertatem, in Metensi quoque civitate, expulso de sede venerabili viro Popone episcopo, quendam nobilem virum Alberonem nomine sua voluntate constituit episcopum; quem dominus Albero predictus, sepe Romam eundo, deponi fecit tandemque excommunicari, et in excommunicatione defunctum extra ecclesiam sepeliri (667), apostolicisque apicibus civitatem interdici fecit a divinis, ita quod etiam sepultura defunctis negabatur (668). Litteras autem domini papæ interdicti sententiam continentes cum nemo Mettim timore crudelissimæ mortis auderet afferre, ipse clericali toga linea se induit, et peplo muliebri caput et vultum involvit, et cappa de griseio panno se super induit, atque in specie peregrinæ mulieris, tanquam thus ad altare ferens, litteras domini papæ altari imposuit. Indeque revertens, canonicos, quos in ipsa ecclesia beati Stephani vidit, ad se convocavit, et quod litteras domini papæ in altari acciperent et reverenter legerent indixit. Illi autem, cum jam cum recognoscere inciperent, furere et constrepere, et sonitu campanæ populum civitatis in eum concitare accelerabant. Ipse vero, antequam ipsum possent comprehendere, in equum, quem ante fores æcclesiæ preparaverat, velocissimum ascendit et cursu citissimo auffugit. Quem cum homines civitatis illius, equites et pedites, usque ad villam quæ dicitur Arkenzei insequerentur, ipse forti equo in quo sedebat transnatavit Mosellam fluvium, et usque Rozeium castrum, in patrimonio ipsius episcopi Poponis situm, ad dominum suum pervenit. Consimili arte insidias regis multotiens evasit.

5. Rex enim ipsi Romam cunti omnes vias obstruxerat, et de morte ipsius omnibus fidelibus suis preceperat. Adversarium enim et inimicum regni eum publice pronunciaverat; ipse autem transfigurando se in diversas formas, per medios hostes transibat incognitus (669). Aliquando enim servos suos suis vestibus induebat, et ipse servili habitu illis ministrabat, equos procurabat, cenam preparabat, calciamenta detrahebat, reliquias servorum comedebat; aliquando inter mendicos ut mendicus ibat, aliquando cum mercatoribus, tanquam merces ferens; atque innumeris aliis modis se transformabat, non solummodo vestes mutando, immo etiam vultum, capillos, barbam fuco colorando. Dicitur quoque, quod ego tamen nescio, quod aliquando regi et exercitui ejus, formam simulans contracti et sedens in asino, occurrit, et ab regina quinque solidos in elemosinam accepit. Additur quoque, sed ego nescio, quod in eodem itinere longius regis comitatus processum, sub specie mendici regis sub mensa locatus, audierit plurima ipsum regem cum regina et cum aliis suis fidelibus ocioso animo loquentem de his quæ contra papam machinatus erat, atque inter cetera de insidiis contra ipsum dominum Alberonem dispositis recitantem, et quot [4066] et quæ viæ ipsi Romam tendenti essent interclusæ. Quas regis insidias sic premunitus cum omnes evasisset, Romam perveniens, reginæ remandavit multas et magnas gratias pro accepto ab ipsa beneficio; ipsum enim se esse mandavit, cui quinque solidos sedenti in asino dedisset. Cumque rex ipsum Romam pervenisse intellexisset, non solum per terras, sed per mare quoque insidias illi preparavit, ne quo modo rediens evadere posset. Quod nec ipsum dominum Alberonem latuit; unde ipse Roma revertens cum Pisas venisset, sciens quod rex Pisanis quoque de morte ejus mandasset, portum navium non audebat per se ipsum adire, ne forte ab his qui preparati erant insidiatores ibi expectaretur; sed servus ejus pro se atque pro socio tanquam adhuc venturo navem conduxit. Die autem qua navis conducta a littore solvenda erat, servus ejus cum rebus suis navem ascendit; ipse autem intrare navem non audebat, eo quod pluri[illegible]a turba in portu ad spectaculum staret, inter quos etiam insidiatores suos esse timebat. Unde alio loco in preparata navicula piscatoris mare ascendit, et vix eo die navem precedentem consecutus est. Quam cum ascendere vellet, lapsus est in mare, et aliquandiu natans in equore, fune de puppe [4067] dejecto, tandem vix est attractus in navem. Qui cum in sero, siccatis vestibus, cum nautis comederet, ceperunt pulcherrimas manus ejus considerare et ex hoc perpendere quod homo plebeius non esset. Coacti autem idem fuerant nautæ a Pisanis fidem dare quod nullum ferentem litteras apostolici in navem suam reciperent. Unde et dicebant Alberoni se velle loculos ejus respicere, ne forte litteras contra dominum imperatorem deferret; et referebant ei qualiter mandatum super hac re a Pisanis accepissent fidemque dedissent. Ipse vero dominus Albero litteras absconderat in pixide eburnea serata, quam Tirio panno honeste involverat, tanquam rem sacram; dicebatque esse sanctorum reliquias, quas de transmarinis partibus afferret; addebat quoque, illorum suffragio, cum in mari fluctuarat, se a periculo liberatum. Unde illi conterriti, reverentiam sacræ rei exhibentes, aperire

VARIÆ LECTIONES.

[4066] quod *corr.* quot *c.* [4067] pape *c.*

NOTÆ.

(666) Cf. Vitam Theogeri Metensis alio volumine edendam.

(667) Cf. Gesta metrica, v. 27.

(668) Cf. etiam Gesta episcoporum Metensium infra edenda.

(669) Cf. Gesta metr., v. 54 sqq.

non audebant. Sic hec et multa alia exasit pericula.

6. In episcopatu Argentinensi quadam vice, dum regalium insidias sibi sciret in via qua iturus erat preparatas, nec aliorsum jam declinare posset, clipeo et lancea et vestibus militaribus se adornans, forti sedens equo, per medium eorum ferebatur festinus, requirens subito ab eis, si Alberonem Metensem diabolum transeuntem ibi vidissent. Rex enim ad capiendum illum subito misisset ipsum, maledicebatque ei dicens : *Tam malas horas det ei Deus, sicut ego habui tota nocte insequendo illum.* Sic mille artibus insidias regis eludere solebat.

7. Metenses vero tempore hujus discordiæ domum ejus, quam in civitate eorum habebat, bis destruxerant, bonis suis distractis. Sed ipse quoque bis compulit eos eandem reedificare et ablata restituere.

8. Tandem defuncto supradicto Popone episcopo (*an.* 1120), alium quoque absque voluntate regis fecit Metenses habere episcopum (670), quendam miræ sanctitatis virum. Qui cum consecratus esset in episcopum, non est in civitate receptus, sed infra paucos dies ad eternæ civitatis habitaculum translatus est. Post quem eos fecit habere episcopum Stephanum nomine, fratrem Rainaldi comitis de Monzon. Hoc amore comitis Rainaldi putabatur fecisse. Nam ipsi duo unum par amiciciæ esse videbantur. Unde etiam tempore predictæ discordiæ castrum suum Monzon ei commodaverat, ut guerram Metensibus inde inferret. Ex quo castro quodam tempore latenter intrans civitatem, in domum cujusdam viduæ declinavit. Maneque facto subito equum ascendens, per plateas seso ostentabat. Quo cognito, clamor per totam civitatem exorsus est, et quicumque equos habebant, ipsum persequuti sunt longe extra civitatem. Comes vero Rainaldus milites, sicut condixerant ipse et dominus Albero, in insidiis tenebat, et insultum in Metenses faciens, plurimos ex eis cepit. Contigit vero postea, comitem Rainaldum Metensibus confederari, acceptis muneribus, quæ excecant etiam corda sapientum, et defecit ab amicicia domini Alberonis. Quod ipse dominus Albero indigne ferens, minas graves in faciem ejus contra eum perculit, manifeste predicens quod magnum dedecus ex hac re ipsi esset proventurum, jubensque subito coram comite equos insellari, ad regem properando pervenit Heinricum, in cujus gratiam plenarie noviter redierat, et multa loquendo effecit, A quod ipse rex Monzon pervenit; et cum illud obsedisset, noctanter fugiens comes Baris evasit. Rex autem Monzon [4068] relinquens, Barim multo milite circundat, et dum comitem ad dedicionem compulisset, captivum eum adduxit (671). Sed tandem multis precibus flexus dominus Albero, eum liberum et absolutum reduxit; et deinde amicicia eorum, quæ ad horam fuerat dissoluta, tam constanti firmitate consolidata, quod nulius casus sed neque mors eam dissolvere potuit.

9. Igitur dominus Albero jam in his diebus multum creverat dignitatibus et redditibus; primicerius enim jam factus fuerat Metensis æccles:æ et archidiaconus et prepositus Sancti Arnualis. Archidiaconatum quoque in æcclesia Virdunensi adeptus B fuerat, et in Tullensi ecclesia, de qua oriundus fuerat, archidiaconus et prepositus Sancti Gangulfi erat. Originem, inquam, habebat ex episcopatu Tullensi, nobilibus quidem parentibus (672). In quo episcopatu etiam, antequam a Treverensibus eligeretur, in patrimonio suo, quod Monasteriolum dicebatur (673), abbatiam construxerat, in qua regulares kanonicos magnæ religionis et sanctitatis viros collegit. Vocaturque claustrum Bellus Campus (674). Nostris enim temporibus nemo majori intentione studuit religiosos viros et litteratos circa se attrahere et eos diligere et suis beneficiis largiter honorare. Hospitalis quoque supra vires semper exstitit, et extraneos quosque dulciter et humane C tractare solebat.

10. His ita se habentibus, contigit eum eligi ad archiepiscopatum Partonopolensem (675) temporibus Lotharii regis et imperatoris secundi (*an.* 1126); quem omnibus modis abnegans, suis effecit ingeniis, quod dominus Norbertus, vir famosæ religionis, ecclesiam eandem regendam suscepit (676). Ejusdem quoque imperatoris temporibus cum Alberstadensem [4069] venisset ecclesiam, clerici ejusdem civitatis jam ad sedem vacantem ut episcopum eligerent convenerant (677), et cum, studiis diversis existentibus, voluntates eorum in nullam possent convenire personam, audientes talem et tantum advenisse virum, omnes unanimiter convenerunt in ipsum. Quod cum ipse percepisset, relicto prandio, quod jam D preparatum ipsi fuerat in domo cujusdam venerabilis personæ, Conradi camerarii, quem rex Heinricus excecari fecerat tempore predicti scismatis, cum jam sui manus abluere cepissent ituri ad pran-

VARIÆ LECTIONES.

[4068] monzon *c.* [4069] abberstadensem *c.*

NOTÆ.

(670) Theogerum scilicet, abbatem S. Georgii in Nigra Silva.

(671) Cf. Ekkehardum h. a.

(672) De his v. locum supra col. 1085, n. 142 ex cod. Aureævallensi editum.

(673) Montreuil sive Monterol. De quo Calmet, Histor. Lothar. II (ed. a. 1746), p. 52 ita dicit : *Le château nommé Monsterol était près du lieu où est aujourd'hui l'abbaye de Belchamp . . . Ce château est aujourd'hui entièrement ruiné, il n'en reste que quelques vestiges, mais son nom subsiste encore dans une colline à un quart de lieue de l'abbaye.*

(674) Bel-Champ.

(675) Magdeburgensem.

(676) Cf. Ann. Saxo a 1126, et V. S. Norberti.

(677) Hoc a. 1129 factum sit oportet, quo anno Otto episcopus depositus erat.

dium, ex inproviso equum ascendit suosque se subito sequi precepit; et sic aufugit. Tandem, sedente domino papa Innocentio, regnante Lothario, Treverenses clerici, contra voluntatem omnium laicorum, eum elegerunt in archiepiscopum (*an.* 1131). Qualiter autem electio facta fuerit, ex tenore subscriptæ epistolæ, quam clerus domino Innocentio [4070] papæ transmisit, perpendere poteris. Est autem hæc epistola :

Beatissimo catholicæ æcclesiæ pontifici, personæ Treverensis æcclesiæ devotum obedientiæ et servicii famulatum. Non te latet, pater reverende, qualiter æcclesia Treverensis jam per biennium proprio pastore viduata est. Nosti etiam, quod dominum Brunonem, quem unanimiter elegeramus, habere non potuimus; sed nos modo, labores et mala quæ interim sustinuimus supersedentes, novas angustias et pericula tibi denunciamus, finemque illorum per tuæ paternitatis auxilium quam primum obtinere desideramus. Sane cum rex esset in civitate nostra (Apr.), et cum eo dominus Albanensis, episcopi quoque Metensis et Tullensis, et provinciæ nostræ barones, facto conventu ad eligendum pastorem, quinque nominavimus, ut facilius per concordiam unus illorum ab omnibus eligeretur. His nominatis, barones et omnes laici a nobis pro capiendo consilio in partem secedentes, moxque ad nos reversi, nullum de quinque sibi prenominatis, sed omnes uno ore Gebehardum illum Wirzeburgensem (678) petierunt; et quamvis nos illum justam reprobationis rationem [4071] ostenderemus, tamen clamando, tumultuando, usque adeo in ea peticione perseveraverunt, quod plerique fratres nostri illis concordare ceperunt. Sic ea die infecto negocio dimissus est conventus. Postea vero nos pauci, non nostris viribus contra tantam multitudinem satis confisi, ab episcopis, Albanensi videlicet et Mettensi, consilium quesivimus, et tandem sic nos et causam nostram in manu et consilio eorum posuimus, ut de quacumque persona ipsi consulerent, dummodo illa tibi, pater, accepta foret, et dominus rex eam investire vellet, illam nos eligeremus. Quid plura? Loquuti sunt regi; deinde ad nos reversi, ut dominum Alberonem Metensis [4072] ecclesiæ primicerium eligeremus, consuluerunt; et hunc domino regi placere ejusque favorem nobiscum in hoc fore dixerunt. Hac igitur fiducia animati, dum ad faciendam electionem conveniremus, palatinus comes, qui est æcclesiæ nostræ advocatus, ceterique nobiles et populus, ubi intentionem nostram persenserunt, facta turba et tumultu, penitus nos disturbaverunt, et tunc omnes dominum Godefridum [4073–4074] (679), ecclesiæ nostræ prepositum, qui primus de quinque erat nominatus, sibi dari petierunt. Sed nos, quia, ut supra dictum est, obligati eramus, eorum peticioni satisfacere renuentes, electionem usque ad discessum regis et baronum distulimus. Nam in presentia eorum primicerium eligere nequaquam audebamus. Tunc rex discedens diem nobis Mogontiæ denominavit, ibi judicio episcoporum se negocium nostrum velle tractare affirmans. Interea nos pauci, videlicet prepositus majoris domus, decanus, duo archidiaconi, prepositus Sancti Paulini, magister scolarum, custos, et alii 4 kanonici majoris domus, in choro nostro convenimus, et dominum Alberonem sub [ea [4075]] quidem spe elegimus, videlicet si tibi, domine pater, placeret, et si dominus [rex [4076]] eum, ut nobis episcopi Albanensis et Metensis promiserant, dono sui juris investire vellet. Sciebamus enim et adhuc vere scimus, iram et furorem laicorum nullo modo, nullo ingenio, nisi regia potestate et gratia, posse sedari. Quod autem ad electionem non plures fratres vocavimus, causa fuit timor quo timebamus cives nostros, qui, si forte rescissent, in jugulos nostros irruissent; et de quorundam fratrum nostrorum assensu minus sperabamus, quoniam prius eos timore mortis, ut credimus, territos, laicis favisse videramus, et tamen adhuc tunc [4076] plerique ad se delatam a nobis electionem benigna mente et verbis receperunt. Postea vero, ubi Moguntiam die statuto venimus (680), et electionem factam domino regi representavimus, ille gratia laicorum immutatus, non sperata benignitate nos audivit, nec causam nostram manu tenuit, et tandem a domino Albanensi [4077] promissionis supradictæ commonitus, coram omnibus episcopis et principibus qui presentes erant, numquam se domino [4078] Albanensi vel Metensi promisisse testatus est quod aliquam de eligenda illa persona bonam voluntatem habuisset, nisi per assensum et concordiam omnium tam laicorum quam clericorum fieri potuisset. Sic confusi et frustrati ab eo recedentes, ubi domum venimus, omnem fere clerum, preter nos qui electionem feceramus, a nobis discordantem invenimus; et quotiens eos alloquimur et confortare temptamus, claustrorum destructionem, prebendarum suarum direptionem et ipsius vitæ periculum nobis pretendunt, et omnium istorum malorum nullum se invenire conclamant remedium. Majestatis igitur tuæ provoluti pedibus, per caritatem Jhesu Christi obsecramus, ut cito regis favorem, quem dominus Albanensis et Metensis nobis promiserant, acquiras; alioquin vero restat ut vel primum electum nostrum dominum videlicet Brunonem (681)

VARIÆ LECTIONES.

[4070] I. *c. sæpius.* [4071] *vocabulum deesse videtur, vel* præbere *vel aliud ejusmodi.* [4072] metehsem *c.* [4073–4074] G. *c.* [4075] *deest c.* [4076] *suverscr. c.* [4077] albanensis *c.* [4078] a domino *c.*

NOTÆ

(678) Gebehardus cathedra Wirzeburgensi dejectus erat.

(679) Gebehardum minus recte Hontheimius dicit; cf. c. 11. — Godefridus præpositus majoris ecclesiæ in pluribus nominatur chartis, ap. Günther Cod. dipl. Rheno-Mosell. I, p. 208 (a. 1129), 215, 223; Hontheim Hist. I, p. 520, 526, 531, 535, etc.

(680) De hujus conventus tempore v. Jaffé, hist. Lotharii p. 103.

(681) De quo v. infra hoc cap.

nobis reddas, vel, salva tuæ paternitatis gratia, aliam nobis necessario incumbit eligere personam, in qua et cleri et populi vota concordent. Non equidem tam nos movent mala quæ ipsi sustinemus vel sustinenda exspectamus, quam frequens fratrum nostrorum, clericorum, monachorum, sanctimonialium, orphanorum et viduarum ejulatio et querimonia, qua se omnibus periculis culpa nostra expositos misere conqueruntur.

11. Ut autem ex tenore hujus epistolæ perpendere potes, laici, tam liberi quam ministeriales [4079], electioni hujus personæ se opposuerunt; inter quos Lodoycus quidam burgravius, id est prefectus urbis, homo de familia æcclesiæ, omnium clericorum, qui huic electioni contradicere nolebant, domos irrupit, et omnia bona eorum rapuit; immo, quod crudelius est, excellentiores tocius æcclesiæ clericos et altioribus dignitatibus decoratos Metim ad requirendum electum properantes apud pontem Conchis (682) per insidias ceperunt, et equis et vestibus ablatis, horrendum dictu! nobiles personas etiam diris ictibus atque percussionibus perturbaverunt. Sed neque pigrum est nomina eorum memoriæ commendare, qui pro libertate æcclesiæ defendere conantibus [4080]. Hii autem fuerunt viri strenui et in tribulatione probati et in fide constantes : Godefridus majoris domus prepositus, Folmarus decanus (683), Arnulfus archidiaconus, (684) (Theodericus et Bolso archidiaconi [4081], dominus quoque Hillinus, adhuc eo tempore subdiaconus [4082], qui proximo loco predicto domino Alberoni in sedem archiepiscopalem successit, et dominus Bruno, tunc Confluentinus prepositus, postea vero Coloniensis archiepiscopus, frater comitis Adolfi de Monte, quem ejus tribulationis tempore Treverenses, antequam dominum Alberonem denominassent, in archiepiscopum omnes unanimiter elegerant. Sed ipse multo labore a domino Innocentio papa absolutionem impetravit, quasdam latentes causas pretendens. Dicebatur autem quod ambitione dicioris, licet dignitate minoris, episcopatus, hunc noluerit oblatum honorem recipere. Quod etiam ipse postea satis fecit probabile. Parvo enim [4083] interposito tempore, ipse in Francia ad studium existens, cum Colonienses quendam Godefridum Xanctensem prepositum communi cleri et populi consensu elegissent, hac fama comperta, statim reversus est, et eandem cassari cum fecisset electionem, eundem accepit episcopatum. (*an.* 1131, *Dec.* 25.)

12. His itaque hoc modo se habentibus, contigit aput Remensem civitatem colligi conciliam, cui presidebat dominus Innocentius papa secundus (*an* 1131. *Octob.*); ad quod concilium predictus dominus Albero atque clerici Treverenses diversis studiis convenerunt : isti enim ut electum suum eis reluctantem coactione domini papæ obtinerent nitebantur; ille vero absolvi ab hoc onere et dignitates atque ecclesiastica beneficia, quæ propter inobedientiam suam amiserat, recuperare laborabat. Predictus enim dominus Innocentius [4084] papa, cum post ejus sepius iteratam jussionem hoc onus declinaret, cum ab omni officio et beneficio ecclesiastico suspendit. In hoc itaque concilio dominus papa rapi sublimem eum precepit, atque pluviali indutum inter archiepiscopos collocari, ducensque Viennam, et adhuc pro absolutione laborantem in archiepiscopum consecravit. Hujus rei fama cum ad Treveros pervenisset, Lodoycus predictus burgravius conjurationem fecit, quod, si unquam dominus Albero civitatem Trevirorum intraret, morti eum traderent; et ipse Lodoycus juramento tali addidit, quod ipse futurus esset primus qui in illum irrueret. Causa autem propter quam predictus Lodoycus in tantum se opponebat domino Alberoni, hoc erat : dominum Godefridum [4085] archiepiscopum suis artibus in tantum sibi subegerat, quod dicebat se in beneficio tenere palatium atque omnes reditus episcopales in illud deferendos, et quod ipse pascere deberet episcopum cum suis capellanis, et cetera omnia ad episcopatum pertinentia de suo esse beneficio; ad episcopum autem dicebat pertinere missas et ordinationes clericorum et consecrationes ecclesiarum celebrare; sui vero juris dicebat esse, terram regere omniaque in episcopatu disponere et miliciam tenere. Unde per singulos dies ad prandium episcopi sextarium vini et duos sextarios cervisiæ amministrabat; ipse vero cum multitudine hominum in mensa sua, quasi magnus princeps, cotidie epulabatur splendide, stipatus caterva militum ubique incedebat, et omnibus modis toti terræ principabatur. Inde evenit quod tantum predictus episcopus odium omnium incurrit clericorum, eo quod ipse, spernens consilia et familiaritatem totius cleri, soli laico totum se dedisset, quod ad depositionem ejus ceperunt laborare (685). Ipse autem paupertate oppressus, coram adversariis suis succubuit. Predictus enim Lodoycus non tantum pecuniam, sed omnem quoque sapientiam et rationem ejus exhauserat; in utroque enim deficiebat, ut fieri assolet, quotiens aliquis, qui publicis utilitatibus invigilare debet, tanquam ignavus inerti desidia torpere volens, omnem curam et sollicitudinem suam in alium proicit, nec de se nec de alio volens esse sollicitus. Dicitur enim in proverbio : *Manticam clienti committas,*

VARIÆ LECTIONES.

[4079] misteriales *c.* [4080] *ita cod.* conati sunt *ed.* [4081] archidiconi *c.* [4082] subdiconus *post corr.* subdiaconus *c.* [4083] *bis scriptum c.* [4084] I. *c. sæpius.* [4085] G. *c.*

NOTÆ.

(682) Prope Conz ad Saravum fluvium. WYTTENB.

(683) Idem ap. Hontheim I, p. 520, 526, 530, 531, 535, etc. Günther I, p. 225 nominatur.

(684) Cf. Günther I, p. 225; Hontheim l. l.

(685) V. Gesta supra col. 1227 edita.

sed prudentiam consilii tui penes te ipsum reserva. Ob similem quoque causam Hildericus rex Francorum a regno depositus est, et ei cui ipse commiserat regendum datum est, Pipino scilicet majori domus, domino papa Adriano approbante. Et quoniam Alberonem virum acris ingenii et in omnibus providum et sibi non futurum obnoxium presciebat Lodoycus, et quia non ferre dominum sed dominari didicerat, ideo ipsi opponebat. Sed visne hujus rei audire finem? audi :

Nec juga taurus amat; quæ tamen odit, habet.
(Ovid. *Am.* III, 11, v. 36.)

Hac enim conjuratione comperta, dominus Albero archiepiscopus, cum prius, tanquam episcopalis officii onus subterfugiens, sese a commissa sibi civitate subtraheret, nunc haud aliter quam fluvius, **B** qui obice clausus cum prius silenti tractu quietus incederet, obstaculi quasi indignans obpositionem, strepitu tumultuanti undisque spumantibus littora fatigat claustraque disrumpit, ut vir inexpugnabilis et inperterritus, collecto multo milite, Treverim adiit. Cui clerici ad Albam portam (686) cum sollempni processione obviantes, honorifice cum hymnis et laudibus studio magno eum susceperunt. Lodoycus vero et sui conjurati similiter ei occurrentes, cum vidissent eum tam magna manu militum stipatum, obstupescentes et mente confusi, pacem statim simulaverunt et inter omnes primus Lodoycus ad salutandum blanda et humili voce ad domi-

A reditus episcopales non potuit tantum reperiri unde prima die posset ei servicium preparari. Omnia enim ad episcopatum pertinentia aut oppignerata erant, aut predictus Lodoycus et sui conjurati ea se in beneficio tenere dicebant. Eapropter dominus archiepiscopus aliquid contra paupertatem providens, a domino papa Innocentio impetraverat, quod reditus ecclesiasticos, quos ante episcopatum tenuerat, per spacium trium annorum ei tenere concessit. Cumque vinum et annonam suam et cetera ad victum suum pertinentia secundum antiquam consuetudinem in palatium deferrent, predictus Lodoycus omnia includens, non nisi quantum sibi placebat, sicut cum antecessoribus suis consueverat, ei per singulos dies distribuebat; cetera vero ipse cum suis expendebat. Quod cum domnus archiepiscopus aliquandiu tolerasset, ille Lodoycus in tantum patientia ejus abusus est, quod quadam die in postmeridiano, cum extranei quidam ad curiam venissent archiepiscopi, et ipse, ut consuetum est, curiis juberet propinari, et cum venissent ministri ejus ad palatium pro vino, procurator Lodoyci respondit se nichil dare illis, nisi domnus Lodoycus preciperet. Hæc et his similia cum sepe passus esset, tandem visum est ei hoc malum intolerabile. Eapropter Palaciolum, Julii Cesaris castrum, juxta civitatem situm, eo tempore situ et vetustate dirutum et inhabitabile, multis sumptibus restruxit, et victualia sua illuc deferri jussit; et tunc sarcasmum talem protulit : *Nunc habeat Lodoycus suum palatium.* Postea vero per triennium mansionem ibi faciens, studium suum ad hoc omnino adhibuit, ut redditus episcopales absolutos faceret, et curiam Humahc (689) pro 300 marcis redemit, quam predecessor ejus dominus Meinerus invadiaverat; et cetera fere omnia ad episcopatum pertinentia domnus Albero redemit, a domino Godefrido archiepiscopo aut invadiata aut in beneficium data. Tandem Lodoycus vacuum suis sumptibus servans palacium, ad tantam devenit humilitatem, quod nudis pedibus in lancis Palaciolo ad pedes se provolvit archiepiscopi, misericordiam petens et palatium resignans.

num suum festinavit, et ad ejus osculum accessit.

13. Pretereundum non est quod cum dominus **C** Albero archiepiscopus venisset Aquisgrani ad curiam imperatoris (*An.* 1132, *Apr.*), Lotharius rex noluit eum investire regalibus, eo quod ante recepisset consecrationem episcopalem, quam suam requisivisset investituram; et omnino, ut credebatur, rex se ei opposuisset, nisi quod ipsum talem virum esse sciebat, qui facile totum orbem sui imperii contra ipsum commoveret; unde et levem satisfactionem ab ipso recepit. Cum enim ex comuni consilio principum juramentum regi obtulisset, quod non ad diminutionem sui honoris hoc factum esset, sed a domino papa coactus ad consecrationem accessisset, dominus rex juramentum [4086] ei remisit, et regalia sceptro regni ei concessit. In eadem quoque curia Lotharingiæ ducem Symonem, fratrem re- **D** gis (687), excommunicatum pronunciavit, et in die sancto paschæ, dum legeretur evangelium, cum exire æcclesiam compulit (688). (*An.* 1132, *Apr.* 10.)

14. Nec hoc silentio dandum, quod, cum acceptis regalibus Treverim intraturus esset, inter omnes

15. Iis diebus dominus archiepiscopus multa colligendo factus est valde habundans in rebus, et cotidie succrescens, ad quedam magna quæ mente gerebat preparationem faciebat. Abbatiam enim sancti Maximini, ex antiquis privilegiis (690) æcclesiæ suæ in fundo beati Petri sitam et de jure antiquo ad suam pertinere dispositionem intelligens, omnino animum apposuit, quomodo eam de potestate regis

VARIÆ LECTIONES.

[4086] ci i. ei. *c.*

NOTÆ.

(686) De qua v. Gesta c. 3.

(687) Natum Theoderico duce et Hadwide vidua Gebhardi de Supplenburg.

(688) De ejus reconciliatione a 1132, v. Simonis et Alberonis chartas ap. Hontheim Hist. I, p. 519, 520.

(689) Fortasse Hunbach in Popponis charta, ap. Gunther I, p. 124; Hontheim minus recte Limbach legit.

(690) In falso Dagoberti regis diplomate, Hontheim Hist. I, p. 76, ecclesia « in prædio S. Petri constructa » dicitur. De hac re archiepiscopos et abbates diu litigasse notissimum est.

eriperet et suæ æcclesiæ restitueret. Propter quod in expedicionem Italicam cum rege Lothario profectus est (*an.* 136) cum centum militibus secundum estimationem (691), sed secundum veritatem cum sexaginta septem; pulsoque Rogerio rege Sicelio de finibus Apuliæ, quam occupaverat, dataque ea Reinaldo duci, et recuperatis beati Petri regalibus, cum imperator reverteretur, in valle Tridentina communi mortalium sorte in fata lapsus est. Ipse autem dominus archiepiscopus a domino papa Innocentio legacionis officio decoratus (692) cum reverteretur (*an.* 137), ad montem Romaricum (693) perveniens, audivit, fama referente, quod comes Otto de Reneka ex acie regis ab Italia mandaverat fratribus duobus Guarnero et Johanni de Nantersburch (694), quod castrum suum Arraz per insidias caperent, et hoc effectui fore mancipatum. Cumque post multos labores quietem sperasset, et nunc denuo videret tot tantasque sibi imminere curas, animum viriliter contra adversa obfirmans, per coronam suam juravit se nunquam barbam suam rasurum, nisi et suum castrum Arraz prius recuperasset, et illorum fratrum, Guarneri scilicet et Johannis, Nantersburch destruxisset. Colligens quoque omnes Tullensis et Metensis terræ principes, cum magna milicia Treverim pervenit, et utrumque castrum, Arraz scilicet et Nantersburch, simul obsidione cinxit, et Nantersburch destructo atque Arraz recuperato, cum triumpho magno Treveris reversus est. Taciturnitati quoque denegandum videtur quod predictus dominus Albero ab eadem expeditione revertens, predecessoris sui archiepiscopi Meineri reliquias Parmæ per vim abstulit, et Treverim secum attulit. Prædictus enim dominus Meinerus Conradum, postea regem, cum Lothario esset superpositus, ut vir magnanimus excommunicavit. Unde pro negociis æcclesiæ suæ ipsum Romam properantem idem dominus Conradus, postea rex, cepit, et Parmæ pro magna pecunia loco pignoris posuit. Ubi etiam in carcere defunctus est (695). Idem autem Conradus [4087], tunc superpositus rex, in predicta expedicione Lothario regi reconciliatus est, et domino Alberoni archiepiscopo, quia penes eum regni videbat robur et mentem existere, sese familiaritate magna et servitio adjunxit; et tanta tunc conjuncti sunt amicicia, quod post obitum Lotharii imperatoris omni studio domnus Albero elaborans, contradicentibus fere omnibus regni principibus, cum in regnum sublimari [4088]..... Effecit enim sua magna industria, quod dux Fridericus, frater Conradi regis, et Bochus Wangionum episcopus, cum ipso Conrado ad colloquium Confluentiam convenerunt (*an.* 1138). Ad quod colloquium Coloniensis archiepiscopus Arnulfus occurrit; et tandem post multa consilia dominus Alberto archiepiscopus Conradum in regem elevavit (*Mart.* 7), et Aquasgrani cum magna deducens multitudine, regali unctione confirmavit in regnum (*Mart.* 13) (696). Postea cum Saxones cum duce Heinrico, Lotharii regis genero, diem et locum Conrado regi Heresvelde prescripsissent ut belli discrimine decernerent utrum recte regnare inciperet nec ne, et dominus archiepiscopus se venturum cum 20 militibus cum promisisset: quingentos adduxit milites, et triginta vini carratas et immensam copiam victualium secum advexit, carris fere opinione infinitis. Ibi Albertus junior, tunc Magontinus episcopus, omnimodis laborabat, ut ad majorem discordiam hoc malum excresceret. Ipse autem dominus Albero Dei adjutorio elaboravit, quod in pace ab invicem separati sunt, cum tamen multa milia magno odio ad pugnandum convenissent. Ipse vero archiepiscopus Albero, omnibus in pace compositis, singulis principibus singulas misit vini carratas, et maxime Saxonibus. Et notanda in hac re subtilitas ingenii domini Alberonis. Perpendit enim plus conferre ad victoriam atque ad accendendos animos virorum vini copiam et aliorum victualium quam multa milia famelicorum.

16. His ita peractis, abbatiam sancti Maximini pro hoc atque aliis servitiis a rege Conrado accepit (697). Patronatum enim predictæ æcclesiæ, quem rex longo tempore tenuerat, ipsi rex restituit. Hac re per famæ volatilem auram comperta, monachi, qui tunc temporis in ecclesia predicta valde enormiter vixerant, omne argentum et aurum, quod in diebus illis in monasterio illo multum habundabat in textis tabulis, imaginibus variisque ornamentis, lapidesque preciosos et gemmas (698), ante reditum archiepiscopi colligentes, comiti de Namuco, qui eo tempore terram de Luzelenburch tenebat (699), de-

VARIÆ LECTIONES.

[4087] C. *c.* [4088] *vocabulum deest c.* procuravit *ed.*

NOTÆ.

(691) In Conradi III diplomate hac de re edito, Hontheim Hist. I, p. 542, legitur: *cum..... archiepiscopus Adalbero..... eidem imperatori* (Lothario) *pro hoc maxime consequendo beneficio in expeditione Apuliæ cum magno periculo et sumptu fideliter deservisset*, etc.

(692) V. Innocentii bullam ap. Gunther Cod. dipl. I, p. 226. Cf. Hontheim Hist. I, p. 536.

(693) Remiremont.

(694) Prope Lutzerath, ut notat Hontheimius.

(695) V. supra Gesta cont. c. 28.

(696) Jaffé hist. Conradi III, p. 5.

(697) Diploma editum est ap. Hontheim I, p. 541.

(698) *Verum ut novo præsuli* (abbati Sigero) *suæque ecclesiæ caverent, asportata ecclesiæ pretiosiore supellectile, utensilibus etiam quibusdam confractis, ut facilius transferrent, in diversa dispersi* (monachi) *cum privilegiis monasterii antiquioribus, quorum non exigua pars eo tumultu periit.* Ex prologo Libri aurei ms. S. Maximini. Wytt.

(699) Henricus, cognomento Cæcus, comes Namurcensis, qui duxerat filiam Conradi Luxemburgensis, et Luxemburgensem comitatum adeptus est a. 1136. Id.

derunt, ut arma auxiliaria eis ferret, et quia advocatus esset ecclesiæ (700), dominium archiepiscopi et potestatem ab eis suis viribus removeret. Nunc opus est animis (701); nunc sese nobis insuperabilis offert materia, et quæ non meum dissolutum stilum, sed magnum quempiam requirat poetam. Quis enim dictis equare possit fortia facta hujus viri Alberonis atque suorum contra tirannum predictum, arte, ferro, flamma, fame atque inexplicabilibus Martis casibus per septem annos decertantium? Hæc viribus Homeri sufficiens esset materia, si tamen ipse materiæ sufficeret. Quod si singulorum hinc inde facta virorum inclita et in Martiis congressionibus varios belli eventus et nunc horum nunc illorum cedentium vel inpellentium diversas fortunas poetica vellem arte simulare, vel secundum hystoricorum peritiam, singula callida narratione renovando, tanquam ea ante oculos videas fieri, tibi, o lector, representem : aut oneri, quod verum est, succumberem [4089], aut non impar Virgilio vel Stacio, Tito Livio [4090] vel Josepho invenirer. Quod si etiam sufficerem, non esset tibia tanti [4091]. Minus enim esset hoc opere, propter quod fit, opus. Sed nec puto, cum solum, qui hoc bene perficeret, minus laudandum quam omnes eos quorum gesta proprie expressisset. Sed nunc nichil aliud a me expectes, nisi quod summatim singula perstringam, ne penitus eterna oblivione deleantur.

17. Eo igitur tempore, cum vacaret ecclesia sancti Maximini pastore, elegerunt monachi abbatem monacum quendam de ecclesia Leodicensi, fratrem quorundam qui consiliarii erant comitis Namucensis, ideo ut illorum consiliis acrius in furorem suum comes cotidie accenderetur. Quem (702) Romam magnis sumptibus ducentes, contra voluntatem archiepiscopi a domino papa Innocentio benedici fecerunt in abbatem ; et (703) ammiratæ sunt turbæ de tam subita rerum mutatione, scilicet quod Romana æcclesia talem tantumque virum tam graviter molestavit, qui tot labores totque pericula pro ipsa sustinuerat, et qui tam nuper in tanta gratia apostolicæ sedis exstiterat, qui et pro papa Innocentio Lothario regi in tantum se opposuerat in expedicione supra dicta, quod ipse archiepiscopus et rex ab invicem non sereno animo discesserant (704).

18. Preterea tempore hujus guerræ quæ erat inter archiepiscopum et comitem, fratres de ecclesia Confluentina eum quoque infestare ceperunt. Prepositum enim contra [ejus [4092]] voluntatem elegerunt, virum nobilem dominum Lodoycum de Ysenburch ; cum quo Romam magnis expensis pergentes, litteras apostolicas retulerunt domino archiepiscopo suæ voluntati contrarias. Quas cum domino archiepiscopo in sinodo residenti obtulissent, ipse ex animi commotione ipsas in terram dejecit. Unde apud dominum papam Innocentium accusatus, ab ipso est vocatus ad diem prescriptum. Et cum ad diem non venisset, episcopali est officio suspensus. Hæc mala omnia venerunt simul super illum, et de omnibus his liberavit eum Dominus. Romam enim veniens effecit, quod abbas Sancti Maximini obedientiam ei promisit et juramento ei fidelitatem fecit et electionem Confluentinorum cassavit (*an.* 1140). His absolutis, ad comitem redeamus.

19. Comes itaque in principio hujus discordiæ ex inproviso, antequam domino suo fidelitatem contradixisset, cum mille quingentis militibus Treverensi appropinquat civitati ; et Treviri non erant premuniti, nec vallo nec muro adhuc cincti, et longa pace bello dissueti, et ipse archiepiscopus aberat, in curia regis existens. Potuissetque civitatem tunc multum gravasse, si Deus hoc malum non avertisset. Sed comes Fridericus de Vianna (705) tunc forte fortuitu erat in civitate, et occurrens Namucensi, multis persuasionibus eum redire fecit, demonstrans magnam fore ipsi et perpetuam infamiam, si quid tale contra dominum suum committeret, antequam dominio suo renunciasset; presertim contra majestatem regiam hoc fore, si archiepiscope ex mandato regis in curia comoranti malum aliquod inferret. Reversus autem a curia archiepiscopus omnibus modis ad pacem cepit laborare et comitem a cepto revocare furore. Ille autem per episcopatum incendia, rapinas, cedes exercebat. Tandem archiepiscopus cepit sese defendere. Et quia nunc ad finem propero, multa pertransiens, summam gestorum hanc colligo.

20. Rodolfi montem (706) bis cinxit et secunda obsidione destruxit, castrum scilicet, quod omnibus modis insuperabile videbatur. Novum castrum, quod Mercurii mons dicitur (707), edificavit, timens ne Namucensis montem illum occuparet, quod quasi in corde terræ suæ erat. Mandersceat castrum (708), natura loci munitissimum, cepit et usque ad obitum

VARIÆ LECTIONES.

[4089] succumbere *c.* [4090] Ivvo *c.* (*e. corr.*). [4091] *quædam deesse videntur.* [4092] *deest c.*

NOTÆ.

(700) De qua cf. Zyllesius : Defensio abbatiæ imperialis S. Maximini, c. 3.

(701) Cf. Virg. Æn. VI, 261.

(702) Sigerum ; cui Innocentius papa a. 1140. privilegia et immunitatem confirmavit ; Hontheim Hist. I, p. 543.

(703) Huc pertinet epistola 179 S. Bernardi a. 1140 scripta, qua Alberonis partes apud Innocentium II papam tuetur. Ejusdem argumenti est epistola 180. Wytt. Quas vide ap. Hontheim Hist. I, p. 546.

(704) Cf. Gesta metr. v. 140 sqq.

(705) Viandem.

(706) Rudolfsberg arx erat Luxemburgensis, Treviris haud procul dissita ad ripam Saræ. Wytt, Roulmont dicitur, Hontheim I, pag. 554; Rodulfisberg, Gunther I, p. 336.

(707) Montmédy.

(708) Manderscheid.

suum retinuit. Gerlandam (709), Zolveram (710) A cepit, et 30 munitiones comitis Namucensis aut cepit aut destruxit. Epternacum quoque cepit, in quo comes militiam tenere solebat. Sed inter primam et secundam Rodulfi montis obsidionem bello congressi sunt archiepiscopus et comes in aperto campo. Quod tale fuit. Cum primo archiepiscopus Rodolfi montem obsedisset, comes Palaciolum invasit, et ignem in ecclesiam sanctæ Mariæ injiciens, municionem quoque archiepiscopi cremare sperabat. Quæ fama cum ad archiepiscopum pervenisset, obsidione soluta, tota nocte properavit cum milicia sua, ut inproviso hosti superveniens, inopinato terrore concusso suas vires ostenderet. Comes vero per exploratores ejus presentiens adventum archiepiscopi, in fugam conversus, nocte illa in B villam episcopi Witelich se recepit; equos et homines reficere volens, et nichil repperiens, villam totam concremavit; et inde transiens, cum juxta abbatiam quæ Claustrum dicitur (711) pausare vellet et panem frangeret—famelicus enim erat—, exercitus archiepiscopi jam sibi inminere prenunciabatur; et ipse velociter cum suis fugam arripiens, cuidam de fratribus ad se vocato per adjurationem contestans injunxit, ut archiepiscopo se insequenti hec verba referret: *Deus non meliorem diem vel noctem ei* scilicet archiepiscopo, *concedat, quam duos dies et duas noctes continue habui. Qui cum duobus diebus jejunaverim, etiam tertio die pauxillo panis me vellem refocillare, ab eo non sum permissus.* Consequens C ergo archiepiscopus comitem, cum eo pugnam acrem commisit. Comesque terga vertens, beneficio velocis equi vix aufugit, suorum plurimis captis, multis etiam cesis. Indeque archiepiscopus ad Rodolfi montem revertens, ut supra dictum est, destruxit (*an.* 1144?). Tandem comes omnibus viribus deficiens, per regem Conradum, in expeditionem Jerosolimitanam tunc iturum, aput Spiram, gratiam domini archiepiscopi magno labore multisque conatibus requisivit, et cum magna difficultate impetravit; jurisjurandi religione confirmans, quod pro hac causa contra ecclesiam Treverensem de cetero arma nullatenus ferret, et quod Rudolfi montem nec reedificaret nec reedificari permitteret, et quod Mandersceat nunquam per vim vel extor- D sionem aliquam repeteret (712) (*an.* 1146, *Dec.*, 1147, *Jan.*). Epternacum vero et cetera castra sive municiones ejus domnus archiepiscopus comiti reddidit, et de beneficiis, quæ in casamento comes plurima tenuerat ab ecclesia Treverensi, archiepiscopus ea reddidit quæ tempore hujus discordiæ suis non dederat fautoribus. Sicque et abbatiam obtinuit et de comite gloriosam victoriam. Post hoc alia quoque multa perfecit.

21. Arraz enim castrum suum comes Fridericus de Vianna, cum unius turris custos ab archiepiscopo esset constitutus (713), totum sibi usurpaverat, et rapinas multas in flumine Mosella exercebat. Quod iterum recuperans, comitem Fridericum inde ejecit. Post hec omnia multum exhaustus [4098] propter magnas et varias expensas quas in guerra fecerat, pacem de cetero habuit; quia post hec nemo bello ipsum lacessere attemptavit; et plurima denuo recolligens, palatium suum et omnia castra sua multo vino et omnium victualium genere implevit, ne, si quis cum iterum injuria aliqua provocaret, inparatus inveniretur.

22. In diebus illis (1147) contigit, dominum Eugenium papam in Franciam venire; cui ipse Proviniaco (714) cum occurrisset, pascha cum ipso Parisius celebravit (*Apr.* 20), et ibi ecclesiæ suæ privilegia et de primatu æcclesiæ suæ et de abbatia sancti Maximini renovando roboravit (715); ibique a domino papa et a rege Franciæ Lodoyco atque a comite Theobaldo (716) valde decentibus donis honoratus est. Indeque recessurus, dominum papam ad domum suam invitavit. Clericum quoque quendam Baldricum nomine (717), juvenem etate, de episcopatu Leodicensi ex castello Florinensi (718) ortum, cum audivisset in curia domini papæ causas dicentem et sepe apposite perorantem, secum a Parisius Treverim adduxit, et magistrum scolarum in domo sancti Petri constituit; et quamdiu vixit, valde eum carum et familiarem habuit. Nec longo interjecto tempore predictus rex Franciæ et filius Theobaldi comitis Heinricus transitum habuerunt per villam sancti Arnualis (719); quod domnus archiepiscopus presciens, servitium utrique seorsum tam grande et tam magnificum transmisit, quod ipsis nec prescientibus ex inproviso dum offerretur, valde sunt ammirati.

23. Eodem vero anno, dominica qua cantatur. Ad te levavi, domnus papa Eugenius Treverim venit, sicut, invitatus a domino archiepiscopo fuerat, et

VARIÆ LECTIONES.

[4098] exhautus *c.*

NOTÆ.

(709) Cujus situm nemo indicat.

(710) Vulgo Zolver dictum, in territorio ducatus Luxemburgensis, quatuor leucas et dimidiam a Luxemburgo situm. Supra collem, hodie der Zollwerknopf dictum, olim hujus familiæ castrum existebat, cujus hodie nequidem rudera vel minima exstant. Wytt.

(711) Scilicet Himmerode; cf. Alberonis chartam a. 1138, ap. Honth. Hist. I, p. 559: « et locum illum Claustrum appellari fecimus. »

(712) V. Conradi regis diploma hac de re datum, Hontheim Hist. 1, p. 554.

(713) V. diploma hac de re datum notatu dignum ap. Hontheim Hist. I, p. 557.

(714) Provins.

(715) Eugenii bullam vide apud Hontheim Hist. I, p. 556.

(716) Blesensi, Carnotensi ac Trecensi.

(717) Libri hujus scriptorem.

(718) Florines.

(719) In Lotharingia.

sabbato (*Nov.* 29) ante predictam dominicam in ecclesia sancti Eucharii honorifice hospitatus est. In ipsa autem dominica (*Nov.* 30) cum maxima veneratione a clero et populo cum inconsuetæ processionis ornatu atque recordabili sollempnitate in templum est introductus, conducentibus eum a dextris domno Alberone, a sinistris vero Arnulfo Coloniensium archiepiscopo, precedentibus vero multis episcopis Germaniæ, Belgicæ, Franciæ, Angliæ, Burgundiæ, Lonbardiæ, Tusciæ, et ex omni natione quæ sub celo est. Sed nec cardinales enumerare piget, qui cum domino papa Eugenio [4094] Treverim venerunt. Viri enim fuere vultu, habitu, gestu, scientia, moribus honorabiles, et pro sua magna honestate immortali recordatione digni. Hæc autem eorum sunt nomina, quæ melius in libro vitæ utinam scripta sint (720) : episcopi cardinales : Albericus Hostiensis, Himerus Tusculanus; presbiteri : Guido Summanus, Haribertus S. Anastasiæ, magister Guidodens, vir valde litteratus, legum et juris peritus, Julius S. Marcelli, Hugo Novariensis, magister Hubaldus, Gislebertus S. Marci, Johannes Papiro; ex diaconis autem : vir nobilis genere Ottavianus, et moribus nobilior, honestate et liberalitate notandus, specialis amator Theutonicorum, Guido Cremensis, vir alti sanguinis valdeque curialis et honestus dulcique eloquio; Odo Bone case, mansuetissimus homo, ex Romanis ortus nobilibus, omnibus affabilis et pius; Johannes quoque S. Mariæ novæ, vir dulcissimæ affabilitatis, sanctimonia morumque exornatione decoratus; Gregorius quoque S. Angeli, vir ingenii vivacis, promptus et expeditus ad omnia quæ honestati et ecclesiæ Dei utilitati conveniunt. Quid dicam de Jacincto, qui omnem jacinctum splendore suæ virtutis vincebat, qui eloquii sui dulcedine omnes in amorem sui trahebat, quem audire atque videre, honestatem discere erat? Sed nec Guidonem tacebo Pisanum, virum prudentissimum et breviloquio notabilem. His omnibus archiepiscopus per duodecim ebdomadas continue largitus est necessaria in tanta habundantia, quod ipsi quoque fatebantur, copiam plene cornu venisse ad ipsos. Quid referam de supervenientibus archiepiscopis, episcopis, abbatibus, archidiaconibus, prepositis, ducibus, comitibus, ad domnum papam Treverim venientibus, quorum ne unum quidem largitatis reliquit immunem? Natalis Domini sollempnitatem tunc Treveris celebratam quis ita dictis explicare queat [4095], ut, tu, qui non videris, intelligere vel imaginari possis? Quam putas pompam processionis in die sancto fuisse, cum dominus papa cum nacco equitans, precedentibus cardinalibus et episcoporum multitudine, in equis albo coopertis, ad ecclesiam sancti Paulini processit, indeque revertens, missarum sollempnia cum tanta populi frequentia peregit, quod in tota sancti Petri æcclesia nec spacium pedis vacuum reperire posses. Quid si dicerem, qualiter in die sancto, sollempni peracto officio, ex una parte domnus papa cum suis cardinalibus, et ex obposita parte domnus archiepiscopus cum illis qui illuc convenerant episcopis, infulati in mensis ex adverso oppositis residebant? Qua arte aliquis tot et tantas computare queat expensas? Dicerem quidem, quod ante domini papæ adventum [4096], domum quæ papæ dicitur, tria habentem intersticia secundum altitudinem, infra sex ebdomadas construxit, et domum quæ Jerusalem dicitur fere destructam reparavit. Sed quamvis taceam, res ipsa loquetur et in memoriam revocabit.

24. Nunc ad hoc transeo, quod dominus papa Eugenius a Treveris recedens, Remis celebraturus concilium mediante quadragesima pervenit (*an.* 1148, *Mart.* 17). Ad quod concilium domnus archiepiscopus Albero tam magnifice pervenit, quod omnium oculos in se et ora aperuit. In camerula autem de corio facta, lineo panno intrinsecus decenter obducta, inter duos ferebatur equos, quod cunctis visu erat mirabile. Senectute enim jam laborabat, longisque fractus deficiebat laboribus. In hoc igitur concilio prior in ordine cunctis residens episcopis, relegi de primatu sedis suæ plurima fecit privilegia super omnem Belgicam, Galliam atque Germaniam. Quibus auditis, Remensis archiepiscopus non mediocriter turbatus est. Unde et homines illius cum hominibus suis turbationem facientes, aliquos ex eis vulneraverunt. Quod ipse dominus archiepiscopus Albero valde ferens indigne, minabatur, Ivodio (721) se sessurum et Remensem vastaturum episcopatum. Tandemque ad hunc finem res est perducta, quod Remensis archiepiscopus cum Suessionensi ad hospicium pervenit et homines qui hanc culpam commiserant in ejus potestatem dedit.

25. Eodem anno mense Septembrio cum palatinus Herimannus castrum Tris (722) occupasset et edificiis firmasset, Otto comes de Reneca castrum predictum cum terra attinenti huic archiepiscopo et ecclesiæ suæ dedit, ut ipse illud recuperaret. Quapropter castrum predictum obsedit. Palatinus autem collectis omnibus viribus suis ad liberandum castrum venit; ad introitum silvæ, quæ castro [4097] adjacet, castra metatus est. Archiepiscopus vero ex opposita parte, acie instructa equitum peditumque, per tres dies ejus prestolabatur adventum. Illic videres galeas nitentes, loricas splendore diem superantes, clipeos coruscho sole circumpositos montes illustrantes. O quam intrepidos vultus virorum conspiceres! Quam impacienter moram hostis tardan-

VARIÆ LECTIONES.

[4095] E. *c.* [4096] quat *c.* [4096] adventu *c.* [4097] costro *c.*

NOTÆ.

(720) Quibuscum cf. subscriptiones in Eugenii chartis, ap. Günther I, p. 311, etc.

(721) Ivois.

(722) Treis.

tis ferebant! Quæ preludia militum cerneres pugnam simulantium in armis! Quam brevi spacio equum ferocem circumferri videres! Quales militum obviationes in equis, quali hastas fragore discindi perspiceres! Quales audires clamores horum insequentium, illorum terga vertentium! Qua arte simulatam attenderes fugam, quam subitas modo fugientium reflexiones, et precipiti cursu versam fortunam eorum qui jam sequebantur terga impellentium! Ibi notares milites modo condensatos, modo subito sese aperire, incursantemque hostem ingeniose quasi cedendo in sinum recipere, reflexisque cornibus eum concludere; mille ibi artes, mille fallendi modos discere dabatur. Interim archiepiscopi explorator copias palatini perscrutatus advenit, qui illum jam adventantem et ad pugnam paratum prenuntiat. Tunc videres senem illum, jam toto defectum corpore, acies peditum ordinare, equites militari arte disponere, notos ex nomine singillatim appellare, de ignotis qui sint ita interrogare, ut ex ipsa interrogatione non solummodo noticiam, immo etiam familiaritatem tanti principis sibi adquisivisse viderentur. Tunc exhortatoriam [4098] orationem, tenens crucem archiepiscopalem in manibus, cepit ad armatas acies tali modo facere : *O vos amici beati Petri! O sanctæ defensores ecclesiæ! qui hodie pro Deo atque pro justicia mortalia corpora vestra hostili gladio opposuistis, nunc veniat vobis in mentem beatus Petrus, cujus milites hodie existitis; credatis cum magna sanctorum caterva invisibilibus clipeis hodie vos protegere; certi estote de victoria. Respicite hoc signum crucis, hoc, inquam, signum terribile adversariis Jhesu Christi. Hec est crux, in qua Herimannus comes palatii mihi juravit fidelitatem, die illa qua advocatum ecclesiæ nostræ ipsum constitui, die qua illas vires illamque potentiam ei contuli per quam modo me infestat. Tunc predixi ei in hac cruce esse de ligno Domini, in quo ille, cujus hec sacrosancta refulget imago, de hoste humani generis triumphavit, multorumque sanctorum venerabiles reliquias in hac cruce indicavi contineri. Ipse vero palatinus tenens manum super hanc sanctam imaginem juratus est michi in hæc verba : « Hunc Dominum, hunc pro nobis crucifixum, do vobis, domine archiepiscope, fidejussorem, et juro vobis per ejus virtutem, quod nunquam aliquid contra vos faciam, et quod in omnibus vestris necessitatibus cunctis viribus meis omnique potentia mea vobis fideliter assistam. » Nunc ergo sciatis omnes quod hunc fidejussorem, Christum scilicet dominum, in hac sua sacra imagine portabo ante illum, ingeram eum oculis illius, hunc sui juramenti testem illi demonstrabo. Sed nunc, o fideles Jhesu Christi, qui vitam et sanguinem vestrum pro defensione ecclesiæ suæ offertis, preparate corda vestra Domino, mundate conscientias vestras, et quia non vacat ut singillatim faciatis confessiones, generalem michi pastori vestro facite peccatorum vestrorum confessionem; et ego, potestate a Deo nobis tradita, faciam vobis per officium nostrum indulgentiam et remissionem omnium delictorum vestrorum, ut, si quis hodie ex hac temporali et incerta vita evocatur, transeat ad meliorem vitam, scilicet æternam.* Tunc cum accepisset omnium communem confessionem, indulgentia facta et absolutione, benedictionem super eos faciens, ita omnes animavit, quod nec in uno signum timiditatis apparuit. Ipse vero archiepiscopus vexillum comiti Namucensi commisit, crucem autem propriis gestabat manibus. Hæc cum ita se habercut, palatinusque per exploratores rescisset se non sufficere ad committendam pugnam contra acies ita animatas, misit legatos ad archiepiscopum, et verba precantia mandat; et ut cito ad finem veniam, hoc impetravit, ut sui qui erant in castro illesi abirent, et de castro suo archiepiscopus suam expleret voluntatem.

26. Nunc de moribus ejus et consuetudinibus pauca narrare michi libet; alienos enim in omnibus gerendis et valde inusitatos mores habebat. Corpore tardus et opere et sermone erat. Omnia diutissime pertrahebat; nunquam vel admodum raro properando aliquid agebat, sed omnibus tantam moram innectebat, quod gravis valde et morosus omnibus videbatur et tedium tam suis quam alienis inferebat; et cum pro nimia sua tardatione res quelibet, quam incepturus erat, desperata esset, tamen optato fine terminabatur. Nec in ambulando, nec in equitando, nec in dormiendo, nec in vigilando aliorum hominum consueta tenebat. In ambulando ad manus trahebatur; sciaticus enim erat; et propter eandem infirmitatem strepas in arcu sellæ, cum equitaret, pendentes habebat, et jambam sinistram super collum equi tenebat, quod cum morbi coactione faceret, ab aliis pro raritate facere videbatur. Noctu in consiliis sive in collationibus esse solebat usque ad conticinium sive ad galli cantum, sepe quoque usque in diluculum, dormiebatque sepissime usque ad duas diei horas. Ad mensam post horam consuetam tarde accedebat, et diu valde in ea demorabatur, disputando et conferendo valde hylariter cum clericis suis de sacris scripturis et sanctorum patrum sententiis. Magnam enim multitudinem religiosorum et litteratorum secum habere solebat. In sacris mysteriis altaris plus quam homo videbatur, ad quæ nunquam sine lacrimis et maxima conpunctione accedebat. Pontificalibus enim ornamentis indutus, angelus Domini videbatur; angelico enim vultu relucebat, et tanta devotione celestia illa tractabat sacramenta, quod cum in secretis moraretur, contemplatione et oratione cœlos penetrare videretur. Cum sermonem ad populum faceret, tunc quia tardus erat in sermone, tunc quia Gallica lingua natus in Teuthonica non erat expeditus, tunc quia nimis profunda tractabat, explicare vix poterat ea quæ ceperat. In proverbiis et similitudinibus fere

VARIÆ LECTIONES.

[4098] exhortariam *c.*

omnia dicebat; quorum supra omnes qui in nostram venerunt noticiam homines copiam tenebat. Elemosinas quam largissime et cotidie faciebat. Phisioniniam admodum sciebat, adeo ut diversorum aspectu vultuum secreta discerneret mentium et morum. Ad regales curias quando veniebat, spectaculum omnibus erat; solus admiratione dignus videbatur; comitatus et expensæ magnificentia omnes alios principes obscurabat; joconda loquutione et hylarissima proverbiorum suorum interpositione tam regem quam principes letificare solebat. Novissimus et diu exspectatus ad curiam vel ad quelibet veniebat colloquia, ultimusque recedebat; nunquam in singulis conventibus, nisi auditis aliis, suum aperiebat consilium. Ego Baldricus, qui hanc scriptiunculam feci, uni curiæ interfui, quam Francovordium petiit sub rege Conrado (723) cum 40 navibus cameratis, exceptis liburnis et honerariis atque coquinariis ratibus. In qua curia 8 comites et ducem Lotharingiæ Matheum atque Heinricum ducem de Lenburgo secum habuit, clericorumque atque militum multitudinem tantam, quod omnibus qui videbant ammirationem faciebat. Magistrum quoque Jarlandum Bisintinum (724) et magistrum Teodericum Carnotensem (725), duos fama et gloria doctores nostri temporis excellentissimos, secum in sua ducens navali cammenata, in illorum disputatione et collatione valde delectatus est, et a curia domum reversus, decentibus donis largiter honoratos ad propria letos [4099] remisit. Hoc tamen nescio an memoria sit dignum, quod cum a predicta reverteretur curia, ideo quoniam Moguntinos exosos habebat atque forsitan suspectos, civitati illorum appropinquans, vexilla singulis ex navibus erigi, milites in clipeis auro fulgentibus, loricis, galeis, argentum nitore superantibus, ostentare sese precepit; tubis et cornibus armorumque strepitu [4100] et horrisono virorum concentu adventans totam permovit civitatem. Illic ex tota urbe homines concurrere, mulieres conclamare, et quasi urbs [4101] jam capienda foret, undique tumultum atque pavorem conspiceres.

27. Tandem finem narrationi facturus, de fine et transitu et testamento ejus pauca dicam. Confluentiæ in epiphania Domini curiam magnam tenuerat, et treugas inter comitem de Molbach (726) et comitem de Zeina (727) acceperat (*an.* 1152, *Jan.* 6). Hii pro Bunnensi comitatu diu guerram ad invicem habuerant, quibus hinc inde fere omnis inferioris regionis nobiles favebant [4102], terramque omnem vastaturi erant, si ipse suo consilio non intervenisset. Hoc enim in consuetudine habebat, frequenter suffraganeos suos et principes ac nobiles de provincia sua congregare, et stipendia largiter illis amministrare, et pro statu ecclesiæ et pace patriæ cum ipsis tractare. Et quod nunc dicere ceperam, statim post epiphaniam febris acutæ diris ardoribus accensus, et plereusis [4103] passione constrictus, de vita dubitare incipiens, viros religiosos, abbatem Sanctæ Mariæ de Sprinkenebarch (728) Richardum, abbatem Sancti Eucharii Bertolfum, et plerosque alios convocavit; factaque omnium peccatorum confessione, oleo unctus est secundum beati Jacobi institucionem, et sacrosanctum corpus Christi sumpturus, magnæ fidelitatis et veræ ac catholicæ fidei significativa verba protulit. Sic enim magnanimus heros, catholicus pastor, memoranda voce exorsus est: *Audite, fratres mei karissimi. Vos abbates et viros religiosos ideo convocavi, ut in presenti ecclesia et in universali in fine mundi ex sanctis angelis et hominibus congreganda ecclesia testes michi meæ veræ fidei assistatis, et oratione vestra, ut hec fides me salvet adjuvetis. Hoc quod presens cerno in specie panis credo esse verum Christi filii Dei corpus, quod in virginali alvo Mariæ intemeratæ virginis, obumbrante ipsam Spiritu sancto, sicut manet in presenti, unitum est verbo Dei, vero Filio Patris altissimi, quod pro nobis in cruce temporali morte ab anima derelictum est; anima vero descendente ad inferos, divinitatis consortio in sepulcro non est destitutum, sicut nec anima in inferno, secundum quod David de ipso testatur dicens: « Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem (Psal. XV, 10); » hoc, inquam, corpus illua est Christi, quod tertio die redivivum, anima redeunte ad ipsum, confractis divina qua utebatur virtute tartareis claustris, ereptisque a diabolica potestate fidelibus prioris seculi, de sepulchro resurrexit, de cetero immortale et inpassibile, quale et in cæna ante passionem, manibus sacris se ipsum tenens, in tali panis specie discipulis edendum distribuit, dans impatibile, tamen adhuc passurus, docensque illos hujus sacramenti mysteria celebrare. Hoc, inquam, corpus est Christi, quod post resurrectionem per quadraginta dies discipulis apparuit visibile atque tangibile, et tamen incorruptibile, secundum voluntatis suæ potentiam, qua omnia quecumque voluit fecit. Hoc est vere glorificatum et ineffabiliter gloriosum corpus, quod apostolis videntibus mirabiliter assumptum est in gloria, sedetque Dominus cum Domino, Filius cum Pa-*

VARIÆ LECTIONES.

[4099] let *c.* [4100] strepitum *c.* [4101] ubrs *c.* [4102] favebat *c.* [4103] *ita c.*

NOTÆ.

(723) Aut a. 1147, Martio; aut a. 1149, Augusto mense; v. Jaffé l. l., p. 118, 171.

(724) V. Histoire littéraire de la France, tom. XII, p. 275.

(725) Joannes Saresberiensis lib. I Metalog., cap. 5, de hoc Theoderico notat, eum fuisse artium studiosissimum investigatorem. WYTT.

(726) Albertus comes de Molbach a. 1158-1175 in chartis nominatur ap. Gunther, cod. dipl. Rheno—Mosell. vol. 1.

(727) Sayn.

(728) Monasterium a. 1107 fundatum; v. Hontheim I, p. 483.

tre a dextris [4104] *suis, idem in sinu Patris, in unitate scilicet essentiæ. Hoc sacrum et venerabile corpus, possum vere dicere cum centurione, non sum dignus ut intret sub tectum meum* (*Matth.* VIII, 8; *Luc.* VII, 6). *Rogo tamen, o bone Jhesu, qui dignatus es domum Zachei intrare, penetrale quoque et secretum animæ meæ habitaculum digneris introire, et sana animam meam, quia peccavi tibi; et qui jam ad me venisti per hanc fidem, visita me per inhabitantem gratiam, et in hac fide sumo vitam pro vita, quemadmodum tu dixisti : « Panis quem ego dedero caro mea est pro seculi vita* (*Joan.* VI, 52)», *ut sit mihi viaticum in vitam eternam, amen.* Et cum sumpsisset corpus Domini, accipiens calicem, ait : *O piissime et serenissime pater, tuam ego peccator precor hodie benignissimam majestatem, ut per hoc verum sacrificium corporis et sanguinis domini nostri Jhesu Christi, per hoc inestimabile mysterium redemptionis humanæ salutis æternæ, quod offert tibi ecclesia tua sancta, in fide vera, in propiciatione pia, in sanguine filii tui, vlacatus sis michi et propicius, et ita vere, ut hæc credo esse verum corpus filii tui ex sacro munere doctrinæ ejus, ita vere hodie parcas, michi et auferas iniquitatem meam, et non* [*intres* [4105]] *in judicium mecum, sed in veritate hujus fidei deduc me in semita recta in vitam eternam, amen.*

28. Scias autem, o lector, quod, si non eadem verba, mentem tamen et sententiam suorum protuli verborum. Nunc quale ordinaverit testamentum, quam brevius potero, explicabo. Thure curiam, quam ipse pecunia emit a comite Wilhelmo [4106] de Glisberch, fratribus dedit ecclesiæ sancti Petri Treverensis, ut in anniversario ejus refectionem inde habeant; et patrimonium suum Sule, curiam Bredal ecclesiæ predictæ contulit tali dispositione, ut crux inaurata, quam tempore predictæ guerræ decrustaverat, de reditibus ejus repararetur, et quedam ornamenta quæ obpigneraverat restituerentur, et deinceps perpetuo jure in usus fratrum cederet. Obiit autem octavo decimo Kalendas Februarii (729). Et licet communi mortalium sorte in fata lapsus sit, non tamen communi hominum fortuna funeratus est. Confluentiæ enim cum obisset, exta ejus in Claustro (730) juxta parietem quæ respicit ad septentrionem humata sunt et lapide texta marmoreo; corpus vero myria et aloe et aromatibus conditum a medico suo peritissimo Philippo Lonbardo, qui et urinæ suæ inspectione mortem ejus tribus diebus ante predixerat, pontificalibus adornatum vestibus, Treveris allatum est cum magno comitatu. Palatinus enim comes Herimannus [4107] atque plerique barones inferioris regionis cum magno comitatu funus ipsius prosequuti sunt. Deinde cum Treverim pervenisset, clerus et populus ad pontem processit illi in obviam, et per singula monasteria singulis diebus deportatus est celebri cum processione, donec dierum numerus monasteriorum complevit numerum; et per singulos dies procerum augebatur numerus, de tota provincia ad exequias ejus confluentium. Veneruntque, comperto ejus obitu, suffraganei ejus episcopi, Stephanus Metensis, Heinricus Tullensis, Albero Virdunensis, et Jordanus presbiter cardinalis Romanæ ecclesiæ, qui tunc Mettis omnium abbatum superioris Lotharingiæ conventum adunaverat, qui etiam simul cum ipso ad ejus venerunt exequias. Tantoque honore communique luctu tocius provinciæ undecimo ab obitu ejus die tumulatus est, quod omnes qui aderant confessi sunt se tam honorabiles exequias nunquam vidisse. Sepulturam vero habet in ecclesia beati Petri [4108] a latere meridionali, juxta altare beati Stephani. Et quod notandum, quotiens predictam intrabat ecclesiam dum viveret, in eodem loco in quo nunc habet sepulturam orare solebat.

29. Domine Jhesu Christe, splendor patris et sapientia et virtus, qui tua ineffabili dignatione resplenduisti in forma humana, ut nos miseros peccatores liberares tuæ nobiscum socialis conversationis consortio a diabolica [potestate [4109]], reluceat hodie lux tuæ claritatis Alberoni, veri sacrificii sacerdoti secundum ordinem Melchisedech, qui frequenter in sacra fide obtulit patri tuo corpus tuum venerabile et sacrosanctum, quod tuæ ecclesiæ in pignus tui amoris a patre postulanti dedisti. Cum enim pater tuus synagogæ [diceret [4109]] : *Nunquid sanguinem hyrcorum aut vitulorum ego potabo?* (*Psal.* XLIX, 13.) Et hec David audiens et quasi devotus verna patri tuo alludens, in beneplacito tuo patris tui ad gratiam loquens responderet : *Sacrificium et oblationem noluisti* (*Psal.* XXXIX, 7; *Hebr.* X, 5); et cum pater tuus consentire videretur, voluntatem ejus et tuam presentiens, in tua persona dixit, immo tu in persona illius dixisti : *Ecce venio* (*Hebr.* X, 7). Et ipsa tua ecclesia repudiari videns veteris ritum sacrificii, cum tibi videret non placere carnes hyrcorum aut vitulorum, quæ tibi synagoga offerebat, anxia quid tibi posset offerre in laudem et recognitionem pro omnibus tuis beneficiis, cotidie dicebat : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit michi?* (*Psal.* CXV, 12.) Tum tu mirabili compassione corpus aptasti tibi, et dedisti sponsæ tuæ, amicæ tuæ, columbæ tuæ, æcclesiæ scilicet tuæ, ut patri tuo illud sacrificaret. Unde et ipsa exultans dicit : *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo* (*Psal.* CXV, 13).

VARIÆ LECTIONES.

[4104] addextris *c.* [4105] *deest c.* [4106] W *c.* [4107] Her. *c.* [4108] *deest c.* [4109] *deest c.*

NOTÆ.

(729) Himmerode. Cor et exta ad hoc claustrum translata ibique condita et marmore tecta fuere cum hoc epitaphio : *Hic recondita sunt cor et exta venerabilis Adalberonis, Trevirorum archiepiscopi, primi nostri fundatoris, qui obiit anno gratiæ* 1152, 18 *Kal. Febr.* Vide Heesii Manipulum rerum memorab. claustri Hemmerodensis. Colon. 1641. WYTT

(730) D. 18 Januarii dicere voluit; v. c. 30.

Ergo in virtute hujus sacrificii claritatem vultus tui et requiem eternam tribuere dignare ei, Domine, qui vivis et regnas Deus per omnia secula, amen!

Albero maxime vir, flet Roma, flet undique Trevir,
Tanto, tam miro, te moriente viro.
Trevir pastorem, flet Roma ruisse rigorem,
Dogmaque justiciæ, lumen et ecclesiæ.
Magnus eras magnis, par parvis, meta tyrannis,
Gloria divitibus, portio pauperibus.
Castra tyrannorum subvertens, castra bonorum
Plurima condideras, largus et hospes eras,
Largus et humanus. Compleverat ordine Janus
Octo decemque dies. Mors tibi sit requies!

Hi [4110] decem versus continentur in epitaphio domni Alberonis Trevirensis archiepiscopi, scripti aureis litteris in cupreis lamminis.

Infra arcum :

Belgica Roma, tuum decus et tua gloria perpes,
Hic jacet, eternus qui tibi vivit honor.
Albero, lux orbis, decus urbis, gloria cleri,
Ornatus patriæ, splendor et ecclesiæ,
Parte minore sui jacet hic, majore superstes:
Mens etenim superest, fama perhennis erit.
O quam magnus homo quam parvo clauditur antro!
Laudibus et meritis non minor orbe fuit.
Huic speciale fuit, non vinci, vincere, victis
Parcere, larga manus [4111] non habuisse parem.
Hic vir, hic est, cui primati sua subdere colla,
Germani Belgæ non habuere nimis.
Treveris alma per hunc major, tibi Roma Quirites
Transmisit, cives fecit et esse tuos.
Hucque caput mundi veniens, hic esse cor orbis
Non negat, et nomen Roma secunda tuum.
Janus bis novies solem produxerat orbi,
Cum tantam lucem sustulit æcclesiæ.
Quod solum restat, dic, lector, supplice mente:
Albero, sit tibi lux, sit tibi vita Deus,
Qui velut e specula, toto spectabilis orbe,
Treveris evexit nomen ad astra tuum,
Fortia confundens, et ferrea virga superbis.
Et quia vas figuli frangere doctus eos [4112],
Turbine quem [4113] nullo potuit fortuna minorem
Reddere, qui major cum premeretur erat;
Ille, domus Domini, mons montibus altior, alte
Transiliens colles, vallibus umbra suis,
Cum jam bis novies solem revocasset ad ortum
Janus, in occasu stella serena jacens,
Albero : « Mors, inquid, nichil est michi, namque [4114]
[*resurget*
Congaudens animæ glorificanda caro. »

Et hoc est epitaphium super reliquias ejus Confluentiæ :

Officio merito presul venerandus utroque
Albero condidit hoc, heu! cor et exta solo.
Posce Deum, lector, vir ut tibi sorte sequendus
Inveniatur ibi, pax ubi vera tibi.

VARIÆ LECTIONES.

[4110] *Hæc rubro colore scripta sunt c.* [4111] manu? [4112] *Hæc non satis constant;* eras *ed.* [4113] quæ *c.?* [4114] naque *c.*

ANNO DOMINI DCCCXXV-MCVI.

CHRONICON

SANCTI HUBERTI ANDAGINENSIS

EDENTIBUS

L. C. BETHMANN ET W. WATTENBACH PH. DD.

(PERTZ, *Monumenta Germaniæ historica*, Script. t. VIII, p. 565.)

PROLEGOMENA.

Ingenti ille inter regnum et sacerdotium certamine exorto, quod per singulas quasque episcoporum diœceses discordiæ semina sparsit, eadem cum cæteris Leodiensis diœcesis monasteriis ruina etiam nobile Sancti Huberti in Arduenna monasterium traxit, quod ad summum prosperitatis fastigium sub Theoderico I evectum, Theoderici II cum Otberto episcopo contentio de statu suo prorsus dejecit. Sed inter ipsas quibus quassabatur calamitates, antiquæ disciplinæ fructum percepit, cum monachus Hubertinus, sub Theoderico I nutritus, et litterarum studiis non mediocriter imbutus, historiam monasterii scribendam susciperet et incœptam tam felici eventu ad finem perduceret, ut luculentiorem de temporum istorum conditione auctorem vix inveneris. Nomen suum latere voluit, sed monachum Sancti Huberti ostendit tum intima rerum cognitio, tum quod c. 58 dicit *nobis videntibus*, de re in monasterio gesta. Litteris operam dedisse tota scribenti ratio prodit, etsi a grammaticæ regulis aliquando aberrat; sed

ibi sæpius librarium in culpa fuisse existimo. Sallustium in scribendo imitatus est, cujus etiam verba mutuatur c. 54, 76. Sed aliorum quoque scriptorum, Ciceronis, Macrobii, notitiam ostendit c. 60 seqq., ubi Lamberti narrationes refert, sed ita passim servatis auctorum verbis, ut ea ipse legisse videatur, nisi fonte quodam derivato usus est. Præterea capiti 1 locum Historiæ Miscellæ inseruit; 78, epistolam Petri Damiani. Domesticos autem auctores ad priscam monasterii sui historiam scribendam, etsi eam breviter tantum tetigit, adhibuit Vitam sancti Beregisi (1), sancti Huberti Vitam (2), Translationem (3), et Miracula (4), Lamberti Vitam auctore Sigeberto (5), Fredegarium quoque et Anselmi Gesta epp. Leodiensium (6). Privilegia monasterii ubique ad manum habuit, et modo integra narrationi inserit, modo excerpta tantum.

Postquam primordia monasterii exposuit, tempus medium inter Altuenum et Adelardum, annos 825-1054, de quibus certi nihil compertum habebat, intactum reliquit; *ea*, inquit, *quæ nostris temporibus audivimus et vidimus gesta revolvamus*. Quæ non oportet ad litteram interpretari; nam a. 1054 vixdum natus fuisse potest, et de Adelardo pauca refert, sed Theodericum I annis 1055-1087 abbatiam regentem bene novit, multaque adjecit ad ea quæ ex vita ejus ab altero æquali monacho scripta (7) recepit; alia paulo diverse narrat. Nam cum ille totus occupatus sit in pietate abbatis extollenda, miracula afferat, cætera tanquam aliena breviter attingat, noster miracula minus curat, eorum succinctam narrationem a Vitæ auctore mutuatus, universam autem monasterii conditionem, res ejus exteriores et cum potentibus illarum regionum rationes accurate pertractat. Hæc tum ex privilegiis monasterii collegit, tum ipse vidit; ducem enim Fridericum († 1065) aprum in ecclesiam tulisse c. 58 refert « nobis videntibus. » Præterea etiam Ruperti Chronico S. Laurentii usus esse videtur, c. 28-30. Deinde progreditur ad historiam gestorum sub Theoderico II, quæ plus dimidia parte operis occupat, ita accurate scripta, tot litterarum documentis probata, ut familiarem Theoderici amicum facile agnoscamus, comitem, ut videtur, exsilii ejus; etsi libere eum quandoque reprehendit. Vitam « Theoderici junioris de S. Huberto abbatis » scripsit Heribrandus abbas S. Laurentii Leodiensis (8) (1115-1130), sed nullum ejus vestigium manet. Noster c. 70 commemorat Heribrannum monachum S. Laurentii, eumdem, ut opinor, qui Vitam scripsit, sed fortasse post nostrum. Hujus enim opus desinit in a. D. 1106, sed injuria temporis finis periit. Cap. 96 dicit Manassem postea Remensem archiepiscopum factum esse, Rodulfum post Manassem præpositum; qui cum, Manasse a. 1106 mortuo, archiepiscopus electus sit, primi editores inde concluserunt hæc antea scripta esse (9). Concedo, hoc veritatis speciem habere, sed si jam tunc scribendi initium fecerat, sequentia postea demum addidit; nam et de Theoderico abbate († 1109) tam libere loquitur, ut eo vivente opus editum esse vix mihi persuadeam, et c. 88 de Otberto episcopo agens dicit : *quandiu ex tunc superfuit*, quæ certe post mortem ejus († 1118) scripta esse videntur. Quanquam nec hoc loco nec illo legitimum argumentum agnosco, et hæc incerta manere fateor : satis habeamus nosse, auctorem operis fuisse virum inter medias res versatum, acrem judicio, veritatis studiosum. Hoc enim totum ejus dicendi genus, hoc simplex et sincera rerum narratio suadent.

Versus finem sæculi Gislebertus cap. 24 a nostro mutuatus est. Postea Ægidius cum novisse videtur (v. c. 24, 28-30), sed laudabilia tantum de episcopis Leodiensibus relaturus, admodum pauca recepit; nam tum demum inspexit, cum Anselmo destitutus alios auctores circumspiceret.

Codex operis autographus mature intercidit. Nam eum anno 1550 non jam in monasterio exstitisse, inde apparet, quod lite de jurisdictione Andaginensi inter Carolum V et episcopum Leodiensem exorta, cum historia monasterii esset in jus vocanda (10), Remaclus tunc temporis abbas in domesticis archivis nil reperiens Auream Vallem precibus adiit; unde ipsi.

1) Codex Aureævallensis transmissus est sub conditione remissionis (11), quam tamen conditionem neque abbas neque ejus successores impleverunt. Remansit potius codex apud sanctum Hubertum, usquedum monasterio a. 1796 suppresso bibliotheca dispergeretur. Per varios casus denique devenit ad virum nobilissimum Theodorum Geoffroy, in exercitu Belgico tunc tribunum equitum, inter arma Musis amicum, qui a. 1841 a Berthmanno nostro Brugis eo nomine conventus, cum urbanitate nunquam satis nobis prædicanda et codicem et domum gratiose præbuit ad utendum; cui viro clarissimo hasce lineas grati nostri animi et vero ipsius erga nos humanitatis perenne optamus fore monumentum. Codex membranaceus, forma minori, sæculo XIII a pluribus exaratus, post Vitas SS. Judoci, Basilii, Leodegarii, Eufraxiæ, Radegundis, Balthildis, Gilleberti epistolam ad Anselmum, Gilleberti disputationem cum Judæo, Vitas Anastasiæ, Theoderici martyris, Gengulfi, Corbiniani, habet hanc

NOTÆ.

(1) Acta SS. Oct. I, 524.
(2) Ap. Surium VI, 45.
(3) Mabillon Acta SS. O. S. B. IV, 1, 295.
(4) Ib., p. 297. In fine quædam addita sunt; exstant enim jam in cod. Bruxell. 14650, sæq. x. Commemorantur a nostro c. 22.
(5) Ap. Chapeavill. I, 411, ubi falso Renero tribuitur.
(6) C. 2. Sed hoc non constat, nam paucissimâ sunt quæ inde haurire potuit.
(7) Ea post Mabillon, Acta VI, 2, 557 accuratius e cod. Alnensi edita est in Actis SS. Aug. IV, 848.
(8) Reinerus De claris scriptoribus mon. ap. Pez Thes. IV, 3, p. 20 seqq., c. 7.
(9) Dicunt, ante a. 1108, sed Rodulfus jam 1106 electus est.
(10) Ita Robaulx, ex Fundatione monasterii Anduini manuscripta circa finem sæculi XVII, quæ servatur in ecclesia S. Huberti.
(11) Cujus conditionis apographum in calce codicis 1* habetur ita conscriptum : *Nous frere Dominique Robin, par la permission de Dieu humble Abbé de l'Eglise et Monastere Notre Dame d'Orval Ordre de Cisteaux, Diocese de Treves, et Conté de Chiny. Et nous tout le convent de ce mesme lieu, Sçavoir faisons à tous qu'il appartiendra, que environ l'An mil cinq cens cinquant feu noz predecesseurs Abbé et Convent dudit Orval ont presté à feu Monsieur Damp Remacle en son temps Abbé de St. Hubert, un tres-ancien livre intitulé Cantatorium, escrit de la main, lequel livre a esté trouvé en noz Archives, estant tres-ancien, entier et authentique, pour y adiouster foy en jugement et dehors. Lequeldit livre ledit feu Sr. Abbé de St. Hubert avoit promis rendre, et restituer en telle sorte et maniere qu'il l'avoit receu de nosdits feuz predecesseurs. En tesmoignage de quoy Nous, Abbé et Convent susdits, avons faict appendre à cestes noz seels Abbatial et Conventual le huictiesme de Mars XV^c. soixante et neuf stil de Treve. Plus bas estoit escrit. Collationné à l'originel, et trouvé concorder en parchemin à deux seaux en cire verde, ce deuxieme de Mars Mil cinq cent septante, stil de Treves par moy. Plus bas estoit signé. N. Brutkens.*

historiam, continuo sæculi XIII calamo exaratam atque inscriptam : *Incipit liber qui Cantatorium dicitur*. Exciderunt duo folia 52, 53, media, quæ Romualdus Hancar ante hos ducentos annos adhuc legebat, atque unum vel plura in fine, quæ jam tunc deerant. Librarius mendis non semper abstinuit ; quæ per codicem autographum in scedulis, ut videtur, assutis suppleta videbat, ipse describens inepto aliquoties loco posuit (12), alia omisit (13) ; annorum etiam numeros, quos in textu exhibet, in codice originario plerosque margini ascriptos fuisse crediderim.

1*) Romualdus Hancar monachus S. Huberti circa a. 1630 codicem Aureævallensem satis diligenter transcripsit in chartam ; quod exemplar notis marginalibus ab ipso auctum, postea in archivum registraturæ Sancti Huberti devenit, unde a. 1834 Bruxellam translatum in bibliothecam Burgundicam n. 14,600, nobis hanc novam editionem præparantibus humanissime fuit transmissum, ut duo illa folia omissa accuratius inde possemus supplere.

1**) Aliud apographum, a. 1737 ex 1* factum habebat Linotte de Poupehan, magistratus Bullionensis, teste Ozeray *Histoire du duché de Bouillon*, p. 310.

1***) Alia duo apographa a. 1563 ex ipso 1 facta atque procuratori Luxemburgensi legatoque episcopi Leodiensis tradita memorat Robaulx p. 4 ; quorum alterum fortasse idem est, quod in castello Mirvart sibi visum ait Dewez *Histoire de Liége* I, 54.

Editionem primi Martene et Durand amplissima Coll. IV, 914 curaverunt ex ipso codice 1, at mendis nimium deturpatam, capitum distinctionem de suo instituentes. Dom Bouquet XI, 149, 635 ; XIII, 564 excerpta tantum dedit. Secundam instituit P. de Robaulx de Soumoy, *Chronique de l'abbaye de Saint-Hubert*. Brux. 1847, 8, e codice Bruxellensi 1* cum versione Gallica, cui subjunxit historiam monasterii a fine Cantatorii ad nostra usque tempora deductam, adnotationesque adjecit vere utiles bonaque fruge refertas, ex quibus multa didicimus. Adhibuit enim editor : Romualdi Hancar historiam manuscriptam monasterii cujus ipse prioratum gesserat, ex Cantatorio nostro aliisque fontibus domesticis compositam ; Fundationem monasterii Andaini ; Antiquitates Andaginenses ; Titulos possessionum Sancti Huberti, aliaque quædam sæc. XVII et XVIII manu scripta ; unde libro suo magnam procuravit utilitatem. Tertius bibliothecæ Burgundicæ præfectus L. B. De Reiffenberg, *Monuments pour servir à l'histoire de Namur, de Hainault et de Luxembourg*, Brux. 1847, in-quarto, codicem 1 habuit quidem, at raro adhibuit, contentus ex ejus apographo 1* editionem novam proponere, quam ectypo codicis 1 ornavit. Quarto denique loco nos Cantatorium proponimus ex ipso codice 1, cujus lacunas ex 1* supplevimus, orthographiam intactam relinquentes, excepto quod simplex *e* terciodecimo demum sæculo ubivis scribi cœptum in *æ* mutavimus. Capitum distinctionem retinuimus eam, quam librarius ipse non numeris sed litteris inceptivis majusculis rubris instituit, numeros Martenianos ob commodum lectorum uncinis inclusos apponentes. In adnotatione ea quæ Romualdus Hancart, Martene et De Robaulx jam attulerant utilia, quam brevissime excerpsimus, sigla illorum H. M. R. religiose ubivis et gratitudinis causa ascribentes ; reliqua nostra sunt.

INCIPIT LIBER QUI CANTATORIUM DICITUR.

QUALITER CREATA SIT ABBATIA SANCTI HUBERTI.

1. In pago Arduennensi quoddam castrum Ambra dicebatur, eo quod Amberlacensis[1] fisci (14) caput haberetur, quod funditus eversum, Hunis vastantibus Gallias, per annos fere trecentos triginta septem (15) desertum ad nichilum devenerat. (*Hist. Misc.*) Hæc[2] gens diu inaccessis montibus seclusa, tempore Valentis imperatoris repentina rabie Gothorum terras invasit, et rex eorum Filimer ante cum Gothis Geticas et Sciticas terras ingressus repperit ibi quasdam magas, quas alirumnas dicunt, et eas suspectas habens, per solitudines fugatas exturbavit. Cum hiis silvestres homines quos Faunos ficarios dicunt coeuntes, hoc genus ferocissimum inter Mæotides paludes genuerunt, quod tetrum et exile, vix humanam imaginem repræsentans, videntibus se nimium ingerebat terrorem vultus sui horrore, eo quod esset deformis et execrandæ nigredinis. Maribus genæ desiccantur[3] antequam lactentur, ut jam tunc tolerare laborem cogantur ; forma quidem exigui, sed motibus arguti et expediti, atque ad equitandum promtissimi, scapulis latis et ad arcuum curvationem et sagittandum periti, cervicibus firmis et semper superbia erectis, animos ferocissimos habentes et belluino more viventes. Hii cum Athala rege suo divinæ vindictæ necessitatibus[4] subservientes, dum Galliarum urbes et castella simul et ecclesias vastarent, hoc quoque castrum in transitu suo subverterunt. (*Vita Beregisi.*) Temporibus autem Pippini, qui major domus erat sub Theoderico rege, uxor ejus Plectrudis Amberlacum suæ dictionis fiscum parabat adire, et per prædictum locum transiens, tam tædio vaste solitudinis quam fervore æstatis confecta, ibidem in pratis virentibus decrevit aliquamdiu requiescere. Et cum post exactam refectionem comites ejus longiori sumpno premerentur, ipsa curiosior pro equis pascentibus, ne per silvas vagarentur, neminem excitans sola surrexit ; equisque recollectis jam lassior,

VARIÆ LECTIONES.

[1] *ita corr. manus recens pro* ablacensis. [2] Hæc — subverterunt *a librario post* fluvium Lumnam *collocata, sed signis* a, b, c *factis suo loco reposita sunt. Unde in codice originario ab auctore in margine adjecta fuisse conjicias.* [3] secantur *Hist. Misc.* [4] *vel* nutibus? nībus 1. jussibus 1*. *e corr.*

NOTÆ.

(12) C. 1, 8, 62.
(13) C. 76, 78.
(14) Ambræ castri nullam præterea mentionem inveni, sed nominis vestigium manet in villa *Amberloux* S. Huberto vicina.
(15) Corrigendum 237. HANCAR.

dum super acervum lapidum ibi forte congestum resideret, cartulam quamdam cœlitus allapsam obstupuit coram se cadentem. Quam licet pavida corripuit, et nemini comitum ausa credere secretum, ad virum quantocius decrevit revertendum. Cui cum per ordinem retulisset eventum miraculi, ille, evocato Beregiso viro venerabili, qui tunc in die rebus obsequebatur eis, cartulam illi obtulit exponendam sibi. Consultus sacerdos Dei respondit, locum quo eadem cartula deciderat, a Deo esse electum, ex quo multorum animæ transire deberent ad regna cœlorum. Pipino vero subjungente, quid sibi inde videretur agendum, Beregisus rapta occasione, utpote qui jam diu apud se deliberaverat mundo relicto liberius Deo vacare, subintulit principi, ne, quantum in se esset, divinæ dispositioni deesset, paratum se solitudinem illam excolendam suscipere, si eam ille sibi concederet. Placuit (16) Pipino Beregisi propositum, licet gravaretur ammodum a se suum emittere karissimum. Illo tamen sæpius insistente ut rem quantocius acceleraret, Pipinus cum comitatu curialium suorum venit ad locum inventæ cœlitus cartæ. Ibi facta legali donatione, et rata coram principibus suis astipulatione, locum ipsum perpetuo habendum Beregiso donavit, et perlustratis finibus ejusdem donationis, certas metas per subnotata confinia disterminavit : ad meridianam plagam inter Divisiones[5] (17), ad orientalem plagam Mollem campellum, ad aquilonem inter Campilonem et Haletum, Ferreummontem, inter Nasaniam et Awanam[6], Tabulæ fontanam, ad occidentem rupem Sulmoniensem et fluvium Lumnam. At Beregisus continuis insistens laboribus, solatiis etiam quorumdam fidelium adjutus, silvestrem solitudinem purgavit et habitabilem fecit, nec prius abstitit, quam ecclesiam beati Petri apostolorum principis, quæ in præfato castro olim funditus eversa fuerat, a fundamentis restrueret, et collectis secum religiosis clericis abbatis nomine et officio ibidem Deo militantibus præesset. (*Transl. S. Huberti.*) Quo post labores hujus peregrinationis ad Dominum migrante (18), longo post tempore successores ejus ibi perseveraverunt in clericali scemate, donec Ludovico Pio imperatore filio Karoli Magni regnante divina dispositio locum eumdem ampliavit hoc ordine.

2. (4.) Ejus (19) tempore præerat ecclesiæ Leodiensi quidam venerandæ memoriæ episcopus Gualcaudus in instaurandis[7] rebus ecclesiasticis ammodum studiosus[8]. Et ut per excessum de ipsa Leodiensi sede aliqua necessario dicantur, eamdem episcopii sedem beatus pontifex Hubertus ab urbe Tongrensi olim Trajecti permutatam, ab eodem vico transtulit Legiam, ut quia suo tempore magnæ industriæ et potestatis viguit, modicam villulam in nobilissimam civitatem et sedem episcopalem suscitavit, ibidemque leges publici juris et forenses mensuras, quæ adhuc supersunt, constituit. Quo etiam cum per revelationem divinam ossa prædecessoris sui beati Lamberti martyris retulisset, eumque in loco martyrii ejus sepeliens, ecclesiam condecentem super eum ædificasset, in pede quoque Publicimontis in honore beati Petri apostoli templum extruxit, ubi migraturus ad Dominum sepeliri corpus suum destinavit. Cujus sanctitatem cum crebra miracula declararent, 16° anno migrationis suæ (20) translatus in ecclesiam beati Lamberti a predicta ecclesia beati Petri (*an.* 743), ibidem veneratus est per annos septuaginta quinque.

3. (5.) (*Transl. S. Huberti.*) Anno vero incarnati Verbi 825, regnante ut dictum est Ludovico Pio, cum idem princeps ecclesiasticis rebus studeret in regno suo, congregationes sanctorum vel construeret vel olim constructas ampliaret, ad hoc idem agendum exemplo suo informabat et civitatum pontifices et provinciarum principes. Interea clerici præfatæ cellæ beati Beregisi cum jam pæne deficerent, utpote in tam vasta et sterili heremo constituti, accepta occasione sibi consulendi, ad Gualcaudum Leodiensem episcopum se contulerunt, et quomodo prædictum locum eorum divina providentia elegisset quasque in eo paterentur necessitas, illi retulerunt. Lætatus ille se invenisse opportunitatem saluti suæ providendi, si in eodem loco collaboraret voluntati divinæ, omnimoda intentione id exequendi curam concepit, et juvante Deo in præsentem statum suscitavit. Nam commutato ordine clericali, anno dominicæ incarnationis 817, 4 Idus Au-

VARIÆ LECTIONES.

[5] diusiones 1. [6] Awannam *priv.* [7] ministrandis *superscr. eadem manu* vel instaurandis 1. [8] strenuus *superscr.* vel studiosus 1.

NOTÆ.

(16) Sequentia auctor Vitæ brevius narrat; plura addit qui privilegium Pippini confinxit, servatum in cod. olim S. Huberti, nunc Namurc. n. 5, fol. 89 editum in Miræi Opp. Dipl. II, 1125.

(17) « Des bornes en pierre formaient la séparation entre la seigneurie de Neufchateau et quelques villages de la prévôté de Bastogne. » Robaulx, ex Antiqq. Andagg. medio sæculo septimo decimo conscriptis. Idem sequentia nomina explicat : *Mochamp — Champlon — Halleux — une ligne d'amas de minerai de fer entre Champlon et Halleux — Nassogne — Awenne — la Masblette, ruisseau qui traverse la vallée de Font-à-Bulat — la roche Sulmont — la Lomme.*

(18) Adhuc anno quinto Theoderici, i. e. 724 vel 725, donationem accepit a Grimberto comite, teste auctore Vitæ in prologo.

(19) Hoc caput e S. Huberti Vita et translatione, Herigeri c. 28, et Anselmi c. 16 concinnavit.

(20) Anno 3 Carlomanni ; anni 75, quos ex translationis historia sumpsit, terminum habent institutionem monachorum, non translationem alteram.

gusti in die sancti Laurentii martyris, monachorum ibi religionem constituit, dispositis eis possessionibus et legaliter confirmatis in posterum, quæ sufficerent usibus ibi Deo servientium. Constitutum est etiam ex communi decreto ut de reditibus donationum quæ factæ fuerant beato Beregiso, ab eorum procuratoribus ad locum ipsum deferretur in eadem die annuatim oblatio, ut ex hoc in posterum et prioris acquisitionis et posterioris adjumenti discerneretur ecclesiastica possessio. Quo dum plures concurrerent, ut in tam remota heremo tanto liberius quanto et secretius Deo vacarent, quidam etiam nobiliores clerici de ecclesia beati Lamberti eo convenerunt, mutatoque habitu ad contemptum mundi se ipsos viriliter accinxerunt. Hii secum deliberato consilio eumdem locum adhuc honestius sublimandi, præsertim cum in hoc ipso patrocinari sibi sperarent favorem pontificis, petierunt ab eo transferendum illo corpus beati Huberti, asserentes urbi sufficere patrocinium beati Lamberti. Quæ res licet pro sui magnitudine nimium difficilis videretur pontifici, divina tamen gratia, cui nichil est impossibile, justis petitionibus acceleravit effectum. Nam collecta episcoporum synodo provinciali apud ecclesiam beatæ Mariæ Aquisgrani palatii, Ludovicus pius et religiosus imperator interesse voluit ecclesiasticis utilitatibus ibidem disponendis. Ibi cum Gualcaudus referret consilium de transferendo corpore beati Huberti ad locum Andaginum, divina dispositione prædicti principis et totius synodi inde voluntarium obtinuit assensum, indicta ei conditione, ut tanto pontifici convenientem ampliaret honorem, et collectis ibidem fratribus tam præsentibus quam futuris vel posteris curaret omnem excludere necessitatem. Constituta vero die ad rem exequendam ipse princeps Leodium venit, et cum palatina tum etiam populari frequentia corpus sanctum quod cum loculo suo lapideo transferebatur, devotissime prosecutus, Mosam illud transposuit cum divinis hymnis et laudibus (*an.* 825, *Sept.* 30); cui etiam multa dona contulit regia largitione, quæ licet deperierint vel temporum vetustate, vel vastatorum distractione, ex eis tamen quædam nostris adhuc temporibus supersunt ecclesiæ. Superest optimus sanctorum evangeliorum textus, auro gemmisque paratus; superest psalterium auro scriptum per denos psalmos capitalibus litteris distinctum (21); superest in uno volumine maximo super totum psalterium beati Augustini expositio; superest et liber ejusdem qui intitulatur de Trinitate. Supererant duo totius anni omeliarii, quibus renovatis, hiemalis datus est in elemosina ecclesiæ Giviniacensi (22), æstivalis vero missus est cellæ Pirensi (23). De translatione autem beati Huberti cetera reticere censuimus, quod evidentius et latius ea enumerat ejusdem translationis proprius textus. Sed et hoc nimirum cum sit actum divina gratia disponente, credi probabiliter potest, eumdem beatum pontificem in loco quo venerabilis Beregisus quiescebat, se quoque voluisse gratanter quiescere. Fuerunt denique contemporales ejusdem loci studiosi cooperatores. Decuit ergo ut quorum dum in corpore manerent viguit ab invicem familiaritas, eorum etiam veneraretur a devotione fidelium in uno eodem loco beatorum corporum societas. Quod vero temporales fuerint, si quis certius nosse voluerit, ex gestis Francorum (24) per tempora regum et principium probari poterit. Pipinus enim primus hujus nominis sub Lothario rege, qui fuit filius Hilperici ex Fredegunde, dux et major domus extitit, negotia regni disponens cum domino Cuniberto archiepiscopo Coloniensi. Qui sub regibus Dagoberto et Sigiberto nobiliter et sapienter se agens perseveravit; hic genuit ex Idda uxore sua nobili et religiosa Grimoaldum et Beggam, et beatam Gertrudem. Begga vero nupta Ansegiso duci genuit hunc nostrum Pipinum secundum hujus nominis, tempore Hilderici et Theoderici regum. Sub hoc Hilderico beatus Lambertus Tregentemsi [9] viguit. Theodericus autem rex ut erat hebetioris ingenii, abusione nequissimi Ebroini, qui erat major domus ejus, ammodum apud Francos viluit. Nec multo post Hildericus, qui erat potentior, in venando interiit, interceptus a quodam Bodilone nobili, quem contra legem majorum ad stipitem ligatum fecerat cædi; et cum post eum Theodoricus totum percepisset regnum, tertio anno (25) prædictus Pipinus Ansegisi et Beggæ filius dux Austrasiorum factus invaluit, et Beatum Lambertum suggestione Ebroini et factione Coloniensis episcopi ab episcopatu ejectum, exturbato Faramundo sedi suæ restituit post septennium injustæ illius ejectionis suæ. Ipse quoque sanctus pontifex post in brevi pro defensione veritatis et castitatis, ut in gestis ejus legitur, martyrio coronatus occubuit, eique in episcopatu beatus Hubertus successit. Quo etiam tempore dono prædicti Pipini ejusque uxoris Pletrudis locum Andaginum celitus designatum excolendum Beregisus suscepit. Et quia beatus Hubertus pro cura animarum sibi credita, ut in vita ejus le-

VARIÆ LECTIONES.

[9] *ita* 1. in episcopatu Trajectensi 1*.

NOTÆ.

(21) Hactenus servatur in Andaginensi monasterio pretiosissimum psalterium auro elegantissime exaratum, non a Ludovico pio, ut credit auctor, sed a Lothario ipsius filio donatum, ut probant versus qui initio codicis reperiuntur. MART. « On croit que ce psaume existe encore aujourd'hui au village de Boevange, canton de Mersch, grand-duché de Luxembourg, entre les mains de M. Neuman, héritier du prieur de Saint-Hubert. » R.

(22) *Juvigny*, mon. virginum, in pago Wabriensi, prope Martisvillam.

(23) *Pries*, trans Mosam juxta Macerias.

(24) I. e. Fredegario, ex quo sequentia hausit, adhibita Vita Lamberti auctore Sigeberto. Iddæ nomen addidit, quod in Vita S. Gertrudis commemoratur.

(25) *Tertio anno* nescio unde assumpserit.

gitur (26), per omnem Arduennam studuit evacuare idololatriam, quæ adhuc ibidem supererat, liquet quod ex confrequentatione commeandi uterque fuerit notissimæ cognitionis, ejusdemque in Deum dilectionis et devotionis, nec minus etiam cooperationis in hoc loco divinæ electionis; utriusque instantia prædicationis fatiscente perfidia in eodem territorio profecit augmentum christianæ religionis. Unde et largiente Domino concessum est, ut quos ipsa provincia adhuc in carne positos meruit habere doctores, eosdem cum Christo regnantes habeat speciales patronos et defensores.

4. (8.) Quanta et quali sagacitate idem episcopus Gualcaudus locum ipsum ampliare studuerit, quibus possessionum redditibus, vel ex proprio fratrisque sui Erohengoldi [10] patrimonio, sed et ex casamentis (27) a quibusdam secularibus subtractis, subsidium vivendi tam posteris quam præsentibus perpetuo habendum procuraverit, si quis nosse voluerit, relectis auctoritatis ejus privilegiis pleniter addiscere poterit. Quæ privilegia licet ex magnæ devotionis affectu condidisse videretur, moroso tamen consilio et sæpius ventilato assensu cleri et senatus et quorumque nobilium et sapientium Leodiensis ecclesiæ, sed et consultu metropolitani sui Hildeboldi Coloniensis pontificis, auctoritate etiam Leonis Romani pontificis et attestatione Ludovici (28) piissimi imperatoris filii magni Caroli imperatoris, ea condidit et canonica confirmatione roboravit. Et ut aliqua ex eisdem privilegiis interponamus: *Res*, inquit, *vel possessiones, quæ ad eumdem locum deputatæ hactenus fuerunt, jure firmissimo delegamus, id est Aprovilla* (29), *Lotvilla, Nelina, Palatiolum, Gamedella, Telins* [11], *Lesternivis* [12], *Ruvonia, Frandilionis, Gabelium, Anseromia, Rumendinis, et ecclesias Melsun, Martilinges, Builaidas, cum omnibus appenditiis suis. Similiter etiam consensu fratrum nostrorum concessimus et permanere volumus eidem cellæ alias res ex rebus ecclesiæ nostræ, quæ videlicet non indominicatæ, sed in beneficio constitutæ fuerunt, id est Tervonia, Teuledum* (30), *Marlida, Aldamum, Alventium, Nentina, Florias, Wowonium, Arduanium, Bractis, quæ alio nomine nuncupatur episcopi villa, Lisura, Evernicorten, Sulpiacum, Nogarias, Buthesaim, vineas tres in castro Hoii, mansionem unam apud Leodium a nobis constructam, necnon et vineam unam cum manso ad se pertinente in territorio Leodiensi nuncupato Vingitis, cum omnibus appenditiis suis.* Item in eodem privilegio post pauca: *Divino ut credimus consilio, et nostrorum fidelium consensu, tradimus jam præfatis monachis omni anno de argento libras viginti, et decimam de caseo ex omnibus villis nostris indominicatis, et de tribus villis decimam vini, videlicet de Goganheim et Berthahem atque Cunerono. Post hæc duas addimus eis, scilicet Tavernas* (31) *et Ernau, ut omnia regulariter viventes ibi in victu et vestitu satis abundeque haberent. Ista omnia coram clericis et laicis nostris in eorum privilegio cedimus et permanere cupimus tam nostris quam successorum nostrorum temporibus. Postquam ergo ista gratia Dei rationabiliter a nobis per omnia ordinata ad aures imperiales devenissent, magno gavisus est imperator gaudio, cœnobium Suguilis nomine* (32), *in quo Deo dicatæ erant moniales, partibus sanctæ Mariæ et sancti Lamberti cum omnibus suis appenditiis tradidit jure firmissimo, ut episcopatus Tongrensis sedis in nullo minorari videretur pro rebus, quas Dei servis in monasterio præfato concessimus; et insuper ad præfatam cellam quamdam silvam quæ dicitur Wangisisusmons* (33) *tradidit, eamdemque legalem traditionem imperiali privilegio firmavit et signavit.* Harum possessionum maxima pars huic ecclesiæ jamdiu deperiit, non solum violentia sæcularium, sed etiam episcoporum Leodiensium. Gualcaudus vero episcopus Altuenum abbatem qui loco præesset ordinavit, possessionesque et redditus quibus fratres subsisterent legali privilegio ecclesiæ facto in perpetuum confirmavit, credens specialius profuturum sibi quicquid ibidem geretur usque in finem sæculi. Qui autem præfato abbati successerint, vel quamdiu præfuerint, vel quomodo sub unoquoque eorum locus ipse aut profecerit aut defecerit, neque legimus neque a quoquam certius relata didicimus (34); ideoque his

VARIÆ LECTIONES.

[10] Erchenboldi? *P.* [11] *ita infra c.* 32. *et privil. Innocentii II. ap. Miræum IV*, 170. *Cod.* Teluis. [12] *vel* Lestermius; *infra c.* Lesterneias.

NOTÆ.

(26) Apud Surium VI, p. 47.

(27) I. e. feudis.

(28) Itaque intra a. 814 et mensem Maium a. 816, quo Leo mortuus est.

(29) *Arville—Louville, Naomé, Palizeul, Gemelle, Telin, Lesterny, Revogne, Frandeux, Givet, Anseremme, Romedenne, Maissin, Martelenges, Boutaide*, R.

(30) *Terwagne, Tilleur, Marloie, Aye, Avent, Nettine, Florzée, Wanlin, Ardenne, Braz, Vesqueville, Lizere, Evernicourt, Soulpy, Noyers.* R.

(31) *Taviers, Ernau.* R.

(32) *Suguile.* H.

(33) *Wagimont.* H.

(34) Eorum catalogum ex catalogis abbatum Prumiensium, ex Martyrologio aliisque fontibus domesticis concinnavit Romualdus Hancar in Historia monasterii S. Huberti manu sua scripta, quam habuit P. de Robaulx, e cujus libro utilissimo istum catalogum excerptum hic sistimus: Alveus obiit 16 Nov. 828. Tancradus Prumiensis abbas obiit 11 Feb. 829. Marcuardus Prumiensis resignavit 836. Sevoldus obiit 13 Jan. 855. Sanctus Egilo Prumiensis resignavit 860. Sanctus Ansbaldus Prumiensis obiit 10 Mart. 887. Farabertus Prumiensis obiit 1 Mai quo anno nescitur. Regino Prumiensis destitutus 894. Richarius resignavit 920. Hildrardus. Fridericus obiit 942. Albertus obiit 966. Heribertus obiit 20 Mai 990. Vulbertus obiit 14 Jul. 1004. Vulbertus obiit 1006. Witericus obiit 1027. Albertus obiit 1033. Reinwardus ob. 1034.

prætermissis, quæ nostris temporibus audivimus et vidimus gesta revolvamus.

5. (9.) Anno incarnati Verbi [1034] . . . . [13] decedente Renuardo abbate, successit ei domnus Adelardus a Raginardo episcopo ecclesiæ beati Huberti abbas ordinatus, qui fuerat monasterii sancti Trudonis scolasticus et thesaurizarius. Ipse ut erat vir industrius et prudens, cum gravaretur longa et maxima famis necessitate, tum etiam inter imperatorem Heinricum et ducem Godefridum majorem diuturna et inexorabili seditione, castri Mirvoldi (35) ecclesiæ acriter imminentis ex edicto imperiali omnium fere principum cis Renum consistentium gravissima obsidione (*an.* 1045), tamen commissum sibi locum, quod periculo temporis difficillimum erat, ne omnino destrueretur non solum viriliter detinuit, sed et possessionibus ampliavit, ornamentis palliorum decoravit, ædificiis honestavit. Ædificavit refectorium fratrum cum dormitorio, ædificavit cameram abbatis cum palatina domo. Ecclesiam Alventiensem (36) quam ex patrimonio suo episcopus Gualcaudus olim loco contulerat, a quibusdam invasoribus viriliter defensam retinuit. Quartam partem Calviciaci (37) fisci a quodam nobili Roberto emit, cujus omnimodo medietas ab antiquo erat ecclesiæ (38), donata sibi pro satisfactione a Stephano comite, eo quod castellum Mirvot violenter et injuste firmasset in ecclesiastica possessione. Habito quoque colloquio apud Evodium (39) [*an.* 1048] inter imperatorem Henricum itemque Henricum regem Francorum, ejusdem imperatoris banno et auctoritate firmatum ecclesiæ mercatum procuravit. Cujus omnes justicias, theloneum, bannum, comitatum, latronem (40), foralia (41), vel cujuscumque placiti quæstum vel querelas, ex antiquo more potestativo jure optinuit tempore quo advixit, et sine ulla Calumpnia successoribus suis optinenda, immo totam integram abbatiam reliquit. Ejus adhuc tempore vigente publici juris justicia, in tota abbatia nullus advocatus alicui placito intererat, nisi tribus generalibus in anno (42). In hiis si quod vadium proveniret judicio scabinorum, eorum quoque arbitrio determinabatur solvendum, non ad voluntatem dominorum, sed ad possibilitatem personarum. De eodem quæstu communi advocatus obsonium debitum accipiebat, et si minus proveniret, ecclesia illud supplebat. Præterea si quem rebellem advocatus ad justitiam faciendam compellebat, decatervam [14] suam accipiebat.

6. (10.) Anno vero incarnati Verbi 1055, suæ autem ordinationis 22. cum decessisset, successit auctore Deo illi domnus Theodericus Lobiensis cœnobii monachus (*Vita Theod.* c. 2.), a Richardo abbate (43) nutritus, et a Gerardo venerabili Cameracensium pontifice consequenter in sacerdotem ordinatus, litteris adprime eruditus, quas etiam honestis decorabat moribus, adeo ut et ingenii vivacitate et morali probitate tam juvenibus quam senibus ammirabilis et immitabilis haberetur, et quod est difficillimum, gloriam sine invidia assecutus, omnibus indifferenter esset carus. Unde in philosophia famosus et pia concertatione a vicinarum congregationum abbatibus ad regendas scholas evocatus, Stabulaus sub abbate Poppone, deinde Virduni sub abbate Gualeranno, domni Richardi successore [15], postremo Mosomii sub Rodolfo abbate tam studiis liberalibus quam probis moribus multos instituit, quos postea vidimus imitatores et assertores ejusdem magistri sui, viros honestissimæ probitatis. Qui postea licentia abbatis sui Hugonis Lobiensis (44) Hierosolymam adire conatus (*an.* 1055), sed per Pannoniam transire præpeditus, Romam quasi per Adriaticum mare navigandus divertit, ibidemque præter spem [16] Deodignum Leodiensem episcopum cum quibusdam sibi familiariter notis in ecclesia beati Petri invenit; quorum suggestione, immo pontificis amica prohibitione ulterius progredi pressus, cum eis patriam petiit, et inter redeundum cujus esset scientiæ gravitatis et perfectionis prospectus [17], a prædicto pontifice monasterio suo honorabiliter est relocatus.

7. (11.) [*V. Theod.* 3.] Non multo post Henricus imperator Deoduino episcopo indixit ut sibi aliquem monachum ab abbate Richardo institutum procuraret, quem in Fuldensi monasterio scolasticum præficeret. Episcopus Theodericum, quem a Roma usque Leodium ad hoc fuerat expertus idoneum, a Lobiensi monasterio evocavit (*an.* 1055).

VARIÆ LECTIONES

[13] *numerus deest* 1. [14] *ita* 1. decaternam 1*; *cf. Ducange.* [15] successori 1. [16] *ita supplevit Martene*; *deest* spem 1. ibidemque post Deod. 1*. [17] perspectus 1*.

NOTÆ.

(35) *Mirwart* ad fl. *Lomme.*

(36) *Avent.*

(37) *Chauvency-St.-Hubert* prope *Montmédy.* R.

(38) De ea re hæc habent Mirac. S. Huberti ap. Mabillon Acta SS. Sæc. IV, c. 20. *Anno* 955, *anno imperii Ottonis I vicesimo, comes Stephanus dedit Andaginensi ecclesiæ legali dono quidquid sui juris erat in Calventiaco, et hoc præsentibus Brunone archiep. Colon. et Baldrico pontifice Leodiensium. Cujus cum esset erga b. Hubertum affectus magnæ dilectionis, ut corpus ejus ad prædictum fiscum deferretur, ab abbate Alberto et fratribus obtinuit, ibidemque illi vestituram ejusdem allodii coram Raginero et Gisleberto comitibus multisque regni principibus publice firmavit.*

(39) *Ivois ;* cf. Heriman. Aug., a. 1648.

(40) I. e. cognitionem de latrociniis.

(41) Vectigal in mercatu solutum.

(42) « On appelle encore *Placeplaids* la place devant l'abbaye de Saint-Hubert, où les plaids se tenaient. » R.

(43) Virdunensi sancti Vitoni, viro incomparabili et multorum insignium monasteriorum reformatore, cujus Acta habes apud Mabillonium sæculo VI Bened. M. Lobiensem abbatiam obtinuit a. 1020-1027.

(44) Obiit 1053. Ann. Laub. Eodem anno Deoduinus Romæ fuit ; v. Mon. SS. VII, 150.

secumque detinebat quasi legandum imperatori. Evocatis interea ex edicto episcopali abbatibus et archidiaconis pro ordinando patre destitutæ ecclesiæ beati Huberti, adfuit et ipse cum ceteris, securus (45) inde ipsius sibi agendæ ordinationis. Episcopo vero consulente, quis haberetur idoneus desolatæ præponi ecclesiæ, Godiscalcus quidam honestæ gravitatis persona, itemque Anselmus decanus sancti Lamberti, quorum vigebat permaxima auctoritas in hujusmodi rebus disponendis, respondeunt, locuti prius cum consilio, talem providentiam bene convenire fratri Theoderico. Succlamantibus aliis ad [18] illos bene sensisse, ipse etiam episcopus in sententiam concessit voluntarie, et evocato domino Theoderico, ut abbas fieret obnixius cœpit insistere. Ille econtra reniti qua poterat virtute, impossibilitatem suam et insufficentiam suam prætendere, imparem se tanto oneri reclamare, lacrimis etiam attestari cor a labiis non distare. Episcopus econtra renitentem cogere, conventus omnis incessere, ne divinæ vocationi et voluntati videretur obsistere. Tandem tantorum oppressus auctoritate et violenter attractus a Gonzone Florinensi abbate et Stephano sancti Laurentii, injunctam sibi curam suscepit, et consecratus est abbas in purificatione sanctæ Mariæ semper virginis, sicque comitatus prædicto Stephano abbate sancti Laurentii ad commissam sibi ecclesiam concessit. Cujus culmen cum de longe vidisset, ut erat tunc hiems asperrima, in mediis nivibus ad terram procidit, et Deum adjutorem sibi adesse cum gemitu inclamavit, opertoque capite et nudis pedibus monasterium usque processit.

8. (12.) Exceptus a cunctis cum digno favore, studebat fratribus potius prodesse quam præesse, et lucrandis animabus magis exemplis quam doctrinis insistere. Fuerunt autem quos sibi invenit fratres, videlicet Robertus senex, Ermenfridus decanus, Evrardus præcentor, Guillelmus præpositus, Alfridus thesaurarius, Lietbrandus camerarius, Lambertus organista (46), Gualerannus cellerarius, Robertus armarius, Stepelinus exterior scolasticus (47), et interior Balduinus, Lambertus, Guerizo, Engenulfus, Remuardus, Otto, Gualterus. Multotiens vero adversatus ab hiis qui in veteri mente nova meditari cogebantur, licet patienter et tacitus eadem perferret adversa, in enutriendis et erudiendis et in convertendis etiam quos poterat sagaciter et constanter elaborabat. Enutrivit autem idem abbas inter multos quos ab infantia timere Deum docuit, Gislebertum ejusdem ecclesiæ religiosum postea decanum, in scribendis et renovandis libris studiosum, Afridum cellerarium et custodem, et postea cellæ Mivoldensis priorem, Liebertum cellæ Buloniensis priorem primum, et postea majoris ecclesiæ præpositum, Arnulfum capellanum. (*V. Theod. c.* 3.) Quemdam vero Lambertum nimis nobilitatem suam extollentem cum pateretur infestiorem, non tamen deficiebat ut resipisceret [19] exhortando, Deumque ut ei daret spiritum compunctionis exorando. Hic in natali apostolorum Petri et Pauli lecturus ad vigilias nocturnales, cum ante abbatem sine reverentia inclinationis transire cogitaret, subito expavit se videre inter brachia illius puerum gloriosæ habitudinis, abbati quidem hilariter congaudentem, sibi vero minaciter indignantem. Qui dum tremens vix in legendo subsisteret, rediensque humillimam inclinationem abbati exsolveret, mirantibus cunctis adeo resolutus est in lacrimis, ut nullo modo cessaret a singultibus et suspiriis. Post vigilias affusus abbatis pedibus, confessus est peccata sua ad purum petens ab eo indicendum pro pœnitentia sibi exilium, voluntaria mendicitate a se transigendum. Hortante vero abbate illum remanere secum, et spondente se illi in pœnitentia collaboraturum, respondit non sibi videri utile, cum quibus dolebat se vixisse, velle [20] amodo vivere, ipsique loco quasi conscio erroris sui nulla re amplius inesse. Sic ergo seipsum obstinatione salubri puniens, ferro per ventrem perque brachia et tibias vinctus (48), prosequente illum abbate cum lacrimis, monasterium exiit, tandemque cum magna defectione pedes Mosomum devenit; ibi quia tunc temporis vigebat regularis districtio sub abbate Rodulfo, ab eodem retentus substitit, postque duos fere annos in luctu et pœnitentia perseverans obiit. Cujus exemplo quidam ex iis qui in loco remanserant compuncti et suæ salutis facti sunt sollicitiores, et abbati ad obediendum subjectiores. Lambertum de maxima paupertate ad magnam gloriam Dei gratia suscitatum, aliquandiu ipsius ecclesiæ præcentorem et scolasticum, postea vero Raginoldi Remensis pontificis et Henrici abbatis precatu ecclesiæ beati Remigii scolasticum, cardinalem (49) quoque et decanum, Fulconem

VARIÆ LECTIONES.

[18] id 1*. [19] resipiscente 1. 3. [20] nolle 1*.

NOTÆ.

(45) I. e. nil suspicatus.

(46) His locus præsertim observandus, quia tunc rarissima in monasteriis erant organa, qua de re vide quæ diximus in Comment. in Reg. S. Bened. cap. 19. M.

(47) Scholasticus exterior is erat, qui exteriores in monasteriis scholas regebat, sive qui sæculares pueros disciplinis informabat : interior qui monachos. M.

(48) Hæc erat olim pœnitentia eorum qui propinquiores parentes gladio impetebant, ut ex eodem ferro circulo confecto corpus pœnitentis stringeretur, ac peregrinari ad loca sancta, donec circulus ferreus sponte esset disruptus, juberetur. Quam pœnitentiam Lambertus tanquam spiritalis parricida in se suscepit. Mart. In Vita Theod. hoc non prorsus eodem modo narratur. Tamen ex ea totum locum assumpsisse videtur, qui fortasse hic non bene a librario insertus est; nam mox sententiam prius interceptam continuat.

(49) Cardinales in ecclesia Sancti Remigii dicebantur septem monachi ab abbate designati, qui soli

præcentorem post eum, in illuminationibus capitalium litterarum et incisionibus lignorum et lapidum peritum, Gozelinum in scientia litterali et consilio promptum, sed nullius terrenæ administrationis cupidum, Guiredum Ebernensis cellæ præpositum et post Theodericum II, ecclesiæ abbatem ordinatum, Stephanum, Remigium et Rodulfum præcipuos in studio scriptorum, Gerardum post Guiredum Ebernensem præpositum, Quintinum et Heribrandum ammodum eruditos, sed a Theoderico II nimis immature curis exterioribus expositos, Herbertum pictorem immatura morte præventum, multum equidem dolendum, Guidonem scolasticum et præcentorem, scientia et moribus insignem, Fulcuinum et utrumque Bernardum in ecclesiasticis utilitatibus bene valentes, Hugonem quoque Maceriensem (50) nobilitate et simplicitate laudabilem, Helbertum Leodiensem in abaco et musica triumphantem, Raginerum Hoiensem, Alsemannum, Gualterum et Godefridum, et fratrem Berengeri abbatis Benedictum.

9. (13.) Conversi sunt sub eo monachicam vitam professi Albertus presbiter, postea Arduensis [22] præpositus; Theodericus et ipse satis industrius Condrustri (51) præpositus, et post eum abbas ab episcopo Henrico ordinatus; Lambertus major dictus in eadem ecclesia ab infantia eruditus. Hic jam juvenis a marchissa Beatrice Langobardiam ductus et apud Drogonem Parmensem aliquandiu philosophatus, cum post interfectionem marchionis Bonefacii (*an.* 1052) patriam suam reverteretur, familiaritate ejusdem abbatis attractus, sub eo factus est monachus; cujus consilium et auxilium quantum profuerit ecclesiæ, vix olim posteris videbitur credibile. Conversi sunt sub eo Berengerus et Adalbero, quorum uterque non multo post functus est abbatis officio (52). Inde Robertus canonicus ecclesiæ Virdunensis, et post præpositus cellæ Cunensis (53), Raginerus Maceriensis, postea præpositus cellæ Pirensis, Obertus Teutonicus qui ecclesiæ quoad vixit Lesuram (54) procuravit, ex ea bene natus, Everardus Dionensis, Stephanus Namucensis, Emmo, Alardus, Ebremundus, Guarnerus et Dominicus Hoiensis, Fulcaudus Montensis, pro bonis moribus cognominatus Johannes apostolus, Fulcherus, Richerus et Gonterus Portienses (55) uterque, Arnulfus Valentiniensis, Almannus, Godefridus et Adelo Wavoracenses (56).

10. (14.) Hiis omnibus militantibus Deo sub disciplina regulari præerat abbas (57) quasi quidam dux industriæ militaris. His [23] omnibus omnia factus conformabat se singulis, donec formaretur Christus in eis, nec quemquam existimabat fortuna vel conditione, sed moribus et religione; et cum ab incunte ætate religiose institutus modeste et caste vixerit, tunc hunc sibimet usum vivendi continuandum instituit, ut nonnisi semel in die semper reficeret, tam parce tamen, ut continuatim esuriret, et hoc sine ovis et caseo, et absque saginæ condimento. In legitimis autem observationibus adventus et quadragesimæ biduanis et triduanis jejuniis se macerabat occulte. Præter communem monasterii elemosinam duodecim pauperes cotidie alebat, quibus lotis pedibus et manibus, et refectione sufficienti impensa, satis humiliter tamquam Christo se eis in terram prostrabat. Vilissimo strato superjecto cilicio paululum quiescebat; ex quo latenter surgens communes vigilias semper anticipabat. Sicque genuflexionibus et orationibus cum lacrimis Deo se ipsum mactabat. (*V. Theod.* c. 3.) Quadam autem nocte cum illo suo more vigilias anticipans orationi incumberet, ecce in similitudine cervæ diabolus ei adfuit, et orationis ejus intentionem pulsu pedum inquietare cœpit. Ille revera cervam existimans, cum indignatione surrexit, perspecturus utrum claustri ostium negligenter apertum sero remansisset, per quod eadem cerva nocturno errore acta illo introisset de proxima silva. Cerva euntem modo præcedens modo subsequens acerrime impetebat, donec uterque venit ad claustri januam, quæ diligenter erat obserata. Tandem abbas obstupefactus horrore diabolicæ insectationis, cum erectis ad Deum oculis signum sanctæ crucis illi opponeret dicens: *Ecce crucem Domini, fugite partes adversæ*, cum tanto strepitu diabolus evanuit, ut omne dormitorium fratrum, sub quo tunc prædicta janua erat, videretur erui. (C. 4.) Nec multo post dum lassus crebris genuflectionibus ante majus altare circa mediam noctem prostratus oraret, repente maxima lux per totam ecclesiam cœlitus emicuit, et cum ipsa luce columba miræ pulchritudinis apparens, omnes basilicæ angulos lustrando pervolare cœpit. Quæ cum singula sanctorum altaria lætis alarum plausibus et quadam suæ vocis dulcedine hilariter salutasset, postremo leni volatu allapsa quo venerabilis vir jacebat, tamdiu supersedit, donec pulsatis vigiliis cum prædicta luce subtracta disparuit. Quod cum fratres qui in custodia monasterii excubabant vidissent, et in crastinum abbati

VARIÆ LECTIONES.

[22] Arduennensis 1°. *e corr.* [23] *Id est* Is.

NOTÆ.

jus et facultatem habebant celebrandi majorem missam, ex privilegio Leonis papæ noni qui ecclesiam dedicavit. MART. vide infra cap. 46.

(50) *Mezières*, ad Mosam.

(51) *Le Condroz.*

(52) Apud S. Laurentium Leodii et S. Vincentium Laudüni.

(53) *Cons.* R.

(54) *Liser.* R.

(55) De castro vel pago Porciano, *St. Nicolas-à-Port*, in Lotharingia. R.

(56) *pays de Voivre*, une des quatre divisions de Luxembourg. R.

(57) Similia horum referuntur in Vita Theoderici, sed non prorsus conveniunt.

quasi nescienti cum ammiratione et lætitia retulissent, ille eos cum indignatione redarguit, et ne alicui quoad viveret hoc ipsum indicarent præcepit. Præter canonicas horas, quas ut debitas diligenter Deo exsolvebat, in veneratione beatæ Trinitatis et gloriosæ semper virginis Mariæ, itemque Petri apostoli omniumque sanctorum singillatim vigilias et omnes horas diei decantabat, et psalterium etiam inter noctem et diem ex integro percurrens, aut per se psallebat, aut qui pro se psalleret procurabat. In cotidianis vero missarum sollempniis quibus gemitibus quave cordis contritione Domino sacrificatus assisteret, ejus solius est approbare, cujus est omnium hominum corda pensare. Cujus fuerit humilitatis in habitu, cujus gravitatis in incessu, cujus æqualitatis in vultu, cujus honestatis in actu, mirabatur non solum quælibet ecclesiastica dignitas, sed etiam fastuosa et aliis irreverens sæcularis potestas; cujus et laudabiliter magnificabat absentiam, et humiliter honorabat præsentiam.

11. (17.) Evocatus sæpe a religioso Annone Coloniensium pontifice, amica veneratione excipiebatur, et apud tantum virum aliquandiu familiarissime remorari coactus, divinarum scripturarum mutuo relatu quasi in aureo Salomonis reclinatorio media caritate constrato delectabatur. Cui cum forte inter loquendum familiari jocunditate objiceret, quare quosdam barbaros suæ parrochiæ trans Renum commorantes in quadragesima ab ovis et lacte et caseo auctoritate pontificali non compesceret; respondit pontifex abstinentiam et religionem ecclesiasticam se quidem omnino approbare, attestari et laudare: differentiam vero ciborum firmis in fide non multum obesse, cum Dominus in deserto per corvum Eliam paverit, non piscibus sed carne; sæpius autem se id prohibuisse, nec prævaluisse: quod christiani dici paterentur multum se gaudere, nedum aliqua violentia absterreret eosdem barbaros a christiana fide. Et quia eidem pontifici tanto erat abbas gratior, quanto apud eum constabat honorandæ virtutis locus amplior, numquam ab eo nisi muneribus honoratus redibat, quæ et dantem et accipientem omnino decebant. (*V. Theod.* c. 4.) Quadam vero vice idem abbas cum gratia orationis, tum etiam amore ductus pontificis Coloniam vadens, apud Juliacum castrum a conditore Julio dictum voluit hospitari, ubi et in mane missas celebraturus ad ecclesiam processit. Mulier autem quædam in eodem loco languebat, quæ omnino cibo et potu privata et sompno, ipsos etiam propinquos quod viveret fastidiebat. Hæc ammonita est per noctem, A quadam venerabili persona sibi vigilanti assistente, ut in mane ad ecclesiam delata, de manu abbatis ibidem missas celebraturi panem benedictum peteret, seque ejus orationibus sanandum confideret. Parentibus languentem deferentibus et abbati pro ea supplicantibus, abbas non solitus loqui nisi post expletionem psalterii, aversione qua poterat reniti, signis et nutibus hoc non esse suum contestari; tandem convictus concurrentium lacrimis et precibus, quinque oblatas benedicens, in ore languentis misit; illaque statim recepto manducandi usu convaluit. Abbas vitans humanas laudes, citius aufugit, nec ulterius per idem nisi latenter transire voluit.

12. (19.) Si quando vero pro responsis ecclesiæ domino Adalberoni Metensium episcopo se præsentasset, mirabatur postmodum ipsemet in recolendo meminisse, qua se illi humilitate vir tantæ nobilitatis et potestatis inclinaret, qua benignitate compulsum ad secum prandendum sedere collocaret. Cui cum forte inter prandendum deferrentur pirorum primitiæ, cœpit ea pontifex manibus attrectare, sæpius olfacta super mensam reponere, et quasi sub optentu cujusdam delectationis tangendo et non gustando, se in eis cruciare. A quibus se omnino continens, cum aliis illa divisisset, abbas quod viderat fecisse episcopum diligenter notavit, et causam facti solus cum solo sedens humiliter requisivit. Ad hæc episcopus altius suspirans ingemuit, et quia hiis olim in juventute sua nimis delectatus se peccasse memi-
B C nisset, respondit secum deliberasse, ut per quæ peccasset, per hæc et se ipsum abstinendo puniret. Ædificatus abbas exemplo hujus abstinentiæ gratulabatur multotiens apud familiares suos, id sibi multum postea profuisse, et ne excederet per illicita ab ipsis licitis se constanter continebat.

13. (20.) Anno [24] incarnati Verbi 1071, Dominus etiam Helinandus Laudunensis episcopus, ejus familiaritate delectatus, monuit eum et adjuvit cellam unam in episcopio suo construere, videlicet ante Novum Castellum super Axonam (58), apud Eberneicurtem, ubi ab antiquo possidebat ecclesia beati Huberti quindecim mansos præter terram dominicalem. Qui episcopus ex consensu Fulcardi et Ebali archidiaconorum suorum, totius quoque capituli
D ecclesiæ Laudunensis, altare matris ecclesiæ prædictæ villæ, substitutis illi aliis novem, in Briania unum, in Pugneicorte unum, in Mediana villa unum, inter Provasium et Provisiolum duo, in Gugneicorte unum, in Juvinicorte duo, in Ranleicorte unum, ad ad opus prædictæ contulit cellæ, quæ omnia ratis et firmis privilegiis, exclusis quoque eorundem

VARIÆ LECTIONES.

[24] A. i. v. MLXXI. *in* 1 *post* episcopus *scripta sunt. Scil. hæc a margine in verborum contextum irrepsisse videntur.*

NOTÆ.

(58) *Neucnateau, sur l'Aisne.* — Brevius hæc tanguntur in Vita Theod. c. 3, § 37. Postea a. 1082, Oct. 15. Elinandus sex de altaribus illis S. Huberto donavit; v. privil. Sp. Mart. et Durand, Coll. Ampl. 1, 501.

altarium personis, habenda in perpetuum confirmavit beati Huberti ecclesiæ in Arduenna sitæ (59). Nec multo post reposita est ecclesiæ Landunensi vicissitudo hujus donationis ab ecclesia beati Huberti, videlicet bibliotheca una totius veteris et novi testamenti. Hanc a domino Gisleberto noviter conscriptam Elinandus pontifex cum Josfrido Parisicensi episcopo Colonia rediens et ad nos divertens vidit, et laudantibus eam clericis suis concupivit, donatamque sibi in gratia specialis et perpetuæ amicitiæ inter ecclesiam Laudunensem et nostram optinuit. Fuit autem ei causa ad nos divertendi quasi cujusdam jocosi [25] eventus miraculi. Audierat abbas Theodericus utrumque pontificem per Hoium transire ut Coloniam irent, missisque ad eos litteris mandavit ut per ecclesiam beati Huberti redirent. Litteris autem perditis in Leuga quæ dicitur Mala inter Hoium et Leodium, cum post duodecim fere dies pontifices redirent per eamdem viam, obtulit eis viator quidam noviter inventas ibidem easdem litteras. Illi autem non sine miraculo divinæ voluntatis secum reputantes rei eventum, nullo modo præsumpserunt prætermittere abbatis mandatum. Venientes vero abbas officiosissima processione excepit, per biduum retentos affluenter refecit, præsentatis inter prandendum ad jocunditatem ammirantium carpis [26] et piscibus vivis. Postea digressos impensibus ecclesiæ Mosomum usque deduci præcepit, gratias agentes Deo pro experta caritate, et probata in loco eodem nobili et venerabili religione, quam nisi oculis probassent, nullo modo, ut asserebant, narrantibus credidissent.

14. (22.) Anno Verbi incarnati 1074, Philippus etiam rex Francorum ab eodem abbate rogatus, omnes capellas Novi Castelli, quod tunc tenebat, matri suæ ecclesiæ beatæ Mariæ quæ est in Eberneicorte recognovit et reddidit, easque privilegio suæ auctoritatis cum prædicta cella ecclesiæ beati Petri et beati Huberti habendas confirmavit.

15. (23.) Anno Verbi incarnati 1068, Arnulfo comiti Chiniacensi (60) ex patrimonio suo provenerat cella Pirensis. Qui licet juvenis, ductus tamen optima fama et amore Theoderici abbatis, attractus etiam propter optimæ religionis odorem sepulturam suam ibidem constituere, præfatam cellam ecclesiæ beati Petri et beati Huberti perpetuo habendam legaliter donavit, addens ei quicquid inter Marbais et Fanium (61) sui erat juris, ut latius continetur in privilegio facto ejusdem donationis. Abbas autem data commutatione præbendarum ibidem prius servientibus clericis, ex consensu domni Manasse Remorum pontificis pro eis monachos suos in eodem loco substituit 8 Idus [27] ejusdem anni. (*V. Theod.* c 4.) Cum in gallicinio gratia orationis intraret idem abbas ecclesiam beati Hilarii (62), contigit in ea candelam divinitus accendi, ut ibi clareret advenisse filium lucis, ante cujus adventum ibidem lux cœlestis emicuit.

16. (24.) Prædictus quoque pontifex Manasses ductus gratia religiosi abbatis, ex consensu clericorum ecclesiæ Remensis altare beati Hilarii quod est in Guisliaco, cum capella Guarcensi, altare etiam sanctæ Mariæ in Noviando (63) super Mosam dedit ecclesiæ sancti Huberti, et exclusis in perpetuum eorumdem altarium personis, donum suum legitimis privilegiis publice factis et in conciliis suis recognitis confirmavit. Contigit autem non multo post, ut Adeladis uxor Arnulfi (64), soror autem Ebali Roceiensis, defuncta in introitu ecclesiæ versus claustrum sepeliretur; Manasses quoque frater ejusdem Arnulfi divino flagello compellente monachus effectus, et post infra mensem mortuus ibidem apponeretur. Erant præterea quatuor fratres, videlicet Hugo et Ludovicus, Rodericus et Riquinus, filii Richezonis ex Liegarde amita Arnulfi comitis. Horum unus Riquinus ab Heribrando Bulionensi interfectus ad caput prædictæ Adeladis est sepultus. Hinc erga locum facti devotiores et Arnulfus et nepotes ejus, nepotes quidem pro fratre suo dederunt ecclesiæ quicquid habebant apud Linaium et Carnetum, et quartam partem pontis quæ erat eorum apud Gabelium (65); Arnulfus vero præter cellam Pirensem, quam ut dictum est beato Huberto donaverat, remisit in perpetuum ecclæsiæ exactiones quasdam ab iniquis ministris antecessorum suorum apud Gabelium rebus nostris impositas fraudulenter et injuste, scilicet 40 modios avenæ mensuræ nostræ, et unam carratam fœni, alteram vero straminis, quæ exigebantur ad pascendum equum comitis, quatuordecim etiam garbas culturæ indominicatæ, septem speltæ et septem avenæ, quæ dabantur scabinis, et villico deputatum unum modium frumenti. Pontenarii quoque cum in transponenda decima injuriarentur ministros ecclesiæ, meliores garbas violenter rapientes sibi, agente Theodorico præposito in curia beati Huberti man-

VARIÆ LECTIONES.

[25] Jocundi *supersc.* vel jocosi 1. [26] capris. 1*. [27] *nomen mensis deest.*

NOTÆ.

(59) *Brienne*, *Pugnicourt*, *Midiville*, *Provasy*, *Provasily*, *Guignicourt*, *Juvignicourt*, *Ranlicourt*. La donation est rapportée par Bertholet, Hist. du Luxemb. III, 36 R.

(60) *Chiny*. Comitem de Warck appellat auctor Vitæ 3, 37 ubi hæc breviter tangit.

(61) *Marbais* et *Fainon*. Litteræ donationis s. d. editæ sunt in Coll. Ampl. I, 472 et in Miræi Opp., Dipl. IV, 504.

(62) In villa Piros.

(63) *Guillais*, *Warcq* prope Macerias, *Nouvion-sur-Meuse*. Privilegium ediderunt Martene et Dur. Coll. Ampl. I, 499, datum a. 1079, sed alterum prius datum exstitisse oportet, nam ex fine capitis apparet hæc gesta esse ante tempora Heinrici ep. Leodiensis, qui sedit a. 1075-1091.

(64) Com. Chiniacensis.—Roceium est *Roussy*, ad Axonam.

(65) *Ligny*, *Carnière*, *Givet*. R.

davit eos venire Arnulfus comes, ex optimatibus suis Riquinum et Algoldum, Theodericum et Albertum secum ibi habens, et indicta bannali evocatione totius Gabeliensis potestatis, adjuravit antiquiores et meliores interposito sacramento factæ sibi fidelitatis, ut ederent ei veritatem hujus consuetudinis. Illi locuti cum consilio responderunt comiti per Rodericum præpositum et Gobertum villicum, sicut erant adjurati, exactiones istas ab iniquis ministris dominorum esse inventas et injuste et fraudulenter ecclesiæ impositas, ei ideo judicio eorum, si justicia servaretur, omnimodo[28] adnichilandas. Hiis comes auditis, Vigonem magistrum scabinum garbas acceptas ex cultura dominicali videntibus cunctis proprio collo fecit referre et reponere in horreo beati Huberti. Quædam vero venna, quæ apud eos dicitur radius, in Huia (66) habetur, et quæcumque captura piscium ibi provenerit a nona dominicæ noctis usque ad vesperam sequentis diei, suum (67) est ecclesiæ nostræ ex consuetudine veteri; et quando idem radius firmabatur (68) a villico nostro, exigebat sibi obsonium comitis villicus. Has omnes injustitias ne amplius a quoquam exigerentur, bannali auctoritate comes interdixit, pontenariis constituens de unaquaque carrata, transponendæ decimæ unam garbam accipere, et si quid minus fuerit de integra carrata, dimidiam illi[29] provenire, sicut placuerit ministro ecclesiæ, et hoc sine ulla decertatione. Deinde comes pro hiis et aliis injustitiis[30], quas vel a se vel a suis recognovit factas ecclesiæ, culpam suam confessus est publice, et Ottone filio suo secum deducto veniens ad monasterium, Floherimontem (69) cum familia et molendino donavit beato Huberto legaliter habendum. Filii quoque sui dextram super majus altare beati Petri applicavit, et ut omnia quæ eidem ecclesiæ donaverat, vel injustas exactiones et consuetudines quas annullaverat, ipse etiam jurejurando ei confirmaret proprio ore juraturo dictavit, præsentibus ibi quibusdam optimatibus suis. Gabelium autem semel in dicendo ingressi, videtur utile notificandum posteris, licet præoccupato ordine narrandi, quid ibi contigerit tempore domini Heinrici episcopi. Omnis decima ubicumque jaceat intra bannales terminos totius Gabellii, constat esse ab antiquo ecclesiæ beati Huberti. Apud villam vero Fiscalium (70) excisis in foreste sartis, fecunda ibi provenerat messis. In hanc irrepserat latenter Raguenus ejusdem villæ presbiter, decimam sartorum sibi conatus abstrahere; unde cum viginti garbas abstulisset, Theodericus superveniens præpositus illi cum maxima indignatione quod invenit residuum decimæ constanter induxit horreo ecclesiæ, eumque ad episcopalem audientiam edixit secum venire. Evocatis autem antiquioribus vicinis, episcopo apud sanctum Hubertum commoranti uterque se præsentavit; ibi coram illo sacramento veridicorum comprobata veritate, judicio Bosonis archidiaconi Raguenus presbiter publicam justitiam fecit Theoderico abbati, et jussu episcopi decimam quam abstulerat suo vehiculo reductam propriis manibus in horreo ecclesiæ reposuit.

17. (24.) Namucensi (71) comitatui, licet injuste, subjacebat centenaria justitia Anseromiæ, et vicecomitum violentia affligebatur nimis ecclesiæ familia. Acturi causas hujus exactionis Guillelmus de Virvia cum Herimanno et fratre ejus Rodulfo de Houhaia (72) die condicta illo convenerunt, et in dominicali curia porcum unum invenientes in cœnam suam occidi et parari jusserunt. Bullientes carnes satis multus ignis suggestus coquebat, sed nullo modo decoqui poterant, et ministris de more attemptantibus eas, cruditatem suam et sanguineum horrorem ingerebant. Cœnaturi domini cum tædio afficerentur hujus expectationis, carnes illas qualescumque essent sibi jusserunt apponi, sed cœna eadem illis ultima fuit: nam Guillelmus a dæmonio arreptus et Virviam in gestatorio relatus miserabiliter expiravit; Herimannus vero et Rodulfus aliquamdiu cum nimio dolore superstites defecerunt sine pœnitentia et divina recognitione. Hiis probatis Albertus comes Namucensis cum in Arduenna silva moraretur gratia venandi, et veneratione loci diverteret cum uxore sua Ida, quæ prius fuerat uxor ducis Frederici (73), ad ecclesiam beati Huberti, Theodericus abbas prædictum comitatum Anseromiæ optinuit ab eis perpetuo remittendum ecclesiæ (*circa an.* 1066). Ea tamen conditione[31] interposita huic remissioni, ut viginti modios avenæ nostræ mensuræ præpositus Anseromiæ quot annis exsolveret comitatui, villicus vero villæ de unaquaque domo ejusdem potestatis modium unum avenæ exigeret pro prædictis modiis viginti reponendum dominicali curiæ. Et hæc conditio firmata est maxime poscentibus villanis, qui per exactionem comitatus nimis gravabantur ab extraneis. — Hoc etiam tempore[32] Willelmus comes Normannorum debellatis Anglis factus est rex eorum; qui, ne ingratus esset honoris

VARIÆ LECTIONES.

[28] omnino 1*. [29] illis 1*. [30] justitiis 1. [31] conditio 1. [32] *deest* 1. 1*.

NOTÆ.

(66) *La Houille*, affluent de la Meuse, qui prend sa source au-dessus de Gedinne. R.

(67). l. c. proprium, modo loquendi in hoc opere passim obvio, ut c. 19. in fine, c. 27 initio.

(68) *Fermer*.

(69) *Flohimont*. H.

(70) *Feschaux*. R.

(71) Hæc usque ad *remittendum ecclesiæ* etiam inter Miracula S. Huberti c. 28 leguntur, ubi ex nostro addita esse existimo.

(72) *Vierve*, *Hontheye* R.

(73) Lotharingiæ, qui obiit 1065.

a Deo sibi collati, per cœnobia totius Angliæ undequaque evocatis præceptoribus religiosis, ordinem perfectæ religionis vel instituit vel reformavit, et per exterioris amministrationis [33] leges publicas ad civile decus excoluit. Idem rex ut erat largus in donariis, cum in solempnitate paschali militem quemdam videret cum offerentibus non offerre, evocatum interrogavit cur non offerret; illo respondente sibi deesse quod posset offerre, rex centum libras denariorum illi jussit deferri, quas ille in clamide sua susceptas sine retractione super altare omnes Deo obtulit. Miratus rex cum ceteris astantibus fidem offerentis, quicquid pascalis muneris sibi eodem delatum est, militi restituit. — Britannico [34] cuidam clerico Marbodoni, cum recumberet ad prandium Guillelmi regis, delata est ab bibendum argentea [35] navis; quam dum in manu teneret, talem de illa versum dixit:

Nec pice nec clavis eget hæc argentea navis.

Hugo Lingonensis episcopus (74) Hierosolymam iturus, ad expetendum viæ subsidium eumdem regem adiit, eique quasi ad decentem gratiam hujusmodi salutationem præsentavit:

Si quis in ante videt qui te circumspicit, ex te
Colligit, ante comes, rex modo, cæsar erit.

Quæ laus multorum favore exposita et commendata cum placuisset regi, longum est memorari quot et quantis donis episcopum honoraverit. Idem Hugo cum puerum quemdam ordinasset exorcistam, Hugo Lugdunensis archiepiscopus et Romanæ ecclesiæ legatus eamdem ordinationem nimis indiscrete irritam judicavit, ipsique puero acceptos semel gradus sua ordinatione iteravit. Hanc injuriam sui episcopus mordaci joco removit, et hujusmodi sales archiepiscopo in faciem rejecit:

Si veteres renovare gradus ut carmina nostis,
Unde reum me quisque meus præjudicat hostis,
Jam video quod quicquid ago mutare potestis;
Sed doleo quod non valeo vel nosse quod estis.
Si priscæ pietatis amor vos detinuisset,
Et servum qui vester eram non deseruisset,
Pro puero licet eximio non esset agendum.
Pontificem sine judicio sic destituendum,
Quid latuit? quæ causa fuit? fuit utilis ordo
Per me qui quartus, per vos fuit in decachordo.
Jam decimare quod est poterit, multumque benigne,
Tres poterit præstare gradus et psallere digne.

18. (26.) Gozilo comes Bohaniæ (75) apud Marlidam dominicalem domum violenter fregit, et ad placitum suum abusus ibidem quibusque inventis, res etiam ecclesiasticæ familiæ satellitibus suis diripiendas permisit, et cum cœnatus protraheret noctem jocis et sermonibus, repente percussus ultione divina in ipso crepusculo finivit vitam (*an.* 1064). Uxor ejus Ermentrudis de commisso domini sui humilem satisfactionem beato Huberto et abbati per optimates suos mandavit, et ut ibidem corpus ejus sepeliretur expetiit. Abbas ex consilio fratrum et satisfactioni et petitioni annuit, sepultoque Gozilone, Summeium allodium cum matre ecclesia et familia ab Ermentrude uxore illius, et Conone, Rodulfo, Widone et Henrico filiis ejus, legaliter ecclesiæ donatum acquisivit (76). Sub eodem tempore simul cœpta est fieri octo turrium corona, et quæ in prato est in honore beati Ægidii ecclesia, murus quoque circa monasterium qui nimia vetustate pæne totus corruerat, claustrum quoque et cripta.

19. (27.) Adeladis comitissa Aræleonis fuerat filia nobilissima ducis Theoderici, soror vero Sigifridi (77) patris marchissæ Beatricis. Hujus quidam cubicularius a rabido cane morsus et infectus, solum quod supererat ei remedium salutis, ad beati Huberti patrocinium confugit. Ejus enim apud Deum meritis habetur in loco eodem singulare privilegium probatæ virtutis, ut si quis infectus morsu rabidi canis aut lupi aut cujuscumque insani peccoris, illo confugiens incisus fuerit, ritumque ejusdem incisionis servaverit (78), sine dubio evadit periculum certissimæ mortis. Et, ut per excessum vera probemus esse quæ dicimus, vidimus ipsi nostris temporibus duos juvenes de pago Hasbanico, qui infecti a quodam cane rabido, ne ad meritum beati Huberti confugerent seducti sunt a quodam presbitero; promisit vero eis quibudam incantationibus et medicamentis certitudinem sanitatis, acceptoque inde commodo, fecit eos persistere domi, confugientibus aliis ad ecclesiam beati Huberti, qui videlicet ab eodem cane fuerant infecti: quibus sanis redeuntibus, prædicti juvenes furiis et doloribus vexati cœperunt insanire, ut lupi ululare, ut canes latrare, vixque ad monasterium deducti et ibi mortui, videntibus et audientibus incusserunt metum maximi horroris. Sed hoc per excessum. Prædictus autem cubicularius Adeladis ex more incisus et soluto capitalitio (79) servus

VARIÆ LECTIONES.

[33] amministrationes 1. [34] Britannico — navis *post* psallere digne *collocata sunt in* 1. *sed per litterarum signa transposita.* [35] aurea *superscr.* vel argentea 1.

NOTÆ.

(74) Alio nomine dictus Rainardus 1065-1085.

(75) *Béhogne*, dépendance du bourg de Rochefort, qui était le chef-lieu du doyenné Bohania; *Marloye*. R.

(76) Dipl. edidit Bertholet III, Preuves, p. 29.

(77) Imo Friderici; vidua Waleranni com. Aræleonis sive Arlunensis.

(78) Hactenus perseverat apud S. Hubertum ille ritus incisionis, *la taille*. Nimirum a rabido animali morsis, post deposita ad sacerdotem peccata, sacra communione refectis fit cum instrumento in fronte parva incisio, et in vulnere inseritur particula stolæ S. Huberti, quam linteo ad frontem alligato per novem dies morsi deferunt, certam interim vivendi rationem observantes, indubie sani revertuntur. Hujus etiam ritus meminit auctor libri Miraculorum S. Huberti, cap. 14 apud Joannem Roberti. M.

(79) La prestation demandée à toute personne taillée, qui obtenait le titre de *pèlerin de Saint-Hubert*. R.

sancti effectus, ad missam matutinalem deductus est communicandus. Intuitus autem fratres ordinate et reverenter consistentes, inclinato capite, nusquam oculos declinantes, eorum in offerendo ordinatam successionem et devotionem, in eundo et redeundo compositam gravitatem ammiratus est in eis, ut erat vir sæcularis, quasi quamdam imaginem mortificationis; reversusque ad dominam suam, quæ viderat ei renuntiavit. Illa quantocius missa legatione ad abbatem, magnis precibus ut ad se veniret optinuit, veniensque nuntium adventus sui ad comitissam præmisit. Viso nuntio mulier virilis animi, et quæ conscia propriæ nobilitatis nullius curabat dignitatem vel personam ejus temporis, surrexit velociter ut occurreret abbati; mirantibus filiis ejus Fulcone et Gualeranno quæ esset apud eam novitatis hujus veneratio, eorum sustentata brachiis obviam processit abbati, visumque cum jam ab ea posset audiri, inclinato capite humillima salutatione honoravit; et cum post orationem licentius alloqui eum posset: *Gratias*, inquit, *ago tibi, venerabilis pater, cujus filiorum tantam audivi religionem, tamque rarum hujus nostri temporis sanctæ opinionis odorem.* Cumque renumeraret quæ retulerat ei cubicularius suus, et per mutua ædificationis colloquia aliquamdiu in Domino delectarentur, obtulit abbati ecclesiam de fisco Anslaro (80) perpetuo habendam in usus fratrum, præfatis filiis ejus laudantibus et confirmantibus hoc idem donum. Videns abbas copiam magnorum lapidum in fundamento veteris quondam civitatis, nunc autem pro castelli mœnibus adbreviatis, suggerente Lamberto majore, ex eisdem lapidibus ecclesiæ donari expetiit quantum sufficeret ad ædificationem criptæ vel claustri. Libenter illa quod petebatur concessit; sed et operariis ecclesiæ, quamdiu ibi morarentur, et hospitium et victum promisit. Respondit abbas gratias Deo omnipotenti, Adeladi, et filiis ejus reverenter valedixit, et ad monasterium rediit. Moxque a Leodio cæsoribus conductis, criptam et claustrum in præsentem statum composuit, advectis ab Araleonis columpnis cum capitellis et basibus suis et altarium mensis. Auxit etiam oratoria a dextris et a sinistris ecclesiæ; et a dextris quidem memoriam beatæ Mariæ ad medium altare novæ criptæ transtulit, et ibidem altare sancti Stephani protomartyris substituit; a sinistris vero memoriam beati Martini ut fuerat reliquit, ibidemque extrinsecus novum oratorium exstruxit, quod dicitur ad sanctam Jerusalem, eo quod dominicæ sepulturæ et resurrectionis contineat expressam similitudinem. Illuminavit quoque oratoria quæ exstruxerat pulcherrimis fenestris, quodam Rogero conducto ab urbe Remensi, valenti admodum viro, et promptissimo hujus artis et peritissimo. Ædificavit et altare in honore sanctæ et individuæ Trinitatis ad pedes beati Huberti, ubi et maxima sanctorum pignora deposuit. Quæ omnia non multo post Henricus episcopus, assumpto secum Francone Bellagradensi pontifice (81), qui secum tunc temporis morabatur Leodii, in magna gloria et lætitia dedicavit. Perfecit etiam prædictus abbas tabulam auream ante majus altare, quod est in honore beati Petri apostolorum principis, quam olim cœperat Albertus abbas, occasione conterendi calicem unum aureum librarum viginti, qui cotenus permanserat in loco, donatus olim beato Huberto a Ludovico Pio Karoli Magni imperatoris filio. Plura autem donaria non tantum in argento et auro, verum etiam in auro textis ornamentis et libris, tam a præfato principe, quam a Gualcaudo pontifice eidem loco collata fuerant quæ vel inhabitantium simplicitas, vel extraneorum abbatum (82) aut præpositorum dissipavit temeritas, aut asportavit per abusionem et cupiditatem effrenata impudenter licentia. Sed et ipsi nostris temporibus vidimus quosdam quos nec nominandos censuimus, qui quasi occasione non curandæ vetustatis multa incenderunt ex eisdem auro textis ornamentis, re autem vera hoc moliti cupiditate auri exinde rapiendi. Quid de librorum dispersione vel distractione memorandum, cum et ipsum auro scriptum psalterium, quod Ludovici imperatoris fuerat proprium, ejus imagine in principio insignitum, apud urbem Tullensem fuerit venditum, quasi in extera provincia securius ibi celandum. Divina tamen dispositio restituit illud ecclesiæ suæ hoc modo. Mater domni papæ Leonis IX (83) venale illud inveniens emit, et eidem filio suo tunc Brunoni, ut in eo psalmos addisceret dispensavit; sed cum in alio quolibet psalterio et plane legeret, et facile quod discebat redderet, in illo tantum incurrebat tales offensiones, ut nimio tædio a lectione videretur deficere. Nolebat enim Spiritus sanctus, cujus electionis vas idem puer futurus erat, ne alicujus sacrilegii contactu vel ignoranter contaminaretur. Mirante vero matre sic filium in psalterio adversari, audivit vulgante fama fuisse illud ecclesiæ beati Huberti, et multiplici anathemate per diversas regiones publicam ejus quæstionem fieri. Nec diu morata ad locum properavit, puerumque secum deduxit, et absolutionem hujus suæ ignorantiæ humiliter expostulans, psalterium ecclesiæ reddidit. Obtulit etiam pro satisfactione librum unum sacramentorum, qui postea donatus est ecclesiæ beatæ semper virginis Mariæ, quæ sua (84) est beati Huberti apud Gabelium.

NOTÆ.

(80) *Anlier*. R.

(81) Quis hic fuerit, nusquam inveni; eo nomine episcopi Albarum Maritimarum, *Zara vecchia*, in Dalmatia, et Albarum Juliarum, *Carlsburg*, in Transylvania, nescio an etiam Albæ Regiæ, *Stuhlweissenburg*, usi sunt. Num Belgrad v. supra col. 1245.

(82) Prumienses aliquando Andaginense, monasterium rexisse feruntur.

(83) Heilewide vocatur a Wiberto, comitissa ut ferunt, Dasburgensis.

(84) I. e. propria.

20. (28.) Thieboldus advocatus ecclesiasticam familiam quibusdam novis injustitiis opprimere volebat, quod quia abbate viriliter obsistente evincere non prævalebat, ut se de eo vindicaret, occasiones quærebat. Unde et ad ducem Godefridum majorem se contulit, utque ad firmandum vallum castri sui Bullonensis [36] exigeret injustam angariam de hominibus sancti Huberti, importune suggessit. Dux interim ne abbatem, quem humiliter verebatur, inquietaret, tunc quidem siluit, donec ad monasterium veniens se ibidem excipi petiit. Exceptus cum honore et per biduum detentus ab abbate in loco substitit, et inter loquendum suggestionem Thietboldi, ipso quoque præsente, abbati retulit. Abbas evocatis Heribrando seniore castellano, et Engone, Gualtero, Roderico et Hugone, perorante Lamberto majore antiquas provinciæ consuetudines, rei veritatem diligenter investigavit, et testimonio prædictorum principum omnem familiam ecclesiæ, quæ vix sufficeret in restituendis et continendis officiis et munitionibus monasterii, hujus exactionis liberam esse constanter coram duce comprobavit. Ad hæc Thietboldus dum vellet abbati obsistere, dux malitiam ejus intelligens, ut erat vehementis animi, in eum indignatus graviter : *Hæc est*, inquit, *tua erga me fidelitas, ut meo peccato iniquitatem et cupiditatem tuam expleas, dum mendacio tuo me provocas peccare in Deum et in ejus familiam.* Et sedens ut solebat in audientia publici juris agendi, consilio et testimonio legali judicio optimatum suorum hanc sententiam constituit, et ne aliquando removeretur a qualibet persona, firmavit ut omnis familia ecclesiæ ab hac exactione in perpetuum amodo libera esset, sive eam deberet, sive non deberet.

21. (29.) Anno 1074. Sub eodem tempore orta contentione inter abbatem et advocatos de comitatu abbatiæ, in præsentia ducis ejusdem (85) filiique ejus Godefridi omnino adjudicatus est et confirmatus abbatiæ et ecclesiæ ejusque ministris, prout illi placeret.

22. (30.) Tribus per annum oblationibus circa festum beati Johannis baptistæ ecclesia beati Petri et beati Huberti sollempniter honoratur, quæ vulgo cruces Falmenienses (86), Palatienses et Arduennenses dicuntur. Quibus autem necessitatibus compulsi provinciales has consuetudines Deo et beato Huberto devoverint, quibusque probatis consolationibus legaliter sibi firmandas in perpetuum instituerint, qui latius addiscere voluerit, relegat textum miraculorum prædicti patroni (87). Has edicto Ludovici Pii imperatoris filii Karoli Magni et synodali banno Gualcaudi Leodiensis pontificis ibidem novimus addictas, et certis finibus legali firmato privilegio determinatas. — Anno 1075. Nostris autem temporibus Godiscalcus abbas Hasteriensis (88) Palatiensis cruces fraudulenter temptaverat imminuere, et muneribus presbiteros villarum seducens, Harneas, Gabelium, Wilercelas, utrasque Bursivas et utrasque Letires, Nevies, Gedinam, Granthes (89) detrahens nostræ, suæ attraxerat ecclesiæ. Hanc ejus præsumptionem compertam abbas Theodericus graviter tulit, et ut inde sibi responderet in concilio presbiterorum Grades (90) denominato per Freduardum decanum evocavit. Ibi Godiscalcus præsente Bosone archidiacono, Ernetboldo altaris advocato, convictus judicio et sub clamatione totius concilii, ecclesiæ beati Huberti quod suum erat ab antiquo publice recognovit; assurgensque Theoderico abbati justitiæ vadium ei per manicam tunicæ suæ porrexit, pro quo et vades decem librarum exactus deposuit, et sic deinceps a præsumptione sua cessavit.

23. (32.) (*An.* 1069. Cf. *Ann. Bertholdi.*) Dux Godefridus in Italia infirmatus, et exinde Bulonium revectus, cum jam desperaret vitæ suæ, missis ad abbatem Theodericum legatis, satis humiliter, ut se visitaret expetiit. Neque enim processus erat ejus de monasterio facilis, maxime vero gratia alicujus personæ sæcularis. Tandem ad eum ingressus, cum tantæ prius potestatis virum ita videret affectum, elevatis oculis ad Deum : *Tu*, inquit, *humiliasti sicut vulneratum superbum.* Dux ad verbum abbatis compunctus : *Pater*, ait, *karissime, nichil verius.* Et erumpens in lacrimas, vix præ singultibus conatus oloqui, puram confessionem pro expectatione mortis Deo coram abbate reddidit, eaque reddita gladium suum sibi deferri jussit, quem assistente filio suo Godefrido, continuato gemitu pœnitentiæ, abbati reddendum præsentavit, eumque sibi testem futurum in judicio Dei pro abrenunciatione militiæ sæcularis satis humiliter, magis vero dolenter inclamavit. Quantas autem lacrimas ab oculis circumstantium excusserit tanti doloris spectaculum, pensandum

VARIÆ LECTIONES.

[36] *ita* 1. *sed postea constanter* Buloniensis.

NOTÆ.

(85) Sed is obiit 21 Dec. 1069. Itaque annus impositus falsus est.

(86) *Famène, Palizeul, Ardenne.* R.

(87) cap. 6, ubi a. 857 institutæ esse dicuntur.

(88) cœn. *Hastières* ad Mosam, d. Leodiensis, et Walciodorensis, cui illud subjectum erat ; v. Miræi Opp., Dipl. I, 545.

(89) Hancar vertit *Harnie, Wileursie*, unde alia manus fecit *Willerey, Borsine la vieille et neuve, Loitte, Naomé, Gedine, Grandhez ;* et addit : *Nota. Istos pagos teneri ad solutionem annuam caseorum ac oboli quem vulgo Priquette vocant. Ultra hos autem pagos ad idem tenentur infrascripti ejusdem decanatus Gradensis, vid. Palizeux, Villance, Maissey, Vencymont, Jehonville, Ochamps, Offaigne, Sansareux, cum appendicibus, Bouillon, Noirfontaine, Crufoz, Briahan, Vcymont* (sic), *Bothasart, Belnaux cum appendicibus, Fays les Veneurs, Assenoy, Graide, Rienne, Hoffays, Oysy, Gembre, Bievre.*

(90) nunc *Graide*, a S. Huberto ad occidentem, nomen dedit decaniæ Gradensi, in qua villæ Vilancia, Palatiolum, etc.

potius censuimus, quam referendum. Cujus enim cor non emolliret, cujus vel inhumanos affectus non inclinaret pœnitentia tam devota tamque humilis illius quondam nominatissimi Romanæ urbis patricii, et præfecti Anchonitani, et Pisani marchionis, et totius interjacentis Tusciæ et Italiæ dominatoris, invicti quoque Virdunensium comitis et Lotharingiæ ducis, Henrici etiam imperatoris per tot annos acerrimi impugnatoris. Nec multo post ad ecclesiam beati Petri trans pontem sitam jussit transportari, prosequentibus eum abbate Theoderico et Gonzone Florinensi et Hermendo Virdunensi filioque Godefrido cum optimatibus suis. Ibi sibi deferri jussit capsam eburneam, quæ fuerat Bonefacii marchionis, plenam pretiosis sanctorum reliquiis, inter quas eminebat portio magna dominicæ crucis, et gestatorium altare papæ Johannis. Ea accepta in manibus coram altare beati Petri, sine alicujus sustentatione in pedes libere constitit, et prædictam capsam tenens recensuit ex ordine, videlicet ex edicto Alexandri papæ separatum se esse a marchissa Beatrice, et pro ejusdem separationis conditione structurum se congregationem monachorum de communibus possessionibus utriusque Deo devovisse. Easdem quoque possessiones amborum consensu denominatas prædictum papam auctoritatis suæ privilegio confirmasse, quocumque sibi placeret illas addicere; et quia prægravatus infirmitate id per se ipsum exequi non posset, orare Theodericum abbatem, ut hujus sui voti curam exequendam pro se susciperet. Erant vero ipsæ possessiones fere omnes militum stipendiariæ, qui [37] licet palam non auderent duci eas sibi ratihabere contradicere, pro hoc ipso tamen submurmurabant inter se cum maxima indignatione. Sensit abbas ducem frustra niti quod intendebat, cum intelligeret submurmurantium calumpnias, præsertim cum ex ipsa filii ejus quadam adversione notaret erga patrem jam læsæ pietatis imaginem, unde et ametando (91) longius absistens, respondit duci quod rogabatur se exequi non posse, alium potius quæreret, quem votis suis procurandis substitueret. Nec latuit ducem quod abbas timeret, et inclamato filio cum amaritudine, objecit ei cur tam impudenter erga se violaret jura naturæ, cur adeo prodidisset se degenerasse ut saluti paternæ deficeret in hac suprema necessitate; non debere cum prædam facere sceleris sui pauca illa quæ destinabat redemptioni animæ suæ, cum ei plurima relinqueret parata suo labore. Respondente filio in nullo se defuturum ejus voluntati : *Accede*, inquit pater, *da osculum michi in conditione servandæ hujus tuæ fidei et promissionis, interposito testamento vitæ tuæ et honoris*. Sic abbas iterum iterumque reclamatus ab utroque, cum veram esse crederet, quam viderat inter patrem et filium pactam sponsionem, jam non dubitavit conclamantibus [38] adesse, ne videretur fructum pœnitentiæ peccatoris de se confidentis quantum in se esset aliquo modo defraudasse; et propius accedenti : *Karrissime pater*, dux inquit, *per hanc capsam*, et ei porrexit illam, *committo tibi hujus meæ devotionis curam, ut in salutem animæ meæ pro posse tuo exequaris eam*. Ad filium autem : *Tibi*, inquit, *edico in fide debita et promissa patri adjutorium, cooperationem et defensionem hujus executionis secundum ammonitionem istius abbatis*, dextramque ejus astrictam implicuit dextræ filii; *præsentem etiam ecclesiam beati Petri apostoli, quæ mei est patrimonii, delego in perpetuum constituendis in ea monachis, matremque ejus Saltiacum rivum confirmo eorum ditioni, exclusis omnino hactenus tenentibus eam clericis. Præter possessiones vero quas huic meæ devotioni privilegio et auctoritate Alexandri papæ confirmavi, ex consensu conjugis meæ Beatricis, tuo quoque, mi karissime fili, et sponsæ tuæ Mathildis, in auro, argento variisque ornamentis, censum mille librarum rerum mearum mobilium aggregavi, quæ vestræ committo fidei, ut hujus ecclesiæ proficiant utilitati*. Hæc omnia a patre condicta et a filio laudata, abbas, ut erat simplex et rectus, credidit esse rata, omnique dilatione remota collocavit ibidem deservire Deo satis honestas personas majoris suæ ecclesiæ, scilicet Alfredum custodem, Lambertum majorem, Liebertum postea sub se ejus loci præpositum, Arnulfum capellanum. Quorum religioso et honesto conventu dux adeo consolabatur, ut, licet infirmitate sua semper increscente gravaretur, auditis campanis quibus horæ canonicæ monachico ritu significabantur, ejusdem infirmitatis quasi oblitus, quadam mentis hilaritate recrearetur. Interea cum vitæ suæ funditus diffideret, Virdunum se devehendum statuit, ubi olim se condixerat sepeliri gratia satisfactionis, ex quo eamdem civitatem succenderat in contumelia Henrici imperatoris (92). Prælixa vero die suæ hujus evectionis, fecit se primum deferri ad ecclesiam beati Petri (93), ubi se commendans ejus patrociniis, simulque abbati et fratribus ultimum vale faciens cum lacrimis, jussit sibi prandium in domo bannalis furni parari. Quo devectus, prosequentibus eum abbate et filio multisque ex suis optimatibus, cum electo a se loco coram furno deponeretur : *Hujus*, inquit, *officinæ semper procurator esse debuissem, si michi propitia divinitas tot mala quæ gessi parcere voluisset*. Quo cum refecisset convenientibus ad se mendicis — ex quo enim cœperat infirmari, nullos convivas nisi pauperes habere voluit — ipsam bannalem officinam furni legali donatione beato Petro contradidit, ut in perpetuum

VARIÆ LECTIONES.

[37] que 1. [38] inclam. *superscr.* vel concl. 1.

NOTÆ.

(91) recedendo quasi a meta.
(92) a. 1047.
(93) Bullonii.

deserviret monachorum utilitati, licet hoc frustra, sicut et alia omnia pæne fecerit. Nam ab abbate, ut destinaverat, Virdunum deductus, cum adhuc vivens ibidem moraretur, quæcumque promiserat ei mentitus est filius, et in dampnum vitæ suæ et honoris oblitus est misericordiæ et veritatis. Factus enim jam potens hereditatis paternæ, dissimulavit meminisse quid se præsente et laudante deputaverat pater redemptioni animæ suæ. Suggerebatur ei a quibusdam suorum revera infidelium, quasi ad gratiam, non debere eum perdere militum suorum amicitiam, in manu eorum suam constare valentiam, defecisse patrem suum a sensu proprio in extremis, consuleret potius rebus suis, quam illius obtemperaret deliramentis. Sic deductus a sententia servandæ pietatis, de disponenda elemosina patris interpellantem se abbatem callide suspendit, quamdiu quidem pater supervixit. Supervixit vero fere per mensem. Virduni 13 Kalendas Januarii terribiliter cælum intonuit, et in crastinum vita decessit (*an.* 1069, *Dec.* 21). Tunc tandem junior Godefridus qui esset apparuit, et recurrente ad se abbate pro testamento ordinando defuncti patris, non tantum consilium et auxilium suum illi negavit, sed etiam minis et injuriis a se absterrendum [39] putavit. Inferens instanti, hoc negotium non ejus temporis esse, nunc non suæ utilitati convenire monachicam congregationem disponere, et militiam sui ducaminis postponere; quæ illi pater curanda commiserat bene curaret, alterius intentionis curam se actitare. Talem tamque subitam rerum commutationem abbas obstupuit, et quasi monstrum sic a se diversum indignatus exhorruit. Ne tamen per hanc repulsam videretur defecisse a promissa fide servanda, Heribrandum seniorem ceterosque pares castri, quos fidelius ducem coluisse meminerat, interpellavit, ut secum de negotio patris Godefridum adratiocinarentur eos conduxit. Ille tandem pudore convictus, respondit possessiones denominatas, quas milites sui stipendiarias tenebant, se nec velle nec posse subtrahere tenentibus, Astinetum (94) vero cum banno et comitatu et omni familia et quæstu, et denominatam partem Chevoni, bannalem quoque cambam Buloniensis burgi, quæ nullius erant feodi, elemosinæ patris sui se recognoscere et confirmare, relictum vero thesaurum rerum ejus mobilium in præsentia eorum se velle cum abbate dividere; hoc illi jam sufficeret, nec se amplius super hiis molestaret. Adhortatus abbas ut interim quæ concedebantur susciperet, neque juvenem quandoque meliorandum exasperaret, exhortantibus cessit, et cum Godefrido ad scrinium dividendi thesauri vix compulsus accessit. Godefridus ablatis inde septingentis marchis argenti in candelabris, in scyphis et scutellis aliisque utensilibus variis, abbati cetera reliquit, ea tamen conditione ut ea disponeret respectu consilii sui. Consilio tamen Heribrandi castellani aliorumque fidelium suorum, qui ei suggerunt ne sic inhumane annullaret elemosinam patris sui super prædictam summam argenti, disposuit abbati et successoribus ejus Bellam vallem (95) cum familia et banno et omnibus finibus et acquestibus suis, ad opus fratrum deservientium Deo in ecclesia beati Petri; quod vadium quiete ab eis possessum est quamdiu idem Godefridus advixit.

24. (34.) Erat non longe a majori ecclesia fiscus Caviniacus (96) ex patrimonio Richeldis Montensis comitissæ, quæ viduata Balduino juvene Flandrensium comite (*an.* 1070), Flandras amiserat, occiso filio suo Arnulfo a patruo ejus Roberto Frisone (*an.* 1071, *Feb.* 22), per manus cujusdam Gerbadonis [40]. Qui Gerbaldo non multo post confusus conscientia tantæ injustitiæ et temeritatis Romam petiit, et manus quibus dominum suum interfecerat domno papæ Gregorio VII, pro pœnitentia ejusdem criminis detruncandas obtulit. Gregorius executionem hujus detruncationis magistro coquorum suorum publice commisit. Educto Gerbodone [40] ad pœnam quam decreverat pati, prædictum ministrum papa revocari præcepit, eique secreto edixit, ut si elevato ferro aliquo modo manibus motis titubaret continuo eas incideret; si vero constanter persisteret, patientiæ persistentis statim retento ictu parceret. Gerbodo ad ictum perstitit, statimque incolumem deputatus percursor papæ repræsentavit. Lætatus papa sic provenisse pœnitentiam Gerbodonis, manus quas detruncandas obtulerat jam non suas sed Domini esse judicavit, præcepitque ei ut per dominum Hugonem Cluniacensem abbatem revertens, referret ei omnem rei ordinem, seque ejus consilio crederet. Ille ad abbatem veniens, ejus exhortationibus credidit, et postea eximius sub eo monachus claruit (97). Comitissa vero gratia Flandras recuperandi, et filium suum occisum vindicandi, Philippum Francorum regem, ipsum quoque Godefridum ducem et Albertum comitem Namucensem multosque alios Lotharingiæ et Franciæ principes adversus Robertum condixit, taxato singulis pretio ejusdem condictionis. Fuerat autem prædictus abbas longo ante tempore et Balduino et Richeldi adeo familiaris et dilectus, ut

VARIÆ LECTIONES.

[39] absternendum 1. [40] *ita* 1.

NOTÆ.

(94) *Assenoy*, et *Givogne*, iuxta Sedanum. HANC.

(95) *Belleveaux*. R.

(96) *Chévigny*. R.

(97) Arnulfum a Gerbodone interfectum esse, et totam de hoc narrationem eisdem fere verbis refert Gislebertus in Chron. Hannoniæ, ed. Du Chastelet p. 6, 7.

multotiens ab eis exoratus, aliquandiu Flandris moraretur cum illis, et præter multa donaria quibus ab utroque redibat honoratus, duo allodia, scilicet Sulmodium (98) satis contiguum monasterio et Tavers in Hasbania, legali donatione ecclesiæ beati Huberti in perpetuum collata optinere mereretur (99). Et cum eamdem comitissam licet a priore potestate dejectam sæpius tamen reviseret, ex priori amicitia occasione prædictæ conductionis [41] Caviniacum fiscum illa ei in vadio accipiendum per Lambertum majorem obtulit. Lætatus abbas sibi offerri Caviniacum, quem jam diu desideraverat ecclesiæ acquirendum, præsente et annuente duce Godefrido quingentos bizantios auri de elemosina patris sui Caviniaco superposuit, et sic fiscum eumdem interim sub testibus legitimis, videlicet Segardo, Arnulfo, Gozuino, et Tietboldo, in vadium accepit. Richeldis vero cum amissis tot expensis nichil profecisset, fugato etiam Philippo Francorum rege a Roberto Frisone, ad dominum Theoduinum Leodiensem episcopum se contulit, et ei Montense castrum cum omni honore illi subjecto [42], sanctæ Mariæ sanctoque Lamberto eumdem obtulit. Quæ coemptio ecclesias episcopii afflixit gravissime (100-1), nostram quoque spoliavit ex maxima parte. Intendebat enim comitissa viribus episcopi adversus Robertum se aliquid posse moliri, sed non prævaluit. Venditum tamen castrum cum suis appenditiis in feodum recepit.

25. (35.) Grassabatur interea discidium inter abbatem et ducem, duce quidem a fide patri promissa omnino deficiente, abbate vero ut eam exsolveret in emancipandis condictis ab eo possessionibus constanter exigente. Sed neque frustrata est imprecatio patris, quam, ut dictum est, filio moriturus ingessit, imposita conditione vitæ suæ et honoris; nam uxor ejus Matildis eo relicto Langobardiam rediit, sæpiusque mandante marito ut rediret, non solum non obtemperavit, verum edixit mandanti, ut ad se ille veniret, et sicut se curaret capsam reliquiarum patris sui Bonifacii sibi deferret. Seductus ille spe conciliandæ sibi conjugis, præfatam capsam eburneam cum reliquiis abbati violenter abstulit et Mathildi retulit, relicto tamen altari quod fuerat papæ Johannis. Sed nec sic quidem apud eam maritalem gratiam optinuit, spretusque ab ea et inactus ab Italia Lotharingiam rediit. Conscius vero se abbatem gravius offendisse pro ablatis sanctorum patrociniis, cum ex hoc nihil ipse profecerit, callidiori aversione imminentem sibi acrius vitare cœpit. Coactus tandem abbas de eo desperare, ut erat amicissimus domino Herimanno Metensium episcopo, disposuit cum eo Romam ire (102), volens de eventu rerum papam Gregorium VII consulere, et inter eundum de eisdem agere cum marchissa Beatrice (*an.* 1074). Ingressi viam Romæ pasca celebrare certabant, sed tardantibus eos quibusdam, qui obsonia episcopo certatim impendebant, ad Lunensem portum pervenerunt majoris hebdomadæ feria quinta (*Apr.* 17). Ibi occurrit illis legatus marchissæ Beatricis, cum precibus etiam filiæ ejus Mathildis, ut Pisas diverterent, ut apud eas proximum pasca sollempnizarent. Consultus abbas ab episcopo quid inde videretur sibi, respondit ille non debere gravari dignationem magnæ petitionis, neque differret invitatus occurrrere, cum negotium adeundi eas incumberet utrisque. Sic divertentes Pisas honorabiliter suscepti sunt a matre et a filia, satis eminentiores ceteris curialibus habiti in eadem curia. In exsolvendis pascalibus officiis convenerant ibi septem episcopi, hiisque omnibus postpositis celebritas missarum dominicæ resurrectionis (*an.* 1074, *Apr.* 20.) oblata est agenda Herimanno Metensium episcopo. Videres præter sæcularium confluentium multiplices glorias, clericorum diversi ordinis frequentiam, ecclesiastici ministerii vasa auri et argenti quamplurima, diversi apparatus vestes peregrinas, Beatricem et Mathildem procedentes quasi cujusdam dominationis præfecturas. Episcopo in tali pompa missas celebrante, abbas in quodam angulo se celabat, operto capite satis humiliter vacans psalmodiæ cum Lamberto majore et minore. Mathildis circumspiciens deprehendit abbatem latere laborantem, et nichil glorias tam festivæ ostentationis curantem. Assistebat vero ei in decantandis psalmis dominus Anselmus post Alexandrum papam ordinatus Lucensis episcopus, vir admodum religiosus, et non multo post felici excessu clarescentibus miraculis inter sanctos a Domino assumptus. Hunc ad abbatem misit, et ut superius ascenderet mandavit. Et cum obedienti sedes deesset, Mathildis assurgens ei suam, ut erat parata, transmisit, mirantibus cunctis quæ esset persona tantæ apud eam dignitatis. Discessurus autem in crastinum (*Apr.* 21), cum ei inter cetera familiaritatis colloquia, deceptum se a Godefrido de elemosina patris [43], illa super

VARIÆ LECTIONES.

[41] *leg.* condictionis. [42] contradens *excidisse videtur.* [43] conquereretur *vel aliud tale deesse apparet.*

NOTÆ.

(98) alias *Smuz.* H.

(99) Donationis præceptum s. d. ediderunt Foppens in Miræi Opp., Dipl. IV, 185, Martene et Durand Coll. Ampl. I, 487.

(100-1) Eadem fere verba habent Gislebertus p. 9, et Ægidius Aureæ Vallis c. 3, qui damna majoris Ecclesiæ Leod. enumerat.

(102) Conf. Vitam Theod. IV, 47-49. Ibi quoque privilegium a Gregorio præsens obtinuisse dicitur, quod Kal. Maiis 1073 datum est. Eo autem anno Gregorius x Kal. Mai. electus est, paschalis Dominica fuit II Kal. Aprilis. Theodericus ergo si cætera hic recte narrata sunt, Romam ante electionem Gregorii reliquit. Quo fit ut iter ejus a. 1074 sit attribuendum, nescio an etiam privilegium. Nam a. 1075 excludit epistola Gregorii mox commemoranda.

hiis dominum papam consulendum respondit, et ut faciliorem aditum inveniret apud eum optinendi quæ vellet, litteras ei deprecatorias composuit, quas apostolico redderet ex nomine Mathildis, indicta ei conditione per se redeundi, et quæ sibi evenirent illi referendi. Veniens ergo Romam cum episcopo, litteras Mathildis præsentavit apostolico, et per eas commendatus gratanter susceptus est ab eo. Per septem autem dies in Urbe demoratus, et cujus esset vitæ et probitatis perspectus, adeo factus est papæ dilectus, ut die quadam ab hora prima in sacra capella quæ dicitur ad sanctum Laurentium (103), ubi cum sandaliis dominicis retinentur capita apostolorum Petri et Pauli, pariter soli considentes amica vicissitudine divinis eloquiis intenderent, eo usque ut nocte superveniente armatus Urbis præfectus papa jubente ad hospitium suum abbatem cum suis reduceret. Unde et inter cetera quæ ab eo gratia familiaritatis expetiit, privilegium etiam apostolicæ defensionis ecclesiæ suæ auctorizatum optinuit, ut ecclesiæ Romanæ firmata et defensata auxilio et auctoritate, immota stabilitate monastico ordini in perpetuum persisteret, et ei jam donata et amodo donanda anathemate æterno interposito firmiter constarent. Hoc idem privilegium papa a se dictatum et in publico consistorio Lateranensis palatii quod dicitur Ad speculum, coram pluribus episcopis et cardinalibus ecclesiæ Romanæ recognitum et relectum, subscripsit manu propria : *Miserationes tuæ, Domine, super omnia opera tua.* Cum vero a condicta Godefrido promissione abbas se absolvendum exposceret, quia in ea explenda filii ejus auxilium sibi deesset, apostolicus non consensit, sed Annoni Coloniensi et Theoduino Leodiensi apostolicæ auctoritatis formatas epistolas destinavit, ut Godefridum ad hoc quod patri morituro condixerat exsolvendum, vel consilio inclinarent, vel ecclesiastico ministerio inobedientem compellerent. Reversus abbas per Mathildem, ut ei condixerat, exsolvit ei commendationis suæ gratias, referens quæ ex sententia illi omnia apud papam provenerant; illa licet nolentem aliquamdiu eum secum retinuit, et casula una alba quæ fuerat domini papæ Leonis IX, subdiaconali quoque tunica papæ Stephani qui dictus olim Fridericus frater fuerat ducis Godefridi majoris; a se digredientem honoravit. Nec tantum hac sola vice gratia curiæ illius ecclesiæ nostræ profuit, sed et tempore papæ Alexandri II, cum idem abbas Roma rediens diverteret ad matrem et filiam apud Fraxinutum (104), quo construxerant monasterium monachorum in Alpibus Appennini, per septem dies detentus, ibi cotidie pallio uno muneratus est ab eis. In die vero digressionis suæ data est capsa una eburnea reliquiis Claudii martyris pretiosa, quam secum revehens in vigilia solemnitatis beati Huberti cum honesta processione, responsorium *Cives apostolorum* decantante, ecclesiæ intulit. Et ex tunc in eadem die cum commemoratione Benigni martyris Divionensis, Claudii quoque celebritatem agendam communi assensu congregationis instituit.

26. (36.) Cum vero Theoduino Leodiensi episcopo litteras papæ pro Godefrido ei missas tradidisset, et paulo post privilegium Romanum quod ejus concessione et laude ecclesiæ beati Huberti optinuerat, quasi congavisuro obtulisset, de manu ejus accepit illud archidiaconus Boso, cui et omnia sua procuranda idem episcopus crediderat specialius, ut erat confectus senio. Idem Boso abbati jam diu infensus erat, eo quod præbendam unam cuidam nepoti suo Nasaniæ expetierat nec impetraverat, unde et collecto livore occasionem se vindicandi attentius quærebat. Explicita ergo carta et offensus ignotis sibi ad legendum notis, quibus conscribuntur privilegia Romanæ auctoritatis (105) : *Non*, inquit, *dubium quin hic lateat alicujus fraudis præstigium, quod utique celat barbaries harum notarum.* Raptum ab ore ejus verbum quasi ad gratiam dicentis palatinæ canes exceperunt, censentes diligentius perscrutandum, quod ut difficile ad legendum videbatur incertum. Tandem easdem notas sensim perscrutantes hii qui inter clericos jactitabantur perspicaciores, deprehenderunt rem ut erat, scilicet ecclesiam beati Huberti specialius mancipatam apostolicæ defensioni, æternoque anathemate interdictum cuicumque personæ vel potestati, ne quis ei præsumat dampnum inferre vel injuriam, vel in acquisitis vel in acquirendis, utque monachicus ordo ibi in perpetuum Deo deserviat liber totius inquietudinis. Ad hæc Boso rapta occasione insimulandi, caput suum quatiens cum suspiriis, et maxima jam diu cœpta indignatione succlamavit, abbatem Theodericum abbatiam sancti Huberti omnino prodidisse Romano pontifici, ecclesiam Leodiensem in hoc ipso incurrisse dampnum intolerabile, et, nisi episcopus ejusque fideles maturius advigilarent, nichil sibi de tanto honore hactenus habito remansisse. Intellexit ex privato odio abbas publicam sibi suscitari invidiam, et indignatus se criminari præter conscientiam, respondit constanter hujus malignitatis conjecturam nec se quæsisse, nec apostolicum concessisse; venirent quicumque eligerentur fideliores ecclesiæ Leodiensis, paratum se Romam redire, ibique eis probaturum publice crimen quod sibi imputabatur nichil esse; ea tamen conditione, ut secundum sacros canones pœnas falsæ criminationis, se purgato, criminatores exsolverent. Præsensit Boso se sŭo capiendum laqueo, actumque de se, si Romæ prosequeretur abbatis reclamatio (106). Locutus itaque cum consilio, non se assuetum Romano, ait,

NOTÆ.

(103) in palatio Lateranensi.
(104) *Frassinoro*, in ducatu Mutinensi.
(105) Langobardicis litteris.
(106) Factum tamen est; nam Gregorius epistola II, 61, quæ data est x Kal. Apr. a. 1075, Theoduinum hortatur ne abbatem privilegii illius causa am-

sed Leodiensi judicio; nemini licere audientiam reclamare tam subito, nisi episcopi sui, maxime vero metropolitani gravaretur judicio. Recognovit episcopus licet senex invidiose calumpniari abbatem; ne tamen videretur indiscussum prætermittere quod putabatur dampnosum ecclesiæ, præfixit diem hujus discussionis agendæ. Retento igitur secum privilegio, abbatem dimisit, et ceteros abbates episcopii cum archidiaconis, ut ad præfixam diem venirent convocavit. Interea Boso declamare in clero, spargere voces in populo, quanta malignatus est inimicus in sancto, qui commissam sibi abbatiam subduxerit sanctæ Mariæ sanctoque Lamberto. Vagante passim ut suum cum fama vulgabatur abbatis infamia, et licet apud se bene sibi conscium vera tacretur innocentia, indignabatur tamen mendaciter gravari nichil tale merentis patientia. Præfixa die convenientibus evocatis, ipse quoque cum Theoderico præposito et utroque Lamberto omni modo veritati confisus affuit. Discutiendi etiam privilegii exemplar secum detulit, ut quia calumpniatores ejus secum finxerant aliquid monstruosum ignotis in eo celari notis, cunctis legere volentibus innotesceret assuetis conscriptum litteris. Lecto palam itemque relecto privilegio, et cum dato exemplari verbo ad verbum comparato, ventilantibus quibusque inter se prudentibus quæcumque in eo continebantur, nichil in eo Leodiensi ecclesiæ deperiisse, nichil abbatem adversus eam deprehensum est machinasse ; et cum jam non ex Bosonis odio, sed ex evocatorum judicio causa penderet abbatis, in hoc tandem majorum et meliorum sententia consensit, Romanæ ecclesiæ proprium esse de omnibus judicare, nullis vero licere de ejus judiciis retractare : non succensendum abbati, quod ecclesiæ suæ procuraverit defensionem et auxilium apostolicæ auctoritatis, cum nec in sensu nec in verbo excluserit debitam subjectionem ecclesiæ Leodiensis. Indignatus sic suam Boso adversus abbatem conjecturam extenuari, arrepto privilegio de medio consessu se subduxit. Ipso tamen episcopo reclamante et indignante cum ceteris cur talem injuriam faceret abbati, vellet nollet, privilegium publice laudatum et auctorizatum reddidit. Soluta contentione, abbas absolutus recessit, sic exinanita existimatione illi objectæ criminationis et comprobata erga ecclesiam nostram auctoritate Romanæ defensionis. Est autem hujusmodi privilegium in superiori pagina conscriptum, quod hic est interponendum :

Gregorius episcopus, servus servovum Dei, dilecto in Christo filio Theoderico, abbati monasterii sancti Petri sanctique Huberti Andaginensis in Arduenna constituti, suisque successoribus regulariter ibidem [44] *intrantibus in perpetuum. Nulli fidelium est in dubio quin sedes apostolica, eo quod* [45] *universalis mater et omnium ecclesiarum princeps est, omnibus hoc jure ac debita sollicitudine præesse debeat, non ut* [46] *eas tantum catholicæ religionis unitate concludat, sed generali circumspectione etiam ab hiis quæ extrinsecus promoventur pro sua auctoritate salvet et muniat. Inter quas tamen cum plures inveniantur, quæ speciali et propria commendatione in tutelam ejusdem sedis apostolicæ se contulerunt, ut speciali caritate et studio suæ matris amplexa usquequaque securiores et liberiores ab omni infestatione consisterent, quas* [47], *ut dignum erat, ita Romana suscepit ecclesia, tantaque protexit undique diligentia, ut omnibus munimenta præsidii, nonnullis quoque gratiam conferret augendi. Cujus rei plurima nobis exempla sanctissimi viri reliquerunt, qui, ante nos in illa quam diximus apostolica sede fulgentes, pro honore ecclesiarum Dei et exaltatione earum magis quam pro vita aut salute sua solliciti fuerunt; suscipientes monasteria et venerabilia loca in patrocinium apostolicæ defensionis, et confirmantes ea propriis privilegiis, quatinus ex cotidiana tranquillitate ardentius in devotione divinæ servitutis et in omni bono proficerent. Qua in re quam pie, quam sancte fecerunt, et illorum nobis ostendit gloria, et ipsius rei tam fructuosa gratia. Nam cum oratoria in pace et tranquillitate consistunt, et ecclesiastica beneficia pauperes Christi nutriunt, tum vero laus Deo digne promitur, et remedia peccatorum tam vivis quam defunctis impenduntur. Unde nos in eadem sede apostolica, non nostris meritis, sed divina locati gratia, suscepti officii debitum considerantes, præfatum monasterium, cui tu, dilecte fili et prænominate abba, præesse dignosceris, tuo rogatu in tutelam apostolicæ sedis et nostram et successorum nostrorum defensionem suscepimus, confirmantes et corroborantes sibi per præsentis paginam privilegii, ecclesiam sanctæ Mariæ super Axonam sitam* (107) *et ecclesiam sancti Sulpitii super Mosam* (108) *ceterasque possessiones tam in villis quam castellis ceterisque ecclesiis et terris cultis aut incultis seu in omnibus rebus mobilibus et immobilibus, quas nunc jure possidet* [48] *aut in posterum Deo miserante acquiret, quatinus omnia ad communem utilitatem fratrum inibi Deo famulantium sub tuo tuorumque successorum regimine et congrua dispensatione semper inconvulsa illibataque permaneant. Si quis vero regum, sacerdotum, clericorum,*

VARIÆ LECTIONES.

[44] canonice *addit* 1. *quod glossema ejeci auctoritate exemplaris hujus privilegii, quod ex ms. S. Huberti ediderunt Foppens in Miræi Opp. dipl. IV*, 6, *et Mart. et Durand in Coll. Ampl. I*, 513. [45] a. quæ *illi.* [46] *ita correxi, eadem auctoritate;* ut non eas cath. 1. [47] *ita omnes.* [48] *hic desinit exemplar illud.*

NOTÆ.

plius molestare velit. *Compertum est nobis*, inquit, *te contumelias quorundam consilio intulisse abbati de S. Huberto propter privilegium quod a nobis suscepit, sed excusamus eum, quod contra detrimentum et honorem ecclesiæ tuæ nihil fecerit Unde te monemus et rogamus ut permittas eum in pace et in omni tranquillitate.*

(107) In Eberneicurte.

(108) Pirensem.

judicum ac sæcularium personarum hanc constitutionis nostræ paginam agnoscentes, contra eam venire temptaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et nisi vel ea quæ ab illo sunt male ablata restituerit, vel digna pœnitentia illicite acta defleverit, a sacratissimo corpore et sanguine Dei domini [49] *redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem justa servantibus eidem loco, pax domini nostri Jesu Christi, ut hic fructum bonæ actionis recipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen.* Subscripsit autem manu propria domnus papa : *Miserationes tuæ, Domine, super omnia opera tua. Bene valete. Datum Lateranis in* [50] *Kal. Maii per manus Petri sanctæ Romanæ ecclesiæ presbiteri cardinalis ac bibliothecarii, anno primo pontificatus domini Gregorii VII, papæ, indictione undecima.*

27. (38.) Interea monitus Godefridus ex mandato papæ a Coloniensi itemque Leodiensi pontifice, ut condictam patri veritatem et fidem exsolveret, illeque nec monentes nec arguentes audire curaret, accidit ut domnus Herimannus, Metensis episcopus, ad eum Bulonium veniret. Erat autem dominici adventus dominica secunda, et ut suum est ejus temporis, inhorruerat passim hiems asperrima. Exceptus a duce ut decebat tantum pontificem, cum post cœnam in lecto ducis pausaret, duce altrinsecus in eadem camera quiescente, primo gallicinio apud sanctum Petrum surrexerunt ad vigilias fratres, Theoderico abbate tunc cum eis ibi demorante. Miratus episcopus ea tali hora se campanas audire, interrogavit ducem, quo vel ad quid sonarent. Respondit dux fratres apud sanctum Petrum ad vigilias surgere, eosque ex elemosina patris sui ibidem locatos consistere. Ad hæc episcopus altius ingemiscens : *O*, inquit, *nos infelices, quos in tantis deliciis quiescentes Deo condempnant tales vigiliæ. Felices econtra quos nec torpor mediæ noctis, nec horror hujus asperrimæ hiemis reprimit a laudibus omnium creatoris Dei. Tu quoque infelicior infelicissimis, quem necdum emolliunt vel timor Dei vel amor patris tui, qui elemosinam ejus defraudaveris, et fratribus tam devotis adhuc eam detraxeris!* Ad hæc Godefridus compunctus in lacrimas erupit, et gratias agens rationabili ejus castigationi, quicquid ex hoc neglexerat, emendaturum amodo se promisit. In crastinum uterque abbatem mandavit, venienti vero dux officiosissime assurrexit, et nichil tale de eo speranti coram pontifice et quibusdam curialibus suis vadium humillimæ satisfactionis genu flexo porrexit, se errasse, se peccasse in Deum et patrem suum est confessus, errorem quoque suum amodo se correcturum professus. Miratus abbas et lætatus in Domino, qui ad quod vult inclinat corda omnium filiorum hominum, suggerente episcopo duci recredidit quod sibi porrexerat vadium, in verbo scilicet viventis adhuc patris sui, quo eum adjuraverat [51], vitæ suæ et honoris conditione interposita ; statim ille pro hiis quæ de præfato thesauro subduxerat abbati, Bellam vallem ad usum fratrum ei deposuit, et ecclesiam Montis Madiensis (109) cum tribus mansis terræ beato Petro in perpetuum possidendam legaliter tradidit.

28. (39.) Eodem anno (1075, *Jun.* 23) Theoduinus Leodiensis episcopus vita decessit, ortaque (110) contentione inter quosque potentes agendæ electionis, dum plures fieri voluissent episcopi, nulli eorum ut episcopus fieret contigit. Nam dux Godefridus, qui tunc forte morabatur cum Heinrico rege, cum vix tenuiter persensisset episcopum obiisse, precibus suis optinuit apud eum, nemini concedendum donum episcopii, nisi quem ille præsentaret ei ; moxque ad Heinricum Virdunensem archidiaconum [52] misit, et ei ut remota omni dilatione ad se veniret mandavit. Festinavit ille duci occurrere, incertus omnino quid vellet. Leodienses vero pro contentione præfata nulla adhuc electione firmata, ne videretur injuriosum regi, baculum pontificalem paulo morosius deferri, ut eum referret injunxerunt Theoderico abbati. Quidam autem de clericis alter alterum anticipans curiam irrepserant, sperans quisque vel sibi proventurum eventum rei, vel paratus gratia vicissitudinis ferre suffragium alteri. Interea suggessit dux clericum adesse, cui episcopium donandum destinasset ; dignaretur rex, ut est ejus donationis agendæ, pro tribunali sedere, et vocatis Leodiensibus episcopum illis constituere. Leodienses evocati, licet morderentur latenter nemini illorum quod speraverant provenisse, ne tamen voluntati regiæ quæ in negotio præponderabat, viderentur deesse, Theoderico abbati ex consilio referendam imposuerunt domini Heinrici electionem. Qui cum ceteris assistens regi, ut erat vir urbanæ elegantiæ, promptusque Latialis eloquentiæ : *Eligat*, inquit, *eum Deus, et ab eo prælectum nos quoque voluntarie eligendum decrevimus.*

29. (41.) Sic (111) domnus Henricus episcopio donatus, et obsequente duce in urbem favorabiliter receptus, non multo post a domno Annone Colo-

VARIÆ LECTIONES.

[49] *lege* et domini. [50] *vel* in *vel* III *legi potest.* [51] adjuverat *c.* [52] cognatum suum, virum vita et genere nobilissimum, filium scil. Frederici comitis Tullensis, *addit Ægidius.*

NOTÆ.

(109) *Montmedy* ou *Mairy.*

(110) Eadem invenimus apud Ægidium Aureæ Vallis c. 10, et breviora in Chron. S. Laurentii Leodiensis. Cf. Lamberti Ann. 1075.

(111) Totum caput totidem verbis legimus apud Ægid. c. 11 ; in multis convenit cum Chr. S. Laurentii.

mensi pontifice sollempniter est consecratus ; a quo etiam adjuratus est sub testimonio collatæ sibi benedictionis, ut ejus quoque utamur verbis : *Per benedictionem*, inquit, *patris tui Annonis obtestor te ut destruas superbiam et insolentiam Guolbodonis.* Erat autem Guolbodo abbas ecclesiæ beati Laurentii, qui, nimium confisus gloriæ suæ et nobilitati [53], longe se aliter habebat quam conveniret monachicæ professioni. Nec diu moratus episcopus privatis illum ammonitionibus corrigere, cum videret se in hoc non solum non proficere, sed illum magis ad deteriora ex indignatione deficere, constituit diem ad discussionem ejus publicam. Convenientibus abbatibus (*Oct.*) et archidiaconis cum se Guolbodo non posset purgare a criminibus objectis, decreta omnimoda res ejus in potestate et dispositione episcopi. Episcopus, ne accelerando justitiam videretur evacuasse misericordiam, obtulit ei locum et tempus agendæ pœnitentiæ, decrevitque ei ut Virdunum apud sanctum Agericum aliquamdiu privatus secederet, et inter religiosos viros ibi noviter congregatos (112) satisfactionem suam dignam misericordia comprobaret. Concessit ille primum judicio sapientium et episcopali decreto se consensurum; sed ad horam locutus quibusdam suis, quod prius promiserat exequi, post publica contradictione recusavit. Episcopo exigente ut daretur sententia huic resultationi et inobedientiæ, decretum est ab omni conventu, ut in sua se recognosceret [54], ipsamque abbatiam libere ad placitum suum disponeret, cujus abbas convictus criminibus nollet illi ad emendationem obedire. Nec moratus Guolbodo ad regem Henricum abiit, ejusque violentia adversus episcopum conatus est se tueri. Qui dum ecclesiasticam justitiam sæculari audientiæ prostituit, secundum sacros canones omnem sibi aditum recuperationis obstruxit. Nam nec regiis precibus nec minis potuit episcopus attrahi ut eum restitueret, obtestatus se malle episcopium ad tempus intermittere, quam ejusmodi insolentiam pati sine congrua satisfactione. Sic Guolbodo desperatus Hungariam concessit, indeque ad regem reversus in expeditione Italica positum, ad mortem usque domni Henrici episcopi moratus est apud eum.

30. (42.) Hiis (113) actis circa Leodiensem sinodum, quæ agitur in festo apostolorum Simonis et Judæ, in sequenti adventu domnus Anno religiosus pontifex Coloniæ vita decessit (*Dec.* 4) in maximo dampno totius illius provinciæ (114), quinque marchas argenti moriturus mittens ecclesiæ nostræ.

31. (43.) In sequenti sollempnitate dominici natalis dux Godefridus natalitiam curiam celebravit in magna gloria Trajecti, infelix certe et nimis improvidus sui, et cui ultima fuit pompa hujus suæ ostentationis ; nam inde descendens Frisiam, dum apud castrum Flardengis moraretur, per quosdam necessarios Roberti comitis Flandrensis in secessu per posteriora percussus interiit (*an.* 1076, *Febr.* 27). Cujus interitus equidem dolendus, omni Lotharingiæ adeo fuit exitialis, ut justitia et pax, quæ ultra memoriam eorum qui erant ejus temporis, profecerant sub eo, in brevi ejus defectu eveniente deficerent cum eo. Cujus corpus, sicut vivens disposuerat Virduni ad sepulturam transferendum, dum perlatum esset Leodium, Henricus episcopus tanto amico destitutus, in pompa maximi doloris processit ei cum clero et populo totius civitatis, perque singulas congregationes præsens ipse circumferri jussit, exceptoque sollempniter missas celebrari instituit.

32. (44.) Deinde prosecutus eum usque Vilantiam (115), præ nimio dolore infirmatus, progredi ultra non potuit, et Theoderico abbati ad corpus deducendum vices suas commisit. Ipse delatus ad ecclesiam beati Huberti, donec convalesceret ibidem fuit. Fuit autem a secunda dominica quadragesimæ usque post octavas ibi celebrati pascæ (116). Nam delectatus religiosa fratrum conversatione et eorum probata erga se sincera dilectione, nulla suorum vel clericorum vel principum potuit evinci suggestione, quin ante pascalem celebrationem vellet locum mutare. Morabatur tunc junior Godefridus marchio cum illo, qui, avunculi sui destitutus auxilio, ejusdem episcopi tuebatur patrocinio ; quem cum sæpius argueret de allodio Telins, quod Bulionensis violentia jam diu subduxerat ecclesiæ, dicens etiam se timere illi vindictam hujus justitiæ : Godefridus consilio et hortatu optimatum suorum episcopo cessit, et quod suum erat beato Huberto voluntarie recognovit. Dominica autem quæ dicitur in palmis (*Mart.* 20), post sollempnem ejus diei processionem, prosequentibus nobilibus suis uterque accessit ad majus altare beati Petri apostoli, et baculum suum pastoralem tenente episcopo, dextera ejus dexteram suam Godefridus superposuit, et cum eo prædictum allodium super illud absque ulla calumpnia reposuit. Imposita etiam sibi episcopus stola sacerdotali, ne

VARIÆ LECTIONES.

[53] quia venerabilium — extollens *inserit Ægidius, quæ verba Chr. S. Laurentii exhibet c.* 43. [54] *scil.* sententia.

NOTÆ.

(112) Monasterium ordinis sancti Benedicti a Remberto episcopo Virdunensi anno 1037 fundatum, unde et hic viri religiosi ibidem *noviter* congregati dicuntur. M.

(113) Eadem ap. Ægid. l. I.

(114) *Provinciæ, sepultusque est in cœnobio Sibergensi, quod ipse propriis sumptibus construxerat.* Ægid. qui inde ad Trudonensia transit. Cf. Chr. S. Laur. c. 44.

(115) *Villance*, à deux lieues de St-Hubert, où naguère se voyaient encore les restes d'un manoir féodal. R.

(116) I. e. a die 21 Feb. ad 3 Aprilis. Sed Lamberto teste Godefridus IV Kal. Mart. occisus est.

quis illud amplius ecclesiæ subduceret, sub obtestatione divini nominis interdixit, et imprecatione æterni anathematis excommunicavit; Godefridum vero culpam suam suorumque antecessorum humiliter fatentem absolvit, et facto publice privilegio hujus recognitionis, sua illud et suorum adstipulata assignatione confirmavit. In sequenti vero feria quinta (*Mart.* 24) circa horam sextam, parata sibi sede in portis templi, deductos ibi pœnitentes episcopii cum maxima reverentia et lacrimis Deo reconciliavit, et communioni sanctæ ecclesiæ per manus archidiaconorum sibi reconsignatos restituit. Deinde sollempniter infulatus missas celebraturus episcopaliter processit, habens in ministerium ecclesiasticum electos ex fratribus septenos uniuscujusque ordinis, duodecim quoque sacerdotes in veste sacerdotali circumstantes eum, ad expectationem conficiendi in ipso canone sacri crismatis. Tanta tunc temporis erat frequentia religiosæ congregationis, ut hiis exceptis conventu exsequendi ordinis non videretur minui. Tanta ornamentorum copia abundabat ecclesiæ, ut pretiosis vestibus ornati singuli procederent in suo ordine, ipse etiam episcopus suis postpositis casulam albam indueret, quæ fuerat Leonis papæ, data, ut dictum est (117), abbati Theoderico a Beatrice et Mathilde. Quanta vero devotione dominicam passionem et sepulturam exegerit, qua alacritate cum publica fratrum processione, ambientibus eum archidiaconis suis, in ipso sancto sabbato sacri baptismatis fontes ore proprio consecraverit, qualiter hoc idem privilegium matris ecclesiæ sua auctoritate laudaverit et probaverit, quanta et quali gloria et lætitia pascalem sollempnitatem celebraverit (1076, *Mart.* 27), olim relatum vix credibile videbitur posteris. Cum et ipsi curiales episcopii posthabita urbe ab episcopo se quasi in solitudine ad eum convenisse indignarentur, nec tamen vel in divinis sollempniis vel in rerum exteriorum copiis se esse diminutos mirarentur. Elaborabat quoque episcopus ne propter frequentiam curialem ordo religionis aliquam pateretur inquietudinem; sed etsi quando gratia refrigerandi fratribus vel in lectione vel in collocutione interesse volebat, executores suos in ipso claustri aditu a se rejiciebat, et post se accludens valvas, quasi quidam privatus adgaudentibus sibi reverenter conveniebat.

55. (45.) Jam die festo mediante Herimannus Metensium episcopus venit eum invisere, et exceptus ab ipso cum honorabili processione, tantæ sollempnitatis videbatur lætitiam auxisse. Et quia longo ante tempore amicissimus erat abbati Theoderico, ejus congregationi in crastino eorum conventui se satis hilariter præsentavit, dicens sibi esse cordi ut aliquam gratiam eis relinqueret hujus ad eos adventus sui. Tunc ex consultu communi ab episcopo Henrico abbas expetiit, ut ejus consensu duo dicaret Deo altaria a se constructa noviter. Quod episcopo concedente, domnus Herimannus in feria sexta pascali (*Apr.* 1) quæ obvenerat in Kalendis Aprilis, dedicavit oratorium unum quod dicitur ad sanctam Jerusalem, eo quod ad modum dominici sepulcri conditum, ipsam quoque ejus formam repræsentet devotioni fidelium; in sequenti sabbato aliud quod erat duplex, in superiori continens memoriam beati Nicolai, in inferiori vero beati Andreæ apostoli, quod ad hoc maxime ædificaverat olim abbas, ut ibi specialius ageretur fratrum memoria, quorum corpora ibidem jacent translata ab effosso cimiterio pro cripta amplianda. Qui dum paratis donis episcopum decrevisset honorare pro hac gratia impensa ecclesiæ, episcopus non solum non acquievit quicquam inde accipere, sed econtra casulam suam pontificalem cum stola et baltheo, duobus quoque candelabris et uno pallio obtulit habenda beato Huberto.

34. (46.) Exacta pascali ebdomada cum in suo digressu valediceret fratribus, ex pietatis affectu singuli cœperunt flere altrinsecus; Henricus autem amplius, quasi ex desiderabili sibi quiete revocatus ad tam multiplices sæcularium negotiorum tumultus.

35. (47.) Adhærebat ei familiarius quidam Virdunensis senex Eleutherius, vir equidem religiosus, et qui ab ineunte ætate instruxerat eum honestis et castis moribus. Hic sollicitus salutis et honoris illius, attentius suggerebat ei ordinandam esse ecclesiam beati Laurentii, quæ aliquandiu viduata indigebat providentia abbatis. Qui dum moraretur cum episcopo, factus est familiaris Lamberto juniori et Berengero priori, inter quos concreverat jam diu gratia veræ in Deo caritatis, quia inolita gratis libera erat totius necessitatis. Et cum sæpius Eleutherius colloqueretur Lamberto, forte inter loquendum incidit eis memoratæ abbatiæ mentio, et illo dicente de ejus ordinatione se multotiens cum episcopo contulisse, episcopum vero sollicitum, sed incertum cui convenienter eam committeret, respondit Lambertus, optime eam committendam Berengero, sapienti equidem et probatæ virtutis viro. Ille semel rapto verbo, gratias egit Domino, et quantocius suggessit episcopo, ut Berengerum sibi commodandum expeteret ab abbate Theoderico, quem interim ecclesiæ beati Laurentii loco prioris præponeret, donec per accessum temporis certius inde sibi consilium proveniret. Episcopus eum expetere non distulit, et vix ægre ab abbate impetratum et introductum ecclesiæ vacanti priorem esse constituit. Berengerus, ut erat vir discretus et prudens, satagebat consulte omnia procurare, singulorum se moribus contemperare, neminem quasi importunus gravare, doctrina et exemplo graviores informare, leviores ne scandalizarentur interim dispensatoria patientia dissimulare.

36. (48.) Nec multo post superveniente festo beati Lamberti (*Sept.* 17), cum ediceret episcopus

NOTÆ.

(117) Cap. 25

abbatibus et archidiaconis reddendum sibi consilium de ordinanda ecclesia beati Laurentii, responderunt illi in commune consulendos fratres ipsius congregationis, eisque offerendam regularem et legitimam electionem abbatis. Episcopus in crastinum deducens eos secum ad locum venit, et fratribus ut abbatem sibi eligerent mandavit. Illi locuti cum consilio, cum abbatibus et archidiaconis elegerunt Berengerum consensu unanimi. Lætatus episcopus eorum electionem convenire voluntati suæ, abbati Theoderico cœpit vehementer innuere ut Berengerum sibi absolutum redderet. Econtra cum abbas reclamaret, se nec velle nec posse tali viro carere, suæ magis ecclesiæ eum convenire quam alienæ; vix optinuit episcopus quod petebat omni illo conventu suffragante, et tandem Berengero coram attracto, abbatiam sancti Laurentii licet diu renitenti episcopus violenter ingessit, id revera disponente gratia Dei, quæ in brevi hoc se disposuisse comprobavit, dum illius labore et ingenio accrevit interius optimæ religionis congregatio, et exterius multiplex rerum ecclesiasticarum acquisitio.

37. (49.) [*V. Theod.* c. 4] Anno (118) dominicæ incarnationis 1076 gravissima hiems incubuit, adeo ut in Galliis Ararim, Rodanum, Renum, Ligerim, in Germania Albam, Viselam et Danubium, in Italia Eridanum permaximos fluvios, ut taceatur de minoribus, tanto gelu constringeret, quod mirantibus circummanentibus incolis quasi per solidam terram pervii fierent. Hoc gelu tandem in vere remisso (*an.* 1077), tanta successit siccitas aeris, ut arentibus arvis pene desperaretur proventus messis futuræ. Theodericus abbas tunc in quadragesima Romam gratia orationis profectus, in redeundo Remis apud beatum Remigium familiariter aliquandiu lassus quievit. Vulgato autem per urbem tanti viri adventu, ipse Manasses tunc Remorum pontifex, omnesque pæne ejusdem metropolis majores illum suppliciter adeuntes petierunt ut de imminenti plaga desperatis daret consilium, simulque orationibus optineret divinæ consolationis auxilium. Ille licet invitus precibus tamen supplicantium victus, publicum populi conventum in basilica majori sanctæ Mariæ semperque virginis genitricis Dei mandavit fieri, et inter missarum sollempnia exorsus sermonem pro qualitate periculi omnibus indifferenter unius dici continuum jejunium indixit, et ut darent pauperibus quæ subtrahebant sibi. Quanta autem fuerit in exhortatione sermonis ejus omnium, ipsorum etiam Judæorum compunctio, quam alacris indicti jejunii et elemosinarum executio, consequenter ostendit Dei omnipotentis miseratio. Nam in crastinum abbate missas celebrante, statim ut eas terminavit, tanta tamque salubris pluvia erupit, ut passim revirentibus campis, jam diu desperata Dei gratia donante, largissima ejus anni proveniret messis.

38. (50.) Sub eodem tempore adfuit Theoderico abbati legatio Elinandi Laudunensis episcopi, ut si quid apud eum posset vel ipse vel ecclesia commissa, concederet fratrem unum suæ institutionis, quem ordinaret abbatem ecclesiæ beati Vincentii martyris. Id cum abbas omnino recusaret, episcopus vero hoc ipsum bis terque importunius reposceret, tandem relato consilio ad communem audientiam capitolii, unanimi fratrum electione dominum Adalberonem Laudunum deduxit, eumque se præsente abbatem ecclesiæ beati Vincentii ordinari concessit.

39. (51.) Et ut memoretur idem Adalbero quis aut unde fuerit, fuit nobilis prosapiæ Suevus et multiplicis scientiæ, Constantiensis ecclesiæ clericus. Hic duci Godefrido juniori ab Italia revertenti familiariter adhæsit, qui quamdiu advixit, habitus est apud eum amicitior amicissimis. Sed illo interfecto, cum se Adalbero junxisset Godefrido adolescenti, quem avunculus adhuc vivens adoptaverat heredem sibi, inter illum et Albertum Namucensem comitem orta est gravissima dissensio pro castello Bulonensi. Qua de re nominato apud sanctum Hubertum inter utrumque colloquio, cum Godefrido adfuit ibi et clericus Adalbero. Qui ut erat perspicax in rebus deprehendendis, cum perspexisset in fratribus inremissam intentionem exequendi ordinis, cum etiam pervidisset ex ipsa loci opportunitate non indigere solitudine, si quis vellet ibi Deo militare, divino respectu compunctus destinavit apud se vanitatem mundi respuere, quam tot casibus subditam nemini videbatur esse durabilem. Locutus ergo abbati, condixit illi diem ad eum ex toto revertendi, collectisque quæ erant in promptu rebus suis, juxta condictum in capitulo se prostravit more agendæ conversionis. Videres neminem se posse continere a lacrimis, cum tantarum paulo ante deliciarum juvenis tam subito mutatus ad mundi contemptum adeo se accingeret, ut pretiosissimas olosericalis habitus vestes cum tunica oloserica sponte sua spoliatus abjiceret, annuli quoque aurei digitis [55] abstracti et in terram projecti clarissimum tinnitum redderent, ipse etiam conversionis suæ professionem vix permittente singultu enunciare sufficeret. Hic non multo post, ut dictum est, apud Laudunum Clavatum ordinatus abbas ecclesiæ sancti Vincentii, quantum Deo juvante loco profecerit, testatur fratrum nobilissima religio ab eo instituta, informata interius, rerum quoque et cellarum multiplex augmentatio exterius.

40. (52.) Anno 1081 dominicæ incarnationis, indictione 4, Theodericus abbas ad consecrandam criptam quam ædificaverat Henricum accivit episcopum, ejusdemque consecrationis diem præfixit, videlicet in Idibus Januarii. Episcopus quod petebatur

VARIÆ LECTIONES.

[55] d. quoque a. *c.*

NOTÆ.

(118) Cf. Ann. Leod. 1076; Laub., et Annalistam. Sax. 1077.

hilariter exequendum decrevit, comitatusque Francone episcopo Bellagradensi, necnon maxima frequentia clericorum et curialium suorum, in epiphania Domini ad locum venit. Quantus autem concursus non solum affinium, sed et exterorum promiscui sexus et ætatis [56] expectationem tantæ sollempnitatis convenerit, quanta prædictorum pontificum devotione, quanta Leodiensium archidiaconorum et frequentia et obsecundatione, quam largis et multiplicibus obsoniis eadem consecratio celebrata constiterit, si quis narraret, vix crederetur a posteris, præsertim cum degenerante sæculo deficiat passim non solum copia, sed et ipsa morum probitas et antiqua moralitatis honestas.

41. (53.) Apud Calvitiacum advocatus quidam, Albricus nomine, in exigendo sibi indebitas chorveias (119) adeo imminebat ecclesiasticæ familiæ, ut in arando vacca cujusdam pauperis abortiret, ejusque vice per totum diem jugum sustineret altrinsecus pauper. Tantam tamque injustam exactionem abbas audivit, et Albrici inhumanitatem exhorruit, properans Divum (120), Adelonem expetiit, et quomodo subadvocatus ejus familiam ecclesiæ tractaret, satis dolenter ingessit, paratus probare hujusmodi angariam nec illi nec alteri debitam. Indignatus Adelo adversus Albricum, hoc illum fecisse erubuit, et expostulatæ probationis diem abbati constituit. Heribertus quidam ammodum fidelis et probus erat tunc Calviciacensis villicus. Hic die præfixa inter abbatem et Adelonem testificato legaliter sacramento, idem sacramentum judiciali examinatione per aquam confirmavit, et advocatorum violentas exactiones, maxime vero chorveias illi omnino indebitas, comprobavit. Huic publicæ comprobationi interfuerunt Adelo Divionensis, Rainbaldus comes Mutiensis (121), Petrus Mirowaldensis cum multis nobilibus aliis. Actum anno incarnati Verbi 1081.

42. (54.) Nec multo post Godefridus Theodericum comitem cepit, qui filius Gerardi Flamensis, regi etiam Henrico ammodum familiaris, in quibus poterat adversabatur juveni. Quem Bulonium deductum satis liberaliter jussit servari. Lambertus quoque junior tunc ut erat præpositus ecclesiæ sancti Petri, frequentius captum revisendo, in quibus poterat deserviebat illi. Hic igitur post dimidium fere annum in eadem captione obiit (*an.* 1082), et jam moriturus Coloniam se deferendum familiaribus suis indixit. Ibi enim apud sanctum Gereonem longe destinaverat sibi sepulturam, collata illic rerum suarum multiplici munificentia. Lambertus vero ut semper erat curiosus ecclesiæ matris suæ utilitatibus, per Heribrandum castellanum et Tieboldum effecit, ut abbreviato labore tam longæ hujus evectionis, sepeliretur in ecclesia beati Huberti. Cujus rei gratia Gerardus et Gozwinus filii ejus contulerunt ecclesiæ legaliter in perpetuum habendos sex mansos allodii apud Bridam (122), quæ sub Trajecto sita est in Taxandria. Actum anno incarnati Verbi 1082. Hoc eodem anno refirmavit episcopus Henricus castrum Mirvolt.

43. (55.) Increscentibus autem inimicitiis inter Albertum Namucensem et Godefridum Bulonicnsem, Albertus pro guerra Bulonicnsi Mirvoldense castrum latenter refirmare disposuit. Id cum Henricus episcopus deprehendisset, tum quia Godefrido omnimodis favebat, tum etiam quia per hoc vexandum episcopium timebat, anticipavit prævenire intentionem Alberti, et a Richelde comitissa Montensi ipsum montem cum comitatu et banno et ceteris ejus appenditiis, duo quoque ejus allodia, scilicet Braz et Gruispontem cum omnibus utilitatibus suis et familia taxato pretio comparavit, sicque castrum maximis impensis refirmavit. Cui cum quasi ad custodiam provinciæ milites deputasset, illi cogente inopia facti sunt publici prædones, non solum villarum pauperes, sed etiam ipsam abbatiam sancti Huberti assiduis incursionibus vexantes. Quæ res Theodericum abbatem usque ad animam gravavit, timentem non solum suo tempori, sed etiam in posterum periculo imminenti, et cum frequenter per se ipsum, tum per quos poterat mediatores episcopum precibus ambiret, ut tam grande malum quod in exitium totius provinciæ firmaverat dissolveret, sibique pondus tanti timoris absolveret, prætendens se in ecclesia beati Huberti hactenus frustra laborasse, cui post se relinqueret tam proximum vicinum desolationis certissimæ : compulsus episcopus ne tantum virum sic sibi insistentem, et eo usque habitum in amicitia familiarem inexorabiliter offenderet, utque ejus dolorem et indignationem utcumque leniret, ipsum castrum cum omnibus appenditiis suis legaliter habendum tradidit ecclesiæ, et in ecclesia beati Michaelis a se ibi constructa et dedicata fratres ex ecclesia beati Huberti constituit, custodiamque concessæ munitionis abbati habendam indixit. Asserente abbate se nescire castrum custodire sed claustrum, convictus tandem al amicis suis, maxime vero suggerente Lamberto majori, ne interim exasperaret animos personæ potentis, indictam custodiam dispositis ibi fidelibus ecclesiæ intercepit.

44. (56.) Tunc temporis Mathildis marchissa addiderat episcopo Virdunensi ut [57] Juviniensem abbatiam (123), cui Theodericus episcopus Galburgem religiosam virginem præfecerat, quam diu

VARIÆ LECTIONES.

[56] ad *excidisse videtur*. [57] *Aut* ut *delendum est, aut verbum excidit.*

NOTÆ.

(119) *Corvée.*
(120) *Dun-sur-Meuse*, à cinq lieues de Montmédy. R.
(121) *Mussy.* R
(122) *Brel.* R.
(123) *Juvigny*, entre Stenay et Montmédy. R.

multumque reluctantem de reclusione violenter abstraxerat. Quæ cum in loco eodem scrinium reliquiarum invenisset, ferreis nexibus firmiter colligatum, jejuniis et orationibus quæ ibi reliquiæ continerentur a Domino studuit quærendum. Cui cum divinitus revelatum esset partem corporis beati Benedicti abbatis ejusque sororis Scolasticæ virginis inibi contineri, idem certius decrevit experiri oraculum, et ad hoc ipsum publice providendum evocavit ad locum Theodericum episcopum. Episcopus ad rem edictum præfixit in exaltatione sanctæ crucis. Convenientibus ad eamdem expectationem non solum finitimis, verum etiam quamplu-ribus exteris, adfuit etiam pro expetendis sanctorum reliquiis Lambertus junior, missus ab episcopo Henrico et abbate Theoderico. Locato autem consistorio in area campestri, ibidemque aperto reliquiarum scrinio coram frequentia populari, inventa sunt duo capita, videlicet præfati fratris et sororis, cum ossibus dissimilis quantitatis. Nam quædam videbantur virilis eminentiæ, quædam habitudinis femineæ. Quibus ab episcopo lacrimabiliter expositis ad videndum, iterumque reverenter repositis, celebratis etiam ex eorum veneratione missarum sollempniis, junctura [88] una digiti beati Benedicti et dens abstractus ex maxilla Scolasticæ virginis dono abbatissæ huic ecclesiæ provenit.

45. (57). Interea episcopus ecclesiam beati Huberti frequentare, neglectis sedibus episcopii natalitias curias et pascales celebritates ibidem sollempnizare, ordines ecclesiasticos, suis temporibus agere, et fratribus sine aliqua suorum inquietudine familiarius cohabitare. Satagebat abbas quibus poterat obsequiis eum complacare, et inter agendum gratiam ejus de castro deiciendo prætemptare, sed episcopo quod petebatur callide dissimulante, modo rem ad optimatum suorum consilium referendam respondente, cum jam abbas fastidiens quereretur fratribus suis frustra se niti, suborta est maxima seditio adversus episcopum totius congregationis, quod ecclesiæ hactenus liberrimæ obfirmasset intolerabile jugum hujus obsidionis, tamquam magnum diabolum ad insidias sanctificationis. Quod licet in faciem illi obicere parcerent, eis tamen, quos illi sciebant primatiores, hæc ingerebant acerrime, ut ingesta sibi referendo, vel misericordiæ recordatum ab intentione reflecteret, vel ex eo certius si esset eis desperandum probarent. Familiaribus vero econtra causantibus, non sic dehonestandum vel provocandum tantæ potestatis virum hactenus eis tam amicum tamque humanum, Lambertus junior zelo matris suæ ecclesiæ incitatus : *Talis*, inquit, *amicitia cum ad hunc nobis exitium* [89] *provenerit*, *eadem facilitate contempnatur*, *qua et probatur*. Quod verbum notatum præ ceteris, cum episcopo velut ad contumeliam specialem referretur ex persona dicentis, episcopus concepta occasione quasi justæ commotionis adversus abbatem et fratres furere et conqueri cœpit; inferens non se sic meruisse injuriari, nec sibi amodo succensendum, si sic læsa ejus amicitia ad eos exerceret inimicitias. Intellexit abbas libenter eum causas affectare, ut quod petebatur de castro deiciendo, quasi juste exasperatus recusaret, et de eo jam desperare coactus, secessit Franciam, utroque Lamberto comitatus. Et dum apud cellam Eberneicortis moraretur, exoratus ab Alberone abbate sancti Vincentii Lambertum juniorem illi habendum apud se permisit, nec multo post requisitus ab episcopo cur se tam diu absentasset vel a loco suo vel ab eo, Theodericus præpositus, præmonitus ad ea respondere, respondit abbatem apud se deliberasse ex toto jam recedere, nolle eum amodo loco præesse, cui non poterat prodesse, dolere se tam diu superesse, ut se vivente videret tot suos labores deperiisse, castro quod firmaverat superexistente. Veritus episcopus cum divina offensa, tum etiam publicam de recessu tanti viri infamiam, edixit præposito quantocius abbatem revocare, mandans ei se malle tot impensas, quas in castro frustra expenderat, perdere, quam Deum offendere, ipsumque sic ut recederet exasperare, pateretur tamen quandoque hoc agendum cum tempore et ratione. Tandem revocatus abbas cum episcopo apud ipsum castrum occurrisset, et exceptus hilariter ab eo consedisset, conquerenti se nimis ab eo insequi et insectari respondit abbas, animo desideranti nichil satis festinari, ad hoc episcopo secretius spondente illi absolvendum pro certo sibi effectum hujus desiderii sui; nondum tamen id posse convenienter fieri, ne imputaretur ejus levitati tam subita eversio tanti sui laboris. Consolatus interim abbas tacuit, Deum propensius exorans ut disponeret ei celerem proventum hujus suæ expectationis.

46. (58.) Audivit interea domnus Petrus venerabilis prior ecclesiæ sancti Remigii, notum sibi olim Lambertum juniorem morari apud dominum Adalberonem Lauduni, qui, assumpto Thiebaldo claustrali priore cum Humberto præcentore, suggessit abbati Henrico ut, missa legatione ad Adalberonem, Lambertum sibi commodandum expeteret, et quia scolastico indigebat, scolas illi regendas committeret. Nec moratus abbas vir magnæ ætatis et maximæ honestatis, misso Heriberto succentore, dictavit ei animos Lamberti prius explorare, si concedente abbate Adalberone ad sanctum Remigium consentiret venire, et tunc demum ex ejus consensu litteras suæ petitionis pro eo abbati præsentaret. Lambertus, de mandato consultus, respondit se suæ potestatis non esse; ex consensu vero Adalberonis paratum se quo mitteretur ire. Sic redditis deprecatoriis pro Lamberto litteris, Adalbero quod petebatur exhorruit, asserens id se non præsumere, nisi ex Theoderici abbatis voluntate, qui illum sibi commiserat redden-

VARIÆ LECTIONES.

[88] *ita* 2. uicna 1. [89] *f.* exitum.

dum ecclesiæ suæ. Interim tamen dubius an petitionem tantæ ecclesiæ omnino refelleret, an depositum sibi Lambertum ad sua remitteret, ad rem tractandam inducias petiit, et diem ad se redeundi legato constituit. Cœpit interea pertemptare Lambertum quid mallet, et hortari ut se excusando illi quod verebatur absolveret. Lamberto in priori sententia persistente, scilicet sui se arbitrii non esse, præciperet ipse quod vellet, paratum se illi obedire: Adalbero excepit ab eo conditionem, quod remandatus a Theoderico abbate sine excusatione ut suus ad eum rediret, et in ejus placito se omnino reponeret, dimisitque eum ad præfixam diem legato sancti Remigii pro eo redeunte. Ille gratia Dei honeste deductus et amicabiliter exceptus, jussus est ecclesiæ scolasticus haberi, nec multo post electus et constitutus unus ex septem cardinalibus majoris altarii. Dignitas hujus ordinis firmata est privilegio Romano eidem ecclesiæ a domno Leone papa. quando eam dedicavit (124), ut non archiepiscopo, non episcopo, non cuilibet majori vel minori personæ liceat missas celebrare in ipso altari nisi archiepiscopo Remensi et cui abbas non quidem temere, sed consensu fratrum permiserit. Septem vero cardinales ad hunc honorem assumpti publica electione præeminent in tota congregatione, et liberi a ceteris officiis, quibus vicissim deputantur alii, solummodo deserviunt prædicto altari, in festis diebus baltheis utentes, et trium diaconorum totidemque subdiaconorum et acholitorum processionem habentes.

47. (59.) Audita sunt omnia apud sanctum Hubertum quæ evenerant de Lamberto, quem Theodericus abbas secum eductum Lauduni commiserat, quasi ad satisfaciendum episcopo, cui videbatur injuriosus pro verbo superius incautius in eum prolato. Et indignantibus adversus eum quibusque, amarius vero Lamberto majore, quod quasi illius improvida simplicitate hujusmodi dampnum evenisset ecclesiæ, ut [80] emolumentis nutritus deserviret alienis utilitatibus, cœpit secum deliberare an depositum Adalberoni remandaret, an per se ipsum Lambertum requireret. Imminebat vero dedicatio ecclesiæ Ebernensis, quæ est in die sancti Martini, illoque abbas veniens mandavit Lamberto ut sibi occurreret. Ille, audito mandato hora tertia, occurrit ei cum legatione ecclesiæ sancti Remigii hora sexta. Lætatus est abbas tam cito sibi occurrisse Lambertum, erubescentibus quibusdam qui asserebant quasi rebellem non esse venturum. Cui cum coram obiceret, non hoc ecclesiam matrem suam de eo meruisse, ut alienis commodis deserviens illam postponeret, respondit Lambertus, non id recte calumpniatores suos de se sentire; ubicumque esset, se filium suum ejusdem ecclesiæ ex toto recognoscere, et ut ipse melius nosset, numquam se hactenus arbitrio suo vixisse nec amodo velle vivere, et si satis jam expertum adhuc experiri placeret, juberet potestative quid se facere mallet. Ad hæc abbas cum assidentes in ammiratione circumspiceret, quod tam cito et rationabili reddita ratione omnium a se calumpnias removisset, legatio sancti Remigii has illi litteras obtulit in eadem confessione: *Venerabili abbati Theoderico frater H. et fidelis illi sancti Remigii congregatio illam quæ est salus justorum a Domino. Apud karitatem veram, quam credimus vestram, non multum laborat ad optinendum quod petit fiducia fraterna. Sit ergo ejus ipsius vestræ karitatis, ut fratrem Lambertum nobis cum gratia vestra remittatis. Sed neque vel vobis vel ecclesiæ vestræ reputetur oneri quod probatur honori, nec adscribatur dampno, si nutritus labore vestro convenit idoneus inesse apostoli Francorum archimonasterio, cum sapientium judicio utile postponi debeat honesto. Vale.* Tunc demum abbas cum Lambertum sic sibi in omnibus obedire paratum perpenderet, tum etiam ne ecclesiam tantæ dignitatis non exoratus offenderet, illum cum gratia sua remisit ad sanctum Remigium; ipse quoque ad suum reversus est monasterium.

48. (62.) Henricus episcopus imminentem dominici natalis sollempnitatem apud sanctum Hubertum celebravit (125), ubi et in sequenti quadragesima ordinibus exactis, Leodium rediit. Abbas vero jam diu suspensus de promissione qua episcopus deiciendum castrum condixerat illi, ut jam tandem experiretur eventum rei, adgressus est illum Leodium prosequi. In quarta autem feria paschalis hebdomadæ hora fere tertia veniens Ticletum, audivit a suis Serani (126) esse episcopum, ascensaque navi venit ad eum. Episcopus ad podium suum consistens, de longe recognovit venientem; cui cum jam ripæ adlabenti gratia salutationis inclamaret: *Surrexit Dominus vere*, abbas ei respondit: *Et apparcat Henrico hodie*. Quem episcopus benigne exceptum introduxit in capellam quam satis eleganter ipse ibi condiderat, neminem præter Theodericum præpositum admittens in causa. Qui sedens aliquamdiu cum vultum et vocem suppressisset, oculos lacrimis suffusos elevavit ad cœlum, et conversus ad abbatem quasi in agonia constitutum: *Scio*, inquit, *quid quæras, karissime pater, scio quid desideras, quidve in*

VARIÆ LECTIONES.

[80] suis *vel* ipsius *excidisse videtur*.

NOTÆ.

(124) A. 1049. Privilegium d. Oct. 5 edidit Marlot Hist. Rem. II, 107

(125) Hanc ibi egit a. 1082, ordinationis suæ a. 8, et tunc allodium Braz per manum Godefridi ducis et ejusdem ecclesiæ advocati legali donatione sancto Huberto tradidit, cum banno, latrone, foralibus et placitis, sed absque venatione. Miræi Opp. Dipl. IV, 551; Martene Coll. I, 517.

(126) *Tilleur* et *Seraing*. R.

posterum verearis ex malitia quam vides præsentis temporis, cujus ne michi apud Deum, ut multotiens minaris, imputetur occasio, castrum quod deiciendum affectas, tuæ hodie voluntati et potestati permitto, ipsumque montem cum comitatu et omnibus quæ sunt ejus ditionis in perpetuum ecclesiæ tuæ possidendum legaliter contrado, meque totum tibi et filiis tuis gratia hujus vicissitudinis domino Deo commendandum specialiter committo. Statim abbas, lacrimatus præ gaudio, ad pedes ejus procidit, quem episcopus et ipse genu flexo levans humiliter hoc eum fecisse castigavit. Nec moratus abbas omnem eventum rei Lamberto majori, quem ad castrum custodiendum reliquerat, scripto mandavit, et ut ad evertendam altitudinem sathanæ quibus viribus posset accingeretur, per obedientiam indixit. In crastinum summo mane redditis sibi litteris, Lambertus ascenso equo circumquaque pervolavit, et publica exactione quoscumque potuit ad castrum quantocius convenire compulit, et ne quis prætenderet occasionem vel remorandi vel excusandi, velut quadam anxietate animi insimulabat minaciter necessitatem instantem propellendi periculi, ex banno episcopi amissionem rerum suarum intemptans singulis, nisi adessent tuendæ munitioni et firmando aggeri. Commota igitur rusticorum, maxime vere carpentariorum, multitudine, hora nona Lambertus ad castrum rediit, accinctusque in primis cum fratribus ibidem commorantibus, turrim ascendit, et nisi prius videret dejectum ejus apicem, se omnino non gustaturum juravit. Videres rusticos exemplo ejus incitatos, quasi se ipsos vindicantes in publicum hostem totius provinciæ certatim insurgere, ad summa turris convolantes tectum cum trabibus evolvere, parietes abruptis compagibus dissolvere, mœnia ipsa cum propugnaculis eversa funditus eruere, tot impensas totque labores cum maximo collisionis fragore in brevi concidisse. Sequenti feria sexta abbas ab episcopo rediens, cum prospiciens turrim non videret unde videri solebat a longe, suspiciens in cœlum, quantocius de equo descendit, terramque deosculatur [61], *Te Deum laudamus* devotissime decantavit. Et cum pervenisset ad castrum, ipsum jam nudum aggerem dejectæ turris susciperet, elevata contra eum manu : *Dissolvat te*, inquit, *virtus omnipotentis Dei, qui nutu suo muros Jherico corruere fecit.* Nec prius abstitit quam duodecim libras denariorum pro conducendis operariis ad eumdem tumulum complanandum deputaret, præter eos qui tunc exacti convenerant ad castri destructionem.

49. (63.) Per idem tempus Richeldis comitissa Montensis rediens Roma, per fiscum suum Caviniacum transire disposuerat. Cujus transitum cum sensisset Arnulfus Chisniacensis, ut erat audacis malitiæ, insecutus eam capere voluit. Quem Deo juvante effugiens, ad ecclesiam beati Huberti divertit, et officiosissime ab abbate Theoderico excepta, per hebdomadam in loco repausans substitit. Interim fratrum religione perspecta diligenter, et multiplici obsequio sibi hilariter impenso delectata, Caviniacum, quod ut dictum est abbati deposuerat in vadium, obtulit ecclesiæ funditus emendum. Quod cum abbati omnique congregationi placeret, communi consensu dies præfixa est emptionis hujus agendæ, et hoc coram episcopo apud castrum Fossense. Procuratus est quoque illi comes Albertus ab abbate, qui eam reducens in sua constituit securitate. Abraso autem argento quod in ecclesia inveniri potuit, octoginta marchas secum deferens abbas Fossas venit, trecentis aliis per Lambertum majorem et Theodericum præpositum procuratis, apud mercatores et clericos Leodienses vadibus depositis. Conveniente ergo comitissa Richilde cum filio suo Balduino, renovata est coram episcopo et duce Godefrido conventio condicta de Caviniaco; cujus pretii summam cum episcopus contraxisset ad marchas trecentas, præter septingentas quas olim abbas in vadium superposuerat ei, mater cum filio ipsum fiscum perpetuo habendum ecclesiæ beati Petri et beati Huberti per cespitem et ramum ejusdem allodii legaliter in manus episcopi et abbatis, ducis quoque Godefridi ecclesiastici advocati, contradidit, et publica audientia sibi eum et quibusque heredibus suis uterque funditus abjuravit (127). Et cum in exsolvendo argento videret episcopus viginti marchas deesse, duo candelabra sua ejusdem ponderis deposuit comitissæ, quæ postea ex proprio redemit ductus amore ecclesiæ. Facta autem et confirmata carta hujus coemptionis in publica præsentia episcopi et ducis, et signata testibus idoneis, abbas lætus ad ecclesiam rediit, et vestituram legalem per manum ducis recipiens, super altare beati Petri Caviniacum totum cum familia et omnibus acquestibus et appenditiis suis ut proprium suum æternaliter ecclesiæ retinendum sine ulla contradictione saisivit.

50. (64.) Postea remandatus abbas ab episcopo Hoium venit, ibique gratia dilectionis aliquamdiu ab eo retentus, cum regredi destinaret, suggessit episcopo, apud ipsum oppidum ecclesiam beati Huberti duos molendinos habere; ejus gratiæ convenire ut sedem tertii construendi monasterio concederet. Quod episcopus libenter concedens, evocatis ministris et judicibus ejusdem oppidi, equum ascendit, et ad placitum abbatis optimam sedem molendini super Hoiolum difirmavit, quam legali dono ecclesiæ in perpetuum possidendam confirmavit. Erat eo tempore Boso archidiaconus abbas Hoiensis ec-

VARIÆ LECTIONES.

[61] *malim* deosculatus.

NOTÆ.

(127) Cf. Gisleberti Chron. Hann. p. 37

clesiæ sanctæ Mariæ, Lambertus nepos ejus publici juris provisor et judex, Dodo dispensator episcopalis mensæ.

51. (65.) Braz quoque et Gruisponti, quæ olim ecclesiæ perpetualiter donaverat (128), Arsiæ partem quæ sui juris erat, ex allodiis quæ fuerant comitissæ Richeldis addidit. Et ne quis eadem dona sua amodo vel immutaret vel removeret, æterno anathemate dampnavit. Hanc partem Arsiæ Cono de Hamerina tollit ecclesiæ vi et injuste.

52. (66.) Mater ecclesia beati Mononis martyris Nasaniæ [62] a Gualcaudo [63] episcopo data fuerat cum omnibus quæ ad eam pertinent ab antiquo ecclesiæ beati Huberti in potestativa ditione. Ejus clerici acceptis ab abbate præbendis, tamen consensu et laude fratrum, condicto eis et soluto servitio debiti honoris, jam ex tunc detrectabant per insolentiam subesse justitiæ abbatis, nisi in clericalibus conciliis sub districtione episcopali. Hanc quoque insolentiam petente abbate episcopus, liberum constituens altare ejusdem ecclesiæ, absolvit, et omnes exactiones et justitias episcopales et archidiaconales, præsente ibi et secum condonante Bosone archidiacono, ecclesiæ beati Petri et beati Huberti in perpetuum remisit, eamdemque remissionem legali facto privilegio auctorizavit. Quod autem pace beatæ ejus animæ sanctæque memoriæ non quidem exprobando, sed condolendo dicatur, Theodericus et Lambertus ejus simplicitati adeo dominabantur, ut omnino eis in omnibus se crederet, et quasi consulto Deo eosdem consultores audiret. Hiis enim fidens provisoribus, tanto interius advigilabat liberius, quanto de externis dormiebat securius. Sed cum non multum distet in vitio vel decipere vel decipi posse, in hoc dampnosum nimis crimen miscuit gloriæ suæ, quod imprudenter patiebatur seduci eorum miserrima suggestione. Nam si quem vel gratia consanguinitatis vel acceptæ mercedis vellent noviter casare [64], hoc de præbenda fratrum sine eorum consensu non dubitabant abbati persuadere, illeque eorum persuasioni non differebat obedire. Hoc modo amisit ecclesiastica utilitas ex antiquis possessionibus suis Vineias et Lesternias, et ex acquisitis ab eodem abbate noviter Sulmodium in proximo et Tavers in Hasbanio.

53. (67.) Anno Domini 1086 [1087], ordinationis vero suæ 32 (129), Theodericus abbas, non solum senio sed et confectus jejuniis, orationibus et vigiliis, laboribus etiam et curis commissæ sibi pastoralitatis, ab ipsa licet pertenui virtute corporis circa mensem Julium deficere cœpit, unde et gratia paululum repausandi Piros illi secedere placuit; ubi dum se ingravescente sensim infirmitate præsentiret ad mortem urgeri, Theoderico præposito sibi secum [65] moranti relationem suam ad monasterium accelerandam indixit. Referendus vero litteras vel deprecatorias vel commonitorias, ut cuique conveniebat, scilicet Adalberoni Laudunensi abbati, Guiredo præposito Ebernensi, Lamberto priori sancti Remigii, Berengero abbati sancti Laurentii, ipsi etiam Henrico episcopo Leodiensi dispositis nunciis mittere festinavit, humiliter exposcens ut sibi quantocius adessent et morituro ultimum vale facerent. Et cum ab ipsa cella transpositus in alteram ripam Mosæ gratias ageret Deo, quasi jam propinquior cui aspirabat monasterio, occurrit illi Lambertus major cum apparatu revectioni ejus congruo. Cum vero in crastino circa horam nonam appropinquaret monasterio, divertit super Lumnam fluvium in quodam circumjacentis silvæ prato, ne quis fieret pro eo popularis planctus aut tumultuatio. Sic evitata populari expectatione, in prima vigilia noctis dominicæ (130) exceptus est cum maximo fratrum mœrore. Summo autem mane affuit illi episcopus cum Berengero abbate. Hii cum ad eum intrarent, ille collectis viribus sedens in lecto gratias Deo egit, et imposita sibi stola fratres suos tam præsentes quam absentes absolvit divinæque misericordiæ commendavit, et sic demum ecclesiastico more se Deo reconciliandum episcopo humiliter obtulit. Hiis omnibus hora fere tertia expletis, exinde studens silentio et divinæ contemplationi in crastinum hora eadem ad Deum migravit (*an.* 1087, *Aug.* 25). Cujus statim migratione vulgata, occurrunt certatim ad tanti viri exequias Godefridus Buloniensis, Albertus Namucensis, Arnulfus Chisniacensis, Cono Montisacuti (131), curialesque [66] cum popularibus indifferenter admixti, quasi patrem patriæ amisisse conquerentes [67] lamentatione communi. Per biduum vero advigilatus solempni missarum celebratione et continua psalmorum decantatione, tandem sepultus est tertia die (132) in cripta nova quam condiderat in

VARIÆ LECTIONES.

[62] Vasanie 1. [63] Gualco 1. [64] *i. e. feoda ei attribuere;* cassare 1. [65] secum 1. *f.* ibi secum. [66] *ita* 2. c. qui 1. [67] conquirentes 1.

NOTÆ.

(128.) Alterum anno 1082, sed Grupont demum 1087, v. supra col. 1386, cap. 43.

(129) Hæc inter se convenire videntur, sed pro anno 1087 stant Annales Laubienses et auctor Vitæ, qui anno ætatis 80 nondum completo eum obiisse refert, natum anno 1007, Nov. 11. Accedit charta de Gruisponte, quæ, eo vivente, data esse videtur. Contra Theodericus II nominatur in donatione Raginoldi ap. Mart. et Dur. I, 519, quæ data est an. 1086, ind. x, anno Philippi XXVI, Rainoldi III. Sed Rainoldus anno 1091 ord. suæ 7 numerabat (Gallia Chr. X, 51) et ind. x convenit cum a. 1087.

(130) Dominica erat Aug. 22. Teste auctore Vitæ mane venit et inde die quarta mortuus est, scil. Aug. 25; quanquam ibi in cod. Alnensi legitur IX Kal. Septembris. Sed d. VIII Kal. Sept. tuentur Necr. S. Maximini. Honth. Prodr., p. 985 et Missale Stabul., ms.

(131) *Montaigu* inter Leodium et Hoium.

(132) Mos quippe antiquus fuit ut abbates non nisi tertia post obitum die sepulturæ traderentur, ut demonstravimus in lib. V De antiquis monachorum ritibus c. 12, n. 6. MART.

honorem beatæ et gloriosæ semper virginis Mariæ. A Cujus obsequium cum episcopus vix expleret, lacrimis et gemitu vocem ejus intercludente, incredibile videbitur posteris in quantos planctus omnes se suscitaverint, quantisque clamoribus dolori in commune satisfacerent.

54. (68.) Eo tandem sepulto, episcopus obtulit fratribus eligendi abbatis optionem, protestatus inde nolle recedere, nisi eis loco defuncti ordinaret patrem. Convenit in unam sententiam et fratrum electio et curialium attestatio et popularis acclamatio, donandam eamdem abbatiam Theoderico præposito; quod licet ille videretur reniti, seque fateretur non convenire tantæ assumptioni, adeo increvit semel emotus omnium favor [68], ut de re agenda nec ipsi retractare liceret episcopo. Jamque donata abbatia B quassans [69] caput, cum præ admiratione familiaribus suis enuntiaret, tanti favoris clamorem timere se in posterum alicujus sinistri portenti fore. Sed neque ejus hanc enuntiationem eventus fefellit, et, ut suo loco dicetur, per accessum temporis quod verebatur accidit. Theodericus vero recedentem episcopum prosecutus, et ab eo ex more in abbatem consecratus, in Kalendis Septembris exceptus est a fratribus lætanter illi procedentibus. Quia ergo, ut ait quidam (133), difficile imperium retinetur, nisi eisdem artibus quibus et paratur : ipse adhuc rudis curæ pastoralis, utpote eotenus assuetus providentiæ exteriori, recordatus tandem quis fuerit quisve ex assumpto officio cogeretur jam fieri, nimirum invenit se nimis imparem impositi sibi oneris; et qui videbatur prius quasi in plano firmiter stare, in præcipiti jam pede posito cœpit apud se graviter titubare. Impos ergo suimet, vestigia sui prædecessoris licet uteumque conaretur prosequi, nullo modo tamen prævaluit assequi, et laxato paulatim rigore disciplinæ, quo ille maxime viguit ad gloriam, dum se plus justo quibusque inclinaret quasi ad gratiam, in brevi devenit ad contemptum per familiaritatem nimiam. Volens denique amari ex benevolentia a quibus debuisset timeri ex honoris reverentia, dum quibusque indifferenter et inconsulte [70] promitteret speranda quæ conferre non poterat, ipsos etiam veteres amicos suos sibi gratis inimicabat; maxima enim est pars beneficii, si cito negatur quod non D dandum promittitur (Macrob. *Sat.* II, 7), et amicus ita debet haberi, ut putetur inimicus posse fieri. Unde cum inter eum et sibi commissos suscitaretur frequens dissensio, ad hoc usque prorupit eorum mutua indignatio, ut, privato germinante inter eos odio, succresceret in posterum publica ipsius ecclesiæ maxima confusio. Sed de hiis interim intermittendum.

55. (69.) Episcopus autem circa locum ex veteri pia consuetudine sollicitus, cum audiret a quibusdam quæ gerebantur inter abbatem et fratres, et audita dissimulans nosse, eadem speraret corrigenda vel tempore vel ratione, idque minime proveniret, indignatus sibimet super tali ordinatione cum mœrore gravi : *Ecce*, inquit, *quod verebar accidit, ecce quam infelix exitus ex tam lætis initiis!* Nec tamen abstitit, quin sæpius locum reviseret, fratres corrigeret, res ecclesiæ ne minuerentur attentius curaret, abbatem in quibus eum deprehendebat minus sufficere suo consilio et auxilio sustentaret. Cujus ille vivaci sedulitate refectus, a suo illo quo gravabatur apud se defectu cœpit constantior haberi in hiis quæ curanda susceperat, et quæ prius ut inexperta sub quadam lassitudine fastidiebat; unde ea quæ erant ecclesiæ non solum retinuit, sed et quædam sua industria acquirere studuit.

56. (70.) Quidam nobilis Sigefridus cum uxore sua condixerunt sibi invisere ecclesiam beati Huberti gratia orationis; qui ab abbate honeste susceptI, ibidemque per triduum retenti, pro impensa sibi benevolentia inducti, allodium de Moroldiheis (134), quod erat eorum, ecclesiæ obtulerunt, partim gratis donandum, partim ab eis emendum. Gavisus abbas se invenisse opportunitatem hujus acquisitionis, duodecim marcas argenti viro et uxori ejus antequam recederent appendit, et prædictam possessionem cum familia et omnibus ejus appenditiis ecclesiæ in perpetuum legaliter donatam C optinuit.

57. (71.) Stephanus castellanus Montisacuti casatus erat ecclesiæ, quantum ad filios et filias nullum habens heredem. Cujus hereditati cum nepotes illius inhiarent, abbas casamentum quod erat ecclesiæ ab eodem Stephano redemit, et ante quinquennium mortis ejus redditum sibi infirmorum usibus deputavit. Ædificavit præterea hospitalem domum ad susceptionem supervenientium peregrinorum et repausationem infirmorum pauperum, deputatis ibidem molendinis Caviniaci fisci ad usum illorum. Constituit etiam integram præbendam communi fratrum elemosinæ quotidie addendam ad remedium animarum hujus congregationis specialiter destinatam.

58. (72.) Decima totius Amberlacensis fisci videlicet indominicationis, erat sua [71] ecclesiæ quæ sita est in Ambra beati Petri apostoli, et hoc a tempore Beregisi abbatis, dono Pipini qui erat major domus Theoderici regis. Tempore autem Henrici imperatoris cognomento Pii, cui heredem non habenti Conradus in regnum successit, Cunegondis comitissa, quæ fuerat unica Gozelonis comitis domina-

VARIÆ LECTIONES.

[68] clamor *superscr.* vel favor 1. [69] *fort.* quassabat *legendum est.* [70] i. dum p. 1. [71] i. s. propria.

NOTÆ.

(133) Sallustius, Catil., c. 2

(134) *Morhez.* H.

toris ejusdem fisci, Ottoni cuidam Saxonico nupsit, inter quos inhonesto divortio eveniente, quod non est nostrum renumerare, omne patrimonium Cunegundis lege palatina devenit in manum imperatoris. Henricus autem imperator filius Conradi prædictum fiscum cum castro quod dicitur Rupes Seremanni duci Frederico mutuavit pro quibusdam ejus possessionibus, quæ in Saxonia opportuniores erant sibi; sed et Cunegundis, apud ecclesiam beati Petri vel Huberti reclusa, coram altari sancti Martini satis continenter ibi vivens post longam pœnitentiam in Christo quievit, et sepulta est juxta[72] corpus patris sui Gozelonis. Quæ adhuc superstes dum frequentaretur a duce Frederico gratia caritatis, ejus suggestione idem dux prædictam decimam ecclesiæ ex toto recognovit. Et quia erat vir veritatis et justitiæ, pro dampno quod intellexit loco evenisse de eadem decima per memoratas dominorum commutationes, tradidit legaliter beato Huberto perpetuo habendum Montem Pincionis (135) cum familia et omnibus appenditiis suis. Qui cum adhuc rudis antiquæ et debitæ consuetudinis cognosceret ex debito exsolvendas beato Huberto omnes primitias singularum ferarum annuæ venationis totius silvæ Arduennensis, tanta sollicitudine suo tempore solvere eas curavit, ut quadam vice cum venatoribus suis aprum monasterio deferentibus progressus, ipsemet humeris propriis ejusdem apri caput nobis videntibus ecclesiæ inferret et ante altare beati Petri gratia devotionis deponeret. Dux quoque Godefridus, cognomento Barbatus, quadam die cum ad hanc consuetudinem beato Huberto exsolvendam venatum isset, quinque cervos cepit cum uno lupo; ipsos quoque omnes cum coriis et capto lupo adhuc vivente transmisit nobis videntibus huic ecclesiæ. Post mortem autem prædicti Frederici (*an.* 1065) Ida uxor ejus nupsit Alberto comiti Namucensi, iterumque prædicta decima cœpit subduci ecclesiæ, agentibus iniquis et fraudatoribus ministris, quasi fiducia immutatæ dominationis. Ad hanc reclamandam abbas comitem ob uxorem ejus expetiit, et Lamberto majore rerum ordinem rationabiliter renumerante illis, quod suum erat ecclesia utriusque assensu recuperavit perpetuo habendum.

59. (73.) Apud Caviniacum fiscum curialis familia habebatur, quæ olim ecclesiæ acquisita cum ceteris popularibus, dominium ecclesiæ quasi novum detrectans, servire ei dedignabatur. Unde Balduinum comitem Montensem, filium Richeldis, abbas Lamberto majore comitatus adiit, et ne insolentiam eorum adversus ecclesiam tueretur, ei rationabiliter suggessit. Comes relato consilio ad Idam uxorem suam aliosque fideles suos qui interfuerant gestis de Caviniaco superius memoratis (136), eorum testimonio justam quidem causam abbatis recognovit; sed mandavit ei se velle honorari gratia ejusdem a se confirmandæ recognitionis. Abbas illi decem marcas argenti condixit, eumque secum Tudiniacum[73] castrum (137), quo tunc episcopus cum Godefrido duce morabatur, adduxit. In eorum præsentia Balduinus prædictam familiam curialem ecclesiæ beati Huberti suam (138) esse recognovit, et a se respectum eorum omnino removit, omnesque qui videbantur esse hujus contradictionis cum servis eorum et ancillis, cum possessionibus eorum et allodiis, facto ibi publice privilegio ei confirmavit; cui etiam cum sigillo episcopi suum quoque imprimi fecit.

60. Episcopo autem inferente duci, satis utilem fore ecclesiæ beati Huberti acquisitionem hujus fisci, si quis etiam decimam ejus acquirere posset, quæ erat ecclesiæ Prumiensis, consultu et hortatu eorum concepit Theodericus abbas hoc idem negotium exequendi. Denique reversus, utrumque Lambertum Prumiam misit, et nichil eis vel dicendum vel agendum dictans, eventum rei pertemptandum commisit. Excepti honorabiliter a venerabili abbate Wulfranno, et ab eo familiariter per hebdomadam retenti, adeo virum suis affectabant facetiis, ut, quibusque suorum postpositis, illorum specialiter fruretur colloquiis. Et Lambertus quidem major, utpote qui ab adolescentia sua curiis fuerat assuetus, cum delectaret confabulantem sibi abbatem palatinis salibus, junior vero prout erat illi dicendi locus breviter defloratos veterum annalium subinferret eventus, illud vel sæpius exigebat abbas referendum sibi quasi ad gratiam jocunditatis, quomodo Papirius Prætextatus puer, ne senatus consultum proderet, matrem suam eluserit. (Macrob. *Sat.* I, 6.) *Hic capitolium ingressus sub clamide patris latenter, indeque regressus, cum se quærenti matri præsentasset, illa inter oscula interrogavit eum ubi tamdiu fuisset; quo respondente se cum patre in senatu fuisse, maternis argumentis cœpit puero insistere, ut sibi referret quid secreti ibidem audisset. Puer pertæsus quærentis fatigatione, cum omnino deliberasset apud se capitolii secreta non prodere, adinvenit artificiose, senatum duas uxores unicuique viro decrevisse, idque in commune confirmandum crastina sessione quasi ad utilitatem rei publicæ. Femina impatiens totius moræ, cum trepidans domum egressa potentiores Urbis matronas suscitasset, factas pæne in amentiam tali rumore, convenerunt in crastinum ante capitolium jam senatu consulente; ubi dum furore femineo conclamarent, ne sententiam sui hesterni decreti adversus eas senatus ingravaret, sed*

VARIÆ LECTIONES.

[72] *deest* 1. [73] Rud. *corr. manu alia* Tud. 1.

NOTÆ.

(135) *Pinsamont*, village entre Bastogne et Saint-Hubert. R.

(136) C. 49.

(137) *Thuin*. R.

(138) I. e. propriam. Exstant litteræ hujus recognitionis, datæ Tudinii anno 1088. H.

potius unicuique feminæ duos viros habendos decerneret, requirebant patres quæ esset illa mulierum intemperies. Pavebant enim et mirabantur non parvæ rei prodigium illam verecundi sexus impudicam insaniam. Tunc puer Papirius curiam ingressus publicum metum demit, et referens quomodo illi importuna mater institisset, et quid ipse matri insimulasset. Tunc senatores ingenium pueri exosculantes, honoris gratia Prætextatum cognominandum sanxerunt ob loquendi et tacendi prudentiam in[74] ætatem prætextatam, causam quoque et ordinem rei. Sic derisa est impudentia feminei amoris et levitatis, et Papirio Prætextato, ut erat puer, dignitas adjudicata senatorii ordinis, aliis pueris ex tunc a senatu exclusis. Iliis illatis ad placitum abbatis prosequebatur Lambertus quæ subsequuntur, prout interveniebat ei opportunitas ad gratiam audientis. (Cicero, III, 9.) *Narrante*, inquit, *Platone inducitur quidam Gyges in terræ hiatum magnis imbribus solutum, ibique offendit equum jacentem æneum. Cujus apertis lateribus cum invenisset hominem mortuum quemdam, habentem in digito annulum aureum, abstraxit et induit illum, sicque ad pastores regios se recepit, cum esset unus eorum. Qui cum prædicti annuli paleam ad palmam convertens, ipse quoque omnes videns a nemine videretur, hujus miraculi solers factus, rege Lydorum interfecto cum quibusdam suis principibus, uxore ejus et regno est potitus.*

61. (74.) *Illud quoque*, inquit, *memorabile apud philosophos habetur de Dammone et Pythia, duobus videlicet Pytagoreis, quorum alter a Dionysio Siciliensi tyranno dampnatus sententia capitali, petiit ab eo inducias domum suam disponendi. Tyrannus astutissimus, quod reperiri non posse existimavit, sponsorem qui pro se feriretur, si moram faceret, ab eo requisivit. Ille ut fidem faceret redeundi, vadem mortis suæ socium obtulit constanti animo pro se, si non reverteretur, paratum mori. Ad diem intentatæ mortis proscriptus rediit, cum socius jam decerneret pro socio libentissime mori. Ammiratus tyrannus amicitiam philosophis cariorem esse quam vitam, remissa sententia condictæ mortis, utrumque in amicitiam suam ascivit, quippe quos in tali periculo veros amicos probavit. Idem[75] vero tyrannus licet multos punisset injuste, unum tamen laudatur omnino juste punisse. Quidam enim ærarius perpendens cum delectari cruciatibus hominum, existimavit illi deservire ad placitum, si furori ejus adinveniret alicujus novitatis tormentum. Formavit ergo et fudit bovem æneum, eumque tyranno præsentavit quasi cujusdam jucunditatis spectaculum. Qui requisitus ab eo, ad quos usus talem machinam excogitasset, respondit artifex, illo intromittendos si quos cruciandos destinaret, accensoque desubtus rogo, mugitus illi quasi bovis per os ejusdem machinæ reddituros. Ad hæc tyrannus : « Id ipsum, inquit, per te primum volo experiri, justumque michi videtur, ut prior patiaris quod aliis præparasti. » — Deos quoque suos adeo irrisit, ut probaret eos magis contemptui quam esse alicujus venerationis; nam ingressus templum Jovis, amictum aureum quo simulacrum ejus velabatur jussit detrahi, et pro eo laneum reponi, cavillatus aureum in hyeme frigidum, in æstate onerosum.* (Cic., *N. D.* III, 34.) *Æsculapio etiam auream barbam velli præcepit, dicens inconveniens esse filium barbatum videri, cujus pater Apollo utpote quotidie renascens habebatur imberbis. Simulacris quoque tenentibus aureas pateras ademit, protestatus ab hominibus non debere despici quod illis offerebatur a Diis;* (Cic., *Tusc.* V, 21.) *aurum videlicet si malum esset, habere Deos non debere, si vero bonum, illis potius convenire qui illo uti scirent. Idem cum a quodam philosopho beatificaretur eo quod ad nutum ejus suppeteret sibi tantæ potestatis usus, eum ad convescendum eodem die invitavit, et præter consuetudinem exquisitis divitiis convivium agendum instituit, in quo philosopho secum discumbenti nudatum gladium tenui filo super caput suspendi jussit. Philosophus videns gladium impendentem sibi exhorruit convivium, et imminente sibi periculo hujusmodi, gratiam convescendi tyranno qui se invitaverat omnino excusavit. Ad hæc tyrannus : « Talis, inquit, securitatis est michi beatitudo, cujus me esse falso prædicasti, cum vel rota fortunæ modo summa convolvat[76] infimis, vel ipsa mors omnibus imminens nulli parcere velit. »* (Val. Max., III, 3. *Ext.* 1.) *Legitur, Alexandro sacrificante, puerum qui ei ignem accendebat carbonem unum in brachio excepisse, adustoque corpore immobilem permansisse, nec dolorem vel gemitum signo aliquo vel motu prodidisse. Tanta fuit in puero reverentia disciplinæ, ut religio vinceret sensum naturæ. Diogenes Cynicus in dolio recumbebat, quod quasi ad habitandum sibi sufficiens prætorii nomine honorabat. Egerat vero ut idem dolium cum sole verteretur, ejusque conversione vitabat refrigerandus solem in æstate, et eum calefiendus captabat in hyeme.* (Cf. *ib.*, IV, 3. *Ext.* 4. Cic., *Tusc.* V, 32.) *Quem cum præteriens Alexander Magnus præter optimatum suorum extimationem inclinata majestate regia reviseret, adstitit Diogeni in prætorio suo captanti hyemalem solem. Quo salutato officiosissime : « Interim, inquit Diogenes, dum loqueris ne obstes michi a sole, neque submoveas michi ministrantem calorem, quem ipse non potes dare. » Ad hæc Alexander se a philosopho parvipensum subridens, et conversus ad principes sibi obsequentes : « Videte, inquit, beluam quæ totum mundum habet sub pedibus, quem nos tanto labore quærimus. » Cui cum regio munere vestes pæne nudo proferret, abjecit eas Diogenes, asserens natum cum divitiis cui quod habet suffidit.* (Macrob. *Sat.* I, 11.) *Hic a barbaris ex*

VARIÆ LECTIONES.

[74] *vel* supra *vel* ætate prætextata *scribendum est.*
[75] *Narrationes sequentes ad fidem cod.* 1*. *damus.*
[76] *ita correxi;* convolat 1*,

libertate in servitutem venum ierat; quem cum emere vellet Xeniades Chorintius, et quid artificii nosset percunctaretur : « Novi, inquit Diogenes, hominibus liberis imperare. » Miratus Xeniades responsum ejus, emptum emisit manu, filiosque suos ei tradens : « Accipe, inquit, liberos meos quibus imperes. » — Idem (139) *Alexander cum ad Brachmanas pertransiens eandem gentem longe ante didicisset adeo cohiberi naturali lege, ut publice philosophantes studio virtutum vitia nescirent, et maxime impudicitiam et cupiditatem, præsentavit se satis reverenter Dydimo principi ejusdem provinciæ. Quem Dydimus regaliter excipiens admonuit, ut futura die interesset auditorio cujusdam inter duos vicinos justitiæ. Locato in crastinum judicio, sedit cum Dydimo Alexander cum frequentia populari, affuerunt et duo vicini, quorum causa erat ejusmodi. Alter alteri agrum vendiderat, quem dum emptor excoleret, in eo thesaurum invenerat. Mox ad venditorem agri recurrens, hortabatur ut thesaurum suum reciperet, cum nichil sibi præter agrum vendidisset. Venditor econtra causabatur illum jam non suum esse thesaurum, quia vendito agro eliminaverat a se etiam agri proventum. Alexander miratus liberam totius cupiditatis contentionem : « Hujusmodi, inquit, nulla esset in regno meo agenda disceptatio, quia omne inventum publici juris vindicaret violenter exactio. » Ad hæc Dydimus interrogavit eum, utrum terrum natura communes ibidem proferret copias? Respondente Alexandro : « Etiam copiosissimas, » subintulit Dydimus : « Hæc quidem dona creatoris licet alendis ibi provenirent creaturis, scirent profecto homines tantæ injustitiæ et cupiditatis illa non suis modo debita meritis, sed in eadem terra subsistentibus vel volatilibus vel bestiis [77]. »*

62. *Hannibal Carthaginensis apud regem Antiochum profugus, facetissime cavillatus est.* (*Ib.* II, 2.) *Ejusmodi cavillatio sic est. Ostentabat Antiochus in campo ingentes copias, quas bellum populo Romano facturus comparaverat. Convertebat exercitum insignibus argenteis et aureis florentem, inducebat currus cum falcibus et elephantos cum turribus, equos cum miris frenis et ephipiis, cum monilibus et phaleris. Rex tanto exercitu tamque ornato elatus, Hannibalem [78] compellens : « Putasne, inquit, satis esse Romanis hæc omnia? » Tunc Pœnus eludens ignaviam imbellium militum pretiumque armorum : « Plane, ille inquit, satis esse hæc credo Romanis, etsi sint avarissimi. » Et hoc satis non solum lepide, sed et acerbe dictum. Rex de numero exercitus et de æquiparatione quæsierat, ille respondit de præda. —* (*Ib.*, c. 3.) *In Cæsarem quoque mordacitas Ciceronis hoc modo dentem strinxit. Nam post victoriam Cæsaris interrogatus, cur in electione partis errasset, respondit : « Præcinctura ejus me decepit : » jocatus in Cæsarem qui ita toga præcingebatur, ut trahendo laciniam incedendo velut mollis videretur. De quo Sylla providus dixit Pompeio, cavendum a puero illo.* (*Ib.*, II, 3.) *Idem Cicero cum apud Damasippum cœnaret, et ille mediocri vino apposito diceret : « Bibite Phalernum hoc, est enim annorum quadraginta. » « Bene, inquit ille, ætatem refert [79]. » Idem cum generum suum exiguæ staturæ hominem longo gladio accinctum vidisset : « Quis, inquit, generum meum alligavit ad gladium? » Sed neque fratri suo in mordacitate pepercit. Erat et ipse parvæ staturæ; cujus imaginem cum vidisset clypeatam ingentibus lineamentis usque ad pectus : « Frater, inquit, meus dimidius major est quam totus. » In consulatu quoque Vaticinii [80] quem paucis diebus gessit, hoc modo risit : « Magnum, inquit, ostentatum [81] accidit in anno Vaticinii, in quo nec bruma nec ver nec æstas nec autumnus fuit. » —* (*Ib.*, c. 4.) *Audivit Cæsar Augustus inter pueros quos Herodes a bimatu et infra jusserat occidere, suum quoque filium interisse, et dixit : « Mallem Herodis esse porcus quam filius. » Idem Cæsar sublimis Actiaca victoria revertebatur; occurrit ei inter gratulantes quidam corvum tenens quem instituebat dicere : « Ave, Cæsar victor imperator. » Miratus Cæsar officiosam avem, viginti milibus nummis emit. Socius opificis, ad quem nichil ex illa liberalitate pervenerat [82], affirmavit Cæsari illum et alium habere, quem ut afferre cogeretur rogavit; allatus corvus verba quæ didicerat expressit : « Ave, victor imperator Anthoni. » Nihil Cæsar exasperatus satis duxit [83] jubere illum dividere donativum cum contubernali. Salutatus similiter a psittaco, emi eum jussit. Idem miratus in pica, hanc quoque redemit. Exemplum hoc pauperem sutorem sollicitavit, ut corvum institueret ad parem salutationem; qui impensa exhaustus, sæpe ad avem non respondentem dicere solebat : « Opera et impensa periit. » Aliquando tamen corvus cœpit dicere dictatam salutationem. Hac audita transiit Augustus, respondens : « Salutatorum talium satis domi habeo. » Superfuit corvo memoria, ut et illa quibus dominum querentem solebat audire subtexeret : « Opera et impensa periit. » Ad quod Cæsar risit, emique avem jussit, quanti nullam adhuc emerat. — Solebat descendenti a palatio Cæsari aliquod honorificum epigramma porrigere Græculus; id cum frustra sæpe fecisset, rursus cum idem facturum vidisset Augustus, breve sua manu in charta exaravit Græcum epigramma, pergentique deinde ad se in obviam misit Græculo. Ille legendo laudare et mirari*

VARIÆ LECTIONES.

[77] *Posthæc in* 1. *sequitur caput nostrum* 63, *deinde c.* 62, *sine ullo ordinis mutandi signo. Quod quum aperte repugnet intentioni auctoris, censuimus mutandum. Auctor enim quæcumque occasione sermonum Lamberti ejusdem generis in mentem ipsi venerunt, hoc loco in membranam conjecisse videtur, vel potius in scedula assuta postmodum supplevisse; quam scedulam librarius in* 1. *inepto loco inseruit post c.* 65. [78] Hannibal 1*. [79] fert *Macr.* [80] Vaticum i*. Vatinii *Macr.* [81] ostentum *M.* [82] provenerat 1*. [83] dixit 1*.

NOTÆ

(139) Hoc unde hauserit nescio, etsi olim me ea legisse memini.

tam voce quam vultu; cumque Cæsar accessisset ad A *sellam, Græculus demissa manu in pauperem fundam paucos denarios protulit quos principi daret, dicens: « Non secundum factum tuum* (140), *Auguste, quia si plus haberem, plus darem. » Secuto omnium risu, dispensatorem Cæsar vocavit, et sestertia centum milia Græculo numerari jussit. — Veteranus quidam cum die indicto sibi respondendi juris periclitaretur, accessit in publico ad Cæsarem, rogavitque ut sibi adesset. Ille advocatum quem ex comitatu suo eligendum putaverat, sine mora dedit, commendavitque ei litigatorem. Exclamavit ingenti* [84] *voce veteranus: « At non ego, Cæsar, te periclitante in Actiaco bello vicarium quæsivi, sed pro te pugnavi; » detexitque impressas cicatrices, et erubuit Cæsar, venitque in advocationem, ut qui verebatur non tantum superbus sed etiam ingratus videri; in maxima enim potentia minima* [85] *debet esse licentia, quia quod apud minores reputatur pro negligentia, apud potentes habetur pro superbia. —* (Macr., II, 7.) *Laberium quendam asperæ libertatis Romanum militem Cæsar quingentis milibus invitavit ut prodiret in scenam* [86] *et ageret mimos* [87] *quos contra alios scriptitando devotabat* [88]. *Sed potestas non solum si invitet, sed etiam si supplicet, cogit; unde et Laberius a Cæsare se coactum testatus* [89] *sic respondit: « Necessitas cujus cursus transversi impetum voluerunt multi effugere, pauci potuerunt. Quem nulla ambitio, nulla unquam largitio movere potuit in juventa de statu* [90] *viri excellentis, mente demente concita bis trigenis annis actis sine nota hodie fortuna immoderata in bono atque malo floris cacumen nostræ famæ frangere, et satisfacere populo non me deicit. Ita me vetustas annorum ut hedera serpens vires arboreas necat. » In ipsa autem actione subinde quo poterat habitu velut flagris cæsus præripientique se* [91] *similis exclamabat super inducto sibi quodam juvene Syro nomine Publio: « Porro, Quirites, inquit, libertatem perdimus, » et paulo post protenso digito ante Cæsarem discurrens adiciebat: « Necesse est multos timeat quem multi timent. » Quo dicto universi oculos et ora ad solum Cæsarem convertunt, notantes impotentiam ejus hac dicacitate lapidatam. Cæsar tamen furorem in publicum vertit favorem, palmam Publio et annulum aureum donans Laberio. Tunc Publius ad Laberium recedentem ait :* D *« Quicum* [92] *contendisti scriptor, hunc spectator subleva. » Sed Laberius novo mimo hos versus subjecit :*

« Non possunt primi esse omnes omni tempore.
Summum ad gradum cum claritatis veneris,
Consistes ægre, et citius quam descendas decides
Cecidi ego, cadet qui sequitur, laus est publica.
Beneficium dando accipit qui digno dedit.
Feras, non culpes, mutari [93] *quod non potest.*
Cui plus licet quam par est, plus vult quam licet.
Comes facundus in via pro vehiculo est.
Frugalitas miseria est rumoris boni.
Heredis [94] *fletus sub persona risus est.*
Furor fit læsa sæpius patientia.
Improbe
Neptunum accusat qui iterum [95] *naufragium facit.*
Nimium altercando veritas amittitur.
Pars beneficii est quod petitur si cito neges.
Ita amicum habeas posse ut fieri inimicum hunc putes.
Veterem ferendo injuriam invites novam.
Nunquam periculum sine periculo vincitur.
Nihil magis duci convenire quam de omnibus cogitare. »

B

33. (75.) Hiis et hujusmodi salibus abbas jam pronior ad gratiam factus, requisivit secretius quæ fuerit causa eorum ad se adventus. At illi aperuerunt quod habebant in mandatis consilium episcopi et ducis, expostulationem quoque ecclesiæ beati Huberti pro mutuanda sibi ecclesia Caviniacensi. Requirente vero abbate quam vicissitudinem hujus mutationis conferrent, responderunt illi ecclesiam videlicet Melsinensem (141) cum uno manso terræ in confinio Vilantiæ, quæ pro situ positionis erat commodior ecclesiæ Prumiensi (142), sicut et Caviniacensis foret utilior ecclesiæ beati Huberti. Quæstionis hujus negotium cum retulisset abbas ad audientiam et consilium fratrum, communi eorum C sententia decrevit quod quærebatur concedendum. Ut ergo rei diffinitione legatio rata constaret, condicta est dies qua utriusque ecclesiæ abbates cum advocatis suis ad eam determinandam et confirmandam convenirent. Statuta die dux Godefridus cum Theoderico abbate Prumiam venit, et evocatus ab abbate Wulframno comes Bertoldus (143) adfuit; sicque in publica præsentia, et communi consensu fratrum, multorum quoque regni optimatum cum prædictis principibus collectorum, traducta [96] et manumissa sed et adstipulata est legaliter per manus abbatum et advocatorum conditio inter utramque ecclesiam prædictæ commutationis, anno 1083.

64. (76.) Rogerus Maceriensis, vivente adhuc domno Theoderico abbate majore, consensu filii sui Godefridi donaverat beato Huberto quicquid habebat in Chevugio pro habenda apud eum sepultura animæquæ suæ consequendo remedio. Post quadriennium hujus donationis, Rogero jam

VARIÆ LECTIONES.

[84] *verbum hoc e Macrobio supplevi.* [85] nimia 1*. [86] proderet niscenam 1*. [87] nummos 1*. [88] *ita* 1*. [89] *addidi ex Macrobio.* [90] *quæ sequuntur admodum corrupta sunt.* [91] *supplevi e Macrobio.* [92] Qui 2. [93] non m. 1*. [94] Heroclis 1*. [95] verum 1*. [96] *an* tradita?

NOTÆ.

(140) Græca Macrobii non bene vertit; ibi enim agitur: Νὴ τὴν σὴν τύχην.

(141) *Maissin.* R.

(142) Vilantia enim, quæ tribus fere millibus a S. Huberto distat, Prumiensibus parebat; v. infra c. 99.

(143) De Ham, ad fl. Prumiam, advocatus Eccl. Prumiensis; v. Hontheim Hist. Trev. I, 479. Sed in temporis designatione mendum latere oportet, nisi hæc sub Theoderico I acta fuisse dicas, quod probat a. 1083, lin. 55, cum Theodericus I anno demum 1087 mortuus sit.

defuncto et ut petierat ibidem sepulto, Rodulfus abbas Mosomensis (144) suggessit Raginoldo [97] Remorum pontifici, eumdem Rogerum prædictam elemosinam [98] promisisse olim ecclesiæ Mosomensi, ejusque convenire justiciæ et honori ut promissam attraheret abbatiæ sui juris. Credidit pontifex abbati, et quicquid in territorio Remensi suum erat ecclesiæ beati Huberti, ei violenter interdixit, nisi sibi recognosceret quod reclamabat ecclesia Mosomensis. Tali compulsus necessitate abbas ad archiepiscopum venit, assumptoque Lamberto priore ab ecclesia sancti Remigii, ab eo requisivit, cur sua beato Huberto sic interdixit. Reginoldus ut erat tenax cœptæ semel sententiæ, et maxime in quibus videbatur sibi super posse, tum etiam quia parum contra avaritiam consuluerat, in quibuscumque aliquod commodum sperabat, hujus disceptationis judicium decrevit referendum ad concilium episcoporum quod in proximo præfixerat Suessionis civitate agendum. Abbas ad concilium venit, deducens secum Godefridum filium prædicti Rogeri, paratum sibi disrationare legaliter elemosinam patris sui. Et cum inter cetera res quoque abbatis ventilaretur in concilio, hæc inde sententia publice determinata est episcoporum judicio. De altaribus Remensis ecclesiæ quæ acquisierat ecclesia beati Huberti, Remorum pontificem posse licenter implacitare abbatem; de fundis vero abbatiæ non ei quicquam [99] respondendum, nisi in audientia Leodiensis ecclesiæ, ad quam eadem abbatia pertineret, cum ex decreto canonum constet nemini licere in alienam messem manum mittere. Sic res abbatis absoluta est judicio episcoporum. Bene autem conscius infensum sibi Raginoldum, eo quod unde [100] sperabat nullum sibi proveniret commodum, adeo eum complacavit [101] convenientibus exeniis, ut altare de Bedols, firmato, privilegio et exclusa in perpetuum persona, optineret donatum ecclesiæ Pirensi (145) (*an.* 1087).

65. (77.) Rogerus quoque Porcensium comes ante ipsum Porcense castrum (146) trans fluvium Axonam ecclesiam in honore beati Thietboldi ædificare cœperat, ibique deputatis quibusdam rerum suarum possessionibus, quæ in privilegio ejusdem ecclesiæ renumerantur, cœnobium alicujus magni nominis, ut erat magnanimus, extruere meditabatur. Sed a suis proditus, et in captione dehonestatus, cum se non posse prosequi quod nimis distulerat videret, tedio quoque nimio affectus dehonestationis suæ, filiam suam Sibillam Godefrido filio Alberti comitis Namucensis uxorem dedit, ipsumque Porcensem comitatum cum omnibus quæ erant sui juris, patri et filio maxima pretii summa ab eis accepta vendidit; quorum consensu unanimi et dono legali cellam prædictam beati Tietboldi Theodericus abbas ecclesiæ beati Huberti et beati Petri perpetuo habendam optinuit, suosque monachos ibi constituit, firmato inde publice privilegio in archivo pontificali ecclesiæ Remensis, recognoscente illud et signante archiepiscopo Raginoldo cum clericis beatæ Mariæ semper virginis (147).

66. (78.) Cellam etiam Cunensem (148), quæ est in honore beati Michaelis archangeli, cum omnibus appenditiis suis, scilicet denominatis in privilegio ejusdem ecclesiæ, subjectis illi ecclesiis, decimis, familia, terris cultis et incultis, pratis, silvis, vineis, aquis, molendinis, piscaturis, furnis, legali Galteri et fratris ejus Dodonis dono et uxoris ejus Hawidis filiæ Arnulfi comitis (149) ecclesiæ beati Petri et beati Huberti perpetuo habendam acquisivit. Ubi consensu Engelberti Trevirensis archiepiscopi locatis monachis Robertum monachum optimæ habitudinis, olim autem clericum majoris ecclesiæ Virdunensis, præpositum constituit; cujus industria eumdem locum possessionibus et ædificiis ampliavit.

67. (79.) Boso, abbas sancti Agerici, vir admodum optimæ religionis, morabatur Jupiliæ cum episcopo suo Theoderico Virdunensi (150). Ibi infirmatus, cum se præsentiret moriturum omnimodis precibus exegit a suis, ad sanctum Hubertum se referendum ibique sepeliendum. Prosequentibus autem quibusdam nobilioribus castri Hoiensis — fuerat enim inde bene natus, nepos videlicet Bosonis archidiaconi longe supra memorati — sepultus est in ecclesia honorifice ad dextram altaris beati protomartyris Stephani, deserviente ejus exequiis qui tunc morabatur ibidem domno Henrico pontifice Leodiensi. Ex ejus parentum jure hereditario provenerunt huic ecclesiæ duæ mansiones viginti librarum in Hoiensi foro.

68. (80.) Henricus episcopus ut erat vir tuendæ virtutis, Obertum quemdam præpositum ecclesiæ sanctæ Crucis criminibus convictum de civitate decreverat omnimodo [102] exturbandum. Ille vero propiens se ad Berengerum abbatem sancti Laurentii venit, et apud eum tam diu latuit, donec eo suffragante in gratiam episcopi rediit. Sed non multo post collectis rebus suis, Henricum regem adiit, qui a Gregorio papa per decennium excommunicatus, qui-

VARIÆ LECTIONES.

[97] Raginoldi 1. [98] *abhinc duo folia desunt in* 1. *sed contulimus* 1*. [99] cuiquam 1*; *an* esse cuiquam? [100] inde sp. n. s. provenire 1*. [101] placavit c. xeniis 1*. [102] omnino 1*.

NOTÆ.

(144) a. 1087—1106. secundum Annales Mosom., SS. III, p. 162.

(145) jam anno 1087, vide supra. Etsi vix credi potest hæc intra tam breve temporis spatium evenisse.

(146) *Porcien.* R.

(147) a. 1087, indict. x, anno Philippi 28. Edidit Mabillon Ann. Bened. V, 662.

(148) *Cons* sur la Chière près de Lenguyon. R.

(149) Chisniacensis.

(150) Qui obiit a. 1088, Apr. 28.

bus poterat expeditionibus Romanam ecclesiam persequebatur. Obsessa enim et capta Urbe Gregorium papam fugaverat, eoque superstite Guibertum Ravennatem loco ejus substituerat, qui et ipse jam diu excommunicatus sedem apostolicam temerarius invadere præsumpserat. Decedente autem Gregorio apud Beneventum, cardinales Romanæ ecclesiæ Odonem Hostiensem episcopum, civibus religiosioribus consentientibus, pro eo in sede apostolica substituerunt (151), quem olim Remensem clericum et postea Cluniacensem monachum Urbanum papam censeri judicaverunt. Sic sacerdotio et regno dissidente, licet generaliter in mundo sancta ecclesia periclitaretur, specialius tamen Henrico insistente vexabatur, dum pontifices postposita justitia sibi faventes, vel Urbano subtraherent [103] vel Guiberto attraherent [103]. Sub tali dissentione ecclesiastica languente justitia, præter cetera virtutum dispendia, simoniaca hæresis passim invaluerat, dum modo quos excommunicabat Urbanus Guibertus absolveret, et Guiberti desertores Urbanus colligeret. Interea adhuc superstite Henrico pontifice, Obertus morabatur cum principe, et honoratum secum delatis muneribus, prout poterat, ambiebat obsequiis et favoribus alicujus honoris ab eo abstrahendi optentis.

69. (81.) Anno autem Verbi incarnati 1091 (*Mai.* 31.), suæ vero ordinationis 16, dominus Henricus hominem exuit; in dampnum gloriæ Leodiensis et maximo dispendio nostræ quam specialius colebat solitudinis. Cujus vix audita Obertus morte, sine electione ecclesiastica de manu regis episcopatum extorsit, cum maximis pactis præmiis, tamen etiam fidelitatem illi faciens interpositione jurisjurandi [104].

70. (82.) Contulerant se ad eumdem principem duo quondam pseudoabbates, Guolbodo sancti Laurentii et Leupo sancti Trudonis, quos convictos et excommunicatos, criminibus probatis, dominus Henricus ab episcopio Leodiensi expulerat [105]. Hii audita ejus morte adducti in spem recuperandi honoris, et ipsi pacti sunt pecuniam principi. Obertus quoque restitutionem eorum ad gratiam ejus juravit, illos quoque secum Leodium deduxit (*an.* 1091, *Dec*). Dissimulavit tamen interim quæ intenderet agere, donec consecratus Coloniæ (*an.* 1092, *Feb.* 1) fidentior esset in malignitatis exercendæ [106]. In eadem autem die reversionis suæ mandavit Berengero abbati, ut sine dilatione ab ecclesia sancti Laurentii discederet, et Guolbodoni abbatiam libere habendam relinqueret. Berengerus ne irrationabiliter culparetur abjecisse ecclesiam quam legaliter susceperat regendam, in crastinum Oberto se præsentavit, causatus publice coram melioribus civitatis, nimis injuste se prægravari, sine judicio justitiam violenter opprimi, divinam quidem vel dispositionem vel permissionem placere sibi, velle tamen ab eis censeri, si sic mereretur tractari. Succlamantibus quibusque et hoc nimis injuriosum esse, nec tale quid illum pati debere, respondit Obertus id ipsum se bene recognoscere, sed præceptum domini sui non esse prætereundum sibi, quod sive justum sive injustum illi juraverat exequendum. Ad hæc Berengerus constantior: *Sine magno dolore*, inquit, *relinquitur, quod non cum magno amore possidetur*. Sic digrediens tulit secum baculum quem tenebat pastoralem, attestantibus quibusque, ipso quoque Oberto, hunc illi juste convenire; et assumptis secum fratribus quos placuit sibi, secessit ad ecclesiam beati Huberti, quam plane recognoscebat matrem conversionis et professionis suæ. Ibi gratanter exceptus, cum illatam non solum sibi injuriam referret, sed etiam publicas exordinationes, quas Obertus temere exercebat, cum Theoderico abbate et fratribus conferret—scilicet quod de manu excommunicati sine legitima electione et pacta pecunia episcopatum arripuisset, quod se sic ejecto et Guolbodoni depósito justitiam prodidisset, quod abbatiam Florinensem Gisleberto Hasteriensi (152) præposito et Broniensem cuidam Guiremundo sancti Jacobi monacho taxato publice pretio vendidisset, quod hactenus liberam et gloriosam sanctæ Mariæ sanctique Lamberti ecclesiam sic infecisset—tantam adversus Obertum suscitavit eorum indignationem, ut communi consensu quasi excommunicato probabiliter non amodo communicandum censerent. Ad hæc Berengerus timens eidem ecclesiæ pro periculo temporis, ipsius etiam abbatis retractans simplicitatem insufficientem huic tantæ defensioni, subjunxit neminem inquinari, nisi ex consensu mentis; se quidem violenter expulsum, et ideo alias sibi secedendum: ipsi cum pace loco suo persisterent, neque inimicitias temere aliquas in se suscitarent, cum ad hoc nemo eos adhuc impelleret; caverent omnino ne inconsultius tale quid inciperent, quod quandoque eis incepisse pœniteret, respondit abbas se quoque sui et suorum esse sollicitum, malle se Obertum offendere quam Deum; si quis esset Domini, perseveraret ei vel in loco persistens vel de loco secum exiens. Firmata ergo communiter hujusmodi sententia, Theodericus assumpto secum Berengero secessit in Franciam, et cum Raginaldum Remorum pontificem de eventu rerum consulendum expeterent, ille privatim Ambianensem pontificem Iheruinum præmittens, mandavit venientibus ne se ei præsentarent, quia nullo modo vel in verbo vel in osculo eis communicaret, nisi culpam suam fatentes præmissus ad eos

VARIÆ LECTIONES.

[103] *ita* 1*; subtraheret *et* attraheret *ed.* [104] *hinc* 1. *pergit.* [105] *deest* 1. [106] *iterum verbum deesse videtur.*

NOTÆ.

(151) scil. post Victorem III.

(152) *Hastière*. R.

episcopus a Wibertina hæresi et Oberti communione absolveret. Illi per talem invectionem cum jam certiores fierent sententiæ suæ, absoluti per Iheruinum, excepti sunt venerabiliter a Raginaldo pontifice ; a quo consolati et confirmati, ut persisterent tuendæ veritati, diverterunt ad cellam Eberneicortis. Hanc Theodericus Berengero accommodavit, ut ibidem remaneret cum suis, donec per accessum temporis expectarēt finem rei, sicque Cumensem cellam moraturus ibi expetiit. Interea Berengerus criminationibus [107] infamare, vitæ et moribus ejus derogare, tam male se ab eo tractatum continuis querimoniis deplorare, non cum ex pontificatu honoratum, sed pontificatum ex eo dehonestatum declamare. Nec latuit Obertum hæc illorum sententia, et suæ publicæ criminationis infamia, quam licet dissimulatam sua sibi etiam attestabatur conscientia. Decrevit igitur se vindicare, sed ne id videretur inconsulte fecisse, evocavit consulendos, quos sibi vel præmiis vel promissionibus effecerat fideliores amicos. Convenerunt etiam quos ordinaverat et restituerat abbates, scilicet Guolbodo sancti Laurentii, Leupo sancti Trudonis, Gislebertus Florinensis, Guarmundus Broniensis, Theodericum abbatem condempnare parati, cum ipsi dampnabiles ex decreto canonum, nullam haberent auctoritatem judicandi. Ne tamen soli viderentur præcipitasse sententiam alicujus temeritatis, habito consilio cum archidiaconis, decreverunt legitimis evocationibus abbatem prosequendum, et nisi infra terminos earum se repræsentaret ad episcopale judicium, illum juste excommunicandum, aut omnino deponendum. Interim Obertus furere, et in abbatem indignari, et unde illi tanta constantia contra Leodiensem episcopum demirari, eiciendos ex loco monachos et militibus suis abbatiam dispertiendam minari. Missi sunt ab eo ad monasterium Godiscalcus abbas Hasteriensis et Guarmundus Broniensis, ut fratribus hoc periculum enuntiarent, et sic a sententia revellerent, et errori suo hujus timoris impulsu inclinarent. Fratribus constanter persistentibus, et illis communicare vel in respondendo nolentibus, populares quique, audita hujusmodi comminatione, abbatem et monachos querebantur insanire, in confusionem abbatiæ novis et inauditis deliramentis ab episcopo Leodiensi dissentire, eos pœnas hujus dissensionis luituros, nec se amplius vel ecclesiæ vel illis deserviturosque, nisi hujus novitatis utrimque sopiretur contentio. Abbas tot infestationibus et questibus permotus, cum ab omnibus quasi fugitivus argueretur, decrevit se obiciendum periculo, et præter spem omnium venit Leodium, Dei confisus auxilio. Miratus advenisse, repræsentavit se auditorio adversariorum condicta die. Igitur personata quæstione in vice Oberti, culpatus est abbas Theodericus criminibus denominatis, videlicet papam Urbanum et Raginaldum Remorum pontificem in consiliis suis adhibuisse [108], imperatorem dominum suum et se ejus episcopum suo instinctu excommunicasse, et per hoc excommunicatum eum probare, quod se suosque ab ejus subtraheret communione; itemque fratres suos ab ordinibus ejus prohibuisse. Insuper Berengerum publicum præconem suæ infamiæ ad ejus injuriam retinuisse.

Abbas accepto loco consulendi sibi, cum advocasset quos noverat sanioris consilii, de criminibus objectis bona conscientia pro se satisfacturus respondit, videlicet nec imperatorem nec episcopum excommunicandos quæsisse ullo modo, nec excommunicatos se velle probare. Fratres suos ab ordinibus ejus se prohibuisse, quia ordinati sufficerent officiis ecclesiæ. Berengerum abbatem post tantum præjudicium et violentiam ad matrem suam ecclesiam confugientem non se debuisse abicere, præsertim cum præcipiat apostolus necessitatibus sanctorum communicare. Judicio eorum se paratum committere, si quid in hiis omnibus videretur alicui peccasse. Relatis per Henricum archidiaconum excusationibus singulis, cum obiceretur abbati quomodo fidem faceret dictis, habito iterum consilio, ad hoc usque ventilata est sententia hujusmodi judicii, ut quia monachicus ordo erat vocationis apostolicæ, ex evangelica auctoritate sufficeret excusando abbati *Est* et *Nōn* (*Matth.* v, 37) dixisse, interdicente Domino omnino non jurare, et si quid abundantius esset hiis, a malo esse. Indignatus Obertus post tot sui ipsius contumelias, post tot suæ animositatis minas provenisse abbati tam facilem evadendi viam, mandavit ei, gratiam episcopi Leodiensis semper esse necessariam abbati sancti Huberti, elaboraret eam sibi ad præsens maximis exeniis acquirere, cum necdum quicquam servitii videretur fecisse. Ad hæc abbas sibi bene conscius et longe alterius gloriæ cupidus respondit, Leodiensi episcopo non defuturum servitium abbatiæ; sub hac dissentione extenuatas res ecclesiæ nec sibi nec fratribus vel ad usum vivendi eas sufficere. Inde cum tandem post multas fatigationes dimissus ad monasterium redisset, gravissimum a fratribus pertulit scandalum, existimatus illis communicasse quibus ipsi salva fide destinaverant non communicandum. Sed cum certius probarent id eum non fecisse, decreverunt, ut assumptis de fratribus quos vellet, loco et tempori cederet, et meliora ornamenta ecclesiæ secum eveheret perque remotiores cellas transponeret, ne ea superveniens Obertus violenter diriperet. Respondente abbate nolle se communi periculo deesse, graviora esse mala quæ singulariter timentur quam quæ pariter perferuntur, fratribus quoque subjungentibus, se magis illi timere quam sibi, qui ut privati episcopo nichil deberent, cessit tandem eorum consilio acquiescere, Lambertumque majorem et Wiredum pro defensione fidei se ultro ingerentes secum eduxit. Evectis quoque

VARIÆ LECTIONES.

[107] Obertum *excidisse suspiceris.* [108] *addidit Martene hanc vocem, cum desit in codice.*

secum melioribus ecclesiæ ornamentis ad cellam suam, quæ tutior erat, in Cunensi castro moraturus ibi secessit ; et accepta fide cum obsidibus a Dodone prædicti castri domino de ornamentis reddendis ecclesiæ, quicquid de se eveniret, non multo post assumptis hiis qui secum venerant, et Roberto ipsius cellæ priore, Berengerum abbatem visitare voluit, et veniens urbem Remensem, illum apud sanctum Remigium invenit. Berengerus eum qui se gratia caritatis visitabat exhorruit quasi jam apostatam factum, ne ab eo contaminaretur vitavit. Sic inter utrumque orta dissensione, indignabatur abbas sic sine causa sibi permutatum, quem sperabat unanimem amicum. Discredebat se illi Berengerus credere, quem credebat excommunicatis communicasse, paratus etiam cum suis recedere, si cellam sibi præstitam ille vellet accedere. Sed intercurrente ratione cum probaret abbatem extimationis suæ esse minime, regratiati Eberneicortem discesserunt, ibique fratres graviter scandalizatos de præfatæ communionis calumpnia invenerunt. Quibus cum satisfieret, non sic rem se habere, vix duo eorum satisfactioni huic potuerunt attrahi, Lambertus scilicet et Heribrannus monachi sancti Laurentii, quibus adeo tunc erat exosum nomen Oberti, ut eo audito, vel in colloquio communi, nullo modo se continerent a sputo indignationis. Unus tamen eorum, videlicet Lambertus, non multo post victus cupiditate ambitionis, ordinatus est ab eodem Oberto abbas Florinensis, sed post annum recordatus, a loco eodem privatus recessit. Convenerant ad eamdem cellam tam ex nostris quam ex fratribus sancti Laurentii ad 25 monachos, qui tanta honestate se agebant tamque ordinata religione, ut Raginaldus Remorum pontifex et Helinandus præsul Laudunensium, afflati bonæ opinionis eorum odore, certatim eis vitæ necessaria subministrarent ; abbas quoque Berengerus elaborabat eorum inter quos deveniebat, adeo se conformare moribus, ut in brevi fieret omnium karissimus, et comes Ebalus (155), communis aliorum tyrannus haberetur illi mitis et humanus. Qui eodem tempore, suggerente uxore sua Sibilla, tertiam partem decimæ Eberneicortis ecclesiæ dedit, et pratum quod dicitur Regis legali auctoritate eidem loco habendum perpetuo confirmavit. Manasses etiam præpositus ecclesiæ Remensis tanta cum collegerat affectione, ut sæpius evocatum per biduum aut triduum secum manere compelleret, et ad abbatiam sancti Remigii habendam post abbatem Henricum promovendum destinaret ; quod et post archiepiscopus factus fecisset, nisi ille ad abbatiam suam revocatus Leodium redisset.

71. (83.) Interea Metensis ecclesia viduata Herimanno venerabili pontifice, elegit sibi episcopum ordinandum Burchardum præpositum Treverensis ecclesiæ (154). Qui sine consensu Henrici regis in civitate susceptus, cum a Treverensi pontifice benedici vitaret, eo quod ille Wiberto, ipse vero Urbano consentiret, evocavit ad se consecrandum Hugonem archiepiscopum Lugdunensium et legatum ecclesiæ Romanæ. Hugo ut erat devotus catholicæ fidei, Mediomatricum intrepidus accessit (*an.* 1093, *Mart.*), quinque comitatus episcopis, Constantiensi (155), Madasconensi [109], Lingonensi, Tullensi, Virdunensi, Jeronta quoque abbate Divionensi, qui olim audita desolatione ecclesiæ nostræ, scripserat ei epistolam hanc consolationis suæ *Theoderico abbati de sancto Huberto, viro Dei gratia religione venerando, et toti congregationi sub eodem patre Deo militanti, Jerunta Divionis abbas et sancti Benigni tota congregatio spiritum Moysi in Pharaonem et in omnes servos ejus. Moyses verus Altissimi servus maluit veritatem profiteri et affici cum populo Dei tribulatione, quam mendatio consentiens, filius filiæ Pharaonis appellari. Johannes baptista, cujus dextera sanctissimum caput salvatoris tangere meruit, sic propugnator et amicus veritatis extitit, ut potius eligeret carceris squallorem et capitis obtruncationem, quam in faciem iniqui regis sileret, et nefandis ejus nuptiis legis frenis et justitiæ armatura [110] non obviaret. Johannes evangelista de fonte Salvatoris ebrius et apud diligentem omnes dilectione præcipuus, senilibus membris fomentum balnei noluit adhibere, quoniam inter balneantes hæreticum Cherintum conspexit residere* (156), *credens illi nichil esse publicum, qui perfidia sua se subtraxit a consortio christianorum, docensque nullam habendam communionem cum illis qui per hæresim sese præcidunt a corpore Christi, quique per avaritiam fiunt sagittæ diaboli, dentes in faucibus antichristi, subdola viperarum progenies, organa serpentis antiqui. Cherintus in quo deterior Otberto [111]? Cherintus sola fraude catholicæ fidei nocuit, calliditate perfidiæ suæ quoscumque potuit ad consensum sui erroris attraxit. Otbertus pecuniam dedit ut fieret hæreticus, ut fornax cupiditatis et avaritiæ, templum totius religionis et veritatis ob-*

VARIÆ LECTIONES.

[109] Madasconsi 1. [110] *ita correxi*, legis et i. f. a. *cod.* [111] *modo sic, modo* Obertus 1.

NOTÆ.

(155) Roceiensis.

(154) Hunc binominem fuisse oportet. Herimannus enim mortuus est 1090, Maii 4. Secundum Annales Metenses, SS. III, 158, Popo a. 1090 episcopus factus est. Hic a. 1094 annum episcopatus sui 5 numerabat, scilicet ab electione computatum ; Gallia Chr. XIII, 736. Teste Hugone Flavin. sup. col. 351, clericus Trevirensis fuit, ordinatus in prima hebd. Quadragesimæ per archiep. Lugdunensem et epp. Matiscon. et Lingonensem cum abb. Divionensi. Bernoldus autem a. 1093 refert episcopum catholicum post Herimanni mortem electum per Gebehardum Const. ordinatum esse Mart. 27 in media Quadragesima. Hæc inter se et cum nostro satis bene conveniunt. Popo sedem tenuit usque ad a. 1103. Duos autem ejusdem partis episcopos simul ordinatos esse quis credat ?

(155) Gebehardo, Mat., Landrico, Ling. Roberto, Tull. Pibone, Vird. Richero.

(156) Eusebii Hist. eccl. IV. 14.

rueret, et omni spurcitiæ infectus inquinatione, sancta sanctorum suis maledictionibus, si fas est dici, contaminaret. Ecce verus antichristi satelles, currus sathanæ et fidelis auriga, Simonis magi quædam similitudo vera molitur destruere regnum Christi, dum sanctæ matris ecclesiæ statum persequi non desistit, et in corpus suum trahicere laborat, quos Christus cruore suo redemit et pascit et potat. Tanti capitis mortem exinanire cupit, ovesque tanto sudore Salvatoris inventas leoni, qui semper animarum nostrarum sanguinem sitit, prodere non formidat, immo omnes in oblivionem veritatis et odium religionis secum præcipitare festinat. Ergo quia nunc tempora periculosa quæ prædixit apostolus instant, omnes quod professi sunt esse contendant. Si tuba sathanæ graviter intonat, et temporalium bonorum minatur dispendia, carnis etiam quandoque morituræ admonet pœnas, totum libenter Christi excipiat caritas, ut neque mors, neque vita, neque aliqua creatura terreat nos a defensione veritatis et zelo justitiæ, ut a gremio matris ecclesiæ nequeamus avelli, et a semita Romanæ exorbitare sedis. Quapropter vos, o amici Dei et usque modo veritatis et sanctitatis amatores, locum vestrum, id est fidem catholicam, nolite deserere, in castra Domini lupos cum furore irruentes in quantum potestis exturbate, armati fide et spe cœlestis gloriæ corroborati, omne pro nomine Jesu improperium maximam dignitatem reputate, rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscipite, contumelias et corporum vestrorum cruciatus certissimum peccatorum vestrorum medicamen existimate. Gloria et divitiæ Christus sit in corde vestro. Bonum conscientiæ vestræ testimonium sit vobis indeficiens consolatio; et si aliquantulum pro veritate sustinetis, fidelis est Deus qui non patietur vos temptari supra id quod potestis; sed veniens veniet et non tardabit, facietque proventum ut sustinere possitis. Si vero molas leonum quas Dominus in ira sua confringet timetis, ne vos devorent et simplicitatis vestræ cursum aliquo modo perturbent, sancti Benigni domus fugam filiorum ecclesiæ in Christi gratia benigne suscipiet, et paupertatulam nostram voluntati vestræ non dicam dare, sed quasi vestra [112] vobis reddere vel ministrare sumus parati. Quapropter, fratres karissimi, virilem animum in causa Dei tenete, et a veritate, quæ Christus est, ne excidatis omnino satagite. Valete. In exitu Israel de Ægypto sanctificata est per Dominum vera confessio. Huic conventui prædictæ benedictionis die statuta abbas Theodericus studuit interesse, abbate Berengero, Lamberto, Wiredo, Roberto comitatus, pro se suisque legatum ecclesiæ Romanæ interpellaturus. Cujus causam cum suggerentibus prædicto Jerunta abbate Divionensi et Radulfo abbate Virdunensi (157), dominus Hugo Romanæ ecclesiæ legatus approbasset, et in conventu episcoporum relatam laudaret, eam auctoritate sua ex firmis firmioribus reddidit, beatificans ecclesiam cujus erant tales filii, qui, deficientibus aliis, persisterent catholicæ et apostolicæ fidei; et promittens eis auxilium Romanæ ecclesiæ et suæ legationis, ne Oberto subessent vel communicarent omnino interdixit.

72. (86.) Otbertus amaricatus relatione gestorum, ut solebat exarsit in ira, et sæpius complosis manibus, se ipsum arguebat, vel quia semel a se compulso abbate non extorsisset licentiam nocendi partibus suis, exacta fide sibi in nullo dissentiendi, vel quod se adhuc continuisset, non confundisse penitus ecclesiam sic sibi rebellem sancti Huberti, fratribus inde violenter expulsis. Nec diu conceptum furorem dissimulare potuit, collectaque manu militari ad monasterium venire disposuit, et hospitatus, Nasaniæ, nuncios adventus sui præmisit ad fratres, ut in crastinum ei honeste procederent, et ut decebat Leodiensem episcopum venientem susciperent; comminatus vindicandum in eos, nisi solito accuratius et sollempnius id agerent. Præmissis apparitoribus et hanc extorquentibus minaciter gloriam, nemo respondit ad gratiam; sed ne conticuisse omnino nimia videretur indignatio, quassa tantum voce Gislebertus prior dixit se et fratres super hiis in commune consulturos, et pro re et tempore quid facere deberent se facturos. In crastinum de negotio tractantibus, licet quibusdam nutaret in occulto fidei tenerrimæ status, in hanc tamen sententiam discessit omnium melior consensus: legitimum abbatem eis præesse, quamvis contingeret eum tunc abesse, eorum communi assensu illum ab episcopo dissentire, sine conscientia ejus non debere eos cuiquam maxime cum periculo fidei consentire; convenire Deo potius quam homini obedire. Erat autem solempnitas Johannis apostoli (*an.* 1093), qua recolitur ante portam Latinam missus a Domitiano cæsare in dolio ferventis olei (*Mai.* 6). Posthabito igitur timore cum fratres ordinem suum exequerentur, et suo tempore jam major missa celebraretur, ecce superveniens Otbertus cum tumultu et ira patentem intravit ecclesiam, et nulla reverentia præmissa orationis, cum furore in superiores cancellos se proripuit, manibusque injectis diacono evangelium legenti librum clausit, et cœptum officium ira dictante intermittendum minaciter edixit. Deinde totius moræ impatiens, arrepta sacerdotali stola ambonem [113] ascendit, et sine ulla retractatione abbatem absentem et eos qui secum exierant nominatim excommunicavit, causatus publice eum meliora ecclesiæ ornamenta quasi sacrilegum subduxisse, vel, quod magis eum gravabat, sibi quasi

VARIÆ LECTIONES.

[112] *ita* 1*. nostra 1. [113] umbonem 1.

NOTÆ.

(157) S. Vitoni.

excommunicato non communicare. Obstupefactis circumstantibus in ammiratione sic effrenatæ immoderationis, cum ad ea quæ videbant scandalizarentur singuli, tum vel maximo pudore afficiebantur qui cum eo venerant nobiles laici et ut quique [114] erant diligentiores illi servandæ fidelitatis; a quo vix optinentes, ut quasi in consilio loqueretur eis, compositis suggestionibus elaborabant eum revocare sibimetipsi, dicentes illum quidem justissime irasci, sed esse injuriosum ab ira sapientem supervinci, mirabile omnibus videri eum clausisse et sic excussisse evangelium Dei, se nec velle nec posse pati officium quod interdixerat amplius interrumpi; in tali negotio non temerarie, sed consulto opus esse, præsertim cum ei subesset potestas cujuscumque vellet, convenientioris tamen vindictæ. Ad hæc Otbertus erubuit præsumpsisse, quod jam sanior nollet fecisse, et publice confessus est se tunc etiam maximam formidinem pertulisse, cum subito respexisset fratres consistentes in choro ordinate, et posthabito omni ejus timore Deo soli reverenter deservire, miratus cum indignatione tot et tales ibidem se offendisse, cum sibi nuntiatum esset perpaucos in loco remansisse. Quibus statim satisfaciens, quod eos inquietasset inconsultus, ut cœptum officium exequerentur humiliter expetiit, et ecclesiam exiit. Ea die copiis secum delatis prandentes plenissime refecit, non ut regratiaretur exasperatis, sed ut leniret exeniis quos non concusserat terroribus intentatis. Præterea per quosdam opportunos partis suæ omnes blanditiis aubire, singulorum animos attemptare, firmiores circumvenire, infirmiores invenire, humilitatem et humanitatem erga eos attentius commmendare, eorumque utilitatibus, si sinerent, se communem fore. Ita per suos attemptatis fratribus in crastinum semetipsum eis præsentavit Otbertus, et quamvis illi assurgere dedignantibus, indignationem tamen suam dissimulare doctus, quasi dolens pro eis, ut sese haberent cœpit percontari, necessitates eorum ac si suas conqueri, paratum se in omnibus consulere illis : tantum sopita omni contentione consentirent sibi, mallent ejus experiri amicitiam quam inimicitiam, pensantes cujus esset periculi talem pessumdare ecclesiam, et ecclesiasticam dissipare familiam. Subclamantibus iis qui cum eo venerant, optime perorasse pontificem, omne os eorum adversum se rationabiliter conclusisse, non expedire eis talem virum in sua culpa perdere, qui remisso auctoritatis pondere non erubescebat humiliter exposcere, quod si vellet poterat violenter cogere : non jam multum aberat quin, ut dicitur, gladio melle lito (158) deficeret jam pæne prostrata in eis veritatis defensio, nisi subvenisset vel solo pudore paulum cunctata consilii ratio. Secedentes namque in partem fratres consulendi gratia, cum aliquamdiu dubitarent an desisterent an persisterent in sententia, tandem placuit omnibus nichil agendum sine abbatis conscientia, quem nullo adhuc legitimi examinis judicio videbant depositum, quemque sciebant nullius criminis objectione juste deponendum; inducias potius ab episcopo expeterent, donec missa legatione abbatem super hiis convenirent, et si possent impetrata immunitate libere veniendi et recedendi secum illum deducerent. Quod cum difficulter optinuissent, et tres ad abbatem fratres destinassent, inter agendum quidam Bulonienses [115] gregariis satellitibus collectis apud Gruispontem, latentibus in silva insidiis vias obsederunt, et duodecim vehicula rapientes, quibus deducebatur episcopale servitium, donec ea dividerentur, in castro quod juxta erat Mervolt concluserunt. Vulgante fama, quæ ut suum est de minimis exaltat maxima, nunciatur Oberto, se cum suis ab inimicis circumventum, hac et illac latere in silvis cuneos hostium, talia neminem ausurum, nisi magnis viribus confisum. Cœpit unusquisque pericula metu suo metiri, alius alium ad fugam hortari; sicque proxima nocte conductis locorum peritis, infecto negotio propter quod venerant, per occultos anfractus Otbertus recessit. Qui vero missi fuerant ad vocandum abbatem, cum præsente Dodone ei rerum ordinem retulissent; consilio ejusdem Dodonis visum est abbati non se ingerendum temere iratæ potestati, cedendum interdum fortunæ et tempori, idque a nullo sapiente imputandum crimini, cum ipse Dominus pro persecutione de civitate in civitatem fugiendum præceperit. Sic interim abbate cessante, cum audiretur Otbertus a loco recessisse, jam securior ipse abbas ad monasterium venire maturavit, et aliquamdiu moratus cum fratribus, in sententiam quam tuebatur eos reposuit, eorumque rebus pro tempore ordinatis, Deo illos committens recessit.

73. (87.) Per idem tempus ad augmentum episcopii quærebat Otbertus emere castrum Coviniacum (159), quod erat comitis Balduini (160) hereditarium. Hujus negotii executores elegit Arnulphum et Wigerum fratres Tudetiani castri (161) nobiliores, qui tanto sibi ad hoc videbantur opportuniores, quanto prædicto comiti ex vicinitate privatiores. Qua functione exacta, cum viderentur Otberto satis deservisse ad gratiam, suggesserunt illi, mercedem

VARIÆ LECTIONES.

[114] *ita* 1*. qui 1. [115] Buloniensis 1.

NOTÆ.

(158) Hieronymum ita dixisse auctor est Erasmus in Adagiis Latinorum; iterum occurrit c. 89.
(159) *Couvin.*
(160) Montensis.
(161) *Thuin.* Wigerus de Tudin est inter testes emptionis actæ 1096, Jun. 14 Leodii, apud Chapeavill. II, 52. Sed hæc prius acta sunt, nam Arnulfum abb. Lob. a. 1094 mortuum esse testantur Ann. Laubienses.

hujus suæ executionis non solum illi paratos remittere, sed et quantum placeret ei de suo addere; tantum daret abbatiam sancti Huberti cuidam fratri eorum Ingobrando, sancti Petri cœnobii Lobiensis monacho. Quæ res cum difficilis videretur Otberto, superstite adhuc abbate legitimo, licet sibi inobedienti et contrario, subintulit præsens ibi comes Arnulphus (162) nepos eorum, si quod pro hoc ipso impedimentum curaret, id sibi curandum relinqueret; felicem fore tali procuratore abbatiam, illam nepoti suo se committente non multo post in pristino statu reformandam. Otbertus ergo cum aliquandiu fatigaretur tot promissionibus et suffragiis, tum vero impelleretur ira et odio Theoderici hoc modo ejiciendi, licet reluctante conscientia ex judicio rationis, consensit tamen operam dare tantæ exordinationi. Mandavit denique Arnulpho Lobiensi abbati, ut ad se quantocius veniret, et monachum suum Ingobrandum secum deduceret. Deductum sibi liberum reddi jussit, eoque præsente ordinavit abbatem ecclesiæ sancti Huberti, nulla præmissa fratrum regulari electione, nullo cognito in eo merito maturitatis et vitæ. Dein missa legatione mandavit fratribus se eorum et utilitatibus et honestati consuluisse, nobilem illis et satis humanum abbatem ordinasse, orare ut gratia sui amoris illum voluntarie susciperent [116], sibique cum eo venturo favore debito procederent. Turbati omnes tam subita rerum permutatione, cum post communem ammirationem ad se singuli redirent, tum denique postposita periculi necessitate cœpit evidenter apparere, quid apud quemque hactenus viguerat virtutis amore, quicquid [117] latuerat simulationis timore; gravabat viros virtutis inimicum humani generis adversum eos sic suum malignasse consilium, suscitabat censores extincti pudoris affectatæ novitatis sic eis provenisse emolumentum. Illis pro pondere et æstimatione rerum vix erat vel cedendi locus, vel consulendi tempus. Alii ne celerius excessisse notarentur a communi sententia, sola reprimebantur verecundia, licet sit difficillima ad se celandum gaudiorum patientia. Tamen collecti in unum, cum quærerent in commune quomodo se præsenti necessitati compararent, licet quorumdam cor a labiis distaret, in hoc tamen omnes visi sunt consensisse, ut vel ad tempus in sententia persistentes consulerent æstimationi suæ et famæ, ut et qui deliberarent deficere, quasi coacti viderentur hoc fecisse.

74. (88.) Interea Otbertus illum suum ordinatum deducens advenit, habens secum Arnulphum Lobiensem abbatem itemque Arnulphum comitem pluresque episcopii nobiliores. Cumque se vix contineret a furore, indignatus neminem sibi ut mandaverat processisse, optimatum suorum suggestu hoc ipsum compulsus est dissimulare, ne videretur exasperare, quibus ignoti hominis personam veniebat ingerere. Evocatis igitur fratribus, indixit eis in unum convenire, se colloquendi gratia velle convenientibus intervenire.

75. (89.) Relicto interim Ingobrando, et assumptis secum quos affectandæ rei noverat idoneos, ad fratres processit, eosque hilari vultu salutans consedit. Et præmissa quæstione quomodo se haberent, quem exitum tot malis suis sperarent, subjunxit paterna sollicitudine, quod suum erat, illis providisse, eorum desolationi patrem idoneum procurasse, eumque illis adduxisse. Illis ad hoc reticentibus, et quasi ex habitu læsæ erga se pietatis vultum in terra declinantibus, ex hiis qui convenerant pro sua quisque potentia cœpit tacentibus succensere: hujusmodi gestum summæ feritatis et immoderatæ dedignationis esse; extremæ videri dementiæ, sic illos velle episcopo Leodiensi obsistere; nimia apud eos patientia illum viluisse, qui tam diu insolentiam eorum sic impune pertulisset; fratribus econtra publice causantibus præter legem se prægravari, satis superque injustum et injuriosum videri abbatem habentibus abbatem superinduci, et hoc ipsum nullius eorum esse cognitionis nulliusque legitimæ electionis. Indignatus est Otbertus se suosque concludi tam evidenti ratione, jamque ordinationem suam irritam esse, nisi contradicentes violentia opprimeret, postposita omni canonica auctoritate. Et ne quid inexpertum relinqueret erga sibi obsistentes, semel et iterum, licet retineretur ab eis, se pedibus eorum temptavit prosternere, ut vel tanta pontificalis dignitatis inclinatione vinceret, quos eotenus potestate probaverat omnino invincibiles. Igitur post multas contentiones, post varias verborum objectiones et rejectiones, exurgens de medio fratrum, cameram secessit, et per abbatem Lobiensem itemque comitem Arnulphum mandavit eis, ut aut volentes placito suo gratanter accederent, aut sua sibi relinquentes loco discederent. Tam crudeli sententia determinata, fratres petierunt inducias præpositos cellarum evocandi et cum eis in commune consulendi; sed eas nullo modo nisi usque in crastinum potuerunt assequi. Interea Arnulphus comes singulos, ut quemcumque noverat, pro nepote suo aggredi, ejus causa consilium et auxilium suum ecclesiæ polliceri, cum interim filius ejus Otto ipsa eadem die Caviniacum fiscum pervadens, omnem ejus prædam abducebat, et quosdam etiam interficiens, fidem paternæ pollicitationis inficiebat. Nec jam supererat constantia diutius reniti, firmioribus tot concussionibus fatigatis, infirmioribus tot promissionibus inductis. Isti destinabant apud se huic exordinationi vel non communicandum, vel cum possent loco cedendum; illi oblata spe novandarum rerum affectabant alicujus functionis assequi com-

VARIÆ LECTIONES.

[116] superent 1. [117] *f.* quidque.

NOTÆ.

(162) Chisniacensis.

modum, vel permissa libertate prosequi voluntatis propriæ vel otium vel negotium. Sic fratribus inter se dissidentibus, magis autem a se deficientibus, Ingobrandum Otbertus loco introduxit, ibidemque introductum relinquens, tardius sibi hactenus dissidentibus se prævaluisse lætatus discessit.

76. (90.) Ingobrandus post tot anxietates insimulatæ sibi contradictionis, tandem factus compos desiderii sui, ut erat rudis et nimiæ simplicitatis, otio et licentia juvenili cœpit resolvi, securus, immo inscius procurandæ prælationis. Piget meminisse, quomodo sub hiis casibus pulcherrimus ille flos maximi honoris et decoris hujus loci decoloratus conciderit, qua velocitate defluxerit tam diu elaboratus ille status decentissimæ religionis et quæ cis Renum eo tempore laudabatur singularis; quæ quantæ fuerit excellentiæ, vix aut nullo modo posteritati futuræ videbitur credibile, cum sit suum humani ingenii vel potius erroris, credere tardius quicquid virtutis inertiæ ejus putatur (163). Ingobrandus infracto rigore tenendæ virtutis, nimium que expers moderandæ discretionis contra morem majorum quadam liberalitatis specie ferociores religiosorum animos emollire, juvenum vero et maxime adolescentium familiaritates affectare, postremo nec modestiæ nec sumptui parcere, dum quosque quasi ad gratiam obnoxios fidosque sibi faceret (164), licet vero sit difficile, hoc modo attenuatis immo pæne elapsis ecclesiasticis reditibus; supervenit rei familiaris inopia, quæ cum jam non sufficeret imprudentium tolerare negligentiam, impulit eos etiam negligere dampnum suum et infamiam. Nam distractis viginti quinque ex ornamentis ecclesiæ quæ remanserant ibidem, abbate Theoderico meliora quæque salvandi gratia efferente, cum necdum prævalerent sic effugere indigentiam, addiderunt etiam obpignorare aut vendere possessionum suarum molendinos et ecclesias. Præterea cum rerum indigentia, quod erat gravius, passim premebantur vicinorum infamia, et quibus vigente religione fuerant gloriæ et honori, ea languente erant jam ignominiæ et oneri. Sub eisdem quoque diebus Berengerus erga ecclesiam quasi Otberto subjectam tantas exercuit inimicitias, ut conversionis et professionis propriæ oblitus, suæ etiam et suorum retentionis in persecutione ingratus, fieret loco inrecuperabiliter dampnosus. Nam cum illo suo more, quasi ad fratres suos sustentandos, quæstionarias circuitiones ageret, ad Idam uxorem Cononis comitis venit, eamque apud Montemacutum infirmatam invenit; quæ præsentiens sibi mortem proximam, dum se apud beatum Hubertum quo pater ejus Lambertus jacet deliberaret sepeliendam, Berengerus omnino obstitit ne id fieret, utque ob subiectionem Otberti excommunicatos vitaret, Stabulensem sepulturam potius expeteret, ibidemque elemosinam suam constitueret. Causantibus filiis ejus Lamberto et Henrico, quomodo Stabulensis ecclesia viderctur absolutior, cum ex dono subjaceret regi Henrico et ex cura pastorali Otberto, Berengeri sententia prævaluit, et reditum trium librarum quotannis ecclesiæ beati Huberti in perpetuum abstulit. Theodericus quoque et sectatores ejus per quoscumque poterant ecclesiasticas possessiones infestabant, dumque ad incendia et rapinas earum tyrannos hortarentur, obsequium se præstare Deo arbitrabantur. Unde et quidam, accepta occasione circa locum tyrannidis exequendæ, Ingobrandum impostorem et pessimum clamare, fautores ejus fidei desertores et religionis proditores denotare, et ideo omne malum eis inferendum, nullumque bonum illorum amodo servandum, idque quod erat ecclesiæ illis solis attribuendum, qui per cellas divertentes, malorum vitaverant contagium. Denique quicquid ex eorum rebus rapere poterant, impune rapiebant, adeo ut ex ipso monasterio agerent prædas publicas, quod nemo umquam ejus temporis evenisse audierat vel viderat. Quicquid etiam suum ecclesiæ erat in episcopio Remensi vel Laudunensi, item Metensi et Virdunensi sine respectu Otberti et illius sui Ingobrandi quieto jure deserviebat abbati Theoderico sibique subjectis fratribus, interdicentibus ducibus Godefrido et Theoderico suis hominibus, ne alicujus prece vel pretio seducti injuriam illis inferre molirentur. Guiredus quoque concessa sibi providentia Sulpeum et Nogarias cum Chevogio (165) procurabat, et hoc tanta instantia, ut si quem ministerialium mercede Ingobrandi Mosomenses vel Bulonienses illuc deducere laborarent [118], ille eos vel astu præveniret vel collectis viribus removeret. Raginerus quoque Pirensis præpositus tanta sedulitate Maceriensem transitum illis obstruxerat, ut nemo earum partium se illo ingerere auderet cujuscumque negotii gratia. Robertus etiam Cunensis præpositus viribus Dodonis Calviacum, Flabotivillam et Gandrehengias (166) pervaserat, et fratribus qui illo plures convenerant eorum reditibus deserviebat. Hanc abbatiæ divisionem cum Ingobrandus Otberto sæpissime suggereret, Otbertus vero hoc ipsum duci Godefrido quasi advocato ecclesiæ quod talia pateretur tristis ingereret : ille e diverso causabatur, id sibi injuste eum succensere, ea quæ sua erant ecclesiæ, filiis ejus nec debere nec posse quemquam prohibere, ipsi hoc potius imputandum esse, qui tantam in loco hactenus honesto suscitaverit confusionem, quique legitimo abbati superinduxerit illum suum talem consultorem et provisorem. Sub tali hujus ecclesiæ confusione Lambertus minor, qui apud

VARIÆ LECTIONES.

[118] laboraret 1.

NOTÆ.

(163) Cf. Salustii Cat., c. 3.
(164) Ib., c. 14.
(165) *Souspy, Noyers, Chévogy.* R.
(166) *Chauvenoy, Flabeuville, Gandrehengies.* R.

ecclesiam beati Remigii morabatur, propter temporis et rerum occasionem subjectam epistolam scripsit fratribus [119].

77. (96.) Grassabatur tunc inter Otbertum et Lovaniensem comitem (167) inexorabile discidium, et ex eo inter utrosque medium gravissime opprimebatur episcopium, comite ipsam civitatem frequentibus assultibus impetente, Otberto quoque collecta expeditione debellare comitem destinante. Hac occasione condicta die convenerant in civitate principes provinciæ convocati, ut in tali discidio consulerent rebus ecclesiæ. Cumque inter consulendum inferret Obertus prædictum comitem jam se excommunicasse, sed illum nullo modo id curare, subintulit dux Godefridus arridens, dictum sibi ab eodem comite excommunicationem illius nullam apud se constare, nisi abbas Theodericus de sancto Huberto eam sibi auctorizaret, ut aut ab eo se absolvi reposceret, aut illi quasi ab eo excommunicato universalis ecclesia non communicaret. Ad hæc Obertus cum pæne fureret, et nimis illoto sermone furori satisfaceret, juravit cum indignatione, malle se mori quam respectu talis tamque vilis personæ se infamari vel despici, si quid usquam valeret ipse vel sui. Cumque ipsis quoque principibus iratus opponeret, in hoc eos fidelitati sanctæ Mariæ sanctique Lamberti deesse, quod sic impune paterentur deprimi auctoritatem Leodiensis episcopi; nullo modo id illos decere pati si qua illis subesset cura sui honoris: commotus ad hæc dux ipse in primis, Albertus quoque comes Namucensis et Henricus Durbojensis (168), Cono etiam comes Montisacuti, sed et præfatus Arnulfus Chisniacensis, ut erat diversus a se, cum genero suo Dodone Cunensi, responderunt, se quidem fideles sanctæ Mariæ sanctique Lamberti esse, sed in hoc nimis patienter hanc ipsam fidelitatem hactenus dissimulasse, quia dissensionis hujus causas neglexissent inquisisse. Consensu ergo unanimi cœperunt insistere, ut diem constitueret inter se et abbatem quæstionis agendæ, ita dumtaxat, ut quoscumque posset suæ sententiæ defensores impune abbas deduceret et reduceret, et in publica audientia Leodiensis ecclesiæ per liberam licentiam dicendi et audiendi ipsis præsentibus elimata veritas triumpharet. Obstupuit Otbertus, quasi cornuto ut dicitur syllogismo (169) interceptus, et cum nusquam posset declinare, tot virorum compressus auctoritate, quamvis ægre diem illis concessit quæstionis agendæ. Sed non poterat evinci, ut abbati permitteret veniendi et redeundi securitatem. Cumque causarentur omnes et hoc injustum esse sibique inhonestum, cum satis intelligeretur hac occasione audientiam se velle declinare, tandem promisit cum duce de hiis consulendum, et per illum quicquid videretur eis inde agendum, in proximo se determinaturum. Hæc omnia cum Dodo rediens abbati referret, ille exhilaratus gratias egit dispositioni divinæ, sperans ex hoc pendulæ dissensioni finem proventurum, et veritatis judicium sub tot testibus ad victoriam perducendum. Nec mora, abbati Berengero hæc omnia per ordinem significavit, et ut in partibus suis veritatis defensores conduceret secum mandavit. Ipse vero assumpto secum Lamberto majore et Roberto Cunensium priore, Mediomatricum, Tullum, Virdunum aggressus est peragrare, et propositam necessitatem tuendæ fidei notis sibi fidelibus enuntians, quia non sua sed Christi res erat agenda, ne ejus testimonio deessent instanter admonebat. Videres per singulas urbes religiosas et potentes personas tantam pro justitia persecutionem non secus quam qui patiebantur indolere, periculi sui securitate religiosæ quondam et honestæ Andaginensis ecclesiæ causam tuendam excipere, neminem eorum alium quasi cunctando consulere; sed singulos opem suam certatim abbati promittere. Denique Paulinus Metensium archidiaconus, ut erat doctus suffragari ejusmodi defensionibus — consueverat enim longis et multis persecutionibus, quæ illatæ fuerant Herimanno pontifici, constanter decertare tuendæ fidei — *Et nos*, inquit, *jam diu fatigavit hic rerum eventus, nec ad hos quasi novos casus excipiendos cujusquam incitatione indigemus. Et nos et nostra Christo debemus, dignitas* [120] *hujus criminis communis est in eum credentibus. Erit certe quoque injuriosum, si quod debet esse voluntarium, aliqua mora interveniente videatur extortum, et quod verbis ostentamus, auxilio differamus. Huic negotio non conveniunt verba summo ore stillantia, sed ex intimo cordis fundo diligenter exsculpenda. Nulla hic merces corrumpet linguas nostras, liberis officiis celebrabitur hæc amicitia, et ipsa re et non ex commodo æstimabitur hæc talis gratia.* Cui cum Lanzo abbas sancti Vincentii diceret se quidem iturum prompto animo, sed quosdam famis periculo, quæ tunc maxima erat (170), retardandos: *Nostris*, inquit Paulinus, *stipendiis ibimus singuli, quia non est perfectæ caritatis, si quod est exequendum gratis, ingravato adversus amicum auxilio prosequaris.* Eadem ad auxilium abbatis Tullenses et Virdunenses excitavit sententia, eadem ad procedendum animavit constantia; cumque per tot defensores causam suam agendam abbas æque jam

VARIÆ LECTIONES.

[119] *Epistola desideratur in* 1, *sive librarii negligentia, sive quod in codice originario, quem* 1. *descripsit, auctor eam supplere proposuerat, sed non suppleverat.* [120] *f.* indignitas.

NOTÆ.

(167) Henricum juniorem ut videtur, cui 1095 successit Godefridus. De causa et terminatione litis v. Ægid., c. 14.

(168) *Durbuy*. Henricus filius erat Henrici, fratris Alberti Namucensis; v. Ernst, Des Comtes de Durbuy et de la Roche. Leodii 1836, 8

(169) Hieron. epist. 69, 2.

(170) *Anno* 1095 *fames diu concepta invalescit.* Ann. Leod.

securus locasset, Cunis reversus quomodo res sua processisset abbati Berengero apud Eberneicortem commoranti, et quos ipse procurasset sibi rescribi mandavit. Rescripsit ille, se procurante, paratos ad condictam audientiam convenire, de Remensi quidem metropoli domnum Manassem præpositum, postea factum archiepiscopum (171), Rogerum defensorem ecclesiæ et archidiaconum, Rodulfum cancellarium et post Manassem præpositum (172), Odalricum scolasticum ecclesiæ Romanæ satis notum et carum (173); de ecclesia beati Remigii Lambertum priorem et quos secum deducere vellet; de ecclesia Suessionensi Engelrannum [121] archidiaconum, non multo post Lauduni episcopum ordinatum (174); de ecclesia Laudunensi Ebalum archidiaconum et Adalberonem abbatem, et quos ipse quoque secum venire competeret. Præterea significavit ei per easdem litteras, Henrico et Lanzoni archidiaconis et quibus sibi visum fuerat rationabilioribus Leodiensis ecclesiæ pro re et tempore se plurima scripsisse et transmisisse, in quibus arguebat eos mercede Balaam seductos coram filiis Israhel scandalum posuisse, habentes modo Otbertum pro pontifice, quem secum olim detestabantur judicio contradictionis justissimæ, et ut ipsa quædam ejus verba interponantur: *Si hoc*, inquit, *recte fecistis, hodie lætamini in Abimelech et ipse in vobis: Dominus autem lætabitur in operibus suis* (*Judic.* IX, 19). Omnes has procurationes defensionis suæ retulit abbas Dodoni Cunensi, et ut secum ducem Godefridum commorantem Bulonii conveniret precibus optinuit, per se certius ab eo quæsiturus, quid cum Otberto tractasset de securitate agendi conventus. Respondit dux iterum atque iterum se Otbertum pro hoc interpellasse, illum vero variatis verbis certius inde responsum hactenus insimulasse [122]; sed in crastinum se habiturum cum eo colloquium Vilantiæ, secum eo usque Dodo veniret, illicque experiretur quid credendum de mandatis abbati referret. Præsenserat autem Otbertus studiosissime abbatem rem suam procurasse, totque auditores adversum se et clericos suos suscitasse, ipsos quoque Leodienses maximam indignationem concepisse, quod personæ aliarum urbium, quasi perspicaciores superinducerentur eis ad disputandum; et diffidens parti suæ si congrederentur ei ad judicium, necessitatem imminentis audientiæ destinavit se quocumque modo vitare: unde et duci ad se venienti hoc ipsum secretius intimavit. Dux vero ut hoc audivit, callide quod timebat Otbertus adversus cum ingravavit, dicensque eamdem audientiam non solum per se avertendam [123], verum sua auctoritate et conductu roborandam, compulit sibi duplicari pecuniæ promissionem primam; sicque malignante impietate cum avaritia, oppressa est eliminandæ veritatis experientia. Nam cum defensione ducis et conductu tantus tamque vulgatus conventus speraretur agendus Leodii imminente natalitio apostolorum Petri et Pauli (*an.* 1095), ipsa eadem die cum comite Arnulfo se Remis futurum publice condixit, ut ejus causam cum Rainaldo archiepiscopo ageret, eumque de Mosomensi castro quod incenderat et vastaverat (175) concordaret. Dodo intelligens Otbertum et ducem cognitioni discernendæ veritatis defecisse, eumdem defectum abbati retulit, et meliora speranti maximi doloris vulnus adauxit. Neque enim tantum pro se dolebat, subducto sibi loco defensionis, quantum pro hiis quos emoverat tantæ expectationi. Subinde quoque Berengerus abbas assumpto priore sancti Remigii, Piros usque processerat, quæsiturus de certificanda securitate eorum quos et ipse venturos sollicitaverat. Ibidem paulisper cessanti missus ab abbate Lambertus major occurrit, et quo astu Otberti et ducis spes eorum frustrata esset, nichil tale verenti nunciavit. Berengerus indignatus ex tam subita rerum eversione, statim dictante eadem sua indignatione scripsit majoribus Leodiensis ecclesiæ, non recte eos famæ suæ et honori consuluisse, judicio et justitiæ nimis impudenter in capite suo defecisse, infamiam hujus defectus sui longe lateque tot auditoribus repulsis declarasse, et tamen a condicta audientia sic frustratos, causas agendæ defensionis et elimandæ veritatis nichilhominus effecisse. Sciens quoque abbatem Theodericum aflici gravissimo mœrore, secundum animi sui teneritudinem hanc inter plurima illi scripsit consolationem: *Rerum quidem exitus prudentia metitur, sed alieno decepti errore rotam fortunæ nos quoque aliquandiu revolvimus, et maximos labores frustra fatigati expendimus. Erit certe hoc æterni Judicis vindicare, pro cujus fide maxime proposuimus inimicis ejus displicere. Summopere vero curandum est vobis hoc citius eis quos vocastis, ut in locis suis cessent, significare. Ego quoque rediens id ipsum curabo maturare. Vale.* Nec mora, ordinatis ab utroque legatis, ut cessante audientia cessarent et evocati, Berengerus rediens Remis quantocius duci occurrit, et quia pro tempore sibi videbatur potens persona, potius caute lenienda, quam mordaciter exasperanda, cum publice quereretur de ea quam patiebatur sancta ecclesia ab

VARIÆ LECTIONES.

[121] Emolrannum 1. *sed infra* Engelramnum. [122] non *interponendum videtur, nisi interpretari malis* dissimulando vitavisse. [123] *alterum* non *excidisse videtur.*

NOTÆ.

(171) Raginoldus mortuus est XII Kal. Febr. 1096. Necr. Rem. ap. Varin, Archives admin. de la ville de Reims.

(172) Quo XIV Kal. Oct. 1106 mortuo archiepiscopus electus est, et 1108, Gervasio adversario prævaluit.

(173) 1097 legatione ad Urbanum II functus est. Marlot, Hist. Rem. II, 214.

(174) Anno 1096. Sigeberti Auct. Laudunense, Mon. SS. VI, 445.

(175) Anno 1092, Ann. Mosom.

Otberto injuriam, dicendi modum, quasi defensori ejus duci parcens, obliquabat. Cum enim Otbertum accusaret quod condictam veritatis defensionem male sibi conscius subterfugisset; ducem vero e diverso commendaret, quod eam cum ceteris principibus episcopii condicendam extorsisset, dux rubore perfusus, teste conscientia, arguebatur, qua se judice nemo nocens absolvitur. Excepit verbum prudentissimus vir Rainoldus archiepiscopus a Berengero privatim prænonitus, et causatus cur vel ipse vel ceteri ecclesiarum defensores sic paterentur abbatias Leodiensis episcopii deperire, cum possent suum illum Otbertum ad quod vellent etiam nolentem violenter attrahere, vel volentem liberaliter inclinare; eo usque ducem rationabiliter inductum affectavit, ut promitteret se revera jam allaboraturum ecclesiasticæ defensioni et legitimorum abbatum restitutioni, quod et hoc modo divina disponente clementia processit.

78. (97.) Erat castrum inter Hojum et Leodium, quod Mons clarus (176) dicebatur, quodque infestissimum sibi navigantes per Mosam sæpissime Oberto conquerebantur. Tot illorum querelas et injurias cum ille diu indignaretur pati, collectis viribus obsidere castrum destinavit. Huic obsidioni disponendæ ducem episcopii et principes evocaverat, jamque ordinata expeditione ante castrum constiterat, cum subito dux arrepto tempore Otbertum inclamavit, eique publice consilium suum et auxilium excusavit, nisi abbatias sancti Huberti sanctique Laurentii suo statu reponeret, et eas quas vendiderat, ejectis emptoribus, per condignas personas gratis ibidem ordinatas disponeret (177). *Quod* inquit, *o commilitones, a Deo auxilium sperabimus, qui ejus ecclesiis depereuntibus non solum defensionem non impendimus, sed et liberam vocem contradictionis subtrahimus. Scilicet hoc de nobis promeruit benignissima dispositio Creatoris, qui nos ministros suæ publicæ rei constituit, ut pro sua quisque persona nostrum illi negemus servitium, quos pro tuendo jure suo hoc nostro tempore elegit ejus generale dominium.* Plura dicere parantis abrupit verbum assensus principum, et invecti pariter in Otbertum, præfixam a duce conditionem de restaurandis ecclesiis et reponendis abbatibus legitimis violenter exigere cœperunt. Convenerant autem ad eamdem expeditionem disponendam quidam ex archidiaconis et præpositis episcopii, qui rapta occasione per hanc invectionem publicam, quasi pro zelo tuendæ justitiæ, privatas animositates adversus Otbertum ingravabant, ut ex hoc sibi apud eum locarent in posterum timorem, cujus nisi ex aliquo commodo inutilem vilipendebant amorem. Et cum illi constanter objiceretur quod omnino interdicit canonica auctoritas, scilicet taxato pretio abbatias vendidisse et ecclesiastica ministeria, quæ pro animabus curandis gratis largiri debuisset: Otbertus tali tamque insperata compressus exactione, licet intelligeret hoc non recte fecisse, conabatur tamen sibi prætendere non solum suæ malignitatis velamen, sed et multorum prælatorum probatæ hæresis defensionem, contestatus non se in benedictionibus suis gratiam Dei vendidisse, sed potius eas gratis contulisse; non autem sibi videri injustum, si de possessionibus ecclesiasticis suum exigeret commodum, quas non habentibus distribuebat ad habendum. Hæc pestis de Francia transfusa in Lotharingiam quam sit detestabilis, nostro tempore Petrus Damianus Alexandro papæ hujusmodi invectione deplanxit [1]. Sed ut ad rei ordinem redeamus, Otbertus prædicta principum exactione compressus, licet quasi obtorto collo cogeretur velle quod nolebat, de abbatum restitutione benigne tamen pro tempore respondit, et ex tempore sententia quicquid inde censerent, se facturum promisit. Decretum est statim ut remota omni dilatione Wolbodonem et Ingobrandum ejiceret, et legitimos abbates locis suis reponeret. Ad hoc Otbertus veritus ne sibi quandoque oneri foret, si talis permutatio abbatum subito et inconsulte fieret, retractato cum prudentioribus consilio, de hiis judicium agendum constituit, ut rationabiliter illis pro culpa sua convictis et ejectis, jam tunc excluderet sibi occasionem quandoque removendæ contentionis. Igitur præfixa die ad rem maturandam collectis abbatibus et archidiaconis judicium sedit, et ex comprobatione injustæ in eos factæ exordinationis, et incompositæ eorum conversationis uteroue convictus loco quem invaserat decessit.

79. (98.) Scripsit extemplo Otbertus Berengero, se illi regratiatum, et rejecto Wolbodone ejus deliberasse monasterium placere sibi et primatibus suis ut fidenter redeat, et fratres qui ad eum confugerant secum reducat. Abbati vero Theoderico, licet idem suffragium idemque judicium in causa fuerit, hoc scribere dissimulavit, tenacissimus erga eum conceptæ indignationis; optime etiam conscius illum non communicaturum sibi. Præterea cum illis suis fidelioribus abbatibus et archidiaconis secretius tractans, ut quia ad ejus placitum licet injuste illum excommunicandum olim judicaverant, nullo modo suam paterentur infirmari sententiam, nisi publica satisfactione ejus requireret absolutionem et gratiam. Berengerus autem accepta legatione Otberti, primo quidem dubius hæsit an cœptæ defensioni persisteret, an ecclesiæ olim sibi commissæ jamque omnino deficienti revertens consuleret. Verebatur enim,

VARIÆ LECTIONES.

[1] *Ea in* 1. 1*. *non extat; est epistola I,* 13. *ed. Cajetani.*

NOTÆ.

(176) *Clermont*, sur la rive droite de la Meuse, au-dessus d'Ingihoul.

(177) Cf. Hist. S. Laur. supra, ubi videbis hæc a. 1096, vel prius acta esse.

accusante conscientia, publicæ vituperationis infamiam, ne reconciliatus Otberto videretur a veræ fidei perseverantibus apostata, qui ejus hactenus tot probatis invectionibus prædicaverat apostasiam. Sed sæpius retractans, non sine divino nutu provenisse hunc in rebus tam mutatum tamque insperatum eventum, assumens secum quosdam suorum, properavit Leodium. Ibi occurrentibus sibi extra civitatem archidiaconis officiosissime, cum se eisdem comitatus Otberto præsentaret, Otbertus ut sibi eum affectuosius attraheret, coram duce Godefrido itemque primoribus civitatis obtulit ei justitiam de ea quam fecerat discedenti injuria. Quam licet ægre Berengerus visus est suscepisse, ea tamen ab eo illi imposita conditione, ut quidquid per Wolbodonem dispersum dispericrat ecclesiæ, suo statui reformaretur; illo annuente, sic deosculatus eum secum sedi recollocavit, multis non solum mirantibus sed etiam scandalizatis, quasi ex tam subita permutatione tanti viri, quem utique credebant nullo modo a priori sententia posse divelli; cum ille, ut sibi videbatur, coram Deo securus conscientiæ suæ et intentionis, non hoc ageret gratia alicujus ambitionis, sed ut subveniret ecclesiæ periclitanti et fratribus ab ea dispersis.

80. (99.) Iliis auditis, abbas Theodericus, qui tunc morabatur Cunis, fratres suos ad consilium evocavit, et quid in tali negotio opus esset sibi agendum inquisivit. Lambertus major, ut erat vir consilii, itemque Wiredus Robertus et Rainerus responderunt consulenti, gratias agendas divinæ dispositioni, quod præter spem omnium eorum locum eis patefecerit ad ecclesiam suam revertendi; rediret quantocius sicuti et fecerat Berengerus, ne, eo cunctante, eveniret aliquis sinister eventus; sua etiam ecclesiæ referret ornamenta, quæ inde sustulerat salvandi gratia. Firmato ergo consilio decernitur tempus ad rem exequendam, et ex consensu Dodonis assumptis secum ornamentis media nocte castellum exiit, sicque insequenti vespera Fredegorium (178) venit. Postera die dispositis per loca opportuna custodiis, primo adhuc mane in querceto quod imminet monasterio descendit, præmissoque ad fratres Lamberto majore, mandavit se eos revisere paterno affectu; subjungens, ut nullo modo se verererentur, si quid excessissent per tam varios rerum eventus. Ad hæc quibusdam conscio pudore silentibus, quibusdam vero timore Otberti ne facerent quod nolebant opponentibus, tandem meliorum optinuit consensus, ut, quod eos decebat, justitiæ et veritati et consulerent honestati, utque abbati pro Christo exilium passo gratanter procederent, eumque pro suo recognoscentes honorarent. Hiis abbati relatis, procedentibus sibi fratribus humiliter se præsentavit, et prosequentibus eum hiis qui secum exierant, quampluribus quoque qui audito ejus A reditu convenerant, cum Dei laudibus ingressus est ecclesiam. Deinde renumeratis vel ostensis publice ornamentis quæ retulerat, in conventu fratrum venit, et tam de communione Otberti quam de subjectione Ingobrandi culpam suam fatentibus pœnitentiam indixit, sicque absolutos deosculatus priori sententiæ reformavit. De prædicto autem ecclesiæ thesauro commiserat interposita fidei suæ sponsione Rodulfo Vilantiensi, scilicet duas cappas et textum evangelicum auro et gemmis insignitum, qui fuerat Karoli Magni imperatoris, et tria cornua eburnea ex elemosina Godefridi ducis cognomento Barbati. Hæc omnia ut erat impudens neglector fidei et veritatis, irato sibi domno Vulframno Prumiensi abbati, ut ei regratiaretur, in dono obtulit. Miratus B abbas requisivit unde hæc illi provenissent, cum evidenter textum recognosceret ex facta olim sibi processione. Tandem convictus est confiteri, immo mentiri, ea sibi vendita ex distracto thesauro sancti Huberti. Ad hæc abbas caput quassans, et de dispersione tantæ ecclesiæ condolenter suspirans, duo quidem ex cornibus fratri suo Ultrajectensi episcopo (179) transmisit, cetera vero per Rodulfum beato Huberto caritatis gratia remisit. Quam tamen gratiam abbatis prædictus Rodulfus, quasi a se esset, duobus equis pro ea exactis ecclesiæ impudenter vendidit, ex qua etiam iniquitate coram prædicto abbate convictus gratiam ejus perdidit.

81. (100.) Jam triduum transierat, et ecce Berengerus abbas cum Henrico archidiacono veniebat, C ut ex præcepto Otberti quasi vacantem disponeret abbatiam. Audientes autem abbatem esse regressum et a fratribus receptum, in villam ecclesiæ quæ dicitur Burs (180) diverterunt. Cumque ad Otbertum reversi renuntiarent regressum abbatis, ille iratus interdixit nihil pro eo faciendum ecclesiæ ministris. Idem tamen interdictum eadem facilitate extenuatum est qua et prolatum, nec ministri ecclesiæ vel abbati vel fratribus pro hoc ministrare destiterunt. Otbertus quoque ira parumper refrigescente, dissimulabat meminisse quod recognoscebat se irrationabiliter præcepisse. Indignatio tamen ejus erga abbatem pertinacius obfirmata, nec tempore nec ratione sedari poterat. Unde adeunte se Lamberto D majore pro quibusdam negotiis ecclesiæ, cum prædictum abbatem infirmatum audisset, ei quasi excommunicato, si moreretur, interdixit fratrum sepulturam communem, nisi sibi ut episcopo suo satisfaceret vel communicaret. Abbas tamen ex infirmitate convaluit, et malitiæ Otberti adversum se consummatæ tanto securior quanto et certior, hanc epistolarem apologiam scripsit ecclesiæ Leodiensi, in qua se nec excommunicatum probavit, nec quemquam nisi culpa exigente posse excommunicari: *Cum nullum crimen anathemate dignum commiserim, injuste me excommunicatum liberrime defendo,*

NOTÆ.

(178) *Freux*, à une lieue et demie de Saint-Hubert. R.

(179) Conrado.

(180) *Bure* R.

quia nec fur nec sacrilegus sum vel fui ejus ecclesiæ, quam Dei gratia rego, neque ecclesiam aliquibus suis rebus spoliavi, nec quicquam de fundis ejus aut vendidi aut distraxi aut cuiquam quoad in me fuit usurpare permisi. Sed cum viderem res aliarum ecclesiarum a suis emptoribus, hoc est a Wolbodone, Leupone [125], *Gisleberto, Warimundo, male diripi, et in pretium simoniacæ suæ venalitatis pessime distrahi, timens ne similiter ab aliquo pervasore res ecclesiæ nostræ dilapidarentur, concilio Godefridi ducis aliorumque sapientium virorum, qui quod postea accidit verebantur, partem thesauri cui maxime timebam, egredientibus mecum de monasterio fratribus viris fidelibus commisi, et non alias quam infra possessionem et fundum ecclesiæ sancti Huberti cum ipsis fideliter usque ad unum quadrantem conservavi, meamque restitutionem operante Dei gratia, non ut sacrilegus, sed ut fidelis conservator, quod suum erat ecclesiæ mecum restitui. Unde si quæ jaculata est sententia excommunicationis irritam eam censent præsentia testimonia sanctarum Scripturarum, quæ me propugnant et defundunt. Hieronymus in commentariis super Mathæum versum illum exponens : « Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis (Matth. XVI, 9), » ita dicit : « Istum locum presbiteri et episcopi non intelligentes, aliquid sibi de pharisæorum assumunt supercilio, ut vel dampnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur, cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Legimus in Levitico de leprosis ubi jubetur ut ostendant se sacerdotibus : « Et si lepram habuerint, tunc a sacerdote immundi fiant (Levit. XIV, 4). » non quod sacerdotes immundos faciant leprosos, sed quod habeant notitiam leprosi et non leprosi, et possint discernere, qui mundus vel qui immundus sit. Quomodo ergo leprosum ibi sacerdos mundum vel immundum discooperiendo facit, sic et hic aut ligat aut solvit episcopus vel presbiter, non eos qui insontes sunt et noxii, sed pro officio suo cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus vel qui solvendus sit. » Gregorius papa Januario Carallitano episcopo : « Inter querelas multiplices Isidorus vir clarissimus a fraternitate tua se excommunicatum conquestus est : quod cur factum fuerit, dum a clerico* [126] *tuo qui præsens erat voluissemus addiscere, pro nulla alia causa nisi pro eo quod te injuriaverat factum innotuit. Quæ res nos vehementer afflixit : quia si ita est, nichil te cogitare de cœlestibus ostendis ; sed terrenam te habere conversationem significas, dum pro vindicta propriæ injuriæ, quod sacris regulis prohibetur, maledictionem anathematis invexisti. Unde de cetero esto circumspectus atque sollicitus, et talia cuiquam pro defensione injuriæ tuæ inferre denuo non præsumas ; nam si tale quid feceris, in te scias vindicandum. »*

Item Gregorius in evangeliorum tractatibus : « Sæpe pastores ecclesiæ in ligandis et solvendis suæ voluntatis motus non autem causarum merita seauuntur, unde fit ut hac ligandi et solvendi potestate se privet, qui hanc pro suis voluntatibus, non pro subjectorum moribus exercet. Sæpe fit ut erga proximum odio vel gratia moveatur pastor. Judicare autem de subjectis digne nequeunt, qui in subditorum causis sua vel odia vel gratiam sequuntur. Causæ ergo pensandæ sunt, et tunc ligandi et solvendi potestas exercenda. »

82. (102) Ea tempestate, hortante papa Urbano, una eademque intentio totius occidentis christianos exciverat populos, videlicet armatos Jerosolymam adire, et Medos et Persas qui eam invaserant debellare, terramque repromissionis sibi tenendam subjugare. Huic expeditioni non solum diversæ ætatis populares, sed etiam ipsi provinciarum consenserant principes, et sponte posthabitis uxoribus et filiis, honoribus quoque et patrimoniis aut omnino relictis aut pretio distractis, festinabant captare incerta pro certis. Cum hiis Godefridus dux ire disposuerat, et causa parandi commeatus Buloniense castrum Otberto venale exposuerat. Causa hujus negotii exequendi Ida mater ducis ejusdem Bulonium venit ; quæ videns deperisse elemosinam patris sui majoris Godefridi, et monachos discessisse ab ecclesia beati Petri consensu filii sui Godefridi, qui remissis fratribus ad matrem ecclesiam beati Huberti, hortatu domni Henrici pontificis iterata donatione legali quidquid erat elemosinæ prædicti avi sui in rebus mobilibus vel immobilibus beato Petro et beato Huberto tradiderat coram testibus idoneis, graviter tulit, et abbatem Theodericum ad se venire mandavit. A quo dum quæreret cum mœrore, cur vel quomodo memoria patris sui loco illo defecisset, respondit abbas id fratri suo et filio suo imputandum, qui subtractis reditibus adnichilassent locum omnesque destructores ejus nosset excommunicatos secundum Alexandri papæ privilegium. At femina virtutis sollicita pro patre salvando itemque pro fratre et filio absolvendo, abbatem cum lacrimis adorsa est orare, ut curam ecclesiæ beati Petri resumeret, et repositis ibi fratribus, periculum eorum qui in Deum et patrem suum peccaverunt absolveret. Ad hæc abbas cum negaret se posse quod cogebatur velle, mater filium suum impulit porrigere illi humiliter vadium satisfactionis, utque veniam excommunicationis obtineret, ecclesiam matrem de Saltiaco rivo (181) cum capellis illi subjectis itemque capella sancti Johannis et præbendis ibi deserventium clericorum omnibusque ejusdem capellæ mobilibus et immobilibus ; ita tamen ut decedentibus clericis qui erant tunc temporis, omnia subjaceant monachis, procurante abbate capel-

VARIÆ LECTIONES.

[125] Leupodone 1. 1*. [126] clero 1. 1*.

NOTÆ.

(181) *Sansanruth.* R.

ianum [127], qui deserviet castro et populari parrochiæ, sicut avus suus Godefridus major beato Petro donaverat legaliter, ipse quoque fratribus ibi reponendis publice recognosceret. Quod cum Godefridus in audientia nobilium suorum sine ulla retractatione vel contradictione sollempniter fecisset, ipsa Ida comitissa matrem ecclesiam in Basejo (182) villa, quæ propria ab antiquo sui patrimonii in Brachante erat, sita juxta Nivigellam, ecclesiæ beati Petri et beati Huberti tradidit habendam pro anima patris sui Godefridi Barbati itemque fratris sui Godefridi filiique sui ibidem præsentis, eamdemque donationem legali privilegio et legitimis testibus confirmari (183), fratres etiam in sui præsentia ab abbate reponi optinuit apud ecclesiam beati Petri.

83. (103). Otbertus gloriæ suæ studens, prædictum castrum oblatum sibi concupivit, et mille quingentas argenti libras pro eo duci condixit (184). Ad has exsolvendas cum proscripsisset exspoliandas congregationes episcopii, tum demum hac occasione adversus ecclesiam beati Huberti maximas inimicitias exercuit. Nam ipsis exactoribus suis missis, tabulam altaris auro tectam disparavit, tres cruces aureas dispersis lapidibus effregit, quarum unam magnæ quantitatis domnus abbas Theodericus prior noviter fecerat studio Lamberti majoris, quamque Henricus episcopus a nemine distrahendam sub anathemate interdixit. Ex hujus rapinæ reliquiis prædictus Lambertus unam marcam et dimidiam auri collegit, et allodium de Felc, quod est prope Nasaniam, a Conone comite qui cum duce Iherosolimam ibat, præsente Bovone de Wahart et Walterio de Ambluz donatum ecclesiæ comparavit. Nec multo post dux Iherosolimam vadens [*an.* 1096 *Aug.*], ludum unum christallinarum alearum nobis transmittens, multos secum nobiles et religiosos adduxit, quorum defensionis intuitu insectatio Otberti utcumque videbatur tolerabilis Theodorico abbati. Quibus abeuntibus longo et gravi tædio affectus, cum se pensaret imparem perferendis tot rerum casibus, nemini quod conceperat edicens, quasi more solito ad tempus exiret, valedicens fratribus, ad sanctum Remigium Remis se contulit ibidem moraturus. Quod cum apud se destinasset, quia idem locus amplissimæ dignitatis et maximæ videretur honestatis, tunc magis hoc ideo affectavit, quia dicerat ibidem abbatem quemdam ordinatum Robertum Majoris ecclesiæ (185) monachum, quem ex dicto Urbani papæ expetierat Manasses archiepiscopus causa ibi artius augendæ religionis. Quod quam longe aliter evenerit, testatur Hugo episcopus Lugdunensis, legatus ecclesiæ Romanæ, super hiis ita scribens Urbano papæ : *Reverendissimo patri ac domino suo Urbano papæ Hugo Lugdunensis ecclesiæ servus se ipsum per omnia. Litteras vel legationem cujusdam monachi Majoris monasterii nomine Roberti ad vos jam venisse putamus, quem frater Manasses Remensis archiepiscopus, quod per se non valuit, ordinandum in abbatem sancti Remigii litterarum vestrarum auctoritate ab abbate suo* (186) *impetravit. Adjuncti sunt etiam ei quidam religiosi fratres, quorum fretus consilio et auxilio subditorum suorum Remensium monachorum animos informaret et ad sacræ religionis imitationem instrueret. Ipse autem, prout virorum bonorum relatione cognovimus, spreto eorum consilio qui ei dati fuerant ad auxilium augendæ religionis, cæpit adhærere complicibus levitatis et remissius relaxare districtionem vitæ regularis. Quo comperto Remensis archiepiscopus sæpius eum per se perque alios religiosos viros, ut erga ordinem suum et sibi subditos corrigendos studiosior esset, admonuit, nichilque profecit. Tandem frustratum se cognoscens de eo quem religiosum putaverat et in abbatem consecraverat, hoc ipsum abbati Majoris monasterii significavit, et ut eum corriperet et emendaret obsecravit. Abbas vero directis a latere suo religiosis personis, multotiens eum increpavit, et ne tam negligenter vivens ecclesiam unde venerat dehonestaret, attentius admonuit, et nisi se emendaret, ut inobedientem et professionis suæ transgressorem se excommunicaturum intentavit. Quid multa? Die constituta se ad eum iturum et velut patri suo obediturum promisit. Sed consiliariis suis pravis locutus, ire contempsit. Abbas autem sicut minatus fuerat, eum consentiente episcopo excommunicavit. Ipso vero reclamante et anathematis ejus vinculo se minime teneri dicente, quasi ab ejus obedientia et professione absolutus et Remensi ecclesiæ ut sibi videbatur liber redditus, constituta est dies ab archiepiscopo, quo judicio episcoporum et abbatum lis illa terminaretur. Præfixa autem die convenientibus episcopis et abbatibus multisque aliis religiosis personis, ipso quoque abbate Majoris monasterii et priore Cluniacensi discussis utrimque rationibus et objectionibus, cum probari non posset, quod prædictus monachus Robertus a primæ professionis suæ vinculo per abbatem suum præsen-*

VARIÆ LECTIONES.

[127] capellano 1. 1*.

NOTÆ.

(182) *Baisy*. R.

(183) Privilegium, ubi etiam privilegii illius ab Alexandro II concessi meminit, jam a. 1094, ind. II, Bulonii datum est, Miræi Opp., dipl. I, 76. Itaque temporum ordo hic turbatus est.

(184) Cf. Triumphum S. Lamberti de Bullonio castro cap. 1. quem exscripsit Ægidius.

(185) *Marmoutier-les-Tours*. Henricus abbas obierat 1095, Mart. 16. Robertus est auctor Passagii in Terram sanctam.

(186) Bernardo. Cæterum fere eadem Lambertus ep. Atrebat. papæ scripsit, Baluzii Misc. V, 304. Urbanus autem sententiam contra Robertum latam cassavit, v. epist. ejus d. 1097, April. 14, in Marloti Hist. Rem. II, 221 et apud Ducangium s. v. Emancipatoriæ, ipsiusque Roberti, Bal. Misc. V, 315. Cf. Sybel, Geschichte des ersten Kreuzzugs pag. 49.

tialiter vel per litteras ejus signatas esset absolutus, ac sic liber archiepiscopo Remensi concessus : judicatum est ipsum ab abbate suo excommunicatum esse, nec ab episcopo Remensi retineri posse. Judicio finito, sæpedictus monachus minime adquievit, et ut pluribus videtur quærens occasionem vagandi, prægravari se dixit, et audientiam vestram reclamavit. Quem cum archiepiscopus retinere vellet et abbati suo reddere, propter reclamationem vestram liberum permisit ire. Qui illico ad nos veniens, rei gestæ seriem nobis nuntiavit, et ex ejus relatione didicimus, juste eum posse revocari ab abbate Majoris monasterii. Nuntiavit etiam nobis pro hujusmodi negotio quosdam fratres Majoris monasterii ad nos venturos, et nobis offerentibus ut pro sua commendatione [vel restitutione, si fieri posset, eos expectaret, sustinere noluit, et a nobis abscessit. Die autem tertio post ejus abscessum domnus Hilgoldus quondam Suessionensis episcopus (187) *et frater Pontius noster quondam notus, Rodulfus quoque Remensis ecclesiæ præpositus ad nos venientes, rem gestam nobis per ordinem narraverunt, et ex parte Remensis archiepiscopi litteras obtulerunt, obsecrantes ut nostro consilio alterum abbatem in ecclesia beati Remigii sibi ordinare liceret, ne detrimentum pateretur, si diu rectore careret. Quod quidem propter solam appellationem vestram facere noluimus, quamvis quod in tanto conventu et a tam discretis personis factum fuerat, justum censeremus. Itaque cum non sit nostrum sanctitatis vestræ prudentiam docere, provideat vestra paternitas, qualiter prædicto monacho, si præsentiam vestram adierit vel litteras vobis direxerit, respondeatis. Si enim ecclesia beati Remigii venerit in potestate alicujus irreligiosi, et in temporalibus et in spiritualibus minuetur, et cum periculo animarum cultus divinæ religionis ibi adnichilabitur.*

84. (105.) Hugo quoque Cluniacensis abbas de eodem negotio scripsit eidem papæ Urbano : *Amantissimo et reverendissimo patri, sanctæ atque apostolicæ sedis summo pontifici, domno papæ Urbano, frater Hugo Cluniacensis cum tota congregatione nostra continuas et fidelissimas devotionis orationes et perpetuam pacem. Multi, o domine pater, justis ac necessariis causis existentibus cupiunt dignam vestram adire præsentiam, sed impediuntur variis difficultatibus obsistentibus. Unde et aliqui eorum saltem ad nos veniunt, quasi ad domesticos vestros, si quo modo eis consulatur vel subveniatur illorum necessitatibus. Inter quos domnus Manasses Remorum pontifex, vester humilis filius, noster quoque devotus amicus, quem et in alia epistola vobis commendavimus, conquestus est nobis de Majori monasterio in ecclesia beati Remigii se quemdam monachum abbatem ordinasse, et longe aliter quam sperabat de ejus irreligione maximum loco dampnum provenisse. Petiit autem ut interpellaremus inde vos; sed quia domnus Hugo Lugdunensis archiepiscopus omnem ordinem rerum vobis significavit, sicut audivimus, reverentiæ vestræ suggerimus, ut si ad vos venerit idem monachus, prudentiam vestram nullis circumveniat calliditatibus, sed faciatis ei secundum sapientiam quam a Deo habetis. Reverentissimam ac dilectissimam nobis paternitatem vestram dominus Christus sanam et incolumem nobis conservet et universæ ecclesiæ.*

85. (106.) Abbas autem Theodericus in festo sancti Ægidii (*Sept.* 1), qui olim fuerat dies ordinationis ejus, de monasterio egressus cum Remis moraretur, in sollempnitate sancti Remigii sequenti venerunt ad eum Rainerus Pirensis, Robertus Cunensis, Wiredus quoque præpositus Eberneicortis, de intentione ejus certius inquisituri. A quo cum didicissent, privatam vitam se sponte elegisse, tot insectationes Otberti pati non posse, ecclesiam ob sui invidiam destrui vitare, nolle amplius præesse, quibus in tot periculis non sufficeret prodesse : responderunt fratres hoc non sic temere agendum, sed consulendos abbates qui ad prædictum convenerant festum. Decernitur igitur tempus ad rem. Et cum ad abbatem sancti Remigii cæterosque ibi collectos ecclesiæ Remensis consilium referrent, et illi causam abbatis Theoderici veteri jam auditu notissimam ad respondendum ventilassent, ad hunc devenerunt finem, ut quia privatus vivere vellet ne Otberto subesset, caveret, ne unde se expediret alium impediret, neve prædicto Otberto ingereret, quem noviter pro se consecrandum eligeret. Respondit abbas in hoc ipso sibi et fratribus suis consuluisse, et domnum Berengerum abbatem sancti Laurentii sibi successorem jam diu apud se destinasse, quia et monachus olim fuerit ecclesiæ, et a domno Henrico episcopo consecratus legitime, nulla indigeret Otberti consecratione. Laudatus abbas id optime providisse, consensu prædictorum vel præsentium fratrum ibi scripsit Berengero sub obtestatione professionis suæ, quam fecerat ecclesiæ, ut illi in præsenti periculo succurreret, quodque volenti animo abbatiam sibi commissam relinqueret; hac tamen omnino interposita conditione, quod quibuslibet aliis postpositis, ideo eum successorem elegisset, ne consecratione Otberti indigeret. Scripsit etiam fratribus in commune, ut quem elegerat, ipsi quoque eligerent, sicque per manus Raineri Pirensis et Roberti Cunensis baculum pastoralem remisit ecclesiæ; quem illi apud Piros ex consultu interim reliquerunt, ut quasi de incertis adhuc rebus præveniret inter dissidentes certius consilium, et tanto citius Berengeri eligerent auxilium, quanto ex Theoderico abbate gravaret eos desolationis suæ fastidium, maxime propter insectationem Otberti, quæ tanto immineret eis infestior, quanto in desolatos effrenatior.

86. (107.) Redditis vero litteris Theoderici in com-

NOTÆ.

(187) Tunc monachus Cluniacensis.

muni audientia, cum mers notaretur vel ejus spontanea privatio vel Berengeri eligenda prælatio, ut fit in novandis rebus, pro suo quisque niti cœpit ingenio; orta inter eos dissentione, Theodericum quidem commissos sibi inordinate deseruisse, ad abbatiam vero regendam plures apud eos superesse, Berengero suam illi sufficere posse, nullo modo se pati eum sibi præesse. Indiffinito vero consilio in tam vario dissensu, non multo post redditæ sunt litteræ Berengero, missæ illi a Theoderico. In quibus cum se legisset electum, et sciret jam a fratribus repulsum, paululum subridens : *Cato*, inquit, *Uticensis die qua passus est repulsam risit, et nocte qua moriturus est legit*. Quæ quidem repulsa licet altius quam quisquam ratus esset in eor ejus descenderit (188), pro tempore tamen quasi benigne respondit, satis consulte pepulsores suos censuisse sua sibi sufficere, unicuique in ecclesia sua militanti debitum honorem competere, scire se moribus eorum non convenire; quærerent cui flos gloriæ jam apud eos decidentis refloreret, et religio deficiens resurgeret. Audivit interea Otbertus rerum seriem, et evocatis ad se de monasterio quos noverat meliores, mirari se dixit cur Berengerum repulissent, quem in ecclesiasticis utilitatibus virum tam valentem jam rapuisse debuissent. Eadem sententia de Berengero apud clericos et laicos crebrescebat, et neminem rei et tempori utiliorem censebant. Jam etiam fratres tot assertionibus convicti consenserant ejus electioni, cum ille semel concepta indignatione primæ repulsionis, nullis precibus Otberti, nullis acclamationibus fratrum vel cleri evaluit procurationi oblatæ attrahi. Tot igitur tempestatibus, tot dilationibus jam pæne deficientis ecclesiæ pertæsus Otbertus, indixit fratribus, ut quem vellent de suis eligerent eique consecrandum in abbatem præsentarent.

87. (109.) Inter has disceptationes Lambertus major infirmatus ad mortem, Berengerum de Leodio ad se reconciliandum mandavit, unctusque oleo quod sibi reposuerat ex consecratione Henrici pontificis, anno incarnati Verbi 1099, 8 Kalendas Maii obiit. Qui strenuus cooperator abbatis Theoderici majoris, in acquirendis prædiis et ornamentis, in renovandis et ampliandis ædificiis, in vitreis et fabrefacturis, in ordinando fratrum victu et vestitu, et in quibuscumque poterat ecclesiæ profectibus et utilitatibus, cum sub Theoderico juniore assueta dignitate privatus, adolescentes sibi præponi justissime indignaretur, adeo coactus est [128] desipere, ut post discessum ejusdem Theoderici scrinulum beati Huberti quod argento paraverat, ablato etiam capitio aureo mirifici operis, dispararet, cum exactoribus episcopi tres cruces aureas et tabulam altaris aream in coemptione Bulloniensi deliberaret, Godefrido de Ham duo dorsalia cum dalmatica una et cappa commodaret, in ipsa quoque infirmitate sua extrema Berengero partem auri et copiam lapidum pretiosorum a loco asportanda relinqueret. Et ne cui videatur de Lamberto hæc talis mentio vel apud Deum pœnalis criminatio vel apud homines judicialis detractio, noverit eum acerbo et longo dolore, ut hoc faceret, provocatum, dum nimis inhoneste tractatus et despectus in ipsa senectute, tot labores juventutis suæ apud ingratos doleret evanuisse; quia et est miserrimum genus infelicitatis, felicem fuisse et de regno in servitium, immo contumelias decidere.

88. (110.) In eodem vero anno [1097?] (189) Kalendis Junii Otbertus castrum Mirvolt non longe situm a monasterio ad desolationem circumjacentis provinciæ refirmavit; quod optentu domini Theoderici majoris Henricus episcopus dejecerat sub interminatione perpetui anathematis : ipsum quoque montem qui ab antiquo fuerat beati Huberti ecclesiæ, firmato privilegio legaliter reddidit (190), condita ibidem et dedicata ecclesia in honore beati Michaelis, fratres secretius utpote in deserto Deo militaturos constituit. Provinciales autem ex timore desolationis quam verebantur non solum sibi, sed et posteris suis, condicta die convenerunt ad ecclesiam beati Huberti, expostulantes corpus ejus cum lacrimis Otberto præsentari, si forte vel sic resipisceret ab intentione hujus suæ inceptionis. Coacti fratres non solum necessitate communi, sed et propria quæ magis præponderabat, licet nimis inconsulte, utque fit in rerum tumultuaria perturbatione, nullis præmissis jejuniis, nullis vigiliis, nullo apparatu hujus executionis, assumto beati viri corpore, processerunt nudis pedibus et operto capite [129]. Videres passim concurrentium turbas augeri [130], luctuque populari canentium letanias et psalmos deprimi. Audivit Otbertus tanti pontificis auctoritate se insequi, et ad horam furore dissimulato, ascensoque equo cum suis et ipse venientibus obviam processit. Prætenta vero paulisper reverentia orationis, post aspersionem aquæ benedictæ, inter thurificandum fustem ad hoc ipsum paratum arripuit, et de cæsis fratrum capitibus sanguine fuso, per silvam palantes huc illucque dispersit. Super tantam tamque injuriosam temeritatem demirantibus turbis justitiam Altissimi, qui cum sit patiens redditor, secundum multitudinem iræ suæ (*Psal.* x, 4), non quærit, perlatum est corpus sancti ad ecclesiam beati Michaelis archangeli, ibidemque advigilatum a fratribus recollectis. In crastinum disponebat illud violenter auferendum Otbertus, sed cum in tali præsumptione nemo sibi assentiret suorum, jam

VARIÆ LECTIONES.

[128] *deest* 1. [129] corpore 1? [130] *ita corr. Martene;* angeri 1.

NOTÆ.

(188) E Sallustii Jug. c. 11 verba sumpsit.

(189) Hic error est, qui fortasse in anni numero latet, nam de Wiredi electione post hæc facta adhuc Urbanus papa (ob. 1099 Jul. 29) sententiam tulit.

(190) V. supra c. 48

sanioris animi resumens consilium, cum reverentia et honore ad suum retulit locum. Cujus evectio cum maximi fuisset ponderis, revectio vero levissimi probavit eamdem evectionem sibi displicuisse et revectionem placuisse. Positum autem super altare beati Petri, et per octo dies nullo modo potuit loco suo reponi, quasi quamdam satisfactionem exigeret hujus suæ remotionis. Non multo post ea ipsa die anniversaria, qua beato Huberto prædictam fecit injuriam, Otbertus captus est a comite Henrico, et Durbojum usque deductus incitato equo et satis feroci, durissime et inhoneste collisus vix mortem evasit; sed et quamdiu ex tunc superfuit, numquam adversitatibus et dedecorosis oppressionibus caruit.

89. (111.) Et dum Otbertus fratres iterum atque iterum de eligendo abbate compelleret, tunc demum illis præfixit diem, quo tales determinarentur dilationes. Electus tandem communi omnium consensu quidam Girardus, Leodium ducebatur; cum inter eundum de Otberto cœpit agi sermo a deducentibus, donum ejus nullo modo legitimum fore, tam pro Henrici regis excommunicati subjectione, quam pro præfati castelli refirmatione quod restruebat Henrici pontificis neglecto anathemate, tum etiam pro effuso propria manu ejus monachorum immo sacerdotum sanguine. Hujusmodi disputatio dum attentius retractaretur inter Gislebertum decanum et Wiredum Ebernensem præpositum, persuaserunt Gerardo interim cessandum, donec ipsi euntes Leodium super hiis abbatem consulerent Berengerum Gerardus, ut erat vir probus et nullius injustæ promotionis cupidus, simpliciter cessit illis suis consultoribus condictum rei negotium ultro excquentibus. Qui cum id penitus non curanti Berengero de reddendo super hiis consilio suggererent, eidem etiam Otberto quod de dono suo non legali verebantur ingererent; ille id sibi quasi ad injuriam reputans ingestum, primoribus suis crastinum indixit publicum auditorium, et utrum injuriosam sibi tam diu abbatiam sancti Huberti funditus annullaret, an ordinaret, edixit eis in commune consulendum. Succlamantibus cunctis potius ordinandam, iterum atque iterum [131] ejus obtulit Berengero providentiam. Ille cum semel recusatam nullo modo admitteret curam, communem omnium accepit sententiam, ut destinaret pro æstimatione sua quam ad hoc exequendum utiliorem nosset personam. Qui paululum cunctatus in tali opposita sibi deliberatione, respondit pro tempore neminem utiliorem se nosse, quam ibi præsentem Wiredum monachum ejusdem ecclesiæ. Hortatus accedere Wiredus, licet ut fit aliquamdiu reluctari videretur, tamen donante Otberto abbatiam suscepit, sicque comitatus Berengero et Frederico præposito, Andaginum venit. Fratribus autem electionem sic frustratam indignantibus, et venienti ut est mos pro-

A cedere detrectantibus, intervenerunt mediatores Berengerus et Fredericus, suffragantes prout poterant ingenio et ratione, ne sic inconvenienter hactenus fratri, amodo vero patri dissentirent, et si eum hoc pati, illos tamen facere non deceret; consulerent vel famæ suæ, ne nimis inconsulte viderentur tale aliquid egisse, experirentur prius utrum esset utilis et retinendus, an inutilis et rejiciendus. Tandem rationi ad horam cedentes, suppressa ad tempus contradictione, passi sunt illum adesse, sibique æquanimiter interesse, donec eadem contradictio quandoque fieret justior, si consecratus ab Otberto Romanæ sententiæ probaretur desertor, cujus

B antea fuerat acerrimus assertor. Gravabat autem adhuc ab introitu Ingobrandi præsentem ecclesiam maxima rerum inopia, quia dispensatores earum tractabant eas nimis prodige, nullo respectu fidelitatis, et pæne ad numerum viginti librarum imminuti erant reditus ecclesiastici ab introitu domni Theoderici majoris, de præbenda fratrum sine consensu eorum datis immo et venditis noviter et injuste beneficiis, et hoc, ut supradictum est, consilio et actu Lamberti majoris et Theoderici junioris. Et cum frequens querimonia fratrum coram Wiredo hujusmodi injustitiam et dampnum deplangeret, ille caput quassans, complosis manibus cum indignatione talibus consultoribus et auctoribus pœnalem vindictam ultionis imprecabatur divinæ. Sed quam inexcusabilis est omnis qui judicat, cum et ipse

C idem faciat! Quia enim, ut dicitur, voluntates regum ut sunt vehementes ita et mutabiles, non multo post Wiredus prædictis noviter casatis diem ad se conveniendi posuit, et contra publicam fratrum contradictionem ad privatam eorum gratiam singulos recasavit, cum et ante legitimam consecrationem suis nullum legale donum posset ab eo fieri. Unde et magis ex hoc crebrescebat communis fratrum sententia, illum omnino vel pro nullo habendum vel rejiciendum, dum Romanæ auctoritatis privilegium, quod a Gregorio papa huic ecclesiæ specialiter est decretum, hujusmodi præsumptorem potestatis honorisque sui dignitate censeat privandum, aut si quod verebatur manibus Oberti se submitteret consecrandum. Quod ille præsentiens Oberto

D consecrationem suam offerenti aliquandiu se subduxit, utque tutius vitaret pondus necessitatis de proximo imminentis, Franciam divertit, et apud Ebernensem cellam morari cœpit. Obertus hujus subductionis satis conscius, attemptavit eum inducere tanto facilius quanto et suavius, ex suo conjectans ingenio, ut sese res habebat, nolle illum facile jam carere semel degustati honoris experientia, cujus donum in accipiendo [132] recusaverat de manu ejus, quæ sibi non videbatur prius legitima. Scripsit autem illi in hunc modum a Leodio : *Obertus Dei gratia Leodiensium episcopus fratri Wiredo abbati de sancto Huberto gratiam suam et veram dilectionem*

VARIÆ LECTIONES.

[131] *deest* 1. *addit Mart.* [132] non *desse videtur.*

in Christo. De promotione tua qualiter canonice et secundum regulam sancti Benedicti fuerit facta, quomodo, inquam, humana gratia et terrena commoditas et cetera, quibus indigni homines indigne ad honores solent provehi, procul fuerunt a nobis, utpote qui tam carnalem quam spiritualem rei vestræ publicæ reparationem per vos desideramus fieri, nulli notius est quam vobis, et eumdem rectæ intentionis oculum semper purum, semper apertum erga vos habere volens, quod in vobis bene cœptum fuit, melius perficere volui, et ad benedictionis gratiam in proximo vos perducere, Deo opitulante, disposui. Vos autem illo tempore imparatum, vos in quibusdam negotiis lacrimabiliter dixistis obligatum, et consilio et auxilio bonorum, præcipue autem concordia et unanimitate fratrum vestrorum ad tam sublimem gratiam esse proveniendum, diemque hujus rei perficiendæ elegistis et petistis, et in ipsa sancti Andreæ festivitate, me annuente, statuistis. Sed quia tunc Leodii non fuimus, quippe honori et gratiæ domni imperatoris deservimus (191), *vos tunc Leodium non venisse nequaquam negligentiæ imputamus. Nunc autem præcipiendo vobis denuntiamus, et per veram obedientiam vos admonemus, ut remotis omnibus impedimentis* 10 *Kal. Februarii* (1098) *Leodii sitis in crastino, hoc est in sequenti die dominica* (192), *ad percipiendam benedictionem paratus, vosque per Deum et per beatum Hubertum omnimodis ammonitum esse volumus, ut interim nichil aliud, nisi quod ad meum honorem et ad ecclesiæ vestræ spectet utilitatem, quæratur a vobis vel agatur. Valete.* Sic Obertus, ut aiunt, gladio melle lito si quid constantiæ in Wiredo supererat funditus extinxit, illeque præfixa sibi die Leodium venit. Quem dum Otbertus argueret tam diu oblatæ sibi benedictionis gratiam subterfugisse, ille ad horam quasi resumpto zelo veritatis attestandæ, vel ut inde apud fratres excusabilior videretur de sua consecratione, hanc prætenderet, in publica audientia subintulit libero ore, non sibi videri commodam ejus benedictionem; quippe cum in obstinatione tam longa adversus sedem et autoritatem apostolicam Henrico regi nitenti singulariter faveret, tum quia ex hoc ipso, si benediceretur ab eo, timebat fratrum suorum contradictionem, tum etiam quia in desolationem ecclesiæ beati Huberti castrum Mirvolt refirmasset, quod ne a quoquam amplius fieret Henricus prædecessor ejus interdixerat sub perpetuo anathemate : respondente Otberto non modo esse tempus istius discussionis agendæ, dissimulataque callide indignatione invectionis tam subitæ, illam suam benedictionem jam quasi nolenti deliberabat subtrahere. Statimque bene conscius ejus animositatis ad rem inter utrumque componendam Berengerus subintulit, benedictionem non esse Otberti, sed Dei ; cum econtra Dominus per Malachiam dicat de sacerdotibus displicentibus sibi : *Maledicam benedictionibus vestris quia non posuistis super cor, ut gloriam nomini meo detis* (*Malach.* II, 2). Acceperat tunc temporis quidam monachus beati Laurentii Lambertus de manu Otberti abbatiam Florinensem, qui, ut jam dictum est (193) non nisi cum sputo nominis ejus poterat meminisse, quamdiu cum Berengero morabatur apud cellam Ebernensem. Hujus cum Wiredo consecrando constituta erat consecratio, quam tunc quidem gratia Wiredi Berengerus differendam optinuit, donec Stephanus sancti Jacobi abbas præmissus ad ecclesiam beati Huberti ex auctoritate pontificali hortaretur fratres consentire agendæ benedictioni. Ille adveniens cum nullum quæstionis suæ optineret effectum, inter agendum requisitus est a fratribus, ut secundum suimet intellectum super ejusdem rei negotium redderet eis liberum veritatis et justitiæ consilium. Miratus abbas sic se conclusum, cum quasi obtorto collo cogeretur dicere quod nolebat veritatis et justitiæ testimonium, respondit, se non venisse ut deferret eis veritatis et justitiæ testimonium, sed ut voluntatis eorum eis qui se miserant referret assensum. Sicque inactus rediit Leodium. Wiredus licet sollicitus fraternæ contradictionis, magis autem curiosus quomodocumque retinendæ prælationis, Lamberti prædicti consecrationi agendæ ultro se consecrandus ingessit. Lambertus non multo post redarguente se conscientia abbatiam Florinensem sponte deseruit. Wiredus assumpto secum iterum Frederico præposito Andaginum venit, diutissimeque sperata, sed negata processione ecclesiam introiit. Injuriam hujus aversionis non solum sibi injuriosam, sed et Oberto ecclesiæque Leodiensi in publico fratrum conventu, præsente immo indignante Frederico conquestus, cum eo Leodium rediit, ibidem hoc ipsum conquesturus. Et quia tunc temporis justitiam deprimebat potestas et rationem voluntas, quidam ex fratribus inferendam sibi violentiam timuerunt, et ex eis decem simul in una die abeuntes per cellas diverterunt. Hiis quasi exoneratus jam securior immo ferocior Wiredus rediit, nimiumque ambitiosus propriæ dominationis et omnino incredulus fraternæ procurationis, ecclesiasticas dispensationes sub se solo provisore commisit laicis. Sic ergo ipse laboris impatiens et domi conquiescens, dum non Dei sed sua quærentibus magis quam fratribus dispensationes ecclesiasticas crederet, cœperunt nullo procurante sationes deperire, dominicales mansiones cum horreis ruere, assentientibus infidelibus ministris et eodem assensu se ipsos tuentibus, omnimodo advocati regnare super pauperes ecclesiæ, legitimas consuetudines detortas ad placitum suum demutare, obsonia indebita exigere et leges voluntarias adversus ecclesiam ingravare, constitutiones suas exactis scabinorum violenter judiciis in posterum firmare, deprecatorias violenter quæstiones exaggerare.

NOTÆ.

(191) Qui tunc Mogontiæ colloquium habuit, teste Ekkehardo.

(192) Hoc convenit a. 1098.

(193) Cap. 52.

90. (114.) Interea indignabatur Theodericus suam de Berengero annullatam electionem, cœpitque abbatiam suam repetere, quam ea tantum remiserat conditione, ut ei talis succederet, qui non Oberti indigeret consecratione. Consilio ergo Manassis [133] Remorum archiepiscopi et abbatum qui testes erant præfatæ conditionis confirmatus, ex hoc ipso justam querelam agendi scripto mandavit Wiredo, se satis superque mirari, illum tam impudenter potuisse fieri monstrum tam diversæ dissimilitudinis, ut a sententia cujus olim secum fuerat acerrimus assertor, tam cito exciderit apostaticus desertor; ideoque nullam sibi debitam in ecclesiasticis dignitatibus prælationem, cum etiam pro mercede hujus iniquitatis apostolicæ sedis prodiderit auctoritatem : vel si eum ut minus scientem suo seduxit consilio, ut se abbatia pro Christi fide privato, fraudulenter ejus succederet loco, in condicto a se ecclesiæ Romanæ judicio ex hiis omnibus inter eos ageretur discussio. Scripsit autem ei hoc modo : *Frater T. ceterique fratres dispersionis ecclesiæ beati Petri et beati Huberti W. nimis ambitioso et inconsiderate gloriam propriam quærenti, et in hoc ipso contra Deum et apostolicam sedem faventibus sibi. Filius æterni Patris semper coæternus et coæqualis ei in unitate Spiritus sancti, non rapinam arbitratus se æqualem Deo, semetipsum exinanivit, et assumpta forma servi sine conditione servili, oblatum sibi regnum fugiendo recusavit, et crucem sibi bajulans ad mortem pro nobis ultro descendit, seque viam humilitatis non arrogantiæ constituit imitatoribus suis. Idem resurgens a mortuis in trina confessione dilectionis suæ oves, quas sanguine suo redemerat, Petro commisit. Petrus cum data sibi potestate ligandi et solvendi eamdem auctoritatem et curam sedi Romanæ reliquit. Constat ergo Christo repugnare, ecclesiasticæ auctoritati et apostolicæ sedi non obedire, et eos æternæ mortis diluvio involvi, qui extra arcam catholicæ unitatis fuerint reperti. Ad hanc fidem tenendam domnus Berengerus cum suis vestra quoque industria doctior et fervențior ceteris, nos quasi simpliciores et tardiores informavit, ad ejus defensionem etiam cum periculo vitæ nostræ exemplum vestrum armavit. Quomodo ergo verbo Dei inimicus homo superseminavit zizania? Quomodo in agro cordis vestri germinavit spina et tribulus tantæ inconstantiæ et dissimilitudinis? Monstruosa plane constat dissimilitudo et omnino detestabilis coram Deo, apud quem nulla est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio, ut quibus assertoribus firmata est sententia quam tenemus, eisdem desertoribus, quantum in ipsis est, infirmata pervertatur. Si enim post tot ventilata fidei christianæ testimonia, ut et nos et vos seduceretis, contra Deum sensistis, omnino probamini hæretici, et ideo in ecclesia Dei secundum sacros canones nullius promotionis vel auctoritatis habendi estis, solumque vobis locum pœnitentiæ sciatis in hoc superesse, ut Jesum præceptorem reclametis a longe. Si autem gloriam Dei relinquentes et vestram constituere volentes, facti estis apostatici, nonne — siquidem de similibus idem est judicium — effecti estis membra diaboli, ut in vobis jam operetur mysterium iniquitatis? Et ne videatur vobis nimis injuriosa hæc nostra sententia, verbo et exemplo vestro jam diu probata, consulite totius catholicæ christianitatis ecclesias, consulite etiam vestras apud vos conscientias, utrum vos in his conatibus vestris coram Deo vel excusent vel absolvant. Et quomodo defecit vestra virtus et constantia, qui nobiscum per exteras regiones, ut videbamini, pro amore Christi passi mendicitates et exilia quasi cujusdam martyrii palmas in conspectu hominum præferebatis? quomodo scandalizetur in vestram apostasiam in suis locis? Scandalizantur in vobis sedes Remensis, Laudunensis, Metensis, Virdunensis, Tullensis, quæ vobis præconantibus dolebant omnino, sed adhuc dolent decolorationem quondam splendidissimæ et religiosissimæ ecclesiæ Leodiensis, sed et nostræ Andaginensis. Sed et ille modernus ejus sedis angelus, non bene nostri sollicitus, instinctu vestro scripsit Remensi nuper archiepiscopo, ut clauderet nobis aperta viscera suæ caritatis, et prohiberet nos a finibus suis et constitutis apud se justis possessionibus nostris. Neque certe satis fuit gloriæ vestræ ecclesiasticas personas in nos commovisse, quot utcumque fuerit tolerabile; sed et conductu præsentiæ vestræ quamplures sæcularium tyrannorum ad nos insectandum præmiis et promissionibus armastis, et contra sanctorum canonum decreta ad audientiam eorum nos violenter coegistis. Qui in nos satis humaniores caritate vestra, cum intelligerent, immo cum mirarentur nos [134] a priori sententia veritatis dissentire, exhorruerunt inter nos tractare quod non erat eorum judicare. Nobis autem audientiam vel Remensis vel Laudunensis ecclesiæ reclamantibus, tandem Remis convenimus, ibique cum Manasse archiepiscopo Engelramnum Laudunensem episcopum pridie Roma regressum invenimus : in audientia eorum dato nobis [134] loco vos defendendi, nobis autem libenter concedentibus placito vestro cedere, nobisque [134] subesse, si salva fide judicaretur nobis id fieri posse. Scitis certe, quo judicio uterque pontifex causam vestram concluserit, videlicet nullo modo competere vobis vel nomen vel officium abbatis, nisi Romana auctoritas id specialiter rationi vestræ adjudicaverit, aut legatione veraci, delatis inde signatis litteris, vobis confirmaverit. Precamur ergo, monemus et obtestamur sub obtestatione et judicio divini nominis per auctoritatem concessam beato Petro ejusque apostolicæ sedi, ut jam tandem aliquando et vestro et nostro periculo consulatis, et ad discernendam causam vestræ dissensionis, nobiscum audientiæ Romanæ in venturo festo Simonis et Judæ vos præsentetis, nosque, ut justum est, ex stipendiis*

VARIÆ LECTIONES.

[133] *ita scripsi pro* Raginoldi; *is enim mortuus erat et Manasses jam c.* 83 *commemoratur.* [134] *ita* 1.

ecclesiæ matris nostræ quæ vobis abundant, vobiscum[135] *deducatis, vel concedere dignemini unde ad eamdem audientiam statuta die possimus convenire vobis. Si vero etiam cum ceteris injustitiis quas patimur a vobis, stipendium matris nostræ ecclesiæ, quod scitis nostrum sicuti et vestrum esse, infra reclamationem audientiæ Romanæ nobis subtraxeritis, credatis pro certo quantum in nobis est, nos non defuturos præfixæ audientiæ, etiamsi ad hoc exequendum nobis quicquam non suppeteret, nisi ex mendicitate.* Hujusmodi evocationem Wiredus relectam sprevit et neglexit, noluitque credere quod indignabatur timere. Morabatur adhuc tunc temporis Lambertus Remi, et cum didicisset, referente Theoderico, incumbere ex apostolica reclamatione pondus tanti periculi Wiredo et subjectis suis, pro fratribus graviter indoluit, eumdemque Theodericum, ut erat tenerrimus in objectis sibi controversiis, tam per se quam per quos poterat prudentiores, ut consilio et rationi adquiesceret, utque ab hac commonitione cessaret, allicere studuit. Cui cum eo procurante suggererent multi, ipse etiam Manasses archiepiscopus se inclinaret huic suggestioni, scilicet suæ nullius esse utilitatis vel honestatis, ecclesiam tanti nominis, tantæ quondam religionis, sic inconsulte per eum auctoritate apostolica deprimi; sicque illum non sini designatum successorem, vel ut sibi videbatur invasorem suæ quondam prælationis acrius insequi, convenire ab aliquo locum ne omnino destrueretur tueri, quando ipse detestaretur subjectionem Otberti : tandem Theodericus acquievit rationi et tempori, adeo ut palam promitteret, si Wiredus sibi credere vellet, paratum se cum eo Romam ire, et sua procuratione apud apostolicum illi liberam abbatiam conclamare. Promissionem hanc laudantibus quam plurimis, gratia hujus compositionis Lambertus Wiredum expetiit, et ei prædictam affectationem erga ecclesiam et eum diligentium, Theoderici quoque assensum, si illi credere vellet, nunciavit. Ad hæc Wiredus : *Non credam*, inquit, *inimico meo in æternum, neque sine assensu episcopi mei ullo modo mihi est Romam eundum, cum præsto sim coram eo cum Theoderico subire judicium.* Respondente Lamberto secundum priorem et veram suimet ipsius sententiam, quam cum Christi fidelibus olim tuebatur, Otbertum esse nullum, utpote apostolicæ sedis adversarium; adjecit ille : necessario pro suo habendum quem Leodiensis ecclesia qualemcumque pateretur dici suum. Hiis auditis Theodericus tulit satis indigne Wiredo se talia mandasse, præfatis quoque consultoribus suis improperavit satis injuriose, et eos talia consulendo verba perdidisse, et se ut dicitur crudum laterem lavisse. Hinc inter utrosque ira et indignatio, hinc cum animarum periculo, cum ecclesiasticarum possessionum dampno inter interiores et exteriores fratres dissensio, adeo ut Castrenses (194), Pirenses, Sanctienses (195) et Cunenses Wiredo subesse vel communicare detrectantes, Theodericum pro abbate omnimodo retinerent. Quorum ille ut poterat sollicitus pendentes ex suo respectu revisebat frequentius, eisque cohabitans hortabatur, ut salva fidelitate matris ecclesiæ beati Petri et beati Huberti locis suis in proficiendo allaborarent singuli. Unde et Emmo præpositus Pirensis, postea vero abbas cœnobii Morinensis (196), ecclesiam beatæ Mariæ et beati Sulpitii a domno Raginero[136] cœptam perduxit ad præsentem summam; Castrenses, Cunenses et Sanctienses, prout quisque potuit, profecit in habitatione sua. Occasione quoque hujus dissentionis, Dodo Cunensis Calvitiacum et Flabotvillam violenter intercepit, et reditus earum fratribus cellæ suæ deservire coegit. Wiredus interea assentientibus sibi quasi ad gratiam fautoribus immo seductoribus suis, pro deliramento desipiens reputabat evocationem Romanæ audientiæ, quam Theodericus indixerat ei, quia ut exulem et pauperem nullo modo credebat posse exequi quæ videbatur minari, cum non haberet subsidium perficiendi. Thodericus vero non immemor sui, ambiebat precibus quos noverat viros virtutis, ut compaterentur sibi, et porrigerent manus caritatis ad exequendum negotium hujus suæ procurationis. Unde in brevi obtinuit ut eorum largitione acquireret subsidium honeste Romam cundi, assumptoque Heribrando, Urbanum papam apud Beneventum commorantem (197-8) expetiit, eique hujusmodi compositionis clamorem humiliter præsentavit : *Domino et universali papæ Urbano filii ecclesiæ beati Huberti pro defensione veræ fidei ejusque legitimi apostolatus passi dispersionem in oculis Dei quod dicitur esse. Dormiente domino Jesu*, etc., *Hanc epistolem vide ad calcem epistolarum Urbani II, Patrologiæ t. CLI.*

91. (118). Recitata in præsentia Urbani papæ clamoris pagina, et a Romanis sæpius et diligentius ventilata, abbatem sic destitutum ob fidelitatem ecclesiæ Romanæ condoluerunt, et Wiredum, nisi resipisceret et loco cederet, excommunicandum sine dilatione decreverunt. Suffragante autem Rainero, qui Urbano in pontificatu successit, tunc quidem dilata est sententia hæc excommunicationis, usque in diem inter utrosque præstitutæ discussionis, si forte adveniente Wiredo certior fieret agenda discussio. Illo domi remanente, probatus est quasi conscius culpæ condictam sibi audientiam subterfugisse; ideo in sollempnitate omnium sanctorum ex-

VARIÆ LECTIONES.

[135] nobiscum 1. [136] Raigero 1

NOTÆ.

(194) Id est S. Theobadi in Porcino castro, ut scriptum est in privil. Innocentii II, l. l.

(195) *Sancy* en Lorraine. H.

(196) I. e. S. Joannis Tarvanensis sive in Monte, ut videtur. Nullam præter hanc Emmonis mentionem inveni.

(197-8) Ibi fuit sub autumnum a. 1098.

communicatione a papa formata, et data coram se ejusdem excommunicationis epistola : *Urbanus episcopus, servus servorum Dei, Arduennensis monasterii beati Huberti catholicis fratribus salutem et apostolicam benedictionem. Audivimus et auditum non dolere non possumus, quia Otberti pseudoepiscopi violentia venerabilis filius noster Theodoricus, vester abbas, pro catholicæ fidei gratia de vestro sit monasterio expulsus, et Wiredus pseudomonachus per ejusdem Otberti violentiam super capita vestra sit ingestus. Quod omnino nobis displicere sciatis. Unde vos litteris præsentibus salutantes, ut vestræ fidei constantiam conservetis hortamur, et licentiam indulgeo, ut si in monasterio vestro secundum regulam beati Benedicti et apostolicam veritatem vivere non valetis, ad quodcumque religiosum volueritis monasterium secedatis, donec omnipotens Deus locum vestrum respiciat, et secundum beneplacitum suum in pristino statu reformet. Illum autem Wiredum monasterii vestri invasorem cum suis omnibus subditis, quamdiu ab ipsius monasterii invasione non destiterit, a sancta Romana ecclesia excommunicatum esse, scriptis vobis præsentibus innotescimus. Dat...*

92. (120.) Misit etiam Urbanus papa Leodiensi ecclesiæ pro Theodorico hanc epistolam : *Urbanus episcopus, servorum Dei, catholicis omnibus in clero Leodiensi et populo salutem et apostolicam benedictionem. Dolemus pro vobis graviter, filii in Christo dilectissimi, quia jam tanto tempore vestram ecclesiam errorum tenebræ contegunt, et a veritate sedis apostolicæ alienant. Unde vos tamquam viscerum meorum filios paterna dilectione corripimus, ammonentes et obsecrantes, ut ad meræ veritatis lumen mentium vestrarum oculos elevetis. Auferte malum ex vobis ipsis; lupum illum dico et furem, qui non ad salutem vestram per ostium introivit, sed aliunde ascendit, ut mactet et manducet et perdat. Aut igitur ecclesiæ invasorem et occupatorem, Obertum dicimus, Henrici complicem et Guiberti, ex vobis, si quo modo possibile, pellite; aut ei tamquam a sancta Romana ecclesia alieno et excommunicato obedientiam vestram consortiumque vestrum subtrahite. Hoc ipsum de Wiredo pseudoabbate præcipimus, qui per ejusdem pseudoepiscopi violentiam Ardennense monasterium beati Huberti occupavit, si quis autem deinceps eis communicare præsumpserit, donec ecclesiarum quibus incubant oppressione deserta, Deo et sedi apostolicæ satisfaciunt, sciat se ejusdem excommunicationis vinculo innodatum. Vobis sane et ceteris omnibus notum sit, quia religioso abbati Theoderico licentiam dedimus, ut a schismaticis conversos, qui ad ipsum confugerint, a vinculo excommunicationis absolvat. Datum. . .* Quam epistolam cum rediens Theodericus ex edicto papæ fratribus ecclesiæ beati Huberti publice redderet, Wiredo tunc forte absente, intellecto animarum suarum periculo communi, singuli in absentem scandalizari, pro se quisque subjectionem et communionem vereri ; adeo ut dominica quæ dicitur in palmis (*an.* 1099, *Apr.* 3.) usque ad exactum pasca ab omnibus pæne videretur destitui. Ille tamen dissimulata recognitione superpositæ sibi obligationis, defensionem hujus suæ obstinationis se ipso judice conabatur tueri, contendens se a nemine nisi ab episcopo suo posse excommunicari, seque paratum in præsentia ejus respondere quibusque calumpniatoribus suis. Hiis compertis Obertus, licet ex decreto apostolicæ sedis eadem calumpnia sibi esset communis, subridebat tamen secum, occasione hujus necessitatis a Wiredo tandem legitimus episcopus recognosci, a quo aliquamdiu quasi non legitimus visus est vitari; mandavitque fratribus interim parcere cœptæ disceptationi, donec ipsemet veniens imponeret finem rei. Wiredus interea elaborabat adversantibus sibi præstabilis fieri, prout quemque noverat pro moribus suis posse complacari; sicque paulatim apud temere tumultuantes animos et apostolica sententia viluit, et fervor tuendæ veritatis refriguit. Hoc ad tempus impedimento sic dilato, non tamen omnimodis ablato, Wiredus factus securior in maximum ecclesiæ dampnum liberos et militares casatos cœpit sibi affectare, quorum receptis manibus inaniter jactaret suos esse. Causa hujus vanitatis dedit Johanni advocato Caviniacensem advocationem; qua occasione ille contraxit sibi totius Caviniaci utilitatem. Dedit Waltero de Ampliz allodium de Seriel [137], quod ab antiquo erat addictum et conscriptum præbendæ fratrum cum tribus solidis. Dedit Bovini de Wahart (199) molendinum ad lacum et combam de Gruispont. Reddidit Rodulfo Vilantiensi quasi suo parenti solidatas terræ, quas ipsemet legali judicio reacquisierat ecclesiæ; Lamberto de Ruvinia (200) hereditatem ejus, quæ ascripta erat præbendæ fratrum, in casamentum vendidit. Vendidit Goderanno de Burs minutam decimam ejusdem villæ, et Duranno quicquid tenebat terræ. Hiis casatis sibi noviter conductis de rebus ecclesiasticis, ecclesiæ dolenti in perpetuum subductis subsidiis, quasi fortior et gloriosior vellet videri, longe aliter res ipsa processit, hoc ipsum disponente justitia Omnipotentis, qui in contrarium vertit quicquid videt contra se inutiliter moliri. Nam quos sperabat in consilio et auxilio sibi fore usui, frequentius quasi ad dominum suum convenientes, cœperunt esse oneri; quosque in affluentibus conviviis præsentes audiebat laudatores, ex contemptu nimiæ familiaritatis absentes habebat derisores. Contigit etiam ut invidiam Otberti per quosdam eorum incurreret, dum ali-

VARIÆ LECTIONES.

[137] *vel* Senel.

NOTÆ.

(199) Castellano Mirwoldensi, v. infra c. 93, et Ægid., c. 19.

(200) *Revogne*. R.

quando apud illum convivantes graviter indignanti objicerent, abundantiorem immo lautiorem esse mensam abbatis sancti Huberti mensa Leodiensis episcopi; et cum Wiredo referretur a quibusdam amicis, id sibi cavendum, illeque commotus promitteret tale quid amplius non admittendum, parvus tamen prævaluit usus, nec fuit resistendi virtus, quin cœpta vanitas continuaretur.

93. (122.) Anno autem incarnati Verbi 1103 Bovo castellanus Mirvoldensis, qui videbatur in talibus amicissimus mensæ amicis, adversus ecclesiam et Wiredum insurrexit. Nam violenter pervasis quibusve reditibus silvæ, qui eatenus erant ecclesiæ, vastatis etiam sartis rusticorum, eo quod illa sine suo permissu fecissent, piscatores quoque ecclesiasticos ad Lumniam transmissos missis apparitoribus cepit, et in castro custodiæ mancipavit. Hujus injuriæ et incitatores et auctores cum Wiredus ex consultu fratrum excommunicare fecisset, — habet enim hæc ecclesia ex auctoritate apostolicæ sedis legitimam potestatem excommunicandi injustos pervasores sui cujusque juris, — Bovo quasi hanc inauditam temeritatem, prout acrius potuit, Oberto retulit, videlicet familiam episcopalem excommunicandam non esse, nisi vel prius ad illum præmisso clamore. Otbertus cum maxima indignatione præfixa die exactionem hujus suæ injuriæ Wiredo indixit, et ne interim de duobus ecclesiæ allodiis, scilicet Braz et Gruisponte, se ullo modo intromitteret interdixit. Wiredus assumpto Lamberto et Widone, cum privilegio legali interdictæ sibi ecclesiasticæ possessionis ad condictam audientiam venit, omnesque potentiores urbis personas cum Oberto adversum se congregatas invenit. Locato judicio, sederunt in parte abbates et archidiaconi, in parte Obertus et laïci. Appellatus est Wiredus, quod familiam episcopalem, scilicet defensores sui castri, excommunicare præsumpserit, sine respectu præmissi ad se clamoris. Respondit non se arbitratum esse ejus familiæ temerarios desertores justitiæ, violentos impugnatores ecclesiæ, violatores pacis constitutæ (201) et sua excommunicatione firmatæ; nec se illos tales ut sibi imputabat temere excommunicasse, sed ejus excommunicationem pro pace infracta confirmasse. Silentibus abbatibus et archidiaconis, et annuentibus ejus rationabili responsioni, ad favorem Oberti obstiterunt laïci, judicantes Wiredum ex hoc omnino culpabilem, et ideo ex hoc incurrisse offensam episcopalem. At Lambertus sedens cum archidiaconis : *Quomodo*, inquit, *hic hodie viluit ecclesiasticæ et vestræ dignitatis decus* [138], *dum hoc judicium quod rationabiliter erat censendum a vobis, tam irrationabiliter jam præcipitavit laicalis temeritas, nec nosse debeant laïci quid faciant clerici?* Continuo indignantibus archidiaconis adversus laicos contentio surrexit, veritusque Otbertus eventum contentionis, sessionem mutavit, evocatis solum ad consulendum assessoribus ecclesiastici ordinis. Dixit quoque Wiredo, ut in majus palatium cum suis secederet, donec consultius causam ejus diffiniret. Inter consulendum cum diceret Otbertus, Wiredum utpote sic sibi injuriosum se velle deponere, allodia vero ecclesiæ Braz et Gruispont castro Mirvold stipendiaria facere, restitit Berengerus constantissime, asserens nec Wiredum dignum depositione, nec convellendam Henrici pontificis legalem donationem, publico et signato privilegio confirmatam ecclesiæ. Quibusdam injuste Oberto faventibus, quibusdam Berengero juste attestantibus, subintulit Obertus, prædictæ donationis nullum privilegium esse, vel si esset, illud in præsenti velle videre; putabat enim non adesse. Uterque Henricus (202), ut erant fideles ecclesiæ, Wiredum adeuntes privilegii quæstionem fecerunt; quod si haberetur, committeret eis Oberto deferendum. Exacta et accepta fide referendi commissum, Wiredus commisit utrisque privilegium; quod cum interposita conditione illud reddendi otbtulissent Oberto, illeque acceptum vel joco vel serio conaretur retinere, morose explicatum morosius cœpit legere. At Berengerus alludens quasi jam cæcutienti et ideo in legendo tardanti, dari sibi legendum rogavit. Indignatus in eum Otbertus, quasi illi non bene videns videretur, cœpit legere citius, Berengero iterante ne gravaretur; hac ipsa nitens incitatione, ut in subscriptum anathema perlegendo incideret. Perlecto privilegio, cum novitate temporis attestarentur qui præsentes erant [139], verum illud esse, se legitimæ donationi Henrici pontificis interfuisse, seque eam vidisse et audisse, evocato Wiredo privilegium publice probatum illi reddiderunt, dilato judicio exactæ excommunicationis ad festum sequens beati Lamberti (*Sept.* 17). Quo dum abbates episcopii convenissent, et causa Wiredi ventilata, illi pacem adjudicassent, eo quod excommunicationem episcopalem de infracta pace sua excommunicatione confirmassent : Obertus interim dissimulata indignatione, tunc quidem siluit, seque plurimum gravari privatioribus suis sæpissime deplanxit. Unus eorum Bruno cum se jactaret quasi loci hujus archidiaconus ipsam ecclesiam et Wiredum qualicumque occasione gravaturum, hortatus est Otbertus id attentius exequendum.

94. (123.) Anno 1104 incarnati Verbi Bruno archidiaconus, collectis presbiteris quam pluribus et congregatis militibus, ut in synodo ageret, magis

VARIÆ LECTIONES.

[138] *deest codici; addidit Martene.*

NOTÆ.

(201) Per Henricum episcopum qui inde Pacificus dictus est.

(202) Archidiaconi Eccl. Leodiensis, alter decanus simul, alter præpos. Fossensis, hic filius, ille frater Cononis de Monte acuto · v. infra c. 98 Hirsch de Sigeberto. p. 178.

autem ut ecclesiam vexaret, Andaginum venit, et Wiredo ut sibi et suis obsonium faceret mandavit. Wiredus audiens eum synodali causa venturum, omnino indebitum ei recusavit servitium, videlicet ex edicto beati papæ Gregorii, qui nec ab episcopo nec a qualibet persona episcopali per procurationes omnino interdicit monasteria monachorum inquietari. Quod etiam Gualcaudus prohibet privilegio suæ auctoritatis. Remandavit tamen, si caritatis gratia inviseret locum, hospitalitatem se illi ut et aliis supervenientibus facturum, sin autem parrochias suas sollicitaret, expectationem suam non sibi, sed procuratoribus earum mandaret. Sic ille cum ira et indignatione rejectus, vix enim fuerat in monasterium gratia orationis admissus, in domum Oberti tunc temporis presbiteri ad hospitandum divertit, et postera die (*Jan.* 8), in basilica beati Ægidii, quæ prius ab antiquo constiterat in honore beati Dionysii martyris, synodo exacta Bastoniam divertit. Ibi 6 Idus Januarii archidiaconatus sui clericos concilio indicto evocavit, et hoc maxime ad insidias et oppressionem ecclesiæ beati Huberti. In castro autem quod Ambra dictum est ab antiquo, Andaginum vero monasterium cognominatum a beato Beregiso', mater ecclesia constiterat in honore beati Petri apostolorum principis ab initio ibi exortæ christianitatis. In hac, ut longe prædictum est, Gualcaudus episcopus Leodiensis, assensu Leonis Romani pontificis, consilio quoque Hildeboldi metropolitani Coloniensis, hortatu etiam Ludovici piissimi imperatoris filii magni Karoli, constituerat ordinem monasticæ religionis, quæ secundum canonicam auctoritatem permanserat extunc per annos 325 positionis monachorum (203) libera totius inquietudinis. Hæc ut est proprium matris ecclesiæ legitimum possidet baptisterium, habens dotis nomine subjectionem 14 ecclesiarum, quarum libertas publico auctorizata privilegio, nullum episcopali vel archidiaconali exactioni debet respectum. Quia vero hiis nostris temporibus dissidente sacerdotio et regno, ecclesiastica passim languebat auctoritas, in agenda legali justitia pro cujusque persona loco rationis dominabatur voluntas. Unde et Bruno reputans apud se mutare posse leges et tempora, in prædicto suorum concilio quasi præcordialem sibi intulit querimoniam, videlicet Andaginensem ecclesiam nimis sibi invenisse injuriosam, se passum in ea despicabilem repulsam, indeque velle quacumque occasione conceptam explere vindictam. Quia enim, utpote matri ecclesiæ, sciebat se legitimum baptisterium nullo modo posse detrahere, conabatur equidem oleum et chrisma suæ dispensationis omnino ei subducere, ecclesias et ejus subjectionis et defensionis banno superimposito hactenus liberas violenter infringere, et hujus suæ voluntatis conatum eorum judicio ira dictante præcepit censendum. Super hiis Wiredus a quibusdam fidelibus ecclesiæ præmonitus, adierat idem concilium, ut removeret si quid adversus eam moliretur impedimentum. Qui consurgens libera contradictione protestatus est hujusmodi eorum non esse judicium, nec eis convenire super ecclesiam tantæ auctoritatis et libertatis aliquid censendum. Hujus quoque conaminis rescriptum inter patres suos in generali synodo appellabat respectandum. Indignatus Bruno sic se legali protestatione et synodali appellatione præventum, judicio præsentis ibi concilii vellet nollet concessit Wiredo respectum. Non multo post Obertus legationem suam ad Manassem Remorum archiepiscopum direxit, et ut pro requirendo a se beneficio Bulonicnsi ad colloquendum sibi conveniret, precibus optinuit. Ergo ab utrisque apud Duciacum (204) condicta die hujus colloquii, Obertus affectans videri quis esset vel quid posset, abbates et archidiaconos suos et quosque potentiores episcopii ex edicto assumpsit, et archiepiscopo nichil tale curanti satis pomposus occurrit. In feria autem secunda regationum (*Mai.* 24) exacto eodem colloquio, præter effectum frustratæ quæstionis, unusquisque ad diversorium quod sibi sperabat familiarius festinabat. Cogebat enim eos solito fervention æstas. Wiredus secum reduxit Leodienses abbates Berengerum et Stephanum, jamque sibi mitiorem Brunonem archidiaconum. Aliquando enim moderatur tempore, quod ad tempus non potest moderari ratione. Quo dum abundanti liberalitate dominicam ascensionem (*Mai.* 25) celebrassent coram prædictis abbatibus, vexatio quam inferebat ecclesiæ Brunoni objecta est. Abbates illum privatim convenientes et leniter increpantes, defensionem etiam auctoritatis apostolicæ locum tuentem specialiter firmato privilegio, ne quis inferat injuriam, nisi honoris sui et potestatis interdicta dignitate, satis renitenti præferentes, tandem a sententia deduxerunt. Sic Bruno ratione convictus, quicquid indebitæ exactionis, quicquid clamoris, quicquid alicujus insectationis vel infractionis vel proprio conatu vel hortatu alterius adversus ecclesiam fecerat vel facere intendebat, injuste se fecisse publice recognovit et pœnituit, et ne quis ea amodo ageret bannali auctoritate interdixit, itemque interdicendum Alardo decano in conventu sacerdotum suæ subjectionis per obedientiam edixit. Alardus in sequenti natalitio apostolorum Petri et Pauli (*Jun.* 29) bannales cruces deducentibus presbiteris, cum exsolvisset oblationes debitæ devotionis, in publico eorum conventu adjudicato sibi consensu omnium, banno archidiaconali edictum de recognita pace et libertate ecclesiæ beati Huberti confirmavit, et ne quis idem bannum amplius infringeret excommunicavit.

95. (125.) Anno incarnati Verbi 1105, Richardus quidam cardinalis ecclesiæ Romanæ (205), conciliis

NOTÆ.

(203) Error manifestus.
(204) *Douzy* ad fl. Carum.
(205) Ep. Albanensis.

indictis, agebat per Gallias apostolicas vices. Cui suffragante Roberto Virdunensi, qui illi familiariter adhærebat, in eisdem conciliis declamavit Theodericus ordinem suæ privationis. Cujus causa dum ventilaretur, ex sententia fidelium decrevit idem cardinalis, nec debere nec posse illum prælationis suæ dignitate privari, quam nimis inconsulte intermisisse videbatur ob defensionem veritatis et fidelitatem apostolicæ sedis, sciretque Wiredus Andaginensem abbatiam omnino interdictam sibi, aut pro certo excommunicatum cum omnibus fautoribus et subjectis suis. Hanc apostolicæ auctoritatis sententiam Laurentius abbas sancti Vittoni (206) et Robertus monachus intercceperunt Wiredo enunciandam. Cui cum ad colloquendum diem et locum constituissent, illeque non convenisset, per Adelonem præpositum mandaverunt ei cardinalis decretum ; Theodericus quoque litteris ad fratres destinatis, ingravavit eis ejusdem excommunicationis periculum. Sub hiis insectationibus suis Wiredus Manassem Remorum pontificem adiit, et altare de Sulpio quod ecclesiæ per annos 7 subtraxerat, reddendum sibi reclamavit. Manasses non solum quod subduxerat, sed etiam altare de Nogarias remota persona et facta publica et legali donatione, consensu Gervasii archidiaconi et totius cleri sui firmato et signato privilegio, ecclesiæ beati Huberti pro anniversario suo ex ejus reditu sollempniter agendo perpetuo habendum tradidit.

96. (126.) Obertus interea nimis immoderatus dominationis exercendæ cœpit Leodii civilia jura convellere, leges majorum mutare, consuetudines annullare, utque liberius comprimeret minores, differebat interim exasperare majores, donis etiam et promissis ad consentiendum sibi contrahebat potentiores. Sed nec diu potuit se continere, quin quod ad tempus distulerat proderet, et in eadem oppressione fieret omnibus idem. Ecclesiarum denique et clericorum procuratores totius liberos forensis juris violenter infringere temptavit : adeo ut custodiæ manciparet domesticos Frederici præpositi ecclesiæ beati Lamberti. Unde evocatus querimonia totius cleri Leodiensis, venit Aquisgranum palatium, donec Fredericus metropolitanus Coloniensis [139] ibidemque audientiam canonicæ discussionis publice habendam Oberto indixit. Advenit Obertus, advenit etiam cum abbatibus et archidiaconis multiplex Leodiensium clerus. Erat 1104 annus incarnati Verbi, feria quinta primæ hebdomadæ quadragesimæ (*Mart.* 10). Sub hisdem ferme diebus venerat Wiredus Leodium de quibusdam injustitiis ecclesiæ nostræ illatis curaturus apud Obertum. Audiens autem tam frequens auditorium Aquis convenisse, comitatus Lamberto, Adelone, ibidem maturavit adesse. Quem præter spem advenisse mirati, processerunt in curia regali palatio introductum commendaverunt Coloniensi pontifici. A quo hilariter exceptus et deosculatus, interrogatus quoque ad quid venisset, illeque graviter suspirans interim reticeret — jam enim ante præmonitus erat a Berengero, nullo modo sibi fore utile, si inter tot adversitates suam quæ erat gravior causam de Mirvolt adversus Obertum sic oppressum ingravaret — pontifex exsurgens Berengerum et Stephanum abbates seorsum evocavit, et ut sibi querimoniam cum dolore reticentis ex ordine exponerent, per obedientiam indixit. Berengerus optime conscius rei et peritus dicendi, quod jubebatur enarravit. Videlicet quomodo prædictum castrum, omni adjacenti provinciæ infestum, ex edicto Henrici imperatoris viribus totius Lotharingiæ vix fuerat dejectum, quomodo ab episcopo Henrico restructum, iterumque ab illo sub interminatione perpetui anathematis destructum, quomodo etiam nunc in exitium ecclesiæ beati Huberti constaret refirmatum. Subjungente autem pontifice, cur inde abbas clamorem differret, respondit ille quia justitiæ diffideret. Rapuit pontifex cum indignatione verbum diffidentiæ, juravitque de agenda justitia abbatem frustra diffidere, si vita sibi superesset cum prosperitate. Circa horam sextam collecto adversus Obertum clero Leodiensi, videres tumultuaria dissensione rationem confundi, sine vicissitudine dicendi et audiendi injurias quas ab Oberto pertulerant singulos conqueri, canonicas sententias adversus eum indifferenter conferri, donec pontifex Coloniensis eo secum introducto consedit. Tandem sedato tumultu, et data sententia ut unus diceret pro omnibus, ad hoc exequendum electus constitit in medio Henricus archidiaconus, qui dicere exortus : *Hic*, inquit, *clamor super dominum episcopum a nobis hodie agendus non est ejus privatæ vitæ, cujus testis est Deus et judex solus, sed de injustitiis ecclesiasticis et nostris legibus et rebus publicis; videlicet quod abbatias taxato pretio vendiderit, quod ecclesiastica ministeria quæ præsunt animarum curis et quæ, utpote dona Spiritus sancti, donanda et accipienda sunt gratis, pacta mercede distribuerit; quod in commune dampnum ecclesiarum omnium provincialium legitimas monetas totiens mutaverit vel minuerit, et, quod est deterius, corrumpi consenserit; quod libertatem publici juris, leges a majoribus nostris hactenus habitas violenter infringere contenderit; quod nobis et quibusque fidelibus sancti Lamberti ne hoc faceret suggerentibus, audire contempserit; quod tandem potentioribus episcopii exigentibus ut se corrigeret, corrigendi se fidem dederit, et datam irritam fecerit; quod thesauros ecclesiarum quas exspoliavit necdum cum possit restituere voluerit. Quia ergo sic se habet publica Leodiensis ecclesiæ, præter privatas multorum querimonias, quas longum est proclamare, convenit*

VARIÆ LECTIONES.

[139] *Hic aliquid deesse vel corruptum esse videtur.*

NOTÆ.

(206) Virdunensis.

auctoritati vestræ spiritum consilii et fortitudinis adesse, ut dictante judicio reformetur justitia, et absolutis filiorum suorum querimoniis in pace eorum lætetur mater ecclesia. Ad hæc archiepiscopus in concilio loquutus Oberto rediit, breviterque concionatus super querimonia communi, Obertum rubore immo indignatione confusum de quibus culpabatur publice increpavit. Nec prius abstitit quam de quibus criminabatur cleri sui consilio et arbitrio corrigenda condiceret, ejusdemque conditionis obsidem propriam fidem et auctoritatem episcopalem in manu archiepiscopi deponeret. Terminum quoque prædictæ conditionis a se agendo concilio Coloniæ secunda dominica post pasca archiepiscopus præfixit; sicque jam vespera imminente audientiam solvit.

97. (127.) Sequente pasca Henricus rex Leodii celebravit (207). Ibi maximis obsoniis apud eum Obertus effecit, ne præfixum concilium Coloniæ sineret fieri, quia dissimulata conditione fidei conditæ, direrectionis pactæ verebatur exactionem. Si quid denique emendationis apud quosque potentiores videbatur inde effecisse, non hoc effecerat vel fidei vel virtutis executione, sed ut ad tempus suæ consuleret infamiæ. Sic ex regali impedimento deficiente concilio, nostra quoque frustrata est de promissione archiepiscopi expectatio. Nec multo post suscitavit Deus spiritum pessimum inter Henricum et filium ejus. Henricus a papa Gregorio VII excommunicatus pro criminibus evidenter probatis anno incarnati Verbi 1076 in synodo Romana, extunc per triginta fere annos apostolicam sedem impugnabat, et quantum in se erat, omnes sibi consentientes a respectu et fidelitate ejus periculo animarum eorum avertebat. Filio autem jam coronato, suggestum est ei a multis et maximis primoribus regni, ut ecclesiæ Romanæ, cujus erat pater suus tam longus impugnator, ipse fieret fidelis defensor, sicque prætenderetur [140] sibi melioris causæ defensionem patri repugnando. Suggestioni consensit juvenis, lætatus sibi licere ut obsisteret patri, aggregatisque quibusdam fautoribus suis transiit Renum, et Saxones vel quoscumque noverat a patre suo multotiens prius injuriatos secum illi rebellaturos emovit (*an.* 1105). Pater autem assumpto Leodii Oberto cum suis, collectis etiam quibus utcumque videbatur adhuc dominari, transito et ipse Reno per superiores regni fines itinere quindecim dierum prosecutus filium, sollicitabat provinciales ad bellum. Evocatis vero principibus regionum, cum eis præsentialiter indiceret decertationem adversus filium, responderunt illi ad hoc compelli eos nec debere nec posse, quandoquidem omnes in commune ejusdem filii sacramento fidelitatis obligasset. Sed Henricus spe belandi deceptus, immo quod imminebat ei deterius, mediis hostibus quos putabat amicos interceptus, continuis et nocturnis itineribus Lotharingiam refugit, filio insequente fugientem cum facibus et armis. Factusque est illi adeo infestus, ut in castrum Becheneshem (208) cis Renum fugientem concluderet, et exactis ab eo regalibus ipsum quoque regnum abjurare compelleret. Facta sunt hæc 1106 incarnati Verbi anno (*Dec.* 31). Sic pater a filio tractatus, et vix de custodia ejus elapsus, Coloniam venit, sibi sollempniter volentibus procedere non consensit, indeque ut privatus nudis pedibus in asperrima hieme Aquisgrani palatium peraccessit (*an.* 1106). Obertus dolens hæc evenisse illi, magis autem si filius prævaleret timens sibi, quasi gratia fidelitatis occurrit illi, secumque, ut erat vehementis animi, nimis temere nimisque imprudenter Leodium adduxit; quod se pœnitere cum vellet non licuit. Nam præter ejus suorumque impensas gravabat eum permaxime provincialium principum ibidem convenientium assiduitas, quos et ipse ultro convocabat ut subvenirent regi destituto, agens et donis et promissis ne confœderarentur filio. Filius interea cum factæ sibi fidelitati ab Oberto ceterisque principibus confideret, et Leodii tunc Pasca celebrandum destinaret, ipse residens Aquis trecentos fere optimatum suorum ad urbem præmisit, et hoc feria quinta majoris hebdomadæ (*Mart.* 22). Dux Henricus (209) a filio subductus cum patre tunc Leodii morabatur. Hic hortatu Otberti in tempore conficiendi chrismatis, collectis secum militaribus auxiliis, emotis etiam viribus ejusdem civitatis, cis pontem Visuensem (210) adventantibus occurrit, illisque pæne interfectis et submersis, maximam cladem regno intulit, sibique et patriæ inexorabiles inimicitias conscivit,

98. (129.) Eodem anno Arnulfus comes Chisniacensis in hoc loco Kalendis Aprilis monachus factus 16 Kalendas Maii obiit. Ipse ante annos quadraginta cellam Pirensem, ut prædictum est (211), beato Huberto legaliter in perpetuum habendam contulerat, tuncque moriturus pretium decem librarum dedit ecclesiæ in elemosinam. Et quia filius ejus Otto tunc cum Henrico Coloniæ morabatur, nullumque donum hereditarii juris facere poterat sine ejus consensu, per obsequentes fideles mandavit absenti, ut per fidem debitam patri pro anima sua deliberaret decimam de Fescals et montem Floheri (212). Pridie autem Kalendas Maii apud castrum Dolhem (213) sub Leodio obiit comes Cono (214) (*an.* 1106, *Apr.* 30), indeque se petente relatus, sepultus est Dinanum [141] sibi diu loco electo. Qui ante decem annos iturus

VARIÆ LECTIONES.

[140] *lege* prætenderet. [141] dinan 1.

NOTÆ.

(207) Post Pascha Leodium venit, secundum Ann. Hild.
(208) Bockenheim.
(209) Lotharingiæ.
(210) *Visé*. ad Mosam, aliquanto supra Leodium.
(211) Cap. 15.
(212) *Feschaux* et *Flohimont*. R
(213) *Dalhem*. R.
(214) Montis acuti.

Hierosolymam cum duce Godefrido, decem uncias nostri auri, ut prædictum est (215), super Felc acceperat. Ipsum quoque allodium totum cum partibus etiam quæ erant sui juris in Monz et Heis et Cella (216) omnemque familiam ad eam pertinentem ubicumque esset, per manus fidejussorum, scilicet Bovonis W. et Bosonis, post decessum suum beato Huberto perpetuo habendum facta inde legali carta destinaverat. Post cujus exequias Lambertus filius ejus eamdem elemosinam a fidejussoribus sibi redditam legaliter ecclesiæ tradidit, præsentibus ibidem fratre suo H. archidiacono patruoque suo H. ecclesiæ beati Lamberti decano (217), multorumque optimatum suorum legitimæ donationis testimonio.

99. (130.) De Monz quidam miles Udo casatus erat, qui mediante Maio cum sciret fratrem quemdam illo advenisse pro censu accipiendo, assumpto nepote suo Thiebaldo furibundus supervenit adhuc in mane quiescenti, et extracto gladio suo fœdum satis facinus de monacho perpetrasset, nisi Thieboldus objecto cubito conatus ferientis sustinuisset. Sic fugato fratre censum rapuit; sed non hoc illi diu impune cessit. Nam reversus inde cum apud Rupem (218) comiti Henrico in prandio ministraret, quasi amens pedem exurendum injecit cacabo carnium bullienti adhuc, et ex occasione ejusdem combustionis toto corpore tabefactus et reatum suum publice confessus.....

NOTÆ.

(215) Cap. 83
(216) *Mont*, *Heya*, *Salle*. R.
(217) V. supra ad c. 93.

(218) *La Roche*. Henricus filius erat Alberti comitis Namucensis.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

HUGO ABBAS FLAVINIACENSIS.

CHRONICON. 9
Prœmium.
NECROLOGIUM. 19
LIBER PRIMUS. 21
LIBER SECUNDUS. 197

B. WOLPHELMUS ABBAS BRUNSWILLERENSIS PROPE COLONIAM.

Vita B. Wolphelmi. 403
Observationes præviæ.
Prologus. 405
Incipit vita. 407
OPUSCULUM DE SACRAMENTO ALTARIS. 433
VERSUS DE UTROQUE TESTAMENTO. *ibid.*

EKKEHARDUS URAUGIENSIS.

CHRONICA. *ibid.*
Pertzii præfatio.
V. CL. G. Waitz proœmium. 435
CHRONICON WIRZIBURGENSE. 439
EKKEHARDI CHRONICON UNIVERSALE.
Epythome (id est abbreviatio) Eusebii de sequenti opere. 497
Excerptum de Vita Alexandri Magni. 563
De origine Francorum. 713
Historia Gothorum. 725
De Amazonibus. 729
De origine Hunorum. 735
Historia Longobardorum. 787
Descriptio actuum Karoli Magni. 845
De origine Saxonum. 885
PARS ALTERA. 999
Anni 1106—1125.
Hierosolomita. 1059
Ekkehardi Epistola ad Erkembertum. 1061
GESTA TREVERORUM.
Prolegomena. 1063
Incipit de origine Gallorum Trebirorum. 1091
Additamentum et continuatio prima. 1177
Gesta Godefridi archiepiscopi. 1227
APPENDIX MONUMENTORUM TREVERENSIUM.
Ex translatione sancti Celsi. 1233
Miracula. 1239
De abbatia Sancti Martini. 1243
Ex miraculis sancti Symeonis. 1245
Ex Vita sancti Agritii. 1247
Vita et passio Conradi archiepiscopi. 1251
Ex historia martyrum Treverensium. 1267
Ex miraculis S. Modoaldi. 1275
Ex inventione et miraculis S. Mathiæ. 1279
Gesta Alberonis archiepiscopi. — Gesta metrica, auctore anonymo. 1297
Gesta Alberonis archiepiscopi, auctore Balderico. 1307
CHRONICON SANCTI HUBERTI ANDAGINENSIS. 1337

FINIS TOMI CENTESIMI QUINQUAGESIMI QUARTI.

Petit-Montrouge. — Imprimerie de M. L. MIGNE.